
134


XV
ZWELF







XV

ZWELF


PHARMACOPOEIA
AUGUSTANA
cum Animadversionibus
IOH. ZWELFERI PAL. M. D.
editio postrema longè
auctior et emendatior.

PHARMACOPOEIA AUGUSTANA REFORMATA

Cum ejus

MANTISSA & APPENDICE,

Simul cum

ANIMADVERSIONIBUS,

Authore

JOANNE ZWELFER,

PALATIN. Med. Doct.

Cui annexa est ejusdem Authoris

PHARMACOPOEIA REGIA

Ut &

MANTISSA SPAGYRICA.

Accessêre etiam huic Editioni

BINI DISCURSUS APOLOGETICI

contra

OTTH. TACHENIUM & FRANCISC. VERNY.



DORDRECHTI,

Apud VINCENTIUM CAIMAX, Bibliopolam.

Anno cIↄ Iↄ c LXXII.

Censura Inclytæ Facultatis Medicæ Viennensis.

ANimadversiones in Pharmacopœiam Augustanam, & annexam ejus Mantissam, cum Dispensatorio novo, Domini Joannis Zwelfer, Medicinæ Doctoris, &c. à Collegio Medicorum Viennensium deputati Doctores diligenter perlegerunt, & nihil in iis Religioni, vel bonis moribus, repugnans; sed plurima, non solùm Medicis, Praxin exercentibus, & Pharmacopœis scitu necessaria; sed etiam Ægris admodum profutura, invenerunt. Quapropter utrumque Opusculum publicis typis dignissimum censemus. In quorum fidem hasce Patentes, Collegii nostri sigillo munitas, expediri, & manu Decani subscribi, mandavimus. Dab. Viennæ, 5. Aprilis, Anno Domini, M DC LI.

Ioan. Guil. Mannagetta, Doct.
p. t. Collegii Decanus.

Altera:

ANimadversiones in Pharmacopœiam Augustanam, & annexam ejus Mantissam, primum revisas; unà cum Appendice ad Animadversiones: nec non Pharmacopœiam Regiam, seu Dispensatorium novum locupletatum & absolutum, cum annexa Mantissa Spagyrica, Dn. Joannis Zwelfer, Med. Doctoris, propriis Observationibus & Experientiâ confirmatum, aliqua ex Collegio Medicorum Viennensium membra ab initio usque ad finem studiosè perlegerunt, nihilque in his bonis Moribus, aut Fidei Catholicæ, contrarium vel repugnans; verùm multa non solum Medicis Praxin exercentibus scitu summè necessaria, sed & Ægris admodum profutura, invenerunt. Ideoque hæc Opera Typis dignissima censemus. In quorum fidem hasce Patentes, Collegii nostri Sigillo munitas, expediri, & manu Decani subscribi, mandavimus.

Dab. Viennæ, 16. Junii *1666.*

Johann Ludwig, Phil. & M. D.
p. t. Decanus.

Potentissimo ac Invictissimo

ROMANORUM IMPERATORI,

FERDINANDO III.

PERPETUO AUGUSTO,

Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, &c. Regi: Archiduci Austriæ: Duci Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ & Wirtembergæ, &c. Comiti Tirolis, &c.

IMPERATOR AUGUSTISSIME:

SI sedulum hunc arduumque specto laborem, nullum, qui sibi hoc quicquid est operis, præter GLORIOSISSIMAM VESTRAM MAJESTATEM ullo jure magis vendicare possit, invenio. Meritò enim, quod sub VESTRÆ MAJESTATIS aras suspenditur, tanquam votiva quædam tabula, vel ad Augustum ejusdem pulvinar deponitur, tanquam debitæ subjectionis, gratique & observantis animi μνημόσυνον. Itaque hoc meum qualecunque opus ad INVICTISSIMÆ MAJESTATIS VESTRÆ subsellia depono, eâ autem animi devotione eâque spe, ut CLEMENTIÆ VESTRÆ SOLEM con-

confidam illud eâ benignitate aſpectūrum, ut ſub ejus radiis tutum ſit ab omni livore, ego verò ad plura alia, ſub SACRATISSIMÆ MAJESTATIS VESTRÆ patrocinio, communi mortalium bono ulteriùs proferenda accendar. Sic fiat, ſic velit SUMMUS IMPERATOR DIVUM AC HOMINUM JEHOVA, cujus æternæ protectioni IMPERATORIAM VESTRAM MAJESTATEM ardentibus votis commendo, qui IPSAM univerſi terrarum orbis bono perennare jubeat: Ità pro CÆSAREA incolumitate & feliciſſimo regimine ſeriò ſupplicat

SACRÆ CÆSAREÆ MAJESTATIS VESTRÆ

Humillimus cliens

JOANNES ZWELFER.

PRO-

PROOEMIUM AD LECTOREM.

*N*On pauci occidêre Soles, LECTOR BENEVOLE, *unde primum* Artis Pharmaceuticæ *solida jecerim fundamenta, ejusdemque integros sedecim annos continuus sedulusque sectator extiterim, indequesemper ad altiora adspirans* Chymiam *pro virili excolere cæperim, & hac pariter instructus tandem* Apollineæ militiæ *sacramentum dixerim*, Artique Medicæ, *cui* Pharmaceutica *nimirùm &* Spagyrica *famulantur, totum me dederim. Hinc porrò in hanc prorupi sententiam, cum viderem, quàm malè* Authores plurimi *in scriptis suis, quæ de* Compositionibus & Præparationibus medicamentorum *publico donârunt, hallucinati fuerint, me operæ pretium facturum, si meæ in prædictis industriæ boni publici causâ tenue aliquod ederem specimen, atque hunc in finem* Dispensatoria, *alioquin innumeris scatentia mendis, sub incudem revocarem. Cum verò omnia ac singula* Dispensatoria *(quæ tamen uno ferè eodemque tenore conscripta, iisdemque & æqualibus erroribus defœdata sunt,) sigillatim ad examen trahere nimis arduum foret onus, imò etiam supervacaneum, proinde* Augustanorum *illud, ceu inter cætera approbatissimum, & ubivis in* Germania à Medicis & Pharmacopœis *receptum; quodque cuncta alia complectitur, adeò, ut, eodem à mendis liberato, reliqua omnia repurgata censeam, in manus sumere, eidemque strenuam meam locare operam consultum & proficuum duxi; in quo eâ quâ fieri potuit brevitate errores præcipuos (omnes enim exaggerare & prolixè exponere qui vellet,* Augiæ stabulum *expurgare anniteretur) enucleavi, & prout potui emendavi, quæque in ipso omninò inordinatè & confusè à Medicis præscriptæ fuêre compositiones, servatis ferè semper ipsarum ingredientibus, in ordinem redegi, nec non veram & dextram illarum præparationem, quantum quidem in numerosâ illa ingredientium toties tàm manifestè inter se repugnantium congerie licuit, adjunxi. Ex qua mea qualicunque opera jam palàm fiet, quantopere necessarium sit illi, qui de* Compositionibus & Præparationibus medicamentorum *utile aliquid scriptis commendare satagit, ut* Artis Pharmaceuticæ, *pariterque* Scientiæ Spagyricæ *fundamentis & præceptis non leviter tinctus ac imbutus sit, secus enim in rebus jatricis & operationibus vel levissimis hærebit, ac in absurdissimos se præcipitabit errores. Existimo autem, atque abundè mihi polliceor, quod, si quisquam has meas* Animadversiones *super prænominatum* Augustanorum Dispensatorium *studiosè attenteque perlegerit, ac sine præconceptâ opinione mente revolverit,*

rit, ipse facillimam, veram & concinnam habiturus est Methodum, *juxta quam omnes medicaminum quà* componendi *quà* præparandi *formulas dextrè & rationabiliter instituere, quæ etiam brevitatis causâ festinanter silentio consecrata sunt, ex iisdem haud difficulter colligere poßit, modò perpetim in memoriâ habeat,* non quodlibet, ex quolibet fieri; nec quodlibet pati à quolibet; neque unumquodque cuilibet, sed determinatum determinato, ac homogeneum homogeneo dextrè commisceri. *Cæterum quod* Authoritatem Veterum *nec non* Recentiorum *quorundam, inprimis ubi ipsorum errores maximè conspicui fuêre, non adeò sanctè ubique observarim, vitio mihi ne vertas* Amice Lector, *utpotè quod usquequaque fieri non potuit, cùm* Veritatem ipsam, Salutemque Proximi Antecessorum nostrorum Authoritati, *vel* Modernorum non paucorum exiguæ famæ, *quam ex conscribendis omnis generis* medicamentorum formulis ac compositionibus *sibi comparare voluêre, longè anteferendam esse duxerim; quippe si illorum præscriptionibus ac traditis, sæpenumerò* Rationi & Experientiæ *apertè reluctantibus, diutiùs firmiterque insisteremus, ac cum iisdem delirare pergeremus, demum & nos* Medicinæ hosti *deberemus ludibrium &* Posteris nostris *nosmetipsos risui exponeremus. Proinde me nîl quicquam in posterum tangent vel angent acerba & ignominiosa cavillatorum quorundam dicta vel scripta: Etenim quisquis exactè & intimiùs omnia pensiculaverit, non poterit aliter, quin Veritati adstipuletur, mihique, qui in omnibus illam ducem sequor, vel invitus suum det calculum. Sigillatim autem me non movebunt cavillationes indignantium nonnullorum Medicorum & Pharmacopæorum, qui grande nefas esse putant, à conceptis semel erroribus vel latum unguem recedere, vel meliora sequi; quibus tamen imperitiam suam palàm faciunt potiùs, quàm ut famæ meæ vim tantillam inferant, quorum injurias & nefandos insultus* ipsâ Veritate propugnatrice *propulsabo nullo dextram subeunte bacillo. Interea de bonis omnibus,* cùm Doctissimis & Experientissimis Medicis, *tùm* sedulis & peritis Pharmacopœis *amplam hanc spem concipio, quod* Veritatem *avidè suscepturi sint, qui & certò sibi persuadeant, me nîl nisi vera propriisque meis manibus tentata & experta huic operi inseruisse. Hisce* Lector Amice *vale, & quem ardens amor* Veri Proximique Salus, *quam undique pro lege habui, sedulum expreßère laborem, ambabus, quod dicitur, ulnis amplectere, & conatus meos honestè interpretare. Hoc si* Te *facturum sensero, immortalitatem mihi partam dicam,* Tibique Tuisque *commodis, dum spiritus hos reget artus, totum me devovebo. Dabam Viennæ Anno M. DCLII. Ipsis Maji Calendis.*

IN

IN PHARMACOPOEIAM, SEU DISPENSATORIUM AUGUSTANUM REFORMATUM

PRÆLIMINARIA NECESSARIA.

PRolegomena *Isagogica in* Pharmacopœiam Augustanam, *cùm partim superflua sint, utpotè Caput primum*, de officio Pharmacopœi, & qualem eum esse deceat, *in quo superabundanter, & strictißimè ad minima usque is depingitur; partim minùs sufficientia videantur, ut Caput secundum* de delectu quorundam medicamentorum simplicium, & notis, quibus ipsorum adulteria dignoscantur: *Item Caput tertium* de collectione simplicium: *Et quartum* de medicamentorum cùm simplicium tùm compositorum repositione, ac asservatione, nec non receptaculis vel instrumentis unicuique adhibendis: *Ut & quintum* de medicamentorum quorumlibet duratione: *Octavum item* de venenis & eorundem Alexipharmacis sive Antidotis; *Ea brevitatis causa omittere, è contra verò Clarißimum Schröderum de* his, *in sua Pharmacopœia Medico-Chymica, & quidem de* collectione *medicamentorum simplicium, eorundem repositione ac asservatione, nec utrorumque cùm simplicium tùm compositorum duratione, aliisque quamplurimis necessariis & notatu dignis* in libro primo de Isagoge: *De Officina autem & illius contentis*, in libro secundo: *Et de* delectu *medicamentorum ex tribus illis regnis, Minerali, Vegetabili & Animali depromptorum*, in reliquis tribus libris *perpulchrè, in Mineralogiam Phytologiam & Zoologiam divisis, solidè tractantem, Benevolo Lectori unicè commendare volui; quem si diligenter perlegerit, plurima insuper necessaria, quæ in dictis Prolegomenis omissa sunt, ex eo haurire poterit. Caput verò sextum* de simplicibus absolutè scriptis, quæ Antonomasiâ quâdam cæteris præstant, quid cujusque loco accipiendum sit, tractans; *Caput deinde septimum*, de succedaneis quorundam medicamentorum, eorundemque substitutis agens; *Ac tandem Caput nonum*, ponderum & mensurarum medicarum instructionem continens, *ideò huic operi necessariò addenda existimavi, ut & Pharmacopœorum ministri, quibus non semper alios Authores adire licet, in*

promptu, casu necessitatis habeant, quem consulant Apollinem, si fortè hærerent circa doctrinam, prænominatis tribus capitibus contentam. Quod hîc obiter monere volui, ut Amicus Lector me ne hoc quidem sine causa addidisse, aut illud omisisse, videret.

CAPUT PRIMUM.

De simplicibus absolutè scriptis, quæ Antonomasiâ quadam cæteris præstant, quid cujusque loco accipiendum.

EVenit sæpissimè, ut in præscribendis medicamentorum formulis *simplex* aliquod ponatur à Practicis solo nomine, absque sexûs, loci, magnitudinis, formæ, coloris, delectûs, aut propriæ partis alicujus determinatione comprehensum, unde dubium hoc oritur, sitne mas vel fœmina, radix an semen, vel *folia* aut *flores*, hujus vel illius plantæ ibidem *nominata*, aut simplex aliquod aliud sub diversis formis ac qualitatibus in Officinis prostans, idque album vel nigrum, amarum vel *dulce* recipiendum. Pro cujus rei notitia sciendum, in quoque medicamenti genere id assumi semper debere quod est *optimum*, ut si v. g. scribatur Benzoinum, sumatur Amygdaloides quod est optimum, si Aloë occurrat, simpliciter scripta, intelligatur Soccotrina, sin Santalum, capiatur Citrinum, utpote odorissimum, si Tamariscus, sumatur cortex ejus. Sunt autem plantæ non paucæ, quarum sola in usum Medicum *folia* cooptantur: aliæ ob *flores* duntaxat expetuntur: nonnullarum *radix*, prout in quibusdam semen tantùm cæteris totius stirpis partibus præfertur. Quædam patriâ nativitate gaudent, ac à solo seu regione unde ortum duxêre, famam sortiuntur: plurima sexu æstimantur, pleraque verò qualitatibus aliis, quarum hæ in hoc, aliæ in alio desiderari consueverunt, suâ pro dignitate distinguuntur.

Itaque si simpliciter occurrat.

	Sumatur
Absinthium,	Ponticum.
Acetum,	Ex vino, non cerevisiâ, aut hydromelle.
Agaricus,	Albus & fæmineus.
Agnus castus,	Semen ejusdem.
Aloë,	Succotrina.
Alumen,	Scissile.
Amomum,	Scythicum.
Ammi,	Illyricum, aut Ægyptiacum.
Anisum,	Creticum.
Aristolochia,	Rotunda.
Balsamum,	Opobalsamum, vel ejus succedaneum.
Borrago, aut Buglossum,	Flos aut folium, vel utrumque simul.
Bryonia,	Alba, non nigra.
Calamintha,	Montana.
Capparis,	Cortex radicis.
Cardamomum,	Minus.
Centaurium,	Minus.
Cinamomum,	Acutissimum odoratissimumque.
Corallus,	Ruber.
Costus,	Amarus.
Cuminum,	Æthiopicum.
Cupressus,	Conus ejusdem in adstringentibus, folia aut lignum in diureticis.
Daucus,	Semen Dauci Cretici.

Di-

	Sumatur
Dictamnus,	Cretensis.
Eruca,	Sylvestris.
Gummi,	Arabicum.
Granatum pom.	Acidum.
Helleborus,	Niger, quia albo securior.
Hepatica,	Lichen.
Hyoscyamus,	Albus.
Hyssopus,	Montanus.
Iris,	Illyrica, vel Florentina.
Lilium,	Album.
Margarita,	Solida ac candida.
Marrubium,	Album.
Mastiche,	Chia, aut Ægyptia.
Medulla,	Cervina, vel si desit, Vitulina.
Mentha,	Rubra & hortensis vera.
Nymphæa,	Candida.
Oleum,	Olivarum.
Opium,	Thebaicum.
Papaver,	Album.
Plantago,	Major.
Pæonia,	Maris semen, aut radix.
Petroselinum,	Macedonicum.
Piper,	Album.
Pix,	Liquida in suppurantibus, sicca in glutinantibus.
Polypodium,	Quercinum.
Prunum,	Damascenum, vel Hungaricum.
Quercula minor,	Chamædrys.
Resina,	Laricina aut Terebinthina.
Rhus,	Cortex, fructus Sumach.
Rosa,	Rubra.
Rosmarinus,	Herba ejusdem, interdum flos.
Santalum,	Citrinum.
Scordium,	Creticum.
Spica,	Indica.
Stœchas,	Flos Stœchados Arabicæ.
Styrax,	Calamita.
Sulphur,	Apyron seu vivum.
Thymus,	Creticus.
Veronica,	Mas.
Viola,	Nigra, seu cærulea.
Zingiber,	Malvaricum.

Nosse quoque Pharmacopœos oportet, plura quandoque Simplicia uno titulo simul comprehendi, utpote cum scribitur: Accipe quinque herbarum emollientium singularum manipulum, sumantur sequentes, nempe

Quinque herbæ emollientes: Malva. Althæa. Violaria. Mercurialis. Parietaria.

His alii Brancam Ursinam, Betam & Atriplicem adscribunt.

Quatuor semina calida majora: Anisi, Fœniculi, Carvi, Cumini.

Quatuor semina calida minora: Ammeos, Amomi, Apii, Dauci.

Quatuor semina frigida majora: Cucumeris, Cucurbitæ, Citrulli, Melonum.

Quatuor semina frigida minora: Endiviæ, Scariolæ, Lactucæ, Portulacæ.

Quinque radices aperientes majores: Apii, Fœniculi, Asparagi, Petroselini, Rusci.

Quinque radices aperientes minores: Graminis, Rubiæ, Eryngii, Capparis, Ononidis.

Quinque genera Myrobalanorum: Citrini, seu flavi, Chebuli, seu Cepuli, Indi, seu nigri, Emblici, Bellirici.

Quatuor flores cordiales: Borraginis, Buglossi, Rosarum, Violarum.

Fragmenta quinque lapidum pretiosorum: Saphyri, Granati, Smaragdi, Hyacinthi, Sardæ, seu Carneoli.

Quinque herbæ capillares: Adiantum nigrum, seu Capillus Veneris, Adiantum album, seu Ruta muraria, Polytrichon aureum, Trichomanes, Asplenium, seu Ceterach.

Quatuor aquæ pleuriticæ: Cardui B. Mariæ, Taraxaconis, Cardui Benedicti, Scabiosæ.

Tria olea stomachica: Absinthii, Cydoniorum, Mastichinum.

Quatuor unguenta calida: Arêgon, Martiaton, Althææ, Agrippæ.

Quatuor unguenta frigida: Album Camphoratum, Rosatum Mesuæ, Populeon, Infrigidans Galeni.

Hæc autem omnia ac singula à Pharmacopœis ad amussim tenenda, imò memoriæ mandanda sunt, ne in his alioquin error obtingat, qui vel Medici intentionem præpediat, vel ægro damnum adferat; cum apprimè cavendum sit, ne quis ab ea arte, quæ omnibus benefacit, per operarii eam tractantis, aut exercentis vel inscitiam, vel incuriam lædatur.

CAPUT SECUNDUM.

De Succedaneis quorundam Medicamentorum, eorundemque substitutis.

EVenit persæpè, ut in tanta tàm diversorum Medicamentorum farragine, simplex aliquod medicamentum desideretur, vel quia id omninò deest, ac comparari vix potest, veluti *Balsamum verum*; vel quia vis ejus ob loci, unde id peti debet, distantiam, & itineris prolixam moram, exoletum ad nos devehitur, ac viribus expers: Vel quia de ejus ortu, an nimirum legitimum id sit vel spurium, adhuc dubitatur, unde ne ægri suo commodo priventur, aliud quodpiam viribus æquipollens huic substituendum, quod ejus defectum simili temperaturâ, facultate ac gradu resarciat. Talia subrogata medicamenta Græcis ἀντιβαλλόμενα dicta, *Latinis Succedanea* & *Substituta*, Officinis, verò licet satis Barbarè, *Quid* pro *Quo vocari* consueverunt. In iis autem deligendis, utpote quidnam cuique commodè subrogari queat, cum non nisi *peritissimi* Medici, minimè verò Pharmacopœi judicare ac decernere possint ac debeant, idcircò præcipua eorum complexi, hæc ipsa in seriem Alphabeticam sic digessimus, ut è dextro subjecti catalogi

talogi latere vera & legitima, ex sinistro verò succedanea seu ἀντιβαλλόμενα promptè conspicerentur.

Itaque pro

	Substit.
ACacia,	Hypocistis, aut succus Prunorum sylvestrium.
Acantho,	Malva.
Acoro,	Calamus Aromaticus, aut in purgantibus Asarum.
Adipe Cervi,	Adeps Capræ.
Adipe vulpis,	Adeps Taxi.
Althæa,	Malva.
Ammi,	Anisum.
Amomo,	Calamus Arom. aut grana Juniperi, vel semen Citri, ac Hyperici, æquali pondere.
Ammoniaco,	Bdellium.
Amygdalis amaris	Nuclei Persicorum.
Aqua marina,	Aqua simplex, in qua Salis uncia semis bullierit.
Aristolochia rotunda,	Longa vel Pistolochia.
Aspalatho,	Lignum Aloës.
Balaustio,	Malicorium.
Balsamo,	Oleum Caryophyllorum.
Blito,	Atriplex.
Calamintha,	Menthastrum.
Cardamomo,	Cyperus.
Carpobalsamo,	Cubebæ.
Cassia lignea,	Cinamomum optimum.
Chamædry,	Chamæpitys.
Citri succo,	Succus Limonum.
Dauco,	Pastinaca.
Dictamno,	Scordium.
Ebulo,	Sambucus.
Eupatorio Mesue,	Asari & Absinthii ana partes æquales.
Folio,	Macis & Cyperi ana partes æquales.
Galbano,	Sagapenum.
Herba Paris,	Umbilicus, Veneris, aut Sedum minus.
Hyssopo,	Satureia.
Jusquiamo,	Papaver.
Lacca,	Styrax.
Lapide Armeno,	Lapis Lazuli.
Mandragora,	Jusquiamus, Solanum, Papaver.
Meu,	Angelica, aut Ostrutium.
Omphacio,	Succus Granatorum, aut Ribes.
Opobalsamo,	Oleum Nucis Moschatæ.
Opopanace,	Ammoniacum, vel Galbanum.
Oesypo,	Medulla cruris vituli.
Petroselino,	Apium.
Phu,	Valeriana.
Rhapontico,	Rhabarbarum selectum.
Saxifragia,	Pimpinella.
Tamarisco,	Fraxinum.
Xylobalsamo,	Lignum Aloës.

Hæc ideò subjecimus, ne quilibet Pharmacopœus suo pro judicio, eoque forsan crudo, temerè de his quidquam statuat, aut suo pro arbitratu inconsulto in defectum alterius quidpiam subrogare nitatur, quod non prudenti consilio ac unanimi Medicorum exercitatorum decreto eidem sufficiendum fuerit; cum succedaneorum censura non nisi peritißimis Medicis credi poßit, ac debeat, utpote in qua non nuda qualitas, sed qualitatis quoque gradus, ac operationis insuper modus doctâ planè & solerti indagine pensitandus.

CAPUT TERTIUM.

De Ponderibus & Mensuris Medicis.

RECte ſanè hucuſque communis Philoſophorum ſchola *omnia pondere, numero* & *menſura* contineri docuit, hæc enim agendorum ſunt quaſi quidam limites ac regulæ, quibus ea, quæ præſtanda ſunt ad juſtitiam & æquitatem penſantur, adeò ut his vel poſthabitis, vel neglectis in medicina facienda periculi plenus labor ſit futurus, cum cujuſque medicamenti vis & energia ad ſubjecti ſeu patientis ægri vires aut tolerantiam comparatione factâ horum adminiculo eliciendæ debitæ doſis causâ trutinetur, ne aut medicamentum proportione ſuâ per defectum fraudatum, ac in minori quàm par eſt quantitate exhibitum effectu à ſe expectato fruſtretur, aut in ejuſdem proportionis exceſſu porrectum corpus vel lædat, vel omninò peſſundet.

Inchoantur autem pondera à minutioribus, tanquam à partibus totum conſtructuris, è granis enim ſcrupuli, ex his drachmæ, hinc unciæ, ac tandem libræ conſurgunt, habentque ſe ſcrupuli inſtar literarum, drachmæ inſtar ſyllabarum, unciæ inſtar dictionum, libra inſtar orationis, unde cum Fannius Poëta notaſſet tot unciæ ineſſe ſcrupulos, quot Alphabetum Græcum literas continet, nempe viginti quatuor, tale id metro expreſſit.

Uncia ſit drachmis bis quattuor, unde putandum,
Grammata dicta quod hæc viginti quatuor in ſe
Uncia habet; tot enim formis vox Græca notatur,
Horis quot mundus peragit noctemque diemque.

Granum autem σιτάριον dictum, minimum pondus eſt, quo utimur, albi piperis granum pondere adæquans, ejus viginti ſcrupulum, ſexaginta drachmam conſtituunt.

Siliqua κεράτιον, pendit grana quatuor.

Obolus ὀβολὸς, pendit grana decem, ſeu ſcrupulum dimidium.

Scrupulus γράμμα ſeu διώβολον, pendit obolos duos, ſeu grana viginti.

Drachma δραχμὴ καὶ ὅλκη noſtra, Attica, Græca, pendit grana ſexaginta, ſeu tres ſcrupulos, & eſt octava pars unciæ.

Aureus Arabum, & Denarius Romanus, pendit drachmam unam, & inſuper ſeptimam ejus partem ⅐ circiter grana novem, unde tres Denarii tetradrachmam, & ſeptem Denarii vel Aurei conſtituunt unciam.

Sicilicus pendit drachmas duas.

Sextula pendit quatuor ſcrupulos.

Duella pendit octo ſcrupulos.

Uncia οὐγγία ἢ δωδέκατον duodecima pars libræ, conſtat drachmis octo, denariis ſeptem. Idem pendit Oxybaphon Galeno.

Seſcuncia ſeu ſeſcunx, uncia una & ſemis octava pars libræ, idem pendit faba Alexandrina.

Sextans ἕκτον ſexta pars libræ, duæ unciæ.

Qua-

Quadrans tres unciæ, τέταρτον quarta pars libræ.

Triens quatuor unciæ, τρίτον tertia pars libræ.

Quincunx, unciæ quinque.

Semis vel ſemiſſis, id eſt, dimidium aſſis, unciæ ſex, ἡμίλιτρον.

Septunx unciæ ſeptem.

Bes vel Beſſis, quaſi bis triens, unciæ octo.

Dodrans unciæ novem, demitur quadrans.

Dextans unciæ decem, demitur ſextans.

Deunx unciæ undecim, demitur uncia.

As vel Aſſis, unciæ duodecim, ſeu libra Romana drachmarum 96.

Libra λίτρα. Pondo triplex eſt. Publica ſeu Zygoſtatica, ſeu Civilis, pendit uncias ſedecim, drachmas 128. dicitur & μνᾶ ſeu Mina Medica. Item Attica & Ægyptia ſeu Alexandrina teſte Gal. κατὰ γένη in Emplaſtro Heræ, & Emplaſtris viridibus Andromachi. Mina Græcorum 100. drachmarum.

Medicinalis, quæ & Romana & As, duodecim uncias, denarios 14. drachmas 96. pendit, & hæc eſt Officinis uſitata.

Dioſcorides ἡ γὰρ λίτρα ἔχει οὐγγίας ιβ΄. & Galenus, ἡ μὲν γὰρ λίτρα δράχμας ἓξ ἄγει πρὸς ταῖς ἐνενήκοντα.

Marca continet uncias octo, ſeu ſedecim lotones, & hac utuntur aurifabri. Bes Romanæ libræ.

Notantur autem pondera his ſignis.

Signum		
Gr. gr.	Designat	Granum.
℈. S. vel ∽.		Dimidium ſcrupulum.
℈. 1.		Scrupulum.
ʒ. 1.		Drachmam.
℥. S.		Unciam dimidiam.
℥. 1.		Unciam.
℔ S.		Libram dimidiam.
℔ 1.		Libram.
M.		Manipulum.
N.		Numerum.
P.		Pugillum.
Ana.		Æquale pondus, aut menſuram, duorum vel plurium medicamentorum.

Conſultius autem omninò eſt, in definiendis, aut præſcribendis medicamentorum formulis, ac ſignando numero, priſcorum Romanorum notis uti, quæ ſic pinguntur: I. II. III. IV. V. VI. VII. VIII. IX. X. XI. XII. *&c. quàm aliis Ciphrarum characteribus.* 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. *Sic enim ob notarum diverſitatem non tam facilè error committitur, qui characterum ſimilitudine forſan ſubrepere poſſet, cum* 3. *drachmam, pondus deſignet, itemque numerum ternarium.*

MEN-

MENSURÆ LIQUIDORUM.

Libra Civilis seu publica tantundem pendit, quantum dimidia Vini mensura Augustana, quæ capit uncias sedecim, nam integra mensura nostra bilibralis est, & pendit uncias triginta duas.

Hemina Italica, est dimidius Sextarius Atticus, & pendit uncias mensurales novem, tantundem quoque pendit Cotyla Attica, dicitur & Hemixeston. Vide Gal. à κτ̀ γένη cap. de iis, quæ Crito conscripsit. Cotyla Italica, est libra mensuralis, seu duodecim unciæ. Gal. δ' ὑγιεινῶν ς'.

Sextarius Atticus, ὁ ξέστης Ιταλικὸς ἢ Ρωμαϊκὸς, continet duas heminas, seu uncias decem & octo, id est, dimidiam mensuram Augustanam, & insuper duas uncias.

Chœnix Sextarii duo, mensura Augustana & quatuor unciæ.

Chus, χοῦς, Chœnices duæ, duæ mensuræ Augustanæ, & octo unciæ.

Congius sex Sextarios continet, id est, tres mensuras Augustanas, & 12. uncias.

Bicongius duodecim Sextarios, id est, sex mensuras Augustanas, & viginti quatuor uncias continebit. Talis dictus fuit Ciceronis filius.

Tricongius, erant decem mensuræ Augustanæ, & insuper quatuor unciæ.

ΣΥΝ ΘΕΩ

MEDICAMENTORUM PHARMACOPOEIÆ AUGUSTANÆ CLASSIS PRIMA,

Continens

Syrupos Alterantes, Mella, Juleb, Mivas ac Rob,

Nec-non

Iisdem Annexas Animadversiones.

V*Erus ac genuinus* Divini illius, Senis Hippocratis *Filius*, *& qui non* φημῇ *solùm, sed* ἔργῳ, *id est opere ipso inter medentes nomen suum profiteri satagit, totus in hoc esse debet, ut* Citò, Tutò, & Jucundè *Medicinam faciat*; *Quò autem illud commodè fieri posſit*, *plures meditati sunt Aſclepiadicæ artis Proceres medicamentorum compoſitiones, in quarum numero non poſtremum locum obtinet illa, quam* Syrupi *nomine indigitant Pharmaceuticæ artis periti*, *de cujus legitimo præparandi modo mox ſub auſpicio hujus Operis agere ſtat ſententia.*

Antequam autem ſpecialem Syruporum *aggrediamur compoſitionem, ſeu potiùs dextram eorundem componendorum rationem, conſultum arbitrati ſumus paucis explicare*, PRIMO quid, *ſive* quale *medicamenti genus* Syrupus *ſit*; SECUNDO ad quem uſum *inventus*; TERTIO qualem debeat habere conſiſtentiam, *ut ad futuros uſus, viribus integris manentibus ad tempus aſſervari queat.*

Eſt autem Syrupus, medicamentum liquidum, non tamen omninò dilutum & aquoſum, ex ſuccis, infuſionibus, decoctionibus, vel aquis deſtillatis, cum melle aut Saccharo (*quæ veluti Pharmacopœorum ſales ſunt, quibus ſuas confectiones à putredine præſervant*) ad juſtam conſiſtentiam coctum.

Inventum eſt hoc Medicamenti genus, partim ut virtutes Vegetabilium, *vel* Animalium *&* Mineralium, *ſub hac forma, in unum vel alterum annum, ſine ſitu & corruptione, integrè conſervari poſſint*; *partim etiam ut palato delicatulorum ægrotantium conſuleretur.*

Conſiſtentia Syruporum, *variat ipſa* ἀνθ᾽ψία *& Pharmacopœi arbitratu limitata & reſtricta*; Pondus itidem liquoris ad Saccharum *præciſum & exactum determinari nequit, cùm* Liquores *diverſi ſint, qui ad* Syrupi *confectionem à Medicis præſcribuntur*: *Alii nimirùm aquoſi ſunt & diluti, craſſiores alii, nonnulli etiam acidi, utpotè qui non parùm variant pondus & proportionem* Sacchari, *quod & ipſum diſcrepat in conſiſtentia, puritate & bonitate, quæ omnia & ſingula à perito artifice probè ſunt conſideranda*; *Vtplurimùm verò* pro libra una Sacchari, unciæ ſeptem vel octo liquoris ſufficiunt, *ut ſolâ diſſolutione, aut unicâ ſaltem ebullitione, efficacis* Syrupi *durabilis* conſiſtentia *acquiratur. Quibus præmiſſis ſpecialem* Syruporum *præparationem auſpicamur, ubi plura, quæ aliàs præmittenda fuiſſent, affatim eluceſcent.*

Syrupus de Absinthio.

℞. Absinthii Pontici, seu Romani libram semis,
Rosarum rubear: uncias duas,
Spicæ Indicæ drachmas tres,
Vini veteris clari optimi,
Succi Cydoniorum ana libras tres, & uncias quatuor.

Macerentur in vase fictili horis viginti quatuor; deinde decoquantur, & colaturæ addantur

Sacchari libræ duæ.
Fiat, ut est artis, Syrupus.

Ventriculi, hepatis, & viscerum aliorum imbecillitati etiam dolorificæ, & cachexiæ præsertim à causa frigida succurrit: appetentiam dejectam excitat; intestinorum & viscerum mollitiem delet, ac retentricem eorum vim confirmat: flatus discutit, felle suffusos & auriginosos juvat, humoresque per urinas propellit. Datur in albo & pituitoso mensium fluore: sumitur ex aqua Menthæ in ventriculi affectibus, nam in roborando stomacho & jecore mirabilis est potentiæ.

ANIMADVERSIONES.

Constat & in confesso est, non pauca *Vegetabilia* quantumvis sicca, ex quibus & hic *Syrupus* passim in Officinis conficitur, secum ferre Spiritum quendam fugacem, sive partes tenues & subtiles, levi calore ignis stimulatas, quâ datâ portâ ad auras æthereas avolantes, in quibus alioquin summa consistit vis activa, corpus universum penetrandi, quibus *Vegetabilia* plurima viduata, illum, quem aliàs promittebant effectum, neutiquam edere possunt, nec Medicus, qui illis uti satagit, afflictum ægrum sui voti compotem facere potis est. Tali Spiritu volatili gaudent præ cæteris cuncta odorifera, utpotè quem odor in ipsa destillatione prodit; cui sua spirituositate neutiquam cedit *vinum* præsertim *vetus & fermentatum*, quâ orbatum, vappam relinquit & inutile phlegma. Infallibiliter proindè sequitur, cùm in assignata hujus *Syrupi*, aliàs non satis laudandi præparatione, partes illæ spirituosiores, utut lentè coquatur (debent enim quinque libræ & aliquot unciæ insuper affusi liquoris evaporare) exhalent, *Syrupum* hunc ad operandum nullius fore efficaciæ, nisi dexterior illius instituatur præparatio, quæ talis esse potest.

℞. *Absinthii Pontici seu Romani* ℔ ß,
Rosarum rub. ℥ ij,
Spicæ Indicæ ʒ iij,
Vini veteris clari & optimi,
Succi Cydoniorum ana ℔ iij. ℥ iiij.

Incisa quæ incidenda sunt, immittantur cucurbitæ vitreæ, quibus affundantur *Vinum & succus Cydoniorum*, ac apposito capitello, macerentur horis xxiiij. posteà augeatur ignis, & in arena fortis fiat destillatio plùs quàm ad dimidias, vel ut saltem libra una liquoris in fundo maneat residua; *priores autem unciæ decem aquæ, quæ prodiere magis spirituosæ & odoriferæ*, seorsim asserventur, sicut etiam *secunda aqua prolecta* separatim servetur. Refrigeratâ cucurbitâ, species in fundo relictæ experimantur, expressum *albumine ovi* clarificetur, & ad uncias quatuor inspissetur, vel eousque evaporet; Cui demùm adde *prioris aquæ destillatæ* ℥ x. circiter &

Sacchari albissimi ℔ ij.

ac solâ supra ignem dissolutione, vel unicâ saltem ebullitione fiat *Syrupus* justæ consistentiæ, imprægnatus virtute & efficaciâ rerum, quæ ejus compositionem ingrediuntur. *Aqua secunda separatim asservata*, cum ob paucitatem *Sacchari* in *Syrupum* redigi nequeat, potest, quotiescunque ille à Medicis præscribitur, cum eodem permixta commodè propinari.

Syrupus Acetositatis Citri.

℞. Succidi acidi Mali Citrii per pannum rarum colati libras sex,
Sacchari albissimi libras tres.
Coquantur secundum artem.

Refrigerando & humectando biliosarum ac æstuantium febrium incendia potentissimè restinguit. & sitis intolerantiam sedat, viscerum phlegmonas, ardoremque vehementem, & biliosos affectus omnes corrigit, cor,

ventriculum, & alia viscera ab intemperie calida imbecilla firmat, spiritus ab immodico calore attenuatos resolvi prohibet; ipsorum putredini, prout etiam humorum ac aëris, totâ suâ substantiâ resistit, febresque pestilentes aut gigni vetat, aut jam natas emendat, nec non venenis adversatur.

ANimadvertant Pharmacopœi in hujus Syrupi præparatione, ut succum Citri sumant, colo sponte suâ transmissum, non autem validâ expressione paratum, eum cum saccharo albissimo, quale Maderanum est, aut saltem clarificato, secundum artem lento igne decoquant: aliàs enim facilè crassescit, vel in grumos abit, ac situm levi occasione contrahit, aut evadit fuscus ac nigricans, cùm alioquin (prout Limonum Syrupus, ac Acetosus simplex, aut Julep Rosatum) pellucidus & albus esse debeat.

Peritiores Pharmacopœi succum Citri vel omnino non, vel modicè saltem coquunt, eundem saccharo per se & supra Syrupi consistentiam cocto artificiosè jungentes: sic enim Syrupus tenuis evadit, ac transparens, nec facile grumescit, aut debitam suam amittit gratiam.

ANIMADVERSIONES.

PRima in præparatione hujus *Syrupi* animadversio firmo stat talo, nec à nobis impugnatur, utpotè quam vel illis, qui vix à limine artem Pharmaceuticam salutarunt, ipsa dictitat ratio; Altera verò admonitio nobis non usque adeò fit verisimilis: Si enim *Saccharum* cum tanta quantitate *succi Citri* (præscribuntur enim in præparatione hujus *Syrupi* ℔ *vj. Succi*, *ad Sacchari* ℔ *iij.* debent igitur *succi* ℔ *iiij. cum dimidia* circiter lento igne evaporare) tàm diu coquatur, quousque debitam suam nanciscatur consistentiam, non potest non rubicundo colore imbui *Syrupus*, & quò lentiori coquatur igne, eò evadet rubicundior, quod ipsum periti Pharmacopœi probè nôrunt. Tertia admonitio æquè, uti prior, claudicat, quòd nimirùm peritiores Pharmacopœi *succum Citri* vel omninò non, vel modicè saltem coquant, eundemque *Saccharo* per se, & supra Syrupi consistentiam cocto artificiosè jungant, ac indè *Syrupum transparentem vel lucidum, nec facilè grumescentem* sibi promittant. Quomodo enim sine omnimoda coctione possunt exhalare *libræ quatuor cum dimidia succi*, cùm aliàs liquores acidi quodammodo fixi sint, & intensiori ignis gradu in destillatione indigeant? Accipiunt autem nonnunquam Pharmacopœi *non libras sex succi* ad *libras tres Sacchari*, *sed libram unam & uncias octo circiter succi*, *ad præfatum pondus Sacchari*, sicque sine diuturniori coctione, & unicâ saltem ebullitione Syrupum conficiunt transparentem, gratam habentem aciditatem, paulò tamen submissiorem, ac si duplum pondus succi additum fuisset. Si tamen quispiam acidiorem desideraret Syrupum, posset eundem parte in modum sequentem.

℞. *Succi Citri depurati, & ad remanentiam partis tertiæ (id est, ut à tribus libris una remaneat) in M. B. abstracti* ℔ *ij.* ß. *Sacchari albissimi, vel albumine ovorum clarificati, & ad omnimodam aquositatis exhalationem cocti* ℔ *iiij.*

Fiatque una vel altera ebullitione in vase terreo vitreato *Syrupus.*

Syrupus de Succo Acetosæ Mesuæ.

℞. Succi Acetosæ depurati libras tres,
Sacchari clarificati libram unam semis,
Coquantur secundum artem.

FEbribus biliosis admodùm gratus est, pestilentibus saluber, viscerum igneum calorem moderatur, ipsaque confirmat, & validè refrigerat.

Syrupus de Succo Acetosellæ.

℞. Succi Acetosellæ depurati libras duas,
Sacchari clarificati libram unam.
Coquantur in Syrupum.

VIscerum inflammationibus, nec non malignis, ac pestilentibus febribus confert, earundem fervorem reprimit, putredinem emendat, sitim, ac sanguinis ebullitiones compescit: cor eximiè roborat, & aphtis auxiliatur.

ANIMADVERSIONES

In Syrupos de Succo Acetosæ & Acetosellæ.

NE potiorum & nobilissimarum nonnunquam *succorum* partium, dum inutili coctione eos frustrà exhalare permittimus, tantam faciamus jacturam, idcircò cùm *succorum* inspissatio vel exhalatio in *Syruporum* coctione ad debitam suam consistentiam exigatur, præstabit à *succo* tantum liquoris aquei per destillationem abstrahere, donec de ipso saltem remaneat, quantum ad dissolutionem *Sacchari* sufficere videbitur; E. g. *Vncias septem vel octo succi* relinquendo *pro libra una Sacchari*; *Aquæ* verò per destillationem *à succis* abstractæ, quotiescunque *Syrupos* præscribunt Medici, ad unciam unam vel ampliùs, pro uncia una *Syrupi*, addi possunt, ut non solùm crassiores Acetosæ, aliarumque herbarum partes, *à Saccharo* devictæ, sed & subtiliores & spirituosæ earundem herbarum partes *Syrupum* nobilitent, reddantque efficaciorem. Idipsùm ut fiat, eligatur præparandi modus ex sequentibus, uter placebit.

℞. *Succi Acetosæ, Acetosellæ, aut alicujus alterius herbæ* ℔ *vj.*

Depurentur per residentiam, postea abstrahantur per Alembicum vitreum ℔ *iiij.* duabus libris remanentibus addantur

Sacchari albi ℔ *iij.*

Coquanturque unâ vel alterâ ebullitione ad consistentiam *Syrupi*, cui, quoties præscribitur, *aqua à succo destillata* pro libitu addi potest. Vel

℞. *Succi cujusdam Herbæ* ℔ *vj.*

Abstrahantur per Alembicum ad remanentiam *libræ unius*, huic per pannum colatæ adde

Sacchari albi ℔ *ij.*

Coquantur invicem ad talem consistentiam *Sacchari*, qualem exigeres, si *Rotulas* efficere velles; addantur tandem

Aquæ prioris à succo per Alembicum destillatæ ℥ *xv. circiter.*

Fiatque ebullitione unicâ, vel solâ saltem dissolutione *Syrupus*, justam habens consistentiam.

Syrupus Acetosus simplex Mesuæ.

℞. Sacchari clarificati libras quinque,
Aquæ fontis libras quatuor,
Aceti vini libras tres,
Coquantur secundum artem.

HVmorum crassitiem incîdit, & attenuat, obstructiones levat, aperit & abstergit, saluberrimus in affectibus calidis, ac biliosis, & ex materia mixta natis, bilis impetum tenuitate, ac æstu furentem frangit, reprimit, incrassat, & refrigeratione extinguit, urinas movet, sudores elicit, ac pestilentiæ putredinique resistit.

ANIMADVERSIONES.

MIrari subit, in hac simplicis hujus *Syrupi* simplicissima præparatione, tàm crassos commissos esse *errores*, nullâ ratione conticendos; Nimirum ipsa dictitat ratio, cui experientia abundè contestatur, *frustrà fieri per plura, per pauciora æquè commodè perfici quod potest.* En, Lector benevole, destinantur in *Syrupi hujus* præparatione, *libris quinque sacchari, aceti tres libræ, & aquæ fontis insuper quatuor libræ*, cùm abundè sufficiant solius *aceti libræ tres*, quæ etiamnum aliquandiu cum *Saccharo* percoquendæ sunt, si debitam exoptes *Syrupi* consistentiam, ut adeò neutiquam opus sit, *aquæ fontanæ* tantam adjicere copiam, quippè quæ penitùs penitùsque exhalare debet, si *Syrupus* ad consistentiam coquendus est, sine qua nullatenus illius integritas persistit; Taceo, quòd in ipsa *aquæ cum aceto* mixtæ violenta coctione unà subtiliores, volatiles ac salinæ aceti partes avolent & evanescant, à quibus tamen præsens *Syrupus* suas dotes mutuari deberet, vires videlicet attenuandi, humorum crassitiem incidendi, obstructiones viscerum reserandi, & alias, quæ ab Authore illi assignantur, virtutes; Neque etiam puto fore quempiam, qui asserere ausit, ex additione *aquæ fontanæ* ullas, ne dicam, majores huic *Syrupo* virtutes accessuras. Proindè satiùs esse arbitror, ex solo fortissimo & optimè dephlegmato *aceti spiritu*, absque ulla *aquæ additione, Syrupum* hunc conficere, pro-

cedendo

cedendo in modum ſequentem, ità nimirùm longè efficacior evadet, ac integris viribus ætatem feret.

℞. *Aceti deſtillati fortiſsimi per M.B. dephlegmati* ℔ ij. ß,
Sacchari albi ℔ iij. ß.

Coquantur parùm in vaſe *terreo vel lapideo* ad conſiſtentiam juſtam *Syrupi.*

Syrupus Acetoſus Compoſitus Meſuæ.

℞. Rad. Fœniculi,
Apii,
Endiviæ ana uncias tres,
Sem. Aniſi,
Fœniculi,
Apii ana unciam unam,
Endiviæ unciam ſemis.

Coquantur lento igne in libris decem aquæ ad dimidias: adde colaturæ
Sacchari optimi libras tres,
Aceti acerrimi libras duas.

Coquantur ad Syrupi conſiſtentiam.

Obſtructiones viſcerum reſerat, humorum craſsitiem tenuat & purgat, urinas promovet, febres compoſitas & nothas, prout & ventriculum bile ac pituita craſſa refertum allevat, nec non renum, jecoris, & lienis infarctus penetrat.

ANIMADVERSIONES.

Dolendum ſanè & deteſtandum, quod in pleriſque medicamentorum præparationibus, abjectâ aut vaporetenùs expulsâ parte potiori, deteriori nos ſaturemus, ſicque *nucleos* veluti abjiciamus, *putaminibus* contenti; Idipſum in præſenti *Syrupo acetoſo compoſito* uſu venit; Etenim & *ſemina Aniſi, Fœniculi, Apii*, necnon *radices earundem herbarum* ceu odoratæ, aromaticæ, tenuiumque partium, in longa illa coctione, quàm lentiſſimo etiam igne illa fiat, virtutibus ſuis, queîs *Syrupum* hunc nobilitare deberent, penitùs ſpoliantur, relictis partibus terreſtrioribus, ejectis & relegatis aëreis; Utut enim lentè ſatis coquantur, nihilominùs neceſſum eſt, ut in prima coctura, *quinque libræ aquæ* exhalent, & tandem iteratâ coctione ſecundâ, quæ fit cum *Sacchara* & *aceto*, denuò *libræ quinque*; ſolius enim *aceti* ſatis ſuperque eſt, quantum ſufficiat *libris illis tribus Sacchari* ad conficiendum *Syrupum.* Quomodo igitur Medicus ſui voti compos evadet, ſuumque adipiſcetur finem, in reſerandis obſtructionibus, craſſitie humorum attenuandâ & minerâ morbifica per urinam expurgandâ, ſi ſubtiliores & tenuiores partes, à quibus virtutes illæ proficiſcuntur, *Syrupum* hunc deſtituant, nilque niſi craſſamentum ab ingredientibus illi ſit relictum: Itaque ne hæc fiant, paretur modo ſequenti:

℞. *Radicum Apii,*
Fœniculi,
Endiviæ ana ℥ iij.
Semin. Aniſi,
Fœniculi,
Apii ana ℥ j,
Endiviæ ℥ ß.

Quibus contuſis & cucurbitæ vitreæ immiſſis, affunde *aceti vini acerrimi deſtillati* ℔ ij. factaque maceratione per diem fiat colatura & expreſſio, acetum expr. clarificetur & aſſervetur. Speciebus remanentibus affunde *aquæ ſimplicis* ℔ iij. coquantur lento igne ad tertias, colaturæ ſive expreſſioni albumine ovorum clarificatæ adde

Sacchari ℔ iij.

Coquantur ad conſiſtentiam *Tabulati*, tandem adde *de ſuperiori aceto* virtutibus ingredientium ſubtilioribus imbuto ℔ j ß. cum *unciis tribus* circiter, fiatque unâ vel alterâ ebullitione aut ſolâ diſſolutione juſtæ conſiſtentiæ *Syrupus.*

Syrupus Acetoſus Diarhodon Meſuæ.

℞. Rad. Apii,
Fœniculi,
Endiviæ ana uncias duas,
Roſarum unciam unam,
Glycyrrhizæ unciam ſemis,
Spicæ drachmas duas ſemis,
Sem. Aniſi,
Fœniculi,
Apii ana drachmas ſeptem.

Coquantur in libris ſex aquæ fontanæ ad duarum partium conſumptionem; adde
Succi Endiviæ,

Apii ana libras duas semis,
Aceti libras duas,
Sacchari libras tres.
Fiat lege artis Syrupus.

Usus ejus est ad febres complicatas; hepatis, & splenis obstructiones aperit, & viscera corroborat.

ANIMADVERSIONES.

MAgni fit hic *Syrupus* in hepatis & lienis obstructionibus reserandis, visceribusque roborandis, quod encomium illi nullus derogarem, si debito modo & ex arte conficeretur, sin secùs fiat, quale ab eo sperandum sit juvamen, quilibet, cui mens integra, ex facili deprehendet; Multus autem ne sim in præscripto componendi modo refutando, ablego Lectorem ad *Animadversiones Syrupi* præcedentis, & melioris informationis ergò sequentem subnecto præparationem.

℞. *Rad. Apii,*
Fœniculi,
Endiviæ ana ℥ ij,
Glycyrrhizæ ℥ ß,
Rosarum rub. ℥ ij,
Spicæ indicæ ʒ ij ß,
Sem. Anisi,
Fœniculi,
Apii ana ʒ vij.

Crassiusculè incisa & contusa immittantur cucurbitæ vitreæ vel terreæ, quibus superaffundantur

Succi Endiviæ,
Apii ana ℔ ij ß,
Aceti vini ℔ ij.

Destillentur ad remanentiam *duarum* circiter *librarum*; Prioris *aquæ* odoriferæ, quæ primò exstillavit ℔ j. seorsim asservetur, sic & *secunda aqua* separatim. Remanentiæ à destillatione in cucurbita exprimantur, expressum albumine ovi clarificetur, & ad ℔ j, si ejus major quantitas sit, evaporet. Tandem addantur.

Sacchari albi ℔ iij, &
Reservatæ superioris aquæ odoriferæ primæ q. s. vel ℥ x.
præter propter,
ac paucis ebullitionibus fiat *Syrupus*.

Aqua secunda destillata, ad usus in superioribus recitatos asservari, & unà cum *Syrupo* mixta præscribi potest.

Syrupus Adiantinus Fernelii.

℞. Adianti albi, id est, Rutæ murariæ manipulos tres,
Nigri, seu Capilli Veneris,
Simplicis, seu vulgaris, id est, Polytrichi aurei,
Saxifragiæ,
Betonicæ,
Pimpinellæ,
Asplenii ana manipul. duos.

Coquantur ex aquæ libris octo, dum ad quinque redeant. In expresso solve

Sacchari albi libras quatuor,
Mellis optimi expurgati libram semis.
Fiat Syrupus.

OMnes quacunque corporis parte humores æquabiliter incidit, atque detergit, cuivis morbo incipienti, omni itidem naturæ, ætati, regioni, atque etiam prægnanti familiaris.

In defectu Polytrichi aurei substituatur Trichomanes.

ANIMADVERSIONES.

S*Yrupi* hujus compositionem, licet odorifera & aromatica pauca ingrediantur, utpotè quæ cætera medicamenta tenuitate partium antecellunt, & hujus ratione longiorem coctionem respuunt, nihilominùs tamen præstabit in modum præcedentium ex recentibus etiam *herbis* eundem præparare, per infusionem & destillationem, ita nullarum partium damnum patiemur, & *Syrupum* habebimus efficaciorem.

Syrupus de Agresta Mesuæ.

℞. Omphacii, seu Agrestæ libras quinque,
Sacchari clarificati libras tres.
Coquantur secundum artem.

POtenter astringit, refrigerat, & siccat, ideoque à putredine vindicat, conditi nique pestilenti quàm maximè resistit, ventriculum

lum stabilit, eumque ab aliarum partium excrementis securum praestat: praegnantium malaciam dejicit, intemperiem calidam stomachi, hepatis, sitimque vehementem restinguit, venenis adversatur, febribusque biliosis benefacit: cholerae morbo, ac dysenteriae purgato prius corpore, medetur. Post cibum sumptus, vomitionem immoderatiorem, molestamque stomachi subversionem ab aestuante bile, aut inflammatione persanat.

AGresta, succus est ex uvis, immaturis expressus, paulò, antequam maturuerint, is Graecis Omphacium dicitur, quod ad intinctus quandoque asservatur. Hoc autem loco Agresta sumi debet nondum coctione densata, sed expressa tantùm & depurata.

ANIMADVERSIONES.

HIc *Syrupus* prae caeteris prioribus encomium meretur, eò quòd virtus ejus *Adstringens*, *Refrigerans* & *Roborans*, in coctione sive praescripta ejus praeparatione non pereat, quia *Spiritus* in Agrestis, nondum maturis, primis ebullitionibus repentè evolare nequit, quapropter & illud quod restat, ad praedictos edendos effectus, nobis uberiorem spem relinquit.

Syrupus de Althaea Fernelii.

℞. Rad. Althaeae uncias duas,
Graminis,
Asparagi,
Glycyrrhizae,
Uvarum passarum expurgatarum ana unciam semis,
Cicerum rubrorum unciam unam,
Cymarum Althaeae,
Malvae,
Helxines,
Pimpinellae,
Plantaginis,
Adianti utriusque ana manipulum unum,
Quatuor sem. frig. major. & minor. ana drachmas tres.

Coquantur ex aquae libris sex, dum quatuor supersint: deinde cum sacchari albi libris quatuor, percoquatur Syrupus.

ARdorem urinae demulcet, ac citra manifestum calorem, crassam, obstruentemque pituitam, nec non viscidam purulentamque renum saniem, & arenulas blandè ac clementer expurgat.

ANIMADVERSIONES.

NOndum inventus est, qui hanc Fernelii inconcinnam compositionem, eâ, quâ praescripta est methodo, in *Syrupum* elegantem, justam habentem consistentiam, verè redigere potuerit: Nam *Althaeae radix*, quocunque modo coquatur, mucilaginem praebet viscidissimam, pariter etiam *cymae ejusdem herbae*, ut & *cymae Malvae*, nec non quatuor *semina frigida majora & minora*, nonnihil mucilaginosa sunt & oleaginosa, ad *Syrupum* conficiendum inepta. Equidem me non latet, Pharmacopoeos, sacculo vel nodulo eadem inclusa, eum reliquis speciebus coctioni submittere, ne *mucilago* cùm horum seminum, tùm praedictarum rerum, irritum reddat eorundem conamen, quò minùs elegantem gratumque conficiant *Syrupum*, sed inclusa sacculo remaneat *mucilago*, quâ tamen *mucilagine radicum, cymarum* & *seminum* destitutus *Syrupus*, nil sanè praeter nomen & numerum in Officinas adfert, virtutibus illis, quibus insignitur, penitùs orbatus. Cùm igitur hic *Syrupus* ex speciebus praedictis absque fuco & fallacia praeparari nequeat; Medici autem ob virtutes ejus tantoperè depraedicatas, eo carere nolint, proindè Author illis sum, ut loco *Syrupi* alioquin, uti dictum, paratu impossibilis, *decoctum* earundem specierum edulcoratum trahant in usum, cui quatuor *semina frigida majora*, cum *aqua* contusa, *emulsionis* instar, possunt permisceri; Quod ipsum *decoctum*, si quoque diutiùs paulò coqueretur, prae nimia sua visciditate, nauseosum foret & palato ingratum.

Syrupus Aperitivus Magistralis D. Mindereri.

℞. Succorum depuratorum,
Rad. Cichorii,
Pimpinellae ana libram unam,
Fumariae,

Lupuli

Lupuli ana uncias ſex,
Petroſelini,
Fœniculi ana uncias tres,
Rad. Apii,
Enulæ,
Aſparagi,
Eryngii,
Vincetoxici ana unciam unam,
Herb. Agrimoniæ,
S. Kunegundis ſeu Eupatorii Avicennæ,
Agerati ana manipulum unum,
Foliorum Cuſcutæ,
Ceterach,
Adianti utriuſque,
Cardui benedicti,
Comarum Abſinthii Pontici,
Florum Centaurii minoris ana manipulum ſemis,
Granorum Alkekengi unciam unam,
Aquæ fontanæ libras ſex,
Aceti Squillitici libras duas,

Arida omnia ex prædictis ſex libris aquæ coque, dum ſuperſint libræ duæ, has tranſcola diligenter, & cum ſuccis & aceto Squillitico, additis

Sacchari albi libris tribus ſemis.
Coque in Syrupum juſtæ conſiſtentiæ.

Omnibus omnino jecoris, meſenterii hepatis ac venarum meſaraicarum obſtructionibus ſalutaris eſt, diuturnis febribus, & ex eis natis cachexiis ac hydropi prodeſt. Acui ejus vis poteſt, Spiritu vel oleo Chalcanti.

ANIMADVERSIONES.

EO nunc res rediit, ut unuſquiſque ferè Medicorum, ſaltem ut nomen ſuum hinc inde in Officinis Pharmaceuticis reſonet, peculiarem, alter hanc, alter illam ſibi effingat *compoſitionem*, quo ipſo tamen ſæpenumerò, ſummam ſuam in arte Pharmaceutica ignorantiam produnt potiùs, quàm ut exindè famam aliquam ſibi concilient. Hoc vitium non ſolum junioribus, glorioſæ cupidine prurientibus Medicis tenaciter adhæret, ſed & ſenioribus, quos capitis nives jam propinquæ mortis admonent, perquàm familiare eſt; Verùm nimiùm ſe dant turpiter, & hoſti medicinæ debent ludibrium. Inter illos & Author hujus *Syrupi Magiſtralis* nomen profitetur ſuum; Antequam enim hunc conſtrueret, recordari priùs debuiſſet, magnam eſſe *radicum* diverſitatem, quarum aliæ ſucculentæ & pulpoſæ ſunt, quædam aridæ & lignoſæ, nonnullæ medio modo ſe habentes. Ex aridis & lignoſis *radicibus* illæ ſunt, ex quibus Author, pro *Syrupi* hujus confectione, *ſuccum* extorquere jubet, *Cichorii* nimirùm, præſertim ſylveſtris (nam domeſticæ & ſativæ non ubique proſtant) *Pimpinellæ, Petroſelini, Fœniculi*. Mehercle non poſſum animum meum inducere, ut credam, unquam Pharmacopœum, ex ſolis hiſce aridis *radicibus*, abjectis *herbis*, *ſuccum* expreſſiſſe, niſi fortè in tàm exigua quantitate, ut operæ precium non fuerit, rem inchoare, nedum perficere; Alterum in hujus *Syrupi compoſitione* animadverſione dignum eſt, quod *liquoris* ℔ *vij ß, cum libris tribus & dimidia ſacchari in Syrupi* conſiſtentiam debeant percoqui, poſtquam ſat ſuperque *herbæ radices* & *fructus* decocta ſunt, & ſubtiliores ac ſummè penetrantes eorum partes, longiori cocturâ deperditæ, adeò ut *meſenterii*, *hepatis* ac *venarum meſaraciarum* obſtructionibus reſerandis, parùm aut nihil proderit hîc *Syrupus*; Efflagitant nimirùm hi *morbi* medicamenta ſpirituoſa, non verò craſſas & feculentas medicinas, virtute ſalinâ, volatili ac ſpirituali penitùs exutas, utpotè qua in violentis illis, iiſdemque reiteratis coctionibus, omninò caſtrantur, prout ſufficienter etiam in ſuperioribus innuimus. Et licet difficilè ſit virtutes ſingulas rerum, *Syrupum* hunc ingredientium, ſartas tectaſque, non mutatis mutandis conſervare, nihilominùs tamen, cùm mei inſtituti in præſens non ſit, *compoſitionibus* hiſce ab omnibus Medicis receptis quippiam detrahere, ſed veram ac legitimam duntaxat earundem *præparationem* demonſtrare & palàm facere, idcircò illam propono hunc in modum.

℞. *Succor. depur. ex totis Cichorio,*
Pimpinella ana ℔ j,
Fumaria,
Lupulo ana ℥ vj,
Petroſelino,
Fœniculo ana ℥ iij,

Radi-

Radicum Apii,
Enulæ,
Asparagi,
Eryngii,
Vincetoxici ana ℥ j,
Herb. Agrimoniæ,
Eupatorii Avicen.
Agerati ana M j ß,
Cuscutæ,
Ceterach,
Adianthi utriusque,
Cardui bened.
Comar. Absinthii Pont.
Florum Centaurii min. ana M ß,
Granorum Alkekengi ℥ j.

Incisis & crassiusculè contusis, ac cucurbitæ vitreæ immissis, superaffundantur *succi* superiùs enumerati, &

Aceti Scyllitici ℔ ij.

Fiatque per arenam in vase vitreo fortis destillatio, quoad supersint circiter *libræ duæ liquoris* in fundo cucurbitæ cum speciebus; separatim tamen, ut in aliis præparationibus monui, prioris *aquæ librâ unâ* asservata: Residuum fortiter expressum albumine ovi clarificetur, cujus si plus quàm *libra una* fuerit, eousque evaporet; additisque *Sacchari libris tribus cum dimidia*, & prius egressæ *aquæ spirituosæ* seorsim superiùs asservatæ *librâ una*, fiat unâ vel alterâ ebullitione *Syrupus. Aqua secunda* itidem separatim collecta potest, prout in aliis monui, convenienti dosi, quoties exigitur, *Syrupo* eidem admisceri.

Syrupus Arantiorum.

℞. Succi Arantiorum lege artis percolati libras tres,
Sacchari albissimi libram unam semis.
Coque in Syrupum.

Dupliciter hic Syrupus præparari consuevit, è succo nimirum Arantiorum dulcium & acidorum: quorum hic nauseam, sitim, & cordis tædia pellit: ille calidis faucium ac pectoris malis opitulatur.

ANIMADVERSIONES.

Parari potest hic *Syrupus* ad modum *Syrupi Acetositatis Citri.*

Syrupus de Corticibus Arantiorum.

℞. Corticum Arantiorum recentium & extimorum libram unam,
Aquæ fontis libras quatuor semis.

Coquantur ad duarum partium consumptionem: colaturæ adde

Sacchari optimi libram unam.
Fiat Syrupus.

Ventriculum frigidum roborat & fulcit, concoctionem adjuvat, flatus dispellit, ac cordis vires adauget.

ANIMADVERSIONES.

Omne Medicamentum, quod *Cordi robur addere, collapsas vires restaurare, flatus dispellere, ac Ventriculi intemperiem frigidam corrigere, eundemque roborare ac fulcire debet,* oportet, ut nullatenus virtute suâ balsamicâ, calidâ ac spirituosâ, sit exutum ac privatum; In hujus autem *Syrupi* præscripta præparatione, *cortices Arantiorum recentes & extimi,* subtilem ac fragrantissimum suum *spiritum & oleum* balsamicum, carminativum, diuturnâ cocturâ prorsùs amittunt ut nil nisi *extractum amarum* maneat in residuo, (utut lentissimo coquatur igne,) nihil ergò de effectu illo & viribus, quæ ipsi attribuuntur, nobis promittere possumus, nisi alia & quidem melior vel accuratior instituatur *præparatio*, quæ talis esse potest.

℞. *Cort. Arantior. recentium & extim. concisorumque* ℔ j,

Quibus cucurbitæ vitreæ immissis superinfundatur

Aquæ simplicis (vel quod meliùs esset, Vini generosi) aut etiam Aquæ florum Arantiorum, ℔ j ß,

Et post unius alteriusvè diei digestionem, fiat abstractio in M.B. juncturis optimè clausis, ferè usque ad siccitatem *corticum aquâ spirituosâ odoriferâ* prolectâ interim asservatâ; *Cortices* in cucurbita residui cum *libris duabus vel tribus aquæ simplicis*, ad remanentiam *libræ unius* coquantur, *decoctum* colatum, & si opus, clarificatum, cum

Sacchari libris duabus,

Denuò coquatur ad consistentiam *Tabulati*, cui, *extracto corticum* imprægnato, *superioris spirituosæ prolectæ aquæ s. q.* addatur, ac unicâ ebullitione vel solâ dissolutione, paretur justæ consistentiæ *Syrupus*.

Nota, pro *libra una corticum*, visum est *duas* addere *libras Sacchari*, evadet nihilominùs *Syrupus* longè efficacior, quàm si simpliciter per coctionem esset paratus.

Si quis etiam superiorem à *corticibus destillatam aquam*, novis ac recentibus *Arantiorum corticibus* (aliquot unciis) imprægnare & essentificare vellet, is solâ digestione & extractione, adhuc efficaciorem redderet *Syrupum*.

Syrupus Florum Arantiorum.

℞. Florum Arantiorum recentium libram semis.

Infundantur in aquæ fontanæ calentis libris duabus, horis viginti quatuor: tum rejectis prioribus floribus, ac reassumptis totidem novis infusio reiteretur, idque trinâ vice fiat. Deinde colaturæ unciæ quindecim coquantur cum sacchari albissimi libra una in Syrupum.

Cor ac cerebrum mirificè recreat, spiritus instaurat, sudoresque movet: pestilentibus ideò febribus salutaris, infectos namque humores à centro ad circumferentiam propellit, & exanthemata ejicit.

ANIMADVERSIONES.

Ex præcedentis *Syrupi* præparandi modo etiam hujus præparatio dispalescit, nihilominùs tamen melioris informationis ergò etiam sequentem adjiciam:

℞. *Florum Arantiorum recentium* ℔ j ß,
Humectentur integri non contusi *unâ vel alterâ unciâ vini albi*, *vel aquæ Rosarum*, *aut cort. Arantiorum*, & in M. B. destillentur; *Aquæ* primò egredientis asserventur ℥ *vij.* vel ℥ *viij.* reliqua vel secunda etiam seorsim servetur. *Floribus* in fundo remanentibus de novo affundantur, ℔ *ij.* aquæ simplicis ferventis, & ad remanentiam *libræ unius*, leniter coquantur; *decoctum* expressum & clarificatum cum

Sacchari albi ℔ j.

Denuò coquatur ad consistentiam *Tabulati*, cui adde

Aquæ fragrantioris, *priùs à floribus destillatæ*, ℥ *vij. circiter*,

Fiatque in M.B. solâ dissolutione *Sacchari Syrupus*; *Aqua* superflua destillata trahatur in usum unâ cum *Syrupo*, prout sæpiùs monui,

Syrupus de Artemisia.

℞. Artemisiæ manipulos duos,
Pulegii,
Calaminthæ,
Origani,
Melissophylli,
Dictamni Cretici,
Persicariæ,
Sabinæ,
Majoranæ,
Chamædryos,
Hyperici,
Chamæpityos, seu Ivæ Arthericæ,
Matricariæ cum flore,
Centaurii minoris,
Rutæ,
Betonicæ,
Buglossi ana manipulum unum,
Rad. Fœniculi,
Apii,
Petroselini,
Asparagi,
Rusci,
Pimpinellæ,
Enulæ,
Cyperi,
Rubeæ,
Iridis,
Pæoniæ ana unciam unam.
Baccarum Juniperi,
Sem. Ligustici,
Petroselini,
Apii,
Anisi,
Nigellæ,
Rad. Asari,
Pyrethri,
Phu, seu Valerianæ,
Costi,

Car-

Carpobalſami,
Cardamomi,
Caſſiæ ligneæ,
Calami Aromatici ana unciam ſemis.

Omnia trita & conquaſſata infundantur horis viginti quatuor in aquæ puræ libris decem, & coquantur ad dimidias: deinde aufer ab igne, ac dum aqua tepuerit frica manibus, & cola diligenter, expreſſumque cum ſacchari libris quatuor in Syrupum percoque.

Syrupus iſte ex Matthæo de Gradibus in librum nonum Rhaſis ad Almanſorem cap. de menſium ſuppreſſione deſumptus, potens eſt in aperiendis obſtructionibus ex craſſis, viſcidis & glutinoſis humoribus ortum ducentibus: incidit enim, aperit, & potentiſſimè tenuat; uteri autem affectibus potiſſimum prodeſt, eumque elocatum priſtinæ ſedi reſtituit, flatus frigidoſque humores, quibus is plerumque infeſtatur, ac aliquando etiam emovetur, diſſipans doloreſque ſupprimens. Nervos interim roborat, menſtruis imperat, materiam contumacem apparat, ejuſdemque exitum provocat.

ADvertendum in hoc Syrupo, ut decoctum, antequam cum Saccharo percoquatur ac inſpiſſetur, diligenti & iteratâ tranſcolatione repurgetur: ne is vel facilè ranceſcat, vel turbidus evadat, aut à craſſa ſubſidentia non probè mundatus facilè corrumpatur, cùm alioquin ob aromatum vim ac condituram per biennium durare queat. Debent autem in ejus coctura ac præparatione Aromata ſub finem demum coctionis injici, ne vires ipſorum protinùs evaneſcant, aut efficacia eorum in ſubtili partium tenuitate conſiſtens, per diuturniorem coctionem expiret.

Quantumvis Syrupus iſte à Fernelio (prout Plantius notavit) reviſus, ac examinatus, aliam deſcriptionem ejus judicio ſortitus ſit, quia tamen noſtri Medici diuturno ejus uſu ac efficaciâ hucuſque fuêre contenti, ut qui etiam alibi ſecundum genuinam Auctoris deſcriptionem parari ſoleat, ideò nihil in eo immutandum eſſe cenſuimus, quem proinde ſecundum veterem ac prius conſuetum modum confici jubemus.

ANIMADVERSIONES.

TRia potiſſimùm in hujus *Syrupi* præparatione occurrunt *Animadverſione* digna; Primò quidem, quòd injuncta illa tranſcolatio *decocti*, quàm frequenter & diligenter etiam illa fiat, ſola non ſufficiat ad *decocti* purificationem, & *Syrupi* clari ac elegantis confectionem, niſi quoque colatura illa iteratò cum albumine ovi clarificetur; Verùm peritus Pharmacopœus hac admonitione non indiget, quin ipſe nôrit quæ facto opus fuerint. Alterum eſt, quòd *aromata* ſub finem demùm coctionis injici jubeantur, ne vires eorum protinùs evaneſcant, aut efficacia ipſorum in ſubtili partium tenuitate conſiſtens, per diuturniorem coctionem expiret, quod ipſum quidem prudenter monent, aſt rem acu non tangunt: Licet enim ſub finem primæ decoctionis, *aromata* addantur, ac parùm & leniter ſaltem coquantur, parum etiam de virtutibus ſuis in decoctionem deponent, & illa ipſa vis aromatica, quæ quantaque in *decoctum* depoſita eſt, ſi non in eadem decoctione prima iterùm exſpiret, certò tamen in ſecunda violenta ebullitione *decocti* cum *Saccharo*, exhalabit. Tertiò notandum, cùm non ſolum *aromata*, ſed & reliquorum ingredientium vires ut plurimùm in ſubtili partium tenuitate conſiſtant, etiam horum eſſe habendam rationem. Si itaque efficax deſideratur *Syrupus*, qui æquè *aromatum* ac aliorum ingredientium virtutibus ſit imbutus, paretur is ad modum *Syrupi Acetoſi compoſiti Meſues*, deſtillatione nimirùm volatilium ac tenuium partium cum tribus libris circiter *aquæ*, & decoctione remanentium *ſpecierum*, fiatque exinde additione *Sacchari q. ſ. Syrupus*.

Nota tamen, quod *decoctum*, ſi *à ſpeciebus*, jam deſtillationem paſſis, paratum, cum *Saccharo* ad totalem *Tabulati* conſiſtentiam redigendum ſit, cui tandem *aqua deſtillata odorifera & ſpirituoſa* in competenti quantitate (℥ vij. circiter ad ℔ j. Sacchari) addenda eſt, ut ſine ulteriori coctione, *Syrupi* conſiſtentia exſurgat.

Syrupus de Betonica Simplex.

℞. Succi Betonicæ depurati libras tres,
Sacchari clarificati libram unam ſemis.
Fiat Syrupus, ut eſt artis.

AD capitis & uteri vitia propulſanda efficax: leniter aperit, concoquit & abſtergit, ac menſes moderatè provocat.

ANIMADVERSIONES.

DExtra hujus *Syrupi* præparatio in eo conſiſtit, ut *de tribus libris ſucci Betonicæ abſtrahantur* per Alembicum ℔ ij. circiter; Relicta demùm *libra una ſucci*, cum *Sacchari libra una & dimidia* coquenda ad conſiſtentiam *Tabulati*, tandem de *ſucco* ſuperiùs per deſtillationem abſtracto tantum admiſceatur, quantum ad debitam *Syrupi* conſiſtentiam ſufficere videbitur, ſine tamen ulteriori coctione; Reliqua *aqua*, una cum *Syrupo*, quoties præſcribitur, exhiberi poteſt.

Non poſſum etiam, Lector benevole, prætererire, quin & alteram hujus *Syrupi* præparationem addam, ſecundùm quam alii quoque ex conſimilibus odoriferis herbis *Syrupi* ſimplices parari poſſunt efficaciſſimi, utpotè

℞. *Succi Betonicæ recentis* ℔ iiij. *quibus immerge*
Herbæ Betonicæ minutim concisæ recentis ℔ j,

Poſtea libram unam *ſucci odorati vel* ℥ *xv*. per deſtillationem ex M.B. evoca, relictam in fundo cucurbitæ *Betonicam* una cum ſucco fortiter exprime, expreſſum album: ovi clarifica, & cum

Sacchari albi libris duabus

ad omnimodam *Tabulati* conſiſtentiam percoque, cui demùm

Succum perquam odoriferum deſtillatum

adde, ſolaque diſſolutione confice Syrupum.

Efficaciorem adhuc ſi quis exoptet hunc *Syrupum*, adeat præparationem *Syrupi de Meliſſa* ſequentis diſpenſatorii novi, & juxta ejus normam etiam hunc conficiat.

Syrupus de Betonica Compoſitus.

℞. Betonicæ manipulos tres,
Majoranæ manipulum unum ſemis,
Thymi,
Roſarum ana manip. unum,
Violariæ,
Stœchadis,
Salviæ ana manipulum ſemis,
Sem. Fœniculi,
Aniſi,
Ammeos ana unciam ſemis,
Rad. Pæoniæ.
Polypodii,
Fœniculi ana drachm. quinque,

Fiat decoctio in libris ſex aquæ, ad medietatis conſumptionem, colaturæ poſtmodùm addendo

Succi Betonicæ libras duas,
Sacchari libras tres.
Fiat Syrupus.

COmpoſitus ad prædicta efficacior exiſtit, licet ejus uſus nonnihil evilueri, & eidem Syrupus de Stœchade Fernelii ſucceſſerit.

ANIMADVERSIONES.

QUamvis hic *Syrupus*, parum in præparatione diſcrepet à *Syrupis* præcedentibus, *de Arthemiſia* nimirùm, item *Acetoſo compoſito Meſues*, nihilominùs ejus brevem & concinnam addam præparationem;

℞. *Species omnes in compoſitione ſuperius præſcriptas utplurimum recentes.*

Quibus inciſis & contuſis, nec non cucurbitæ vitreæ immiſſis, ſuperaffunde

Succi Betonicæ recentis ℔ ij,

Et appoſito capitello, juncturiſque probè lutatis ac receptaculo præpoſito, deſtilla per M. B. ferè ad ſiccitatem uſque *ſpecierum*: *Deſtillata aqua*, *vel ſuccus odoratus* deſtillatione prolectus ſeorſim aſſervetur. Reſiduæ in fundo *ſpecies* coquantur affuſâ *aquâ*, ad remanentiam *duarum librarum* circiter; expreſſioni vel colaturæ albumine ovi clarificatæ adde *Saccharum* præſcriptum, & ad conſiſtentiam *Tabulati* percoque, cui demùm junge vel adde ſuperiorem deſtillatum & imprægnatum nobiliorem *ſuccum*,

cum, unaque ebullitione vel solâ dissolutione *Syrupum* effice præstantissimum.

Syrupus de Berberibus.

℞. Succi Berberum depurati libras duas,
Sacchari libram unam semis.
Fiat ex arte Syrupus.

R*Efrigerat, & modicè attenuat: febribus malignis confert, bilem reprimit, febrium æstus delet, ac immoderatam sitim compescit, biliosis ventris profluviis salutaris.*

ANIMADVERSIONES.

CIrcà hujus *Syrupi* præparationem nihil notatu dignum occurrit, nisi quod moneam, ut in *vase terreo vel lapideo* solâ coctione paretur.

Syrupus de Borragine.

℞. Florum Borraginis recentium libras duas,
Aquæ fontis puræ calentis libras octo, affusâ floribus aquâ sic in infusione per horas viginti quatuor dimittantur: deinde floribus his (factâ prius expressione) abjectis, infusio reassumptis novis ac recentibus floribus secundò, atque sic tertiò iteretur. Postmodum accipe
Colaturæ hujus libras quinque,
Sacchari clarificati libras quatuor.
Coque ad formam Syrupi.

SI tanta florum copia non sit, ut ex eorum infusione Syrupus hic, aut alter subsequens parari queat, sic fiat.

℞. Succi Borraginis defecati, & cum albuminibus ovorum clarificati libras octo:
In hoc succo calente, infunde per horas duodecim florum Borraginis recentium libram unam; postea colentur, & cum Sacchari libris quatuor fiat Syrupus.

Syrupus de Buglosso.

Paratur eodem modo, ex trina florum infusione, ut prior jam dictus.

P*Rosunt hi Syrupi maniacis ac melancholicis: lætitiam enim augent, & sanguinem complanant, pectus quoque humectant & leniunt, nec non syncopen & animi defectiones è corde natas arcent, cujus tremori, palpitationi, & imbecillitati eximiè succurrunt.*

NOtandum, nos Syrupos hos hactenus ex succis herbarum earundem parari consuetos, ex florum infusionibus trina vice iteratis in posterum conficiendos instituisse: quem sanè modum (ut Melichius monet) etiam Veneti observant, cùm aliàs Syrupi isti valdè lenti ac crassi, nec non multùm ingrati evadere, succique ipsi facilè corrumpi soleant: licet pro delicatulis, ac ditioribus etiam ex ipso florum succo, Syrupi hi in officinis nostris parati prostent, eo planè modo quo Syrupus ex succo florum Violarum parari consuevit, confecti.

ANIMADVERSIONES

In Syrupum de Borragine & Buglosso.

F*Lores Borraginis* licet sensili odore non polleant, si tamen verũ, quod *lætitiam augeant, Cor & Spiritus vitales recreent & instaurent,* non diffitendum prorsus, eos in se reconditum habere *Spiritum* quendam, *Spiritibus vitalibus*, adeoque *Cordi* ipsi ceu eorundem *scaturigini* familiarem; Ne igitur & hic coctione longâ in auras avolet, satiùs erit, posthabito præscripto conficiendi modo, *Syrupum* hunc præparare in modum *Syrupi* ex *floribus Arantiorum.*

Eodem quoque modo paretur *Syrupus* ex *floribus Buglossi.*

Syrupus Byzantinus simplex Mesuæ.

℞. Succorum Endiviæ,
Apii ana libras duas,
Lupuli,
Buglossi ana libram unam.
Ferveant simul, ac spumâ ablatâ depurentur. Inde verò ejus succi libræ quatuor cum Sacchari clarificati libris duabus semis, lento igne in Syrupum percoquantur.

F*Ebres putridas mixtas ex humore bilioso & pituitoso, solutu contumaces juvat: obstructiones viscerum aperit, humores tenaces, & lentos incidit, ac tenuat, morbo regio validè*

validè succurrit, splenis duritiem, & infarctus ab humoris melancholici crassitie dissipat.

SYrupus Byzantinus sic dictus, vel quod Medici Byzantini frequenter eo uterentur, vel quod Mesue qui Damascenus seu Africanus erat, hunc à Constantinopolitano Medico sibi communicatum acceperit. Vide Ant. Musam Brasavol. in examine Syruporum.

ANIMADVERSIONES.

POtest hic *Syrupus* in modum aliorum *Syruporum*, ex succis confectorum commodè parari. Vide *Animadversiones in Syrupum de Betonica simplicem.*

Syrupus Byzantinus Compositus Mesuæ.

℞. Succorum Endiviæ,
Apii ana libras duas,
Lupuli,
Buglossi ana libram unam.
In his succis decoquantur
Rosarum Rubear. unciæ duæ,
Glycyrrhizæ uncia semis,
Spicæ Indicæ drachmæ duæ,
Sem. Anisi,
Fœniculi,
Apii ana drachmæ tres,
Colaturæ adde
Aceti libras duas,
Sacchari albissimi libras tres.
Coquantur, ut est artis, in Syrupum.

AD prædicta omnia valentior: ictero adversatur, hepatis, & splenis pertinaces obstructiones reserat, ventris inflationem removet, ac hydropem incipientem antevertit.

ANIMADVERSIONES.

COnsulantur *Animadversiones in Syrupum Aperitivum Magistralem Mindereri*, secundùm quas, hujus *Syrupi* instituatur præparatio.

Syrupus de Calamintha Mesuæ.

℞. Calaminthæ Montanæ, seu Nepetæ,
Domesticæ ana uncias duas,
Sem. Ligustici,
Dauci,
Schœnanthi ana drachmas quinque,
Uvarum passarum libram semis,
Aquæ libras sex.

Primò coquantur Uvæ passæ, deinde reliquæ ad medias: in fine addatur Schœnanthum. Expressum percoquatur cum mellis despumati libris duabus, & fiat Syrupus.

VIscerum obstructiones levat: incidit, attenuat, tergit, & aperit, interna calefacit, obstinatas materias expulsioni præparat ac menses movet, tussi antiquæ, asthmati, intemperiei viscerum frigidæ convenit: humores viscidos ac crassos, bronchia pulmonum obsidentes expurgat: senibus familiares affectus levat, nec non lienis tumorem duritiemque discutit.

ANIMADVERSIONES.

LIcet hic *Syrupus* ad normam *Syrupi de Absinthio*, vel potiùs, de *Betonica compositi*, satis eleganter confici posset, quia verò ratione *Mellis* quoad præparandi modum levis quædam occurrit diversitas; proindè ejus dilucidiorem addemus præparationem.

℞. *Calaminthæ mont. seu Nepetæ,*
Domesticæ ana recent. ℥ *iij*,
Sem. recent. Ligustici,
Dauci ana ℥ *j*,
Schœnanthi ʒ *v*,
Uvarum passarum ℔ ß,

Quibus incisis & contusis, nec non cucurbitæ vitreæ immissis, superaffundatur *aquæ simpl.* ℔ ß, fiat destillatio & abstractio ad siccitatem *specierum*, prolectâ *aquâ odoriferâ* asservatâ: Residuæ in cucurbita *species* recentis *aquæ* reaffusæ s. q. coquantur ad remanentiam *libræ unius, decoctum* expressum & clarificatum, additis

Mellis optimi libris duabus,

ad consistentiam ejus crassissimam percoquatur, quibus tandem de superiori destillata *aquæ odoriferæ* tantum addatur, quantum pro justa consistentia *Syrupi*, sine ulteriori coctione sufficere videbitur, fiatque *Syrupus*.

Syrupus de Chamæmelo.

Præparatur ex trina florum infusione, Colatura & Sacchẚro, uti antecedentes de Borragine & Buglosso.

Magnificus ejus usus est in colica & iliaca, itemque affectibus uterinis à frigore enatis. Additur potissimum in enemata, ubi crassos flatus evocare necesse est.

ANIMADVERSIONES.

Cum *Syrupo* ex *floribus*, vel etiam *corticibus Arantiorum*, additione *vini* quoad præparationem coincidit & hic *Syrupus*, proindè ex illius conficiendi modo satis commodè peti potest.

Syrupus de Capillis Veneris simplex.

℞. Capillorum Veneris uncias sex.
Macerentur in libris sex aquæ, horis viginti quatuor: deinde coquantur ad medietatis consumptionem: Colaturæ adde Sacchari libram unam semis.
Fiat Syrupus.

Ad thoracis affectiones calidas ac destillationes tenues præstans est: pleuritidi proinde incipienti idoneus, cùm materia calida, aut mixta suâ tenuitate promptè efferri nequit: obstructiones præterea vasorum leniter aperit.

ANIMADVERSIONES.

Nihil hic *Syrupus* difficultatis habet, ejusque debita præparandi ratio ex superioribus facilè colligitur, vel si libet ad præscriptum modum paretur.

Syrupus de Capillis Veneris Compositus.

℞. Capillorum Veneris uncias quinque,
Glycyrrhizæ uncias duas,
Asplenii, seu Phyllitidis, aut Linguæ cervinæ manipulum unum,
Macerentur in libris sex aquæ horis viginti quatuor: deinde coquantur ad medietatis consumptionem, Colaturæ adde
Sacchari clarificati,
Penidiorum,
Aquæ Capillorum Veneris ana uncias octo.
Fiat Syrupus secundum artem.

Venarum meatus leniter expurgat, obstructiones aperit, è renibus item & vesicâ mucores ac arenulas exigit: quem in finem Dodonæus radicum Rusci & Asparagi ana unciam unam, ac seminis insuper Malvæ drachmas duas addendas censet. Nunc Syrupus Adiantinus Fernelii ejus vicem ferè supplet.

ANIMADVERSIONES.

Hujus *Syrupi*, sive is simpliciter, sive secundùm mentem Dodonæi, additis nimirum *radicibus Rusci*, *Asparagi*, & *semine Malvæ*, vel potiùs loco ejusdem, *herbâ* (Semen enim quia mucilaginosum est, viscidum & crassum, vel mucilaginosum redderet *decoctum*, difficulter in consistentiam justam & durabilem *Syrupi* redigibile) præparandus sit, cum aliis hujus generis, utpotè *Syrupo de Betonica composito*, æqua est conficiendi ratio. Duo verò insuper huic compositioni insunt, quæ nullatenùs præterire queo, quin paucis illa attingam; *Saccharum* videlicet *Penidii* & *aqua Capillorum Veneris*: Neque enim video, in quem usum *Saccharum*, inprimis *Penidii*, reliquo *Saccharo communi* clarificato sit adjectum, utpotè quod necquicquam ab alio quovis *Saccharo albo* puro discrepat, si in liquore aliquo dissolvatur, nec nisi solâ ultrà ordinariam consistentiam coctura, & peculiari saltem efformandi modo (qui in manuali operatione consistit) ab eodem differt, qui tamen modus speciem & virtutem ejus non variat, nec ullam vim & efficaciam ulteriùs illi addit, præterquàm quòd magis friabile, & in ore præsertim infantium liquabile evadat, pectusque sic leniter deglutitum leniat, dissolutum verò denuò in aliquo liquore, nihil præ reliquo *Saccharo* peculiare habet, & iisdem, quibus illud, usibus inservit. Idcircò nescio, ob quem singularem finem huic *Syrupo* additum sit, nisi quòd

quòd precium ejus augeat. Alterum æque *ἄτοπον* & *ἄλογον* est, quòd in secunda decoctione cum prædicto *Saccharo*, addatur *aqua Capillorum Veneris*, quæ quàm imprudenter & inutiliter illi adjiciatur, indè conjicere possumus, quòd à *tribus illis libris remanentis colaturæ*, in ultima coctione, quæ fit cum *Saccharo*, *libræ duæ* debeant evaporare, si justa exoptetur *Syrupi* consistentia. Ergò & illa *aqua Capillorum Veneris*, si addita fuerit, exhalabit, & quidem cum primis. Supponitur enim, *aquas* stillatitias *decoctis* esse spirituosiores: Quòd si verùm, uti verissimum, etiam *aqua hæc Capillorum Veneris* destillata, velocitate fugæ, reliquias *decocti* antevertet. In quem igitur finem addita sit, judicare esto penes benevolum Lectorem.

Syrupus de Succo Cardui Benedicti.

℞. Succi Cardui Benedicti depurati lib. tres.
Sacchari clarificati libras duas.
Fiat lege artis Syrupus.

Febribus malignis ac pestilentibus confert, humorum putredinem arcet, sudores prolicit, vermes enecat, & pleuritidi auxiliatur.

ANIMADVERSIONES.

Hic *Syrupus*, præparandi modo, à reliquis è *succis* paratis, non discrepat, adeoque exindè ejus præparatio petatur.

Syrupus Cerasorum Acidorum.

℞. Succi Cerasorum acidorum per residentiam defæcati libras sex.
Sacchari albissimi libras tres.
Fiat Syrupus.

Ad internos æstus efficax: sitim extinguit, appetitum instaurat, febrium incendia reprimit, bilis ferociam domat, mulierum malaciæ prodest, cordis denique vires tuetur.

Sumenda hîc sunt Cerasa illa acida, aliquibus Duracina dicta, quæ nos vulgari idiomate Weichslen aut Weixlen nominamus, atque ex eorum succo, ubi probè maturuerint, Syrupus hic conficiendus.

ANIMADVERSIONES.

In hoc *Syrupo*, nihil *Animadversione* dignum occurrit, præterquàm, quod is, qui illum præparare vult, observet, ut præ manibus habeat *succum*, qui suâ spontè veluti ex *cerasis* unà cum nucleis contusis effluxerit; aliàs enim si ope torcularis ex recentibus *Cerasis* idem *succus* statim exprimeretur, in inspissatione cum *Saccharo gelatinam* præberet, non verò elegantem *Syrupum*.

Syrupus de Cichorio Simplex.

℞. Succi Cichorii depurati libras tres,
Sacchari clarificati libram unam semis.
Coquantur in Syrupum.

Hepatis, ac renum intemperiem calidam emendat: febribus auxiliatur, bilis acrimoniam frangit, refrigerat, humectat, & obstructiones expedit.

Compositus, seu de Cichorio cum Rhabarbaro, inter purgantes requirendus.

ANIMADVERSIONES.

Non variat à præparatione reliquorum Syruporum ex succis.

Syrupus de Cinamomo.

℞. Cinamomi optimi, seu acutissimi crassiusculè pulverisati unc. duas semis.
Ponantur in cucurbitam vitream, addanturque
Aquæ Cinamomi optimæ libræ duæ.

Stent in loco calido benè obturato vase, ne quid expiret, horis viginti quatuor: deinde colentur, & validè exprimantur, ac in expressione hac rursum tantundem Cinamomi infundatur, itereturque id in universum quatuor vicibus. Tum demum Cinamomo omni collecto sic infuso, & post quatuor expressiones relicto, affundatur libra una vini Malvatici generosissimi. Stent pariter in infusione: tandem validè exprimantur, & addantur expresso
Aquæ Rosarum odoratissimæ unciæ duæ,
Sacchari albissimi libra una.

De-

Decoquantur in vase fictili probè tecto ad consistentiam Syrupi.

Vitales spiritus plurimùm recreat, cor, ac ventriculum à frigore languidum reficit, oris halitum commendat, coctioni studet, nec non universas corporis vires fulcit.

ANIMADVERSIONES.

Quàm insulsa sit preciosi hujus *Syrupi* præparatio, cùm ex analysi ejus mox patebit, tùm quilibet, qui vel per transennam illam introspexerit, facilè videbit. Etenim *Cinamomum*, idque optimum & acutissimum, (quale ad hunc *Syrupum*, spiritibus vitalibus plurimùm recreandis & reficiendis, nec non universis corporis viribus fulciendis destinatum, non immeritò eligitur:) *aroma* est, cujus efficacia, ut ipsi fateri necesse habent, in subtili partium tenuitate consistit, quæ tùm facilè in diuturniori coctura exhalare possit; Cujus etiam experiundi exemplum habemus in destillatione illius *aquæ*, maximè si vasa non satis firmiter agglutinata sint; tùm enim odor aromaticus summè penetrans illicò ferit nares, & in auras avolat. Quod si ibi contingit, multò magis in inconsiderata hac *Syrupi* præparatione eveniet; ubi priusquam ille suam acquirat consistentiam, *libræ duæ cum dimidia liquoris optimi & fragrantissimi*, coquendo debent exhalare. Verùm objicient, *Syrupum* coquendum ab ipsis præcipi in vase fictili probè tecto: Euge quàm benè & prudenter sibi consulunt ignari! quòd si seculum coqueretur in vase operto & clauso, ubi nil exspirare posset, nunquam ad consistentiam suam *Syrupus* percoqui queat. Et quid etiamnum sibi volunt superingestæ illæ *aquæ Rosarum fragrantissimæ unciæ duæ?* Utpotè quæ non minùs ac nobilissimæ & aëreæ *Cinamomi* partes æthera & aëra petent, relictâ terreâ mole, crassamento nimirùm omni *spiritu balsamico* viduato & exinanito. Verùm ne longior sim in hisce erroribus enucleandis, subnectam genuinam *Syrupi* hujus nobilissimi præparationem, quæ talis est.

℞. *Cinamomi acutissimi crassiusculè concisi* ℥ ij ß,

Quibus cucurbitæ vitreæ immissis, superaffundantur

Aquæ Cinamomi destillatæ bonæ ℔ ij,

Locentur in balneum, mox apposito & agglutinato capitello, cum præposito recipiente, stentque in digestione aliquandiu, postea fortis fiat ad siccitatem usque destillatio. Tùm refrigeratâ cucurbitâ excipiatur residuum *Cinamomum*, quod separatim asservetur, &

Recentis acerrimi Cinamomi tantundem,

cucurbitæ immittatur, cui superaffundatur

Aqua à priori Cinamomo abstracta,

& denuò post aliqualem digestionem, ad omnimodam siccitatem per M. B. abstrahatur, relictum in fundo *Cinamomum* æquè ut priùs servetur; qui labor infundendo & abstrahendo (semper addito *Cinamomo* recenti) tertiâ & quartâ vice reiterandus esset, sed laboris hujus potest fieri compendium, si nimirùm tertiâ vice

Cinamomi acerrimi ℥ v,
cum
Aqua illa bis abstracta

unâ vice infundantur, quæ ut antea per destillationem ad *Cinamomi* siccitatem usque evocetur. *Aqua* quæ exstillavit, fortissima erit & acerrima, peculiari vitro probè obturato asservanda.

Relictum illud & à trina destillatione reservatum Cinamomum,

in eandem projiciatur cucurbitam, cui superaffundantur

Vini Malvatici ℔ j ß,
Aquæ Rosarum ℥ ij,

Et post aliqualem digestionem lutatis optimè juncturis, & affixo receptaculo fiat abstractio ad remanentiam circiter *libræ unius*; *aqua* egressa conjungatur priori; Residuum autem in fundo cucurbitæ expressum, & albumine ovi clarificatum, ceu *extractum Cinamomi* liquidum, pro ultima *Syrupi* confectione similiter asservetur. Tùm accipiantur omnes illæ *aquæ destillatæ* jam conjunctæ, reitereturque adhuc semel per arenam destillatio vel rectificatio, cujus primitùs egressa ℔ j ß. sigillatim asservetur, reliquâ quæ sequitur *aquâ*, similiter seorsim reservatâ.

Postea demùm

℞. *Extractum illud liquidum superiùs à destillatione asservatum, & albumine ovi clarificatum,*

quod cum

Sacchari albissimi libris duabus cum dimidia coque ad consistentiam Tabulati, eique postremò

Aqua superioris fragrantissima rectificatæ s. q. (℔ j. ß. *circiter*)

adde;

Et solâ dissolutione vel unâ ebullitione, confice *Syrupum* efficacissimum.

Auctarii loco adjicio hanc cautelam, ne vel *aqua illa Cinamomi acerrima* filtretur, vel *Syrupus* per pannum coletur: sic enim oleaginositas utriusque vel filtro vel panno adhærens, non sine insigni virium jactura periret.

Syrupus Coralliorum.

℞. Corallia rubicundissima & elegantissima, verbi gratiâ libram semis.

Succi Berberûm perfectæ maturitatis perquàm accuratissimè depurati, ut materiam quatuor digitos, aut paulò plus supereemineat, digeratur in calore balnei vaporosi, continuè per tres integros dies, donec totum Corallium in illo liquore ferè dissolutum appareat. Hic relictis fecibus per inclinationem separetur, recentem illis succum depuratum rursus affundendo, tantisper id reiterando, quoad nullum ampliùs colorem fundere Corallia videantur. Pro hujus succi Corallinâ essentiâ sic optimè imprægnati, libris duabus, sumatur Sacchari candidi libra una, coquantur in formam Syrupi.

Plura qui hac de re, sive quoad balnei vaporosi constitutionem, sive operationis dexteritatem desiderat, Quercetanum ipsum, aliosque adeat.

Hic Syrupus præditus est miris proprietatibus, ad instaurationem facultatum naturalium, & omnium affectuum ab hepatis vitio scaturientium, confert præterea omnibus fluxionibus hepaticis, dysentericis, & lientericis.

ANIMADVERSIONES,

Syrupus hic Corallinus primâ fronte satis speciosus apparens, plurimis refertus est difficultatibus: Præcipiunt nimirùm dissolutionem dimidiæ libræ *Coralliorum*, quam ipsam moliuntur *succo Berberûm depurato*, ad supereminentiam quatuor vel quinque digitorum transversorum, iisdem affuso. Quâ assignatâ quantitate *succi Corallia* tamdiu digerere jubent, quousque totum *Corallium* in liquore illo ferè dissolutum appareat; quod tamen uti prorsus impossibile, (vix enim octo vel decem libræ *succi Berberûm* sufficiunt pro dissolvenda *dimidia libra Coralliorum*:) ita ipsimet quoque moniti sui parùm memores, jubent relictis fecibus recentem *succum* depuratum rursùs affundere, tantisper id reiterando, donec totaliter ferè dissoluta *Corallia*, nullum amplius colorem fundere videantur. Ad quid autem reiterata illa frequens affusio *succi* recentis, si primâ vice *Corallium* ferè totum dissolvi possit? Aut quomodo *Corallia* in liquore rubicundissimo (qualis est *succus Berberûm*) colorem suum ita distinctim diffundere queunt, ut ab eo tanquam signo diagnostico, *sufficientis dissolutionis & extractionis indicium* desumi possit, cum rubicundius sit menstruum (scilicet *Berberûm succus*) ipsis *Coralliis*, ceu ex quibus *tinctura* extrahenda? Sed esto, imprægnatum hoc modo habeant saturatâ *tincturâ Corallinâ succum*, subjiciant eundem Vulcani violentiæ, percoquant, suo modo, cum *Saccharo* pro libitu, deprehendent, *Corallia* suum retinaculum, quo veluti compede erant restricta, mox desertura, & loco *Syrupi Corallinâ Essentiâ* imbuti, reperient grumosum, à *Coralliis* planè quasi desertum *Berberûm succum*, *sacchariná dulcedine* delinitum; *Aciditas* enim *succi* superatur quasi & vincitur à dulcedine *Sacchari* (præsertim in violenta & diuturna coctione) quod est veluti *sal dulce Corallia* præcipitans, more aliorum *salium*. Præscriptâ itaque ceu inutili præparatione relictâ, proponemus aliam meliorem.

℞. *Coralliorum rubicundissimorum* ℔ ß,
Dissolvantur totaliter in s. q. *aceti destillati*, solutio filtretur & ad siccitatem per M. B. abstrahatur

batur atque insipidum prodibit phlegma, remanente in fundo cucurbitæ solutione siccâ, sive *sale Coralliorum albicante*, majoris ponderis, quàm antea erant ipsa *Corallia*, ob *salem acidum aceti*, qui arrepto corpore (*Corallis* scilicet) ipsi indissolubili nexu se associavit; Et frustrà laborant, qui *solutiones* illas sive *sales* per reiteratas *aquarum stillatitiarum* affusiones & abstractiones edulcorare tentant, quam nullo modo amittunt, nisi destruxeris totum, traditâ *solutione* igne violento.

Hujus salis sive solutionis siccæ Coralliorum nunc pro libitu Medici, unciæ duæ vel tres accipi,

Et cum

Succi Berberûm recentis clari unciis octo, dissolvi, additaque

Sacchari albissimi librâ unâ

Solâ digestione & dissolutione in *Syrupum*, justæ consistentiæ ori & oculis gratum, redigi possunt.

Syrupus de Corticibus Citri.

℞. Corticum Citri recentium & extimorum libram unam,

Granorum tinctorum, seu Chermes drachmas duas,

Aquæ fontis libras quinque.

Coquantur ad duarum partium consumptionem: adde colato

Sacchari optimi libram unam,

Fiat Syrupus, qui aromatisetur cum Moschi Orientalis granis quatuor.

Ventriculum cum corde roborat: corruptos putres, ac fœtidos stomachi humores obtundit, anhelitûs graveolentiam abigit, pestilentibus venenatisque morbis resistit: cordis palpitationi medetur, mœstitiamque discutit. Eo etiam sæpè utimur in compositionum seu Eclegmatum mixturis ad cerebrum, cor, & ventriculum roborandum institutis.

Nonnulli corticum Citri quantitatem in Julep probè coctum injiciunt, & sic servatâ odoris fragrantiâ suavior evadit: quæ jucunditas etiam huic conciliari potest, injectâ sub finem coctionis corticum Citri recentium portione aliquâ.

ANIMADVERSIONES.

Ipsimet nolentes volentes in annexa sua animadversione fateri coguntur, rei veritate convicti, quòd servatâ odoris fragrantiâ suavior, & per consequens etiam utilior & efficacior evadat *Syrupus*; deberent proindè in id unicè esse intenti, ut fragrantiam illam *rerum aromaticarum & balsamicarum*, quantùm possent, servarent, nec longiori illâ satisque violentâ coctione destruerent; de quo cùm jam tum in superioribus satis superque conquesti simus, præsertim in præparatione *Syrupi de corticibus Arantiorum*, ideò eò relegamus benevolum Lectorem, ex cujus præparandi modo, etiam hujus conficiendi rationem satis luculenter colligere poterit. Cui si insuper odorem *Moschi* conciliare volupe fuerit, recipiat *Moschum* prout in præparatione vulgari habetur, eumque nodulo inclusum, rostro capitelli imponat: sic prima, quæ in destillatione prodit *aqua*, fragrantissimam *Moschi essentiam* extrahet secumque ducet, quæ demùm permixta *Syrupo*, gratissimum eidem & saporem & odorem conciliabit. Crassa autem illa & rustica post perfectam *Syrupi* coctionem, *corticum Citri* injectio, pro *odore citrino* & grato illi conciliando, vel nobilioribus virtutibus eundem imbuendo, explodenda est, cùm *decoctum* quoddam *Saccharo* imprægnatum, & ad *Syrupi* consistentiam coctum, ob lentorem & crassitiem, aliarum rerum essentias ulteriùs extrahere nullo modo possit. Si quis tamen in vulgari modo præparato *Syrupo odorem citrinum* exaltare vellet, posset ille diversimodè, & quidem longè majori artificio, eidem conciliari, utpotè manibus saltem exprimendo *succum ex corticibus Citri exterioribus sive Citri flavedine fragrantissimum, in Saccharum pulverisatum*, & *Syrupo* admiscendo; Aut, si libet, poterit *Elæosaccharum* confici ex *Citrino oleo* & *Syrupo* addi; vel etiam ope parvi cujusdam torcularis, ex subtilissimis exterioribus *Citri corticibus succus oleaginosus* exprimi, isque cum *Sacchari pulvere* optimè permixtus, *Syrupo* artificiosè adjungi posset: Ità nimirùm ille & *sapore odoreque citrino* saturatè imbutus, alios vulgari modo præparatos *Syrupos*, multis parasangis supe-

superaret, & eximiis illis virtutibus, quæ ipsi attribuuntur, præ aliis superbiret.

Syrupus Cydoniorum.

℞. Succi Cydoniorum acidorum depurati & clarificati libras tres,
Sacchari albi libram unam semis.
Fiat Syrupus secundum artem.

Languidas & resolutas ventriculi vires recreat, nauseam & vomitum sistit, nutritionis instrumenta roborat, coctricem facultatem juvat, ac viscerum omnium vires instaurat, lienteriam, & alvi profluvium biliosum, aut dysenteriam hepaticam ex humorum acrimonia obortam, sedat ac cohibet: cibi appetentiam excitat, ejusque fastidium detrahit, malos succos, biliosos præsertim, concoquit, & expulsioni apparat.

Syrupus de Endivia simplex.

℞. Succi Endiviæ depurati libras octo,
Sacchari libras quatuor.
Coquantur, ut est artis.

Ad hepatis, & viscerum omnium intemperiem calidam frequentis est usus: sitis enim ardores inextinguibiles evincit, ac morbi lateralis initiis præcipuè convenit.

ANIMADVERSIONES

In Syrupum Cydoniorum & de Endivia simplicem.

Juxta modum præscriptum, aliorumque *Syruporum ex succis* confectorum commodè parantur.

Syrupus de Endivia Compositus.

℞. Endiviæ recentis,
Borraginis,
Scariolæ,
Hepaticæ,
Buglossi,
Melissæ,
Eupatorii,
Lactucæ ana manip. unum,
Quatuor sem. frig. major. ana unciam unam,
Florum Cordialium ana drachmas tres,
Santali albi,
Rubri ana drachmam unam.

Coquantur in aquæ fontis libris sex, secundum artem ad medias: deinde colaturæ adde

Succi Endiviæ depurati lib. quinque,
Granatorum uncias tres,
Sacchari albi libras quatuor.
Fiat Syrupus, ut est artis.

Præpotens est in magno præcordiorum incendio, nec non ventriculi & hepatis intemperie calidâ, febribus itidem biliosis & ardentibus adjumento est, obstructiones modestè liberat, ac urinas promovet.

Intybus vera copiosè nunc apud nos provenit studiosâ satione educata, caulibus quidem ac foliis Cichorio similis existens, sed iis tamen majoribus, pinguioribus, ac magis succulentis prædita.

Complures hujus Syrupi compositiones cùm circumferantur, nos usitatum hactenus Officinis nostris ejus parandi modum amplexati, descriptionem prioribus annis consuetam retinuimus: cùm quod ejus compositio nobis inter cæteras visa sit laudabilior, tum quod ei jam nostra manus assueverit. Ejus primus auctor extitit Gentilis, cujus tamen in hoc Syrupo structuram subsecuta posteritas nonnihil immutavit.

ANIMADVERSIONES.

Hic *Syrupus* meretur suas laudes, si dextra ejus fiat præparatio, quæ ex confectione superiori *Syrupi Magistralis Mindereri* petatur, id unicè observando, ne in *vase cupreo* paretur (*ob succum Granatorum acidum*) sed *terreo* potiùs, aut aliquando in eorundem defectu, *ferreo*, ceu cupreo minus nocivo; id quod in omnium *Syruporum*, quos *acidi liquores* ingrediuntur, præparationibus sedulò notandum, quod non potui, quin data occasione heic iterùm monerem.

Syrupus de Eupatorio Mesuæ.

℞. Rad. Apii,
Fœniculi,
Endiviæ ana uncias duas,
Glycyrrhizæ,
Schœnanthi,
Cuscutæ,
Absinthii,
Rosarum ana drachmas sex,
Capillorum Veneris,
Bedeguar, Spinæ albæ, seu Cardui Benedicti,
Suhahæ, Spinæ Ægyptiæ, seu Eryngii,
Florum Buglossi,
Sem. Anisi,
Fœniculi,
Eupatorii, seu Agerati ana drachmas quinque,
Rhabarbari,
Mastiches ana drachmas tres,
Spicæ Indicæ,
Asari,
Folii, vel ejus loco Spicæ Romanæ ana drachmas duas,
Aquæ fontanæ libras octo.
Coquantur ad tertiæ partis consumptionem:
Expressioni adde
Succi Apii libras duas,
Endiviæ libram unam,
Sacchari libras quatuor.
Coquantur secundum artem in Syrupum.

Optimus est in febribus diuturnis ac tertianis nothis, ex bile aut pituitâ crassâ, quæ jecoris aut lienis obstructiones parit, partesque nutritorias & concoctrices vires labefactat, ortum ducentibus: aperit, incidit, tenuat, tergit, & digerit: appetentiam excitat, coctionem firmat, robur ventriculi suscitat, hydropi succurrit, cacochymiam, & cachexiam emendat: vitiosos succos per urinas educit, intemperiem frigidam delet, flatus ventriculo aut jecori innatos dissipat, hypochondriorum dolorem, ac tensionem levat, atque adeò totius corporis corruptionem, quæ malè affectum ventriculum & hepar sequitur, expurgat.

Quoniam hoc loco de Eupatorio agitur, sciendum triplex id esse: Dioscoridis nimirum & Græcorum, quod est *Agrimonia*: secundum Mesuæ, quod est *Ageraton*: tertium Avicennæ, *Herba scilicet S. Kunegundis*: Eupatorium vulgare, seu Origanum Aquaticum.

Pro Folio, quo legitimo caremus, Spica Romana substituitur, utpote jecori præ Mace, quæ alioquin Folii locum supplet, familiaris: cum præsertim Syrupus iste hepatis obstructionibus ac debilitatibus, ab auctore sit destinatus.

ANIMADVERSIONES.

Consulantur supra hunc *Syrupum Animadversiones in Syrupum de Betonica compositum*, ex quibus videre est, quâ ratione etiam in hujus dextra præparatione procedendum sit.

Syrupus de Farfara.

℞. Succi Farfaræ depurati libras tres,
Sacchari clarificati libram unam semis.
Decoquantur in Syrupum.

Refrigerat, lenit & humectat: calidis ob id pectoris vitiis apprimè confert, tussi, pleuritidi, peripneumoniæ, ac phthisi salutaris, nec non catarrhis salsis, acribus & in pectus faucesque delabentibus perquàm idoneus.

Syrupus de Fragis.

℞. Succi Fragorum depurati, ac per colum transmissi libras tres,
Sacchari clarificati libram unam semis.
Fiat lege artis Syrupus.

Æstuosis febribus, ac internis incendiis convenit, calculos itidem atterit, urinas movet, & renum arenulas expurgat.

Syrupus de Fumaria simplex.

℞. Succi Fumiterræ depurati libras quatuor,
Sacchari clarificati libras duas semis.
Fiat Syrupus.

Aduſtos, ſalſos, ac retorridos humores concoquit, ſanguinem mundificat, obſtructiones expedit, ventriculum & jecur roborat, icterum extergit, ventrem lubricat, urinas prolicit, cutis vitia, utpote pruritum & ſcabiem aufert; demum ex viſcerum infarctu natas febres, præſertim verò bilioſas finit.

Compositus in Purgantibus requirendus.

ANIMADVERSIONES

In Syrupos de Farfara, de Fragis, & de Fumaria ſimplicem.

Horum, uti omnium *Syruporum ex ſuccis* ſimpliciter parandorum, una eademque eſt conficiendi ratio; quocircà ne diu in hiſce moremur, eorum præparatio ex ſuperioribus, qui ſunt de genere hoc, petatur.

Syrupus de Glycyrrhiza Meſuæ.

℞. Glycyrrhizæ uncias duas,
Capillorum Veneris unciam unam,
Hyſſopi unciam ſemis,
Aquæ libras quatuor.

Species prædictæ in aquâ priùs fervefactâ horis viginti quatuor macerentur, deinde decoquantur ad dimidias: colaturæ adde
Mellis deſpumati,
Penidiorum,
Sacchari ana uncias octo,
Aquæ Roſarum uncias ſex.
Fiat Syrupus ſecundum artem.

Thoracem, & pulmones expurgat: diuturnæ, itemque ſiccæ tuſſi, ac pleuritidi opem fert, aperit, dilatat, tergit, aſperam arteriam & partes ſpirituales lenit, eaſque ad materiam expectorandam confirmat: incipientibus thoracis affectibus frigidis & pituitoſis ſalubereſt; calefacit enim incidit, tenuat, expurgat, lenit & ſiccat, eaque omnia moderatiſsimè præſtat.

ANIMADVERSIONES.

Errores hujus præparationis & compoſitionis ex parte in *Animadverſionibus* ſupra *Syrupum Capillorum Veneris compoſitum* deteguntur, imprimis quoad *Saccharum Penidii, cum Saccharo communi & Melle deſpumato* addendum: Quàm incautè etiam & inutiliter *aqua Roſarum*, in ſecunda illa decoctione addatur, partim ex ejuſdem *Syrupi de Capillis Veneris*, partim etiam aliorum *Syruporum* (quorum compoſitionem odorifera ſimilia ingrediuntur) *Animadverſionibus* abundè patebit, ut ſupervacaneum & tædioſum cenſeam, eandem crambem toties recoquere. Ex quibus etiam legitimus hujus *Syrupi*, præparandi modus enitet.

Syrupus Granatorum Dulcium.

℞. Succi Granatorum dulcium libras quinque,
Sacchari albiſſimi libras duas ſemis.
Coquantur ſecundum artem.

Tuſsim hic Syrupus ſedat, excreationes promovet, humectando ſitim à ſiccitate profectam mitigat, ac pectus lenit.

Syrupus Granatorum Acidorum.

Paratur eodem modo, quo *Syrupus* Granatorum dulcium.

Refrigerat, & humectat: nauſeam ac vomitum bilioſum reprimit, & eſſentiæ ſuæ tenuitate obſtructa nonnihil liberat, ideoque febribus bilioſis plurimum auxilii adfert.

ANIMADVERSIONES

In Syrupum Granatorum Dulcium & Acidorum.

Præparatio *Syrupi Acetoſitatis Citri*, etiam horum *Syruporum* præparationem ad unguem demonſtrat, quæ ſuperius perluſtretur.

Syrupus de Succo Hederæ Terreſtris.

℞. Succi Hederæ terreſtris depurati libras tres.
Sacchari albiſſimi libram unam ſemis.
Coquantur ut eſt artis.

Ad

Ad internos abscessus cruenta, & sanio-sa sputa salubris, phthisi medetur, vasa rupta glutinat, apostemata purulenta mundificat & sanat: urinas menses, ac sudores promovet.

Quercetanus aliter Syrupum hunc nec minus dextrè præparat. Recipit enim succi Hederæ terrestris libras duas semis, Sacchari rosati libram unam, Penidiorum uncias quatuor, & sic in Syrupum percoquit.

ANIMADVERSIONES.

Paretur similiter uti alii *Syrupi ex succis simplices*. Quercetani præparatio, quæ fit cum additione *Sacchari Rosati & Penidiorum*, nobis non adeò perplacet, tùm quod *Saccharum Penidiatum*, (uti superiùs in *Animadversionibus* suprà *Syrupum de Capillis Veneris compositum*, item *de Glycyrrhiza* abundè demonstravimus,) inutiliter *Saccharo communi* substituatur, tùm etiam, quod *Saccharum Rosatum* absque singulari ratione illi addatur, quia *Saccharum Rosatum* saltem ex *pulvere flor. Rosar. rubearum & Saccharo simplici* confectum est; Si igitur hunc *Syrupum* virtute *Rosarum* imbuere velis, longè meliùs erit, *Rosarum siccarum & rubearum* certam quantitatem, cum *succo Hederæ terrestris*, parumper *spiritu Vitrioli vel Sulphuris* acuato, extrahere, & tandem addito *Saccharo Syrupum* conficere.

Syrupus Florum Hyperici.

Paratur ex triplici infusione, cum Saccharo, ut Syrupus de Borragine & alii consimiles.

Calculosis, ac renum dolores patientibus auxilio est, urinas movet, vermes enecat, nec non cordis cerebrique vires adauget.

ANIMADVERSIONES.

Cum *Syrupi* hujus præparatio cum *Syrupi florum Arantiorum* præparatione coincidat, proindè genuina ejus parandi ratio, ex *Animadversionibus* supra eundem factis, haud difficulter colligi poterit, quò benevolum Lectorem remitto.

Syrupus de Hyssopo Mesuæ.

℞. Hyssopi mediocriter sicci,
Rad. Apii,
Fœniculi,
Petroselini,
Glycyrrhizæ ana drachmas decem,
Hordei mundati unciam semis,
Tragacanthi,
Sem. Malvæ,
Cydoniorum ana drachm. tres,
Capillorum Veneris drachm. sex,
Jujubarum,
Sebesten ana numero triginta,
Uvarum passarum enucleatarum unciam unam semis,
Caricarum,
Dactylorum pinguium ana numero decem,
Aquæ libras octo.

Coquantur ad librarum quinque consumptionem:

Expressum cum Penidiorum alborum libris duabus in Syrupum percoquatur.

Utimur eo in morbis thoracis invalescentibus, ex frigida, crassa, & lenta materia natis, ubi attenuatione, detersione, ac expurgatione majore opus est, asthmaticos & tussiculosos juvat, obstructiones liberat, hypochondriorum dolori utilis, ac renum calculis salutaris.

Descriptio Mesuæ radices Petroselini non recipit: Nos autem aliorum quoque judicio suffulti, pro veteri consuetudine eas adjiciendas censemus.

ANIMADVERSIONES.

Plura futili ac inutili huic compositioni insunt, quæ si paulò accuratiùs rationis lance expendantur, deprehenduntur difficillimam, imò impossibilem reddere hujus *Syrupi* confectionem, ut jure meritò hùc trahi queant omnia illa, quæ superiùs *de Syrupo de Althæa* dicta & annotata. Etenim si ingredientium specierum proprietates exactiùs examinemus, certò inveniemus, neutiquam ex illis *Syrupum* confici posse,

posse, pauculis saltem exceptis, nimirùm *Hyssopo*, *radicibus Apii*, *Fœniculi*, *Petroselini*, *Glycyrrhizæ* & *herbâ Capillorum Veneris*, quæ quidem *decoctum* præbent crassum, in *Syrupi* tamen consistentiam facilè reducibile. *Iujubæ* verò, *Sebesten*, *Vvæpassæ*, *Caricæ*, *Dactyli*, crassum & viscosum (præsertim si diutiùs paulò, prout *fructus* desiderant, coquantur) efficiunt *decoctum*, quod difficulter ad *Syrupi* consistentiam redigi potest: *Tragacanthum* autem *semen Malvæ*, *Cydoniorum*, nihil in coctura præbent, nisi meram viscidam spissamque *mucilaginem*, talis horum tota est substantia, quâ ipsâ si imbuatur *decoctum*, evadet illud quantum quantum penitùs viscosum & mucilagineum, imò nil nisi *mucilago* ipsa; undè *Syrupum* eleganter transparentem (prout quidem in Officinis, ast fucatus æquè uti *Syrupus de Althæa Fernelii*, prostat:) conficere qui potuerit,

Talem vix repperit unum
Millibus è multis hominum consultus Apollo.

Non equidem me latet, quòd Pharmacopœi prædictas *species mucilaginosas* nodulo includant, ut ità præcaveant, quò minus earundem *mucilago* (quæ alioquin, non nisi vi ex sacculo exprimi potest:) in *decoctum* migret, verùm sacculo inclusa remaneat tota; Sed quæso, si *mucilago* illa, quæ tota prænominatarum rerum est *substantia* & *essentia*, *decocto* permisceri non debet, in quem finem ergò (dicat mihi quis) species illæ *decocto* adduntur? De *Penidio* nil dicam, quo cum specierum prædictarum *decoctum* in *Syrupum* percoqui præcipitur, quod ob nullam aliam causam *Sacchato communi* substituitur, quam ut precium *Syrupi* augeatur. Equidem meum nunc esset, insulsæ *hujus Mesues compositionis* genuinam præparationem subnectere, verùm cùm, uti dictum, impossibile sit, ex omnibus hisce *speciebus Syrupum* conficere, idcircò suadeo ut ex solo *Hyssopi succo*, *radicibus Apii*, *Fœniculi*, *Petroselini*, *Glycyrrhizæ* & *herbâ Hyssopi recenti*, juxta *Animadversiones Syrupi de Betonica simplicis* & *compositi*, *Syrupum* conficiant, qui hunc de *Hyssopo Mesues* longè antecellet.

Syrupus de Jujubis Mesuæ.

℞. Jujubarum num. sexaginta,
Violarum,
Sem. Malvæ ana drachmas quinque,
Capillorum Veneris,
Hordei mundati,
Glycyrrhizæ ana unciam unam,
Sem. Papaveris albi,
Melonum,
Lactucæ,
Cydoniorum,
Tragacanthi ana drachmas tres,
Aquæ fontis libras sex.
Coque ad tertias, & colaturæ adde
Sacchari libras duas.
Fiat Syrupus.

AD tussim siccam, arteriæ asperitatem, omnesque thoracis & spiritualium partium affectus à fluxionibus calidis ortum habentes, accommodatus, sputum tenue suo lentore maturat, incrassat, glutinat, & expectorat, Violato viribus affinis, sed minus refrigerat; eum Manardus ad vesicæ ulcera celebrat, ad quæ lentore dulci, frigido & mucoso, ideoque leniente, opus est.

SImplex fit ex Zizyphis centum, in Aquæ Cœlestis libris quatuor ad dimidias coctis, cum Sacchari librâ unâ. Utilis ad tenues in pectus destillationes, & sputum liquidius modicè incrassandum.

ANIMADVERSIONES.

IN *Syrupi* hujus reformatione operæ precium non est, ut diu nos moremur, quippè cum eandem, quam præcedens de *Hyssopo*, redoleat prosapiam, iisdemque, queis ille scateat erroribus; proindè, ne in immensam molem liber excrescat, easdem laudes & *Animadversiones* omni jure ipsi tribuo. Quod si inter hunc *compositum*, & de *zizyphis simplicem*, mihi daretur optio, postremum ego non sine ratione eligerem.

Syrupus de Limonibus.

℞. Succi Limonum maturorum per secaceum transcolati libras sex,
Sacchari albissimi libras tres.
Coquantur secundum artem.

Refrigerat, & acrimoniæ suæ vi penetrat: internis incendiis summoperè conducit, putredinem arcet, ac lumbricos enecat; cor & stomachum reficit, eorundemque vires tuetur: caloris febrilis vehementiam componit, affectibus biliosis magis quàm Syrupus de Citro conveniens.

In hujus Syrupi præparatione observetur regula circa succi expressionem in descriptione Syrupi Acetositatis Citri tradita.

ANIMADVERSIONES.

Hic *Syrupus* ubique locorum in Germania vices *Syrupi Acetositatis Citri* supplet, nec adeò inconvenienter, cùm *succus Limonum* à *succo pomorum Citriorum* parum aut nihil differat: undè etiam idem hic *Syrupus*, pro *Syrupo Acetositatis Citri*, in Italia ipsa, promiscuè divenditur, ubi tamen *poma Citria* affatim haberi possunt, sed quoniam multũ quidem in se habent *pulpæ* vel *carnis*, parùm autem continent *succi*, ideò ne Italis ipsis sufficiunt pro confectione *Syrupi*, in copia ibidem præscribendi. Cùm autem horum *pomorum succi*, in odore, sapore & virtute parum vel nihil discrepent, igitur etiam ambo sub eandem præparationem cadunt, & unâ eademque methodo *Syrupi* ex ipsis confici possunt.

Syrupus de Lupulo.

℞. Succorum depuratorum Lupuli libras quatuor,
Fumariæ libras duas,
Sacchari clarificati libras quatuor.
Fiat Syrupus secundum artem.

Ad jecoris intemperiem calidam, & bilis effervescentis impetum retundendum perutilis: sanguinem purgat, ejusque ebullitionem temperato calore compescit; biliosis insuper febribus, synochis, cephalalgiæ calidæ, internisque fervoribus confert, ictero perquàm idoneus.

Paratur quoque hic Syrupus ex solo Lupuli succo, prout Mesuæ cap. de volubili docet.

In hujus Syrupi confectione studendum, ut succus è primis emergentis Lupuli viticulis ac turionibus, seu asparagis, ante enata folia exprimatur, non autem cùm jam planta provectior in caules adolevit.

Syrupus de Succo Melissophylli.

℞. Succi Melissophylli, seu Citrariæ veræ libras tres,
Sacchari albi libram unam semis.
Coquantur in formam Syrupi,

Ad cordis vires reparandas efficax: lypothymias persanat, spiritus auget, ac pestilentium febrium malignitati adversatur; uteri insuper affectibus summoperè prodest, immunditiem eius expurgat, & menses moram trahentes ejicit.

Syrupus de Mentha Minor Mesuæ.

℞. Succi Menthæ depurati,
Granatorum dulcium,
Acidorum ana lib. unam,
Sacchari tantundem.
Coquantur paulatim secundum artem.

Commendatur in ventriculi intemperie frigida, ideoque vomitum, nauseam, & singultum sedat, ac alvi fluorem, retentricis facultatis imbecillitate subortum refrenat, stomachum quoque & ventrem inferiorem totum blando suo calore, lenique astrictione confortat.

ANIMADVERSIONES

In Syrupos de Lupulo, Melissophyllo, & de Mentha Minorem Mesuæ.

Non variant hi *Syrupi*, conficiendi modo, à *Syrupo de Betonica simplici*, ideò quæ de illo superiùs annotata, revolvenda sunt.

Syrupus de Mentha Major Mesuæ.

℞. Succi Cydoniorum acido-dulcium,
Dulcium,
Granatorum acido-dulcium,
Dulcium,
Acidorum ana libram unam semis,
In succis his horis viginti quatuor macera
Menthæ siccæ libram unam semis,
Rosar. rubear. uncias duas,
His adjungito
Vini antiqui mensuras duas nostrates, seu libras quatuor civiles.
Coquantur lento igne ad dimidias: postea colentur, addendo colaturæ
Sacchari libras duas.
Coquantur ad perfectionem: & cùm reposueris, aromatiza cum Galliæ Moschatæ veræ, tritæ & in sindone ligatæ, atque ex orificio vasis suspensæ, drachmis tribus.

Priore longè præstantior, sed multùm quoque pretiosior: in quo parando Mentha parum sicca sumenda est, quæ supervacaneam humiditatem suis flatibus ventriculum turbantem, deposuerit.

ANIMADVERSIONES.

Lepida sanè & ridicula, mox in frontispicio hujus *Syrupi*, sese offert *succorum Cydoniorum & Granatorum* alternatim permiscendorum variatio, quæ vix possibilis est, ut in Italia (quæ tellus illis aliàs vernacula est, maximè *Granatis*) ne dicam in Germania, utpotè in qua vel rarus vel nullus ob Solis aërisque inclementiam eorundem proventus est, habeatur. Neque etiam necessum arbitror adeò rigidè & præcisè differentias illas *succorum* trahere ad dextram hujus *Syrupi* confectionem. Etenim, quod ad *Cydonia* attinet, illa parùm quoad *aciditatem* & *dulcedinem* inter sese differunt, & ut plurimùm prout magis vel minus maturitatem adepta sunt, in sapore discrepant; *Granata* autem sive *fructus mali Punici*, manifestè inter se differre nullus diffiteor: Sed quæso nonne *sapor acido-dulcis* sive *dulcacidus* ex *dulci* & *acido* constituitur? Ad quid ergò sumptuosa quidem, ast inutilis illa, nec ullius momenti *succorum dulcium & acidorum* sigillatim addendorum farrago, si ex solis *acido-dulcibus Granatis succus* pro *Syrupi* hujus confectione exoptetur: Res sanè cachinno digna, etiam in levissimis illis, quæ vel cruda gens rustica, si judicium suum parùm saltem consuleret, ex facili suboleret, intempestivam suam curiositatem prostituere. Æquè perpera & absurda est illa *vini antiqui & generosi* additio, ex qua nil nisi majus precium viriumque major jactura, in *Syrupum* redundat; etenim ut jam superiùs ad ravim usque hortati sumus, ubi tantam liquoris copiam ante debitam *Syrupi consistentiam* acquirendam (qualis etiam hic exigitur) exhalare priùs oportet, ibi *vinum* maximè *vetus & fermentatum*, utpotè summè spirituosum, aliaque quorum virtus in subtilioribus & aëreis partibus consistit, quàm lentâ etiam cocturâ tractentur, frustrà adduntur; de quibus cùm in superioribus abundè satis dictum sit, ideò supervacaneum censemus prolixiùs hæc exaggerare. Legantur quæ mox sub auspicio hujus libri de præparatione dexteriori *Syrupi de Absinthio* annotavimus. Cæterùm quàm ineptè etiam illa de *Mentha parùm priùs siccanda*, pro supervacaneæ humiditatis suis flatibus ventriculum turbantis depositione, addita sit *Animadversio*, quisque facilè videbit, qui computum instituerit, quot libræ pro *Syrupi* hujus consistentia indipiscenda, liquorum, cùm *vini*, tùm *succorum* inutiliter debeant evaporare; maximè si *Syrupus* ad præscriptum modum præparandus sit. Præstabit tamen (ne tantam nobilissimarum virtutum, specierum ingredientium faciamus jacturam) hujus præparationem instituere ad modum *Syrupi de Absinthio*, aut aliorum similium, destillando nimirum partes spirituosiores, easdemque seorsim asservando; Tandem cum relicto in cucurbita *decocto colato, clarificato, & ad consistentiam cum Saccharo inspissato*, additâ etiam *liquoris spirituosi primum in destillatione egressi q. s.* unicâ ebullitione conficere *Syrupum*, oculis & palato gratissimum, & ad ventriculum roborandum efficacissimum.

Drachmæ illæ tres Galliæ Moschatæ, quas præpostere

posterè etiam in sindone ligatas & tritas, jam confecto *Syrupo* immittere præcipit Author, aut destillatione rostro Alembici imponantur, ità *spirituosa*, quæ in principio prodit *aqua*, omnem illarum eliciet *essentiam*, quæ alioquin à *Syrupo* jam perfectè ad crassitiem cocto, extrahi non posset.

Syrupus de Succo Mercurialis.

℞. Succi Mercurialis depurati libras tres,
Sacchari libram unam semis.
Coque in Syrupum.

Ejus usus ad enemata paranda olim frequens: alvum enim modestè subducit, biliosos & aqueos humores evacuans, uterum quoque impurum mundificat, & conceptioni habilem efficit.

ANIMADVERSIONES.

Si quis hunc *Syrupum*, in modum aliorum ex *succis* compositorum, conficere voluerit, per me licebit. Cæteroquin cùm usus hujus *Syrupi* solis Clysteribus & injectionibus inferioris gutturis destinatus sit, non adeò exquisita indigebit præparatione, & sufficiet si per simplicem coctionem paretur.

Syrupus Myrtinus Compositus Mesuæ.

℞. Baccarum Myrti drachmas viginti,
Rosarum rubearum,
Santali albi, & rubri,
Sumach,
Balaustiorum,
Berberum ana drachmas quindecim,
Mespilorum drachmas quinquaginta,
Succi pomorum agrestium,
Cydoniorum ana libram semis.
Omnia, exceptis succis, coquantur in aquæ fontis libris octo ad medias: colentur, & cum Sacchari libris tribus, additis in fine succis,
Fiat Syrupus.

Efficax ad thoracis & pectoris affectus, ubi contraria indicatio difficultatem parit, ac adstringentibus simul & vacuantibus utendum est, ut in hæmorrhagia, pulmonum tenui, & calidâ tussi; ventris etiam profluvium tranquillat, hæmorrhagiam omnem, utpote pectoris, renum, uteri, ac abundantia menstrua cohibet, diabetem reprimit, & omnem immodicam vacuationem sistit; quia refrigerat, siccat, & adstringit, viscera ab intemperie calida resoluta confirmat, ventriculi subversionem & vomitum compescit, ac tussim quæ diarrhœam sequitur, exterminat.

Commodissimè paratur hic Syrupus autumnali tempore, quando Mespila matura quidem, sed duriuscula adhuc, nec temporis morâ vel diuturniore situ remollita prostant.

Syrupus Myrtillorum simplex, seu ex succo, nostris non est in usu, cum his locis parari nequeat, nisi quis succum Myrtillorum ex Italia, aut Gallia Narbonensi petere voluerit; quantumvis nostri quoque Myrtilli vulgò Heydelbeer *ad hunc usum maximoperè celebrentur & traducantur.*

Syrupum hunc Myrtinum compositum, alioquin diminutum & mancum, Clarissimus D. D. Adolphus Occo Officinarum Pharmaceuticarum hujus Reipub. quondam Visitator Ordinarius, è tenebris penè eruit, ac integrum restituit.

ANIMADVERSIONES.

Cum hic *Syrupus* maximam partem, ex meris *adstringentibus* conflatus sit, ab eoque sola *vis adstrictiva* exoptetur, proindè absque ulteriori labore, per *simplicem coctionem*, satis commodè parari poterit; Eò quòd in residua hujus *decocti* aliarumque similium *stipticarum* rerum parte terrestriori, resideat *vis adstringendi*, non verò in *aqua* ab iisdem *destillata*: In vanum itaque laborant, ac veluti ex inanibus paleis trituram frumenti facere nituntur, qui ex rebus *adstringentibus* (loquor autem de *Vegetabilibus*) insigni & curiosâ solertiâ destillatis, sibi singulares *aquas stipticas* pollicentur, utpote quâ virtute *adstrictoriâ*, *aqua* earundem rerum *destillata*, penitùs orbata, & sola remanentia terrestrior, uti dictum, impræegnata est.

Syrupus Nephrocatharticus Jouberti.

℞. Quinque Radicum aperientium ana uncias duas,
Rad. Raphani sylvestris,
Ononidis,
Bardanæ,
Ericæ,
Rubi,
Eryngii,
Levistici,
Rubiæ majoris ana unc. unam.

Macerentur contusæ in aceto vini albi per diem naturalem: postea accipe
Calami Aromatici,
Cyperi,
Asari,
Rad. Valerianæ,
Althææ,
Cort. radicis Capparis,
Citri sicci ana unciam semis,
Saxifragiæ cum radicibus,
Plantaginis cum radicibus ana manip. duos,
Summitatum Malvæ,
Parietariæ,
Urticæ,
Asparagi,
Betonicæ,
Pimpinellæ,
Quinque Herbar. Capillarium,
Nasturtii,
Sisymbrii aquatici,
Berlæ, id est, Sii, seu Laveris,
Crethæ marinæ,
Fragariæ ana manip. unum,
Pulpæ Passularum minorum,
Jujubarum,
Sebesten,
Glycyrrhizæ rasæ ana uncias duas,
Caricarum pinguium numero triginta
Granorum Halicacabi,
Juniperi ana num. viginti,
Quatuor Seminum frig. majorum,
Minorum,
Sem. Milii Solis,
Urticæ,
Ocimi ana unciam semis,
Carui,
Dauci,
Seseleos ana drachmas duas,
Florum Cordialium,
Genistæ,
Hyperici,
Matrisylvæ ana pugill. unum.

Coquantur in sufficienti quantitate decocti hordei, addito aceto infusionis radicum. Libris quatuor colaturæ adde
Succi Limonum libram unam,
Sacchari & Mellis despumati ana libras duas.

Fiat Syrupus, qui aromatisetur,
Cinamomi uncia una,
Nucis Moschatæ uncia semis.
Reponatur in usum.

Laboriosa est hujus Syrupi confectio, ejus tamen usus apud nos increbuit, ob eximias vires quibus in cienda remorante urina, renibusque à sabulo liberandis, pollet: calculos enim atterit, arenulas expurgat, urinarios meatus patefacit, & mundificat, renum, ureterum, ac vesicæ obstructiones liberans. Datur commodissimè cum decocto Herniariæ, aut Cicerum rubeorum.

Raphanus sylvestris intelligitur Mörrettich/ vulgo Krien.

Erica, herbula est fruticosa, Tamarisco haud absimilis, folia tamen habens minora, magisque viridia, quæ nostris Heyden/ dicitur.

Rubia, Erythrodanum est Dioscoridis, radix nostris Officinis plùs satis cognita, vulgo Ferberröth nominata.

Sisymbrium, Nasturtium est aquaticum, vulgo Brunnenkreß.

Berle, Gallicum est vocabulum, significans apud nos Apium palustre, seu Sium, vel Laver Dioscoridis, quæ planta vulgari idiomate Wassermerck appellatur.

Cretha marina, quæ & Salsa marina Officinis dicitur, Crithmi seu Crithami est species, quæ nostris Meerfenchel/ Bacillenkraut & Meerpeterlein nominari consuevit. Aliquibus Empetrum marinum, quod tamen Empetrum verum non est, ejus tamen loco Empetrum verum, seu Herniaria Hollerii rectè substituitur.

De Matrisylva difficultas hîc oritur, cùm variæ plantæ hoc titulo indigitari soleant: utpote Sclarea illa albicans & sylvestris, itemque Stellaria vocata herba, quæ & Matrisylva vulgaris, alioquin Spergula dicta, Germanis **Sternleberkraut**/itemque Periclymenum, seu Caprifolium Germanicum, cujus flores hoc loco accipiendos omnino censemus, cùm planta hæc potentissimè urinas moveat, grumosumque sanguinem, ac alias in urinariis meatibus collectas impuritates expellat.

QVamvis Syrupi hujus confectionem antiquitas nostra ob eximias vires commendaverit, ejus tamen usus apud nos jam evilüit.

ANIMADVERSIONES.

INgentem & inconcinnam *Syrupi* hujus, ingredientium farraginem, quisquis miraretur potiùs, quàm ut eandem vel verbulo commendare dignaretur; quippe quæ vel primo statim intuitu Lectorem, nedum illum, qui *Syrupum* ex iis parare debet, tædio afficit: Ultrà hoc sanè parùm perspectè *pulpas Passularum, Jujubarum & Sebesten* adjicit Author, ignorans *pulpas in Syrupum* reduci non posse, & inter illas omnium minimè, quæ *viscida* sunt, quales præbent *Sebesten* & *Jujuba*: Præterea, satis mirari nequeo summam Authoris in præscribendis *granis Juniperi* cautelam, quorum quantitas adeò exigua huic compositioni inest, ut supposito totum compositum continere triginta tres doses, (℥ *LXVI. nimirum*) ac ità ℥ ij *Syrupi* sumendo pro unaquaque Dosi, quælibet Dosis vix virtute *dimidii grani Juniperi* gaudeat, quæ tamen *grana Juniperi*, inter potissima reponi merentur, à quibus *Syrupus* hic *virtutem Nephrocatharticam* sortiatur; Nec minùs inconvenienter Author hujus compositionis *species ingredientes omnes*, in *decocto hordei* coquere jubet, nescius, quòd *hordeum*, si diutiùs coquatur (prout necessum est, si virtutibus ejus *decoctum* imprægnari debet) *cremorem* præbeat, ad *Syrupi elegantis* confectionem, nullo modo conducibilem; Et ponamus, recipi *decoctum hordei clarum, perspicuum & optimè defæcatum*, haud benè tamen & illud adhiberetur, cùm parùm ampliùs de virtutibus *specierum præscriptarum*, extrahere posset, eò quòd jam tùm saturatè imbutum sit virtute ipsius *hordei*; quod manifestum & palam fit in quibuscunque solutionibus & extractionibus, sive illæ fiant cum *Spiritu vini, aceto destillato, aquâ destillatâ vel simplici* aut quovis alio liquore vel menstruo, ad extractiones rerum usurpari solito. Tangenda etiam essent illa, quæ pro *Aromatisatione* sub finem adjiciuntur, verùm cum usus hujus *Syrupi* apud cordatos Medicos jam dudum eviluerit, idcircò brevitatis gratiâ, missa hæc facio, nec aliam meliorem præparationem addo, cùm vix credam ullum reperiri, qui eam desideret. Si quis tamen hunc *Syrupum* conficere velit, ille imitetur præparationem *Syrupi Magistralis Mindereri vel Acetosi compositi*, secundùm nostrum indigitatum modum, omissis autem *pulvis, ipsæ Passulæ Jujubæ & Sebesten* accipiantur.

Syrupus de Nymphæa simplex Nicolai.

Fit ex trinâ florum Nymphææ albæ infusione, prout Syrupus Rosatus.

INsigniter refrigerat, somnum allicit, viscerum æstus mitigat; Veneris insomnia cohibet, semen immodicè fluens restringit, sitim temperat, ac febrium ardores compescit.

ANIMADVERSIONES.

A*Nimadversiones* suprà *Syrupos* ex *infusionibus florum Arantiorum, Buglossæ, &c.* confectos, hîc consulantur.

Syrupus de Nymphæa Compositus Francisci Pedemontani.

℞. Flor. Nymphææ albæ uncias duas,
Citrinæ,
Psyllii integri,
Sem. Acetosæ ana unciam unam,
Quatuor frigid. major. ana unciam semis,
Minor. ana drachm. duas.
Rad. Fœniculi unciam unam.
Coquantur in aquæ hordei libris quatuor ad medias: colaturæ addantur

Sacchari libra una,
Succi Granatorum acidorum,
Aceti albi ana unciæ duæ.
Fiat Syrupus qui aromatiſetur cum
Santali Citrini,
Spicæ Indicæ ana drachmâ unâ ſemis.

Valet ad bilioſarum vehementiumque febrium æstus, dolores à bile procreatos, & capitis fervores, inſomniam levat ſitim extinguit, ac potenter refrigerat & humectat.

Deſcribitur hic Syrupus à Pedemontano in Cap. de calidâ intemperie hepatis ſimplici & compoſita, additurque ei Spica, ne ſuâ frigiditate facilè obſtructiones pariat.

ANIMADVERSIONES.

Neque hic *Syrupus* ſuis caret difficultatibus, quas non levidenſes creat illi, qui ipſum paraturus eſt: Etenim pleraque ingredientia ita nata ſunt, ut in coctura *mucilaginoſum & viſcidum* adeoque ad *Syrupum* conficiendum inutile ferè reddant *decoctum*, ut ſunt potiſſimum *ſemina illa quatuor frigida minora, Pſyllium, &c.* qualem *decocti* lentorem & viſciditatem tùm maximè promovebit *decoctum hordei*, quo ſpecies decoqui jubentur. *Corrigentia* quod ſpectat, *ſcilicet Santalum Citrinum & Spicam Indicam*, illa ſub finem demùm jam confecto *Syrupo* addita, parùm de ſua vi aromatica eidem impertient, ob rationes antea multoties allegatas; Quæ ipſa etiam ſi unà cum *decocto* coqui debent, vires ſuas in tenuiori & aërea ſui particula conſiſtentes vel levi coctura amittent. Suaſor itaque ſum, ut qui *Syrupum* hunc anxiè expetit, ipſe aut magis concinnam ejus ſibi efformet compoſitionem, aut vice hujus, *Emulſionem ingredientium ſeminum*, ope *decocti florum Nymphææ & radicum Fœniculi*, confici curet, cui *Saccharum, acetum & ſuccum Granatorum* ultimò addat. Vel imitetur modum noſtrum, in *Syrupi Acetoſi compoſiti* præparatione commendatum; Videat autem, ne in coctura *decoctum* mucilaginoſum reddat, ſed iteratâ clarificatione, quantum poteſt, tenue efficiat.

Syrupus de Papavere ſimplex Meſuæ.

℞. Capitum Papaveris albi & nigri recentium & cum ſeminibus ana uncias ſeptem & ſemis,
Aquæ pluvialis libras octo.
Decoquantur ad remanentiam libræ unius & dimidiæ: cui adde
Penidiorum,
Sacchari ana uncias quatuor.
Fiat Syrupus, ut eſt artis.

Uſu creber, arcendis defluxionibus calidis, tenuibus, & acribus in thoracem ruentibus, quæ aſperam arteriam fauceſque exaſperant & vigilare cogunt, proinde tuſſim ex defluxionibus iis enatam pellit: lentore autem ſuo gutturis aſperitatem lenit, caloris incendium mitigat, ſitim explet, ſomnum conciliat cùm propriis viribus, refrigerando nimirum & humectando, tum ex accidenti, ſedatâ videlicet tuſſi, quæ inſomniam parit.

ANIMADVERSIONES.

Sufficiet hunc *Syrupum* ſolâ cocturâ paraſſe, id unicè cavendo, ne mucilagineum evadat *decoctum*, quale *Papaveris capita* etiam præbere aſſolent, ſi diu coquantur; *Saccharum Penidii*, quàm inconſideratè addatur, ex ſuperioribus noſtris *Animadverſionibus* abundè patebit.

Syrupus de Papavere Compoſitus Meſuæ.

℞. Capitum Papaveris albi & nigri cum ſuis ſeminibus ana uncias ſex & drachmas duas,
Capillorum Veneris drachmas quindecim,
Glycyrrhizæ drachmas quinque,
Jujubarum numero triginta,
Sem. Lactucæ uncias quinque,
Malvæ,
Cydoniorum ana drachmas ſex,
Coquantur in libris octo aquæ, ultra medietatis conſumptionem:
Poſtmodùm accipe
Colaturæ libras tres,

Penidiorum,
Sacchari ana libram unam.
Fiat Syrupus.

AD prædicta efficacior, potentiùs somnum conciliat & refrigerat, catarrhum, tussim siccam & phthisim sedat: alvi etiam profluvio, ac dysenteriæ, quæ ex materiæ acris & biliosæ effluxu excitatur, medicatur, intemperiem calidam & siccam intestinorum emendat.

MEsuæ in utroque hoc Syrupo aquæ tantummodò libras quatuor recipit, veruntamen quia portio hæc liquoris nimis parca extiterat, ideo eandem duplicandam esse censuimus. Quem præparandi modum à multis jam annis communi collegii voto observavimus.

Parandi norma hæc est: ut capita Papaveris horis viginti quatuor ante coctionem in prædictâ aquæ quantitate macerentur: Postmodùm autem semina mucilaginosa in linteum ligata inter coquendum ipsi Syrupo, ut facultates ei suas tradant, immergantur; alioquin enim mucilagines Syrupum glutinosum ac ingratum redderent.

ANIMADVERSIONES.

POsset hic *Syrupus* similem in modum, uti præcedens, solâ coctione parari, nisi ingens illa *seminum mucilaginosorum* adjecta copia, præparationem ejus legitimam, penitùs præpediret, utpotè è quibus virtus nulla extrahi potest, nisi simul extractâ *mucilagine*, in qua omnis earundem consistit vis & efficacia; Quâ tamen (quod sæpiùs superiùs innuimus) si imbuatur *decoctum*, omninò ineptum redditur, ut pro *Syrupo* conficiendo Pharmacopœo inservire possit; Propterea nil quicquam prodest futilis illa admonitio, quâ *semina mucilaginosa* linteo illigata & inclusa, inter coquendum, *decocto* immergi jubentur, ut eâ ratione exitus *mucilagini* prohibeatur.

Syrupus de Papavere Erratico, quod aliis Papaver Rhœas dicitur.

Fit ex trinâ florum infusione, ut Syrupus Rosatus simplex, vel de Borragine: quamvis ex succo quoque parari queat.

AD ardentium febrium vehementes æstus adhibetur, quorum incendia potenter extinguit, ac calores efficaciter mitigat, vigiliasque arcet; calidis præsertim pectoris malis, utpote peripneumoniæ, acribus destillationibus faucium inflammationibus, ac pleuritidi, cui à proprietate quàm maximè prodesse creditur, salutaris existit.

Syrupus Florum Paralyseos.

Paratur ex repetitâ florum infusione, ut præcedens.

FRigidos nervorum, ac cerebri morbos egregiè curat. Datur convulsis, tremulis, & paralyticis: cordis etiam vires tuetur, ac oris ulcera persanat. Atque in eundem usum Mel quoque simili modo paratum prostat.

Syrupus de Pæonia.

Et hic quoque Syrupus eodem modo, quo antecedentes jam dicti, ex florum triplici infusione parandus, quamvis aliqui ex ipso florum succo eundem conficiant.

EPilepsiæ, convulsionibus, ac spasmo auxiliatur: comitialis morbi insultus frangit, menses ducit, uterinis quoque affectibus conducit.

Syrupus de Pilosella seu Hispidula Renodæi.

℞. Summitatum floridarum & recentium Pilosellæ libram unam.

Infundantur per horas duodecim, in libris quinque aquæ calentis, deinde lento igne bulliant: abhinc colaturæ libris quatuor adde
Sacchari libras tres.
Coquantur ex arte in Syrupum.

AD plurimos pulmonis affectus depellendos maximè idoneus, ejus enim vulnera sanat, & ulcera retardat. Exhibetur potissimùm iis, quibus à capite aut aliis partibus in thoracem fit defluxio, & quibus pulmones pituitoso humore multo infarciuntur: siquidem humoris irruentis impetum cohibet, fluxum coquit, partem affectam roborat, ac expectorationem movet.

ANIMADVERSIONES

In Syrupum de Papavere Erratico, Florum Paralyseos, de Paonia, de Pilosella seu Hispidula Renodai.

OMnes hi *Syrupi*, ut alii, *ex Florum infusionibus* facti parentur, de quibus supra actum fuit.

Syrupus de Succo Plantaginis.

℞. Succi Plantaginis defæcati, ac diligenter per colum trajecti libras tres,
Sacchari albi libram unam semis.
Coquantur, ut est artis.

UTiliter internis vasorum disruptionibus adhibetur: proinde cruentis sputis, ac renibus sanguinem fundentibus auxilio est, dysenteriam quoque, hæmorrhoidas, & menses nimium fluentes reprimit ac restringit, internosque sinus glutinat.

ANIMADVERSIONES.

HUjus præparandi modus diversus non est, ab aliorum *Syruporum* præparationibus *ex succis* factis, de quibus satis superque superiùs egimus, ut non opus sit peculiarem ejus confectionem hîc adscribere.

Syrupus de Pomis simplex Mesuæ.

℞. Succi Pomorum dulcium,
Acidorum ana libras quinque.

Cocti & despumati succi ad dimidias, biduo residere permittantur: tum colentur, & cum Sacchari libris tribus fiat Syrupus.

COr imbecillum roborat, syncopen & cordis palpitationem juvat, ac omnibus cordis affectibus ab atrâ bile succurrit: ventriculum firmat, sitim sedat, febribusque biliosis auxiliatur, cor, & facultates ejus omnes sopitas excitat, ac lætitiam inducit.

E Dulcibus eligenda sunt sapidissima, ex acidis quæ vinosa dicuntur, nostris Weinling aut Beyöpffel: quæ integra, hoc est, cum corticibus exprimenda, quod saporis vis in iis contineatur, cujus ratione cor mirificè corroborare creduntur. Alium Syrupum de Pomis ad Electuarium Alkermes parandum requisitum describit Joubertus, qui sequitur.

ANIMADVERSIONES.

SImpliciter modo præscriptio, vel ad modum aliorum *Syruporum ex succis confectorum*, & hic *Syrupus* parari potest.

Syrupus de Pomis ad Confectionem Alkermes Expetitus.

℞. Setæ succo Granorum Kermes tinctæ libram unam.

Infunde eam in succi Pomorum dulcium & aquæ rosarum ana librâ unâ semis: stent in infusione per horas viginti quatuor, postea simul bulliant, dum aqua rubescat. Deinde cola, & exprime, expressumque cum Sacchari albi unciis octodecim & drachmis sex in Syrupi consistentiam percoque.

Observetur hîc regula in Prolegomenis circa vasa tradita: debent enim hi succi nunquam in vase æreo, stanneo aut ex aurichalco confecto pro biduanâ residentiâ asservari, sed vel in lapideo aut saltem testaceo vitreato: alioquin statim æruginem sapiunt, noxamque ingentem contrahunt.

Compositus, qui Regi Sapor adscribitur, inter purgantes requirendus.

ANIMADVERSIONES.

ADeò inepta est & ridicula hujus *Syrupi*, pro tam nobili & quam nunc omnis orbis loquitur, *confectione*, præparatio, ut vix ullam invenire queam, quæ illam ineptiis superet. Quæ enim dementia est, ubi *res ipsa* æquè commodè haberi potest, *aliam aliquam* ejusdem colore leviter tinctam sibi eligere, eidemque præferre? Quod tamen in præsens fecisse videntur, qui ad præfatam *compositionem Setam granis Kermis tinctam*, illis ipsis *granis* (quæ tamen affatim ubique ferè locorum prostant, & *quorum uncia una* plùs in se continet *tincturæ*, quàm *Setæ tinctæ integra libra*) nescio quo jure, quaque injuriâ prætulerunt; Taceo, quòd *Seta illa* vel potiùs *Sericum*, rarò *succo* vel *tincturâ solâ & sincerâ granorum Kermes* imbutum,

imbutum, sed utplurimum *rebus alienis* à tinctoribus adulteratum sit; Addo, quod *Seta* sive *Sericum*, *succo vel tinctura granorum Kermes tinctum*, ingens saltem huic *confectioni* addat precium. Miror porrò insignem illorum in *Saccharo* parsimoniam, dum *unciis novendecim Syrupo huic* destinatis, *drachmas duas* detrahant; Et libens vel unicam saltem rationem scirem, quare *tinctura illi coccineæ*, vel *libræ uni Setæ tinctæ*, plùs minusve non debeat addi *Sacchari, quàm* ℥ *xviij* & ℥ *vj*, & cur *drachmæ duæ* decurtandæ, nec *unciæ illæ novendecim integræ* huic *Syrupo* impendendæ sint? cum tamen aliàs in additione frustraneâ *rerum aromaticarum* adeò liberales sint, ut mirari subeat tantam illorum prodigalitatem, quam ipsam etiam in hac *confectione* denuò ostentant exemplo *aquæ rosarum fragrantißimæ*, quam æquè ac si nihil illis constaret, unâ cum *succi pomorum* portione aquea, in auras avolare permittunt: Verùm ne diutiùs in nugis illis ventilandis calamum moremur, aliam eamque magis concinnam præparationem subnectamus, quæ talis esto.

℞. *Granorum Kermes* ℥ *j*,
Infunde ea in
Succi depur. & clarif. Pomor. dulc. ℔ *j.*
addendo
Olei Tartari per deliq. aliquot guttulas.

Peractâ digestione unaque vel alterâ ebullitione fiat colatura, *granis residuis* adhuc *dimidiâ librâ succi* itidem *pauculis guttulis olei Tartari* acuati reaffusâ, reiterataque post aliqualem digestionem vel levem coctionem colaturâ, cui adde

Sacchari albißimi vel clarificati ℔ *j* ß,

& ad *Syrupi consistentiam* in vase terreo percoque. Hunc si *Rosarum* odore imbuere velis, *Elæosacchari Rosarum* ℥ *ij.* aut plus minusvè, prout intensiorem vel remissiorem *odorem rosaceum* exigis, illi adde, sicque optimè reconditum usui asserva.

Syrupus de Portulaca Mesuæ.

℞. Sem. Portulacæ libram semis,
Succi Endiviæ cocti & depurati libras duas,
Sacchari libram unam,
Succi Granatorum acidorum uncias novem.

Tritum semen in succo Endiviæ macera viginti quatuor horis, postea lento igne coque ad dimidias: demum cum Saccharo percoque in Syrupum.

Potenter refrigerat, sitim inexhaustam sedat, febrium ardores, ventriculi & jecoris calidam intemperiem moderatur. Eo efficaciter utimur ab lumbricos, & interaneorum animalia expellenda, cortice Citri indito.

ANIMADVERSIONES.

Nisi quis *aquâ ex succo Endiviæ*, aliàs per destillationem parari solitâ (quæ tota in hujus *Syrupi* præparatione exhalare debet) opus habuerit, poterit eundem ad modum præscriptum absque destillatione conficere; Consultiùs autem foret, *ad* ℔ *ij. aquæ* per destillationem abstrahere, & unà cum *Syrupo* exhibere.

Syrupus de Prasio Mesuæ.

℞. Prasii, seu Marrubii non adeò sicci uncias duas,
Glycyrrhizæ unciam unam,
Capillorum Veneris,
Hyssopi parum sicci ana drachm. sex,
Calaminthæ,
Anisi,
Rad. Apii,
Fœniculi ana drachm. quinque,
Ireos.
Sem. Malvæ,
Fœnugræci ana drachmas tres,
Lini,
Cydoniorum ana drachm. duas.
Passularum enucleatarum unc. quinque,
Caricarum pinguium numero sedecim:

Coquantur in aquæ puræ libris decem ad dimidias: expressioni adde
Penidiorum,
Mellis despumati ana libras duas.
Fiat Syrupus.

Ad longos & diuturnos thoracis affectus, tussim anhelam, senibus & frigidis naturis familiarem, ex crassa, frigida, viscida & lenta materia perquam salutaris, asthmaticis prodest, suppuratorum pus egregiè dissolvit, dissecat, & incidit, tergit, educit, & in apertum promovet. Variam componendi rationem require apud Foësium.

ANIMADVERSIONES.

AD tædium usque hactenùs demonstratum est, *semina Malvæ, Fœnugræci, Lini, Cydoniorum*, ob *mucilaginem meram*, quâ *decoctum* imbuunt, inepta esse ad conficiendos *Syrupos elegantes, justæ consistentiæ, gratique coloris & saporis*, quales quidem ab omnibus, non Pharmacopœis solùm, sed ipsis etiam Medicis, expeti probè novi. Quibus *mucilaginosis seminibus* si destitueretur hæc *Mesues compositio*, & ad normam aliorum *Syruporum* per destillationem pararetur, citiùs fortè inde *Syrupus* componi posset, ad effectus ipsi attributos edendos, longè aptior, utpotè quorum *visciditate*, vis ejus dissolvendi, incidendi & detergendi, lentamque ac viscidam materiam peccantem attenuandi & educendi; planè obtunditur aut annihilatur.

Syrupus de duabus Radicibus.

℞. Rad. Petroselini,
Fœniculi ana uncias quatuor,
Aquæ libras quinque.
Coque ad medias: colaturæ adde
Sacchari albissimi libras duas.
Fiat Syrupus.

Obstructiones viscerum levat, humorum crassitiem extergit, purgat & tenuat: urinas promovet, febres compositas & nothas adjuvat, ventriculum bile ac pituitâ refertum allevat, renum, lienis & jecoris infarctus penetrat.

Syrupus de quinque Radicibus Mesuæ.

℞. Rad. Apii,
Fœniculi,
Petroselini,
Asparagi,
Rusci ana uncias duas,
Aquæ fontis libras sex.
Coquantur ad tertiæ partis consumptionem: expressum coquatur denuò cum
Sacchari libris tribus:
Addendo ad finem
Aceti albi uncias octo.

Humorum lentitiam incidit magis, & aparat, obstructuque potentiùs allevat, ad omnia prædicta efficacior.

ANIMADVERSIONES

In Syrupos de duabus & de quinque Radicibus.

PArentur quocunque modo libuerit, vel beneficio simplicis *coctionis*, vel (quod meliùs fortè) *destillatione & abstractione partium tenuium, in spiritu volatili consistentium*, & à prima destillatione asservatarum, quæ ultimò *Syrupo vel Saccharo ad Tabulati consistentiam cocto* admisceri possunt, prout in aliis apertè satis docuimus. Possemus etiam in præparatione *Syrupi de quinque radicibus* imitari modum in *Animadversionibus* nostris super *Syrupum Acetosum compositum* commendatum, destillando nimirùm species inter initia cum solo *aceto destillato* infusas.

Syrupus de Ribes.

℞. Succi Ribes depurati libras tres,
Sacchari libram unam semis.
Fiat ex arte Syrupus.

Incendio febrili salubris existit, excalefacta viscera acoris sui jucunditate plurimùm recreat, sitim sedat, nec non cholera, cardiacisque succurrit.

ANIMADVERSIONES.

TRahatur huc præparatio *Syrupi Cerasorum acidorum*, observatis simul *Animadversionibus* super eundem factis, quæ benevolus Lector, pro libitu revidere poterit.

Syrupus Rosatus simplex.

℞. Rosarum rubearum recentium libras quatuor,
Aquæ puræ calentis libras sedecim.

Stent in infusione per horas viginti quatuor, tum rejectis prioribus rosis totidem recentes sumantur, ac reiteretur id tertiùm: deinde colati singulis libris quinque addantur Sacchari libræ quatuor.

Fiat Syrupus.

Abstergit, aperit, lenit, ac concoquit: bilem crudam, & humores pituitosos febrium fomitem obtinentes, expulsioni apparat, alvumque molliorem reddit.

ANIMADVERSIONES.

Cum in hoc *Syrupo vis* (uti apparet) *solutiva* maximè exoptetur, confici poterit juxtà modum præscriptum, *trinâ* videlicet *florum infusione*, ac *forti* singulis vicibus *reiteratâ expressione.*

Syrupus de Rosis siccis.

℞. Rosarum rubrarum exsiccatarum libram unam.

Infundantur in aquæ calentis puræ libris sex, horis viginti quatuor, infusionem hanc reassumptis semper novis rosis triplicando: Tandem in expressione dilue Sacchari albissimi libras tres.

Coque ex arte in Syrupum.

Ad omnem alvi fluorem sistendum commendatur, cœliacos, lientericos, ad dysentericos probè juvat, partes internas roborat, ulcera detergit, ac glutinat: vomitum compescit, nec non uteri rheumatismum cohibet.

ANIMADVERSIONES.

Modus parandi priorem *Syrupum*, etiam huic convenienter applicari potest: in eo enim hi duo *Syrupi* solummodò discrepant, quod in ipso *vis solutiva*, in hoc verò *stiptica* magis exoptetur, quæ ambo in *terrestriori Rosarum parte* consistunt.

Syrupus de Rubo Idæo.

℞. Succi baccarum Rubi Idæi diligenter transcolati libras tres,
Sacchari albi libram unam semis.
Coque in Syrupum.

Febrium æstus mitigat, cordis defectiones arcet, lypothymias fugat, alvum blandè adstringit, ob id diarrhœæ & dysenteriæ, biliosisque alvi fluxionibus opitulatur: cordis insuper vires supra gemmas, ac uniones tutatur & auget.

Syrupus de Scabiosa.

℞. Succi Scabiosæ defæcati libras tres,
Sacchari libram unam semis.
Coque in Syrupum.

Pectoris noxis plurimùm prodest, & anhelam senum tussim sublevat, pleuritidi confert, malignis febribus resistit, ac apostemata dissolvit, & repurgat.

ANIMADVERSIONES

In Syrupos de Rubo Idæo, & de Scabiosa.

Parentur ut alii *Syrupi* ex consimilibus *succis* confecti, de quibus superiùs.

Syrupus Scelotyrbicus.

℞. Succi Nasturtii aquatici,
Becabungæ ana libram semis,
Fumariæ,
Lupuli ana uncias tres.

Ferveant simul, ablataque spumâ depurentur per residentiam.

℞. Succi hujus libram unam, uncias quatuor.

Decoque cum Sacchari clarificati unciis octo, lento igne ad Syrupi consistentiam.

Scorbuto inprimis medetur, ejusdemque Symptomata varia mitigat, lienis, & venarum mesaraicarum obstructiones aperit, erosioni oris, & gingivarum mirificè prodest.

ANIMADVERSIONES.

CUm virtus *plantarum Antiſcorbuticarum* potiſſimùm reſideat in ſpirituoſa earundem parte, ſeu potiùs *Sale volatili*, vel ſi mavis in *ſpiritu volatili ſalino*, qui levi etiam ignis calore concitatus ſibi fugâ conſulere, ac Dædaleis veluti remigiis aëra petere ſolet, ut adeò ſedulâ obſervantiâ heîc opus ſit, ne is *diuturniori coctione* in auras pellatur; ſecùs enim *Syrupum* viribus truncatum nanciſcereris. Præſtabit itaque à *ſuccis*, priuſquam *coctioni* ſubdentur, eorundem *partium ſpirituoſiorum uncias quinque* circiter, per Alembicum abſtrahere, ex reſiduo verò cum *Saccharo ad conſiſtentiam Tabulati cocto*, additis prædictis *unciis quinque abſtracti ſucci ſpirituoſioris* ſine ulteriori coctione conficere *Syrupum*. Conſulantur etiam *Animadverſiones Syrupi de Betonica ſimplicis*.

Syrupus de Scolopendrio Fernelii.

℞. Polypodii quercini,
Rad. Bugloſſi utriuſque,
Cort. rad. Capparum,
Tamariſci ana uncias duas,
Scolopendrii veri, ſeu Ceterach manipulos tres,
Lupuli,
Capillorum Veneris,
Cuſcutæ,
Meliſſophylli ana manipulos duos.

Coquantur in aquæ libris novem ad remanentiam librarum quinque: colaturæ huic adde,

Sacchari albi libras quatuor.

Percoquantur in Syrupum.

CRaſſam terrenamque melancholiam extenuat, mollit, fluxamque reddit: lienem obſtructione liberat, tumentemque ſolvit, melancholiæ, quartanis, diuturniſque febribus apprimè utilis.

SYrupum hunc ex Fernelio huc tranſtulimus: ejus enim qui in veteri Diſpenſatorio continebatur uſus, ob ingratum ſaporem propemodùm eviluit; hic autem non minoris efficaciæ exiſtit.

ANIMADVERSIONES.

HIc *Syrupus* juxtà modum in *Animadverſionibus Syrupi de Calamintha Meſues* edoctum, convenientiſſimè præparari poteſt.

Syrupus de Scordio Simplex.

℞. Succi Scordii depurati libras duas,
Sacchari libram unam ſemis.
Fiat Syrupus.

EIus uſus præcipuus eſt in peſtilentibus & malignis febribus: internæ namque putredini maximè adverſatur, ac humorum corruptiones emendat, lumbricos enecat, menſes ciet, venenis reluctatur, vaſa rupta glutinat, nec non ſudores prolicit.

NOtandum in ſucci hujus defectu ſubſtitui poſſe decoctum Scordii Cretici, aut noſtratis, ex copioſâ plantæ hujus quantitate paratum, quod multam herbæ vim imbiberit, ita ut ſuo valore ſuccum æquet.

ANIMADVERSIONES.

SYrupi hujus præparatio cum dexterrima illa *Syrupi de Betonica ſimplicis* præparatione coincidit: Etenim hoc pacto *ſucci ſcordii vis antiloimica excellens* non ſolùm conſervatur, ſed etiam inſigniter augetur, & conſequenter *Syrupus* hic ad enumeratos effectus multò redditur efficacior.

Syrupus de Scordio Compoſitus Hieronymi Mercurialis.

℞. Florum Nymphææ,
Roſarum,
Borraginis,
Citri,
Folior. Sonchi,
Borraginis,
Acetoſæ,
Pimpinellæ ana pugillos quinque,
Sem. Acetoſæ,
Citri ana drachm. quinque,

Decoque in Aquæ hordei libris tribus ad tertias: deinde recipe dicti decocti libras duas,

Succi

Succi Scordii depurati libras tres,
Sacchari fini libras quatuor.
Decoque secundum artem, in fine addendo
Camphoræ,
Moschi ana scrup. semis.
Misce pro Syrupo.

Describitur hic Syrupus ab Octaviano Roboreto in Tractatu de febre puncticulari, cui præcipuè convenit; prout morbis omnibus ab humorum corruptelâ seu putredine natis.

IN defectu florum Citri, cortices substituantur.

ANIMADVERSIONES.

NObilis hic *Syrupus* paretur juxtà modum nostrum in præparatione *Syrupi de Betonica compositi* notatum, destillando nimirùm species primò cum solo *succo Scordii* ad siccitatem ferè, rostro Alembici impositis *Moscho & Camphorâ*, ità efficies *Syrupum* præstantissimum.

Syrupus de Sempervivo simplex.

℞. Succi Sempervivi colati ac depurati lib. tres,
Sacchari albi libram unam semis.
Coque in Syrupum.

FEbrium æstus potenter extinguit, ac internis incendiis auxiliatur, ob id linguæ inflammationem, ejusque ariditatem aufert.

ANIMADVERSIONES.

PArandus eo modo, quo alii ex *succis confecti Syrupi.*

Syrupus de Sempervivo Compositus.

℞. Foliorum Sempervivi recent. libras duodecim.
Contundantur in pilâ lapideâ, aspergendo iisdem,
Salis Ammoniaci mundi drachm. decem.
Stent sic simul propè tecta in vase fictili vitreato, per dies tres, vel quatuor, sed tamen quotidiè agitentur. Postea ex his exprimatur succus, qui cum Sacchari libris sex in vase fictili, aut lapideo, coquatur in Syrupum justæ consistentiæ.

PRiore longè efficacior ad restinguendum febrium calorem supra modum furentem: faucium, ac linguæ ariditatem & inflammationem tollit, ac prunæ morbo opitulatur.

ANIMADVERSIONES.

COnficiatur juxtà modum præscriptum, cavendo sedulò, ne *metallina vasa* præsertim *cuprea* in *coctione* ejusdem adhibeantur, propter adjectum *Salem Ammoniacum*, sed vel in *lapideo* aut saltem *testaceo vase vitreato* decoquatur; alioquin statim *vitriolatum & æruginosum* acquirit *saporem* ingratum & ventriculo nocivum.

Syrupus de Stœchade Simplex.

℞. Flor. Stœchadis unc. tres & drach. sex,
Thymi,
Calaminthæ,
Origani ana drachmas decem,
Anisi drachmas septem,
Passularum enucleatarum uncias quatuor,
Aquæ libras septem.
Decoquantur ad consumptionem librarum duarum: colaturæ adde
Sacchari aut mellis libras quatuor.
Condiantur cum
Calami Aromatici,
Cinamomi,
Zingiberis ana drachmâ unâ semis.
Ligentur in nodulo, ac in Syrupo suspendantur.

VEntriculum, cor, cerebrum, ac hepar, obfirmat: crassos humores incidit, tenacem lentamque pituitam dividit, obstructiones à viscidis humoribus obortas reserat, crudosque à frigore succos concoquit.

ANIMADVERSIONES.

CUm in assignata hujus *Syrupi* præparatione virtutes illæ eximiæ in sulphureis ac subtilioribus specierum ingredientium partibus consistentes, *coctione diuturnâ* utut lentâ, penitùs exhalent, ac omninò aboleantur, re-

licto *extracto terrestriori*, ad effectus superiùs denominatos præstandos planè inhabili ac inutili; idcircò modo sequenti, quo *virtutes illæ balsamicæ* integrè serventur, eædemque *Syrupo* incorporentur, laudabiliter parari potest, utpotè:

℞. *Species omnes huic Syrupo, cum decoctioni tùm aromatisationi, destinatas.*

Quibus contusis & concisis affundè in cucurbita vitrea *aquæ simplicis* ℔ *iij.* & apposito capitello, juncturisque benè lutatis, nec non receptaculo præposito, instituatur per M. B. destillatio, quousque aliquid prodeat, vel ad siccitatem *specierum. Aqua odorifera destillatione prolecta* sigillatim asservetur: *Species in fundo Cucurbitæ remanentes affusâ aquâ s. q.* coquantur ad ℔ *ij*, factâque colaturâ & clarificatione addatur huic *decocto Saccharum eidem superiùs destinatum* (℔ *v*,) & ad omnimodam ejus consistentiam coquatur, ac si *Tabulæ* confici deberent; cui adde *aquam superiùs destillatam*, solaque dissolutione ac sine ulteriori *coctione*, effice *Syrupum, cerebro, cordi* & *ventriculo* gratum.

Syrupus de Stœchade Compositus *Mesuæ*.

℞. Flor. Stœchad. uncias tres & drachmas sex,
Thymi,
Calaminthæ,
Origani ana drachmas decem,
Anisi,
Pyrethri ana drachmas septem,
Piperis longi drachmas tres,
Zingiberis drachmas duas,
Passularum enucleatarum uncias quatuor,
Aquæ libras octo.

Coquantur ad duarum librarum consumptionem.

Colatum & expressum cum Sacchari aut Mellis libris quinque clarificatum, coquatur in Syrupum; qui propè decocto aromata ista in panno raro ligata immergantur, deinde in Syrupo ad totius condituram appendantur.

℞. Cinamomi,
Calami Aromatici,
Spicæ Indicæ,
Croci,
Zingiberis,
Piperis nigri,
Longi ana drachmam unam semis.

Crassiusculè tundantur, ac in nodulo ligentur

Affectibus cerebri frigidioribus & pituitosioribus convenientior, ubi calore majore, incidentibus, & tenuantibus magis utendum est, cerebri, ac nervorum frigidis noxis remedio est, horum causam, pituitam scilicet crassam & viscidam potenter dissecans, digerens, ac tenuans, paralysi, spasmo cynico, convulsioni, nec non epilepsiæ medicatur, destillationes frigidas consumit & siccat, facit etiam ad pectus anhelosum à destillatione impendente, ac ventriculum confortat.

Syrupus de Stœchade Fernelii.

℞. Florum Stœchad. uncias quatuor.
Thymi,
Calaminthæ,
Origani ana unciam unam semis,
Salviæ,
Betonicæ,
Flor. Rorismarini ana unciam semis,
Sem. Rutæ,
Pæoniæ,
Fœniculi ana drachmas tres.

Coquantur ex aquæ libris decem ad dimidias; expressumque jus cum Sacchari & Mellis ana libris duabus; denuò coquatur in Syrupum, qui condiatur cum

Cinamomi,
Zingiberis,
Calami odorati ana drachmis duabus.

Ligentur Aromata hæc linteo raro, & in Syrupo hoc appensa maneant.

Syruporum supra dictorum vires æquat, imò quoad cerebri affectus sanandos longè validior existit; ut priorum Syruporum usus præ hujus compositione jam propè negligatur. Eum igitur, utpote nobis usitatissimum, ex Fernelio huc transposuimus.

ANIMADVERSIONES

In Syrupos de Stœchade Compositum, & de Stœchade Fernelii.

HI *Syrupi* non minoribus, quàm præcedens, pollent virtutibus, quin eundem etiam superant, si ritè & debito modo præparentur; Videantur ergò *Animadversiones* præcedentes, ac secundùm illarum ductum instituatur præparatio.

Syrupus de Symphyto Fernelii.

℞. Radicum & cymarum Symphyti majoris & minoris ana manipulos tres,
Rosarum rubrarum,
Betonicæ,
Plantaginis,
Pimpinellæ,
Polygoni,
Scabiosæ,
Tussilaginis ana manipulos duos.

Ex tussis omnibus recentibus exprimatur succus; coquaturque, & exspumetur ad libras tres, addendo
Sacchari albi libras duas semis.
Fiat Syrupus.

T*Abidorum & ulceratorum pulmonum saniem & pus blandè, ac leniter sine sanguinis erupturi metu extergit, pulmonesque pariter confirmat.*

ANIMADVERSIONES.

PAretur simplici *coctione* vel præmissâ, *destillatione succorum*, prout in aliis *Syruporum ex succis* confectorum præparationibus indigitavimus. Notandum autem hic, quod ex *manipulis viginti radicum, florum & herbarum*, huic *Syrupo* destinatis; vix ac ne vix quidem *tres libræ succi* elici possint; necessum igitur, ut qui hunc *Syrupum* ex voto conficere satagit, majorem sibi procuret *herbarum* quantitatem.

Syrupus Florum Tunicæ.

Fit, ut Syrupus Rosatus simplex, & alii consimiles, qui ex trina florum infusione parari consueverunt.

A*D præcipuos cordis affectus tollendos efficax, ejus tremorem ac syncopas fugat, animi deliquiis opitulatur, ac pestilentis luis, febriumque contagiosarum noxas disjicit.*

Syrupus de Succo Veronicæ.

℞. Succi Veronicæ depurati libras tres,
Sacchari albi libram unam semis.
Coquantur in Syrupum.

R*Enum calculos & arenulas expurgat, eosque purulentos mundificat & sanat; pulmonum præterea exulcerationibus eximiè convenit, quorum saniem abstergit, ulcera glutinat, nec non sanguinis sputionem prohibet, pestilentibus febribus maximè salutaris.*

ANIMADVERSIONES

In Syrupos Florum Tunicæ, & de Succo Veronicæ.

NObilis & elegantis *Syrupi de floribus Tunicæ* præparatio instituatur juxtà modum *Syrupi florum Arantiorum*, vel similium ex *fragrantibus herbis & floribus* confectorum.

Syrupus autem de *succo Veronicæ* ad normam *Syrupi de Betonica simplicis* præparetur.

Syrupus Violatus simplex.

Fit eodem modo, quo Syrupus Rosatus simplex.

I*N febrium æstibus, biliosis & acutis morbis, viscerum inflammationibus, ac siti inexplebili commendatur. Rosato potentiùs refrigerat & humectat, unde & somniferus magis, gutturis asperitates lenit, thoracis & pectoris, totiusque ventris inferioris affectibus calidis succurrit, & siccam tussim, partes spirituales suâ humoris lentitiâ obliniens eluit, ac alvum nonnihil emolliendo bilis acrimoniam retundit.*

MEsuæ Violarum recentium libras sex, horis octo, in libris quindecim aquæ macerat in vase terreo cooperto, quibus colatis & expressis Violas recentes totidem addit, eodemque intervallo macerat in aqua calida. Expressi & colati

& colati libras quinque, cum Sacchari libris quatuor, lento igne decoquit, dum concrescant, purgat albuminibus ovorum, ut in Syrupo Rosato.

ANIMADVERSIONES.

Cum alvo simul leniendæ destinatus sit hic *Syrupus*, ideò ad modum præscriptum parari poterit: Id autem in hujus *Syrupi* confectione notandum, quòd *color ejus cæruleus*, aliàs summè delectabilis *coctione longiori* deperdatur, ac in fuscum vel subviridem minusque delectabilem commutetur. Quod si tamen eidem *Syrupo colorem gratum purpureum* conciliare lubido fuerit, instillentur infusioni aliquot guttulæ *Spiritus Salis, vel succi Citri una vel altera drachma.* Clarificatio hujus *Infusionis* non nisi per *residentiam* in loco calido fieri potest & in vanum laborat, qui ope *albuminum ovorum*, ejus citiorem *clarificationem* molitur. Quòd ipsum etiam in *Syrupo Rosarum simplici & solutivo* observetur.

Syrupus Violatus Compositus Mesuæ.

℞. Violarum recentium uncias duas,
Sem. Cydoniorum,
Malvæ ana unciam unam,
Jujubarum,
Sebesten ana num. viginti,
Aquæ Cucurbitæ libras sex.
Coquantur simul ad tertias, addendo
Sacchari libram unam semis.
Fiat Syrupus secundum artem.

Pleuritidi & tussi ex causâ calidâ medetur: non solùm enim leniendo & refrigerando, humectandoque ad omnem arteriæ asperitatem utilis existit, sed etiam ardentem urinam, ac nephriticum cruciatum demulcet.

Cucurbita distillanda est dum adhuc tenera existit, & antequam indurescere incipiat.

ANIMADVERSIONES.

Nisi loco *Syrupi violacei*, spissum vel mucilaginosum *Embamma* exoptes, missam facias suadeo, & intactam relinquas assignatam hujus *Syrupi* præparationem; Quòd si monenti mihi fidem adhibere non vis, ipsius periculum facias, meaque non experiêre mendacia verba.

Syrupus Violatus ex Succo Foliorum.

℞. Florum Violarum, quantum volueris, eos diligenter excerptos, & à viridi caule repurgatos, in mortario marmoreo, pistillo ligneo contunde, à quibus postea prælo subjectis succum educ: cujus diligenter transcolati accipe uncias octo,
Sacchari albissimi libram unam.

Coquantur in torido Balnei calore, quousque in Syrupi consistentiam abierint, spumam diligenter auferendo, serveturque Syrupus in vase vitreo, vel testaceo vitreato.

Efficacissimus est in pectoris ac faucium morbis calidis: acres destuxiones permulcet ac temperat, sitim relevat, gutturis asperitatem mitigat, raucedinem adimit refrigerat & humectat. Delicatis naturis, ideoque puerulis & infantibus à tenui destillatione tussientibus auxilio est, somnumque inducit.

Alii Saccharum priùs despumant, & ad justam consistentiam, vel etiam ulteriùs inspissant: abhinc succum addunt, & tepido calore Saccharo commiscent ac reponunt. Qui modus apud nostrates Pharmacopœos etiam usitatior existit.

ANIMADVERSIONES.

Hic *Syrupus* perquàm raro, ex *succo florum expresso* conficitur, sed ex *infusione* cum *aqua* factâ, & quidem satis benè, cùm *flores contusi* ut plurimùm *mucilaginosum* præbeant *succum*, coque magis, si fortiori præli impetu cogantur, relictis *floribus*, integris adhuc virtutibus ac nativis suis coloribus præditis; qui denuò infusi cum *aqua* vel alio convenienti *liquore*, eandem eleganti tincturâ cæruleâ saturatè imbuunt, suamque essentiam ac virtutes salvas & integras eidem communicant. Addam igitur duos modos non inelegantes, ex quibus, uter placebit, pro *Syrupi* hujus dextra præparatione eligatur.

℞. *Flo-*

℞. *Florum Violarum recent.* à *viridi caule repurgatorum & excerpt.* ℔ j,
Cui superaffunde
Aquæ ferventis ℔ ij,
Cooperiatur *infusio* (quæ commodè fieri potest in *vase stanneo*) relinquaturque in calore leni per aliquot horas, postea fiat expressio fortis; *Colaturæ vel expressæ infusioni non calefactæ* de novo adde *aliquot uncias florum Violarum in mortario lapideo contusorum*, quam repone loco tepido per aliquot horas, iterumque exprime: *Expresso succo purpureo adde*
Sacchari pulverisati q. s. (*ad* ℔ j ℥ iij. *succi vel infusionis circiter admiscendo Sacchari* ℔ ij.)
Ac solâ dissolutione in *vase stanneo* super B.M. vel ahenum aquâ fervente repletum collocato, fiat *Syrupus* elegantissimus, purpureo violaceus, ac insuper etiam durabilis. Ex *floribus* à bina infusione superius adhuc residuis, utpotè qui multum adhuc tincturæ & virtutis in se continent, altera adhuc fiat *infusio* cum *aqua ferventi*; ex *colatura* demùm cum *Saccharo* ad sufficientiam addito, fiat sine coctione vel ebullitione *Syrupus* uti superiùs per M. B. (vel prout sequetur) minùs quidem elegans, ast virtutibus *Violarum* satis imprægnatus, qui vel pauperibus leviori precio divendi, vel pro *Iulapio* prostare poterit. Alias etiam hic *Syrupus* unicâ duntaxat ebullitione parari potis est, tali modo.

℞. *Infusi Violarum purpurei* ℥ xv, *circiter,*
Sacchari albi contusi ℔ ij,
Et in *aheno stanno obducto*, igne ardenti vel recenti carbonum confestim una vel altera fiat ebullitio, postea ab igne remotis, ac supernatante spumâ cochleari vel spatulâ abjectâ, *Syrupum* per setaceum cola & usui serva.

Mel Anacardinum Azaravii.

℞. Anacardia recentia, tere, & in aqua decoque, donec melliginem quandam in rubeo colore fuscam remittant, eam aquæ innatantem auferto ac reponito.

Memoriæ jacturam resarcit, labantes sensus refricat, oblivionem discutit, ac mentem exacuit: morbis cerebri frigidis & humidis conducit, nervorumque resolutioni opitulatur

Fuchsius paulò aliter describit. Anacardia enim seorsim trita in aceto justæ quantitatis diebus septem perfundit, octavo die lento igne ad medietatem decoquit, & per linteolum colat, fæcem remanentem siccat, in succo autem Mel justæ quantitatis ad spissitudinem decoquit.

ANIMADVERSIONES.

Oedipo opus est ad primum hujus *mellis Anacardini* præparandi modum explicandum, utpotè qui adeò obscurus est & intricatus, ut nemo exindè desideratam *mellis hujus* præparationem, vel conjecturare saltem, ne dum exactè conficere queat. Alter verò qui Fuchsio tribuitur, paulò dilucidior magisque concinnus apparet, nihilominus tamen quid hic sibi velit, dum *faces remanentes exsiccat*, me quoque latet. Quòd si genuinum *mel Anacardinum* expetis, paretur illud vel coquendo vel digerendo *Anacardia* cum *aqua* vel *aceto* (prout libuerit, modo eorundem *essentia* extrahatur) & postea cum *mellis s. q.* additâ, ad consistentiam debitam percoquendo. Possunt autem meo judicio *ad* ℔ j. *mellis*, sumi *Anacardiorum* ℥ iij, plùs minusvè pro arbitratu Medici. *Coctione* vix quicquam illis demitur de virtutibus, prout nec alii *fructus*, nisi admodum tenuium partium extiterint, *coctione* vires suas amittunt.

Mel Anthosatum.

℞. Mellis Rosati simplicis libras tres.
Florum Rorismarini recentium manipulos sex.
Stent in infusione, loco calido, horis viginti quatuor, deinde exprimantur, & fiat colatura, quæ decoquatur, ut artis est.

Colicos ac uterinos dolores mitigat, ob calorem benignum, viscera foventem, quibus etiam robur addit, cerebri, cordis & ventriculi vires augens, & crudam in intestinis, ac circum mesenterium pituitam concoquens, flatibus discutiendis idoneum. Additur in Enemata, ubi phrasis ex colica metuitur; nervosas enim partes à noxis defendit.

ANIMADVERSIONES.

SI *mel rosatum* antea debitam suam consistentiam nactum fuerit, opus non erit, ut *flores Anthos cum melle rosato dicto* infusi, denuo coquantur ne eorundem odor fragrantissimus, in coctura exspiret, sed sufficit aliquandiu loco calido in infusione permansisse, quia *flores Rorismarini* quantumvis recentes succulenti non sunt, ideòque parum liquoris *melli* impertire queunt; ut adeò necessum non sit, ante ad debitam crassitiem coctum *mel rosatum* ulteriùs coquere, nisi coctio in Alembico cum suo capitello munito fiat, & *exstillans humiditas fragrans melli residuo* denuò reddatur. Priusquam autem *flores Rorismarini melli rosato* infundantur, nonnihil contundantur vel conscindantur, ut eò melius *melli* eorum pateat introitus.

Aliter sic Paratur.

℞. Foliorum Rorismarini libram unam,
Aquæ fontanæ libras sex.

Stent in infusione per horas duodecim, abhinc secunda & tertiâ vice, reassumpto novo Roremarino repetatur infusio, cujus colaturæ libris quinque adde

Mellis optimi despumati lib. quatuor.
Coque secundum artem.

CUm in compluribus locis florum Rorismarini tanta non extet copia, quæ huic melli parando sufficiat, non minori efficaciâ herba ejusdem substituitur.

Rondeletius, Renodæus & alii libras tres mellis accipiunt, ac in eo libram unam florum Rorismarini infundunt, & insolatione solâ mel Anthosatum parant.

ANIMADVERSIONES

In Alterum ejusdem Mellis Anthosati parandi modum.

A Trinâ illa *infusione*, cum reassumpto semper recenti *Roremarino*, peractâ, non exigua virtus in *mel* redundare posset, nisi illam unâ cum eadem scilicet *infusione* totam ferè inter *coquendum* exhalare necessum esset, cùm *mel* per se liquidum sit, ac tantam uti *Saccharum* (quod siccum est) liquoris admistionem ferre nequeat. Inodorum itaque vel saltem ingratum relinquetur *mel*, nullâ re minùs quàm *Rorismarini virtutibus potioribus ac subtilioribus* imprægnatum, quæ tantùm abest, ut cum *melle* in coctione persistere potuerint, quin mox inchoatâ cocturâ in auras avolarint: Proindè magis nobis arridet simplex illa Renodæi & Rondeletii aliorumque simplicitate gaudentium, ac ipsis etiam mulierculis, lippisque & tonsoribus nota præparatio, utpotè quæ, licet non singulare artificium redoleat, ad minimùm saltem absque virium insigni jacturâ peragitur. Quod si verò magis artificiosam præparationem anhelas, cujus ad exemplum alias similes ex *herbis & floribus* conficere queas, en, dabo sequentem!

℞. *Rorismarini aut Florum ejusdem* ℔ ij vel ℔ iij,

Quibus minutim conscissis & Cucurbitæ vitreæ immissis superaffundantur

Aquæ ejusdem destillatæ, aut Vini opt. ℔ j ß,

Fiat destillatio in M. B. ad siccitatem *florum* usque, remanenti in fundo *Roremarino* aut *floribus* ejusdem, reaffundatur *aqua destillatione prolecta*, quæ iterum destillando proliciatur; Prioris tamen *aqua* utpotè *spirituosioris* majorumque virium seorsim asservetur *libra una*; Relictum autem à destillatione in Cucurbita *Roremarinum*, affusâ s. q. *aquæ simplicis* coque, *decoctum*, *colatum & album, ovorum clarificatum* cum

Mellis simplicis clari libris quatuor

commisce, & coquendo ultrà ordinariam ac satis crassam *mellis consistentiam* evaporare sine. Tandem ubi parùm refrixerit, additâ prout videbitur

Prioris aquæ destillatæ spirituosæ s. q.

(quam

(quam tamen vix exactè determinare poterimus, ob *mellis*, *extracto Rorismarini* imbuti, variantem consistentiam,) fiat *mel* justæ consistentiæ, quod ipsum quò magis *præfatâ aquâ spirituosâ* imprægnari poterit, eò evadet præstantius & efficacius.

Mel Emblicorum.

℞. Myrobalanorum Emblicorum numero quinquaginta.

Contundantur mediocriter & decoquantur in libris tribus aquæ ad consumptionem librarum duarum: residuo adde mellis tantundem & ad justam consistentiam percoque.

Cor, cerebrum, jecur, nec non ventriculum solidat, corporis odorem commendat, ac hilaritatem parit.

Mel hoc Emblicorum nihil aliud est, quàm Emblicorum decoctum ad consistentiam inspissatum, seu mel in quo Myrobalani Emblici conditi asservantur.

ANIMADVERSIONES.

Paretur modo præscripto; Etenim *Myrobalani* & similes *fructus* coctione parùm nihilve amittunt, sunt enim minus sulphurei; Antequam verò *decoctum melli* jungatur, necessum est ut cum *albumine ovi* prius clarificetur, ac tum demùm cum *melle* maritetur. Quod autem *mel Emblicorum*, hoc modo paratum nihil, aliud fit, quàm *decoctum Emblicorum ad consistentiam inspissatum*, idipsum & ridiculosum apparet, & contradictionem implicat. Nam si simplex esset *decoctum*, nullo modo ipsi competeret *mellis Emblici* nomen. Verùm difficultas illa in *Annotatis* diluitur, dum ipsi asserunt, *mel Emblicorum esse mel in quo Myrobalani Emblici conditi asservantur*, Ergò.

Mel Menthæ.

℞. Succi Menthæ purificati lib. duas.
Mellis optimi tantundem.
Coquantur ad justam consistentiam.

Ventriculum frigidum fovet, coctionem adjuvat, ac pituitosos faucium tumores discutit.

ANIMADVERSIONES.

Mentha planta est balsamica, calefaciens & exsiccans, tenuiumque partium, cujus fragrantia partesque sulphureæ ac subtiliores, utpotè, in quibus ejusdem virtus maximè reposita est, ut integrè quantum possibile est *melli* communicentur, in id ingenuus Pharmacopœus omnem operam impendere debet. Quod ipsum in assignata sinistra præparatione ut fieri queat, non adeò in facili est, cùm odor omnis & fragrantia, subtilioresque *succi* partes, in *coctione* cum *melle*, in auras pellantur. Ut itaque universæ *Menthæ* virtutes balsamicæ *melli* imprimantur, instituatur ejus ceu convenientissima præparatio in modum *mellis Anthosati vel Rorismarini secundi*, à nobis superiùs traditum: Vel paretur ad normam sequentem.

℞. *Succi Menthæ* ℔ ij,
cum immerge
Herbæ Menthæ odorif. contus. recent. ℔ ß, *plùs minusve*

Et per M. B. è Cucurbita vitrea destillando evoca libram unam circiter, cui prolectæ *aquæ odoriferæ* denuò
Recent. herbæ Menthæ ℥ iiij,
immergantur, digerantur & tandem exprimantur: Hâc *essentiâ* interim asservatâ,

℞. *Mentham utramque à destillatione unâ cum residuo succo, & extractione relictam.*

Quam affusâ adhuc *librâ unâ vel alterâ aquæ simplicis* coque *ad* ℔ j, præter propter *decoctum expressum & optimè clarificatum* additis
Mellis optimi & clari libris duabus vel tribus
iterùm coquendo ad consistentiam *mellis* crassissimam ordinariâ multò crassiorem redige; cui tandem *de superiori destillata & essentificata aqua vel succo* tantum junge, quantum ad justam consistentiam sine ulteriori *coctione* sufficere videbitur, fiatque *mel Menthæ* præstantissimum

Mel Mercuriale.

℞. Succi Mercurialis libras tres,
Mellis puri ac optimi lib. unam ſemis.
Coquantur & deſpumentur, ut artis eſt.

EAſdem cum Syrupo vires obtinet, magis tamen abſtergit, ideoque alvum (ubi Enematibus inditur) feliciùs ſubducit.

ANIMADVERSIONES.

QUod ſuperiùs in ejuſdem *Syrupi* præparatione monui, idipſum etiam hîc locum habet, propterea ſimplici ſaltem *coctione* parandum eſt.

Mel Paſſularum.

℞. Uvarum paſſarum libras quatuor,
Aquæ libras duodecim.
Macerentur horis viginti quatuor, deinde decoquantur ad remanentiam tertiæ partis; Colentur, & colaturâ decoquatur ad mellis conſiſtentiam, & reponatur. Hoc decoctum vocatur mel Paſſularum.

PEctoris vitiis, præcipuè verò deſtillationi acri, & calidæ, à ſalſis humoribus obortæ, conducit, aſperam arteriam lenit, & humectat, tenuem expectoratum promovet, tuſſim itidem, ac raucedinem mitigat.

ANIMADVERSIONES.

NOn contendamus de nomine, & utrùm præſtet *decoctionem* hanc, vel *Rob*, vel *Sapæ* aut *mellis* nomine inſignire; Præſtabit autem omnium convenientiſſimè inter *Rob* illam reponere, quia ſine *melle* conficitur.

Mel Roſatum ſimplex.

℞. Roſarum rubrarum recentium lib. tres,
Aquæ fontanæ puræ & calentis libras duodecim.
Stent in infuſione per horas viginti quatuor: abhinc rejectis prioribus Roſis, totidem recentes rurſus priori brodio infundantur, reiterеturque id tertiùm. Tandem colati libris quinque addantur libræ quatuor mellis.
Coquantur ſimul, ut eſt artis.

VEntriculum roborat, detergit, viſcidoſque ſuccos expurgat: coctionem juvat, putredini adverſatur, humores crudos concoquit, oris phlegmonas, prout & gingivarum tonſillarumque inflammationes placat.

Mel Roſatum Meſuæ.

℞. Roſarum rubearum nondum penitus apertarum libras duas.
Mellis optimi libras ſex.
Coquantur lento igne ſecundum artem.

ID vulgus plerumque expetit, ac uſurpat: eo ſiquidem raucedines mitigare, aſperæ quoque arteriæ, columellæ, faucium & gutturis noxas depellere edoctum eſt.

MEl Roſatum Nicolai apud nos in uſu non eſt, cui ferè ſimile eſt illud, quod Norimbergenſes fol. 149. deſcribunt. Recipiunt autem folia roſarum rubearum nondum penitùs explicatarum recentia, eaque in Aqua Cœleſti percoquunt, ac colant: colaturæ ſuccum Roſarum depuratum, melque deſpumatum admiſcent, & ad juſtam conſiſtentiam coquendo perducunt.

ANIMADVERSIONES

In Mel Roſatum ſimplex, & Meſuæ.

PArari poſſunt ad normam *mellis Anthoſati ſecundi*, vel *Menthæ* jam edocti: Norimbergenſium modus conficiendi *mel Roſarum Nicolai* æquè inconcinnus eſt, atque hujus: ſcatet enim iiſdem difficultatibus, propterea eundem ſimiliter improbamus.

Mel Roſatum Citratum.

℞. Mellis Roſati ſimpl. ad perfectionem cocti libras duas.
Huic, dum adhuc à coctura fervet, infunde
Cort. Citri recentium & extimorum libram unam.
Stent in infuſione per menſem, poſtea mel tranſcoletur, ac reponatur.

Fri-

Rigidis ventriculi & cordis affectibus eximiè succurrit, abstergit, tenuat, concoquit; corruptionem humorum, eorundemque putredinem arcet, ideoque fœtentem animam corrigit. Requiritur potissimum ad compositionem Oxymellis Helleborati à Iuliano descripti, & à Gesnero magnis encomiis celebrati.

ANIMADVERSIONES.

INjectionem vel infusionem *corticum Citri*, confecto & ad consistentiam debitam jam percocto *melli* frustraneam & inutilem esse, jam tum superiùs in præparationibus *Syruporum de corticibus Citri & Arantiorum* satis superque demonstravi, ut adeò supervacaneum esse censeam, illa, quæ ibidem hac de re dicta sunt, heîc repetere. Ut autem hoc ipsum *mel*, de quo nunc agimus (quodque si rectè præparatum sit, egregiis pollet viribus) artificiosè & dextrè præparetur, imitari convenit modum nostrum sequentem, utpotè

℞. *Rosar. Damasc. recent. & contusar.* ℔ ij,
Corticum Citri exterior. recent. & concis. ℥ vj, *vel* ℥ viij,

Quibus Cucurbitæ vitreæ immissis superaffundantur

Aquæ Rosarum fragrantissimæ ℥ iij,

Postea fiat destillatio in M. B. juncturis probè clausis, ad siccitatem ferè *Rosarum & corticum* (vel ad prolectionem ℥ ix. circiter,) *prolecto liquori odorifero* de novo immerge

Corticum Citri recent. extim. ℥ iij,

Et factâ digestione in vitro optimè clauso, coletur tandem *essentia* & studiosè interim asservetur. *Residuis* à destillatione *Rosis & corticibus Citri*, item ab essentia relictis, superaffundantur

Aquæ ferventis simpl. ℔ ij,

Et post unius diei digestionem, fiat colatura & expressio: *Infusum expressum* optimè clarificetur & additis

Mellis optimi & clari libris tribus,

coquantur ad crassam & ordinariâ multò crassiorem *mellis* consistentiam; cui demùm remoto ab igne & nonnihil refrigerato addatur

Aquæ superioris destillatæ & recentibus Citri corticibus essentificatæ s. q.

vel quantum imprimi possit, ut sine ulteriori *coctione* justam *Syrupi* consistentiam acquirat; eritque *mel Citratum* delicatissimum.

Mel Violatum.

Fit, ut mel Rosatum simplex.

REfrigerat, lenit & humectat, alvumque emollit: inditur potissimùm Enematibus, ubi bilis & caloris acrimonia levanda, aut obtundenda est.

ANIMADVERSIONES.

FIat ad normam *mellis Anthosati secundi*, vel juxtà præparationem *mellis Menthæ*.

Oxymel simplex Galeni & Mesuæ.

℞. Mellis despumati libras duas,
Aceti vini acerrimi libram unam,
Aquæ libras quatuor.

Mel cum aqua diligenter despumetur, & ubi aqua coquendo fuerit absumpta, addito aceto facta unicâ ebullitione, removeatur ab igne, ac servetur usui.

MAgna hujus vis crassa tenuandi, lenta incidendi, viscida detergendi, obstructa aperiendi, idque sine manifesto calore; quo nomine febribus diuturnis & nothis ex crassa bile ac pituita enatis convenit, humidis naturis & frigidis, crudam, crassam, & pituitosam succorum copiam coacervantibus aptum; nervos tamen & uterum lædere, tussim excitare, ac sputum acidum potiùs demergere quàm provocare creditur: unde in materiebus pectoris educendis duo casus occurrunt, ejus usum non admittentes; nimirum in morbi principio crudâ existente materiâ propter aceti acrimoniam, quòd tussim provocet, cùm tamen ante coctionem materiæ fieri non debeat: deinde ubi virtus debilis & non sufficiens ad expellendum existit, ibi frustra virtute decrescente homo irritatur. Vide 3. de ratione victus in morbis acutis cap. 27. & 28. Componendi rationem docet Galenus 4. Salubrium.

ANIMADVERSIONES.

Vanitas hujus præparationis in *Animadversionibus* nostris super *Syrupum Acetosum simplicem* sat superque ventilata & discussa est: Nimirùm, quòd *aqua* superfluè saltem & cum detrimento virtutum *Syrupo* sive *melli*, inprimis jam clarificatis & despumatis addatur; etenim in diuturniori illa *coctione*, quâ *aqua* tanta copia exhalare debet (debent autem in hac præparatione *quatuor libræ* evaporare) *aceti* partes penetrantiores, unâ cum *aqua* rapiuntur in auras, quas tamen servare multò esset consultiùs. Neque etiam necessum est, ut *aqua* ob ulteriorem *mellis* despumationem & clarificationem addatur, cùm ipsi *mel* jam *despumatum* pro confectione sumendum esse præcipiant; supervacaneum itaque est, illud ulteriùs despumare. E contra verò præstabit absque ulla *aquæ* affusione, *acetum melli* statim addidisse, & cum eo *mel* ad debitam consistentiam percoquendo, *Oxymel* parasse.

Oxymel Compositum Mesuæ.

℞. Corticum mundatorum & incisorum radicum
Apii,
Petroselini,
Rusci,
Fœniculi,
Asparagi ana uncias duas,
Sem. Apii,
Fœniculi,
Petroselini ana unciam unam,
Aceti libram unam semis,
Aquæ libras sex,
Mellis libras tres.

Cortices radicum, & semina horis viginti quatuor macerentur in vase lapideo in aceto & aqua: tum coquantur ad tertiæ partis consumptionem: colato additur Mel, & lento igne percoquitur.

Efficacius est superiore, ac morbis procedentibus & diuturnis magis opportunum: potentiùs enim materiæ crassitudinem apparat, incidit, tenuat, facitque ad affectus ex bile crassa, ac pituitæ lentore natos; melancholicis malis, quartanæ, & splenis duritiei bono est, inclinante potissimum morbo, quotidianis febribus succurrit, urinas & sudores, coctâ jam materiâ, prolectat.

ANIMADVERSIONES.

Hoc ipsum *Oxymel*, si dextrè paretur, multum præstare posse non diffido. Itaque pro hujus legitima præparatione, sequentem commendo modum.

℞. *Non corticum mundatorum & incisorum radicum*
(curiositas enim illa in minutiis hisce planè & inutilis & supervacanea est)
sed ipsarummet
Radicum Apii,
Petroselini,
Rusci,
Fœniculi,
Asparagi ana ℥ ij,
Sem. Apii,
Fœniculi,
Petroselini ana ℥ j,

Incisa & contusa crassiusculè immittantur in Cucurbitam vitream, quibus superaffundatur,
Aceti destillati ℔ j ß,

Fiatque destillatio, juncturis benè clausis, in M.B. ferè ad siccitatem usque specierum: *Acetum* sive *aqua prolecta*, *odorifera* servetur; Remanentes in fundo Cucurbitæ *species*, affusis de novo *aquæ simplicis* ℔ iij, coquantur in olla vitreata ad dimidias, factaque colaturâ & expressione forti, expressum postea *albumine ovorum* clarificetur, ac cum *tribus libris mellis* tamdiu coquatur, donec *mel* denuò satis crassam, imò ordinariâ multo crassiorem acquisiverit *consistentiam*, cui tandem *de superiori liquore spirituoso vel Aceto destillato* tantum affundatur, quantum ad justam *mellis* crassitiem sufficere videbitur.

Oxymel Diureticum D. Ambrosii Jung Senioris.

℞. Mellis despumati uncias quindecim,
Aceti albi acerrimi,
Aquæ fontis ana libras duas,
Rad. Raphani recentium unc. unam,
Fœniculi drach. decem,

Apii,

Apii,
Petroselini,
Genistæ,
Asari,
Levistici ana drach. tres,
Sem. Fœniculi,
Petroselini,
Asparagi,
Rusci ana drachmas duas,
Coriandrorum præparatorum,
Cumini ana drachmam semis.
Coquantur secundum artem.

Potenter lotium exigit, ac impeditam urinam, & renum calculos propellit: cujus usus olim D. Ambrosio celebris erat, prout etiamnum nostris Medicis familiaris existit.

ANIMADVERSIONES.

Præstabit etiam hujus *Oxymellis* præparationem instituere ad normam & methodum in prioris *Oxymellis compositi* confectione à nobis traditam; Tali enim modo, longè meliores & majores sortietur virtutes, quàm si vulgari viâ præparetur, quâ ipsâ tantùm abest, ut vires ejus conserventur, quin si non omnibus, ad minimùm tamen maximâ, potiori & penetrantiori earundem parte castretur.

Oxymel Scylliticum Mesuæ.

℞. Mellis despumati libras tres,
Aceti Scyllitici libras duas.
Coquantur ad perfectam consistentiam.

Ad cerebri, pulmonis, ventriculi affectus pituitosos, aut melancholicos etiam contumaces pollens. Eo utimur in epilepticorum insultibus, ipsoque paroxysmo; asthmaticis quoque plurimum confert, venarum obstructiones etiam inveteratas reserat, crassosque humores potenter incidit.

Compositum fit, ut Oxymel compositum ex radicibus.

ANIMADVERSIONES.

Parari poterit ad modum præscriptum, videlicet per simplicem *coctionem*, cum de *Scylla* spirituosi nihil in *coctura* facilè ampliùs perire queat, utpotè quod jam tùm in priori sua *præparatione* ferè amisit, de his plura in *aceti Scyllitici* præparatione.

Oxysaccharum simplex.

℞. Succi Granatorum acidorum unc. octo,
Aceti uncias quatuor,
Sacchari albi libram unam.

Saccharum purissimum aceto solvatur, & ad crassam consistentiam percoquatur, cui, dum modicè refrixerit, succus Granatorum admisceatur, simulque lege artis in Syrupi formam reducantur.

Humori ferventi refrigerando, crasso autem incidendo, putredini arcendæ, siti sedandæ; nec non viscerum inflammationi mitigandæ conducit.

ANIMADVERSIONES.

Paretur juxtà modum præscriptum, per simplicem *cocturam*, lentoque igne, inque *vase terreo vel lapideo*.

Oxysaccharum Compositum Nicolai Præpositi.

℞. Capillorum Veneris,
Aspleni, seu Phyllitidis aut Linguæ cervinæ,
Scolopendrii, seu Ceterach,
Lichenis, seu Hepaticæ,
Violarum,
Polytrichi,
Rad. Fœniculi,
Asparagi,
Rusci,
Graminis ana unciam unam,
Succi Granatorum acidorum libras octo semis.

Omnia in Granatorum acidorum succo triduo macerentur. Deinde cum modica ebullitione exprimantur & colentur: tandem cum Sacchari libris quatuor ad formam Syrupi percoquantur.

Febribus impuris, & tertianis nothis, omnibusque affectibus ex sanguinis ac bilis fervore & crassitie natis subvenit, jecoris, lienisque obstructionibus confert, & concalefacta viscera juvat.

ANIMADVERSIONES.

QUia usus hujus *Oxysacchari* jam propemodùm eviluit, idcircò de ejusdem præparatione multus non ero: si qua autem exigeretur, præparari posset ad modum præscriptum, cùm pauca sint *ingredientia*, quæ vel fragrantem spirent odorem, aut adeo subtilium partium sint, ut earum vis promptè exhalare possit.

Julep Rosarum.

℞. Aquæ Rosarum odoratissimæ lib. tres,
Sacchari albissimi libras duas.
Fiat cum diligentia.

Cordiale planè medicamentum est, totius corporis exæstuationi confert, vitales spiritus reficit, eosdemque evanidos reparat.

ANIMADVERSIONES.

QUanta fiat virtutum deperditio, si *liquores odoriferi* cum *Saccharo* diu percoqui debeant, de eo jam ad ravim usque in superioribus conquesti sumus. Quæ si saltem per transennam denuò inspiciantur, unusquisque facilè videbit, quàm turpiter se dent, qui hujus *Iulepi* præparationem, juxta modum præscriptum moliuntur; Etenim duplicem hi committunt errorem, cùm, quòd fragrantissimum *aquæ Rosarum* odorem *coctura* penitùs expirare sinant, tùm etiam, quòd hanc ipsam *aquam* in nimis larga quantitate adeò luxuriosè addant. Præcipiunt enim ad *Sacchari* ℔ ij, sumendas esse *aquæ Rosarum* ℔ iij, cùm tamen pro *Sacchari libris duabus* ad conficiendum hunc vel similem *Iulepum* vel *Syrupum* sufficeret *libra una cum tribus vel quatuor circiter unciis aquæ*; quæ itaque reliqua est *aqua libra una, cum unciis octo*, totaliter ac inutiliter, & quidem pars ejus fragrantior, ut expiret necessum est: verùm ad quid perditio hæc? Paretur ergo sequenti modo:

℞. *Aquæ Rosarum odoriferæ* ℔ ij,
Rosarum rub. contus. & sale condit. ℔ j,
Fiatque in Cucurbita vitrea ex M.B. destillatio vel rectificatio

℞. *Aquæ fragrantioris primitùs prolectæ* ℥ xv, vel ℥ xvj,
quibus adde
Sacchari albissimi vel clarificati ℔ ij,
ac solâ ejusdem dissolutione paretur Julapium.

Ad eundem modum paretur etiam *Iulep Sambucinum* sequens.

Julep Sambucinum.

℞. Aquæ Sambuci ex floribus lib. tres,
Sacchari albissimi libras duas.
Fiat Julep.

Serosos in corpore humores blandè temperat, calores febriles mitigat, & sudores elicit: in potu jucundus, nostratibusque admodum familiaris existit.

Julep ex Vino Arnoldi de Villa Nova.

℞. Vini optimi & perquàm odorati lib. tres.
Sacchari libras duas.
Fiat Julep.

Ventriculi & cordis robur tuetur, coctionem promovet, frigidos, crudosque humores partim incidit, partim concoquit; ac caninam famem lenit.

ANIMADVERSIONES.

ARnoldum de Villa Nova stupidissimæ hujus præparationis Authorem extitisse, vix ego adduci possum ut credam: Etenim longè aliter ejusdem scripta testantur, nimirùm quòd fuerit vir solidæ doctrinæ, rerumque naturalium exquisitâ cognitione imbutus, *ipsâ* etiam *Spagyricâ scientiâ arteque destillatoriâ* instructissimus: Adeoque mihi non fit verisimile, quòd is tam insipidam hujus *Iulapii* præparationem tradiderit, sed potiùs crediderim illam ab alio quodam, qui fortè in operationibus spagyricis peccaverit nunquam, effictam vel excogitatam esse, sicque demùm huic operi irrepsisse. Namque unusquisque, qui vel leviter saltem *arte destillatoriâ* imbutus est, haud invitus mihi contestabitur, quòd, si *Vinum* destilletur, ejusque *pars spirituosa & optima*, etiam satis lento igne ab eo proliciatur, nihil tùm ab eo remaneat, præter *aquosum ac ingratum vel nauseosum phlegma*, omni virtute, odore ac sapore vi-

ni ſpoliatum : An tu Lector benevole, nunc in præſcripto hujus *Iulapii* conficiendi modo, ubi, dum ille ad conſiſtentiam ſuam debitam percoquendus eſt, *vini optimi & perquam odorati libra una cum unciis octo* vapore tenùs reſolvi, & in auram pelli debent, aliter fieri putas? Proindè ne tantam *vini generoſi* facias jacturam, & nihilominùs *Iulapium* habeas *odore ac ſapore vinoſo*, & eximiis *vini virtutibus* imprægnatum, modo ſequenti magis, uti puto, rationi conformi, præparationem inſtituas. Nimirùm

℞. *Vini Malvatici* ℔ *iij*,

à quibus deſtillando prolicias ℔ *ij*, *quas* denuò (*rejecto phlegmate relicto*) cum *libris totidem vini Malvatici recentis* commiſceas, ac iterum deſtillando ℔ *ij*, evoces: Idem labor addito *vino Malvatico recenti* adhuc ſemel reiteretur, rejecto ſemper *phlegmate relicto inutili*, & quod prodiit *vinum ſummè ſpirituoſum & fragrantiſſimum*, cum *Sacchari ſ. q.* redigatur in *Iulepum* ſine *coctione* ulteriori, ſed ſolâ diſſolutione: cujus *uncia una* plus præſtabit, quàm vulgariter parati *libra una*.

Julep Violarum.

℞. Aquæ Violarum ex floribus lib. tres,
Sacchari clarificati libras duas,
Coque, ut Julep Roſarum.

Febrium incendia reprimit, inſomniam levat: gutturis, faucium, ac aſperæ arteriæ afflictionibus à ſalſi aut acris humoris influxu enatis ſuccurrit, calidis inſuper, ac ſiccis pectoris morbis apprimè convenit, & cordi ſupercalefacto auxiliatur.

ANIMADVERSIONES.

Iulepum hunc *Violaceum* ex *aqua* conficere *Violarum*, minùs proficuum videtur; *Aqua* enim exiguam ſaltem ſpirat *Violarum* fragrantiam, & meo quidem judicio magis efficax & laudabile efficeretur *Iulapium*, ſi idipſum ex ſecunda *florum infuſione* (dum in *Syrupi Violarum* confectione occupati ſumus) fieret, uti in *Animadverſionibus* ſuper eundem *Syrupum* ſuperiùs monuimus; Si tamen præcisè ex *aqua Violarum* parandus eſſet, poſſemus imitari modum in præparatione *Iulepi Roſarum* ſub finem *Animadverſionum* à nobis commendatum, quò benevolum Lectorem relego.

Miva Cydoniorum ſimplex Meſuæ.

℞. Succi Cydoniorum medii ſaporis depurati libras duodecim,
Coquantur ad medietatem: tum adde
Vini albi veteris libras quinque:
Coquantur lento igne, crebrò deſpumando, ad tertiæ partis conſumptionem: poſtquam reſederit cola & adde
Sacchari libras tres.
Coquantur demum ad juſtam conſiſtentiam.

Adverſus alvi profluvia efficax, ventriculum & cætera viſcera firmat, ac vomitionem prohibet.

ANIMADVERSIONES.

Quæ de *vino veteri* nunc dicenda eſſent, quàm perperam illud confectionibus, ſive illæ ſimplices ſint, ſive aromaticæ, à quibus denuò per evaporationem idipſum propellere neceſſum eſt, addatur, jam ad nauſeam uſque ſuperiùs in *Animadverſionibus* ſuper *Iulepum de vino* dicta ſunt; Præſtat igitur *Mivam hanc Cydoniorum* tali modo conficere:

℞. *Succi Cydoniorum per reſidentiam depurati* ℔ *xij*,
Muſti vini recentis clari ℔ *v*,
Coquantur lento igne ad remanentiam ℔ *iv.* circiter, adde tandem
Sacchari albi ℔ *iij*,
Et ad conſiſtentiam Mivæ percoque.

Nota: Si quis loco *Muſti vini*, tantum adhuc vellet addere *ſucci Cydoniorum recentis*, ipſi non repugnarem.

Miva Cydoniorum Aromatica Nicolai.

℞. Succi Cydoniorum acidorum libras viginti,
Vini albi potentis veteris lib. decem,
Sacchari aut mellis optimi deſpumati libras ſex.
Coquantur ad perfectionem: poſtea impone ſequentia Aromata in ſindone ligata,

Cinamomi electi,
Cardamomi majoris ana drachm. tres,
Caryophyllorum drachm. duas,
Zingiberis,
Mastiches,
Ligni aloës,
Macis ana drachmam unam semis,
Croci drachmas duas.

Omnia, excepto Croco, parum terantur, & nodulo ligata suspendantur, identidem confricando in ipso medicamento, donec crassescat: deinde sublatum ab igne aromatiza cum

Moschi scrupulo uno,
Trochiscorum Galliæ Moschatæ veræ drachmis duabus.
Fiat, ut est artis.

Ventriculum frigidum & humidum, & à pituitosis humoribus laxum constringit: ob id diarrhœam inde causatam refrænat, præcipuè verò lienteriam cohibet, concoctricis facultatis vires plurimum auget, omnemque ventriculi vim frigore sopitam exuscitat, ac stomachi exolutiones avertit.

ANIMADVERSIONES.

Quod de *vino veteri* in præcedenti *Miva Cydoniorum simplici* innuimus, etiam huc trahatur; Possemus etiam de *Aromatibus*, quæ demùm ad perfectionem *decoctæ Mivæ*, in sindone ligata, imponi sinistrè jubentur, plura verba facere; ast ne multi simus, cùm jam in præcedentibus errorem hunc excusserimus, ad ipsam *Mivæ* hujus dexteriorem præparationem rectà progrediamur; quæ talis:

℞. *Succi Cydoniorum recentis* ℔ *xx*,
Musti Vini recentis ℔ *vj*,

Coquantur vel inspissentur per se ad consistentiam *Mivæ* vel *Syrupi crassioris*; Jam verò

℞. *Aromata supradicta in compositione*,

Quibus crassiusculè incisis & contusis, nec non Cucurbitæ vitreæ immissis superaffunde

Vini albi potentis veteris ℔ *iiij*,

Et destilla in arena vel M. B. apposito capitello, ad remanentiam *duarum librarum*; rostro capitelli imponendo

Moschum &
Galliam Moschatam,

Ut in destillatione *odor* & *essentia* eorum ab *aqua spirituosa* prodeunte eliciatur. Hanc *aquam fragrantissimam Aromaticam* seorsim asserva; Remanentes in fundo Cucurbitæ species prælo subjice, *expressum* clarifica & cum

Sacchari albi vel clarificati ℔ *vj*,

ad consistentiam *Tabulati* percoque. Tandem illi junge

Succum Cydoniorum una cum Musto inspissatum & superiùs asservatum
Nec non
Aquam illam perquam fragrantem, ac summè spirituosam, a speciebus aromaticis destillatione abstractam,

tumque solà dissolutione para *Mivam Cydoniorum aromaticam regiam & præstantissimam.*

Nota: Quod *mustum vino veteri*, si coctioni submittendum aut inspissandum sit, præferam, non sinè prægnanti ratione fit, cùm insignis inter illa sit differentia; Nam *illud immaturum est vinum*, & instar *succi cujusdam fructus*, destillationi commissum, *aquam veluti elementarem* præbet *insipidam*, remanente *succo residuo inspissato, gustui grato, ac virtutibus ventriculum roborantibus & modicè adstringentibus prædito*: *Hoc* verò *maturum est, fermentatum*, & levi caloris pulsu aut lenissimo igne destillatum *spiritum* emittit *ardentem*, & quidem imprimis, remanente in residuo, *phlegmate nauseabundo, ingrato*, ventriculum invertente, & non nisi porcis saginandis ferculum conducibile.

Diacaryon, seu Rob Nucum Galeni & Mesuæ.

℞. Succi corticum viridium Juglandium diebus canicularibus extracti libras quatuor,
Mellis libras duas.
Coquantur, ut est artis.

Stomaticum est Medicamentum: admodùm efficax ad oris phlegmonas & synanchas, destillationes tenues in fauces & alias præfocantes, pueris, mulieribus naturisque humidis magnoperè commodatum. Mesuæ ex Gal.

Gal. lib. 6. κτ͂ τόπȣς *capite 2. Phlegmonarum initiis adstringentium aliquid vult miscendum, ut Rosas, Balaustia : in statu Crocum, & Myrrham : in declinatione Nitrum, Salem Ammoniacum, & similia.*

Diamoron simplex Galeni.

℞. Succi mororum domesticorum libras quinque,
Mellis libram unam.
Clarificetur primùm succus : deinde cum melle coquatur ad justam consistentiam.

Phlegmonarum principiis salubre : cujus vires augentur additis repellentibus, & adstringentibus ; qualia sunt Alumen, Omphacium, Rhus, Rosæ, Balaustia, Malicorium, Cytinus, Galla immatura, Hypocistidis aut Lentisci succus.

Diamoron compositum ejusdem.

Præparatur, ut prius jam modò descriptum, addendo prædictis
Myrrhæ,
Croci ana drachmam unam semis,
Omphacii seu Agrestæ unciam unam.
Coquatur Omphacium cum succo Mororum & Melle. Myrrha verò & Crocus sub finem adjiciantur, cum scilicet ab igne remotum fuerit Medicamentum.

Phlegmonis ad statum provectis, quibus concoquentia & digerentia Medicamenta adhibere convenit, maximè prodest ; etenim privatim concoctoriâ inflammationum vi præditum est.

Diamoron usitatum Nicolai.

℞. Succi Mororum Batinorum, id est Rubi, libram unam,
Mororum Celsi libram semis,
Mellis libram unam,
Sapæ uncias tres.
Succos Mororum priùs depuratos cum melle & sapa in vase lapideo suaviter decoque : coctum percola & serva.

Ad faucium ardores, serpentia oris ulcera, gulæ, columellæ & tonsillarum inflammationes, anginæque principia efficax existit, estque ejus usus præ cæteris creberrimus.

Mora Celsa, seu Domestica nostris Maulbeer dicuntur. Mora verò Sylvestria sunt Mora Rubi Bati, quæ Brombeer & Himbeer vulgari idiomate appellantur.

Rob de Agresta.

℞. Omphacii, seu Agrestæ libras duas,
Sacchari optimi libram unam.
Coque ad spissitudinem mellis.

Refrigerat & adstringit; unde fluxus malignos ac colliquantes coërcet, sitim sedat, biliosos ructus compescit, & contagiosis morbis opitulatur.

Rob de Berberibus simplex.

℞. Succi de Berberib. libras tres, vel quantum volueris.
Coquantur per se ad spissitudinem mellis.

Rob de Berberibus compositum.

℞. Succi de Berberib. depurati lib. duas,
Sacchari optimi libram unam.
Coquantur, ut est artis.

Utrumque valenter refrigerat, ac præter adstrictionem nonnihil incidentis facultatis habet, bilem ventriculo infestam reprimit ; inde enata ventris profluvia sistit, & sitim inexpletam pacat : febribus ob id biliosis, ac tertianis opportunum.

Compositum cum Syrupi superiùs traditi, descriptione concordat, præterquam quòd Syrupus plus Sacchari admittit : est tamen apud nos Rob magis in usu quàm Syrupus.

Rob Cerasorum simplex.

Paratur eodem modo, quo proximè antecedens Rob de Berberibus simplex.

Fervores internos extinguit, sitim sedat, cor roborat, ejusdemque calores præternaturales suaviter temperat.

Rob de Cornis.

℞. Succi pulpæ Cornorum libras duas,
Sacchari libram unam.
Coquantur secundum artem.

Potenter adstringit; unde in fluxibus ventris, dysenteria, lienteria & cœliaca utiliter exhibetur.

Rob Cydoniorum.

℞. Succi Cydoniorum artificiosè depurati libras sex.
Coque ad duarum partium absumptionem, seu ad mellis spissitudinem.

Ejus multiplex usus esse solet in diarrhœa biliosa, dysenteria, ac alvi profluviis à calidis & acribus humoribus concitatis, vomitiones & stomachi subversiones emendat: choleræ morbo medetur, intestinorum hæmorrhagiam cohibet, venenatis morbis adversatur & sudores, potissimùm tamen in adultis ac ætate provectis, promovet.

Notandum, ut probè succus depuretur, eundem priùs calefieri, deinde verò ut resideat, reponi debere. Quod ubi factum, tùm demum lento igne coquendus. Adhibenda porrò sunt vasa ad succos hos acidos figulina vitreata, vel omninò lapidea, prout supra in prolegomenis monuimus.

Rob Cynosbati.

Fit, ut Rob de Cornis ex caliculis rosarum sylvestrium, qui post florum defluvium circa finem autumni, vel medio autumno, pulcherrimo rubore maturescunt.

Usurpatur Rob prædictum ex Cynorrhodo Barbari, qui alius Cynosbatus dicitur, ad renum calculos atterendos, & arenulas eorundem expurgandas; hæmorrhagias etiam uteri, renum ac vesicæ cohibendas: dysentericis quoque auxilio est.

Rob Ebulinum.

℞. Succi granorum Ebuli libram unam.
Inspissetur per se lento igne, addita libra semis Sacchari.

Bilem, pituitam, aquasque modestè detrahit, sudores movet, ac ob prædicta hydropicos adjuvat: leucophlegmatiæ medetur & podagricis procurato ab ejus sumptione sudore benefacit.

Rob Juniperinum.

Eodem modo quo prius parari consuevit.

Frigidis ventriculi, uteri, ac intestinorum malis magnoperè prodest, urinas, menses calculosque ejicit, renes & vesicam à mucositate repurgat; flatus ventris discutit, venena pellit, ob id plebi adversus aëris infectionem, & contagiosos morbos antidotum familiare existit, ac pectus à crudo, crasso & tenaciùs infarcto phlegmate expurgat.

Rob Prunorum Sylvestrium.

Fit ex pulpa prunorum sylvestrium, seu ex fructu spinosi fruticis Acaciæ.

Dysenteriam, diarrhœam ac ventris profluvia, præsertim verò serosa & biliosa potenter adstringendo retardat, ac retentricem cùm ventriculi, tùm intestinorum facultatem confirmat.

Rob de Ribes utrumque.

Paratur utrumque, ut Rob de Berberibus.

Non intelligimus hoc loco Ribes è Syriæ montanis allatum, sed nostrum. Ad refrigerandum, adstringendum & ventriculum cæteraque viscera fervoris intemperie dissoluta recreanda & confirmanda proficuum, sitim restinguit, partim eam, quæ ex ventriculo concalefacto, tùm eam, quæ ex cordis omniumque partium intemperie sicca & calida orta est, calorem febrilem mitigat,

tigat, ventriculum firmat, vomitum biliosum reprimit, felleas alvi excretiones sistit, choleræ medicatur, hæmorrhagiam curat, cardiacis succurrit, pestilente cœlo efficax, undique nata exanthemata sanat, ac ebrietati resistit.

Rob Sambucinum.

Fit ut Ebulinum.

Ebulino viribus affine est: etenim ictericos & hydropicos juvat, sudoresque potenter prolicit, ac serum acre, nec non biliosi ichoris abundantiam, & erysipelata ante sudorem sumptum ejicit.

Rob Veronicæ.

℞. Succi Veronicæ libras duas,
Sacchari libram unam.
Fiat Rob.

Utiliter pulmoniacis ac phthisicis lingendum porrigitur; sed & urinarios meatus repurgat, renumque calculos atterit, sanguinem mundificat, sudores prolicit, & malignis pestilentibusque febribus adversatur; datur sanguinem screantibus, ab alto lapsis, qui vasis alicujus interni rupturam passi sunt.

ANIMADVERSIONES

In Diacaryon seu Rob Nucum Galeni & Mesuæ, & reliqua subsequentia omnia ex succis paranda, exceptis Rob de Cornis, Cynosbati & Iuniperino.

Parentur juxta modos præscriptos, simplici nimirùm *coctione*; Ex similibus enim *Succis recentibus fructuum*, vix *spirituosi* quidpiam, sed potiùs *humiditas* quædam *elementaris* in coctura exhalat.

ANIMADVERSIONES

In Rob de Cornis, Cynosbati & Iuniperinum.

Haud benè præcipiunt ex *succis* prædictorum *fructuum* enumerata *Rob* conficienda esse, cùm nemo *ista* unquam ex *succis* paraverit aut parare potuerit: Etenim *fructus* illi *succos* non præbent, sed necessum est, ut *affusâ aquâ*, aliquandiu coquantur, donec mollescant, *pulpasque* vel *decocta crassa* suppeditent, quæ per setaceum vel linteum cogenda & trajicienda sunt; ex quibus tandem inspissatis, & ab humiditate superflua mediante evaporatione liberatis, *Rob* confici possunt, cùm, vel sine additione *Sacchari*, prout cuivis libuerit.

De *Rob Iuniperino* autem ut singulariter aliquid addam moneamque, operæ precium duxi, ne id, quod toties inculcavimus, hîc prætereamus. *Grana Iuniperi*, utpote ex planta vel arbuscula calida & sulphurea oriunda, *oleum* præbent efficacissimum, ad plurimos, cùm internos, tùm externos humani corporis affectus, maximè proficuum; *Id* inquam in coctura illa diuturnâ, quam *grana* hæc desiderant, si ex illis *Rob* vel *pulpam* conficere lubido fuerit, totaliter exspirat & in auras evanescit: reddetur proindè *Rob* inodorum & inefficax, utpotè virtutibus potioribus *granorum* dictorum diuturnâ cocturâ deperditis. Cui tamen errori mederi poterimus, si jam perfectè cocto & parato *Rob*, aliquantillum *olei* ex iisdem *baccis Iuniperinis* destillati addamus; maximè ubi tempore pestis eo uti voluerimus. Fiat autem prius ex *oleo prædicto* & *Sacchara albo pulverisato* mixtura, quam *Elæosaccharum* vocant, eamque tandem dicto *Rob* optimè admisce. Quantitas verò *olei* pro diversitate affectuum augeri & imminui potest; communiter tamen ℈ j ß. *vel* ℈ ij *olei*, *ad* ℔ j, *Rob*, sufficient.

MEDICAMENTORUM PHARMACOPOEIÆ AUGUSTANÆ CLASSIS SECUNDA,

Continens

SYRUPOS PURGANTES,

Nec-non

Iisdem Annexas Animadversiones.

Syrupus Florum Acaciæ.

Paratur ex multiplici infusione florum, ad normam Syrupi rosati laxativi simplicis.

SYrupi rosati vires æmulatur: ichores enim sanguini admixtos, tenueque serum leniter expurgat, ac blandè alvum subducit.

ANIMADVERSIONES.

COmmodissimè parari poterit ad normam *Syrupi rosati simplicis* præcedentis; Videantur tamen *Animadversiones* nostræ subsequentes super *Syrupum rosatum solutivum simplicem.*

Syrupus de Carthamo.

℞. Adianthi albi,
Hyssopi,
Thymi,
Origani,
Chamædryos,
Chamæpityos,
Scolopendrii,
Buglossi ana manip. semis,
Cuscutæ,
Vesicariæ, seu Halicacabi ana unciam semis,
Rad. Angelicæ,
Glycyrrhizæ,
Fœniculi,
Asparagi ana unciam unam,
Polypodii quercini unc. unam semis,
Corticum Tamarisci unciam semis,
Sem. Anisi,
Fœniculi,
Ammeos,
Dauci ana unciam unam,
Carthami leviter contusi uncias quatuor,
Uvarum passarum exossatarum uncias duas.

Decoque in aquâ ad tertias: postea colentur, ac colaturæ calenti infunde

Foliorum Senæ repurgatæ unciam unam semis,
Agarici Trochiscati unciam semis,
Rhabarbari electi drachmas sex,
Zingiberis drachmam unam.

Macerentur per noctem, ac sequenti die post validam expressionem colentur: postmodùm adde

Sacchari albissimi libram unam,
Syrupi Violati solutivi,
Rosati solutivi,
Acetosi simplicis ana unc. duas.

Coquantur iterum modicè ad justam consistentiam.

FEbribus inveteratis, quotidianis, quartanis & obstructionibus viscerum ex humoribus crassis, ac pituitâ enatis opitulatur: incidit, extenuat, aperit, nec non pituitosos & serosos humores leniter per alvum educit, ac extergit.

SYrupus hic de Carthamo, vel Diacnicu dictus, describitur ab Andernaco Comment. 2. de vet. & nov. Medicinâ dial. 7. in cujus structurâ Norimbergenses Thymum ac Polypodium omittunt, ac seminis Anisi, Fœniculi, Ammeos, & Dauci, unciam tantùm dimidiam legunt, cum auctor unciam adscribat. Vide editionem Andernaci Basiliensem Anni 1571.

ANIMADVERSIONES.

QUod inconcinniter, ac sine omni ratione sæpè numerò plures, quàm necesse esset, nonnunquam etiam sibi invicem repugnantes species, saltem ut pomposas & magnificas efficiant suas medicaminum compositiones, Medici cùm prisci, tum moderni, corradant & consarcinent, de eo jam superiùs satis querelarum fuit; quas libentes nunc demùm mitteremus, nisi denuò mox sub ipso auspicio *hujus Classis secundæ Syruporum purgantium* similes, imò majores, pluresque sese nobis obviam sisterent errores, quos non aliter possumus, quàm ut sub incudem rectæ rationis & judicii aliquantum revocemus, eosque pro virili diluamus. Inter illos autem non minimi sunt, qui in *Syrupo hoc de Carthamo dicto*, sese offerunt, mox mox ventilandi. Nimirùm apud Philosophos saniores ratum est & firmum, quod *omne recipiens recipiat saltem ad modum suæ receptivitatis non ad imprimentis.* Hoc ipsum (ut alia exempla taceam) satis manifestum est & evidens in *Extractionibus Hermeticis*, fientibus beneficio alicujus *liquoris*, quod *Menstruum* Spagyrici appellant. Nàm si *liquor aliquis sive Menstruum*, rei cuipiam extrahendæ affundatur, ac cum eo satis diu digeratur, nunquam plus extrahet vel recipiet, quàm quantum continere potest. Exemplo sit *spiritus vini*, qui, si *essentiâ* vel *tincturâ* alicujus *Vegetabilis*, vel alterius rei *mineralis* aut *animalis* saturatè imbutus, recentibus speciebus pro earundem essentiâ vel tincturâ extrahendâ superaffundatur, & si vel menses aliquot vel annos etiam cum adjectis speciebus in digestione servetur, apparet, quod ne tantillum quidem ampliùs in se receperit, quàm quod antea extraxerit, antequam illum aliis speciebus affudisti; Adeò ut si plus de essentia illarum rerum, quà ille imprægnatus est, desideres, alium recentem spiritum illis affundas necessum sit: secùs enim si operatus fueris, & oleum, quod dicitur, & operam perdes. Idem etiam in *liquoribus acidis* usu venit, sive *Vegetabiles* illi fiant, sive *Minerales*: Nunquam enim experiêre hosce *liquores*, si semel e. g. *Coralliis* affusi, tantum de ipsis extraxerint vel dissolverint, quantum extrahere vel dissolvere potuere, ulterius recentibus *Coralliis* vel aliis rebus superaffusos, extrahere vel elicere quicquā. Sic & *aqua simplex vel destillata* in *infusionibus & decoctionibus* pro *Syrupis* aut aliis similibus confectionibus, *Menstruum* est, cujus ope vires ingredientium specierum elici debent: Hoc ipsum *Menstruum* sive *aqua*, speciebus extrahendis affusa, & cum iisdem cocta vel digesta, tantum in se recipit, quantum aptè suscipere & retinere potest, & ubi virtute specierum illarum sufficienter imbuta, iterumque aliis recentibus speciebus affundatur, tùm nil ampliùs ex iisdem, vel elicit, vel elicere potest, quia, uti superiùs dictum, *Nihil recipit ultrà suum posse, sive modum suæ receptivitatis.* Ex dictis jam quilibet facilè colligere potest, quid quantumque *aqua illa*, cum tanta *Syrupi* (quem nunc præ manibus habemus) ingredientium farragine, ad tertias decocta, ac satis superque virtutibus eorundem imbuta possit, reaffusa aliis recentibus *speciebus purgantibus*, pro *vi cathartica* eorundem extrahenda, unde postea *Syrupus* virtutem & efficaciam *purgandi* sortiatur; Certè meo judicio vel parùm admodùm vel prorsus nihil. Alter non minùs crassus error, qui *Syrupi* hujus confectionem defœdat, est, quod *radicum, herbarum, ac seminum plurimorum ingredientium partes subtiliores odoriferæ & aromaticæ* in diuturna *coctione* penitùs expirent & deperdantur, nec de iis quicquam *Syrupo* accedat. Reliquos quoad *Purgantia* & plurima alia *ingredientia* commissos errores lubens taceo, cùm mei instituti non sit, compositiones traditas in totum evertere, sed saltem veram & genuinam earundem præparandi rationem demonstrare, quam & mox hîc subjungam, quaque benè intellectâ præparationes etiam reliquorum cuivis faciliùs innotescent.

℞. Spe-

℞. *Species pro decocto primo, superiùs denominatas,*

Quibus incisis & contusis nec non Cucurbitæ vitreæ immissis, superaffunde

Aquæ fontanæ ℔ *v.*

Destillentur apposito Capitello ad remanentiam trium librarum circiter, *Aquâ destillatâ interim asservatâ*: Species in Alembico relictæ exprimantur, & *expressus liquor albumine ovorum clarificetur.* Tùm

℞. *Species purgantes pro secunda infusione superius quoque indigitatas.*

Quibus incisis crassiusculè superaffunde *decoctum superiùs clarificatum*, stentque in infusione per diem, coquantur postea parùm & exprimantur; *Relictis speciebus purgantibus* affunde *aquam superius à primò decocto destillatam*, & ut antea digere, ac tandem exprime. *Binas hasce colaturas conjunctas & albumine ovorum clarificatas*, addita *Sacchari* ℔ *j* in *Syrupi* consistentiam percoque; Cui demùm adjungantur Syrupi utpotè.

Syr. Violarum solutivus,
Rosatus solutivus, &
Acetosus simplex.

Equidem impossibilè est, quin in tanta ingredientium farragine, & horum respectu, tam diminutâ quantitate *Sacchari*, virtutum nonnullarum rerum fiat deperditio; Nihilominùs tamen hic *Syrupus*, si nostro modo præparetur, longè majorem habebit *vim purgandi*, ob duplicem *infusionem* & *extractionem specierum purgantium*, factam, primò cum *decocto clarificato*, quod in clarificatione tenuius evasit; consequenter etiam aptiùs magisque dispositum ad extrahendas *purgantium vires*, quàm alioquin crassum nec clarificatum *decoctum*: Et secundò cum *Aqua destillata* propria, utpotè quæ tenuis admodum & præstantissima, virtutes *purgantium* relictas egregiè elicere potest. Si mihi tamen res committeretur, si non omnes *species primæ decoctionis* omitterem, & sola *aqua simpl. s. q. purgantes species* extraherem, ad minimum *odorifera & balsamica* arcerem, & loco horum, eorundem *olea destillata*, beneficio *Sacchari pulverisati* in *Elæosaccharum* redacta, *Syrupo* ultimò odoris & suavitatis gratiâ adderem. Possem nec non alios modos præparandi, & quidem paulò artificiosiores adducere, ne tanta rerum ingredientium fieret jactura, sed ob dictarum ingredientium diversitatem, intricatissimi essent, qui vix à quibusdam Pharmacopœis percipi possent: idcircò quantum possibile fuit, simplicitati studui, ne habeant quod conquerantur Pharmacopœi, de laboriosa conficiendi ratione.

Syrupus de Cichorio cum Rhabarbaro Nicolai Florentini.

℞. Endiviæ domesticæ,
Sylvestris ana manip. duos semis,
Cichorii,
Taraxaci ana manipulos duos,
Cicerbitæ, seu Sonchi levis,
Hepaticæ, seu Lichenis,
Lactucæ domesticæ,
Fumiterræ,
Lupulorum ana manipulum unum,
Hordei integri uncias duas,
Capillorum Veneris uncias duas & drachmas duas,
Vesicariæ, seu Halicacabi,
Glycyrrhizæ,
Ceterach,
Cuscutæ ana drachmas sex,
Adianti vulgaris, seu Rutæ Murariæ,
Rad. Fœniculi,
Apii,
Asparagi ana uncias duas.

Decoquantur in aquæ libris triginta, ad medietatis consumptionem: deinde cum Sacchari albi clarificati libris decem fiat Syrupus. Pro cujus decocti unaquaque librâ inter coquendum adjiciantur

Rhabarbari optimi uncia semis,
Spicæ scrupuli duo.

Ligato hæc in linteolum rarum & exprime in decocto, bulliendo parùm priusquam Saccharum adjiciatur: deinde in percocto Syrupo suspendantur.

Usurpatur ad jecoris intemperiem calidam, obstructionem, fellis suffusionem, seu icterum, splenicis & melanchol cis confert, cachexiam, & viscerum impuritatem, omnemque materiam venenatam solvit, nutritionis

tionis instrumenta firmat, humoresque vitiosos per urinam & secessum educit; peculiariter verò epilepticis subvenit, maximè pueris: quem in hoc casu mirificè commendabat Montanus, imò asserebat Nicolaum eundem ad epilepsiam propulsandam composuisse.

IN hoc Syrupo, etiam in prioribus editionibus, consultò omissum fuit, Polytrichum cum Scariola: Endiviæ porrò & capillorum Veneris quantitas non sine ratione adaucta. Et quoniam Epaticus verè est, Rhabarbari etiam dosin augere, ejusque pro unaquaque decocti, (non Sacchari ut in prioribus) librâ unciam semis sumere consultum judicavimus: Retinentis intereà Spicæ eandem: quòd in majori sumpta (ut Petrus Coudenb. rectè monet) & sapore & odore Syrupus magis ingratus redderetur. Si qui fortè Rhabarbari dosin adhuc augendam censent, prout ex Nicolai Præpositi sententia in quibusdam locis fieri legimus, nec nos quidem improbamus: pro nostro tamen usu, hanc quantitatem, plurium aliorum authoritate nixi elegimus. Vide Renod. Describitur à Nicolao Florentino Sermone 5. de obstruct. hepatis.

SYrupum hunc præparandi magna est apud plerosque disparitas. Nobis hic modus probatur, ut hordeum cum radicibus & herbis aridis horis viginti quatuor in dicta aquæ quantitate infundatur, deinde simul omnia decoquantur ad medias. De hoc decocto transcolato portio aliqua reservetur, quanta sufficere videbitur, in qua Rhabarbari optimi minutim incisi unciæ septem semis, & Spicæ drachmæ duæ & scrupuli duo, horis ad minimum duodecim infundi possint: quæ postmodum simul bulliant, ac leniter exprimantur, atque hæc ipsa una cum suo hoc liquore priori jam ferè sufficienter in Syrupum cocto addita, in perfectum Syrupum inspissentur, Spicam & Rhabarbarum panniculo illigata in Syrupo imposterum demersa retinendo; atque sic Rhabarbari & Spicæ vires Syrupo facultatem suam tradunt, cujus vis sola in Syrupum suspensione post additum Saccharum alioquin vix animadverteretur.

ANIMADVERSIONES.

MUltæ quidem *Animadversiones*, huic *Syrupo* adjectæ sunt, parum autem ad rem facientes; ex quibus tamen ultimam, quæ *Rhabarbarum* in *decocto transcolato* coquere jubet, præ reliquis amplecterer, si nodum tangeret, sed & ipsa manca est & mutila: Proindè omnium optimùm erit, *Syrupum* hunc conficere ad modum præcedentis *de Carthamo*, præmissa non quidem destillatione, sed duntaxat clarificatione *decocti*, antequam *Rhabarbarum* cum Spicanardo eidem extrahenda committantur; Quod ipsum *decoctum* studiosè defæcatum, *Rhabarbaro* pro meliori ejus extractione, bis affundi, ac denuò colatum & clarificatum cum *Saccharo*, ad debitam *Syrupi* consistentiam, percoqui poterit.

Syrupus Diasereos Andernaci.

℞. Intybi latifolii, seu Endiviæ,
Cichorii ana manip. tres,
Adianti albi, seu Rutæ Murariæ,
Nigri seu Capillorum Veneris,
Agrimoniæ,
Scolopendrii, seu Ceterach,
Lupuli,
Fumariæ ana manipulum semis,
Granorum Halicacabi,
Cuscutæ ana drachmas tres.
Rad. Apii,
Fœniculi,
Asparagi ana unciam semis,
Polypodii quercini unc. unam,
Glycyrrhizæ drachmas sex,
Sem. Cnici unciam unam semis,
Quatuor frigid. majorum ana drachmas duas,
Hordei non excorticati pugillos duos,
Sem. Endiviæ,
Cichorii ana drach. unam semis,
Uvarum Passarum unciam unam,
Prunorum Damascenor. num. viginti,
Flor. Borraginis,
Buglossi,
Violarum ana pugillum unum,
Myrobal. Citrinorum,
Chebulorum ana unc. semis.

Omnia in aquâ ad tertias decoquantur, & in hujus decocti ritè colati librâ & semisse macerentur seorsim per noctem

Rhabarbari electi unciæ duæ semis,
Agarici Trochiscati uncia una,
Foliorum Senæ uncia una semis,
Zingiberis,
Cinamomi ana drachma.

Expressis, colatisque iterum adde

Sacchari optimi libram,
Syrupi Rosati solutivi uncias tres.

Mixta omnia rursus modicè coquantur ad justam spissitudinem.

AD viscerum obstructiones, febres & alia inde provenientia mala efficax, aurigi-nosos, felle suffusos, cachecticos, hydropicosque plurimùm adjuvat: renes etiam emungit, ac corpori bonum colorem conciliat.

CUm Seris Medicamenti hujus basis existat, nimis autem parca nobis visa fuerit Intybi & Cichorii quantitas, idcirco earundem herbarum portionem triplicandam censuimus, ut Syrupus evadat efficacior. Describitur ab Andernaco Comment. 2. Dialogo 7. de veteri & novâ Medicina.

ANIMADVERSIONES.

SYrupi hujus præscripta præparatio plures involvit difficultates, quæ tamen maximam partem eveniunt, ratione exiguæ quantitatis *aquæ*, tàm ingenti specierum ingredientium copiæ deputatæ, utpotè quâ illæ vix sufficienter humectari, ne dum decoqui, multò minus competenti modo extrahi queunt. Hinc adeò fit, ut parùm efficax hic *Syrupus* in Pharmacopoliis prostet, quantumvis ipsi Pharmacopœi saniores, tàm exiguâ quantitate *aquæ*, pro decoquenda tantâ farragine specierum, pro majori parte inutilium, contenti non sint; nihilominùs tamen nec hi totaliter rem ex debito peragunt: Etenim si benè & ex arte hic *Syrupus* confectus sit, *unica ejus uncia* integrum constituet *Pharmacum* & in se continebit vires *duorum scrupulorum ac granorum tredecim Rhabarbari; Scrupuli unius Agarici trochiscati; & drachmæ dimidiæ foliorum Senæ*; tacco, quam insuper à *Syrupo rosato solutivo* mutuaretur *virtutem laxativam*. Reliquos errores prægrandes non minùs, qui circà præscriptum *Syrupi* hujus conficiendi modum occurrunt, brevitatis causâ omitto: genuinam ejus præparationem annectens, quæ tùm institui poterit in modum *Syrupi de Carthamo*, nimirùm destillando *decoctum* priusquàm illud extrahendis speciebus purgantibus affundatur, (eò enim meliùs earundem fiet extractio,) vel si huic labori parcere animus esset, poterit fieri ejusdem præparatio modo sequenti: Nimirùm

℞. *Species supradictas primi decocti*,

Quas incisas & contusas, coque in *aquæ simplicis* ℔ *x*, ad tertiæ partis consumptionem, sive remanentiam circiter *librarum sex*, factaque colaturâ & expressione *decoctum* expressum *albumine ovorum* optimè clarificetur. Tum

℞. *Species subsequentes purgantes crassiusculè incisas*,

Quibus affunde *decocti superioris clarificati* ℔ *iij*, stent per aliquot horas in digestione loco calido, & post unam vel alteram ebullitionem fiat, cum expressione leni, colatura; *remanentibus speciebus Catharticis residuæ tres libræ decocti superioris clarificati* affundantur, & iterùm post digestionem aliquot horarum, ac unam vel alteram ebullitionem, lenis instituatur expressio. Tandem etiam, ne quidquam virtutis, catharticæ *speciebus purgantibus* remaneat, adhuc semel iisdem superaffundantur *aquæ simplicis* ℔ *ij*, reiteratâ ut antea post unam vel alteram ebullitionem colaturâ & expressione; Has *extractiones & decoctiones* omnes conjunctas, *albumine ovorum* denuò clarifica: Clarificatas cum *Sacchari destinato pondere* ad debitam consistentiam *Syrupi* percoque; cui postremò *Syrupum rosatum solutivum* admiscere, sicque usui reservare poteris.

Syrupus Domesticus seu de Spina infectoria, quam vulgus Spinam Cervinam vocat.

℞. Baccarum fruticis illius, quem Spinam Cervinam vocant, circa finem Septembris aut Octobris initio collectarum quantitatem sufficientem:

Con-

Contundantur in pilâ lapideâ, deinde exprimendo colentur: Succus expressus coquatur lento igne, donec quarta pars absumatur, atque iterum coletur.

℞. Hujus colati libras duas,
Sacchari uncias sedecim,

Coquantur simul, donec Syrupi benè coctí consistentiam acquirant; adjiciendo in fine

Anisi,
Mastiches, ana ℥ iij,
Zingiberis,
Cinamomi,
Caryophyllorum ana drachm. unam semis.

Fiat Syrupus.

Syrupus Domesticus sic dictus, quòd familiariter eo uti possimus, bilem, pituitam & serosos maximè humores purgat; unde ejus usus praecipuus in cachexia, hydrope, ac arthritide. Consule de eo Reinerium Solenandrum in Consiliis.

Baccas semicontusas quatuor diebus in fictili vitreato macerari per se in loco calido permittito, & efficacior succus reddetur. Cujus libras duas cum Sacchari vel Mellis libra una semis decoquunt ad Syrupi spissitudinem: demum linteolo rariore colato addunt Cinamomi, Zingiberis ana unciam semis, Caryophyllorum drachmas duas; fiat Syrupus. Hunc ita Matthiolus in Dioscorid. praeparat lib. 1. c. 102. de Rhamnis.

Caveant Pharmacopaei, ne pro Cervispinae baccis, similitudine forsan decepti, Alaterni baccas accipiant.

ANIMADVERSIONES.

Unicum in *Syrupi* hujus assignata praeparatione mihi displicet, quòd nimirùm perfecto & ad debitam suam consistentiam cocto *Syrupo*, *Species illa Aromatica*, quarum, in compositione praescripta, fit mentio, quaeque non solum palato gratum & amabilem *Syrupum* reddere, sed insuper etiam eundem (uti quidem existimant) corrigere debent, quò minùs ventriculo noxam aliquam inferat, sub finem demùm addantur. Nam uti superiùs aliquoties demonstravimus, *Syrupi* jam confecti, tùm ad suam crassitiem, tùm etiam quod jam ante virtutibus specierum ex quibus compositi sufficienter imbuti sint, ad extrahendas quarumcunque rerum essentias inepti ac inhabiles sunt; Quam ob causam, diù mecum cogitavi, quâ viâ, quaque ratione, hic & similes *Syrupi purgantes*, parari possent, ut viribus specierum ingredientium, praesertim *aromatum*, quae illis addi praecipiuntur, ob saporis saltem & odoris gratiam, penitùs imbuerentur, nec iisdem (uti communiter fit) tantoperè spoliarentur: Ast vix modum hactenus invenire potui, qui votum meum omnimodè expleret, cùm tanta saepenumerò in quamplurimis cùm *Syrupis* tùm aliis compositionibus, ingredientium non raró inter se repugnantium, farragò adsit, ut si unum integrè conservare studeamus, alterum vel inviti eamus perditum. Nec parum ad hoc facit, exigua illa, multoties *Syrupis* destinata *Sacchari* quantitas, quae parcam etiam exigit liquoris additionem. Hisce tamen non obstantibus, adjiciam duos modos, ad quorum imitationem, & huic, de quo nobis nunc sermo est, & aliis consimilibus *Syrupis*, *vis aromatica* ingredientium, commodè imprimi possit. Quorum primus & quidem facillimus est, quemque jam superiùs aliquoties indigitavi, ut *specierum aromaticarum olea destillata* (quae sunt veluti essentiae illarum) quantitate convenienti & proportionatâ (utpotè ad hunc *Syrupum olei Anisi* ℈ ß, *olei Mastichis* ℈ j, *olei Zingiberis & Cinamomi ana gr. v*, *olei Caryophyllorum* ℈ ß) *Saccharo pulverisato* exactè commisceantur, ac inde *Elaeosaccharum* conficiatur, quod demum *Syrupo* jam confecto addi poterit: Alter verò modus hic est.

℞. *Succi ex. gr. Spinae Cervinae colati* ℔ ij, ℥ viij.

Quae vel mediante destillatione vel coctione abstrahantur ad remanentiam ℥ *xj circiter*, quibus junge *aromata*, sive illa, quae sub finem compositionis, vel quae in Animadversionibus secundum mentem Matthioli in Dioscoridem notata sunt, ac omnia cucurbitae vitreae immissa, apposito capitello in M. B. destilla vel abstrahe ad dimidias circiter. Residuum in fundo cucurbitae *liquorem* per colaturam à *specie-*

bus aromaticis separatum parùm clarifica, & liquori ab eo destillato, id est, *aquæ aromaticæ* prolectæ denuò junge, additisque tandem *Sacchari* ℥ *xvj*. unâ vel alterâ ebullitione, aut solâ ejusdem dissolutione, redige in *Syrupum* justæ consistentiæ.

Syrupus Emeticus Angeli Salæ.

℞. Vitri Antimonii subtilissimè pulverisati unciam unam,
Cinamomi electi,
Zedoariæ ana drachmas duas,
Santali rubri unciam semis,
Croci Orientalis drachmam semis,
Aceti Rosati uncias viginti,
Seminis Angelicæ drachmas duas.

Infundantur omnia in Balneo Mariæ per viginti quatuor horas, postea balneo refrigerato colentur diligentissimè, & filtrentur per chartam bibulam: deinde tantum Sacchari, cum aqua rosarum solvatur, quantum est pondus prædicti liquoris: Coquatur denique Saccharum ad consistentiam tabularum manus Christi, & cum prædicto liquore misceatur.

Fiat Syrupus secundum artem.

Vomitorium hoc medicamentum non tantùm vitiosos humores ventriculi evacuat, sed & ejusdem tunicis impactos educit, ex aliis etiam partibus peccantem materiam revellit: hinc non solùm ipsis ventriculi vitiis prodest, sed etiam febribus intermittentibus, aliisque morbis chronicis conducit.

ANIMADVERSIONES.

Erroribus quibus præcedentes *Syrupi* ferè ad unum omnes scatent, neque hic, de quo nunc agimus *Syrupus Emeticus*, exemptus est, quin plures insuper continet difficultates, nimioperè ejusdem laudes deturpantes. Etenim primò malè & inutiliter instituitur *vitri Antimonii* (quod ejusdem basis est) correctio, adjectione *specierum aromaticarum*, utpotè quæ nullo modo directè vim ejus *emeticam* infringere, sed solummodo ventriculum roborare valent, quò minùs ille adeò violenter ab eodem *vitro Antimonii* afficiatur, ac quasi firmior reddatur, ejusdem conamini resistendo: Quinimò dum hoc agunt, & naturæ & medicamenti operantis conatum invertunt. Etenim si *Syrupus hic Emeticus*, qui eam ob causam inventus est, ut per vomitum vitiosos humores, tum ex ventriculo ipso, tum etiam partibus adjacentibus, evacuet & educat, operationes suas, scilicet per ἔμετον exercere debet; cur tantoperè id student, ut *virtutem ejus emeticam*, partim beneficio *aceti*, partim (uti illi putant) adjectione *aromatum* infringant? Atque ità ab una parte stimulum naturæ addant, ad expulsionem noxę, ab altera verò compedibus quasi restrictam teneant, eique remoram faciant, quò minus etiam id, quod illi ipsi intendunt, expellere queat, sicque naturam in suis operibus interturbent, faciantque ambiguam? Næ si quis ventriculum intenderet roborare, longè consultiùs foret id facere, postea quam ille saburrâ humoris excrementitii exoneratus esset, quàm in illo ipso actu, dum eâdem saburrâ gravatum ipsum alleviare studet. Sed mittamus hæc, & unicuique hac de re liberum relinquamus arbitrium; Hoc saltem in præsens assero & jubeo, si quis verè Antimonii vim infringere velit, *aromatum* adjectione id non tentet, sed ope solius *Nitri* correctionem ejus instituat. Alterum quod hîc moneam est, quod ex anatica proportione *liquoris Sacchari*, sine coctione, (ut illi indigitant) Syrupus confici nequeat; proinde necessum erit, ut adhuc aliqua portio liquoris coquendo exhalet: hoc autem si fiet, multum de *essentia aromatum*, correctionis gratiâ *Syrupo* huic additorum, exhalabit; quo minùs autem hoc contingat, suasor sum, ut *Syrupi hujus aromatisatio* (si necessariò fieri debeat) instituatur juxtà modum primum, in præcedentis *Syrupi Animadversionibus* edoctum, *Elæosacchari ex oleis ingredientium aromatum* confectis: sic enim ipsorum *Essentia Syrupo* integrè communicabitur.

Syrupus de Epithymo Mesuæ.

℞. Epithymi uncias duas semis,
Myrobal. Citrinorum,
Indorum ana drach. quindecim,
Cuscutæ,
Fumiterræ ana drachmas decem,

Thymi,

Thymi,
Buglossi,
Calaminthæ,
Myrobalanorum Emblicorum,
Belliricorum,
Glycyrrhizæ,
Polypodii,
Agarici,
Stœchad. ana drachm. sex,
Rosarum,
Fœniculi,
Anisi ana drachm. duas semis,
Prunorum numero viginti,
Passul. enucleatarum uncias quatuor,
Tamarindorum uncias duas semis,
Aquæ libras decem.
Bulliant secundum artem: colatutæ adde
Sacchari libras quatuor,
Sapæ libras duas.
Coquantur secundum artem.

EO utimur in humoribus & affectibus pituitosis, ac melancholicis à bile adusta & atra. Occulta vulnera, fistulosa & sinuosa curat: fœdam corporis scabiem & nigram, capitis areas & impetiginem emendat, psoram, lepram, cancrum, elephantiam, morbum item Gallicum depellit.

ANIMADVERSIONES.

HIc *Syrupus* in *classe Syruporum purgantium* reponi vix meretur, eò quod paucissimæ *species purgantes* ipsius compositionem ingrediantur; undè tàm exigua etiam *vis Cathartica* in eundem redundabit; Quod reliquas illius virtutes attinet, in tam ingenti morborum enumeratorum agmine profligando nimirùm *Psora*, *Lepra*, *Cancro*, *Elephantiasi* curandis, &c. (quibus morbis afflicti alioquin desperatæ salutis à Medicis censentur) de iis valdè dubito, nec ullâ ratione animum meum inducere possum, ut credam, à tam inconcinnè consarcinato *Syrupo*, tantas virtutes proficisci posse: Quin faciliùs eò adducor, ut pro commento habeam, quicquid tùm de ipso, tùm de aliis consimilibus absque ratione & ordine, conflatis compositionibus adeò speciosè effutiunt. Certè tyro nuper Medicinæ sacris initiatus summæ inscitiæ & ingnorantiæ argui posset, si ita ἀμεθόδως huic similem aliquam efformaret compositionem: utpotè in qua *Purgantia*, *Corroborantia*, *Cephalica*, *Cardiaca*, *Epatica*, *&c. radices, herbæ, flores fructus, semina*, ac omnia, quæ saltem in buccam venêre, nullo servato ordine, nec ullâ etiam ratione, mixtim conglomerantur. Sed hisce postliminio positis, redeamus ad propositum, tradituri magis concinnam hujus *Syrupi* præparationem, quæ tùm commodissimè fieri poterit, in modum alterius cujusdam *Syrupi* alterantis, utpotè *Syrupi de Absinthio vel de Betonica simplicis*, admiscendo *Sapam*, ubi demùm perfecta coctio peracta fuerit.

Syrupus de Fumaria compositus Mesuæ.

℞. Myrob. Citrinorum,
Chebul. ana drachm. viginti,
Florum Borraginis,
Buglossi,
Violarum,
Absinthii,
Cuscutæ ana unciam unam,
Glycyrrhizæ,
Rosarum ana drachmans quatuor,
Epithymi,
Polypodii ana drachmas septem,
Prunorum numero centum,
Passularum enucleatarum lib. semis,
Tamarindorum,
Pulpæ Cassiæ ana uncias duas,
Aquæ fontis libras decem.
Omnia præter Cassiam & Tamarindos lento igne secundum artem coquantur, & colentur: ac in colaturâ adhuc calente dissolvantur Cassia & Tamarindi:
Deinde verò adde
Succi Fumiterræ depurati,
Sacchari albi ana libras tres.
Rursum coquantur in formam Syrupi.

PVrgatorius est: à tribus unciis ad quinque, vel sex sumptus, educit pituitam salsam, & bilem utramque ustam; nec non liberatis obstructionibus, febres putridas ab his humoribus enatas curat, ventriculum & hepar roborat, humores salsos & adustos propellit,

lie, psoram, lepram, scabiem, impetiginem, ac exanthemata delet; icterum utrumque propulsat; utuntur eo quidam in morbo Gallico.

ANIMADVERSIONES.

EAndem hic *Syrupus* cum priore redolet prosapiam, iisdemque nævis defœdatus est, nec sanè meretur, ut in correctione ejusdem operam nostram occupemus; Risu nimirùm & explosione dignus est potiùs, quàm severiori examine. Quis enim Pharmacopœus ex *decocti crassi aliquot libris, additis pulpa Cassiæ & Tamarindorum ana unciis duabus, & succi Fumiterræ*, nec non *Sacchari ana libris tribus*, elegantem unquam confecerit *Syrupum*?

Syrupus de Floribus Persicorum.

℞. Florum Persicorum recentium libram unam.

Macerentur horis duodecim in libris tribus aquæ calentis; expresso postmodum & colato liquori parem florum recentium quantitatem infundendo, idque quater, aut quinquies iteretur. Postremæ dehinc colaturæ accipe libras tres,

Sacchari albi libras duas semis.
Fiat secundum artem Syrupus.

A*Quas & bilem educit, vermes enecat, ac mesenterium infarctu liberans, serosos humores per alvum exturbat.*

PRopter defectum florum apud nos parari nequit.

ANIMADVERSIONES.

HIc *Syrupus* simpliciter saltem, modo præscripto, confici poterit, nec prolixiori *Animadversione* indiget.

Syrupus de Polypodio.

℞. Polypodii quercini libram unam.

Id, si recens haberi potest, incidatur, sin minus, crassiusculè contundatur, infundaturque horis viginti quatuor, in libris duodecim aquæ fontanæ: deinde bulliat ad consumptionem medietatis, ac in fine adde

Calami Aromat. unciam unam,
Sem. Fœniculi drachmas tres.

Iterum leniter bulliant, ac decocto huic colato adde

Muchari, vel infusionis Rosarum solutivæ, libram unam semis,
Succi Borraginis,
Fumariæ,
Lupuli ana uncias sex.

In his succis & liquoribus coque

Myrobalanor. Citrinorum,
Chebulorum,
Indorum ana unciam unam semis,
Passularum minorum uncias tres.

Bulliant simul ad consumptionem tertiæ partis, in fine addendo

Senæ Orientalis uncias sex.

Postmodùm exprimantur & colentur: ac colatura cum Sacchari libris tribus coquatur in Syrupum.

A*Trabilarios humores potissimum evocat, ac lienis vitiis opitulatur; unde splenetici & arquato correptis auxilio est, sanguinem depurat ac atram bilem & adustos humores proiicit, cutemque à scabie fœdam eluit.*

ANIMADVERSIONES.

IN *Syrupi hujus compositione* acumen sui judicii Author ostentare conatur, dum tot frequentes ac reiteratas *infusiones & decoctiones, speciebus ingredientibus*, pro meliori earundem extractione, destinat; Quæ tamen ridiculæ sunt potiùs, quàm quòd singularem aliquam sapiant ἀκρίβειαν: Etenim quam ineptum sit, *decoctis crassis*, recentibus speciebus reaffusis, novam rerum moliri extractionem, ex superioribus *Syruporum de Carthamo & Diasereos* aliorumque *Animadversionibus*, uti spero, superabundanter patebit. Quàm præposterè etiam parumque perspectè *sem. Fœniculi* & *Calamus Aromaticus* sub finem primæ *decoctionis Polypodii* addantur, eâ nimirùm intentione, ut vis earundem aromatica integra servetur, exindè elucescit, quòd in sequentibus tribus adhuc diversis coctionibus, ubi *septem libræ aquositatis*, antequàm *Syrupus* perfectam suam nanciscatur con-

consistentiam, exhalare debent, illa nihilominùs deperdatur. Sed ne longior sim in erroribus quoad *Syrupi* hujus præparandi modum commissis, ventilandis, aggrediar aliam ejus præparationem, quæ talis.

℞. *Polypodii quercini* ℔ j,
Myrobalan. Citrinorum,
Chebulorum,
Indorum ana ℥ j ß,
Passular. minorum ℥ iij,

Incisa & contusa immittantur cucurbitæ, quibus superaffundantur

Aquæ simplicis ℔ vj,
Succi Borraginis,
Fumariæ,
Lupuli ana ℥ vj,

Destillenturque apposito capitello, ad remanentiam *librarum duarum* circiter, *aquâ* destillatâ interim servatâ, Relictæ in cucurbita *species* exprimantur, *expressum* albumine ovi optimè clarificetur, & ad coctionem *Syrupi* sigillatim etiam asservetur. Posteà

℞. *Foliorum Senæ* ℥ vj,

Quæ conscissa crassiusculè infundantur cum superiùs destillatæ *aquæ* parte primùm dimidiâ, & post aliqualem digestionem, unamque vel alteram ebullitionem, fiat colatura & expressio: Relictis *foliis Senæ residua aqua destillata* affundatur, & post brevem peractam digestionem & coctionem, mediante colaturâ & expressione, *folia Senæ* viribus omnibus penitùs exhausta segregentur; Colaturæ expressæ, *tincturâ & essentiâ foliorum Senæ* impr̈ægnatæ, omnes simul confusæ & conjunctæ, addito *albumine ovi* clarificentur, quibus adde *decoctum* superiùs à destillatione asservatum & pariter clarificatum, nec non

Muchari Rosarum ℔ j ß,
fiatque, additis etiam
Sacchari albi libris tribus,

per coctionem Syrupus, qui demùm

Elæosacchar. Fœniculi &
Calami aromat.

ad libitum & saporis gratiam aromatizetur.

Si quis tamen simpliciori modo sine destillatione perficiendo, contentus esse velit, is coquat saltem *species* prædictas, destillationi superiùs destinatas, & *decoctum* earundem optimè albumine ovorum priùs depuratum, *foliis Senæ* extrahendis affundat, reiteratâ eâdem extractione *aquâ simplici* ultimò affusâ, prout in *Syrupo Diasereos* etiam edocuimus; ac tandem ex conjunctis depuratis & clarificatis colaturis, addito *Mucharo Rosarum* & *Saccharo* conficiat *Syrupum*.

Syrupus è Pomis Regis Sapor Mesuæ.

℞. Succi Pomorum dulcium,
Borraginis,
Buglossi ana lib. unam semis,
Folliculorum Senæ uncias duas,
Croci drachmam unam.

Sena contrita horis viginti quatuor in succis maceretur, ac semel aut bis ferveſiat, & coletur: expressum cum Sacchari libris duabus percoquatur in Syrupum. Crocus panno lineo ligatus inter coquendum infricetur.

Hic Syrupus Medorum Regi Sapor, à quo captus est Valerianus Imperator, attribuitur, & Mesuæ adscribitur. Eo utimur, ad omnes affectus melancholicos, maniam, melancholiam, cordis etiam robur plurimùm auget.

ANIMADVERSIONES.

Syrupi hujus præparatio fiat mediante binâ infusione & coctione *foliorum Senæ*, *cum succis depuratis*, adjecto etiam *Croco*; Demùm post iteratam clarificationem, addito *Saccharo*, in *vase fictili vitreato vel ferreo*, percoquatur *Syrupus* ad debitam consistentiam.

Syrupus de Rhabarbaro solutivus.

℞. Rhabarbari optimi,
Foliorum Senæ ana uncias duas semis,
Florum Violarum manipulum unum,
Cinamomi drachmam unam semis,
Zingiberis drachmam semis,
Aquarum Betonicæ,
Cichorii,
Buglossi ana lib. unam.

Fiat omnium infusio per noctem: manè ebullitione & expressione factâ colaturæ libræ duæ

duæ decoquantur in Syrupum cum Sacchari albi unciis sedecim. Adde

Syrupi Rosati solutivi compositi uncias quatuor.

Citra molestiam in pueris & delicatulis alvum subducit, utramq; bilem deturbans, ac pituitam quoque leniter evacuans.

ANIMADVERSIONES.

Quò simpliciori modo traduntur *Syruporum* aliarumque compositionum præparationes, eò minùs scatent erroribus, quod in præsenti *Syrupo* luculenter videre est; Igitur pauca duntaxat quoad ejus præparandi modum immutare voluimus. Consultum autem arbitramur, ut *aquæ*, infusioni & decoctioni dicatæ, quantitas, paulùm augeatur, quò sic tota *vis purgatrix specierum catharticarum, Rhabarbari* scilicet & *foliorum Senæ*, repetitis tamen vicibus, eò meliùs & perfectiùs extrahi possit. Neque etiam pro *extractione specierum*, *aquis illis destillatis* opus est, cùm quicquid in se continent spirituosi & efficacis, sub coctura & inspissatione *Syrupi*, penitùs exhalet: possumus igitur sumptibus parcere, substituendo illis *aquam pluvialem vel fontanam*: *Aromatisatio* tandem, *Syrupo* jam perfectè cocto, paucis guttulis *oleorum destillatorum*, *Cinamomi & Zinziberis Saccharo* instillatis, commodè peragi potest.

Syrupus Rosatus Solutivus simplex sive Mucharum.

℞. Foliorum Rosarum Damasc. recentium libras quinquaginta quinque.

Macerentur horis viginti quatuor, in libris ducentis aquæ claræ ferventissimæ, in vase terreo vitreato, stricti oris & benè cooperto. Postea factâ expressione aqua rursus calefiat, non tamen ad ebullitionem usque, & in ea Rosarum viridium libræ quinquaginta totidem horis infundantur: expressione rursus factâ, eidem aquæ recalefactæ libræ quadraginta quinque Rosarum tamdiu infundantur, & leniter exprimantur. Abhinc libræ quadraginta eodem modo infundantur ac exprimantur. Tum quoque libræ triginta quinque eodem ordine, rursus triginta, post viginti quinque, demum viginti, ut tandem eidem aquæ libræ trecentæ foliorum Rosarum recentium infusæ sint. His peractis infusionem cola, sine, ut resideat, quoad clarescat. Postremò adde Sacchari albi libras quinquaginta, & in Syrupum percoque.

Mesuæ duas tantùm fieri jubet Rosarum infusiones, sed præstiterit fecisse plures. Quidam eundem paulò aliter præparant: nam aquæ libris triginta duabus vigesies infundunt sex Rosarum libras: demum additis colato Sacchari libris duodecim percoquunt in Syrupum. Nos quia inæquali interdum pondere eundem paramus, formulam hanc adjicere voluimus.

Aquæ libras	200. Integra descriptio.
Medietas	100. Medietas.
Tertia pars	66. & uncias octo.
Quarta pars	50.
Medietas quartæ part.	25.

1. Infusio Rosar. lib.	55.
	27. semis.
	18. & uncias 4.
	13. & uncias 9.
	6. & unc. 10. semis.
2. Infusio Rosar. lib.	50.
	25.
	16. & uncias 8.
	12. semis.
	6. & uncias 3.
3. Infusio.	45.
	22. semis.
	15.
	11. & uncias 3.
	5. & uncias 7. semis.
4. Infusio.	40.
	20.
	13. & uncias 4.
	10.
	5.
5. Infusio.	35.
	17. semis.
	11. & uncias 8.
	8. uncias 9.
	4. & uncias 4. semis.

6. Infusio.	{	30.
		15.
		10.
		7 semis.
		3. & uncias 9.
7. Infusio.	{	25.
		12. semis.
		8. & uncias 4.
		6. & uncias 3.
		3. & unc. unam semis.
8. Infusio.	{	20.
		10.
		6. & uncias 3.
		5.
		2. semis.
Sacchari libras.	{	50.
		25.
		16. & uncias 8.
		12. semis.
		6. & uncias 3.

Syrupus is in usu creberrimus est ad ventriculi incendium & igneum calorem febrilem, sitimque inexpletam sedandam; febribus pestilentibus præstantissimus, quòd putredini, venenis & aëris vitio, subamarâ & aromaticâ suâ qualitate resistat; viscera nimio calore dissoluta refrigerando roborat, & ad temperiem reducit, febrium insomniam levat, ac modicè alvum subducit.

ANIMADVERSIONES.

Syrupum hunc juxtà modum præscriptum, satis commodè parari posse non imus inficias, licet laborum & sumptuum insigne compendium fieri posset: Sufficeret nimirum ter quaterve saltem cum s. quantitate & proportionatâ *Rosarum* recentium *infusionem* instituere, quod idem præstaret, ac si octies vel novies eadem *infusio* reiteraretur; semel enim ad sufficientiam aliarum rerum virtutibus imbuta *aqua*, ulteriori extractioni ampliùs inservire nequit, ob causam sæpiùs in superioribus allegatam. Neque efficacior evaderet *Syrupus*, si ad normam & methodum sciolorum quorundam, in Animadversionibus ipsorum locatam, conficeretur, qui nimirùm *centum & viginti libras Rosarum vigesies, cum aquæ libris triginta duabus* infundere, & demum additis *Sacchari libris duodecim in Syrupum* percoquere jubent, cum ingenti sanè *Rosarum* profusione, cùm longe majori compendio, ex multò minori *Rosarum* quantitate *vim catharticam* sufficienter elicere & æquè benè acquirere queamus. Quòd si verò quis, non adeò *Rosarum vim purgantem* intendat, sed potiùs reiteratis tot infusionibus, cum tanta recentium *Rosarum* mole peragendis, vim refrigerantem intensiorem extorquere nitatur, is certò longè à proposito suo aberrat; quò frequentiùs enim *Rosæ* infunduntur vel *infusioni* immerguntur, eò majori amaritudine inquinatur *infusio*: *Amaritudo* autem non frigoris sed caloris soboles; ergò illa tantoperè non refrigerabit. Taceo quòd in praxi medica nôn semel observatum sit, calores febriles à propinato hoc *Syrupo Rosarum solutivo*, tam frequentibus infusionibus parato, non tantum non diminutos & refractos, sed etiam intensiores redditos esse, & ex *simplici Tertiana intermittente*, *duplicem factam*, ac in satis longum tempus, cum insigni ægrotantium vitæ discrimine, protractam fuisse: Verùm mittamus hæc, ne litem hanc nostram faciamus, quin aliis relinquamus, qui *purgantia* omnia calida severè pronunciant. Nostri saltem instituti propriè est, errores quo ad præparandi modum indigitare; de reliquis alii sint solliciti. Quantum ad suavitatem & odoris fragrantiam, illa vix ac ne vix quidem, juxtà modum communem præscriptum, in hoc *Syrupo* conservari poterit, neque etiam tantoperè efflagitatur.

Notare etiam hic placuit, quod *Rosæ* à tot infusionibus relictæ, fermentationi committendæ sint, ex quibus postea *Rosarum spiritus* per destillationem elici poterit.

Syrupus Rosatus Solutivus Compositus Helleboratus Montani.

℞. Corticum Myrobalanorum omnium ana uncias quatuor.

Contundantur crassè & fricentur manibus Oleo Amygdalarum dulcium: deinde infundantur in libris duodecim infusionis Rosarum

ſuprà ſcriptæ, per horas viginti quatuor, addendo

Foliorum Senæ,
Epithymi,
Polypodii ana uncias ſex,
Seminum Citri,
Glycyrrhizæ ana uncias quatuor,
Caryophyllorum unciam unam,
Corticum rad. Hellebori nigri veri præparati drachmas ſex.

Decoquantur omnia ſimul lento igne ad quartæ partis conſumptionem: adde poſtea

Sacchari clarificati libras quinque,
Rhabarbari electi in nodulo ligati drach. ſedecim.

Fiat Syrupus ſecundum artem.

Utebatur eo Montanus, Medicus Patavinus clariſſimus, in affectibus melancholicis, lue Gallicâ, pſorâ, leprâ, impetigine, lichenibus, cancro, elephantiâ, & aliis.

Rhabarbarum ſeorſim coquendum, ut in Syr. de Cichor. Compoſito.

ANIMADVERSIONES.

Primum, quod in *Syrupi* hujus compoſitione, & præparatione ſcrupulum movet, eſt, quòd *cortices Myrobalanorum oleo Amygdalarum dulcium* fricari jubeantur; aſt in quem finem, me ignorare ingenuè profiteor: Poſtquam tamen diu mecum meditatus ſum, inveni tandem, quòd cum triturando *Myrobalani pulverem* dent facilè avolantem, uti *fructus alii ſicci non oleaginoſi*: uſus autem obtinuerit, ut ejuſmodi res ſiccæ in Officinis, ſi triturentur, guttulis aliquot *olei Amygdalarum dulcium* conſpergantur, ne pulveris ſubtiliſſimi, quem alcohol appellant, tantam faciant jacturam; hinc forſitan (re tamen non admodùm benè intellectâ) *Myrobalani* à quibuſdam Medicis, qui ultrà modum ſibi ſapere videntur, ſive in ſubtilem pulverem (ubi opus eſt, nonnullis guttulis *olei* inſtillandis) redigi, ſive craſſiuſculè ad decocta confringi hi debeant, *oleo Amygdalarum dulcium* fricari præcipiantur. Sed me herclè malè agunt, qui decoctioni deſtinatos *Myrobalanos, oleo* affricant: etenim impedit ſaltem *oleum*, quò minùs *aqua* affuſa ſe *Myrobalanis* inſinuare, eorundemque *ſubſtantiam* penitùs permeare queat. Alterum quod correctione ſummoperè indigeret, ſæpiùs jam ventilatum eſt, nimirùm quod *Mucharum Roſarum*, utpotè craſſum & per ſe ad extrahendum ineſficax, nihilominùs magnæ *Myrobalanorum* moli, *unciis ſcilicet viginti* extrahendis, deſtinetur, antequam adhuc *purgantium* & reliquarum *ſpecierum* viribus eliciendis adaptetur, ſed quàm benè judicet, is, qui mente conſtat. Tertium riſu dignum eſt, quòd nimirùm *radicum Hellebori nigri cortices* ſolummodò, non verò *integræ radices*, *ſubtiles*, filamentis parum craſſiores ab Authore præſcribantur, & quilibet certò ſibi perſuaſum habeat; quod ſi Author unquam ſeparationem *corticum harum radicum* tentaſſet, nunquam adeò inutilem & indignum laborem Pharmacopœis (qui clanculum ſubrident) impoſuiſſet. Plura quidem dictitat animus veritatis indagandæ cupidus, verùm, ut verba referam ad compendium, attingam ſaltem, quæ dextram *Syrupi* præparationem concernunt, quæ tùm inſtitui poterit in modum ſequentem.

℞. *Corticum Myrobalanorum omnium ana ℥ iv,*
Epithymi,
Polypodii ana ℥ vj,
Sem. Citri,
Glycyrrhizæ ana ℥ iv,
Caryophyllorum ℥ ß. vel ʒ ij.

Inciſa & contuſa craſſiuſculè immittantur in cucurbitam vitream; quibus affundantur *infuſionis Roſarum defæcatæ* ℔ *xij*, locenturque in digeſtionem horis viginti quatuor, poſtea appoſito capitello fiat deſtillatio ad remanentiam *trium librarum* circiter; Relictis in cucurbita *ſpeciebus* expreſſis abjectiſque & colaturâ albumine ovorum clarificatâ, interimque aſſervatâ. Tùm

℞. *Foliorum Senæ ℥ vj,*
Rad. Helleb. nigri ʒ vj,
Rhabarbari electi ℥ ij,

Quæ cuncta inciſa & contuſa ſuperiori *aquâ*, à *ſpeciebus* & *Mucharo Roſarum* deſtillata, binâ vel trinâ affuſione, digeſtione, coctione, & expreſſione (uti in præcedentis *Syrupi* præparatione

tione monuimus) extrahantur; *extractiones* probè clarificatæ tandem cum *superiori colatura asservatâ*, additisque

Sacchari albi clarific. ℔ *v*,

redigantur in *Syrupum* justæ consistentiæ, qui ultimò *Elæosaccharo Caryophyllorum* aromatizandus est, in quem finem etiam *Caryophyllorum* ℥ ß, *vel* ʒ *vj*, primæ *infusioni* detraxi.

Syrupus Rosatus Compositus sine Helleboro.

℞. Myrobalanorum omnium ana uncias duas.

Contundantur crasso modo, & fricentur oleo Amygdalarum dulcium. Infundantur in libris quindecim infusionis Rosarum horis viginti quatuor: cui adde

Rad. Polypodii uncias duas semis,
Sem. Carthami unciam semis,
Anisi,
Fœniculi ana drachmas sex,
Fol. & folliculorum Senæ,
Epithymi ana unciam semis,
Corticum Citri unciam unam,
Caryophyllorum unciam semis,
Nucis Moschatæ drachmas tres.

Fiat rursus infusio horis viginti quatuor, quibus elapsis fortissima fiat expressio, & adde ad liquoris singulas libras duas,

Sacchari libram unam.
Fiat Syrupus.

M*odestiùs quidem quàm prior purgat; nihilominus tamen bilem utramque, ac pituitam educit, visceribus robur addens. Atque hic Syrupus Compositionem Syrupi de Rhabarbaro ingreditur.*

PAratur & alius quidam Syrupus Rosatus, cum additione Radicum Cichorii, & foliorum Fumariæ, Syrupus Rosatus laxativus de Ambubeia dictus. Is sic habet.

℞. Rad. Cichorii recentium & mundatarum libras duas,
Herb. Fumariæ recent. manip. sex.

Infundantur horis duodecim in libris sex Muchari perfecti, seu infusionis Rosarum laxativæ: postea colentur & exprimantur, colatura posthinc cum Sacchari libris tribus coquatur in Syrupum: cui ad justam consistentiam ferè percocto in panno raro lineo immittantur, ac post perfectam coctionem in eo pendula permaneant sequentia: utpote

Specierum Diatrion Santal. drachm. una,
Diarhodon Abbatis drachma semis.
Fiat Syrupus, ut artis est.

U*Tramque bilem ac serosos humores blandè vacuat, salsos itidem ichores leniter educit, ac putres emendat; unde adustum sanguinem corrigit, ac jecori obstructo opitulatur, icterum, ac tertianas sanat, & venarum mesaraicarum oppilationes expedit. D. Raymundo Minderero, Collegæ nostro quondam, præ cæteris usu familiaris ac consuetus,*

ANIMADVERSIONES.

QUamvis & hic *Syrupus*, æquè uti præcedens, peculiarem correctionem, & speciale ingredientium examen desideraret; nihilominùs tamen brevitati studens, ejus præparationem perito Pharmacopœo commendare volui, qui ipsam ad normam *Syrupi* præcedentis instituat, & *aromatum* quàm maximam habeat rationem, quorum *Elæosacchara* vel sub finem confectionis addere, vel juxtà modum in *Animadversionibus Syrupi de Spina Cervina* indigitatum, fragrantiam & virtutem *specierum aromaticarum*, eidem conciliari poterit.

Sequens *Syrupus cum radicibus Cichorii de Ambubeia dictus*, similiter præparari potest in modum præcedentium: destillando primùm *infusionem Rosarum* ad remanentiam *duarum librarum*, postea *aquâ à Mucharo rosarum* per destillationem abstractâ, *radices Cichorii, herbam Fumariam & species reliquas* (ceu minùs odoratas) ope digestionis, coctionis & expressionis penitùs extrahendo, & tandem omnibus conjunctis ac unitis, & albumine ovorum priùs clarificatis, addita *Sacchari* s. q. ipsum ad debitam consistentiam percoquendo.

Syrupus Rosatus Solutivus Quercetani.

℞. Succi Rosarum pallidarum recenter expressi libras sex, in quibus infunde Rosarum pallidarum mediocriter contusarum libras tres.

Stent in Balneo Mariæ tepido, per viginti quatuor horas, deinde exprimantur: & sic reiterentur infusiones, cum libris tribus rosarum novarum, duodecies; quibus absolutis ultima expressio reponatur in uno vel pluribus vitris ad digerendum in Balneo Mariæ viginti quatuor horis, usque dum in fundo vasis appareat sedimentum, quod tamdiu clarefiat, donec nullæ amplius fæces conspiciantur:

℞. Hujus Succi summè depurati, à quo humiditas mercurialis aliqua ex parte sit abstracta uncias sedecim,
Sacchari albissimi uncias quatuor.
Fiat secundum artem Syrupus.

Eiusdem cum communi Syrupo Rosarum solutivo facultatis, nisi quòd hic, ut exquisitiùs præparatus, ita in minori dosi validioribus viribus præditus iis, qui sunt delicatioris naturæ commodiùs exhibetur.

ANIMADVERSIONES.

Hic *Syrupus* præ antecedenti *Syrupo Rosarum solutivo* nihil peculiare habet, quin iisdem nec minoribus nec majoribus pollet virtutibus, eademque sibi vendicat attributa. Proindè operæ precium non est, ut vel in encomiis ipsius deprædicandis, vel erroribus in ejusdem præparatione commissis refutandis diu nos moremur, progrediamur ad alia.

Syrupus Spleneticus D.D. Davidis Verbezii.

℞. Succi pomorum redolentium libram unam,
Melissæ uncias quatuor,
Limonum uncias tres,
Spiritus vitrioli ab omni phlegmate depurati scrupulos duos semis,
Foliorum Senæ repurgatorum uncias duas,
Polypodii quercini unciam unam,
Ellebori nigri præparati drachmas tres semis,
Corticum Capparum,
Tamarisci ana unc. semis,
Foliorum Citrariæ,
Ceterach ana manipulum unum,
Florum Cordialium ana pugill. duos,
Seminum Viticis,
Ocimi Caryophyllati,
Citri ana drachmas duas semis,
Croci Austriaci scrupulum unum,
Cinamomi acuti unciam semis.

Macerentur in Balneo Mariæ tepido per biduum, coquantur postea parum & fortiter exprimantur: Colaturæ adde Sacchari Candi Violacei libram unam.

Fiat Syrupus mediocriter coctus, circa finem inspergendo seorsim Cremoris Tartari in tenuissimum pollinem redacti drachmas tres.

In omnibus melancholiæ speciebus singulari proprietate salutaris existit, humores atrabilarios lieni & venis mesaraicis impactos incidit, & educit, vapores eorundem ad cerebrum delatos dispellit.

ANIMADVERSIONES.

Hic *Syrupus* desiderat paulò accuratiorem dexterioremque præparationem. Præprimis enim non sufficiunt *unciæ illæ novendecim succorum*, pro specierum ingredientium infusione & extractione: necessum proindè est, ut peractâ extractione primâ cum prædictis *succis*, alia iteratò fiat infusio cum *aqua simplici*, quousque omnis *virtus specierum* sit prolecta. Cæterùm cui singulari usui *Saccharum Candum violatum* ab ipso addatur, augurari nequeo, nisi fortè ut precium illius intendatur; Accedit, quòd prædictum *Saccharum Candum violatum* ubivis obvium non sit, sed raró admodùm in Pharmacopoliis prostet, ac fortè for-

fortunâ ſaltem in iiſdem reperiatur; ſi nempè *Syrupus violatus* diutiùs paulò aſſervetur, & aſſignata *Sacchari* quantitas in ejuſdem præparatione nonnihil aucta fuerit: Ob eandem cauſam (penuriam ſcilicet *Sacchari Candi violati*) etiam fit, ut in pauciſſimis Officinis pharmaceuticis *Syrupus* hic parari poſſit; Præſtabit igitur, loco *Sacchari Candi Violacei*, particulam *infuſionis Violarum* addere, eidemque ſubſtituere *Saccharum communalbum*. Quod *cremorem Tartari* concernit, ille meo judicio non perfectè demum elaborato *Syrupo*, ſed ipſis *infuſionibus* & *decoctionibus* addendus eſſet. *Spiritum* autem *Vitrioli* quod ſpectat, ejus guttulæ aliquod extra *Syrupi* confectionem, quoties ille à Medico præſcriberetur, ad libitum addi poſſent, prout nimirùm magis vel minus ſive intenſiùs aut remiſſiùs obſtructiones viſcerum reſerare, humorumque craſſitiem incidere, eſt animus.

Syrupus Lenitivus, de Tribus.

℞. Foliorum Senæ Orientalium mundatorum uncias ſex,
Spiritus Vitrioli optimè rectificati drachmam unam,
Muchari Roſarum optimi ferventis libras duas.

Indantur in cucurbitam vitream, appoſito cæco alembico, & circumlinitis ritè fugis, maneant infuſa in rorido Balnei calore, horis viginti quatuor, factâ levi ebullitione, & fortiſſimâ expreſſione, in colatura denuò infunde ut priùs
Foliorum Senæ mundatorum uncias ſex,

Iterumque factâ levi ebullitione, & forti expreſſione infunde tertiùm minutiſſimè inciſorum
Foliorum Senæ mundatorum unc. ſex,
Rhabarbari ſelectiſſimi,
Agarici albiſſimi ana uncias duas,
Zingiberis acuti,
Caryophyllorum ana drachmas duas,
Cinamomi interioris electi drachmas tres,
Spicæ Indicæ drachmam unam.

Ubi iterum ſic ſteterint infuſa, ebullierint leviter & expreſſa fortiter fuerint, colentur diligenter ad uſum. Poſtea

℞. Remanentias foliorum Senæ ex infuſione ſuperiori,
Radicum Polypodii quercini,
Glycyrrhizæ ana unciam unam ſemis,
Adianti utriuſque ana manipul. unum,
Paſſularum majorum exoſſatarum,
Minorum repurgatarum ana unc. tres,
Prunorum Damaſcenorum dulcium numero triginta,
Aquæ fontanæ libras quatuor ſemis.

Coquantur ſecundum artem ad remanentiam libræ unius ſemis: In ultimam ebullitionem injiciendo
Florum quatuor Cordialium ana pugillos tres,
Corticum Citri recentium drachmas duas.

Expreſſis & colatis diligentiſſimè, adde
Sacchari finiſſimi uncias ſedecim.

Et ubi jam ad conſiſtentiam cocta fuerint,
Infuſionis ex Mucharo factæ libram unam.

Fiat lege artis Syrupus.

Omnes æqualiter humores, pituitam & utramque bilem blandè evacuat, adeoque omnibus viſcerum naturalium obſtructionibus, ac inde natis febribus, tertianâ & quartanâ pellendis, admodum ſalutaris exiſtit, qui multò jucundior & commodior futurus eſt, ſi tres vel quatuor unciæ Mannæ lege artis diſſolutæ, eidem addantur.

Hujus Syrupi deſcriptionem, Pannoniæ & Auſtriæ familiarem, uſuque receptam, paucis immutavit, & Pharmacopœiæ noſtræ additam voluit Clariſſimus Vir D.D. Paulus Jeniſchius, Collega nobis plurimùm amandus.

ANIMADVERSIONES.

Omni jure hic *Syrupus*, ſi ex ſpeciebus ipſi deputatis debitè conficeretur, inter *Catharticos* propriè dictos reponendus eſſet. Etenim ſi accuratam ingredientium, & *Syrupi* ex iiſdem confecti, quantitatis computatio-

nem instituamus, deprehendemus, unciam unam hujus *Syrupi* continere debere vires, *sex drachmarum foliorum Sena: Dimidia drachma & granorum quinque Rhabarbari*, nec non *Drachma dimidia & granorum quinque Agarici*, nec non habere *virtutem solutivam* ab addito *Mucharo Rosarum*, ità ut *uncia ejus dimidia*, usque ad unciam integram, satis potens constituat *Pharmacum*. Verùm enim verò, æquè ut in aliis *Syrupis* præcedentibus, ità & in hoc, secundùm morem consuetum, tot absurdi committuntur errores, ut vix sciam cui primùm occurrendum sit. Inprimis autem sese offert idem jam toties refutatus error, de *Mucharo Rosarum*, quod, uti jam superiùs monuimus, per se satis crassum, & abundè *Rosarum virtutibus* imbutum, ulteriori infusioni & extractioni prorsùs inservire nequit; præsertim tot specierum enumeratarum, pro quarum humectatione vix sufficeret *Muchari* illa assignata quantitas, ne dum pro perfecta earundem extractione & trina coctione: Sunt enim omnes species siccæ, quæ vel *ambas* facilè absorbent *Muchari libras*, utut fortiter ope torcularis, post singulas infusiones & ebullitiones exprimatur, quippè nihilominùs humidæ manent species, & tantum abest, ut omne *Mucharum* pressurâ ab illis extorqueri possit, quin ferè totum cum *speciebus* illis maneat impactum. Præterea *infusio* & levis *ebullitio*, quæ in rorido Balnei calore, inque cucurbitâ capitello cœco munitâ, & undiquaque firmiter clausâ fieri debet, quàm absurda illa sit, quivis facilè cernit; Nec minorem absurditatem involvit *Aromatisatio*, sive adjectio *Aromatum*, maximè secundæ *infusioni* deputatorum, à quorum viribus, si fortè aliquid primæ *decoctioni* communicaretur, in secunda & tertia utique evanesceret. Sola item *remanentia foliorum Sena*, superioris *infusionis*, cum additione nonnullorum *fructuum* & *radicum*, cur illa duntaxat & non reliqua etiam secundæ & tertiæ *infusionis Sena folia* relicta, cum *Catharticis* plurimis, novâ affusâ aquâ pariter coqui debeant, non video, cum minùs ex his quàm ex illis de viribus extractum sit. Sed hæc leviter saltem attingere, & reliqua etiam brevitatis causa transilire voluimus, progressum facturi ad genuinam *Syrupi* prænominati præparationem, quæ talis esto:

℞. *Foliorum Sena* ℔ j ß,
Rhabarbari electi,
Agarici albi ana ℥ ij,
Polypodii quercini ℥ j ß,
Zingiberis ℥ ij,
Caryophyllorum ʒ j ß,
Spica Indica ʒ j.

Incisa & contusa crassiusculè infundantur cum
Infusionis vel Muchari Rosarum libris tribus,
Aqua simplicis libris duabus.

Stentque in loco calido per noctem, manè factâ ebullitione, colentur & exprimantur fortiter: Expressæ & relictæ *Species* cum *libris tribus vel quatuor circiter aqua simplicis*, iterùm infundantur, & post digestionem unius diei vel noctis factâ ebullitione exprimantur. Expressis *speciebus* denuò, si libuerit, *libra dua aqua simplicis* affundantur, digerantur, coquantur & exprimantur: Tandem *colaturæ* & *expressiones* omnes junctim albumine ovorum optimè clarificentur.

Jam demùm,

℞. *Reliquas crassiores, minusque Syrupo convenientes species, nimirùm*
Glycyrrhiza ℥ j ß,
Adianthi utriusque ana M j,
Passularum majorum exossatarum,
minorum purg. ana ℥ iij,
Prunorum Damascenorum N.xxx,
Florum 4. Cordial. ana p.iij,

Quæ incisa coquantur in *aqua simplicis* quantitate sufficienti, ad remanentiam *circiter libra unius*, tum fiat colatura & levis expressio; *Expressum* albumine ovi optimè clarificatum superiori *infusioni* purganti jungatur, addendo
Sacchari albi clarificati ℥ xvj,
(vel etiam majorem quantitatem, si Medico ità visum fuerit,) & coquendo fiat *Syrupus*; cui denique post perfectam coctionem adde

Elæosacchari Caryophillorum,
Cinamomi,
Corticum Citri ana q.s.

ad odoris & saporis gratiam, ac insuper etiam
Spiritus vitrioli rect. ʒ j.

Nota,

Nota, quòd *Spiritum Vitrioli* ultimò addiderimus, factum est pro majori præparandi commoditate: Etenim expressiones utplurimùm torcularibus, *decoctiones* verò in *ahenis æneis* perficiuntur, utpotè quæ facilè *Syrupo*, acri *vitrioli spiritu* acuato, saporem aliquem ærugi-nosum impertire possent. Nihilominus tamen hoc modo sub finem additus *spiritus vitrioli* idem corrigendo præstabit, ac si mox inter initia *infusionibus* additus fuisset.

Syrupus Violatus Solutivus.

Fit ut Syrupus Rosatus solutivus, ex iteratis Violarum recentium infusionibus.

℞. Hujus infusionis libras tres,
Sacchari clarificati libras duas.

Coquantur lento igne ad Syrupi consistentiam.

IN febrium æstibus biliosis & acutis morbis, viscerum inflammationibus, ac siti inexplebili commendatur. Rosato validiùs refrigerat & humectat, unde & somniferus magis existit, gutturis asperitates lenit, thoracis & pectoris totiusque ventris inferioris affectibus calidis succurrit, siccæ tussi medetur, ac alvum emolliendo bilis acrimoniam retundit. Alter ex Violarum succo Actuarii Iosacchar exprimit, quo ad thoracis vitia, & bilis acrimoniam utimur, ut & composito Mesuæ. Solutivus verò saluberrimus in febribus æstuantibus, & bilioso incendio extinguendo.

Mel Rosatum Laxativum.

℞. Prædictæ infusionis multiplicis lib. sex,
Mellis libras tres.
Fiat Mel Rosatum.

EAsdem, quas Syrupus Rosatus solutivus simplex vires obtinet, minùs tamen refrigerat, sed potentiùs abstergit.

Mel Violatum Solutivum.

Fit eodem modo, quo Rosatum solutivum.

SYrupo jam dicto viribus affine est: inditur potissimum Enematibus, ubi febres cum alvi adstrictione molestæ sunt.

ANIMADVERSIONES
In Syrupum Violatum Solutivum, Mel Rosatum Laxativum, & Mel Violatum Solutivum.

PArentur juxtà modum præscriptum, in *Animadversionibus* nostris, super *Syrupum Rosatum Solutivum*, quas Lector benevolus haud gravatim consulere velit.

Oxymel Helleboratum Majus Juliani.

℞. Foliorum Rutæ,
Thymi,
Dictamni Cretici,
Hyssopi,
Pulegii,
Prasii albi,
Cardui Benedicti,
Spicæ Celticæ,
Corticum Sambuci interiorum ana manipulum unum,
Calaminthæ Montanæ pugillos duos,
Sem. Anisi,
Fœniculi,
Ocimi,
Urticæ Romanæ,
Anethi ana drachmas duas,
Rad. Angelicæ,
Althææ,
Ari,
Scillæ præparatæ,
Turbith,
Aristolochiæ rotundæ,
Longæ,
Iridis vulgaris,
Costi,
Polypodii ana unciam unam,
Hellebori albi,
Nigri præparat. ana drachmas tres,
Esulæ præparatæ drachm. duas.

Infundantur triduo in libris septem aceti acerrimi, & sapæ unciis duabus, in vase vitreato benè obturato, ad solem vel ad fornacem: deinde in eodem vase, vel lapideo, decoquantur ad medias; sub finem decoctionis ad consumptionem aceti adde

Agarici electi drachmas duas.

Cola,

Cola, & cum Mellis Rosati Citrati & Sacchari ana librâ unâ fiat Syrupus; qui sub finem aromatisetur cum pulverisatis & mixtis aromatibus sequentibus, utpote

Caryophyllorum,
Croci,
Zingiberis,
Galangæ,
Macis ana drachmâ unâ.

Medicamentum hoc Gesnero maximoperè quondam celebratum fuit, cujus de hoc ipso Oxymelle encomion subjunximus. Mirificè abstergit, incidit, aperit, humores omnes, omniaque excrementa è corpore protrudit, omnes meatus intùs forisque reserat. A centro ad superficiem propellit manifestè, ita ut cutim rubificet, sicut longiore in balneis morâ fieri consuevit, exanthemata aut pustulas aliquibus, aliosvè tumores excitat, qui alioqui circa interiora fortè colligerentur: quamobrem in præservatione à peste usum ejus perutilem futurum non dubitaverim, ulcera habentes vim ejus statim in ipsis ulceribus penetrantem & aperientem sentiunt. Præcipua ejus vis in epilepsia, asthmate & omnibus ferè morbis, à materia frigida, crassa, tenace, à phlegmate aut melancholia, dependentibus, in capite, ventriculo, thorace, jecore, renibus, liene, utero & articulis. Incidendi aperiendique causâ dare soleo ante purgationes, ita ut duæ tresvè drachmæ per se manè, per tres ferè dies lambantur, vel cum exigua Sapa ad amaritudinem ejus fallendam & aquâ Hyssopi aliâvè bibantur, vel cum aliquo decocto. Si vomitum ciere libeat, ut ubi veneni suspicio est, dari potest uncia, cum dimidia Oxymelitis Scillini & aqua tepida fontanâ, aut destillato aliquo, vel decocto Agarici, cum corticibus aut sem. Raphani; sem. Anethi, radicibus Asari, Malvâ, Ficubus. Movetur autem vomitus tertiâ ferè horâ postquam sumptum est, aliis priùs, nonnullis tardiùs, quibusdam & alvus simul movetur. Sic & arthriticis, & ischiadicis prodest: menses manifestè promovet, expellit etiam albos si diebus aliquot sumatur, & postea dentur Pillulæ convenientes, ut de Hiera cum Agarico & radicibus Asari, urinam & calculos provocat; præsertim cum Syrupo convenien-te datum, ut de floribus Persicorum, sanguinem concretum ubivis dissipat, etiam in thorace, instante suffocationis periculo: epilepsiam non confirmatam curat, lumbricos pellit, sitim aufert, cùm aliis plerisque, tùm hydrophicis spirationem facilitat, asthma & orthopnœam curat, aut mitigat plerumque, illicò potum, vel si lambatur per se, vel cum Oxymelite Scillitico, aut Lohoch sano, aliovè. Sanguinem pellit, quibus abundat per quosvis meatus, ut nares, vel hæmorrhoidas, vel uterum, & hac ratione, naturâ quod redundat evacuanteâ, venæ sectione abstinere possumus, in debilioribus præsertim, ut puerperis, cum pleuritide, aut alio morbo venæ sectionem requirente laborant, pleuritici id lambant cum bacillo Glycyrrhizæ: admisto Lohoch sano, vel Syrupo Glycyrrhizæ, aut Hyssopino, & Iulep bibant ex aqua saccharata cum Syrupo Glycyrrhizæ. Frigidioribus & hyeme datur utiliter cum aqua ardente & ficu modicè tosta incisaque, id totum accendi debet, & mox extingui, ac sumi, vel cum vino aromatico, vel aquâ de radicibus Gentianæ destillata, vel alia. Cum decocto conveniente datur cachecticis, ictericis & febribus plerisque, potissimum quartanis. Datur à drachmis duabus ad quinque vel sex. Loco aceti vinum generosum accipi potest, propter illos, quos aceti sapor, odor, aut usus offendit. Suavius item erit, si Autumno paretur cum musto. Hæc omnia nos experiundo observavimus; plura autem Medici industrii ipso usu. Vtor & frequentissimè, & magno cum successu, possemque historias multas recitare, sed nec vacat, nec opus est. Hæc Conradus Gesnerus.

ANIMADVERSIONES.

Panaceam, me herclè, ipsamque Divûm adjutricem manum, *Oxymel hoc Iulianum* diceres, si vera essent, quæ de immensis ejus virtutibus, in tot tantisque profligandis morborum monstris plenis buccis prædicat Gesnerus; Et proh! quam beati essent Medici, si talis Medicina illis suppeteret, quâ solâ & unicâ, tot conjuratos nostræ Naturæ hostes (quos morbos nuncupamus) promiscuè prosternere & debellare possent; nimirum Dii essent & Numine pleni; Ast facilè corruit tanta hujus Medi-

Medicaminis dignitas, ejusque immensa laus oppidò vilescit, si intimiùs saltem inconcinna ejus compositio & præparatio consideretur, & experientia consulatur testis, quàm frequenter illud sine ullo juvamine, nonnunquam etiam cum detrimento ægrotantium, fuerit adhibitum. Multus autem ne sim, cùm errores in ipsius compositione commissi facillimè ex prioribus consimilibus, malè consarcinatis compositionibus, à nobis superiùs castigatis, satis elucescant, idcircò absque longiori sermonis syrmate, ipsam famosi hujus *Oxymellis* præparationem proponemus, vulgari illâ quodammodò concinniorem, & uti spero, efficaciorem.

℞. *Species suprà dictas unà cum Agarico, & pauculis, si libet, Aromatibus, in fine alioquin addendis,* (*omissâ radice Althææ.*)

Quibus incisis & contusis, vitreæque cucurbitæ immissis superaffundantur

Aceti destillati ℔ *v*,

Stent in digestione per diem vel noctem; postea per Alembicum abstrahantur *libræ tres*, & in *cucurbita residuæ species*, unà cum restante *liquore* fortiter exprimantur; Expressus autem & colatus *liquor* seorsim asservetur; *Speciebus* ab expressione relictis *Acetum* superiori destillatione prolectum reaffundatur, quod ad remanentiam *libræ unius* circiter iterùm ab eisdem destillando evocetur, iterumque *speciebus* in fundo relictis, unà cum *residuo liquore*, uti superiùs, expressis, & colaturâ separatim asservatâ. Hæ eædem *species* expressæ tertiâ vice cum destillato *liquore* iteratò irrigentur, & *libra dimidia* solummodò, vel *unciæ septem fragrantioris & spirituosioris aceti* ab iisdem abstrahantur, studioseque asserventur. *Species* in fundo restantes cum supernatante humiditate denuò fortiter exprimantur, & *expressum* binis illis prioribus *colaturis* jungatur; quæ junctim albumine ovi optimè clarificentur, & cum *libra una mellis* tamdiu coquantur, donec illud debitam suam consistentiam rursus acquisiverit, virtuteque *decocti specierum* ingredientium parte crassiori imprægnati, saturatè sit imbutum. Cui tandem affunde *liquorem illum spirituosum*, seorsim asservatum, sive *acetum ultimâ destillatione prolectum*, & additâ *librâ unâ Sacchari albi*, solâ dissolutione confice *Syrupum vel Oxymel.*

MEDICAMENTORUM PHARMACOPOEIÆ AUGUSTANÆ CLASSIS TERTIA,

Continens

PHARMACA & ELECTUARIA LENIENTIA:

Nec-non

Iisdem Annexas Animadversiones.

A*Bsolutis binis classibus superioribus, quarum prima* Syruporum alterantium, Mellium, Juleporum, Mivarum & Rob: *Altera verò* Syruporum purgantium *seriem complexa est; Nunc tertiam, quæ de* Electuariis *agit, aggrediamur.* Est autem Electuarium medicamentum consistentiâ solidius, nec nimis fluidum, nec omninò siccum, sed medium inter utrumque, pulmenti ferè ad instar; inventum tùm pro diuturniori specierum conservatione, tùm etiam ut ægrotantibus, quibus solidior medicamentorum forma magis arridet, prospiceretur.

Duplex autem est Electuarium: *vel* simplex, *quale est, quod duntaxat ex unica re, utpotè* Cassia, Tamarindis, Passulis, Prunis, &c. *constat,* & pulpæ *nomine indigitatur;* vel compositum, *quod ex pluribus speciebus, iisque vel* digerentibus, purgantibus, confortantibus, Alexipharmacis *vel aliis consimilibus confectum est.*

Et quamvis Electuaria lenitiva & Purgantia, *de quibus, in hac classe tertia & quarta agitur; Item* confectiones solutivæ & solidæ, *quæ in classe quinta continentur, utplurimùm ob simplicem præparandi modum, tot tantisque erroribus non scateant; nihilominùs tamen illis prorsus exempta non sunt, suosque æquè uti Syrupi (de quibus in præcedentibus tractatum fuit) patiuntur manes. Inter illa verò maximè, quæ magis composita sunt & in quibus Authores eximiam suam scientiam ostentare, ac singulare ejusdem specimen edere voluerunt; Ea ipsa expendenda nunc in me suscipiam, sed brevioribus quàm in* Syruporum *confectionibus, utpotè quæ vix paucioribus absolvi potuêre, factum est.*

Flos, seu Pulpa Cassiæ.

℞. Cannas, seu siliquas Cassiæ ponderosas, & quæ concussæ non resonant: aperi & contentam in eis pulpam, seu medullam cum laminis & seminibus suis diligenter exca va; exempta projice super inversum & angustum cribrum ex setis equinis contextum: cribrum deinde supra bullientis aquæ vaporem ponito, & averso cochlearis convexo medullam Cassiæ hinc inde ducito, ut per cribrum paulatim excernatur, ex inde quod excretum est, aut penetraverit, confestim subinde auferto, ne plùs quàm deceat de aqueo vapore imbibat: idque tamdiu fac, donec quantum voles, collegeris. Præstiterit tamen, ubi necessitas postulat, recentes semper Cassiæ flores educere, cum diutiùs repositi protinus acescant.

Pulpa excalefacit & humectat primo ordine, sanguinem depurat, ejus acrimoniam temperat, ac sitim coërcet, ventriculum, bilem & pituitam, educendo mundificat, pectus & guttur lenit, ejus abscessus reselvens, renum calori cum infuso Glycyrrhizæ confert, & calculi generationem prohibet, ac in acutis febribus exhibetur: alvum enim blandè lenit, ac flavam bilem infernè deturbat, atque ex hac natas febres mitigat.

Cassia Lenitiva, quæ & Siliqua, & Fistula dicitur, fructus est cujusdam arboris in Ægypto, Syria, ac India provenientis. Eligenda non admodum crassa, pellucens, recens, gravis, farcta, & quæ concussa inclusis seminibus minimè perstrepet.

Cassia Extracta.

℞. Violariæ,
Malvæ,
Mercurialis,
Betæ,
Parietariæ,
Florum Violarum ana manip. unum.

Fiat omnium decoctio in aqua sufficiente, quo decocto Cassia extrahatur, & cannæ ejus laventur: deinde

℞. Pulpæ Cassiæ cum hac decoctione extractæ, & ad spissitudinem coctæ libram unam,
Sacchari libram unam semis.

Coque ad perfectionem, ut est artis.

Hujus usus est potissimùm in Enematibus: non rarò tamen in bolo quoque exhibetur, cum ipso flore Cassiæ, si minùs sit flatulenta, ac magis emolliat, & humectet.

Pulpa Prunorum.

℞. Prunorum magnorum acidorum & vinosorum quantitatem, quam voles, & exemptis nucleis in fictili vitreato magno percoque: deinde per cribrum setaceum exprimito, expressam pulpam denuò lento igne ad perfectam & justam spissitudinem coquito, addendo Sacchari tertiam circiter partem, vel ad Pulpæ libras decem, Sacchari libras tres: ita enim meliùs conservatur, ne situ corrumpatur.

Ventrem mollit, ac alvum facilitat, calorem febrilem extinguit, sitisque fastidia permulcet.

Inter

INter Pruna nobis eligenda sunt Damascena, seu Hungarica, ut quæ præ cæteris ad medicamentorum compositiones requirantur, & ad earundem constitutiones expetantur.

Pulpa Tamarindorum.

Extrahitur eodem modo, quo Pulpa Cassiæ.

TAmarindorum Pulpa refrigerat & siccat ordine secundo, aut tertio, bilem facilè solvit, ac præassatos humores lenit; unde arquatis, lienosis, scabiem, lepram, vitiligines & lichenas patientibus commodè exhibetur: namque cutaneas exulcerationes, omnes, à sanguinis adustione natas, tollit; insaniam insuper ac furorem permulcere creditur.

PRæstant inter Tamarindos ii, qui in obscuro rubescunt, molles, recentes & qui nervosis quibusdam villis fracti inveniuntur. Sunt autem Tamarindi Palmulæ Indicæ, quæ Græcis Oxyphœnica dicuntur.

ANIMADVERSIONES

In Pulpam seu Flores Cassiæ, Cassiam Extractam, Pulpam Prunorum & Tamarindorum.

CIrca harum *pulparum* præparandi modos, vix quicquam quod correctione dignum (cum simplicissimi sint) occurrit, quippè earum præparatio solâ *coctione* perficitur: *Fructibus* autem ejusmodi simplici coctura nihil demitur, præter elementarem quandam humiditatem, maximè ubi recentes vel crudi existunt; Ast fermentati, quia æquè uti alia *vegetabilia*, spiritum ardentem suppeditant, coctionis intensioris prorsùs impatientes evadunt. Circà *Sacchari* admistionem tamen difficultas quædam causari facilè, & error committi potest: etenim si illud in quantitate sufficienti *pulpis* non addatur, (uti in *pulpa Prunorum* accidit, in qua *decem libris pulpæ tres libras Sacchari* addere præcipiunt,) ætatem ægrè ferunt, & facillimè corrumpuntur; Si verò in debita quantitate illud addatur (v. g. ℔ j ß, *vel* ℔ j, *&* ℥ *iij*, *Sacchari* circiter, pro conservanda *libra una pulpæ*) illæ nativas suas vires, nisi in dupla vel tripla dosi exhibitæ, exerere nequeunt. Præstat igitur, uti benè in præparatione *florum Cassiæ* monitum est, has *pulpas* quoties necessitas postulat, recenter semper extrahere, & ultrà unam alteramvè septimanam, præsertim tempore æstivo, non asservare. Cæterùm in præparatione *Cassiæ extractæ*, ubi ℔ j ß, *Sacchari*, *libræ uni pulpæ* destinatur, observandum, quòd cùm *Cassia* hoc modo extracta, *Enematibus* potissimùm dicata sit, ac rarò internè exhibeatur, accipiendum sit *Saccharum rubrum*, quod *Thomæum* nominant, pro *Clysteribus* accommodatissimum; magis enim ventrem laxat, quàm *Saccharum album*.

Diacassia cum Manna incerti Autoris.

℞. Prunorum Damascenorum unc. duas,
Florum Violarum manipulum unum semis,
Aquæ puræ uncias decem & octo,
Bulliant, ut artis est, ad medietatis consumptionem: cola, & in colatura dissolve
Pulp. Cassiæ uncias sex,
Tamarindorum unciam unam,
Mannæ optimæ uncias duas,
Syrupi Violati uncias duas,
Sacchari Candi,
Penidii ana unciam unam,
Conservæ Violarum ex foliolis uncias quatuor.
Confice, ut artis est.

MEdicamentum hoc leniens, mite ac suave confert iis, qui duriore sunt alvo; hanc enim leniter & citra molestiam subducit, ac flavam bilem ejicit, febresque inde natas levat.

MOnendi hoc loco Pharmacopœi, hoc & ejusmodi plura subsequentia Electuaria, in minori dosi paranda; quia periculum est, ne Cassia Pulpæ Tamarindorum commista, ex diuturnitate temporis acescat; de quo videatur Fernelius in Methodo medendi.

ANIMADVERSIONES.

E*Lectuaria* in propria sua consistentia, rarò admodum, inprimis in Germania exhibentur, ubi *boli* illi prægrandes, quos ex ipsis efformare solent, & in aliis oris alioquin satis frequentes, delicatulis ægris illicò fastidium pariunt,

riunt, ut adeò hanc ob causam, usus horum penè eviluerit. Si quis itaque ipsis uti, & ægrotantibus propinare voluerit, necessum habet, ut in liquoribus ea dissolvat, & *potiones* ex iis conficiat, aut *Clysteribus* destinet: Veruntamen nec *potionibus* nec *Clysteribus Electuaria*, quorum compositionem *flores* contusi aut *Conservæ* eorundem ingrediuntur, commodè inservire possunt; Vix enim *flores*, quicunque illi sint, adeò subtiliter contundi & comminui possunt, ut *potiunculis* misti, flocculos non præbeant, *Clysteribus* autem additi, instrumenti sive canalis (præsertim si foramen parvulum & angustum habuerit) orificium non obstruant. Et cùm satis improvidè etiam, ac inutiliter Author incertus hujus confectionis, peculiares illas differentias *Sacchari*, nec non *Syrupos* & *Conservas* admiscere jubeat; ideò hæc immutare consultum arbitrati sumus. Quantum autem ad *Saccharum Candi & Penidii*, de ipsis jam superiùs in *Syruporum* confectionibus, præsertim *de Capilli Veneris*, abundè demonstravimus, quàm iniquè *Sacchar o albo communi clarificato* præferantur, quodque nihil præ illo peculiare habeant, sed saltem precium medicamentorum augeant: Adeoque huic *Electuario Saccharum commune clarificatum* eorum loco substituere, non immeritò nec sine ratione suademus. Cur verò Author *Syrupum & Conservam florum Violarum*, utpotè quibus nulla purgandi vis inest, *Electuario* huic addiderit, id equidem capere non possum; quin longè convenientiùs esse dixerim, si loco *Conservæ aut Syrupi prædicti*, *Syrupus Violatus solutivus Electuario* permisceretur; loco autem *Sacchari*, *Candi & Penidii*, *Saccharum commune album*: *Manna* verò vel colata vel electa, in fine demùm & ad consistentiam cocto *Electuario* addatur. In reliquis imitari poterunt modum ab Authore incognito præscriptum.

Electuarium Diacatholicon, seu Antidotus Catholica Nicolai Præpositi.

℞. Polypodii quercini libram semis.

Decoquatur in aquæ communis mensuris nostratibus quatuor, ad medietatis consumptionem: cum ejus decocti quantitate sufficienti extrahe

Pulp. Cassiæ,
Tamarindor. ana unc. quatuor.

Inspissentur pulpæ, donec ad justam consistentiam fuerint redactæ: deinde cum residuo decocto dissolve

Sacchari libras quatuor,
Penidiorum,
Sacchari Candi albi ana drachm. duas.

Coquantur simul ad Syrupi consistentiam: ubi paululùm refrixerit, adde pulpam Cassiæ & Tamarindorum, probè agitando. Postremò subsequentes pulveres paulatim insperge, & confice Electuarium, ut est artis,

℞. Senæ uncias quatuor,
Rhabarbari,
Violarum,
Polypodii,
Anisi ana uncias duas,
Glycyrrhizæ drachmas duas,
Sem. quatuor frigid. major. ana unciam semis.

Pulverisentur simul omnia, & misceantur, ut artis est.

Electuarium suave ac mite, quod acutis & peracutis morbis confert, emollit, & alterat, robur addit jecinorosis, lienosis, & arthriticis, tertianis, quartanis, & quotidianis febribus adversatur: doloribus item capitis auxilio est; universos denique corporis humores blandè ac innoxiè educit, multiplici nobis usu familiare.

Licet varii variè Medicamentum hoc præparent: quia tamen iste modus componendi Pharmacopœis nostris hucusque fuit usitatus, ac consuetus, qui etiam non nobis solùm, sed & aliis omnium optimus esse videtur, idcircò eundem in posterum quoque observari voluimus.

Nonnulla quoque exemplaria addunt Polypodii decoquendi libræ dimidiæ ad tollendam ejus flatulentiam seminis Fœniculi unciam unam: verùm flatulentia jam dicta à semine Anisi, cujus unciæ duæ compositionem hanc ingrediuntur, facilè corrigitur.

ANIMADVERSIONES.

Electuarii hujus præscriptum præparandi modum, non adeò improbo; id saltem in eo ridiculum animadverto, quo ipso etiam Author plurimis se deridendum propinat, quòd *libris octo Electuarii*, præter *quatuor illas libras Sacchari communis*, insuper auctarii loco, *Sacchari Candi & Penidii ana drachmas duas* adjicere præcipiat; Quantum enim *dosis* quælibet hujus *Electuarii* istorum *Saccharum* capere, aut quid singularis emolumenti in ægrotum ex tàm exigua superadditione *Sacchari* tùm *Candi*, tùm *Penidii* redundare poterit? expendat & judicet æquus Lector.

Electuarium Lenitivum Florenzolæ.

℞. Passularum enucleatarum uncias duas,
Capill. Veneris, seu Adianti nigri,
Violarum recentium,
Hordei mundi ana manip. unum,
Jujubarum,
Sebesten ana numero viginti,
Glycyrrhizæ unciam semis,
Prunorum enucleatorum,
Tamarindorum ana drachmas sex,
Foliorum Senæ,
Polypodii ana uncias duas,
Mercurialis manip. unum semis.

Decoquantur, ut artis est, in sufficiente aqua ad consumptionem duarum tertiarum, postmodùm cola, & in colato dissolve
Pulpar. Cassiæ,
Tamarindorum,
Prunorum,
Sacchari optimi,
Conservæ Violarum ex foliolis ana uncias sex,
Pulveris Senæ uncias tres semis.
Fiat Electuarium, ut est artis.

Bilem, pituitamque, nec non his humoribus admixtum succum melancholicum blandè, ac sine vel noxâ, vel molestiâ educit; febrium humoralium materiam subtrahit, intestina lenit & emollit: pleuritidi quoque, nec non aliis pectoris ac renum morbis, præsertim à calore natis, confert.

Jujubæ, Græcis Zizipha, Galeno Serica dicuntur, fructus cujusdam arboris peregrinæ, in calid. & humid. sunt temperati, ad pectoris & pulmonis vitia perutiles. Renum insuper & vesicæ vitiis prosunt, ac sanguinem incrassant. Matthiolus.

Sebesten, Myxa Græcis & Myxaria, fructus sunt ex arbore, Pruno propemodùm simili, prunis parvis haud dissimiles, caliculo quodam ut glandes, imâ parte colligati, nucleo intus triquetro, gustu prædulci, lentâ tenacique pulpâ dejectoriâ facultate pollente. Utiliter dantur ex bile febrientibus, linguæ asperitatem leniunt, pectori atque tussi opitulantur, ventris tineas pellunt, urinæ ardori à bile aut pituitâ salsâ contracto medentur, Eligenda sunt plena, pinguia, & carnosa, quæque situm non redolent, nec teredinem senserunt. Hæc Matthiolus.

Electuarium Lenitivum de Manna Nicolai Alexandrini.

℞. Prunorum Damascenorum numero viginti,
Violarum unciam unam,
Capillorum Veneris,
Ceterach,
Lichenis, seu Hepaticæ ana drach. tres,
Seminum quatuor frigidorum majorum ana unciam unam.

Coquantur in aqua sufficiente ad medietatis consumptionem, exprimantur & colentur: in colato dissolve
Mannæ optimæ & purissimæ,
Conservæ Violarum,
Pulpæ Cassiæ ana unciam unam,
Sacchari albissimi lib. quatuor.

Coquantur ad Mellis consistentiam: ad extremum subsequentes pulveres paulatim inspergantur
Seminum quatuor frigid. major. excorticatorum,
Florum Violarum,
Nymphææ,
Seminum Lactucæ,
Scariolæ,
Portulacæ,

Rhabarbari electi,
Foliorum Senæ ana uncia una.

Pulverisentur simul omnia, & cum prædictis misceantur. Fait Electuarium in bonâ formâ.

Ad purgandum sanguinem, flavam & atram bilem reprimendam, jecur calefactum nonnihil refrigerandum, & universi corporis purgationem accommodatum existit. De Manna consule Matthiolum, & Donatum ab Alto Mari tractatu proprio de Manna edito.

Electuarium Diaprunis simplex.

℞. Pulpæ Prunorum ad debitam consistentiam in fictili vitreato decoctæ libras duas,
Sacchari purissimi libram unam.

Levissimâ cocturâ redigantur in formam Electuarii, ut artis est.

Easdem, quas pulpa Prunorum, vires obtinet, cum qua ferè convenit.

ANIMADVERSIONES

In Electuarium Lenitivum Florenzolæ, Lenitivum de Manna, & Diaprunis simplex.

HÆc *Electuaria* ad modos præscriptos quidem confici possunt: id tamen in iis unicè observandum, ut, ubi *purgantes species* cum crassioribus ac viscidioribus *fructibus* coqui præcipiuntur, (uti fit in *Electuarii lenitivi Florenzolæ* primâ decoctione cum *foliis Senæ*,) eæ cum his non simul, sed per se & separatim in aqua coquantur, ac deinceps reliquo *decocto crassiori fructuum*, itidem seorsim facto, jungantur. Ratio est, quòd hi *fructus* (uti antea quoque in *Syruporum* diversis præparationibus annotavimus, & studiosè observari jussimus,) viscidi sint, & consequenter mucore & viscositate suâ aquam illis affusam illicò inquinent; unde ipsa posteà ad extractionem reliquarum *specierum*, quæ nonnihil duriores sunt, (ut in hac compositione *folia Senæ*,) prorsus redditur inepta. Quin etiam loco *Conservæ Violarum*, in prædicto *Electuario lenitivo*, *Syrupum flor. Violarum solutivum* substituendum esse, vel ipsa dictitat ratio. *Mannam* autem, ubi illa *Electuariis* destinatur, colatam vel electam, in fine demùm ipsis jam ad consistentiam coctis, addendam esse, jam ante in præparatione *Diacassiæ cum Manna* monuimus. Quæ, ratione *Sacchari*, in *Electuario Diaprunis* observanda sint, *Animadversiones* nostræ præcedentes super *flores Cassiæ*, edocebunt.

Diaprunis Lenitivum seu Diadamascenon Nicolai.

℞. Prunorum Damascenor. num. centum.

Coquantur perfectè in aquâ sufficiente; deinde cribro raro transmittantur, & reservatâ pulpâ decoctioni affunde
Violarum unciam mediam.

Bulliant sufficienter, & colentur: colaturæ addantur
Sacchari libræ duæ,
Pulpæ supra dictæ libra una.
Pulp. Cassiæ,
Tamarindorum ana uncia una.

Coquantur lento igne, & addantur subsequentes pulveres tenuissimè triti, semper movendo.

℞. Santalorum Alborum,
Rubeorum,
Spodii de Ebore,
Rhabarbari,
Cinamomi ana drachmas tres,
Rosarum,
Violarum,
Seminum Portulacæ,
Scariolæ,
Berberis,
Succi Glycyrrhizæ,
Tragacanthi ana drachmas duas,
Seminum quatuor frig. majorum ana drachmam unam.

Commisceantur, ut artis est.

Commendatur ad febres acutas, ardentes, omnesque alias tertianas, continuas, hecticas marasmodes, lipyrias, causum & synochum, & ad omnem febrilem affectum in principio, augmento, & statu ægritudinis. Solutivum verò in ejusmodi morbis cavendum ob Scammonium præparatum, seu Diagrydium, in

quo in febribus continuis peritiores Medici meritò abstinent.

PHarmacopœi nostri paulò aliter, & majori fortè compendio, quàm à *Nicolao* annotatum sit, hoc medicamentum præparare solent. Violarum enim unciam unam semis in aquæ puræ unciis decem & octo ad tertias decoquunt: cum ejus decocti portione aliquâ extrahunt. Cassiam & Tamarindos decoquunt ad justam consistentiam; cum residuo decocto Sacchari libram unam & semis ad spissitudinem decoquunt, addendo Diaprunis simplicis, seu Pulpæ Prunorum sine Saccharo libram unam, Pulpæ Tamarindorum & Cassiæ ana unciam unam: ubi ad justam consistentiam fuerint redacta, adjiciunt reliquos pulveres. Meliùs tamen fuerit, si prunorum recentium pulpa noviter extracta per se inspissetur, & tum ad libram unam pulpæ Sacchari libræ duæ, & reliqua adjiciantur, & componantur, ut artis est.

ANIMADVERSIONES.

ANimadversio huic *Electuario* ab Authoribus annexa, intricatam & inconcinnam ejus præparationem quodammodo elucidat & emendat, compendiosiori scilicet & meliori præparandi modo: Utinam etiam castratio & correctio, in tanta farragine *pulverum* ultimò illi addendorum, instituta fuisset; quippe quæ efficit ut hoc *Electuarium* ventri replendo & gravando inserviat potiùs, quàm ut illum permeare, ac corpus vitiosâ humorum peccantium saburrâ, sublevare possit.

Hiera Picra Galeni, quam simplicem vocant.

℞. Cinamomi,
Xylobalsami, aut ejus loco Ligni Aloës, vel Cubebarum,
Asari,
Spicæ Indicæ,
Mastiches Chiæ,
Croci ana drachmas sex,
Aloës non lotæ triplum, seu uncias duodecim semis,
Mellis despumati libras quatuor, uncias tres.
Fiat Electuarium.

MEdicamentum hoc famosum, cujus Galenus Auctor extitit, describitur ab eodem 7. Methodi med. cap. 9. & lib. 2. de tuenda valetudine cap. 10. quod quàm maximè prodest vitiosis succis, qui in ventriculi tunicis hærent, utiliter exhibetur iis, qui suffusorum imagines, & alia symptomata ex stomachi vitio patiuntur, & præterea iis, qui alvo sunt adstrictâ, & mulieribus, quæ non probè purgantur.

ADvertant Pharmacopœi, ne species melli despumato priùs injiciant, quàm idipsum ab igne fuerit remotum ac ferè refrigeratum; alioquin enim Aloë rursus conglobatur, & picis instar indurata coit. Observandum quoque, regulam illam communem, quæ in Medicamentis purgantibus species non nimis subtiliter terendas esse docet, in Hieris; præsertim verò in hâc, minimè tenendam, cum hîc (ut Galenus in octavo de Comp. Medic. secundum loca in fine cap. tertii de Hiera Themisonis agens admonet,) specierum exactè tritarum vis Aloën ad longinquas & magis remotas partes deducere debeat.

ANIMADVERSIONES.

QUia hoc *Electuarium* ex paucis, iisque inter se non repugnantibus ingredientibus compositum est, & simplici viâ ejusdem præparatio instituitur, proindè minùs erroribus est refertum, & præ cæteris pomposis compositionibus, ceu quibus plerumque quot *species* tot σφάλματα insunt, nobis unicè arridet. Ingratum saltem & valdè amarum ob admistionem *Aloes* obtinebit saporem, cui hoc accidit, quòd in satis magna *dosi* exhibendum sit, si quid præstare debeat. Propterea quoque rarus ejus usus est internus, cùm paulò delicatiores ægroti à rebus intensè amaris plurimùm abhorreant. Nec tamen est, ut ob amaritudinem illam, soli gutturi inferiori (quod nonnulli Medicorum faciunt, dùm ad *Clysteres* illud usurpant,) destinetur, sed quoties necessitas & morbi hoc *medicamentum* efflagitant, ex ingredientibus ejusdem, posthabito *melle*, *Pilulæ* efformari possunt: ita nimirùm amaritudo ejus palatum minùs offendet, & multò lubentiùs etiam à delicatulis ipsis assumetur.

Ele-

Electuarium Hieræ cum Agarico.

℞. Specierum Hieræ simplicis sine Aloë,
Agarici Trochiscati ana drachm. quatuor,
Aloës non lotæ unciam unam,
Mellis despumati uncias sex.
Misce, fiat Electuarium.

Bilem, & pituitam citra molestiam educit, ut ingredientia testantur.

ANIMADVERSIONES.

Parari poterit hæc *Hiera* juxta modum præscriptum, observando tamen cùm in hoc, tùm in præcedenti aliisque *Electuariis*, ne *species* pulverisatæ, præsertim quæ *Diagridium* recipiunt, *melli ferventi aut intensè calenti*, sed *semi refrigerato* demùm immittantur, aliàs enim *species* in grumos facilè concrescunt. Suasor etiam sum, ut qui paraturus est hoc & similia *Electuaria*, ne *species melli* simul & semel immittat, sed *mel speciebus* in alio vase vel sartagine contentis, per vices, continuò agitando, affundat.

Electuarium Lenitivum ex Tamarindis.

℞. Folior. Senæ mundatorum uncias tres semis,
Cinamomi electi drachmam unam,
Spicæ Indicæ scrupulos duos,
Vini Pucini vel Rheinfalini mensuram unam.
Fiat per noctem maceratio in loco calido, manè fiat una atque altera ebullitio, exprime fortiter, & in ea dissolve
Pulpæ Tamarindorum exossatorum uncias tres,
Passularum enucleatarum uncias duas,
Mannæ Calabrinæ uncias tres semis.
Misce, sub finem addendo
Aquæ Cinamomi drachmam unam.
Fiat Electuarium.

Blandissimum hoc medicamentum delicatis & teneræ ætatis feliciter propinatur, facilè assumitur, faciliùs retinetur, & facillimè operatur.

ANIMADVERSIONES.

Mirabilis hujus *Electuarii* componendi modus præscriptus, vel indignanti etiam risum extorqueret, utpotè quo strictè observato, nec *Electuarium* efficies, nec *Syrupum*, sed crassam quandam potionem: Unâ enim atque alterâ illâ assignatâ ebullitione, *à mensura integra* (quæ *libras quatuor circiter* continebit) *vini Reinfalini*, vix *unciæ aliquot*, spirituosioris quidem exhalabunt; quomodo jam, si in *vino illo Senato laxativo*, *pulparum Tamarindorum & Passularum unciæ quinque*, & *Mannæ unciæ tres* dissolvantur, ac tantummodò (uti præscriptus præparandi modus jubet,) commisceantur, *Electuarium* exinde exsurget? Attamen quisquis ferè Pharmacopœus, ratione & artis peritiâ instructus, optimè hoc *Electuarium* conficere nôrit, sed alio magis concinno, nec ita stupido & insipido modo, nimirùm vel *infusio* & *decocto foliorum Senæ* superiori, *Tamarindorum & Passularum pulpas* extrahendo, iisdemque jam ad consistentiam debitam coctis *Mannam* addendo. Vel etiam cum determinatum pondus *pulparum* adeò exactè, ità ut nil desit aut aliquantum supersit, extrahere nequeamus, ex *foliis Senæ* prædictis *vino* parando *extractum*, quod ipsum jam confectis *pulpis* & *Mannæ* addi, atque ita *Electuarium* parari potest; & quidem in non nimis magna quantitate, cùm durabile non sit. Cæterùm omnes *pulpæ* sive *Tamarindorum*, sive *Passularum*, &c. exossatæ & enucleatæ sint, aliàs enim non *pulpæ* essent *fructuum*, sed *fructus* ipsi, *Tamarindi* scilicet & *Passulæ*, ut adeò opus non fuisset peculiari admonitione de sumendis *pulpis* enucleatis.

Tryphera Persica Mesuæ, aut Joannis Damasceni.

℞. Succ. Endiviæ veræ libras tres,
Apii,
Lupulorum ana libras duas,
Solani uncias novem,
Berberorum uncias tres,
Projiciantur desuper,
Violar. recentium aut exiccatarum,
Rosarum ana drachmæ tres,
Folliculorum Senæ unciæ duæ,

Agarici

Agarici uncia una,
Prunorum Damascenorum numero quinquaginta,
Cuscutæ uncia semis,
Myrobalanorum Citrinorum,
Chebulorum,
Indorum,
Fricatorum Oleo Amygdalarum dulcium recenter expresso ana unciæ duæ,
Spicæ Indicæ drachmæ tres.

Bulliant lento igne, donec supersint libræ duæ: deinde addantur

Epithymi drachmæ quadraginta.

Bulliant leniter, deinde ab igne deponantur, & percolentur, ac in unâ colati parte dissolvantur

Tamarindorum unciæ tres,
Mannæ uncia una semis,
Pulpæ Cassiæ unciæ quatuor,
Conservæ Violatæ libra una.

Colentur, & mundentur à granis & sordibus, atque in aliam colati partem addantur

Sacchari albissimi libræ tres,
Aceti Vini libra una.

Coquantur lento igne, deinde projiciatur id super illud, quod dissolutum est in succis, & aggregentur simul omnia, & coquantur ad mellis consistentiam. Postremò in pulverem redactæ species sequentes inspergantur

℞. Rhabarbari optimi unciæ duæ,
Myrob. Citrinorum unc. una semis,
Chebulorum,
Indorum ana uncia una,
Belliricorum,
Emblicorum ana unc. semis,
Sem. Fumiterræ,
Trochisc. Diarhodon,
Macis,
Mastiches,
Cubebarum,
Spodii de Ebore,
Santali Citrini ana drachmæ duæ,
Nucleorum Sem. quatuor frigid. major. ana drachmæ duæ semis,
Sem. Anisi uncia semis,
Spicæ Indicæ drachmæ duæ.

Fiat Electuarium, secundum artem, in forma Opiatæ.

Valet adversus acutas febres, & calidam ventriculi & jecoris intemperiem, morbis omnibus ex humorum ustione natis confert, sitim restinguit, icterum calidum ex obstructione sanat, suffusionem à vaporibus biliosis visui incommodantem discutit, sanguinem purgat & purum reddit: unde in febribus pestilentibus, & ipsâ peste magnoperè à Georgio Agricola, & aliis commendatur.

Tryphera hæc Persis quondam usitata, quam mollem ac delicatam dicere queas, à Doctissimo Viro Domino D. Adolpho Occone Reipub. Augustanæ quondam Medico, & Officinarum Pharmaceuticarum Visitatore Ordinario, summo studio recognita & revisa, ac è veteribus Mesuæ, & Monachorum Romanorum codicibus eruta, sic nobis hactenus in usu fuit; qui idem Fuchsii & Nicolai Græci auctoritatem secutus, sic eam restituit, quam componendi rationem nostris Pharmacopœis expertam, ac usu probatam omninò retinemus. Cur autem succorum quantitas non modò aucta, sed etiam immutata fuerit, ratio in priori editione hujus Dispensatorii requiri poterit, ubi quoque Trypheræ nomenclatura plùs magis explicata legitur.

ANIMADVERSIONES.

Omnes in hac *Tryphera* tùm compositione tùm præparatione commissos crassos & absurdos errores, ad unguem enarrare, enumeratos examinare & corrigere, non unius paginæ foret opus. Proinde ut scriptionis operam compendi faciamus, absque longiori præloquio, præparationem ejus, quæ tamen vix meretur, ut publicis *Dispensatoriis* inseratur, proponemus. Videlicet

℞. *Succorum denominator. & depuratorum* ℔ *iij circiter,*

Quibus mediante coctione extrahe, non *folliculorum Senæ* sed

Foliorum Senæ el. ℥ *ij,*
Agarici albi ℥ *j,*

Factâ sufficienti extractione, colaturam asserva.

Jam

℞. *Reliquas species omnes, utpotè Violarum,*

Rosarum ana ℥ *iij*,
Prunorum Damascen. N. L.
Cuscutæ ℥ ß.
Myrob. Citrinor.
Chebulor.
Indorum omnium exossat. non verò oleo Amyg. dulc. ineptè fricat ana ℥ *ij*,
Spicæ Indicæ ℥ *iij*,
Epithymi ℥ *v*,

Incisa omnia & contusa coquantur cum reliquis *libris quinque succorum depuratorum* superiùs *denominatorum*, & *aceti vini* ℔ *j*, in vase terreo vitreato ad remanentiam *trium librarum*. Quibus duabus *decoctionibus* commistis adde

Sacchari albi ℔ *iij*.

Coquantur ad consistentiam *Syrupi crassioris*, cui addantur

Pulpæ Tamarindorum ℥ *iij*,
Cassiæ ℥ *iv*,
Mannæ electæ ℥ *j* ß,

Et pro *conservæ Violarum*

Syrupi Violati solutivi adhuc parùm inspissati ℔ *j*,

Denique, ubi parùm refrixerint, *species* superiores ordine subsequentes in alcohol redactæ s. a. ipsis jungantur, & confectum *Electuarium* usui asservetur.

Passulæ Laxativæ.

℞. Fol. Senæ Alexand. uncias quatuor,
Cinamomi electi,
Zingiberis ana scrupulos quatuor,
Aq. Endiviæ & vini albi ana uncias quatuordecim.

Infundantur per horas sex, aut octo, deinde ebulliant ac leniter exprimantur: huic decocto post colaturam adde

Sacchari albi uncias quatuor.

Coquantur simul ferè usque ad consistentiam Syrupi, injiciendo tùm, ut adhuc simul leniter bulliant,

Passularum minorum repurgatarum uncias duodecim.

Atque sic lege artis post justam coctionem reponantur.

Eodem modo parantur & Zibebæ, & Pruna laxativa nostris usitata.

Adstrictam alvum leniunt, fæcesque diutiùs detentas expellunt. Dantur puerulis, delicatulis, & hominibus alias medicinas purgantes respuentibus, quamvis à longinquis partibus ob facilitatem vix quidquam educere possint: quotidianus tamen usus eas indies à nobis postulat, utpote ad ventris obstructiones reserandas cunctis expetitas.

Efficaciores, sed minùs quidem gratæ evadunt hæ Passulæ & Zibebæ, si loco aquæ Endiviæ & vini mucharum seu infusionem Rosarum solutivam sumpseris; veruntamen tunc nonnihil amarescunt.

ANIMADVERSIONES.

Hæ *Passulæ laxativæ* commodè quidem ad modum præscriptum præparari possunt: meo tamen judicio meliùs foret, si priùs ex *foliis Senæ vino vel spiritu vini extractum* pararetur, & postea ex *unciis duabus cum dimidia vini albi optimi*, in quo *Cinamomi el. & Zingiberis ana scrupuli quatuor* aliquandiu infusi steterint, additis *Sacchari albi* ℥ *iv*, solâ dissolutione conficeretur *Syrupus*; Cui tandem *Passulæ* repurgatæ unà cum superiori *extracto foliorum Senæ* jungi, & factâ unâ adhuc vel alterâ ebullitione, confectæ asservari possent.

MEDICAMENTORUM PHARMACOPOEIÆ AUGUSTANÆ CLASSIS QUARTA,

Continens

ELECTUARIA SOLUTIVA MOLLIA,

Nec-non

Iisdem Annexas Animadversiones.

Benedicta Solutiva Nicolai.

℞. Turbith electi,
Sacchari ana drachmas decem,
Diagrydii,
Esulæ præparatæ,
Hermodactylorum,
Rosarum ana drachmas quinque,
Caryophyllorum,
Spicæ Indicæ,
Zingiberis,
Croci,
Saxifragiæ veræ,
Piperis longi,
Amomi veri,
Cardamomi minoris,
Sem. Apii,
Petroselini,
Granorum Solis,
Fœniculi,
Asparagi,
Carui,
Rusci,
Salis Gemmæ,
Galangæ,
Macis ana drachmam unam,
Mellis despumati optimi quantum satis est, seu libram unam semis.
Fiat Electuarium, ut est artis.

Humores pituitosos ad articulos potissimùm decumbentes elicit, colicis prodest, ad quorum Enemata plurimùm expetitur. A renibus quoque & vesicâ purgat, sed in calida causa ab ejus usu desistendum.

Esulam aliqui omittunt, quam tamen Auctor decem drachmarum pondere in hanc confectionem recipit, prout Fuchsius ex Nicolao tàm Latino quàm Græco notat. Nobis medietas sufficere posse videtur, unde drachmas solummodò quinque apposuimus. Debet autem ea nequaquam, nisi debito modo priùs præparata, medicamento huic indi, cujus correctionem, præparationemque suo loco require.

Pro Amomo, qui eo carent, Asarum substituant, quod præter cæteras, quas habet facultates, purgatoriâ suâ vi paulò valentius medicamentum sit redditurum. Alii Cyperum, aut Calamum Aromaticum ejus loco accipiunt, quod nec nos improbamus.

ANIMADVERSIONES.

Simplicissima hæc est præparatio; propterea neque singulares illi insunt errores, poteritque juxta modum præscriptum commodè perfici. In admixtione *specierum* observetur animadversio facta super *Electuarium Hiera Picra cum Agarico.*

Diabalzemer, seu Electuarium Senatum Renodæi.

℞. Rad. Cichorii,
Buglossi,
Polypodii quercini,

Graminis,
Glycyrrhizæ,
Cort. rad. Capparûm ana unc. semis,
Passular. Corinthiacarum drach. sex,
Adianti,
Hemionitidis,
Ceterach,
Cuscutæ,
Artemisiæ,
Fumariæ,
Agrimoniæ,
Betonicæ,
Melissæ,
Florum Genistæ,
Violarum ana manipulum semis.

Coquantur in libris sex ad medias; in colaturæ libris tribus infunde & quoque

Foliorum Senæ uncias quatuor,
Hellebori nigri præparati,
Turbith optimi ana unc. unam semis,
Caryophyllorum drachmas duas,
Sem. Dauci,
Coriandri ana drach. unam semis,

Bulliant ad consumptionem tertiæ partis, colaturæ addendo

Sacchari libram unam semis.

Coquantur supra consistentiam Syrupi, cui permisce expressionem

Unciæ semis Rhabarbari optimi in aqua chalybeata infusi,
Senæ pulverisatæ uncias duas,
Lapidis Lazuli præparati,
Cinamomi unciam semis,
Sassafras unciam unam,
Rad. Pæoniæ,
Cort. Tamarisci,
Epithymi,
Cort. median. Fraxini,
Sem. Agni Casti,
Nigellæ Romanæ,
Spicæ Indicæ ana drachmas duas,
Anthos,
Stœchados ana drachmam unam.
Fiat Electuarium.

Mirum in modum convenit lienosis, melancholicis, hypochondriacis, maniacis, epilepticis, sine febre delirantibus, passionibus hystericis: fœdis viduarum coloribus, elephanticis, scabiosis, & Indicâ lue, vel venereo morbo inveterato laborantibus.

ANIMADVERSIONES.

In duobus potissimùm Authorem hujus compositionis erràsse animadverto. Primò quidem, quòd *decoctum* plurium *specierum* virtutibus jam satis superque impraegnatum ac iisdem ferè incrassatum, adeoque ulteriori extractioni ineptum, *speciebus purgantibus* reaffundere, easque hoc ipso extrahere malesuadus præcipiat. Huic errori ut obviam eamus, necessum est, ut affusâ etiam *aquâ simplici, purgantia* mediante coctione extrahamus, aut ad minimum *decoctum* illud primum optimè, antequam *speciebus purgantibus* affundatur, *album. ovorum* clarificemus, & insuper adhuc semel particulâ *aquæ simplicis* ad omnimodam *virtutis Catharticæ* extractionem prædictarum *specierum, infusionem & coctionem* moliamur. Secundus error in eo consistit, quòd solummodò expressionem *unciæ dimidiæ Rhabarbari in aqua Chalybeata* infusi, & non *Rhabarbarum ipsum in substantia*, sive in formâ *pulveris*, vel saltem particulam ejus *extracti*, *aquâ Chalybeatâ facti*, *Syrupo* jam pro *Electuario* confecto admisceri jubeat; hoc enim longè latiùs esset, quàm si *infusum Rhabarbari* expressum tantummodò adderetur: Etenim si *uncia dimidia Rhabarbari in aliquot unciis aquæ Chalybeatæ* infusa fuerit, ac infusio hæc expressa *Syrupo* admisceatur, liquidus nimis evadet *Syrupus*, ulteriori coctione ad debitam suam consistentiam summoperè indigens. Si verò *infusio Rhabarbari* prædicta paucâ duntaxat quantitate *aquæ Chalybeatæ* facta fuerit, non poterit *Rhabarbari* vires & virtutes integrè extrahere; ergò utrumque malè factum erit. Præstabit itaque nimiâ illâ curiositate missâ, *Rhabarbarum* vel in substantia cum reliquis *pulveribus Electuario* commiscere, vel illud unà cum *foliis Senæ, radicibus Hellebori nigri & Turbith*, junctim superiori *extractioni* committere. Atque ex his liquet genuina hujus *Electuarii* præparatio.

Diacarthamum Arnoldi de Villa Nova.

℞. Specierum Diatragacanthi frigidi unciam semis,
Pulpæ Cydoniorum unciam unam,
Medullæ Carthami unciam semis,
Zingiberis drachmas duas,
Diagrydii drachmas tres,
Turbith albi drachmas sex,
Mannæ drachmas duas,
Mellis Rosati colati,
Sacchari Candi ana unciam unam,
Hermodactylorum unciam semis,
Sacchari albi in aqua Borraginis dissoluti uncias decem semis.
Fiat Electuarium liquidum.

Flavæ bili ac pituitæ educendæ mirificè prodest, & ad omnes affectus è mixtá cum bile pituitá provenientes efficax est, mixtis itidem podagris, hemitritæo, paralysi, ac cephalalgiæ succurrit.

Cydoniorum pulpa Sacchato condiri debet, in cujus usum Cydoniatum nostrum rectè succedit, & cum manna ac melle Rosato solutum colatur per stamen: quæ omnia Saccharo postea paulò ultra, quàm Electuario convenit, cocto, simul trita & colata cum pulveribus adduntur. Diagrydium tamen per se terendum.

Electuarium Caryocostinum.

℞. Costi amari,
Sem. Cymini,
Zingib. albi,
Caryophyll. ana drachmam unam,
Diagrydii,
Hermodactylorum albor. superiore cortice mundatorum ana drachmas duas,
Mellis despumati,
Vini odoriferi ana uncias tres.
Fiat lege artis Electuarium.

Bilem utramque evacuat, cachexiá, & ex illa provenientibus morbis variis conducit, obstructiones viscerum reserat, eorundemque duritiem attenuat & emollit.

Electuarium de citro solutivum.

℞. Cortic. Citri Pomi condit.
Conserv. Borraginis,
Buglossi,
Violar. ana drach. quinque,
Specier. Diatragacanthi frigidi,
Diagrydii ana unciam semis,
Turbith optimi drachmas sex,
Sacchari albi in aquis cordialibus dissoluti libram unam.
Fiat Electuarium.

Electuarium hoc à Guidone de Cauliaco Tractatu septimo de purgatione desumptum, bilem ac pituitam evacuat; idem fermè præstans, quod Diacarthamum Arnoldi, nisi quod gratius sit. Addit verò Guido foliorum Senæ drachmas quinque, ac inde tabellas conficit, pondere unciæ dimidiæ, quæ medicamenti, febribus tertianis, ac hemitritæis, corporis item malo habitui, visceribusque excrementosis profuturi, pro virium tamen ratione, dosis esse solet.

Electuarium Episcopi quod Elescoph Appellatur Mesuæ.

℞. Diagrydii,
Turbith ana drachmas sex,
Caryophyllorum,
Cinamomi,
Zingiberis,
Myrobalanorum Emblicorum,
Nucis Moschatæ,
Polypodii ana drachm. duas & semis,
Sacchari uncias sex,
Mellis despumati triplum, id est, uncias decem & drachmam unam.

Flavam bilem, ac pituitam elicit, flatus & excrementa è toto corpore educit, ob id doloribus articulorum & hypochondriorum prodest: colicis item cruciatibus mirificè auxiliatur, ac humores ad renes, & vesicam decumbentes expurgat. Pulvis tamen est potiùs in usu aut confectio solida, quorum utrumque si efficacius haberi, ac, ut in minore dosi eodem effectu exhiberi queat, efficere volueris, pro Sacchari unciis sex cum Cordo & Coudenbergio Sacchari drachmas tantummodo sex legito.

ANIMADVERSIONES

In Diacarthamum Arnoldi de Villa Nova, *Electuarium item Caryocostinum, nec non de Citro Solutivum, & Elescoph.*

Electuaria hæc, cum simplicia sint, nil desiderant præter unicam Pharmacopœi diligentiam, ut qui in *Electuario Diacarthamo pulpam Cydoniorum* vel si lubet eorundem *gelatinam* ritè dissolvat. In *Caryocostino* autem *vinum* omittere conducibiliùs est, quam addere, quia nihilominus coctione cum *melle* iterùm exhalare deberet, si competentem *Electuarii* expeteres consistentiam. Cætera simpliciter conficiantur, prout textus habet; consuli tamen etiam possunt *animadversiones* supra *Electuarium de Hiera cum Agarico*, in classe præcedenti.

Quo modo in *Electuario Diacarth. Arnoldi*, ratione *specierum Diatrag. frigidi* procedendum sit, consulantur *animadversiones* nostræ subsequentes, super *Electuarium Rosatum Mesues*, ut & *Diacarthamum solidum*.

Confectio Hamech major Mesuæ.

℞. Myrob. Citrinorum uncias quatuor,
Chebulorum,
Indorum,
Rhabarbari electi ana uncias duas,
Agarici,
Colocynthidis,
Polypodii ana drachm. decem & octo,
Absinthii,
Thymi,
Senæ ana unciam unam,
Violarum drachmans quindecim,
Epithymi uncias duas,
Seminum Anisi,
Fœniculi,
Rosarum rubearum ana drachm. sex,
Succi Fumiterræ libram unam,
Prunorum numero sexaginta,
Passularum enucleatarum uncias sex.

Macerentur omnia in sero lactis caprini sufficiente, in vase vitreato, angusti orificii, benè obturato, in loco tepido per dies quinque. Postea ferveant unâ aut alterâ ebullitione, manibus fricentur & colentur: colati parte aliquâ servatâ pro Mannâ diluendâ & pulpis extrahendis; residuo adde

Sacchari albi libram unam semis.

Dissolvatur in infusione fervefactâ & colatâ, & ad justam consistentiam decoquatur: deinde adde Mannæ electæ cum superiore decocto dilutæ uncias duas,

Pulp. Cassiæ uncias quatuor,
Tamarindorum unc. quinque,

Redigantur simul ad justam consistentiam: deinde paulatim subsequentes pulveres insperge, rudiculâ semper agitando,

Scammonii præparati seorsim in pulverem redacti unc. unam & semis,
Myrobal. Citrinorum,
Chebulorum,
Indorum ana unciam semis,
Belliricorum,
Emblicorum,
Rhabarbari,
Sem. Fumiterræ ana drachm. tres,
Anisi,
Spicæ Indicæ ana drachmans duas.

Fiat Electuarium, ut est artis.

Utramque bilem & pituitam salsam purgat, ob id morbis inde natis, impetigini, scabiei, elephantiæ, cancro exedenti, & similibus morbis mirificè confert: unde omni fœditati à biliosis & adustis humoribus procreatæ quàm maximè conducit, in quartanis feliciter datur cum Ellebori decocto, vel infuso, quorum utriusque descriptionem subjunximus.

ANIMADVERSIONES.

Famosa hæc *confectio* parari quidem posset, ad normam in *animadversionibus* nostris super *Trypheram Persicam* præscriptam: melioris tamen informationis gratiâ præparationem, ad nostram sententiam, breviter adjungemus, utpotè

℞. *Rhabarbari electi* ℥ ij,
Agarici albi,
Colocynthidis,
Polypodii ana ℥ ij, ʒ ij,
Folior. Senæ ℥ j,

Incisa

Incisa & contusa infundantur in *libra una succi Fumiterræ*, & *seri lactis libris tribus*, stent infusa loco calido per unum vel alterum diem, factâque ebullitione exprimantur: Residuis & expressis *speciebus*, de novo affundantur *seri lactis* ℔ *ij*, & post unius vel alterius diei digestionem, factamque ebullitionem iterùm exprimantur: *Expressiones ambæ* junctæ asserventur. Jam

℞. *Reliquas primi decocti species*, utpotè
Myrobalan. Citrin. ℥ *iv*,
Chebulorum,
Indorum ana ℥ *ij*,
Absinthii,
Thymi ana ℥ *j*,
Violarum ℥ *j*, ʒ *vij*,
Epithymi ℥ *ij*,
Semin. Anisi,
Fœniculi,
Rosarum rubrar. ana ʒ *vj*,
Prunor. N. LX.
Passular. enucleat. ℥ *vj*,

Contusa & conscissa omnia macerentur & coquantur in ℔ *vj seri lactis* ad dimidias factâque expressione adde colaturæ superiorem *decoctionem ex speciebus Catharticis*, &
Sacchari albi ℔ j ß,

Coquantur junctim ad consistentiam *Syrupi* paulò crassiorem; Cui in fine adde
Pulpæ Tamarindorum ℥ *v*,
Cassiæ ℥ *iij*,
Mannæ elect. ℥ *ij*,

Et ubi parùm refrixerint, etiam *species superiùs enumeratas in subtilem pulverem redactas*.

Nota, si quis etiam *decoctiones* tùm *purgantium* tùm reliquarum *specierum* albumine ovorum clarificare vellet, antequam illis *Saccharum* adderet, is sanè operam impenderet non pœnitendam, quippè hoc ipso efficeret, quò minùs hæc *confectio* adeò violenter ageret, nec alvi tormina excitaret, quod alioquin *Colocynthidi*, ceu violentissimo cathartico, peculiare est.

Infusum Ellebori.

℞. Corticum rad. Ellebori nigri præparat. drachmas duas,
Sem. Anisi,
Fœniculi ana drachmam unam,
Cinamomi,
Caryophillorum ana grana tria.
Fiat infusio s. a. cujus dosis unciæ tres.

ANIMADVERSIONES.

QUæ de curiosa decorticatione *radicum Ellebori nigri*, in *animadversionibus super Syrupum rosatum solutivum compos. Elleboratum Montani* dicta sunt, hûc etiam commodè trahi possunt. Cæterùm certa hujus *infusionis dosis* (℥ *iij*, scilicet) adeò strictè determinari nequit, nisi quoque determinetur, quantum *liquoris* vel *aquæ speciebus* pro earundem infusione affundendum sit.

Decoctum Ellebori.

℞. Corticum Ellebori nigri scrupulos quatuor,
Sem. Anisi,
Citri,
Caryophyllorum ana drachmam semis.
Fiat decoctio, ut est artis.

℞. Hujus decocti uncias quatuor,
Conf. Hamech unciam semis,
Syrupi de Fumo terræ compositi unciam unam.
Misce.

Datur in febribus quartanis, & humoribus adustis, ut in Gallico & aliis.

ARtificiosa est Medicamenti hujus compositio; ideò in ejus præparatione magnâ opus est diligentiâ, præsertim cum multiplex ejus usus existat: unde à Doctissimo Johanne Baptista Montano Aurea confectio vocari meruit.

Pro infusione simplicium Pharmacopœi plerumque assumunt seri caprini libras duodecim, vel etiam paulò plus: videntur tamen duodecim libræ, vel ad summum tredecim sufficere posse.

NOtandum quoque nos in hac editione Absinthii, Thymi, & Senæ unciam legendam censuisse: ita enim habet Mesuæ, licet

licet subjungat (in alio drachmas sex) Ratio quoque sic legendum esse monstrat: mox enim in compositione sequitur sem. Anisi, Fœniculi, Rosarum rubearum ana drachmas sex; unde sine dubio Auctor priora tria simplicia, Absinthium nempe, Thymum, & Senam, æquale cum his pondus habitura posterioribus his conjunxisset, & sic unâ serie omnium dosin æqualem definiisset, ne eadem ponderis quantitas unâ in compositione bis posita occurreret.

ANIMADVERSIONES.

PRæstaret loco *decocti*, *infusum* superiùs descriptum, additâ certâ quantitate *liquoris affundendi*, in usum trahere, vel has ipsas *species* cum determinato quodam *liquore*, solùm infundere, digerere, & sine decoctione, (ob adjecta *Aromata*, quorum fragrantia & subtiliores partes in coctione exhalant) colaturam usui reservare. Qui verò Cortices hellebori, à radicibus suis minutissimis separaverit, is mihi magnus erit Apollo.

Hiera composita Nicolai.

℞. Cinamomi,
Spicæ Indicæ,
Croci,
Schœnanthi,
Asari,
Xylocassiæ, aut Cinamomi exquisitissimi,
Xylobalsami, aut Ligni Aloës,
Carpobalsami, aut Cubebarum,
Violarum,
Absinthii,
Epithymi,
Agarici,
Rosarum,
Turbith,
Colocynthidos,
Mastiches ana drachmam unam, scrupulum unum,
Aloës non lotæ quantum reliquorum omnium, id est, uncias duas, drachmas quinque, scrupulum unum,
Mellis despumati libram unam semis,
Misce, fiat Electuarium.

Hiera hæc, quæ & magna, & hiera ex sedecim rebus dicitur, (mel enim & Aloë in compositionibus hisce non numerantur) ad Enematum usus valdè est solemnis: probè enim pituitam lentam, crassam & frigidam intestinis adhærentem eluit, jecoris obstructiones liberat, lienis duritiem emollit, densitatem expedit, renibus & vesicæ humoris deturbatione proficit, uteri intemperiem emendat; capitis etiam affectus, oculorum & aurium gravedines à magno pituitæ lentore ortas juvat, ventriculo demum benefacit.

Hiera Logadii, Nicolai Myrepsi.

℞. Pulpæ Colocynthidos,
Polypodii ana drachmas duas,
Euphorbii,
Polii Montani minoris,
Sem. Thymelææ, vel Coccognidii ana drachmam unam semis, grana sex,
Absinthii,
Myrrhæ ana drachmam unam, grana duodecim,
Centaurii minoris,
Agarici,
Ammoniaci,
Folii, vel ejus loco Macis,
Spicæ Indicæ,
Scillæ præparatæ,
Diagrydii ana drachmam unam,
Aloës,
Comarum Thymi,
Chamædryos,
Cassiæ ligneæ,
Bdellii,
Marrubii ana scrupulum unum, grana quatuordecim,
Cinamomi,
Opopanacis.
Castorii,
Aristolochiæ longæ,
Trium Piperum,
Croci,
Sagapeni,
Petroselini Macedonici ana drachmam semis,

Helle-

Hellebori nigri,
Albi ana grana sex,
Mellis despumati triplum, seu uncias decem,
Misce, fiat Electuarium.

Mala melancholica diuturna partim propulsat, partim transmutat, appetitum instaurat, hilaritatem ac robur corpori inducens, epilepticis, vertiginosis, subitò concidentibus, spumantibus, linguam mordentibus, & convulsis auxilio est, biliosis ac elephantiacis inter initia convenit: feris item impetiginibus, lethargicis, jecinorosis, & iis, qui venena lethalia hauserunt, utilis est, ac menses potenter movet, ischiadicis & lumborum dolore vexatis admodum competere creditur, diuturnis morbis à vitiosis humoribus obortis plurimùm conferens. Expetitur potissimum in Enemata, ubi viscosos, crassos, lentos & tenaces humores evocare necesse est: raro enim supernè exhibetur, licet aliqui nimis forsan audacter ejus dosin à drachmis duabus usque ad quatuor ad summum sese extendere posse putent; quâ de re perito cuique Medico valorem validorum purgantium Hieræ hujus compositionem ingredientium consideranti, suum sit judicium.

PRo pulpa Colocynthidos non in hac solummodò compositione, sed in omnibus aliis Trochiscos Alhandali substituimus.

Thymelææ seu Coccognidii semina ubi defuerint, quæ tamen apud nos facilè haberi possunt, his commodè substitui queunt semina Laureolæ Germanicæ, quæ planta nostris Zeilandt dicitur, easdem quas Thymelæa, Chamelæa ac Lathyris vires habens.

Hiera Pachii ex Nicolao Alexandrino, quæ & Diacolocynthidos.

℞. Stœchadis,
Marrubii,
Chamædryos,
Agarici,
Colocynthidos ana drachmas decem,
Opopanacis,
Sagapeni,
Petroselini,
Radicis Aristolochiæ rotundæ,
Piperis albi ana drachmas quinque,
Cinamomi,
Spicæ Nardi,
Myrrhæ,
Polii,
Croci ana drachmas quatuor,
Mellis despumati triplum, id est, libras duas, uncias novem, & drachm. quinque.

SCribonius Largus de Composit. Med. cap. 97. Hieram hanc ad Pachium autorem refert, & mirificis laudibus in cœlum effert. Cùm igitur tantæ efficaciæ sit, & alii etiam qui eâ usi sunt, ejus vires fuerint experti, in nostris quoque officinis hanc constructam & paratam esse volumus. Sanat enim morbo comitiali correptos, furiosos, vertigine laborantes, ac diuturno capitis dolore infestatos: facit item ad lateris dolores, asthmaticos juvat, vocem amissam restituit: subitas præfocationes, incubum, convulsionem cynicam, seu caninam dictam aufert. Datur iis, qui ex alto lapsi, aut nervorum tensiones resolutionesque passi sunt. Prodest itidem articulari morbo, spinæ ac lumborum doloribus, item podagræ mirificè auxiliatur, durities in mulierum mammis cum dolore consistentes levat, & interdum ex integro sanat: stomachicis mirum in modum confert, remedio est iis, quibus cibus in ventriculo acescit, quique nauseâ assiduè infestantur, ac salivâ abundant; melancholicis autem præcipuè benefacit, carcinomata & cacoëthe curat.

ANIMADVERSIONES

In Hieram compositam Nicolai, & Hieram Logadii Nicolai Myrepsi, item Hieram Pachii, & Nicolao Alexandrino.

PLures satisque egregiæ *præfatas compositiones* nobilitant *species*, quas gutturi inferiori (cui tamen ignobiliori usui *prima & secunda* potissimùm à plurimis destinantur) injicere nefas & absonum esset; Plures etiam additæ sunt, quas omisisse longè meliùs fuisset, præsertim in *Hiera Logadii*, quam etiam ob violentam, mordacem & exurentem suam

qualitatem ad interiores usus ferè ineptam ac inhabilem reddunt; Sed hæc aliis, qui ipsis frequentiùs utuntur, consideranda relinquo. Id saltem in præsens innuere volo, quòd *species primæ Hieræ*, nimirum *compositionis Nicolai*, dempto *melle*, commodiùs *pilulis* ex iis conficiendis inserviant, quam *Electuario*. Cæterùm in confectione horum & similium *Electuariorum*, quæ diversa *Gummata* aliasque res solubiles recipiunt, convenit imitari præparationem *Theriaces*, scilicet *Gummata* (utpotè in *Hiera Logadii*, *Opopanacum*, *Sagapenum*, *Myrrham*, *Bdellium* & *Ammoniacum*) in *liquore* aliquo convenienti studiosè priùs dissolvendo, ac soluta demùm *speciebus* reliquis admiscendo.

Electuarium Indum Majus Mesuæ.

℞. Cinamomi,
Caryophyllorum,
Spicæ Indicæ,
Rosarum,
Cassiæ ligneæ veræ,
Macis,
Cyperi rotundi ana unciam semis,
Santalorum Citrinorum drachmas duas semis,
Turbith optimi uncias sex drachmas duas,
Ligni Aloës,
Nucis Moschatæ ana drachmas duas,
Sacchari,
Penidiorum ana drachmas viginti,
Galangæ,
Cardamomi majoris,
Minoris,
Asari,
Masticheş ana drachmam unam semis,
Diagrydii unciam unam semis.

Omnia terantur, & cum oleo Amygdalarum dulcium fricentur, & cum subsequenti Syrupo conficiantur.

℞. Succorum depuratorum Apii,
Fœniculi,
Cydoniorum,
Granatorum ana libram semis,
Mellis despumati optimi libras quatuor semis.

Decoquantur succi cum melle ad spissitudinem justam, ut est artis: deinde misceantur species.

PVtridorum humorum, *maximè verò pituitosorum excrementa à ventriculo*, & *aliis partibus nutritioni servientibus educit*, ac *crassos in iis flatus discutit: unde etiam vitia hinc nata, inflationem nempe ventriculi, coli, renum*; & *aliorum viscerum persanat.*

ANIMADVERSIONES.

SI cui volupe fuerit denominatos *succos*, ne quid ab iis pereat, *destillationi* committere, & *aquam spirituosiorem* ab ipsis prolectam peculiariter asservare, tandemque *inspissatos melli* & *Electuario* commiscere, ipsi liberum esto. *Fricatio* autem omnium & singularum *specierum ingredientium oleo Amygdalarum dulcium*, ceu frivola & inutilis repudianda est. *Diagrydium* (quod singulatim semper pulverisandum) *oleo dicto* nonnihil aspergi, vel saltem mortarium, in quo tunditur, aliquantillum ipso humectari poterit, quò minus tenaciter illi adhæreat, aut alcoholizatum avolet. Reliquarum verò *specierum* plures, si separatim sepositis quibusdam *oleaginosis*, utpotè *Macere*, *Caryophyllis*, *Nuce Moschata*, &c. contunderentur, non minùs aspersione aliquot guttularum præfati *olei* indigerent, ne in ipsa contritione *pulvis subtilissimus*, sive *alcohol* earundem in auras expelleretur. Si verò cum his mixta contundenda sunt, peculiari *olei* additione opus non habent; quippe prædictæ *species oleaginosæ olei* vices supplent ac impediunt, quò minùs multùm de iis aboleatur.

Diaphœnicon Mesuæ.

℞. Dactylorum Citrinorum enucleatorum, ac tribus diebus in aceto maceratorum, ante infusionem ponderatorum uncias sex & drach. duas,
Penidiorum uncias tres & drachmas unam,

Amyg-

Amygdalarum dulcium drachmas quindecim,
Turbith electi drachmas septendecim semis,
Diagrydii drachmas sex,
Zingiberis,
Piperis longi,
Foliorum Rutæ siccatorum,
Cinamomi,
Macis,
Ligni Aloës,
Anisi,
Fœniculi,
Dauci,
Galangæ ana scrupulos quatuor,
Mellis despumati libras tres uncias undecim & drachmas quinque.
Fiat Electuarium.

Electuarium hoc, quod (ut Mesua refert) descripsit filius Zezar, febribus compositis & diuturnis auxiliatur: bilem namque flavam & pituitam sine molestia educit, ventriculi item doloribus, & id genus vitiis, ex crudis humoribus ortis, confert; ventris inflationes tollit, nec non obstructiones expedit.

Diaphœnicon Fernelii.

℞. Pulpæ Palmularum mundatarum ex Hydromelite coctæ & cribro cretæ,
Penidiorum recentium ana libram semis,
Amygdalarum expurgatarum uncias tres semis.
Contusis & permixtis omnibus adde
Mellis exspumati libras duas:
Paulum coquantur, ac deinde insperge
Zingiberis,
Piperis,
Macis,
Cinamomi,
Foliorum Rutæ siccorum,
Sem. Fœniculi,
Dauci ana drachmas duas,
Turbith tenuissimè triti uncias quatuor,
Diagrydii unciam unam semis.
Fiat Electuarium.

Compositionem Electuarii Diaphœnici, ob Dactylos in aceto infusos, alioquin parum gratam Doctissimus, & ob præstita in Rempub. Medicam beneficia non sine magna laudis præfatione nominandus Vir D. D. Fernelius, in hanc formam transtulit: ac non modò palmulas in Hydromelite coctas jucundiorem, sed etiam ob auctam, imò ferè duplicatam Turbith ac Diagrydii quantitatem priore efficaciorem reddidit; unde & minori dosi exhibita, priore potentiùs alvum solvit. Quæ quoniam Medicis nostris usitata existit, eandem huic Pharmacopœiæ inserendam esse censuimus.

Diaprunis solutivum Nicolai.

℞. Diaprunis Lenitivi adhuc recentis & calidi libras quatuor,
Scammonii præparati, seu Diagrydii uncias duas,
Misce.

Confert morbis à bile genitis: in febribus tamen, maximè verò continuis, ab ejus usu cavendum.

ANIMADVERSIONES

In Diaphœnicon Mesuæ, & Fernelii, nec non Diaprunis solutivum Nicolai.

Inter hæc *Electuaria ex Dactylis* confecta *Fernelii compositio*, præ illa *Mesuæ*, nobis arridet, eò quòd in *Ferneliana præparatione, Dactyli* absque *aceto* in *pulpam* redigantur: Etenim non video, ob quam singularem causam *Mesues Dactylos aceto* priùs macerare & præparare præceperit; uti nec adeò perplacet, quod hi & consimiles *fructus*, utpotè *Amygdalæ*, nec non cætera preciosa ingredientia intermisceantur, cùm neutiquam vim *purgantium* directè infringere vel corrigere possint, sed dosin saltem & precium augeant, & invicem commixta ingrati saporis & odoris efficiant medicamentum. De *Sacchàro* verò *Penidii* quid sentiam, ex *animadversionibus* nostris super *Syrupum Capillorum Veneris* abundè patebit. Cæterùm hæc *Electuaria* juxtà modos præscriptos confici possunt. Quæ leviora alio-

quin circa præparationem eorundem monenda essent, peritus Pharmacopœus ipsus antea nôrit; sin minùs, consulantur *animadversiones Electuarii Hieræ cum Agarico.*

Electuarium de Psyllio Montagnanæ in Consiliis fol. 226. in Antid. cap. 19.

℞. Polypodii recentis libram unam,
Senæ,
Violarum,
Tamarindorum,
Passularum ana uncias tres,
Aquæ fontis libras decem.

Macerentur horis viginti quatuor, postea decoquantur ad medietatem, colentur & exprimantur: colaturæ libra una semis reservetur pro dissolutione Cassiæ & Tamarindorum. Residuo adde
Sem. Psyllii uncias tres;

Macerentur rursus totidem horis, semper agitando: post exprime mucilaginem, cui adde
Sacchari libras quatuor.

Decoquantur iterum lento igne, & adde
Pulpæ Cassiæ,
Tamarindorum dissolutorum cum prædictâ decoctione ana lib. semis,
Diagrydii uncias quatuor,
Spodii de Ebore,
Rhabarbari,
Santali albi,
Rubei,
Rosarum rubearum,
Violarum,
Sem. Papaveris albi,
quatuor frigid. minor.
Fœniculi,
Anisi,
de Berberis,
Fumiterræ,
Tragacanthi,
Amyli,
Gummi Arabici,
Rasuræ Eboris,
Glycyrrhizæ ana drachmas tres,
Myrobal. Indorum,
Emblicorum ana drachmas quinque semis.

Misce, fiat Electuarium.

Flavam bilem educit, ejus fervorem temperat, & febribus ardentibus auxiliatur: dolori capitis & vertigini à biliosorum humorum evaporationibus procreatæ, morbo regio, ac jecori supra modum calefacto succurit.

Diagrydium per se tritum, ac Spodium; & rasura Eboris tenuissimè pulverisata reliquis simul conterendis misceantur, & cribro transmissa decocto ad justam consistentiam redacto paulatim inspergantur, fiatque Electuarium, ut est artis.

ANIMADVERSIONES.

Ex conglomeratâ & malè consarcinatâ tot huic *compositioni* destinatorum ingredientium farragine, quàm delicatum scilicet parari queat *Electuarium*, quivis, qui penitiùs paulò eam introspexerit, nedum qui ipsam ejus præparationem tentaturus est, ad nauseam usque videbit. Et ut cætera cuncta missa faciamus, solùm *semen Psyllii* attingere libet, utpotè quòd in satis largâ quantitate, huic *Electuario* additur, unde etiam nomen habet; Ex quo, ut Author ipse jubet, *mucilago* tota extrahenda, & cum *Sacchari* ℔ *iv* decoquenda est; Quale autem exindè evadat ferculum, is solus optimè novit, qui *Electuarium* hoc suis manibus antea confecit. Nil dicam de cæteris plurimis aliis, quæ *embammati huic viscido & mucilaginoso*, gratiæ conciliandæ ergo, æque tamen inconcinnè, adjecta sunt. Non mirùm sanè, quòd ægrotantes ab usu medicamentorum tantoperè abhorreant, ac emori sæpenumerò malint, quàm tali insulsâ medicinâ uti. Culpa autem hujus rei nulli alii imputanda est, quàm solis *Medicis*; illis nimirùm, quibus religio est à *Veterum* quorundam præscriptis vel latum unguem recedere, ac cum iisdem delirare volunt potiùs, quàm juxta *Divini Senis Hippocratis* monitum *citò, tutò & jucundè* curare. Ast habeant illi sibi opipara hæc sua *embammata*, & quæ intrivêre, ipsi exedant; Nos verò ob talia nil morabimur, quin alia meditabimur meliora. Qui proindè paulò potiorem hujus Pharmaci desiderat præparationem, is se gerat tali pacto; nimirùm juxta modum nostrum, jam in præcedentibus pluries indigitatum: *Folia Senæ*, & si libet, etiam *Polypodium* sigillatim infusione

sione vel coctura extrahat; deinde reliquas *species* vel *fructus* etiam seorsim: Ulterius *decoctis* vel *infusionibus* hisce simul junctis *semen Psyllii* nonnihil extrahendum, & addito *Saccharo* decoquendum est, nescio tamen ad quam consistentiam, utpotè quæ ob ingentem *mucilaginem* & *viscositatem* describi nequit: sed Pharmacopœo peritiori committenda erit, qui studiosè observare debet, ne à *mucilagine* decipiatur, quò minùs durabile efficiat medicamentum. Commiscendæ tandem *pulpa fructuum confectionem* hanc ingredientium, ac ubi parùm refrixerint, *species* etiam subsequentes in pulverem redactæ, observando interim *animadversiones* nostras præcedentes, in *Electuarium de Hiera cum Agarico.*

Electuarium Rosatum Mesuæ.

℞. Succi Rosarum rubearum perfectarum libras quatuor,
Sacchari optimi libram unam semis.

Coquantur lento igne ad Mellis consistentiam: deinde adde
Mannæ electæ succo Rosarum dilutæ uncias sex.

Ferveant simul paululùm: deinde benè tritis, & per cribrum transmissis adde
Diagrydii unciam unam semis,
Trochiscorum de Spodio unc. unam,
de Berberis unc. semis,
Galliæ Moschatæ veræ,
Croci ana drachmas duas.

Fiat Electuarium, ut est artis, quod in vase vitreo repositum asservetur.

Cholagogum hoc salubre est biliosis affectibus, arthritidi calidæ, cephalalgiæ, vertigini, oculorum dolori, ictero, sanguinis quoque fervorem biliosum expurgat.

Paratur etiam Medicamentum hoc sine Gallià, partim pro pauperibus, partim pro iis, qui Galliæ odorem non ferunt.

ANIMADVERSIONES.

Simplicissima hujus *Electuarii* præparatio vituperium non meretur; *Animadversio* facta etiam ratione *Galliæ Moschatæ*, nullâ ratione improbanda, quin seriò notanda est: Neque enim stercora *Moscho*, *Ambrâ* & *Ligno Aloës* (utpotè ex quibus *Gallia Moschata* constat,) condienda sunt. Cæterùm *Trochiscos de Spodio* & de *Berberis* quod attinet, valdè imprudenter mihi videtur composita compositis cumulare, quasi verò *species* illæ, quæ prædictos *Trochiscos* ingrediuntur, æquè commodè huic *confectioni* in debita quantitate addi non potuissent, sed necessariò *Trochisci* addendi fuerint; qui alioquin raiò vel nunquam à Medicis præscribuntur, deberent ideò prostare ratione solius hujus *Electuarii*; Proh! quàm stupidum hoc est! Næ hoc modo valdoperè gravantur Pharmacopœi, tot ac tantis compositis præparandis, quæ vel spatio aliquot annorum ne semel quidem præscribuntur, quæque tandem, ubi vetustate consumpta, vel quovis modo tractu temporis corrupta fuerint, abjicere necessum est. Undè tùm non leve dispendium Pharmacopœo accedit, quòd tandem etiam in ægrotos redundat, qui ægerrimè postea suo ære damnum hoc resarciunt, & Pharmacopœo sumptus, sive impensas suas refundunt; hinc demùm illæ lachrymæ! Huic incommodo jam ut obviam eamus, conabimur posthac illas *compositiones*, quas *composita* ingrediuntur, (licet haud exiguo nostro labore) exactissimâ & diligentissimâ computatione resolvere, tantùm de *speciebus* singulas compositiones ingredientibus, aliisque *compositis* additis, unicuique *compositioni* addendo, quantùm alioquin vel ad unum aut alterum granum *compositi* integri additum fuerit, facto initio ab hoc *Electuario*, quod jam præ manibus habemus, ubi *species* omnes *Trochiscorum de Spodio & de Berberis*, quæ hanc *compositionem* ingrediuntur, in debito & accuratissimè computato pondere, addemus, ut adeò in posterum non necessum sit, prædictos *Trochiscos*, vel plura similia superflua *composita* conficere, sed ut *species* ipsas recentes semper addere queamus. Utpotè

℞. *Sacchari albi opt.* ℔ j ß,
Succi Rosarum ℔ iv,

Coquantur lento igne ad consistentiam *Syrupi* multò crassiorem, quibus adde
Mannæ el, & colatæ ℥ vj,

ac ubi parùm refrixerint, *species* etiam subsequentes in pulverem redactas, scilicet

Rosarum rubrarum ℥ iij ß. *gr. vj,*
Spodii ℥ j. ℈ ij,
Sem. Acetosæ ℥ j. *gr. xxiv.*
Berberum ℥ ß. *gr. j,*
Coriandri,
Portulacæ,
Sumach ana ℈ j. *gr. vij,*
Amyli,
Florum Balaustiarum ana ℈ j. *gr, iv,*
Gummi Arabici ℥ j. *gr. ij,*
Ligni Aloes,
Mastiches,
Galliæ Moschatæ,
Nardi Indicæ ana gr. xvi,
Diagrydii ℥ j ß,
Croci ℥ ij,

Nota *Galliæ Moschatæ* ℥ ij, studiò omisimus, ob rationem superiùs dictam; possunt nec non *grana illa sedecim dictæ Galliæ Moschatæ*, quæ ex *compositione Trochiscorum de Berberis* huic translata sunt, similiter omitti.

Electuarium è Succo Rosarum Nicolai.

℞. Succi Rosarum rubearum,
Sacchari albi ana uncias sedecim,
Scammonii præpar. unc. unam semis,
Santali Rubri,
Albi,
Citrini ana drachmas sex,
Spodii de Ebore drachmas tres,
Camphoræ scrupulum unum.

Succus Rosarum cum Saccharo ad justam consistentiam coquatur, deinde tritæ species adjiciantur.

Commendatur ad omnes affectus, in quibus bilis flava redundat, aut biliosi schores peccant, convalescentes ex ægritudine, quotidianarios & tertianarios sine molestia purgat, malignorumque humorum reliquias potenter educit, tertianæ simplici, duplici, febribus biliosis, malisque omnibus à calore natis prodest, præbetur in calidis capitis affectibus, ad purgandam materiam calidam & biliosam.

Modus confectionis hic est, ut succus Rosarum cum Saccharo in Syrupi consistentiam percoquatur; cui postmodùm inspergantur Santala in pulverem redacta, itemque Spodium tritum; postremò addantur Diagrydium & Camphora, quorum utrumque per se ac seorsim pulverisatum prædictis admisceatur, & fiat ex lege artis Electuarium.

ANIMADVERSIONES.

Animadversio Authorum super hoc *Electuarium* facta, simplicem bonamque ejus præparationem edocet: in eo autem solummodò Authores hallucinantur, quòd *Camphoram* per se pulverisare jubeant, quam per se & absque ulla additione in pulverem redigere impossibile est. Proindè consultius est, *Camphoram* in mortario aliquot guttulis *olei Rosarum* vel *ligni Rhodii*, aut etiam *Amygdalarum dulcium* humectatam, terere, & *spodium* uti rem siccam, tandem illi addere; sic enim simul in pulverem subtilem redigi possunt.

Electuarium Diasebesten Bartholomæi Montagnanæ.

℞. Sebesten sine nucleis,
Prunorum siccorum enucleatorum,
Pulpæ Tamarind. ana uncias quinque,
Aquæ Violarum libram unam,
Ireos,
Succi Anguriæ ana uncias sex,
Succi Mercur. depurati unc. quatuor,
Penidiorum uncias octo,
Sem. quat. frigid. major. excorticatorum ana uncias duas,
Diagrydii drachmas tres.

Coquantur Tamarindi, Sebesten & Pruna in aquis stillatitiis, & dissoluta commisceantur cum succis, addendo pulpæ Prunorum libram unam semis. Postea addantur Penidia, & his dissolutis Diagrydium & reliqua commisceantur, ac fiat Electuarium.

Confert febribus biliosis interpolatis, ac continuis exquisitis, quarum vehementiam sedat, sitim extinguit, vigilias arcet, & acres humores per urinam educit.

Anguria, quæ Hetruscorum est Cucumis in ventrem crescens (quæ alioquin Albateca, Batega, & Melon Indus dicitur) nobis deest: pro ejus igitur succo aquam Melonum stillatitiam substituimus.

Aliqui,

Aliqui, nec ſine ratione, ex ſeminibus frigidis Electuarium hoc ingredientibus emulſionem parant; quam cum Penidiis decoctam compoſitioni poſtmodùm indunt, ac cum cæteris ad juſtam Electuarii conſiſtentiam reducunt.

ANIMADVERSIONES.

UT inconcinna eſt hujus *Electuarii* ingredientium ſpecierum congeries, atque indè emergens inſulſa *confectio*: ità inſipidæ etiam ſunt auctarii loco adjectæ *Animadverſiones*, omni ratione & judicio deſtitutæ, quæque vel primo ſaltem intuitu, illis, qui artem pharmaceuticam vix à limine ſalutàrunt, riſum moverent; nedum in eadem aliquantùm exercitatis. Quarum ultima tamen videtur quodammodò propinquius ad ſcopum acceſſiſſe, ſed & ipſa manca eſt & mutila: Ut autem ſine prolixiori examine *pulmenti* hujus aliam addamus præparationem, en! habe ſequentem.

℞. *Sebeſten ſine nucleis, Pruna itidem enucleata & Tamarindos*, affuſiſque *aquis ſtillatitiis, Violarum, Ireos, ac ſuccis Anguriæ & Mercurialis*, decoque ad conſiſtentiam pulmenti, quod trajice per ſetaceum; Cui adde loco *Penidiorum Saccharum commune album*, nec non *pulpam Prunorum*, coquantur invicem ad conſiſtentiam *Electuarii*; huic tandem admiſce, *ſemina quatuor frigida majora excorticata*, in mortario cum particula *aquæ* minutiſſimè contuſa, ac ſi *emulſionem* conficere velles, & per cribrum etiam vel ſetaceum transmiſſa, ac ubi quodammodo refrixerit, ultimò *Diagrydium* adde: ſic paratum erit ferculum, quo is, cujus palato hoc arridet, ad libitum & ſufficientiam, exſaturari poterit.

Diaſena Nicolai.

℞. Senæ uncias tres,
Avellanarum toſtar. num. quinquaginta,
Serici toſti drachmas duas,
Lapidis Armeni loti drachmam unam,
Lazuli loti drachm. tres,
Sacchari uncias ſex,
Cinamomi unciam unam,
Caryophyllorum,
Galangæ,
Piperis,
Spicæ Indicæ,
Seminis Ocimi,
Folii, aut Macis vel Caſſiæ ligneæ veræ,
Cardamomi,
Croci,
Zingiberis,
Zedoariæ,
Florum Roriſmarini,
Piperis longi ana drachmas duas,
Mellis deſpumati libras duas.
Miſce, fiat Electuarium.

MElancholicis, maniacis, triſtitiâ, ac mærore affectis, lienoſis, ſcabie, elephantiaſi, & quartanâ laborantibus, atque inſuper omnibus noxis ex atra bile natis medetur.

PRo Lapide Armeno de quo magna eſt inter Authores controverſia, Lapis Cyaneus vel Cæruleus, vulgariter Lapis Lazuli dictus, rectè hîc noſtrâ opinione ſubſtituitur, ut qui magnam cum Armeno cùm ratione originis, tùm virium affinitate cognationem habeat. Eligendus eſt autem Lapis Lazuli aureis maculis diſtinctus, ſeu in cujus fracturis radiantes quædam ac ſplendentes aureæ ſtellæ ſcintillant, unde à Meſue lapis ſtellatus vocari meruit: cujus, prout & Serici præparatio, infrà & ſuo loco tradetur.

ANIMADVERSIONES.

HOc *Electuarium* ſolâ ac ſimplici ingredientium mixturâ confici poteſt, uti alia, ſimplici viâ parata *Electuaria*. De *Saccharo* verò notetur, quòd ſi *mel* quodammodò craſſum ſit, priùs diſſolvi, ſicque diſſolutum *melli* permiſceri debeat; ſi verò liquidius *mel* extiterit, in pulverem redactum vel ſaltem contuſum illi admiſcendum ſit. De *Serico toſto* multa quidem dicenda eſſent, quàm inutiliter illud non ſolùm huic *Electuario*, ſed etiam aliis plurimis *compoſitionibus* addatur; ex quibus tamen ceu inutilis carbo meritò exulare deberet: ſed hæc nobis reſervabimus, donec de ejuſdem *præparatione* verba ſimus facturi.

MEDICAMENTORUM
PHARMACOPOEIÆ AUGUSTANÆ
CLASSIS QUINTA,

Continens

Confectiones Solutivas in Forma Solida,

Nec-non

Iisdem Annexas Animadversiones.

P*Auca in hac* classe confectionum solidarum *occurrunt emendanda, cùm ob simplicem earum componendi modum, tùm etiam, quod major illarum pars, jam in præcedenti* classe *revisa & castigata fuerit. Operæ precium saltem nunc est ut, quid per* confectionem solidam *Medici & Pharmacopæi propriè intellectum velint, breviter explicemus. Nimirum:*

Confectio solida dicitur medicamentum siccum, in forma orbiculari vel oblongâ aut quadratâ, factum ex Sacchare priùs aliquo liquore convenienti dissoluto, iterumque ad omnimodam aquositatis exhalationem, sive ejus consistentiam sicciorem cocto: cui demùm, dum adhuc liquidum & calidum est, aut antequam pristinam suam duritiem prorsus adipiscatur, species vel purgantes vel aromaticæ, vel etiam conservæ, condita, fructus, vel olea still. aut aliæ res, in debita & convenienti quantitate, commisceantur. Inventum ut eodem modo, quo in *Syrupis*, *Electuarii*, *&c.* beneficio *Sacchari* (quod, uti superiùs diximus, tanquam Pharmacopœorum *sal* est) species ingredientes, quæcunque illæ sint, ad tempus integris viribus conservari possint, utque variæ medicinarum formæ, ad uniuscujusque delectum accommodatæ, in Officinis prostent.

Anisum Laxativum.

℞. Sem. Anisi mundati uncias sex,
Diagrydii uncias tres & drachmas sex,
Masticheselectæ unciam semis,
Spec. de Gemmis frig. drachm. duas,
Diamargarit. frigid.
Cinamomi acuti,
Caryophyllorum,
Nucis Moschatæ ana drachm. unam,
Sacchari albissimi libras quinque & uncias quatuor.
Fiat secundum artem Confectio.

A*Niso hoc solutivo plurimi adstrictâ alvo laborantes, ad eam facilitandam ante cibum utuntur: nonnulli autem qui Medicamenta purgantia alioquin respuunt, hujus confectionis jucunditate allecti, eâ assumpta repurgantur. Veruntamen in medicamento hoc cum solum Diagrydium vires suas exerat, iis tantùm, quibus hoc ipsum convenit, est exhibendum.*

Diacarthamum Solidum.

Species ingredientes Electuarii Diacarthami Arnoldi cum Sacchare conficiantur, ut est artis, seu ad normam Elescoph.

I*Isdem viribus quibus liquidum pollet, & gratius quàm illud assumitur.*

Confectio Adversus Lumbricos.

℞. Sem. Cinæ drachmam unam,
Rad. Filicis,
Graminis,
Dictamni ana scrupulos duos,

Cornu

Cornu cervi usti,
Rhabarbari ana scrupulos quotuor,
Sacchari diluti aqua Graminis unc. sex.

Vermes & animalia ex humorum corruptione in intestinis nata enecat & ejicit. Datur puerulis, quos lumbricorum frequens morsus infestat, aut eorundem rosio vellicat.

ANIMADVERSIONES

In Confectionem Anisi Laxativi, Diacarthami Solidi, & Confectionem Adversus Lumbricos.

HÆ enumeratæ *confectiones* possunt quidem juxta modum præscriptum præparari: ast rationi non consonum est, *species cordiales purgantibus* immiscere, utpote quæ in hisce nihil amplius præstare possunt, quàm quòd precium solum augeant, & quandoque etiam saporis gratiam immutent & diminuant. In reliquis peritus Pharmacopœus studiosè observabit, ut *species Sacchara* nonnihil refrigerato & indurescenti, sub finem immisceat; secùs si fiat, *Diagrydium* grumescit, aut in pristinam resinosam formam abit, quod ita in corpus assumtum vix quicquam operatur. Nec per se solum *Diagrydium* dictum, *Saccharo* immiscendum est, sed aliis *speciebus* permixtum, quæ ejus coagulationem vel conglobationem impedire quodammodo possint.

In *Diacarthamo solido*, quod ad normam *Elescoph*, (in quo ℥ *vj specierum uni libræ Sacchari destinantur*) parare præcipiunt, hoc monere volui, quòd quantitas *specierum* assignatum pondus *Sacchari* excedat, ac ob id difficiles paratu sint hæ & consimiles *confectiones*, ac ori & oculis ingratæ evadant; accedit quòd *species* jam adhuc intensè calenti *Saccharo* immisceri jubeantur, quo ipso facillimè contingit, ut ob *Diagrydium* (uti jam superiùs commemoratum) præsertim si in operationibus pharmaceuticis non multùm exercitatus & expeditus, *confectionem* moliatur, tota *confectio* destruatur: Suaderem igitur, ut saltem *tres* vel ad summum *quatuor unciæ specierum ad* ℔ *j Sacchari* sumerentur. Præterea in præparatione hujus *confectionis*, non opus est vel *melle rosato*, vel *Saccharo Candi*; posset etiam *pulpa Cydoniorum* omitti, (quæ etiamsi admiscenda est, præstat, ut statim atque *Saccharum* ab igne removetur, illi adhuc ferventi addatur, in eoque dissolvatur.) similiter etiam *Manna*. Atque hâc ratione *quantitas specierum* multùm diminueretur, & nihilominus *confectio* hæc, quantumvis ad *Sacchari libram integram, tres* solummodò *unciæ specierum* sumantur, ad operandum satis efficax erit. Ut autem de legitimo præparandi modo eò certiùs constet, integram præparationem hîc subnectam. Utpotè:

℞. *Specierum Diatrag. frigidi,*
Medullæ Carthami ana ℥ ß,
Zingiberis ʒ *ij,*
Diagrydii ʒ *iij,*
Turbith albi ʒ *vj,*
Hermodactylorum ℥ ß.
Misce, fiat pulvis.
Posteà,

℞. *Sacchari albi in aqua Rosarum dissoluti* ℔ *j,*

Coquatur ad consistentiam debitam & notam, quam tabulati vocant, cui statim adhuc ferventi injice, in eoque dissolve

Gelatinæ Cydoniorum, si libet, ℥ *j,*
Mannæ electæ ʒ *ij.*

Et ubi parùm refrixit, aut condensationis notam præbet, *species* etiam *suprà dictas* confestim immisce, ac in aptum & conforme receptaculum effunde, dividendo posteà cultro in *Morsulos*, quorum quilibet habeat pondus *duarum vel trium drachmarum* circiter.

Nota, si *Species Diatragacanthi frigidi* jam paratas (quæ utplurimùm in promptu sunt) accipere lubet, per me licet; sin minùs, accipiantur *ingredientia dictæ compositionis recentia*, & quidem pro qualibet *uncia una* ejus *decima sexta pars, sive* ʒ ß, & pro qualibet *drachma una grana tria cum dimidio* circiter.

Diacydonium Laxativum.

℞. Foliorum Senæ el. unc. duas semis,
Sem. Anisi drachmas tres.

Infundantur in libris duabus vini Malvatici per horas duodecim, posteà coquantur levi igne ad medias, colenturque. In colatura hac infunde per noctem loco calido

Rhabarbari electi drachmas sex: manè colentur, & colatura servetur.

Deinde

℞. Zingiberis albi unciam unam,
Cinamomi acuti drachmas sex.

Infundantur seorsim per noctem in succi Limonum & Citri ana unciis quatuor: manè colentur & exprimantur.

Posteà

℞. Pulpæ Cydoniorum, lege artis paratæ, libras duas semis,
Sacchari clarificati lib. unam semis.

Coquantur cum superiore expressione, continuè agitando ad justam consistentiam, in fine addendo infusionem Zingiberis, suprà cum succis paratam; & insuper

Diagrydii unciam semis.

Fiat Diacydonium in scatulis.

QUi lucidum ac transparens hoc medicamentum parare voluerit, Rhabarbarum omittat. Aliqui Mechoacam ejus loco addunt, unde minùs tingitur: Diagrydium verò cùm spiritu vini solutum, ut lucidius evadat pharmacum, sæpiùs transcolant, & per chartam emporeticam trajiciunt. Nonnulli Antimonii infusum quandoque addidêre. Verùm ventrem turbandi multæ sunt artes, attamen electivè purgantibus non temerè abutendum: præsertim verò in delicatulis ac infantibus, cavendumque ne vulgus, nomine Diacydonii deceptum, Diagrydiatum hoc promiscuo ac inconsiderato usu quibusvis id temerè exhibendo, in sui noxam porrigat.

ANIMADVERSIONES.

D*Iacydonium* hoc, si ex *pulpa Cydoniorum* conficiendum, sive *Rhabarbarum* ipsum, sive ejus loco *Mechoacannam* acceperis, lucidum ac transparens illud non effeceris: accedit, quod *extractum foliorum Senæ* æquè crassum nigriusque ipso *extracto Rhabarbari* sit; si verò ex *mucilagine* sive *gelatinâ* conficere ipsum libuerit, transparens quidem juxtà modum sequentem evadet; ast ex flavedine nigricans. Nimirum

℞. *Foliorum Senæ* ℥ ij ß,
Rhabarbari el. ℥ vj,

Fiat ex illis junctim *spiritu vini extractum* satis spissum, vel si laboribus parcere volueris, cùm aliàs *extracta* hæc in officinis utplurimùm prostent

℞. *Extracti foliorum Senæ* ℥ j,
Rhabarbari ʒ iij *vel* ℥ ß,
Resinæ Scammon. (*loco Diagrydii*) ʒ *iij. vel* ℥ ß,

Dissolvantur iterum in s.q. *spiritus vini rectificatissimi* & filtrata asserventur. Posteà confice ex *Cydoniis* frustulatim incisis affusâ s. q. *aquâ mucilaginosum decoctum*, ut moris est pro conficienda *gelatinâ*, cujus

Gelatinæ accipe ℔ *iij*,
Sacchari albissimi ℔ j ß,

Coquantur ad debitam *gelatinæ* consistentiam: Huic ab igne remotæ paulatim admisce *solutionem prædictam extractorum spiritu vini rectificatissimi* factam, superiusque asservatam; sic enim *spiritus vini*, utpotè summè volatilis protinus auras petet, & *gelatinam* relinquet *extractis* imprægnatam: Cui tandem, antequam jam jam in scatulas vel formas effundere lubido fuerit, aromatisationis gratiâ

Olei Cinamomi guttas viij,
Anisi guttas vj, &
Olei Zingiberis gutt. vij.

instillare poteris; Hoc modo *Diacydonium* conficies simplici modo parato longè gratius.

Diacydonium Laxativum Pellucidum.

℞. Extracti Scammonii leviter saltem inspissati, sed ab omni liquore separati, ut instar resinæ cujusdam liquidæ appareat, uncias quatuor.

Hoc solvatur iterum, affuso pauco Spiritu vini optimè rectificati, & permisceatur diligentissimè agitando, cum gelatinæ Cydoniatæ jam perfectè coctæ libris tribus semis. Infundatur in scatulis.

B*ilem & pituitam satis potenter educit, pro delicatis & iis, qui pharmaca cætera aversantur, ac respuunt, concinnatum; attamen febribus continuis inidoneum.*

IN diacydonio hoc laxativo pellucido, ad hominum potius saporem delectandum, quàm medicamenti intentionem promovendam, plurimi

rimi hucusque & Medici & Pharmacopœi laborârunt, quorum cuilibet pro suo invento sua quoque rependitur gratia. Nobis autem suprà scriptus compositionis nostræ modus omnium commodissimus, & securissimus esse videtur, qui Scammonium perfectè dissolutum, & liquidum, continuâ agitatione universæ massæ cydoniatæ superfusum æqualiter communicatur & permiscetur.

ANIMADVERSIONES.

EX superiori præparatione *Diacydonii*, & adjunctis *Animadversionibus* nostris super ipsum factis, etiam hujus præparatio facilè elucescit; propterea benevolum Lectorem eo remittimus. Solent etiam solertes & curiosi Pharmacopœi unicè in id esse intenti, ut oculis delectabile, nec minus ori gratum illud conficiant, & hujus gratiâ varios excogitavêre præparandi modos: quos tamen heic recensere & annectere supervacaneum esse existimo; sufficiat genuinum indigitâsse præparandi modum.

Electuarium Episcopi, seu Elescoph Solidum.

Fit juxta descriptionem Mesuæ, speciebus addendo pro unciis sex
Sacchari libram unam.

EAsdem vires præstat, quas vel species, vel liquidum Electuarium possidet: vulgo tamen in hac forma magis expetitur.

ANIMADVERSIONES.

COnsulantur *animadversiones* nostræ super *confectionem Diacarthami solidi*, inprimis ratione improportionatæ quantitatis *specierum* respectu *Sacchari*, & secundùm illarum ductum, instituatur etiam hujus *confectionis* præparatio. Neque enim opus est enumeratis *speciebus*, præscriptas & deputatas *sex uncias Sacchari pulverisati* addere, & denuò loco *mellis* cum tripla quantitate *Sacchari* in *confectionem solidam* redigere; quinimò sufficient *unciæ tres* circiter *specierum* pro *libra una Sacchari*.

Holippæ Purgantes.

℞. Turbith albi gummosi, & ab exteriori cortice mundati drachmas quinque,
Cremoris Scammonii vel Pulveris Syrii drachmas duas,
Zingiberis albissimi ab exteriori cortice mundati,
Cinamomi acutissimi ana drachmam unam semis,
Hermodactylor. electorum & mundatorum drachmam unam.
Fiat Pulvis subtilissimus, cui admisce
Farinæ triticeæ candidissimæ,
Sacchari albissimi ana unc. quatuor.
Cum sufficienti quantitate aquæ Rosarum
Fiant secundum artem Holippæ.

PItuitosos biliososque humores educunt, nec non serosa excrementa evacuant: usui sunt iis potissimum, quibus appetitûs perversitas alterius Medicamenti sumptionem dissuadet, quique ob saporis offensam alioquin tolerandam sic studiosè falli desiderant.

Passulæ Laxativæ siccæ D. D. Emmanuelis, Didymi.

℞. Passularum minorum unciam unam,
Rad. Esulæ præparatæ,
Hellebori nigri præparati ana drachmas duas.
Bulliant in libra una aquæ ad medias, colentur, fortiterque exprimantur.
℞. Passularum minorum pinguium optimè mundatarum uncias sex: quibus affunde in vase vitreato colaturam superiorem, stent aliquandiu in infusione, deinde igne lentissimo bulliant ad humoris consumptionem, cum paulisper refrixerint, superasperge pedetentim
Pulveris Diagrydii optimè præparati unciam unam.
Deinde passulæ extendantur separatim in patina, & propè fornacem exiccentur.

Pverulis trium vel quatuor annorum 12. 15. *ad* 18. *Verùm adultioribus* 60. *vel* 65. *usque ad* 70. *istiusmodi passularum exhibentur.*

ANIMADVERSIONES

In Holippas Purgantes, & Passulas Laxativas.

PArentur tantummodò ad normam præscriptam, cùm nihil iis insit, quod peculiarem *animadversionem* mereatur.

Diaphœnicon Solidum.

℞. Dactylorum triduo aceto maceratorum numero sex,
Cardamomi drachmas duas,
Pinearum,
Amygdalarum dulcium ana drachm. quindecim,
Turbith drachmas duodecim,
Diagrydii drachm. undecim,
Sacchari Candi uncias duas,
Piperis longi,
Zingiberis,
Foliorum Rutæ siccatorum,
Cinamomi,
Macis,
Sem. Fœniculi,
Anisi,
Dauci,
Galangæ,
Ligni Aloës ana drachmam unam,
Sacchari libram unam.

Fiat confectio solida, ut est artis, æqualiter pulveres miscendo.

VIribus affine est liquido: altero tamen longè gratius, cum pro semine Libistici, quod nauseam movere solet, non minore effectu Cardamomum substituatur.

ANIMADVERSIONES.

SI tyro medicinæ, aut alius aliquis, qui praxin medicam hodiernâ die primitùs inchoavit *compositionem* hanc præscriberet, veniam vix mereretur: Sed quòd toties hæc *compositio* reformata, ac à tot tantisque Medicis revisa, denuoque impressa sit, id demùm ingenti dedecori est. Etenim eam paratu prorsus impossibilem esse, quis non videt? Et quis unquam *uncias undecim specierum ad libram unam Sacchari*, pro *confectione* tali paranda ausus est præscribere? Ne itaque in vanum labores, vel *Dactylos, Pineas, Amygdalas, Saccharum Candi*, huic *compositioni* tanquam superflua detrahere, vel etiam *Sacchari pondus* duplicare suadeo; & sic tandem absque ulteriori informatione præparatio hujus *confectionis* feliciùs succedet sub manu.

Electuarium è Succo Rosarum Solidum.

℞. Specierum ingredientium Electuarium de succo Rosarum Nicolai, quantum describitur suprà.

Cum Sacchari unciis sedecim fiat confectio solida, recipiendo tantùm succi Rosarum libram unam.

IDem præstat quod liquidum, & quidem paulò potentius: minor enim est hic succi Rosarum, quàm in liquido quantitas.

ANIMADVERSIONES.

IN hac *compositione*, quod singulariter moneam, non invenio; etenim præparatio hæc *animadversionibus* nostris antecedenter factis usque quaque respondet: nam *specierum unciæ quatuor & drachma una*, ad nostram sententiam, *unciis sedecim Sacchari* destinantur.

Diaturbith cum Rhabarbaro Barthol. Montagnanæ.

℞. Rhabarbari drachmas decem,
Turbith albi & gummosi,
Hermodactylorum ana unc. unam,
Diagrydii unciam semis,
Zingiberis,
Santali albi,
Rubri,
Violarum ana drachm. unam semis,
Mastiches,
Anisi,
Cinamomi,

Croci

Croci ana drachmam semis,
Sacchari albi libram unam, uncias duas, drachmas duas.

Flavam bilem & pituitam educit, atque aquâ inter cutem laborantibus mirificè confert; ad vermes etiam efficacissimum est medicamentum & valdè idoneum: nam Rheum vermes maximè enecat, & Turbith pituitam ipsam vermium verum fomitem ejicit.

Zingiber Laxativum.

℞. Zingiberis drachmas duas,
Cinamomi,
Caryophyllorum ana drachm. unam,
Nucis Moschatæ,
Galangæ ana scrupulum unum,
Croci grana quatuordecim,
Turbith scrup. unum semis,
Diagrydii drachmas tres,
Sacchari uncias quatuor.
Fiat confectio solida.

Datur adultis à drachmis tribus ad quatuor: sed cautè hoc Medicamento utendum, præsertim cùm vulgus promiscuè eo abutatur, ad quoscunque affectus indiscretè ac præposterè id adhibens; ilem tamen & pituitam evacuat, verùm in febrium suspicionibus ab ejus usu cavendum: humores enim nimium fundit & liquat; unde Hypercatharsis de facili metuenda foret, ac Medicamenti ipsius caliditas calidos affectus plùs magis irritat, incendit & inflammat.

ANIMADVERSIONES

In Diaturbith cum Rhabarbaro, & Zingiber laxativum.

Harum ambarum *confectionum* præparationes satis dextrè ab Authoribus præscribuntur; proindè ipsis suas laudes non detrahere, nec quicquam in iisdem immutare volui.

MEDICAMENTORUM
PHARMACOPOEIÆ AUGUSTANÆ
CLASSIS SEXTA,

Continens

PILULARUM COMPOSITIONES.

Nec-non

Iisdem Annexas Animadversiones.

Καταπότια *sive* Pilulæ à *parvæ* pilæ *similitudine, sive commodâ deglutitione ità dictæ*, sunt medicamenta in formam globulorum redacta, facta & efformata ex diversis speciebus purgantibus potissimùm, Narcoticis, Diureticis & similibus: cum præcipuè ob finem inventa, ut insuavitas & amaritudo quorundam simplicium (Aloës præsertim, quæ veluti corpus & basis existit omnium ferè pilularum purgantium,) minùs gustu percipiatur; & ut plura medicamenta ad satis diuturnum tempus ob Aloën illis admixtam, ceu verum à putredine præservativum, sub hac forma, scilicet pilularum, vel earundem massæ commodiùs asservari possint.

Insignis autem in hac classe adest pilularum *luxuries & inutilis abundantia, quæ meritò dimi-*

diminuenda esset, ne tot tamque ingentes compositiones, *quæ vel rarissimè vel nunquam à Medicis præscribuntur, frustrà in* officinis *prostarent; addo, quòd pars maxima ipsarum in operationibus & virtutibus (si* animadversionibus *Authorum habenda fides) conveniunt, ut non videam, ad quid tantâ diversarum* pilularum *farragine opus sit: Possemus sanè* tempori, chartæ & sumptibus *parcere, & paucioribus ac selectioribus sex vel septem earundem præscriptis formulis contenti esse.*

Pilulæ de Agarico Mesuæ.

℞. Agarici drachmas tres,
Iridis,
Marrubii ana drachmam unam,
Turbith drachmas quinque,
Specier. Hieræ picræ Galeni drachm. quatuor,
Colocynthidos,
Sarcocollæ ana drachmas duas,
Myrrhæ drachmam unam,
Sapæ, quantum satis est.
Fiat Massa.

Thoracem à pituita putri & crassa repurgant, ob id antiquæ tussi & asthmati, aliisque thoracis vitiis à crassis ac pituitosis humoribus ortis auxiliantur.

Agaricus in compositionibus Pilularum à nobis semper sumitur Trochiscatus: Trochisci itidem Alhandali pro Colocynthide à nobis substituuntur, prout in annotationibus ad Hieram Logadii monuimus.

Pilulæ Aggregativæ Majores Mesuæ.

℞. Myrobalanorum Citrinorum,
Rhabarbari ana drachmas quatuor,
Succorum inspissatorum Eupatorii, id est, Agerati,
Absinthii ana drach. tres,
Diagrydii drachmas sex,
Myrobalan. Chebulorum,
Indorum,
Agarici,
Colocynthidos,
Polypodii ana drachmas duas,
Turbith,
Aloës ana drachmas sex,
Mastiches,
Rosarum,
Salis Gemmæ,
Epithymi,
Anisi,
Zingiberis ana drachmam unam,
Syrupi Rosati sol. & Elect. Rosati partes æquales, aut dicti Electuarii solius unciam unam.

Polychresta catapotia dicuntur, quòd ad multos affectus corporis præter naturam sint utilia, ac omnes humores purgent: ad varios enim capitis, ventriculi, jecorisque affectus sunt efficaces; nam purgant ex iis, & sensoriis pituitam & bilem utramque, quapropter ad diuturnas febres & complicatas, vitia capitis, ventriculi, ac jecoris plurimum faciunt.

Quidam Diagrydii drachmas tantummodò quinque legunt; potior tamen Medicorum pars sex drachmas adscripsit. Ubi succus Absinthii in pilulis sumendus est, vulgaris sive nostratis Absinthii succum statuimus intelligendum.

Pilulæ Aggregativæ minores Mesuæ.

℞. Myrob. Citrinorum,
Indorum,
Emblicorum ana drach. tres,
Mastiches,
Anisi,
Succorum inspissatorum
Eupatorii, seu Agerati,
Absinthii,
Rosarum ana drach. duas,
Rhabarbari drachmas quinque,
Specierum Hieræ picræ Galeni drachmas duodecim.
Cum succo Apii formetur Massa.

Pituitam & bilem utramque à ventriculo & capite purgant, obstructiones hepatis liberant, ipsumque cum ventriculo roborant, febres antiquas, pruritum, & ulcera maligna juvant.

Meli-

MElichius in Diſpenſatorio ſuo, non aquarum tantùm, ſed etiam ſuccorum uſum in conficienda maſſa pilulari planè excludit, eorundemque loco, mel, aut Syrupum aliquem tenuioris conſiſtentiæ ſubſtituit: Nos cum Sacharo parùm coquendos eſſe ſuccos, conſultum ducimus.

ANIMADVERSIONES

In Pilulas de Agarico, Aggregativas majores Meſuæ, & minores ejuſdem.

IN præfatis *pilularum formulis*, pauca quoad præparandi modum invenio, quæ cenſurâ & correctione ſingulari indigerent: id ſaltem monebo, ut *Gummata*, pleraſque *pilularum compoſitiones* ingredientia, reliquis *ſpeciebus* non confeſtim, ſed ſigillatim priùs, vel *vino* vel *alio liquore convenienti* diſſoluta, demùm addantur; neque tamen multùm vel penitùs non coquantur, ne ſubtilior eorum ſubſtantia avolet in auras. Exemplum ſuppeditant hæ *pilulæ de Agarico Meſuæ*, quas *Myrrha* & *Sarcocolla gummata* (communiter loquendo) ingrediuntur, quæ ipſa electa priùs & pulveriſata, cum pauca quantitate *Sapæ* vel *vini* infundantur, & in leni calore digerantur, donec in pulmentum veluti diluta ſint, quibus tandem *reliquæ ſpecies* imprimantur, undè denique *maſſa* formetur non nimis dura, utpotè quæ tractu temporis ſponte indureſcit. In *pilulis* verò *Aggregativis majoribus, & ſimilibus*, ubi *Aloë* corpus quaſi *maſſæ* exiſtit, is ſervetur parandi modus: Nimirùm *Aloë* per ſe primò in mortario tepido cum *ſuccis inſpiſſatis*, *Syrupo* vel *Electuario roſato* (aut in aliis *compoſitionibus* liquore determinato, quo *ſpecies* in maſſam redigi jubentur,) nonnihil diſſolvatur: poſtea reliquæ *ſpecies* addantur, ſicque tandem *maſſa* paretur non nimis dura.

In *pilulis* etiam *Aggregativis minoribus Meſuæ*, idem ferè modus ac in præcedentibus obſervetur: Nempè *ſpecies Hieræ Picræ Galeni* cum *ſuccis inſpiſſatis*, &, ſi opus fuerit, *ſucco Apii* aliquantùm in mortario tepido diſſolvantur, vel ſimul agitando parùm liqueſcant, & reliquis denique *ſpeciebus* additis, *maſſa* effingatur.

Obſervetur hîc, quod certa quantitas *liquoris addendi* exactè determinari nequeat; Prout enim *ſucci* plùs minuſvè inſpiſſati ſunt, ità etiam eorum pondus in additione variat, pro *maſſa* ad juſtam conſiſtentiam redigendâ. Melichii excluſionem *ſuccorum & aquarum* pro *pilulis* efformandis, tanquam ſine ſingulari ratione factam, in omnibus *compoſitionibus* indiſcriminatim non admittimus: *Syrupi* enim, quos eorum loco ſubſtituendos præcipit, nil ampliùs poſſunt, quàm quòd efficiant, ut *ſpecies*, quibus vel parùm aut nihil pro maſſa efformanda *Aloës*, vel ejus loco *ſuccorum inſpiſſatorum* vel *extractorum* additum eſt, cum illis citiùs in maſſam redigi poſſint. Aſt leve hoc emolumentum, meo judicio, vix reſarcire poterit damnum inde exurgens; nimirùm quòd *Syrupis*, neque *Aloë*, quæ intimè *ſpecies* tanquam corpus complecti debet, neque *Gummata*, quæ vicem *Aloës* quandoque ſupplent, exactè diſſolvi queant. Accedit, quòd *maſſæ pilularum* ex eorum additione in quantitate & pondere ſenſibiliter incrementum capiant, ac per conſequens etiam *pilularum doſes* non parùm augeantur; quæ tamen quantò exiliores, tantò ægrotantibus gratiores ſunt. Quibus rationibus ventilatis, quilibet ſibi eligat, quod maximè ad commodum & gratiam ægrotorum facere poſſit.

Nota, quòd *ſpecies Hieræ Picræ Galeni*, *pilulas de Agarico & Aggregativas minores* ingredientes, non reſolverim, & unicuique *compoſitioni* prædictarum *ſpecierum* ingredientia ſigillatim computata, in determinato pondere non addiderim, factum eſt ob ſimplicitatem earundem ſpecierum, utpotè quæ facili negotio (ſi fortè in promptu non eſſent) parari, tùm etiam à quovis leviter ſaltem artis pharmaceuticæ fundamentis inſtructo, reſolvi poſſunt. Nihilominus tamen ut Pharmacopœos hoc onere & labore ſublevem, eas reſolutas hîc ſub finem addam, factâ ſupputatione pro *uncia dimidia*, & *unciâ integrâ cum dimidia* conjunctim. Primò quidem pro *uncia dimidia*.

℞. *Cinamomi,*
Cubebarum,
Radicum Aſari,
Spicæ Indicæ,

Maſti-

Mastichis,
Croci ana ℈ ß,
Aloës Succotrinæ ʒ iij,
Misce, fiat Pulvis.

Secundò pro *uncia una & dimidia* conjunctim.

℞. *Cinamomi,*
Cubebarum,
Radicum Asari,
Spicæ Indicæ,
Mastichis,
Croci ana ʒ ß,
Aloës Succotrinæ ℥ j, ʒ ij.
Misce.

Pilulæ Aloëphanginæ, seu Aromaticæ Mesuæ.

℞. Cinamomi,
Cubebarum,
Ligni Aloës,
Calami Aromatici,
Nucis Moschatæ,
Macis,
Cardamomi,
Caryophyllorum,
Radicum Asari,
Mastiches,
Schœnanthi,
Spicæ Indicæ,
Galangæ ana unciam unam,
Absinthii sicci.
Rosar. rubearum ana drach. quinque,

Crassiusculè contusa infundantur in aquæ libris duodecim: coquantur lento igne in duplici vase, ad duarum partium consumptionem, deinde exprimantur fortiter, & colentur. In colaturæ libris duabus dissolve Aloës Succotrinæ multoties in vitreo vase cum aquâ pluviâ elotæ & siccatæ libram unam. Agitentur continuè in Sole, vel loco calido: deinde adde pulveris

Myrrhæ,
Mastiches ana drachmas quinque,
Croci drachmas tres:

Residuum colati decocti ex Aromatibus affundito, & exiccetur ad Solem, seu in loco calido, admiscendo subinde quod densatum est liquido: & linteo puro vas contegatur adversus incidentium muscarum & sordium injurias, atque ita reponatur Massa.

Conficiantur hæ pilulæ mense Majo, Junio aut Julio.

Ventriculum, cerebrum, & sensoria omnia ab humoribus crassis, putribus & pituitosis mundificant, ac inde natos dolores tollunt, stomachi robur augent, coctionem promovent, appetitum instaurant, cruditates abolent, ac nutritorias partes plurasque à noxiorum humorum, frigidiorum præsertim, accumulatione tuentur.

Medicamentum hoc, quod Mesues à Lampone Pelusiota mutuatus esse videtur, ut apparet ex Galeno lib. 8. de comp. Med. secund. loc. cap. 2. utpote quod cum Hiera Lamponis ferè concordet, ab Auctore potiùs ad corroborandum ventriculum & cerebrum, quàm alvum ducendam est institutum: unde Aloën toties lotam ad ejus compositionem requirit. Insignes id porrò vires obtinet, ac communiter in pilulas efformatum porrigitur. Dicuntur autem hæ pilulæ aromaticæ, eò quòd multis constent aromatibus, itemque pilulæ Solis, quod in Sole seu insolando perficiantur.

Cùm aromatum vis coctura facilè evanescat, ideò nostri Pharmacopœi aliam compositionis formulam nobis hactenus usitatam nostro hortatu in posterum quoque sequuntur. Aromatum enim medietatem crasso modo tritam aquæ puræ libris octo ad dimidias incoquunt, cujus colati medietati seu libris duabus Aloën priùs debito modo elotam & siccatam lege artis diligenter indunt: residuis porrò duabus libris tenuissimos pulveres Myrrhæ, Mastiches & Croci admiscent, atque hic cum Aloë prædicta conjunctis reliquam aromatum medietatem subtilissimè tritam superaddunt; & sic omnia permiscendo ac exiccando in massam cogunt usui reservandam.

Easdem ferè vires obtinent aut saltem modò dictarum pilularum vires æmulantur pilulæ illæ sine cura dictæ, Clarissimi quondam Viri D. D. Cyriaci Weberi, quarum descriptio hæc est.

℞. Xylocassiæ,
Cinamomi acuti,

Nucis

Nucis Moschatæ,
Mastiches electæ,
Cubebarum,
Ligni Aloës,
Liquiritiæ ana drachmam unam,
Rosarum rubearum drachmas duas,
Rhabarbari optimi drachmam unam semis,
Spicæ Indicæ drachmam semis,
Aloës succo Rosarum lotæ uncias tres.
Redigantur in massam pilularem.

ANIMADVERSIONES.

VAriæ in hac *compositione* occurrunt difficultates: Primò quidem ratione ingentis copiæ *Aromatum adjectorum*, respectu exiguæ quantitatis *Aloës*, quam tamen non adeò vehementer improbo, si corroborando *ventriculo & capiti* solùm, non verò *alvo* simul nonnihil subducendæ, *hæ pilulæ Aloëphanginæ* destinatæ sint: alioquin enim tanta *Aromatum* copia impedimento foret, quò minùs *Aloë* vim suam laxativam exserere possit, nisi fortè in satis magna quantitate *hæ pilulæ* assumerentur. Secundò perquàm sinistrè hæ ipsæ *pilulæ aromaticæ*, mense *Majo*, *Iunio* aut *Iulio* conficiendæ, insolando perfici, ac in *Sole* exsiccari præcipiuntur; eò quòd *Sol* necquicquam iis ampliùs communicare, quin potiùs easdem subtilioribus suis *virtutibus aromaticis* omnimodè spoliare possit. Nec minùs vituperatione dignum, quod Author *Aloën* toties *aquâ pluviali* lavare jubeat: quid enim virium *Aloë Succotrinæ*, quæ per se satis pura est & pellucida, accedere potest ab *aquâ simplici*, quâ toties reiteratis vicibus dissolvi debet, iterumque exsiccari? Id equidem fateor locum habere, si *Aloë* impura sit, variisque sordibus inquinata, ut hac ratione dissoluta & colata partes heterogeneas, quibus permixta est, deponat, nitidiorque evadat; sufficiet autem tunc semel saltem illam dissolvere & colatam inspissare: Etenim reiteratis illis solutionibus & inspissationibus, sive istæ calore ignis, sive calore *Solis* peragantur, non melioratur *Aloë*, sed destruitur potiùs, more *Catharticorum vegetabilium omnium*. Reliqui errores, qui inprimis quoad *decoctionem Aromatum* occurrunt, ex inferiùs annexo præparandi modo luculenter patebunt. Cùm etiam, ut ipsi fatentur, *Aromatum* vis in coctura facilè evanescat, illa autem vis in oleaginosa eorundem substantiâ, consistat: ideò haud iniquè suaderem, ut loco enumeratarum *specierum aromaticarum*, ipsarum *olea destillata*, quæ ex illis in officinis haberi possint, *pilulis*, vel earum *massæ* in debitâ quantitate sub finem admiscerent. Quarum autem *olea destillata* non prostarent, utpotè *ligni Aloës*, *Cardamomi*, *Radicum Asari*, *Schœnanthi*, *Spicæ Indicæ*, *Galangæ*, *&c.* ab his priùs *affusâ aquâ simplici vel vino*, mediante destillatione *aquam ipsarum spirituosam & odoriferam* prolicerent, qua postea *Myrrha*, *Crocus & Mastiche* nonnihil dissolvi vel dilui, & tota *massa* denique sine ulteriori exiccatione ad debitam consistentiam redigi, *remanente* verò à destillatione illarum specierum *decocto*, *Aloë* ante admixtionem *oleorum* & *spirituosioris aquæ* insuccari posset, iterumque exsiccari. Utpote,

℞. *Ligni Aloës,*
Calami aromatici,
Cardamomi,
Radicum Asari,
Schœnanthi,
Spicæ Indicæ,
Galangæ ana ℥ j,
Absinthii,
Rosarum ana ℥ v,

Quæ contusa & incisa immitte *cucurbitæ vitreæ*, ac superaffusis *vini albi generosi* ℥ v, *vel vj*, appositoque *capitello*, & juncturis glutine probè munitis, excipe destillando per M.B. *aquam spirituosam*, quousque aliquid prodeat. *Hanc prolectam aquam spirituosam*, quò magis *specierum subtiliores partes & virtutes* elicias, si libet, dictis *speciebus* in cucurbita reaffunde, iterumque eandem ad siccitatem ferè abstrahe & diligenter asserva. *Relictas in cucurbita species*, affusâ *aquæ* s. q. coque, & in *decocto colato*.

Aloës Succotrinæ ℔ j,

dissolve, quam, si impura ac sordibus inquinata fuerit, per linteum vel setaceum priùs cola, tùm leni calore penitùs iterum exsicca. Jam quoque *superiori spirituosâ asservatâ aquâ aromaticâ* dilue

Pulv. Myrrhæ
Mastichis ana ℥ *v*,
Croci ℥ *iij*,

Et cum dicta *Aloë* in justam *massæ* consistentiam redige; cui demum sub finem admisce
Ol. stillat. Cinamomi ℈ ß,
Cubebarum ℈ j,
Nucis Moschat.
Macis,
Caryophyllorum,
Mastichis ana ℥ ß, *vel* ℈ ij,
Absinthii ℈ ß,

Ex quibus omnibus secundùm artem permixtis, fiat *massa pilularum præstantissima*. Et hoc modo necquicquam ingredientibus detrahitur, nec tantâ *Aromatum* quantitate, quæ impedimento esse posset, quò minùs alvum laxare queat, *Aloë* gravatur:

Secunda Præparatio talis esse potest.

℞. *Specierum aromaticarum, prout in compositione recensentur, partem dimidiam.*

Quibus incisis & crassiusculè contusis, ac *cucurbitæ vitreæ* immissis, affunde *vini albi* (vel, si mavis, *aquæ simplicis*) ℥ *viij*, appositoque *capitello*, & juncturis optimè clausis, destillando per M. B. eliciatur tota *aqua spirituosa*, ad siccitatem *specierum*. *Aqua prolecta relictis in fundo speciebus* reaffundatur, & ut antea tota ferè per destillationem denuò evocetur, *spirituosâ & odoriferâ primùm prodeunte aquâ* studiosè asservatâ. *Residuæ in cucurbita species aquâ simplici* s.q. affusâ coquantur ad remanentiam *duarum librarum*; *Decocto hoc colato* dissolve *Aloën*, solutam, si lubet, per setaceum cola, iterumque calore cinerum leniter exsiccare sine. Jam,

℞. *Myrrham*
Mastichen &
Crocum,

Eaque *superiori aquâ destillatâ odoriferâ asservatâ*, nonnihil dissolve vel dilue, diluta insuccatæ iterumque exsiccatæ & pulverisatæ *Aloë* junge, hisque in mortario tepido probè invicem mixtis, adde *reliquam specierum aromaticarum in subtilem pulverem redactarum dimidiam partem*, & exactè cum *aquâ spirituosâ superiori* permixta redige in *massam pilularum* justæ consistentiæ.

Pilulæ sequentes *sine cura dictæ*, juxtà modum simplicem ab Authore indigitatum parari possunt: an verò præcedentibus juxtà modum nostrum præscriptum paratis æquiparari possint: de hoc unicuique liberum relinquo judicium.

Pilulæ de Aloë lota incerti Authoris.

℞. Aloës cum succo Rosarum lotæ unciam unam,
Agarici Trochiscati drachmas tres,
Mastiches drachmas duas,
Specierum Diamoschi dulcis drachmam semis.

Cum vino Chio, vulgò Malvatico ex Candia, fingatur Massa.

Ventriculum, cerebrum, uterum, & alia viscera à putridis humoribus expurgant, concoctionem augent, ac pituitam stomacho infarctam siccando tergendoque elidunt.

Pilulæ de Aloë Rosata.

℞. Aloës optimæ & pellucidæ quæ succum Rosarum tertiâ vice imbiberit, atque resiccata fuerit, unciam unam.

Cum vino formentur pilulæ pro drachmâ, quot voles.

Minùs quidem purgant, magis tamen roborant, cruditates absumunt, adstrictam alvum solvunt, ac humorum putredinem arcent.

Pilulæ de Aloë & Mastiche Nicolai Myrepsi.

℞. Aloës unciam unam,
Mastiches unciam semis,
Caryophyllorum,
Rosarum rubrarum ana drachmam unam,
Croci,
Diagrydii ana scrupulos duos.

Cum succo Absinthii aut Fœniculi formetur Massa.

Ventri-

Entriculum sine molestia repurgant, ex eoque bilem & pituitam eliciunt, ac nutritionis partibus robur præstant.

ANIMADVERSIONES

In Pilulas de Aloë lota incerti Authoris, de Aloë Rosata, & de Aloë & Mastiche.

PAuca hisce *compositionibus* insunt, quibus spongiam admovere necessum sit: In *pilulis* quidem *de Aloë lotâ* animadverte, *Aloën cum Rosarum succo lotam* præscribi, quæ ipsa nil aliud est, quàm *Aloë succo Rosarum dissoluta & iterum exsiccata.* Si igitur ejus loco *Aloën Rosatam*, sive quæ sæpiùs *succo* vel *infusione Rosarum* humectata vel diluta, iterumque leni calore cinerum exsiccata fuerit, substitueris, neutiquam errabis: posset meritò improprium illud nomen, *Lavari*, de *Aloë* dicendo, abrogari; nam *Aloë*, propriè loquendo, lavari nequit, nisi *succum subtiliorem* abluere, & crassiores ejusdem partes retinere velis. De *speciebus Diamoschi dulcis*, quarum ℥ß. harum *pilularum compositionem* ingreditur, notetur, quòd cùm in omnibus officinis prostent, jam paratæ huic *compositioni* addi possint: si verò in procinctu non essent, *sexagesimam quartam* singularum has *species* ingredientium *partem*, vel pro qualibet *drachmâ unâ granum unum* circiter huic *compositioni* jungere necessum foret. Cæterum in his & reliquis præparationibus observentur *animadversiones* præcedentes de *Aloë*, antequam illi jungantur *species*, dissolvendâ, & *Croco* diluendo,

Pilulæ de Ammoniaco Quercetani.

℞. Balsami Aloëtici uncias quatuor,
Gummi Ammoniaci in aceto scillitico dissoluti, & per setaceum trajecti drach. sex,
Myrrhæ præparatæ unciam semis,
Mastiches,
Specierum Diatrion santal. ana drachmam unam semis,
Croci,
Salis Fraxini,
Absinthii ana scrupulos duos.
Cum Syrupo de Stœchade, vel de succo Rosarum,
Fiat Pilularum Massa.

AD omnem totius corporis fæculentæ materiæ abundantiam educendam, cachexiam expurgandam, febres inveteratas, & diuturnas tollendas, maximè conducunt, citra omnem etiam molestiam & perturbationem exhibentur.

ANIMADVERSIONES.

SI *Gummi Ammoniacum in aceto, & Myrrham electam ac pulverisatam*, in paucula quantitate *vini* dissolveris, non indigebis ulteriùs *Syrupo*, pro *massa pilularum* efformanda. Proindè *Gummi Ammoniaco & Myrrhâ* dissolutis, non tamen nimiùm dilutis, statim junge *Aloën Succotrinam* vel ejusdem *extractum*, quod *Balsamum Aloëticum* appellant, ac in mortario calido probè subigendo admixtis *speciebus reliquis*, effinge *pilularum massam* justæ consistentiæ. *Species Diatrion santalon*, cùm in omnibus officinis prostent, jam paratæ addi possunt, secùs *trigesimam secundam partem dictarum specierum* parare necessum erit, ubi pro qualibet *drachmâ unâ* singularum specierum ingredientium, *grana duo* accipienda sunt.

Pilulæ Angelicæ seu de Aloë & Rhabarbaro.

℞. Aloës Succotrinæ libram unam,
Succor. depurat. Cichorii,
Endiviæ,
Buglossi,
Borraginis,
Lupulorum,
Fumariæ ana unc. quat.
Rosarum Damascenarum libram unam.

Evaporent lento igne, agitentur diligenter usque ad consistentiam succorum: in fine addatur infusio sequens:

℞. Pulveris Rhabarbari electi unciam unam,
Agarici trochiscati unc. semis,
Cinamomi electi drachmas duas,
Vini Cretici uncias quatuor:

Fiat Infusio horis viginti quatuor, factâ fortissimâ expressione, addatur

Mellis Rosati solutivi uncia una;

Infusio cum Aloë insuccata suprà scripta coquatur in formam massæ pilularis.

Virtus harum pilularum admiranda, & nunquam satis laudanda existit, quoniam ad omnium viscerum nobilium corroborationem commendantur: pravorum insuper humorum correctionem & blandissimam evacuationem promovent, ut nullum planè sit dubium, quin citâ, tutâ & jucundâ suâ operatione omnibus abundè sint satisfactura.

EX variis & quidem diversis pilularum Angelicarum descriptionibus, hanc correctam, collectam, & in posterum nostram esse volumus, & Officinis nostris omni studio & diligentiâ parandam commendavimus.

ANIMADVERSIONES.

MAlè in harum *pilularum* præparatione, *tot libræ* (tres nimirum) *succorum depuratorum*, cum *Aloës librâ unâ* inspissari, ac denuò ad siccitatem abstrahi præcipiuntur; quibus tamen omni jure & optimâ ratione *Rhabarbarum & Agaricus* (pro quorum extractione insufficientes sunt *quatuor unciæ vini Cretici*) ampliùs extrahi potuissent, nec ulteriùs pro illorum extractione *vino* opus fuisset. Ast forsitan objicis, *vinum* non solius extractionis gratiâ, sed ut *pilulæ* majoribus nobilioribusque virtutibus imbuerentur, additum fuisse; verum neque hoc salvâ ratione admitti poterit. Nam etiamsi non *Creticum* solùm, sed vel ab extremis Indis deportatum *vinum*, pro extractione usurparetur, ac posteà indè vicissim vel per evaporationem, vel per decoctionem abstrahi deberet; nihilominùs tota illius spirituositas, in qua generosiores & potissimæ ejusdem virtutes resident, exhalarent, relictâ *pilularum massæ* inutili vappâ. Si itaque rationis ducem sequi velis sequenti modo compendiosissimo harum *pilularum* præparationem instituas. Nempè *succis hisce omnibus depuratis*, repetitâ affusione, digestione, levi coctione sive ebullitione & expressione, extrahe *Rhabarbarum & Agaricum*: quibus ita *Agarici & Rhabarbari* essentiâ impraegnatis, ac si lubet denuò clarificatis admisce *Aloën Succotrinam*, & invicem permixtis, lenique cinerum calore inspissatis vel exsiccatis, ultimò, ubi justam *massæ pilularum* consistentiam acquisiverint, aliquot guttulas *olei cinamomi* instilla, & his malaxatam *massam* reserva usui.

Pilulæ Arabicæ Nicolai.

℞. Aloës optimæ uncias duas,
Radicis Bryoniæ,
Myrobal. omnium,
Masticheș,
Diagrydii,
Asari,
Rosarum ana unciam semis,
Castorei drachmam unam semis,
Croci drachmam semis,
Succi Fœniculi, quantum satis est.
Formetur Massa.

OMnes humores mirificè purgant, lætitiam generant, tristitiamque depellunt, mentis vigorem conservant, visum acuunt, auditum amissum reparant, memoriam firmant, vertigini, hemicraniæ, ac dolori capitis succurrunt.

Pilulæ Arthriticæ Nicolai.

℞. Hermodactylorum,
Turbith,
Agarici ana drachmas duas,
Cassiæ ligneæ veræ,
Spicæ Indicæ,
Xylobalsami, seu Ligni Aloës,
Carpobalsami, vel Cubebarum,
Galangæ,
Caryophyllorum,
Macis,
Asæ fœtidæ,
Zingiberis,
Mastiches,
Sem. Fœniculi,
Anisi,
Saxifragiæ,
Asparagi,
Rusci,
Milii Solis,
Rosarum,

Salis

Salis Gemmæ ana grana quindecim,
Diagrydii unciam ſemis,
Aloës optimæ ad pondus omnium, id eſt, drachmas quatuordecim ſemis.
Succi Fœniculi, quantum ſufficit.
Fiat Maſſa.

AD arthriticos dolores & podagræ inſultus, nec non frigidorum humorum in articulos procubitus, aut defluxiones adhibentur.

HÆc compoſitio ex Nicolai Antidotario deſumpta aliter à pleriſque deſcripta proſtat. Nonnulli enim Galangam, Macim, Aſam; imò & Scammonium ſeu Diagrydium omittunt: alii pro Aſa fœtida Aſarum, aut Piper longum ſubſtituunt; verum quia ſic nobis hucuſque uſui fuit, eam haud immutandam cenſuimus.

Notandum ex Aſparagi & Ruſci ſeminibus pulpam ſolùm carnoſam abjectis corneis granis in meditullio contentis ſumi debere, cum in iis vix ulla vis huc expetita reſideat. Idem judicium eſto de Berberib. ac ſimilibus.

Pilulæ Aſſajeret Avicennæ.

℞. Specierum Hieræ picræ Galeni drachmas quatuor,
Maſtiches,
Myrobal. Citrinorum ana drachmas duas,
Aloës optimæ unciam unam.
Cum Syrupo de Stœchade, aut aqua Majoranæ formentur pilulæ.

BIlem flavam & pituitam modeſtè purgant: eam præſertim, quæ ventriculo infidet, ideoque ventriculi affectibus, quibus Hieræ remedio eſſe ſolet, & capitis doloribus à vitioſis ſtomachi ſuccis obortis auxiliantur. Propinantur in tenuibus & acribus capitis fluxionibus, ut liquidam materiam facilè decumbentem ſiſtant. Deſcribuntur ab Avicenna, Fen.1. lib.3. cap.29.

Pilulæ Aureæ Nicolai.

℞. Aloës,
Diagrydii ana drachm. quinque,
Roſarum rubearum,
Sem. Apii ana drachmas duas ſemis.
Aniſi,
Fœniculi ana drachmam unam ſemis,
Maſtiches,
Pulpæ Colocynthidos,
Croci ana drachmam unam,
Mellis Roſati ſolutivi, aut Mucilaginis Tragacanthi, quantum ſatis eſt.
Fiat Maſſa.

CAput expurgant, ſenſus omnes, præcipuè oculorum aciem exacuunt: flatus ventriculi & inteſtinorum diſſolvunt, ac citra moleſtiam alvum dejiciunt; ad ſtomachicos, colicos, nephriticos, & inflatos valdè probantur.

Pilulæ de Bdellio majores Meſuæ.

℞. Bdellii drachmas duodecim,
Myrobal. Chebulorum,
Indorum,
Belliricorum,
Emblicorum,
Concharum Venerearum uſtarum,
Charabe ana drachmas duas ſemis,
Ammeos parum toſti drachmas tres,
Maceretur Bdellium in ſucco foliorum Porri, & formetur maſſa.

AD fluxum hæmorrhoidum, & ulcera ex eis provenientia, nec non menſes immodicos utiliter exhibentur.

COncha Venerea deſcribitur & depingitur à Geſnero de cruſtatis, ordine XV. fol.254. Tota intùs candida eſt, foris varietate colorum & macularum inſperſarum inſignis, auribus adhibita reſonantis aquæ ſpeciem aliquam præ ſe fert; cortex ei levis, adeò ut mulieres ornamenta quædam ſua linea in amylo aquâ multâ diluto tincta: deinde exiccata poliant, adeò ut ſplendeant, unde Germanis Glettmuſchlen dicuntur. Italis & Gallis Porcellana nomine generis. Vide Geſnerum.

ANIMADVERSIONES

In Pilulas Arabicas Nicolai, Arthriticas ejusdem, Assajeret Avicennæ, Aureas Nicolai, & de Bdellio majores Mesuæ.

UT legitima fiat prænominatarum *pilularum* præparatio, consulantur *animadversiones nostræ* priores, supra *pilulas de Agarico Mesuæ*, & *Aggregativas*. In iisdem etiam *animadversionibus*, facta à nobis est computatio *specierum Hieræ Picræ Galeni*, pro illarum unciâ dimidiâ. *De mucilagine Tragacanthi* in præsens notatum velim, quòd ipsa nec pro aurearum nec aliarum *pilularum massis* efformandis accommodata sit; quin ejus loco *mel rosatum* vel *infusionem rosarum* accipias: nam promptè citoque nimis indurescunt *pilularum massæ, mucilagine Tragacanthæ* permixtæ, & cum illa ad consistentiam redactæ.

Pilulæ de Benedicta.

Fiunt ex speciebus Benedictæ laxativæ incorporatis cum melle Rosaceo.

HUmores pituitosos potissimùm ad articulos decumbentes eliciunt; à renibus quoque & vesica purgant.

Pilulæ de Castoreo Avicennæ.

℞. Castorei,
Doronici,
Zedoariæ,
Nucis Moschatæ ana drachm. unam,
Sem. Apii,
Anethi,
Margaritarum ana scrupulos quatuor,
Hyoscyami grana tria.
Formetur massa cum aquâ Artemisiæ.

UTerinis doloribus hæ pilulæ conferunt, crassos flatus dissipant, ac impeditas menstruas purgationes eliciunt.

ANIMADVERSIONES.

In Pilulas de Benedicta, & de Castoreo Avicennæ.

EX hisce & consimilibus *speciebus* sine corpore, scilicet *Aloë* vel aliis *succis inspissatis* aut *extractis*, solo *melle pilulæ* efformari nequeunt, vel saltem difficillimè, propterea non multum in illis immorabimur: Cùmque *species*, ex quibus componi jubentur, amarorem nullum habeant, haud difficulter in alia aliqua formâ propinari possunt, si qua necessitas earundem usum efflagitaret. Idem de *pilulis de Castoreo* sentiendum est: nisi enim *corpus quoddam* illis addideris, *massam tenacem* neutiquam exindè efformabis, sed vel pultem aliquam effeceris, aut friabilem quandam compagem; ipso etiam attritu, ubi malaxari debet, sub digitis frustulatim concidentem.

Pilulæ Cochiæ Rhasis.

℞. Specierum Hieræ picræ Rhasis drachmas decem,
Pulpæ Colocynthidos drachmas tres, scrupulum unum,
Diagrydii drachmas duas semis,
Stœchados,
Turbith ana drach. quinque,
Syrupi de Stœchade, quantum satis est.
Fiat massa.

CEphalicæ rectè dicuntur, eò quod caput magnâ efficaciâ expurgent, ideoque à nervis crassos, pituitosos, & frigidos humores evacuent. Describuntur à Rhase. 9. ad Almansorem cap. 1.

Hiera Picra Rhasis.

℞. Rosarum rubearum,
Spicæ Indicæ,
Mastiches,
Xylobalsami,
Carpobalsami,
Cinamomi,
Xylocassiæ veræ,
Rad. Asari ana scrup. unum, grana sex,
Aloës drachmas sex, scrupulos duos.
Terantur exactissimè, & per cribrum decussa in usum seponantur.

DIffert ab Hiera Galeni hâc tantùm ratione, quod in hac loco Croci ponantur Rosæ.

Pro Xylobalsamo substituimus lignum Aloës: alii Macis & Cyperi ana partes æquales, id

id est, singulorum scrupulorum dimidium, & grana tria. Pro Carpobalsamo assumimus Cubebas.

Pro Xylocassia, Cassiam ligneam veram, quam Author nomine Xylocassiæ intelligit; quæ si defuerit substituatur odoratissimum & acutissimum Cinamomum.

Pilulæ Cochiæ Rhasis cum Pilulis Cochiis à Galeno lib. 5. Methodi cap. 14. in cura catarrhi salsi descriptis ferè concordant. Galenica descriptio sic sese habet.

℞. Aloës drachmas tres,
Agarici drachmam unam,
Colocynthidos drachmam semis,
Diagrydii scrupulum unum,
Bdellii scrupulos duos,
Tragacanthi,
Gummi Arabici ana grana quindecim.

Excipiuntur Syrupo de Stœchade, & in massam coguntur.

Pilulæ de Colocynthide Mesuæ, seu Joan. Damasceni.

℞. Pulpæ Colocynthidos drachm. sex,
Myrobalanor. Indorum,
Citrinorum,
Sagapeni,
Bdellii,
Sarcocollæ ana drachmas quinque,
Aloës drachmas septem,
Nigellæ,
Cumini Carmeni Orientalis,
Origani Cretici,
Nasturtii albi sativi,
Salis Gemmæ,
Absinthii Romani ana drach. unam,
Succi porri, quantum satis est.
Fiat massa.

ARticulorum doloribus prosunt, pituitosos quoque & Melancholicos affectus profligant; unde etiam alphos curatu difficiles ad sanitatem perducunt: cautè tamen iis utendum; magna enim Colocynthidos quantitas compositionem hanc ingreditur, unde ad alias solùm Pilulas acuendas quandoque adhibentur.

LAchrymæ, seu Gummata ad constitutionem harum pilularum requisita in succo porri seorsim dissolvantur, ac tum demum reliquis speciebus addantur, & cum additione sufficientis quantitatis succi Porri jam dicti lege artis in massam cogantur.

ANIMADVERSIONES

In Pilulas Cochias Rhasis, Hieræ Picræ ejusdem, & de Colocynthide.

ENumeratæ *compositiones omnes* juxtà *Animadversiones* Authoris adscriptas, observatis nihilominùs antecedentibus nostris *animadversionibus* super *pilulas de Agarico &c.* factis, de dissolutione *Gummatum & Aloës* parari possunt.

Specierum Hieræ Picræ Rhasis, *pilulas Cochias* ejusdem ingredientium determinatum pondus, quantitas ipsarummet *specierum* exactè exæquat.

Pilulæ de Cynoglosso Nicolai Præpositi.

℞. Rad. Cynoglossi aridi,
Sem. Hyoscyami albi,
Opii ana unciam semis,
Myrrhæ,
Thuris ana drachmas sex,
Caryophyllorum,
Cinamomi,
Styracis Calamitæ ana drachm. duas.

Cum Syrupo Violarum ex succo, aut succo Cynoglossi, vel aqua Rosarum formetur massa.

HAs Nicolaus à Mesua mutuatus est, qui eas sub titulo Pilularum ad omnes morbos catarrhosos hoc modo descripsit.

℞. Opii,
Cynoglossi,
Hyoscyami ana unciam semis,
Myrrhæ puræ drachmas sex,
Olibani drachmas quinque,
Croci drachmam unam semis,
Fiat massa.

Quòd

QVòd verò Nicolaus Crocum omittere, è contra verò Cinamomum & Caryophyllos addere voluerit, quorum attenuandi & rarefaciendi vis, compositionis intentionem remorari magis, quàm eandem corrigere posse videtur, miramur haud immeritò: inde ex istis duabus præparationibus sequentem tertiam, secundum mentem Fernelii & Renodæi, additione Castorei genuini, ob singularem in malignitate opii emendandâ virtutem, compositam, hoc loco inserere voluimus.

Pilulæ de Cynoglosso cum Castoreo.

℞. Opii,
Radicum Cynoglossi,
Sem. Hyoscyami ana unciam semis,
Myrrhæ puræ drachmas sex,
Olibani drachmas quinque,
Styracis Calamitæ drachmas duas,
Croci Austriaci,
Castorei genuini electi ana drachmam unam semis.
Cum succo Cynoglossi, & Syrupo Violarum è succo ana partibus æquàlibus.
Fiat massa.

CAtarrhos tenues sistunt, ac tussim inde natam sedant: omnibus quoque destillationum morbis, sive in thoracem fluxio feratur, sive in pulmones, dentes, aut aliò procumbat conferunt, somnum conciliant, ac omnis generis dolores placant.

PIlulis istis Benedictus Faventinus, Medicus Bononiensis celeberrimus, in catarrho salso magno successu cum succo Glycyrrhizæ & Aloë lotâ secundum hanc descriptionem utebatur.

℞. Succi Glycyrrhizæ drachmas duas,
Aloës drachmam unam,
Pilul. de Cynoglosso drachm. semis.
Cum Syrupo Violato fiat massa.

ANIMADVERSIONES

In Pilulas de Cynoglosso Nicolai Præpositi, & de Cynoglosso cum Castoreo.

POssunt hæ *pilulæ* secundùm modos præscriptos parari: dissolutis tamen priùs juxtà animadversiones nostras superiores, *Opio*, *Myrrhâ* & *Styrace*, quæ *corpora* suppeditant pro *pilularum massis* efformandis. Si quoque libuerit *Opium* nonnihil corrigere, priusquam illud reliquis *speciebus* commisceas, quò minùs intensâ suâ vi narcoticâ noxam inferat, non malè feceris. Correctio autem & præparatio *Opii* fiat modo sequenti: Nimirùm *Opium* frustulatim & in tenues lamellas conscissum collocetur super *laminam ferream*, quam super carbones accensos leniter incalescere, & *Opii Sulphur narcoticum* sensim exhalare sine, quousque non ampliùs fumum vel vaporem emittat; cavendo tamen, ne comburatur, sed ut solummodò torrefiat. Et hæc facilis est & compendiosa, genuina tamen *Opii* præparatio: Hac viâ enim ipsius immoderata & nociva vis narcotica, in sulphure vaporoso, fœtido ac venenato delitescens exhalat peritque.

Pilulæ de Eupatorio majores Mesuæ.

℞. Myrobalanorum Citrinorum,
Succ. inspiss. Eupator. Mes. seu Agerati,
Absinthii ana drach. tres,
Mastiches drachmam unam,
Rhabarbari electi drachm. tres semis,
Croci drachmam unam,
Aloës drachmas quinque,
Succi Endiviæ, quantum satis est.
Fiat massa.

VIscerum obstructionibus, ac ictero medentur, febribus periodicis, complexis, autumnalibus, diuturnis, & antiquis perutiles: lienis & jecoris obstructiones reserant, biliosos, tenues ac crassos humores educunt.

Pilulæ de Euphorbio Mesuæ.

℞. Euphorbii,
Colocynthidos,
Agarici,
Bdellii,
Sagapeni ana drachmas duas,
Aloës drachmas quinque.
Cum succo porri fiat massa.

PItuitam crassam è partibus remotissimis potentissimè educunt: nervorum item resolutioni, siderationi, paralysi, articulorum

rum malis à nimia humiditate profectis, ac hydropicis conferunt; lumborum quoque doloribus, ischiadi, & podagræ à frigidis ac pituitosis humoribus ortæ opitulantur, sed in morbis tantùm contumacibus usurpandæ, nec nisi robustis exhibendæ.

MOdus componendi hic est: ut Euphorbium accuratè tritum cum Agarico trochiscato & Trochiscis Alhandali in pulverem redactis, Gummis vino priùs dissolutis jungatur, cum quibus in mortario tepefacto pistillo calido tamdiu subigatur, donec in massam coëant: Cui Aloës unà cum sufficienti quantitate succi Porri addita permisceatur, ac probè sic cuncta simul unita pilularis pastæ formam lege artis adipiscantur.

Pilulæ Fœtidæ majores Mesuæ.

℞. Sagapeni,
Ammoniaci,
Opopanacis,
Bdellii,
Colocynthidos,
Harmel, seu seminis Rutæ agrestis, vel hortensis siccæ,
Aloës,
Epithymi ana drach. quinque,
Hermodactylorum,
Esulæ præparatæ ana drachmas duas,
Scammonii drachmas tres,
Cinamomi,
Spicæ Indicæ,
Croci,
Castorei ana drachmam unam,
Turbith drachmas quatuor,
Zingiberis drachmam unam semis,
Euphorbii scrupulos duos,
Succi Porri depurati, quantum satis est.
Fiat massa.

PItuitam crassam, lentam, ac tenacem evacuant, ob id affectibus inde natis arthritidi, podagræ, gonagræ, spinæ quoque ac juncturarum, nec non ventriculi & coli doloribus prosunt: elephantiasim, & cutis vitia emendant, menses movent, ac impurum uteri mucum emungunt. Cùm autem sint admodum valentes, ob effrenem eorum vim, consideratè eorum usus ineundus erit; unde in morborum principiis crudâ adhuc existente materiâ vix unquam, nec nisi robustis exhibendæ: purgantium enim vis minimè in iis suppressa non modò suspectas, verùm etiam parum tutas eas reddit.

NOta: Lachrymæ, seu Gummi in succo porri calefacto solvantur, quibus abhinc Euphorbium per se tritum unà cum cæteris addatur, ut lege artis in pastam pilularum abeant.

Pilulæ de Fumaria Avicennæ.

℞. Myrob. Citrinorum,
Chebulorum,
Indorum ana drach. quinque,
Aloës drachmas septem,
Scammonii drach. quinque,
Succi Fumiterræ, quantum satis est.

Omnia in pulverem redacta succo Fumiterræ jam dicto comprehendito, siccarique posteà finito: dehinc rursus trita novo succo excipito, rursusque siccato, & sic tertiùm iterato, ac postmodùm in massam formato.

PItuitam salsam, biliosos itidem, acres ac adustos humores, à quibus pruritus & scabies oriuntur, solvunt, & sanguinem mundificant. Describuntur ab Avicenna lib. 4. Fen. 7. in cura pruritûs & scabiei.

Pilulæ de Hermodactylis majores Mesuæ.

℞. Hermodactylorum,
Myrobalanorum Citrinorum,
Aloës,
Turbith,
Colocynthidos,
Bdellii mollis,
Sagapeni ana drachmas sex,
Castorei,
Sarcocollæ,
Euphorbii,
Opopanacis,
Sem. Rutæ sylvestris, vel sativæ,
Apii ana drachmas tres,

Croci drachmam unam semis,
Succi Brassicæ sive Caulium, quantum satis est.
Formetur massa.

Crassos, viscidos, & frigidos humores ex remotissimis partibus educunt; quo nomine articularis morbis & arthritidi conveniunt.

Modus confectionis est: ut liquores concreti, seu gummi in succo calefacto Brassicæ sive Caulium dissolvantur, atque his per setaceum trajectis, Euphorbium & Castorium simul trita jungantur: his deinde addantur reliqua, & cum sufficienti quantitate succi Brassicæ vel Caulium jam dicti priùs diligenter depurati fiat massa.

Hermodactylorum bulbi veri eligendi sunt, qui resiccati ad nos feruntur, albidi, non rugosi, modicè duri, qui contusi in candidum pulverem abeant. Cavendum Colchicum strangulatorium, cujus radices seu bulbi siccati rugosi evadunt, & foris intusque nigricant, vel obscurè rubescunt.

Quidam Simplicius sic componunt.

℞. Hermodactylorum benè purgatorum & pulverisatorum,
Diagrydii ana drachmas decem,
Cumini,
Caryophyllorum,
Zingiberis,
Costi ana drachmas quinque,
Aloës Hepaticæ drachmas tres.
Fiat massa cum aqua Fœniculi.

Pilulæ hæ non minoris sunt efficaciæ quam priores, quarum descriptionem Clarissimus Vir Dn. D. Georg. Henischius Collega noster honorandus fidelissimè nobis communicavit.

ANIMADVERSIONES

In Pilulas de Eupatorio majores Mesuæ, de Euphorbio ejusdem, item Fœtidas majores ejusdem, de Fumaria Avicennæ, de Hermodactylis majores Mesuæ, & de Hermodactylis simplices.

Harum *pilularum* præparationes ut dextrè fiant, diligenter observentur *animadversiones Authorum* super easdem factæ; secundùm quas omnes ac singulæ satis commodè parari poterunt.

Pilulæ de Hiera Picra Galeni.

℞. Specierum Hieræ picræ Galeni uncias duas,
Mellis Rosati, quantum satis est.
Fiat massa.

Ventriculi noxis, ex humoribus biliosis & pituitosis natis, prosunt.

ANIMADVERSIONES.

Harum *pilularum* & sequentium legitima præparatio in modum subsequentem se habent

℞. *Species, recentes scilicet,*
Cinamomi,
Cubebarum,
Asari,
Spicæ Indicæ,
Mastiches,
Croci ana ℈ ij,
Aloës succotrinæ ℥ j ß,

Cum *infusione rosarum* fiat *pilularum massa*, juxtà animadversiones nostras primas in compositionem *pilularum de Agarico*; diluendo nimirùm primò *Aloën cum infusionis rosarum s. q.* antequam reliquæ *species* addantur.

Pilulæ de Hiera cum Agarico.

℞. Specierum Hieræ Picræ Galeni,
Agarici trochiscati ana unc. semis,
Aloës unciam,
Mellis Rosati, quantum satis est.
Fingatur massa.

Stomachicis, asthmaticis, aliisque ventriculi & thoracis vitiis, à crassis & pituitosis humoribus ortis, subveniunt.

ANIMADVERSIONES.

℞. *Cinamomi opt.*
Cubebarum,
Asari,
Spicæ Indicæ,
Mastiches,

Croci ana ℈ ß,
Agarici Trochisc. ℥ ß,
Aloës Succotr. ℥ j, ʒ ij,

Dissolvatur prius *Aloë* juxta animadversiones nostras priores, in mortario tepido in *infusione Rosarum*: posteà addantur *reliquæ species in pulverem redactæ*, fiatque *massa pilularum* justæ consistentiæ.

Pilulæ de Hiera composita Nicolai Myrepsi.

℞. Cinamomi,
Spicæ Indicæ,
Croci,
Schœnanthi,
Xylocassiæ,
Xylobalsami, seu Macis & Cyperi ana partes æquales,
Carpobalsami, aut Cubebarum,
Violarum,
Rad. Asari,
Absinthii,
Epithymi,
Agarici,
Rosarum,
Turbith,
Colocynthidos,
Mastiches ana scrupulos duos,
Aloës optimæ ad pondus omnium, hoc est, drachmas decem, scrupulos duos.
Fiat massa cum succo Endiviæ.

Capitis & nervorum vitiis à pituitosis humoribus natis opem ferunt, ac noxios ventriculi humores, frigidos præsertim & tenaces, exturbant.

Quidam pro Xylobalsamo Lignum Aloës substituunt, quod nec nos improbamus; ut qui in Hierâ picrâ Galeni idipsum pro Xylobalsamo subrogamus.

Pilulæ Hydroticæ.

℞. Aloës electæ,
Diagrydii,
Caryophyllorum ana scrupulos duos semis,
Colocynthidos,
Foliorum Senæ,
Gummi Arabici ana scrupul. unum, grana quinque,
Euphorbii præparati,
Nucis Moschatæ ana grana quindecim,
Succi cort. median. Sambuci & Absinthii ana, quantum satis est.
Fiat massa.

Hydropicorum aquas, ac tenue serum evacuant. Earum descriptio à Clarissimo Domino D. Tobia Cneulino Collegâ quondam nostro communicata, nobis hucusque inservivit; olim quoque Medicis ejus vestigia sectantibus plus quam familiaris.

Pilulæ Imperiales incerti Authoris.

℞. Cinamomi,
Amomi,
Anisi,
Mastiches,
Cardamomi minoris,
Zingiberis,
Zedoariæ,
Macis,
Nucis Moschatæ,
Caryophyllorum,
Croci,
Cubebarum,
Ligni Aloës,
Turbith,
Tereniabin, seu Mannæ,
Agarici,
Foliorum Senæ,
Spicæ Indicæ,
Myrobalan. omnium ana scrupulum unum,
Rhabarbari unciam unam,
Aloës uncias duas.
Cum Syrupo Rosaceo fingatur massa.

Parùm admodùm purgant, sed plurimùm roborant ventriculum, & omnia viscera refrigerata calefaciunt, ac conservant: facultatis naturalis robur tuentur & augent, ac sanguinem spiritusque purificant.

Pilulæ Indæ Haly ex Mesuæ.

℞. Myrobalanorum Indorum,
Hellebri nigri præparati,
Polypodii ana drachmas quinque,
Epithymi,
Stœchados ana drachmas sex,
Agarici,
Lapidis Lazuli loti,
Colocynthidos,
Salis Indi aut Gemmei ana drachmas quatuor,
Succi Eupatorii inspissati,
Spicæ Indicæ ana drachmam unam,
Caryophyllorum drachmam unam,
Hieræ Picræ Galeni drach. duodecim.
Fiat massa cum succo Apii.

Perutiles sunt ad cancrum, elephantiasim, alphos nigros curatu difficiles, & adversus complura alia vitia ab humore melancholico procreata; unde etiam melancholiam indeque natum inanem metum, mæstitiam, ac timorem propulsant, quartanariis, & ictero nigro fœdatis auxilio sunt; lienis quoque tumorem ac dolorem auferunt.

Hellebori & Lapidis Cyanei præparatio suo loco, ubi de Simplicium præparatione agetur, requirenda.

Pilulæ de Lapide Lazuli sive Cyaneo Mesuæ.

℞. Lapidis Lazuli abluti drachmas sex,
Epithymi,
Polypodii ana drachm. octo,
Scammonii præparati,
Hellebori nigri præparati,
Salis Gemmæ ana drachmas duas semis,
Agarici drachmas octo,
Caryophyllorum,
Anisi ana drachmas quatuor,
Specierum Hieræ Picræ Galeni drachmas quindecim,
Succi Endiviæ, quantum satis est.
Formetur massa.

Vitia ex melancholico & adusto humore nata, cancrum nimirum, elephantiasim & quartanam profligant, arquato conferunt, lienis obstructiones, infarctus, tumoresque resolvunt.

Pilulæ Lucis Majores seu Opticæ Mesuæ.

℞. Rosarum,
Violarum,
Absinthii,
Colocynthidos,
Turbith,
Cubebarum,
Calami Aromatici,
Nucis Moschatæ,
Spicæ Indicæ,
Epithymi,
Carpobalsami,
Xylobalsami,
Sem. Seseleos, id est, Sileris montani,
Rutæ,
Anisi,
Fœniculi,
Apii,
Schœnanthi,
Mastiches,
Rad. Asari,
Caryophyllorum,
Cinamomi,
Cassiæ ligneæ veræ,
Croci,
Macis ana scrupulum unum,
Myrobal. omnium,
Rhabarbari ana scrup. duos,
Agarici,
Senæ ana scrupul. duos semis,
Euphragiæ drachmam unam,
Aloës Succotrinæ ad pondus omnium, id est, unciam unam semis, drachmas tres.
Excipe succo Fœniculi, & formetur massa.

Excrementa pituitosa è cerebro & oculis evacuant: visum conservant & firmant, nervos opticos obstructione viscidi humoris liberant, ac ob id oculorum aciem intendunt.

PRo Carpabalsamo, cum alioquin Cubebæ substituantur, hæ autem per se compositionem hanc ingrediantur, opportunè hîc Cardamomum minus accipi poterit: Xylobalsami verò locum lignum Aloës aut Cyperus supplebit.

Pilulæ Masticbinæ Conciliatoris, sive Petri Aponensis.

℞. Mastiches drachmas quatuor,
Agarici optimi drachmas tres,
Aloës electæ drachmas decem.

Agaricus infundatur per diem naturalem in Oxymelle simplici; posteà cum sufficienti quantitate mellis Rosati formetur massa.

VEntriculum ab omni morbo frigido & humido præservant, ejusque dolorem à frigidâ causâ ortum tollunt: cerebrum quoque, oculos, & reliqua viscera à noxiis succis sana præstant; præcipuè verò uterum à putridis humoribus liberant & tuentur, nec non alvum modestè subducunt.

NOnnulli (ut Calestanus refert) pilulas has magis efficaces reddere volentes, addunt prædictis Rhabarbari selectissimi drachmas duas, & loco Aloës pilulas Alephanginas recipiunt.

Pilulæ de Mezereo Mesuæ, seu Joan. Damasceni.

℞. Foliorum Mezerei aceto per noctem maceratorum & siccatorum drach. quinque,
Myrobal. Citrinorum,
Chebulorum ana drachmas quatuor.

Cum Mannâ & Tamarindis aquâ Endiviæ dissolutis formetur massa.

SErosum excrementum, seu aquas valenter expurgant, ob id hydropem ascitem, & anasarcam juvant.

Pilulæ de quinque generibus Myrobalanorum Nicolai Alexandrini.

℞. Quinque generum Myrobalanorum,
Agarici,
Diagrydii,
Colocynthidos,
Senæ ana drachmas duas semis,
Epithymi,
Turbith,
Anisi,
Marathri, seu Fœniculi,
Mastiches,
Lapidis Lazuli ana drachmam unam, grana undecim,
Rhabarbari scrupulos quatuor,
Aloës drachmas quatuor.

Cum succo Fœniculi formetur massa.

PItuitam, & bilem utramque evacuant, podagricos, splenicos, stomachicos, & melancholicos juvant: cerebrum purgant, visionem acuunt, sanguinemque purificant.

Pilulæ de Nitro, Alexandro Tralliano Diacolocynthidos dictæ.

℞. Aloës,
Colocynthidos,
Scammonii,
Bdellii,
Hellebori nigri præparati,
Gummi Arabici ana drachmas duas,
Euphorbii præparati,
Nitri ana drachmam unam.

Cum succo Brassicæ, & melle Rosato solutivo,
Fiat massa.

PIlulæ hæ (quas Alexander Trallianus sub nomine pilularum Diacolocynthidos lib. 1. cap. 12. de Hemicrania describit) efficaces sunt ad crassos, frigidos, lentos & glutinosos humores è remotioribus partibus educendos: frigidis nervorum affectibus succurrunt, & humores ex alto evocant; quo nomine cerebri & capitis pertinacibus affectionibus, articulariis morbis, comitiali, ac resolutioni conveniunt. Eas Manardus lib. 13. Epist. 6. in Epilepsia mirificè commendat, stomachicis & ischiadicis auxiliantur, Hieræ vires æquant, vertiginosos juvant, pituitæ lentitiam dissipant, utramque bilem deturbant: unde earum usus celebris in humoribus adustis, & morbo Gallico, qui non nisi vitiosorum succorum pituitæ

tuitæ & melancholiæ vehementi purgationi cedit. Vide Foësii Pharmacopœiam fol. 248.

MOnendi hîc rursus sunt Pharmacopœi, ut quotiescunque vocabulum Colocynthidos in compositionibus occurrit, Trochiscos semper sumant Albandali; Scammonii verò loco Diagrydium, seu Scammonium præparatum: similiter etiam Helleborum, Esulam & Euphorbium medicamentis non indant, nisi lege artis præparata hæc prius fuerint; quorum prout & aliorum quorundam Pharmacorum simplicium correctionem, loco ad id destinato, perquirere licebit.

Pilulæ de octo rebus seu octomeræ Nicolai præpositi.

℞. Aloës,
Diagrydii ana drachmas duas,
Epithymi,
Colocynthidos,
Agarici,
Mastiches,
Dauci Cretici,
Myrobalanorum Chebulorum,
Absinthii ana drachmam unam.
Cum succo Solani formetur massa.

CRassos humores à capite purgant, visum acuunt, & suffusiones oculorum arcent.

ALoë in formandis pilulis numerum non tenet, ut neque mel neque Saccharum in Electuariis; alias ex novem constarent rebus, prout Foësius & Fuchsius notarunt.

Pilulæ de Opopanace Mesuæ.

℞. Opopanacis,
Hermodactylorum,
Sagapeni,
Bdellii mollis,
Ammoniaci,
Colocynthidos ana drachm. quinque,
Croci,
Castorii,
Myrrhæ,
Zingiberis,
Piperis nigri,
Longi,
Cassiæ ligneæ,
Myrob. Citrinorum,
Emblicorum,
Belliricor. ana drach. unam,
Scammonii drachmas duas,
Turbith drachmas quatuor,
Aloës drachmas duodecim.
Infunde Lachrymas in aquâ Caulium, & forma in massam.

PItuitam crassam, bilem, & melancholiam à cerebro nervosisque partibus vacuant. Efficaces sunt in articulorum doloribus à pituita creatis: resolutionem nervorum, & incontinentiam, spasmum cynicum, gonagram, podagram, articulorum dolores, morbosque partium nervosarum frigidos levant: sunt tamen raro apud nos in usu, cùm aliis æquipollentibus gaudeamus.

Pilulæ Pestilentiales Avicennæ, seu communes.

℞. Aloës electæ unciam unam,
Myrrhæ,
Croci ana unciam semis.
Confice cum vino claro odorifero.

ADversus pestiferæ luis contagiones populariter grassantes miræ sunt efficaciæ: internas putredines fugant, & humores ventriculo infarctos extergunt, eorundemque corruptionem prohibent.

Pilulæ Pestilentiales Ruffi.

℞. Aloës,
Ammoniaci ana unciam unam,
Myrrhæ unciam semis.
Cum succo Limonum fiat massa.

MEdicamentum hoc, cujus antiquissimus ac famosus Medicus Ruffus inventor extitit, petitum est ex Paulo Ægineta lib. 2. cap. 36. Fuisse tamen id Ruffi temporibus potionis forma propinatum constat, quod componebatur ex Aloës & Ammoniaci ana partibus duabus, & Myrrhæ parte una, omnibus in sufficienti quantitate vini albi odoriferi dissolutis: verùm quia amara nimis hæc erat potio, ideò ut faciliùs Medicamentum hoc assume-

assumeretur, posteritas id in pilularum formam non minorem effectum habituram, effinxit.

SUnt qui Rhabarbarum, Agaricum, Bolum, Terram Lemniam, & Theriacam addunt, ideòque valentiores putant: sed componendorum pharmacorum modus est infinitus.

Pilulæ Pestilentiales D. D. Felicis Plateri.

℞. Aloës drachmas tres,
Rhabarbari pulverisati & aquâ Cinamomi aspersi drachmam unam semis,
Agarici trochiscati drachmam unam,
Myrrhæ electæ,
Gummi Ammoniaci in aceto dissoluti ana drachmas duas,
Croci drachmam semis,
Camphoræ scrupulum unum,
Olei Zedoariæ guttas tres.
Cum Syrupo Scordii fiat massa.

EIusdem cum superioribus sunt efficaciæ, & tempore grassantis pestis felicissimè usurpantur.

Pilulæ de Rhabarbaro Mesuæ.

℞. Rhabarbari drachmas tres,
Succi Glycyrrhizæ,
Absinthii,
Masticbes ana drachmam unam,
Myrobalanorum Citrinorum drachmas tres semis,
Sem. Apii,
Fœniculi ana drachmam semis,
Trochisc. Diarhodon Rhasis drachmas tres semis,
Specierum Hieræ Picræ drachmas decem,
Succi Fœniculi & mellis ana quantum satis est.
Fiat massa.

HUmores educunt crassos, lentos, multùm putres, & inde ortas febres diuturnas, ac ex aliis humoribus natas tollunt: jecoris item dolorem, obstructionem, duritiem ac hydropem incipientem sanant. Manardus iis utebatur in tertianarum exitu; Musa in febribus pituitosis. Vide Foësium.

Pilulæ de Sagapeno Mesuæ.

℞. Sagapeni,
Ammoniaci,
Opopanacis,
Bdellii ana drachmas duas semis,
Sem. Apii,
Ammeos,
Anisi,
Rutæ agrestis ana drach. unam,
Acori, seu Calami Aromatici,
Lepidii, seu Iberidis,
Calaminthæ,
Folii, vel ejus loco Spicæ Indicæ,
Centaurii minoris,
Polii,
Costi,
Salis Gemmæ ana drachmam semis,
Colocynthidos drachmas quinque,
Aloës drachmas sex,
Excipiantur succo Porri, Marrubii aut Matricariæ.
Fiat massa.

AD podagram, ischiadem, & reliquorum articulorum, quin imò & uteri dolorem faciunt, menses evocant, viscera emolliunt, eorundemque obstructiones reserant, ac inveteratas splenis oppilationes tollunt.

LEpidium nostrum, Piperitis est, pro quo aliqui Cassiam ligneam substituunt.

Pilulæ de Sarcocolla Mesuæ.

℞. Sarcocollæ drachmas tres,
Turbith, drachmas quatuor,
Colocynthidos,
Zingiberis ana drachm. unam semis,
Salis Gemmæ drachmam unam,
Syr. Rosarum simplicis, quantum satis.
Fiat massa.

PItuitam lentam evacuant, atque ob id pituitosis affectibus plurimùm commodant: earum tamen usus eviluit, cùm aliæ usitatiores eundem effectum præstantes prostent.

Pilulæ sine quibus esse nolo Nicolai.

℞. Aloës lotæ drachmas quatuordecim,
Quinque generum Myrobalanorum,
Rhabarbari,
Mastiches,
Absinthii,
Rosarum,
Violarum,
Senæ,
Agarici,
Cuscutæ ana drachmam unam,
Diagrydii drachmas sex semis,

Succi Fœniculi, quantum Diagrydio per pannum colando & cæteris pulveribus comprehendendis, ac in massam cogendis satis sit, quæ manibus oleo Amygdalino recenti inunctis, pro artis præcepto formentur.

Efficacissimæ sunt hæ pilulæ ad purgandos omnes humores partium superiorum, quo nomine suffusionibus oculorum, caliginibus, ac visioni conferunt; aurium dolorem sanant, caputque à pituita, bile flava & atra mirè purgant; iliacos denique juvant.

Hodie dexteriùs Pharmacopœi pulveres tritos cum succo Fœniculi miscent, adjecto sub finem Scammonio per se trito: alii melle, cum quo succus Fœniculi sit consumptus, excipiunt.

Pilulæ Stomachicæ Alkindi.

℞. Myrobalan. Citrinorum,
Indorum,
Chebulorum ana drachmas tres,
Rosarum,
Mastiches ana drachmas duas,
Cardamomi,
Ligni Aloës,
Santali Citrini,
Cubebarum,
Caryophyllorum,
Schœnanthi,
Nucis Moschatæ ana drachm. unam,
Rhabarbari unciam semis,
Turbith drachmas septem,
Aloës ad pondus omnium,
Fiat massa cum Syr. de Absinthio.

Biliosos ac pituitosos humores, eos præsertim, qui caput, jecur, & ventriculum obsident, vacuant: præterea ventriculum firmant, coctionem juvant, & appetentiam excitant.

Pilulæ de Succino D. Johannis Cratonis.

℞. Pulveris Succini præparati,
Mastiches ana drachmas duas,
Aloës Succotrinæ drachm. quinque,
Agarici trochiscati drachm. unam semis,
Aristolochiæ rotundæ veræ drachmam semis.
Cum Syr. de Betonica formentur pilulæ.

Biliosos & pituitosos humores è capite protrahunt & expellunt, ad destillationes & catarrhos, & inde provenientes oculorum, aurium, & dentium dolores propulsandos feliciter usurpantur.

ANIMADVERSIONES

In pilulas de Hiera compositas Nicolai, & reliquas ordine subsequentes, usque ad pilulas de Succino Cratonis.

Compositiones *pilularum* omnes, *pilulas de Hiera Nicolai* ordine insequentes, usque ad has *de Succino Cratonis*, possunt juxtà earundem & nostras superiores animadversiones facillimè parari, cùm pauca in iis occurrant, quæ singulari notâ & correctione indigeant; maximè quoad præparandi modum. Itaque supra dictæ animadversiones, tùm Authorum, tùm nostræ diligenter revolvantur.

Pilulæ de Tartaro Quercetani, à D. D. Daniele Sennerto correctæ.

℞. Polypodii quercini uncias duas,
Radicum Asari,
Seminum Genistæ ana unciam semis,
Passular. minorum unc. unam semis,
Fumariæ.

Sco-

Scolopendrii ana manipulum unum,
Tartari albi drachmas ſex,
Florum Buglosſi,
Borraginis ana manip. ſemis:

Coquantur in aquæ puræ ſufficienti quantitate ſecundum artem: Decocti clarificati libris duabus, adde ſucci Pomorum libram unam. In his infunde

Foliorum Senæ uncias duas,
Folliculorum Senæ unciam unam,
Turbith electi & gummoſi,
Radicum Hellebori nigri,
Styracis præpar. ana unc. unam ſemis,
Macis,
Caryophyllorum,
Cinamomi,
Epithymi ana unciam ſemis.

In vitro clauſo macerentur, & digerantur per quatriduum in Balneo Mariæ; poſteà colentur, colaturæ adde

Cremoris vel Cryſtallorum Tartari uncias tres,
Aloës præparatæ ſeu extractæ uncias quatuor,
Myrrhæ in vino ad ignem diſſolutæ & percolatæ unciam unam.

Omnia iterum diebus tribus vel quatuor in Balneo Mar. digerantur, & hinc inſpiſſentur, & coagulentur ad lentum ignem. Sub finem, dum materia ferè refrigerata eſt, adde

Specierum Diarhodon Abbatis,
Lætificantis Rhaſis,
Trochiſcorum de Lacca ana drachm. unam,
Salis Abſinthii,
Fraxini ana drachmas duas,
Eſſentiæ Croci ſcrupulos duos.

Reducantur in maſſæ pilularis conſiſtentiam. Si libet, & res poſtulat, Scammonii, Rhabarbari, Trochiſcorum Alhandali extractum, & Ammoniacum addi poſſunt.

Utramque bilem purgant, omnes humores craſſos, tartareos, ſalſos & mucilaginoſos radicitus à partibus profundiſſimis eliciunt, totam maſſam ſanguinis purificant, humorem atrabilarium contumaciſſimum educunt: inde maniacis, & melancholicis affectibus opitulantur.

ANIMADVERSIONES.

Quantumvis hæc *pilularum Tartarearum Quercetani* compoſitio à Doctiſſimo Sennerto quoad ingredientia correcta ſit: reſtant tamen quoad præparationem nonnulla, quæ emendationem ſummoperè efflagitant, quæque luculenter ſatis ex noſtra ad mentem Clariſſimi Sennerti (ratione ingredientium) inſtitutâ & ſubjunctâ præparatione cuivis patebit. Utpotè

℞. *Specierum primi decocti, ſuperiùs in compoſitione denominatas,*

Quas *affusâ aquâ ſ. q.* coque ad remanentiam *duarum librarum*, *decocto* optimè albumine ovorum clarificato, extrahe *ſpecies purgantes*, videlicet

Foliorum Senæ ℥ *iij*,
Turbith el. gum.
Rad. Helleb. nigri ana ℥ j ß,
Epithymi ℥ ß.

Sed cùm non ſufficiant hæ *duæ libræ decocti* pro extractione prædictarum *ſpecierum*, proinde factâ primâ *extractione ſpecierum* præfatarum cum *decocto* per digeſtionem, coctionem & expreſſionem, poſſunt eædem *ſpecies* adhuc ſemel vel bis *aquâ ſimplici* affusâ, digerendo, coquendo, & exprimendo extrahi, prout ſæpiùs in *Syruporum purgantium* confectionibus dictum & edoctum eſt; *extractiones* omnes interim junctim aſſerventur. Tum

℞. *Styracis Calamitæ* ℥ j ß,
Macis,
Caryophyllorum,
Cinamomi ana ℥ ß,

Craſſiuſculè contuſa immitte *cucurbitæ vitreæ parvæ*, & ſuperaffuſis *vini albi generoſi* ℥ *iv*, appoſitoque capitello & juncturis probè circumlitis, deſtillando per M. B. univerſa evocetur *humiditas*, quæ, ſi libet, iiſdem *ſpeciebus Aromaticis* in cucurbita relictis reaffundatur, & ut antea *humiditas tota*, *ſive aqua ſpirituoſa* proliciatur, quæ ſtudioſè poſteà reſervetur: Relicta à deſtillatione *Aromata* poſſunt, affusâ *aquâ ſimpl. ſ q.* (vel quod meliùs eſt, *vino albo*, propter *Styracem*, quæ *vino* melius quàm *aquâ* diſſolvitur vel diluitur,) adhuc ſemel parumper coqui *ad* ℔ ß circiter, & ſupe-

riori *extracto liquido*, ex *speciebus purgantibus* facto, addi; Quo *extracto liquido*,

Aloës Succotrinæ, vel ejus loco
Extracti ejusdem ℥ *iv, &*
Cremoris Tartari ℥ *iij,*

diluendæ sunt, & postmodum leni calore cinerum penitùs iterùm exiccandæ.

Jam demùm.

℞. *Myrrhæ electæ* ℥ *j,*

Quam pulverisatam in lenissimo calore *superiori ex speciebus Aromaticis, destillatâ & asservatâ aquâ spirituosâ*, dissolve; Similiter *eâdem aquâ* dissolve vel dilue rursùs *Aloën & cremorem Tartari superiùs insuccatum & exsiccatum*, additisque *speciebus reliquis*, nimirùm

Spec. Diarhodon Abbatis,
Lætificantis Rhasis,
Trochiscorum de Lacca ana ʒ *j,*
Salis Absinthii,
Fraxini ana ʒ *ij,*
Essentiæ Croci ℈ *ij.*

Fiat *pilularum massa* justæ consistentiæ.

Nota: si *unciam unam Styracis Calamitæ* superiùs detraheres, & loco ejus ℥ ß vel ʒ *vj resinæ ejusdem*, quæ facilis est paratu, per expressionem aut extractionem cum *spiritu vini* (uti inferiùs in *confectione Theriacæ* docebimus,) ad *Aloën* adderes, longè meliùs esset. Nam *resina Styracis* in decoctum migrare nequit, neque per destillationem tota ejus virtus abstrahi vel elici potest. Quod *compositas species & Trochiscos* concernit, *quæ pilularum harum compositionem* ingrediuntur, illa possunt jam parata addi, si tantoperè necessaria sint, cùm in omnibus officinis prostent: nam exigua eorum quantitas, quæ huic *compositioni* destinata est, prohibet, quò minùs illorum ingredientium exacta supputatio commodè institui queat. Nihilominus si alicui arrideret, ingredientia omnia dictarum *specierum compositarum*, *Diarhodonis* scilicet & *Lætificantis Rhasis*, nec non *Trochiscorum de Lacca*, recenter huic *compositioni* adjicere, illum oporteret de *compositione specierum Dyarhodon*, prout huic Dispensatorio inserta est, *trigesimam secundam partem* circiter ingredientium, nempè pro *qualibet uncia*, *grana quindecim*, & pro qualibet *drachma una*, *grana duo*: De *compositione specierum Lætificantis Rhasis* itidem, prout huic Dispensatorio inserta est, *sexagesimam quartam partem* ingredientium, nimirùm pro qualibet *uncia una*, *grana septem*, & pro qualibet *drachma una*, *granum unum* circiter: Et de *compositione Trochiscorum de Lacca*, *duodecimam partem* ingredientium, pro qualibet nimirùm *drachmâ unâ*, *grana quatuor* huic compositioni addere.

Nota secundò, quod *folliculis Senæ*, ipsa *folia*, non sine prægnanti causâ substituerimus, quippè cum *folliculis vel foliculis dictis* parùm admodùm vel nihil virtutis catharticæ insit; ideò etiam eos *compositioni huic* parùm nihilvè efficaciæ communicare posse, arbitrati sumus,

Pilulæ Turbith Aureæ Mesuæ.

℞. Turbith drachm. sedecim,
Aloës drachm. duodecim,
Myrobalanorum Citrinorum drachm. decem,
Mastiches,
Rosarum ana drachmas septem,
Croci drachmas tres.

Cum succo Absinthii fiat massa.

Stomachicis, colicis, nephriticis ac inflatis prosunt: valentiores verò sunt propter magnam Turbith copiam; attamen raró sunt usui.

ANIMADVERSIONES.

PArari possunt juxta modum ab Authore præscriptum, nec peculiari *animadversione* indigent. Quin imò auderem asserere: Si *Aloë* in aliquantò majori quantitate addita fuisset, pro consistentia vera & corpore pilularum acquirendo, eas multis parasangis reliquas plurimas *pilularum Compositiones* quoad competentem *specierum ingredientium* quantitatem, quâ nempe aliquid operari possunt, superaturas esse. Ne igitur existimes *Lector benevole* cùm paucis in hac Classe, nec separatim singulis spongiam admoverimus, illas propterea ab erroribus immunes esse. Nequaquam. Nam hoc Te scire velim, quod, qui *compositum* aliquod *Medicamentum* concinnè construere intendat, (dico construere vel componere,

non

non præparare ; cùm aliud sit *Medicamentum compositum* construere, aliud verò præparare. Illud enim Ipsorum Medicorum Doctorum & expertorum est : Hoc verò Pharmacopœios in arte versatos didicisse & exactè satis callere convenit) id unicè considerare inque id totus incumbere debeat, ut non solùm *rerum discrepantiam evitet*, homogenea homogenes aduniat ; nec indiscriminatim tantam *simplicium* farraginem consarcinet ; sed & faciat, ut omnia ingredientia eâ quantitate inter se invicem in *Composito* cohæreant, ne unum quidem eorum in tanta diminutione, quâ nihil in illo operari aliud possit, præterquam dosin & pretium Medicamenti adaugere, cæteris adjunctum sit. Quippe quod in plurimis huic *pilularum* Classi infarctis *Compositionibus* adeò frequenter commissum, ut tædeat eandem crambem sæpius recoquere, qui nos saltem in terminis simplicibus, rectè parandi tamen & commiscendi, continere voluimus. Elegantiores *pilularum Compositiones* & *Præparationes* qui exoptet, is adeat *Pharmacopœiam Regiam*, jam DEO sint laudes, exactius priori *elaboratam*, ubi haud dubiè voti sui compos, discusså caligine, efficietur.

MEDICAMENTORUM
PHARMACOPOEIÆ AUGUSTANÆ
CLASSIS SEPTIMA,

Continens

EXTRACTORUM FORMULAS.

Nec-non

Iisdem Annexas Animadversiones.

Plurima quidem de extractis, *eorum usu*, & *in quem finem inventa sint; nec non* menstruis, *quibus illa communiter parari solent, dicenda & præmittenda essent: Sed cùm de his satis prolixè & luculenter alii Authores tractent, inprimis Excellentissimus Sennertus in suis* Institutionibus libro 5. parte 3. sect 3. cap. 9. *de* Tincturis & Extractis; *Idcircò brevitati studens, benevolum Lectorem eò remitto : In ipsis tamen præparationibus datâ occasione quædam de his, licet breviter, dicturus.*

Extractum Agarici.

℞. Agarici albi & levis quantum volueris. Huic affunde spiritûs vini tantam quantitatem, ut is duos vel tres digitos emineat : fient sic simul in vase vitreo arctissimè clauso, juncturis probè obturatis, ac circumlitis, in loco calido vel saltem tepido dies tres. Posteà colentur, & leviter exprimantur : expressum & colatum in balneo Mariæ, abstracto rursus lenta destillatione vini spiritu, in crassamentum cogatur, & quod in fundo cucurbitæ mellis spissitudine residebit, id ad commodos usus servetur.

Pituitam lentam & crassam ex ventriculo maximè & mesenterio, nec non jecore, liene, pulmonibus ac utero expargat ; à cerebro quoque, nervis & artubus eandem, licet debiliùs, prolicit : vermes insuper enecat, & expellit.

ALii loco spiritûs vini aquam Anisi, cui oleum ademptum sit, usurpant; correctivi loco id forsan adhibentes. Verùm corrigitur ejus extractio pro re & conditione ægri, aut morbi, addendo in singulas doses guttulam unam olei Macis, Nucis Moschatæ, Fœniculi, Caryophyllorum, aut alterius similis.

ANIMADVERSIONES.

DIversa *menstrua* variosque *liquores* Chymici excogitârunt, quibus cùm ex *Mineralibus*, tùm *Vegetabilibus*, & ipsis etiam *Animalibus*, essentiam, virtutem & efficaciam, aut quocunque nomine appellare libeat, elicere possint, relictis inutilibus & viribus exhaustis crassamentis: Et quidem pro extractione *Vegetabilium* (cum quibus nobis ex instituto in hac classe res est,) imprimis *spiritum vini*, *vinum ipsum, acetum* cùm *simplex*, tùm *destillatum*, *spiritus ipsorum Vegetabilium ardentes*, item *spiritûs eorundem acidos & aquas destillatas*, ipsam etiam *aquam simplicem*; ex quibus jam pro uniuscujusque intentione eligi possunt, quæ maximè ad propositum faciant, atque exindè *menstrua* parari unicuique rei accommodata.

Nunc autem sese nobis sistit extrahendus *Agaricus*, fungus nimirùm albicans, trunco *Laricis* adnatus; qui cùm nonnihil resinosus sit, præstat ipsi *menstruum* adhibere analogum, quod polleat vi & efficaciâ resinam dissolvendi & extrahendi. Inter cætera verò superiùs commemorata *menstrua* nullum ad hoc aptius magisque conveniens est, quàm ipse *spiritus vini*, aliique ex quovis alio *Vegetabili*, utpotè *Frumento, Tritico, &c.* beneficio fermentationis & destillationis, prolecti *spiritus ardentes*; qui cùm sint de *natura sulphurea*, proinde *res sulphureas* (quales sunt resinosæ,) non solùm extrahere, sed etiam quandoque totaliter dissolvere apti nati sunt; uti manifestum fit in *resinis* omnibus, quas totaliter, in proportionata tamen quantitate affusi, dissolvunt: ideò benè factum, quod in præparatione hujus extracti, *spiritus vini* adhibitus sit, rejectâ *aquâ Anisi*. Prudentissimè etiam correctionis loco *olea destillata* jam confecto *extracto*, pro conditione morbi & ægroti addi præcipiuntur: hoc tamen in hac *Agarici* extractione observandum est, quòd ille unicâ saltem vice *spiritu vini* ad eminentiam duorum vel trium digitorum affuso, totâ suâ efficaciâ & resinosâ substantiâ neutiquam exui possit, sed oportet, ut bis tervè ad minimum *recentis spiritûs reaffusio* fiat. Necessum quoque est, ut peractæ extractioni, colaturæ & expressioni filtratio superaddatur, cujus beneficio plurimarum partium terrestrium & crassiorum fiet separatio. Nam *Agarici extractum spiritu vini* paratum, si paulò calidius coletur, aut per colatorium exprimatur, non adeò defæcatum transfluit, sed plures terrestriores *Agarici* partes unà in expressione permeant; unde postea fit, ut colatura illa expressa in frigore denuò veluti concrescat. Hoc ipsum autem beneficio filtrationis, præsertim si illa frigide, vel ad minimum tepidiusculè fiat, prohibetur, tumque sola saltem subtilior *Agarici* essentia per filtrum transmittitur, quæ non ita, ut prior colatura denuò concrescit, nec turbida evadit, sed liquida & clara persistit. Cæterùm quæ de *resina ejus* monenda essent, videantur in animadversionibus subsequentibus.

Extractum seu Balsamus Aloës.

℞. Aloës Succotrinæ, quantum volueris. Redigatur in pulverem: huic affunde spiritus vini rectificati, vel (si malueris) aquæ Endiviæ, vel Acetosæ, quantum satis: maceretur in loco calente, diligenter quotidie agitando, donec liquor coloretur: qui deinde relictis exactè fæcibus, per inclinationem eximatur, & recens rursus affundatur, tantisper id reiterando, quoad nullum amplius colorem liquor affusus extrahere videbitur. Tandem omnis humor congregatus, diligenterque transcolatus, in justam spissitudinem lentâ coctione vel destillatione redigatur.

INternas putredines arcet, ventriculum mundat, ac roborat: cruditates abolet, & ventrem lubricum reddit.

Eodem

EOdem planè modo parantur omnia alia extracta simplicia, & composita, præterquam quod quædam eorum etiam exprimuntur: affuso nimirum medicamentis, ex quibus vim ac energiam omnem prolicere mens est, vini spiritu, aut aquis appropriatis ad id præstandum idoneis, & additis interdum corrigentibus. Sic Extractum Rhabarbari commodè parari potest cum aqua Agrimoniæ, additâ modicâ Spicâ & Cinamomo. Extractum Senæ cum aqua Lupuli, Scolopendrii, Borraginis aut Fumariæ, addita portione aliqua Caryophyllorum, Zingiberis, vel sem. Fœniculi, &c.

Notandum tamen, aquas non ex omnibus Medicamentis simplicibus vires elicere posse, sed potissimùm ex herbis & radicibus non gummosis aut resinosis, vel insignem duritiem non habentibus: ibi enim (ut in Turpetho & Mechoaca) vini spiritu opus est; Sic etiam Gummi seu Lachrymæ singularem in extrahendo dexteritatem requirunt: hæc enim in aceto resolvi, ac per setaceum, ut terrestreitas omnis separetur, transmitti postulant: acrimonia postmodùm aceti reiteratis aquarum affusionibus eluatur; tum demum in vini spiritum demergantur, qui vim Gummi prolectet, inde perficiatur, ut artis est. Verùm hæc diligentem ac sedulum Pharmacopœum nosse oportet, ut quod cuique commodè & ex artis usu affine ac applicabile sit, inter præparandum adhibere sciat: & pro suâ discretione dignoscat. Nobis autem inter Extracta simplicia præter jam dicta in usu ferè sunt sequentia.

Extractum.

Absinthii,
Agallochi,
Angelicæ,
Calami Aromatici,
Capparum,
Cardui Benedicti,
Centaurii minoris,
Croci,
Cucumeris Asinini,
Dictamni albi,
Enulæ,
Esulæ,
Euphorbii,
Galbani,
Gentianæ,
Guajaci,
Hellebori nigri,
Hieræ picræ,
Liquiritiæ,
Mechoacæ albæ,
Nigræ,
Melissæ,
Myrrhæ,
Opii Thebaici,
Opopanacis,
Pæoniæ,
Rhabarbari,
Sagapeni,
Scammonii,
Senæ,
Turbith,
Zedoariæ.

ANIMADVERSIONES.

A*Loë* succus est nonnihil resinosus, qui *solâ aquâ* vix totaliter & verè dissolvi potest: Proindè optimum & consultum esse arbitror, ut, si *extractum vel Balsamus Aloës* dextrè confici debeat, *spiritu vini* ejusdem fiat extractio, quò simul etiam *partes Aloës resinosæ* dissolvi queant: Nec est, quòd cum Clarissimo Schrödero resinosam illam *Aloës* partem purgationi inutilem esse putemus; contrarium enim aliorum purgantium, utpotè *Scammoneæ*, *Ialappæ*, *Turbith*, *Gummi Gottæ* & similium resinæ manifestè evincunt.

Reliqua *extracta simplicia*, quorum in adjuncta animadversione fit mentio, & quæ notata subsequuntur, quod concernit, ea sanè sedulum (uti benè monent,) & peritum requirunt Pharmacopœum, qui unicuique rei, quod ipsi affine & homogeneum est, adhibere nôrit. Pauci autem talium hodiè reperiuntur, & numero

vix totidem sunt,
Quot Thebarum portæ, aut divitis ostia Nili.

Præstitisset itaque, ut, cùm in aliis hujus Dispensatorii vix cassâ nuce dignis compositionibus,

bus,& nugacissimis earundem præparationibus Authores plùs nimiò multoties se torserint, etiam in his, quæ sanè expertum & industrium Philosophum naturalem, qui quid & quantum in re quâque sit contentum vel reconditum, quidque unumquodque pati, & quid ferre recuset, optimè sciat, requirunt, paulò magis solertes se dedissent, nec ita negligenter cuncta Pharmacopœorum aut eorundem ministrorum (qui frequentissimè nihil minùs sciunt, quàm quid unicuique rei affine sit & applicabile) discretioni reliquissent; memores,quod *φάρμακα* sive medicamenta,si rectè,id est,convenienti modo præparata fuerint, Deorum manus sint: (ità enim Herophilus ea appellare solitus est,eò,quòd quasi Numine & sanandi celeritate ægros ab interitu vindicent.) Sinistrè verò præparata *φάρμακα*, sæpenumerò evadant, sive toxica lethiferaque Venena. Sed ut redeamus ad extractiones reliquorum *purgantium*, ex his *extracta Rhabarbari & foliorum Senæ spiritu vini* optimè fieri possunt; habent enim saltem aliquid resinosi, & ob id longè subtiliùs extrahuntur *spiritu vini, quam aquâ aliquâ destillata:* Addo, quòd omnia *purgantia à spiritu vini* in sua virtute exaltentur, maximè quæ resinosa sunt. Quàm frivolè autem *menstruis*, quibus pro extractione cùm horùm, tùm aliorum *purgantium* communiter utuntur, *Aromata*, utpotè *Spica Nardi*, *Cinamomum*, *Caryophylli*, *semina Fœniculi* & similia addantur, quisquis nôrit, qui superiores plurimas nostras animadversiones, maximè in *Syrupos* perlegerit; ubi ad nauseam usque inculcavimus, quòd *Aromatum* illorum *partes balsamicæ, spirituosæ & odoriferæ* in decoctionibus & evaporationibus penitùs avolent, nec quicquam virtuosi de illis remaneat. Taceo,quod ipsimet non recordentur superioris sui moniti in præparatione *extracti Agarici* traditi, ubi repudiatâ *aquâ Anisi* apertè innuunt, meliùs esse sub finem jam paratis *extractis*, & quidem singulis eorundem *dosibus*, pro conditione ægri & morbi, *olea destillata Aromatum enumeratorum*, loco correctivi addere. Quod ipsum eorum monitum, non solùm in extractione *Agarici*, sed æquè in aliis omnibus extractionibus locum habere posse, omninò existimo & firmiter assero.

Gummata quod concernit vel *lachrymas*, ea inprimis distinguenda sunt, antequam pro illorum extractione conveniens aliquod *menstruum* determinari possit. Etiam *Gummata* vel *resinosa* sunt, vel *mucilaginosa*; (quæ tanquam aqua & ignis inter se differunt,) quædam verò medio modo se habent. *Gummata resinosa* sunt, *Galbanum*, *Storax Calamita*, *Tacamahaca*, *&c.* *mucilaginosa sunt*, *Tragacanthum*, *Gummi Arabicum*, *Bdellium*, *&c.* Medio modo se habentia, uti *Olibanum* & *Hederæ*, *&c.* Quæ ex his *resinosa*, nullo alio menstruo convenientiùs extrahi & dissolvi possunt, quàm *spiritu vini*, vel alio aliquo ardenti ex quodam *Vetegabili* per fermentationem & destillationem prolecto, utpotè ex *Rosis*, *Cerasis*, *&c.* cujus rei experiundi exemplum habemus in *Storace* & *Benzoë*, quæ hoc ipso *spiritu Rosarum ardente* elegantissimè pro cosmetico extrahuntur, ut adeò necessum non sit, supradicta *Gummata resinosa* prius *aceto* resolvere, (uti jubent,) & tandem relictam ab *aceto* acrimoniam reiteratis tot aquarum affusionibus eluere; quod ipsum & ridiculum est & impossibile. Concedo equidem,quod *Gummata resinosa aceto* dilui & quasi dissolvi possint, pro præparatione *Emplastrorum*, *unguentorum* & aliorum expetita; non tamen æquè genuina solutio hæc est, atque illa, quæ *spiritu vini* peragitur; lactescit enim illicò, quæ *aceto* facta est, solutio; contrà verò, quæ *spiritu vini* peracta est, clarescit, & limpida perstat: Eluere autem reiteratis *aquarum* affusionibus acrimoniam *aceti* quod impossibile sit, id ex eo patet, quia *aqua* semper in quacunque abstractione, quæ vel mediante destillatione vel exhalatione perficitur, se habet in modum phlegmatis, quod *acetum* in destillatione præcedit, residuo manente ejusdem *spiritu acido fixiori.* Similiter nec aliâ aliquâ ablutione eadem edulcorare poteris, nisi fortè non tam abluere, quàm eluere totum lubido fuerit, quod reipsâ experiêre, ubi hujus rei experimentum feceris.

Gummata mucilaginosa quod attinet, illa *aquâ simplici* vel *destillatâ*, aliisque consimilibus aquosis liquoribus commodè dissolvi queunt; *spiritus autem vini* ea nòn attingit.

His

His itaque præmissis assero, reliqua ordine subsequentia *extracta*, optimè *spiritu vini*, vel alio aliquo ardenti, parari posse, præsertim quæ ex *lignis & radicibus resinosis*, item *Gummatis & succis inspissatis* confici debent. Nec tamen inficias ibo, quòd nonnulla ex *herbis* & *radicibus quibusdam minùs resinosis*, *aquâ simplici* & *destillata*, vel etiam *vino & aceto destillato* perfici possint. Ut autem benevolus Lector exemplum habeat, quomodo *radix resinosa aliqua*, aut alia res resinam continens extrahenda sit, ut etiam *resina extracto* permixta maneat, addam hîc formulam, secundùm quam omnes similes extractiones institui possunt, præsertim compositæ, in quibus magna sæpè diversitas ingredientium occurrit. Ex. gr. ℞. *Radices Ialappæ vel Mechoacæ nigræ aut albæ, Turbith, Lignum Sanctum, &c. vel rem aliam quamcunque nonnihil resinosam*, quam incisam & contusam infunde in *spiritûs vini rectificati s. q.* & cucurbitâ benè clausâ fiat extractio vel digestio horis circiter 48. coletur posteà vel separetur *spiritus tinctus* & essentiâ rerum prædictarum impraegnatus, *species in fundo restantes* exprimantur, asservato *spiritu tincto*; *Relictæ species* denuò *recenti spiritu* superfundantur; digerantur, colentur, & exprimantur, idque tertiâ vice, si lubet, repetendum. Posteà *colaturæ* & *expressiones omnes sive spiritus tincti*, junctim per chartam emporeticam filtrentur, & in M. B. ultrà remanentiam quartæ partis abstrahantur; Refrigeratâ cucurbitâ *relictum extractum liquidum* in vitrum amplum effunde, cui vel innatantem vel in fundo hærentem invenies *resinam*, quam exemptam, & *aquâ frigidâ* aliquoties lotam, si libet, in leni calore exicca, ut pulverisari queat; Et hoc modo habebis *Magisterium vel resinam siccam*: *Extractum autem liquidum* leni calore ac consistentiam crassam evaporare sine, cui si libet *propriam resinam pulverisatam*, aliquot *Amygdalis* contusam vel subactam junge; aut si multum *extracti* & parum *resinæ* fuerit, dissolve illam, antequam exiccata & pulverisata fuerit in *rectificatissimo vini spiritu q. s.* & *extracto jam crasso & confecto* adde.

Nota: equidem me non latere, haud paucos esse Medicorum, cùm Galenicorum, tùm Hermeticorum, qui *spiritum vini* pro extractione *purgantium*, ceu inutilem damnent? quem tamen nos ad eliciendam enumeratarum *specierum vim catharticam*, ceu convenientissimum superiùs commendatum voluimus. Ratio autem illorum in contrarium hæc est, quòd *vis cathartica* consistat in *essentia rerum salina*: *Spiritus vini* autem, utpotè *naturæ sulphureæ* ad dissolutionem *salium* ineptus sit, & per consequens appropriatum sive homogeneum pro *purgantibus* extrahendis *menstruum* esse non possit. Sciant autem boni illi Viri, quòd inter *salia* ingens detur differentia; quædam enim eorum *volatilia* sunt, quæ instar *spirituum* levi ignis calore concitata sublimia petunt: Quædam *essentialia* ex *succis Vegetabilium* educi nata, mediæ quasi naturæ inter utraque, *volatilia* scilicet & *fixa*: Quædam verò *fixa* per calcinationem & totalem Vulcani violentiâ rerum destructionem parari solita. Jam si de *salibus volatilibus* sermo erit, utique *spiritus vini* ea promptè dissolvit; imò nonnunquam etiam cum iisdem familiariter se conjungit & coagulatur. Quod ad *salia essentialia* attinet, etiam illa, si realiter talia sint, à *spiritu vini* resolvuntur: similiter etiam *Vitriola Metallorum*: *Salia* autem *fixa*, (quibus propriè *salis* nomen competit) quod concernit, de his fateor, quòd *spiritus vini* (præsertim si summè dephlegmatus, sive ab omni aquositate liberatus fuerit,) illa simpliciter & immediatè non attingat, nec dissolvat, nisi prius essentificata fuerint. Quod ipsum tamen, hanc nostram (salvo tamen semper rectiùs sentientium judicio,) de legitima *spiritu vini purgantium* extractione sententiam, nullatenus infringit, cùm vis *purgatrix* non tam in *sale fixo*, quod ex verè & legitimè combustis aut in cinerem redactis eruitur, quàm in *sale rerum essentiali*, quod propriè *Vegetabilibus* non crematis inest, fundata sit; is autem optimè *spiritu vini*, aliisque *spiritibus* ipsi homogeneis, & quidem longè meliùs, quàm *aquâ communi*, (quæ contrà *salia fixa* & vera faciliùs & promptiùs dissolvit,) resolvuntur. Proindè adhuc apud nos ratum & firmum manet, quòd *spiritus vini*, optimum & convenientissimum sit, ad virtu-

tem

tem catharticam ex *purgantibus* rebus eliciendam, *menstruum*.

Interim hîc notandum est, quòd, dum *spiritum vini* pro extractione rerum catharticarum commendamus, non illum intelligamus, qui summè alcoholisatus, frequentioribus rectificationibus ad talem volatilitatem redactus est, ut è vitro desuper in terram de illo nonnihil effusus, ipsam non attingat, sed auræ subtilissimæ instar in sublime feratur, ipsoque quasi momento ad æthera evehatur; neutiquam sanè: Sed illum hîc intellectum volumus, qui à superflua & immodica aquositate aliquatenus liberatus sit; ità enim eò meliùs penetrat, citiusque virtutem rerum, quibus ad extrahendum affunditur, elicere vel extrahere potis est: Addo etiam, cujus in superiori responsione obliti sumus, quòd *spiritus vini* secundum nostram sententiam non solius *naturæ sulphureæ* (uti quidem illi sibi imaginantur, fortè quia φλόγιστος) particeps sit, sed potiùs *naturæ salino-sulphureæ* summæ volatilis existat, quam ipsam *salinam* volatilem ejus naturam subdulcis & penetrantissimus ejus sapor, maxime ubi probè dephlegmatus fuerit; *sulphuream* autem facilis conceptio flammæ, luculentissimè evincunt: Eandem hanc ipsius naturam, scilicet *salino-sulphuream* apertè etiam confirmant *salia illa volatilia*. Ex. gr. *Succini, Viperarum, &c.* nec non *essentialia* ex *herbis* aliisve *Vegetabilibus* parata, de quibus superiùs dictum; utpotè quæ promptissimè illum admittunt, & ab eo se dissolvi patiuntur, nimirùm ob mutuam naturæ affinitatem & symbolicas proprietates: Etenim, uti Philosophi loquuntur, *in symbolum habentibus facilis est transitus*; sicque jam penitùs corruit, superiùs in contrarium nostræ opinioni adductum argumentum; primâ quidem fronte satis speciosum apparens, quo ipso plures hactenus deceperunt, plurimique decepti sunt.

Sequuntur Extracta Composita.

Extractum Agarici Compositum.

℞. Agarici Alpini levissimi & candissimi libram semis,
Rhabarbari interioris uncias tres,
Seminis Anisi,
Zingiberis,
Macis ana drachmam unam semis.

Incidenda incidantur, contundenda contundantur, affundantur spiritus vini rectificati mensuræ duæ, stent in infusione vitro benè clauso per triduum; pòst fiat secundum artem extractum.

Hanc extracti compositi descriptionem nobis communicavit Vir Clarißimus D. D. Vrbanus Schlegelius, Decani Collegii Medici Vicarius perpetuus, collega noster plurimùm dilectus.

ANIMADVERSIONES.

Paretur juxtà modum antecedentem, binâ vel trinâ specierum infusione, dissolvendo ultimò quod *resinosum* est rectificato *spiritu vini*, & *extracto* jam ad consistentiam crassam *inspissato* adjungendo: *Aromata* extractione frustrà & perperàm adduntur, & longè meliùs foret, ut jam confecto *extracto* de ipsorum *oleis destillatis* nonnihil adderetur.

Extractum Catholicum.

℞. Colocynthidos drachmas sex,
Agarici optimi,
Diagrydii,
Hellebori nigri ana unciam semis,
Aloës electæ unciam unam,
Specierum Diarhodon Abbatis unc. semis.

Species Diarhodon in sufficiente quantitate spiritus vini per dies aliquot macerentur, qui deinde relictis fæcibus supra prædicta medicamenta purgantia fusus in loco calido, vase probè clauso, vires eorum imbibat: posteà leviter omnibus expressis, liquor transcolatus levi balnei vapore evocetur, ut extracti spissamentum in fundo cucurbitæ resideat.

Medicamentum est Catholicum seu universale, omnes in universum humores exturbans. Aliud catholicum, magis tamen operosum, describitur à Quercetano in Pharmacop. Dogmat. restituta.

ANIMADVERSIONES.

EQuidem hujus *extracti* præparandi modus ex superioribus nostris *animadversionibus* super *extracti Aloës* præparationem factis, satis dispalescit; nihilominùs tamen melioris informationis ergò, dilucidiorem ejus præparationem addam. Primò autem necessarium non est, ut *species Diarhodon* correctionis loco huic *extracto* addantur: etenim superiùs abundè demonstratum est, has & similes *species* vix quicquam corrigere posse. Si tamen Medicus aliquis strictè illas addi desideret, suaderem, ut dictarum *specierum Diarhodon* ingredientia recentia, nec in pulverem redacta sed saltem crassiusculè contusa vel conquassata, huic extractioni adderentur; omissis tamen quæ vel à *spiritu vini* non dissolvi vel extrahi possunt, ut sunt *Perlæ, Saccharum Candum, Tragacanthum, Gummi Arabicum, &c.* quæ dicta *spiritus vini rectificatus* non attingit; Vel quorum *essentia* licet extrahatur, nihilominùs in abstractione *extracti* avolat, ut sunt *Cinamomum, Caryophylli, Moschus, Gallia Moschata, sem. Anisi & Fœniculi, Camphora, &c.* Secundò *Aloë* per se sigillatim extrahatur: impediret enim alioquin, quò minus ex reliquis *speciebus virtus cathartica* elici posset; quia *Aloë succus inspissatus est*, citò in *spiritu vini* resolubilis, quem ideò statim ità imprægnat, ut minùs ad ulteriorem extractionem habilis esse possit. *Diagrydium* etiam seorsim extrahere non inconsultum foret, quia totum resinosum est, cujus *extracta resina* tandem *extracto jam perfecto*, aut pulverisata, aut *spiritu vini rectificatissimo* resoluta addi potest. Quin & *Agaricus* in extractione, uti superiùs dictum, *resinam* præbet, quæ similiter *novo spiritu vini rectificato* dissolvi, & extracto jam perfectè inspissato commisceri posset: Non nego tamen omnia & singula simul & conjunctim extrahi posse, sed longè majori quantitate *spiritûs vini*, & minori efficaciâ futuri *extracti*; præsertim si imperitus Pharmacopœus, (non omnes enim, de quo jam superiùs conquesti sumus, quod cuique affine & ex artis usu applicabile est, cuivis adhibere nôrunt,) præparationem tentet, & *resinam* ingredientium à reliquo *extracto* studiosè non separet, aut separare sciat, utpotè quæ novo *spiritu vini rectificato* iterùm dissoluta, aut penitùs exsiccata & pulverisata, jam parato & spisso *extracto* commiscenda & addenda est. De *speciebus Diarhodon* plura insuper etiam dicenda essent, quæ tamen brevitatis causâ, parùm saltem superiùs attacta relinquo, transiturus ad alia.

Extractum Diacarthami, seu Cnicopharmacum Andernaci.

℞. Medullæ sem. Carthami uncias quatuor,
Turbith albi,
Foliorum Senæ ana unciam unam semis,
Diagrydii drachmas quinque,
Rhabarbari optimi unciam unam,
Agarici trochiscati drachmas sex,
Mannæ Granatæ uncias duas semis,
Myrobalanorum Chebulorum uncias tres,
Polypodii uncias duas,
Zingiberis albi drachmas duas.

Minutim incidantur, vel crassiùs conterantur, & in vini spiritum (in quo pulveris confectionis Diambræ uncia per dies octo macerata fuerit) ponantur, stentque simul in loco calidiore diebus quatuordecim: deinde sacculo indantur, & sub prælo validè exprimantur; posteà id quod expressum est, ampullæ infundatur, ac operculo imposito extilletur, donec ad mellis spissitudinem pervenerit.

PLerosque humores, serosos tamen præ cæteris expurgat: caput, ventriculum, & reliqua viscera mundificat, & noxios succos blandè ac sine molestiâ educit. Datur vel per se in pilulas efformatum, vel boli specie. Hujus extracti nobilissimi, & ad omnes vitiosos humores evacuandos accommodatissimi usus apud nos quotidianus est: ejus enim virtutem multimodâ experientiâ comprobatam habemus; proinde Officinis nostris omni studio & diligentiâ parandum commisimus.

ANIMADVERSIONES.

NOn minores, imò majores etiam, quàm præcedens, præsens, de quo nunc agimus *extractum*, continet difficultates: Ecquid enim *uncia integra specierum Diambræ*, quæ ingens alioquin huic *Compositioni* precium addunt, illi communicare potest: utpotè quarum fragrantia & *essentia aromatica*, dum *extractum* ad consistentiam debitam abstrahitur, omnino exhalare debeat. Addo, quòd unâ impediant, quò minùs *menstruum* sive *spiritus vini* ab ipsis jam saturatè imbutus, ac abunde imprægnatus, à reliquis *speciebus Catharticis* essentiam sufficienter extrahere queat: cùm, uti superiùs in secunda classe demonstratum est, *Nullum receptivum recipiat ultrà modum suæ receptivitatis*, nisi fortè quispiam ulteriorem illarum *specierum*, scilicet *purgantium*, extractionem, reiteratâ recentis *spiritus vini* affusione, tentaturus sit. Cæterùm *Turbith*, *Diagrydium* & *Agaricus resinam* præbent, quæ nisi exactè à reliquo *extracto* priùs separetur, & vel siccata pulverisataque, aut *recenti spiritu vini rectificato* dissoluta, jam perfectè inspissato *extracto* addatur, minus efficax parabitur *extractum*, duplex incommodum involvens: Primò, quòd in liquoribus illud totaliter resolvi non queat, quin flocculos vel grumos quasi præbeat, pistillo adhærentes, qui studiosissimè removendi sunt, nisi ægrotanti nauseam conciliare velis: Secundò, quòd si vel *integram drachmam*, aut plus etiam ejusdem *resinæ*, *liquidæ* nimirùm, sive *Scammoneæ vel Galappæ* cuidam propines, nil ferè operetur, quod tot experimenta jam testatum fecêre. Hinc monendi ansam capio, quòd si quis *resinas*, in mixturis purgantibus cum siccis, tùm liquidis, præscripturus sit, ut eas priùs *Amygdalis dulcibus*, vel *semine Melonum* nonnihil contundere vel subigere Pharmacopœis præcipiat; secùs enim parùm aut nihil operabuntur. De *Manna Granatâ* hoc insuper notare velim, quod illa jam confecto *extracto* demùm addenda, non verò extractioni ipsi committenda sit: est enim materia, quæ tota resolubilis est.

Extractum Cholagogum Quercetani.

℞. Rhabarbari uncias sex,
Folliculorum Senæ unc. quatuor,
Diagrydii unciam unam,
Spicæ Nardi Indicæ,
Santali Citrini,
Cinamomi ana unicam semis,
Trochiscorum de Berb. drach. duas,
Succi Rosarum pallidarum optimè depurati, quantum satis.

Post justam digestionem omnia calidè exprime, ac diligenter cola, fiatque lege artis extractum in consistentia Sapæ: cui adde æquale pondus extracti seu Balsami Aloëtici. Misce, & decoque ad ignem lentum usque ad debitam consistentiam.

BEnignè ac sufficienter omnes humores serosos calidos & biliosos expurgat.

ANIMADVERSIONES.

LAbitur nimioperè Quercetanus, dum *succum Rosarum* extrahendis, enumeratis *speciebus* singulis, absque discrimine destinat, parùm memor, quod succi prorsus inhabiles sint ad extractiones rerum, quæ *resinam* in se continent; quale inprimis ex prædictis *speciebus Diagrydium* est, utpote quod totum ferè nil nisi *resina*, nec ullum, vel exiguum ab impuritatibus admixtis *extractum* præbet. Frustrà etiam & præposterè *Cinamomum* & *reliqua odorifera compositionem Trochiscorum de Berberib.* ingredientia adduntur, ob rationes sæpiùs in præcedentibus adductas; & longè satiùs esset, eorundem *olea destillata* jam parato *extracto* demùm admiscere. Reliqua quod concernit, prædictorum *Trochiscorum* ingredientia, nimirum *Gummi Arabicum* & *Spodium*, ex his illud nil nisi *meram mucilaginem* huic *extracto* communicat, & nequicquam ipsum corrigere, quin magis vires & efficaciam ejusdem infringere & obtundere valet: Hoc autem, *Spodium* scilicet, utpote omni suâ virtute per calcinationem orbatum (uti suo loco demonstrabimus,) nihil efficaciæ eidem impertire potest. Ast ne nimiùm hæc exaggeremus, cùm

cùm propriè nostri instituti non sit, *compositiones*, quoad ingredientia, immutare, quod quidem valdoperè necessarium esset, saltem ejus meliorem præparandi modum paucis hisce innuere libet; videlicet:

℞. *Species hujus extracti compositi, excepto Diagrydio & Cinamomo, partemque octavam ingredientium Trochiscorum de Berberib.* (quæ ℥ ij, constituunt,) *exceptâ Galliâ Moschatâ, Gummi Arabico & Spodio*, eaque incisa & contusa more solito, reiteratis affusionibus, digestionibus, expressionibus & filtrationibus, *succo Rosarum* (cujus vix octo vel decem libræ sufficiunt,) extrahantur: *Tinctura speciebus enumeratis saturatè imbuta*, abstrahatur in M. B. ad consistentiam crassam *extracti*, cui adde *resinæ Scammoneæ pulverisatæ & Amygdalis dulcibus, melioris permixtionis causâ nonnihil subactæ ℥ vj, vel ℥ vij*, nec non *extracti Aloës pondus æquale*; tandem etiam *olei Cinamomi guttas vj vel viij*, & si lubet, *Galliæ Moschatæ à Trochiscis de Berberib. huc translatæ gr. vij ß*, fiatque lege artis *extractum*.

Extractum Diacitri Dn. D. Hieronymi Reusneri.

℞. Pulpæ pomorum Citri expressi,
Sacchari albissimi ana libram semis.

Coque lento igne ad spissitudinem: in fine adde Spiritum ex sequentibus extractis cum liquore:

℞. Scammonii optimi uncias duas,
Mechoacæ albæ,
Turbith electi ana unciam unam,
Rhabarbari electi,
Cinamomi acuti ana unciam semis,
Galangæ,
Nucis Moschatæ,
Caryophyllorum ana scrupul. unum, grana duo.

Mistis omnibus, fiat secundum artem Electuarium.

AD humores biliosos & serosos expurgandos in cachexia, hydrope, ictertitia, obstructionibus hepatis & lienis; in febribus item omnis generis feliciter usurpatur.

ANIMADVERSIONES.

OEdipo sanè conjectore heîc opus est, qui mihi interpres sit, acutoque ingenio dissolvat & explicet primò, quâ ratione ad mentem & voluntatem Authoris, compositionis hujus satis ænigmaticæ, *pulpa pomorum Citri expressi* (hæc enim propria Authoris verba sunt,) cum *Sacchari anaticâ quantitate* coqui possit & debeat, & ad qualem etiam consistentiam vel spissitudinem? Etenim *pulpa Citri prædicta expressa* non ampliùs succulenta est, licet parumper humida, ac proindè dissolutioni *Sacchari* multò magis coctioni prorsus inepta; Et posito, ast non concesso, illam tantâ adhuc gaudere humiditate, quæ pro *Saccharo* dissolvendo sufficeret: qualis tamen ex fibris ejusdem inutilibus hujus *extracti*, (quoad aliàs resolubile esse debet totum,) exurgeret consistentia? Secundò, qualem *spiritum ex sequentibus extractis cum liquore, superiori pulti addere* debeam? Debeamne ex sequentibus rebus, scilicet *Scammoneâ, Mechoacâ, Turbith, Rhabarbaro, &c.* (uti quidem litera & sensus suppeditare videntur,) *extractum* priùs parare, & ex *extracto spiritum* destillare cum liquore, eundemque superiori *pulmento vel conservæ* addere? Ast ne diutiùs nugis illis me torqueam, quæ certè in dedecus Authoris potiùs, quàm ullius ægri emolumentum huic Dispensatorio insertæ sunt, adjiciam præparationem paulò dilucidiorem, atque etiam omni dubio meliorem, nimirum:

℞. *Succi pulpæ pomorum Citri depurati,*
Sacchari albi ana ℔ ß,

Decoquantur in vase terreo in *Syrupum* consistentiæ crassioris: posteà

℞. *Scammonii optimi ℥ ij,*
Mechoacæ albæ,
Turbith electi ana ℥ j,
Rhabarbari electi ℥ ß,
Galangæ ʒ ß,

Fiat ex iis omnibus beneficio *spiritûs vini* reiteratâ affusione extractio, quam in M. B. propemodùm ad remanentiam quartæ partis abstrahe, & *resinam* residuo *extracto* innatantem (quæ si non satis benè præcipitata esset, affun-

datur illi adhuc parùm *aquæ frigidæ*) probè separa, exsiccatamque in pulverem redige. *Relictum* autem *extractum liquidum* ad crassam consistentiam leniter exhalare sine, cui pulverisatam & nonnihil *Amygdalis* subactam *suam resinam* adde, atque sic unita cum superiori parato *Citri Syrupo* exactè permisce. Postremò denique

Ol. stillat. Cinamomi gutt. vj vel viij,
Nucis Moschatæ, &
Caryophyllorum ana gutt. iv vel vj,

aromatizando, fiat *extractum* usui asservandum.

Extractum Gummi Gamandræ D. D. Hadriani à Mynsicht.

℞. Gummi de Peru sive Gamandræ optimè pulverisati unciam unam,
Aquæ Cichorii unciam semis,
Spiritûs vitrioli rectificati drachmam unam.

Hæc benè commixta tabulæ vitreæ, vel vasi Indico super illine, loco calido, (sed non nimiùm tamen, aliàs nigrescit, & deperit) evaporare sine, donec materia terreum colorem induat: hanc posteà pulverisa, & adde

Pulveris florum Rosarum rubearum unciam unam,
Santali rubri drachmas duas.

Spiritûs vini sufficientem quantitatem affunde, per horas viginti quatuor circula; tum quando refrixit, per chartam filtra, & paulatim, usque dum siccetur, evaporare sine. Et sic habebis extractum rubicundum.

A Serosis humiditatibus totum corpus humanum sine omni periculo & difficultate purgat: unde ingenti cum fructu & commodo in cachexia, hydrope, arthritide, podagrâ, similibusque affectibus; uti etiam in scorbuto, & morbo Virgineo, instar singularis experimenti, usurpatur.

ANIMADVERSIONES.

AN *liquores* vel *spiritûs minerales acidi*, quales sunt *Vitrioli*, *Sulphuris* & similes, nec non quæ ex *Vegetabilibus* parantur *aceta*, vera & legitima *rerum catharticarum* corrigentia esse possint, non sine ratione quispiam dubitaret. Ansam autem dubitandi non levem præbent *Mineralia*, eò quòd nonnulla eorum, licet violentissima sint *cathartica*, nihilominùs tamen *spiritibus acidis prædictis*, vel solo etiam *aceto Vegetabili* extracta & aliquandiu cum ipsis digesta, non solùm vim illam purgantem deponant, sed etiam aliam prorsus naturam induant, & ex *purgantibus* non raró *Diaphoretica* evadant, quod nemo, qui in laboribus Chymicis se solertem dedit, ibit inficias. Nimirùm *liquores acidi*, quicunque illi sint, res quaslibet cùm *Minerales*, tùm *Vegetabiles*, quæ ipsis imbuuntur, pro ratione majoris vel minoris quantitatis additæ, figunt & ligant quodammodo: Atque eò fit, ut ipsæ nativas ac genuinas suas virtutes minùs, quàm aliàs, ubi liberæ sunt, nec peregrinis additamentis præpeditæ, exserere possint. Hoc modo autem non raró in extractionibus *rerum catharticarum*, ingentem jacturam facimus sumptuum & laborum: nam quòd exigua quantitas aliàs præstaret rei alicujus, levi negotio & exiguo precio habendæ, id tali modo præparatæ, majoribusque sumptibus acquisitæ, satis magna dosis vix effecerit. Ob id etiam *Dosis* talium rerum fixatarum interdum in duplo, triplo, vel quadruplo nonnunquam augenda est, prout plùs minusvè de *liquoribus acidis* supradictis ipsis admixtum fuerit. Experiundi evidens exemplum hujus rei nobis suppeditat præsens *extractum Gummi Gamandræ*, ut opus non sit exempla aliundè petere, & multis rem exaggerare; Præstaret itaque meo judicio, *cathartica* in viribus suis & effectibus illis, ad quos à natura destinata sunt, non impedire, vel etiam (uti communiter fit,) destruere, sed potiùs purum ab impuro separare & heterogenea sequestrare, quæ demùm vera esset correctio. Et cùm tantoperè non arrideat *extracti hujus è Gummi Gamandræ* à Mynsichtio tradita præparatio, idcircò binas alias addere libuit: quarum prima simplicissimè saltem, ad mentem nostram facta, easdem, ne dicam, majores taliter paratum *extractum* virtutes habebit, etiam in minori dosi exhibitum; Altera verò ad mentem Authoris,

thoris, concinnior tamen, tradita est. Utpote:

℞. *Gummi Gamandræ* ℥ j. *plus minusvè.* Extrahatur vel dissolvatur cum *spiritu vini*, vel si libet, *Iuniperino aut granorum Actes*, quousque totum *Gummi* extractum vel dissolutum sit: *Tinctura* mediante filtratione per chartam emporeticam à fæcibus liberata ad quartæ partis remanentiam abstrahatur: *Resina* à liquore residuo separetur, lavetur, &, in leni calore exsiccata, servetur usui. Atque hæc simplex præparatio, quâ purum ab impuro segregatur, sine ulteriori alterius rei admistione, ad usum medicum sufficere posset. Si quis tamen eâ ipsâ contentus esse nolit, is ulteriùs procedat, & ad mentem Authoris recipiat

Florum Rosarum rub. ℥ j,
Santali rubri ʒ ij,

Quibus superaffundatur *spiritus vini*, *vel granorum Actes* ℔ j.

Spiritus Vitrioli ʒ j,

Fiatque in leni calore extractio, & colatura, quæ tinctura ad dimidias circiter abstrahatur: *remanente verò essentiâ acidâ* humectetur vel insuccetur sæpiùs

Resinæ Gummi Gamandræ simpliciter admodùm superiùs traditum, paratæ ℥ j,

Quæ denique leni calore cinerum iterum exsiccata pulverisataque, ad suos usus asservetur.

Extractum Holagogum Andernaci.

℞. Specierum Diambræ unciam unam semis,
Spiritus vini libras duas semis,
Aquæ Cinamomi libram unam.

Macerentur simul per dies aliquot in vase probè oblito, ne quid expiret: inde verò fæcibus in fundo relictis, liquor omnis sequentibus speciebus affundatur.

℞. Colocynthidos drachmas sex,
Turbith albi drachm. septem,
Agarici albi & optimi drachmas quatuor,
Veratri nigri drachmas tres,
Eupatorii Mesuæ,
Foliorum Senæ ana drachm. quinque semis,
Diagrydii drachm. quinque,
Rhabarbari electissimi drachmas septem.

Omnia incisa macerentur in liquore supradicto diebus quatuordecim, deinde succolo lineo injecta sub prælo exprimantur. Liquor excolatus in ampullam imponitur, ac in balneo humiditas extillatur, donec id quod in fundo subest, Syrupi acquirat spissitudinem. Tunc in hoc Aloës præparatæ, rursusque in pulverem redactæ drachmæ decem resolvantur, simulque agitando uniantur, quoad crassamentum mellis instar appareat.

Generale est Medicamentum, cunctos in universum humores valenter à remotis partibus evocans ac expurgans; febribus tamen continuis, ac morbis acutis haudquaquam securum.

Aloë sic præparatur. Accipe Aloës optimæ libram unam, Aceti Rosacei partes duas, aquæ Rosarum odoratissimæ partem unam. Amborum horum liquorum hâc proportione junctorum sumatur, quantum satis est: bulliant simul bis, vel ter, colenturque ac exprimantur, & id quod percolatum est, lento igne rudiculâ semper agitando, coquatur ad pristinam Aloës spissitudinem, ac usui reservetur.

ANIMADVERSIONES.

Quæ de *speciebus Diambræ* jam superiùs in animadversionibus *extracti Diacarthami* dicta sunt, hûc quoque meritò referri debent. Nàm quid opus est, tantam dictarum *specierum preciosarum* facere jacturam, cùm illæ nec quicquam *cathartica fortiora* corrigere, nec violentiam eorundem retundere vel directè infringere valeant, nisi fortè indirectè aliquantùm præstare possint: nimirùm quatenus inprimis prohibent, ne *spiritus vini* a dictis *speciebus* sufficienter imbutus, consequenter ad ulteriorem & quidem plenariam *specierum catharticarum* extractionem quodammodo debilis vel inhabilis reddatur: Secundo, quòd

extractum hoc catharticum, ratione partium crassiorum ac terrestrium *specierum aromaticarum* (nam subtiliores & penetrantissimæ earum partes, unâ cum *spiritu vini* in abstractione *extracti* avolant,) in sua quantitate manifestè augeatur, ac ob id ejus dosis postmodum augenda sit. Vellem proinde, ut paululum in mentem revocarent, quæ in præcedentibus *animadversionibus super extractum Agarici* annotârunt, quæque in subsequentibus *extracti Hellebori nigri* innuunt. Cæterum *libram unam aquæ Cinamomi* quod concernit, quæso dicat mihi quis, in quem usum & ipsa addita sit? debet enim ad extremam guttulam usque in abstractione *extracti* ad debitam suam consistentiam exhalare, ut adeò nil quicquam de virtute vel *essentia Cinamomi* aut *aquæ ejusdem spirituosæ & aromaticæ*, cum *extracto* remaneat. Et quis tam stupidæ mentis est, qui asserere ausit, quòd *aquæ Cinamomi semel destillatæ spirituosa & aromatica essentia*, reiteratâ destillatione, cum *aliis speciebus* factâ, denuò non elevetur, sed iisdem quasi compacta remaneat? Igitur ne nimirum iniqui simus in proximum, relinquamus has opiparas, ac nihilominus inutiles correctiones, simplicissimâ & rationi magis conformi præparatione contenti, instituendâ ad normam *extracti Catholici superioris*, vel, si libet, juxtà modum sequentem.

℞. *Deputatas huic extracto species omnes,*
(omissis tamen speciebus Diambræ.)

Quas cum *spiritu vini* reiteratis recentis *spiritûs* affusionibus extrahe, extractionem filtra, & ultra remanentiam quartæ partis in M. B. abstrahe; Huic *liquori* restanti innatantem *resinam* separa, quam lotam ac leni calore exsiccatam pulverisa; *extractum verò liquidum residuum*, ad debitam spissam consistentiam evaporare permitte, cui propriam suam *resinam Amigdalis aliquot* contritam pulverisatamque pariter etiam *Aloën Succotrinam*, vel ejus loco *extractum Aloës* ex arte conjunge, & si opus, additâ particulâ *spiritûs vini rectificati* in justæ consistentiæ *extractum* redige. Quod ipsum si aromatizare velis, eidem aliquot guttulas *oleorum destillatorum*, *nonnullorum Aromatum specierum Diambræ compositionem ingredientium*, adde.

Extractum Marocostinum Mindereri.

℞. Gummi Ammoniaci selectissimi unciam unam semis, dissolve in unciis quatuor aceti Scillitici,
Myrrhæ selectæ rubræ drachmas sex, dissolve in unciis duabus aceti Rutacei,
Aloës Succotrinæ libram unam, dissolve in libris duabus muchari Rosarum, & unciis sedecim succi Limonum,
Agarici Trochiscati drachmas sex, irroretur drachmis duabus aquæ Cinamomi; dissolve in
Succi Apii,
 Fœniculi,
 Absinthii ana unciis tribus,
Rhabarbari selectissimi uncias tres: irroretur aquæ Cinamomi drachmis sex; dissolve in
Succi Cichorii,
 Pimpinellæ,
 Fumariæ ana unciis octo,
Croci Orientalis unciam semis,
Costi Arabici drachmas sex,
Ligni Aloës optimi drachmas duas,
Mari veri unciam semis: dissolvantur in succi Citri unciis quatuor, & aquæ Rosar. quantitate sufficienti.

Misceantur omnia simul diligentissimè; ultimò adde

Aquar. Lupuli,
 Borraginis,
 Betonicæ,
 Cardui Benedicti,
 Agrimoniæ,
 Ivæ Arthericæ,
 Centaurii minoris,
 Rorismarini,
 Cerasorum nigrorum ana unc. sedecim vel quantum satis.

Stent in infusione probè tecta loco calente, vel in Balneo Mariæ rorido per triduum: posteà per inclinationem separentur, filtro diligenter transmittantur, ac cucurbitæ indantur abstrahaturque in balneo omnis humiditas, donec extra-

extracti spissitudo in fundo crassioris mellis instar resideat: quæ leniter postmodùm exili calore penitùs exsiccetur, ut in pilulas effingi queat: servetur pro usu.

CUm præstantissimum hoc Excellentissimi Medicorum Aloëdarium, ad omnes universi corporis humani morbos tàm præservandos quàm curandos accomodatum, ab ipso Auctore publicatum sit, & in omnium ferè manibus versetur, ejusdem virtutes hoc loco recensere supervacaneum duximus.

ANIMADVERSIONES.

SPeciosa hujus *extracti Marocostini* tot tantorumque Virorum applausu & suffragiis stipati, ipsius etiam Authoris peculiari tractatu encomiastico, quem *Aloëdarium* nuncupavit, confirmati præparatio, mehercle magnifici aliquid primâ fronte polliceri videtur; quam tamen si quis intimiùs inspexerit, & pensiculatè ruminaverit, apertè deprehendet, ipsam ne tantillum salis vel acuminis in se reconditam habere, tantoque Virò, ex cujus cerebello profecta est, prorsus indignam esse. Namque primo, quem in finem tot diversæ *aquæ herbarum stillatitiæ* huic compositioni assignatæ sunt, utpotè quæ necquicquam quà corrigendo, quà extrahendo præstare possunt ampliùs, quàm *aqua aliqua simplex aut pluvialis destillata?* Si quid enim spirituosi *præfatæ aquæ stillatitiæ* à suis herbis contraxêre, illud, dum *extractum* ad consistentiam suam inspissatur, evaporare penitùs necessè est: Addo, quòd *aquæ destillatæ simplices*, qualescunque etiam illæ fuerint, ad extractiones *resinosarum rerum* sint inhabiles. Secundò, *Gummi Ammoniacum & Myrrha*, licet juxtà modum ab Authore præscriptum *aceto* nonnihil diluantur; nihilominùs tamen illa ipsa, affusis superioribus *aquis destillatis* iterùm præcipitantur, & vix quicquam ab iis dissolvitur, quod verè dissolutũ dici mereatur, & per chartam emporeticam transeat. Tertiò, quantumvis etiam *Aloë à Mucharo Rosarum* quodammodo dissolvatur; addito tamen *succo Limonum* & ipsa denuò plurimùm præcipitabitur. Præctereà neque *Agaricus Trochiscatus*, utpotè qui *resinosus* est, *succis expressis herbarum* perfectè extrahi potest; Insuper quid ex *ligno Aloës*, si genuinum illud sit & gummosum, *destillata aqua* extrahere possunt; similiter etiam ex *Costo vero*? Quid particula illa *aquæ Cinamomi in Agarico & Rharbarbaro* corrigere poterit, si penitùs iterùm exhalare debet? Et quomodo *Marum verum succo Citri & aquâ Rosarum* dissolvi potest? Herba enim est extractioni, non dissolutioni apta. Utque verum fatear ac summatim dicam, quot ingredientia, tot crassos & absurdos etiam hæc *compositio* comprehendit errores. Ast ne in hisce excutiendis nimius sim, aliam illi substituam præparationem, magis concinnam, magisque efficacem, paratuque faciliorem. Nimirùm

℞. *Pro aquis destillatis ipsarum*
Herbar. vel flor. Lupuli,
Betonicæ,
Borraginis,
Cardui Benedicti,
Agrimoniæ,
Ivæ Artheticæ,
Centaurii min.
Rorismarini ana M ij,
Nucleorum Cerasorum M j, vel ℥ ij.

Incisa & contusa crassiusculè immittantur cucurbitæ vitreæ, quibus superaffundantur.

Muchari Rosarum ℔ ij,
Succor. Limonum vel Citri ℥ xx,
Apii,
Absinthii ana ℥ iij,
Cichorii,
Pimpinellæ,
Fumariæ ana ℥ viij,

stent in loco calido *horis* 24. apposito capitello, posteà destillentur ultrà dimidias; prioris tamen *aquæ magis spirituosæ & odoriferæ*, ℥ iv, circiter sigillatim asserventur, & *reliqua quæ sequitur etiam separatim ad ℔ iij* circiter. Relictæ in fundo cucurbitæ *herbæ* exprimantur, expressum clarificetur, & ad consistentiam *extracti* inspissetur: Si quoque volupe fuerit, poterunt *herbæ expressæ*, affusâ *aquâ recenti*, adhuc parùm coqui: ita enim quæ adhuc reliqua est virtus, penitùs ex ipsis elicietur; quam *extractionem secundam* cum *priori extractione* conjungere, & conjunctim inspissare fas erit. Tum

℞. Gum-

℞. *Gummi Ammoniaci* ℥ j ß,
Myrrhæ selectæ ʒ vj,

Quibus contusis superaffundatur *spiritûs vini rectificati q. s.* pro omnimoda ipsorum extractione, repetitis tamen vicibus; *Extractio filtrata* reservetur. Similiter sigillatim cum *spiritu vini*, reiteratis vicibus, affuso extrahe

Agarici Trochiscati ℥ vj,
Rhabarbari selecti ℥ iij,
Croci Austriaci ℥ ß,
Costi Arabici ʒ vj,
Ligni Aloës opt. ʒ ij,
Mari veri ℥ ß.

Extractio pariter filtrata asservetur: Postremò seorsim etiam *Aloës* ℔ j. *superiori aquâ secundâ per destillationem ex enumeratis herbis prolectâ*, extrahe vel dissolve, (poterunt etiam, si totaliter *Aloë* à prædicta *aqua* non dissolvatur, quæ supersunt ejus reliquæ *unâ vel alterâ librâ spiritûs vini* ulteriùs dissolvi,) & colaturam in M. B. ferè ad siccitatem usque abstrahe. Cui *extracto Aloës*, propemodum exsiccato adde

Extractionem adhuc liquidam Gummi Ammoniaci & Myrrhæ,
Item
Extractionem liquidam Rhabarbari, Agarici, &c. separatim asservatam,
Nec non
Extractum superiùs inspissatum ex herbis & succis.

Ac in M. B. destillando abstrahe vel evoca *spirituosam humiditatem totam*, donec omnia probè unita extracti acquirant consistentiam, quam expetis; Hanc *massam*, si lubet, aliquot guttulis *olei Cinamomi & Rosarum*, loco *aquæ Cinamomi*, quæ alioquin addenda fuisset aromatizare, sicque ad usum reponere poteris.

Nota: *Aquæ illius spirituosæ superiùs asservatæ* aliquot unciæ, possunt pro humectatione *massæ*, quoties *pilulæ* ex ea formari debent adhiberi & hunc in usum sigillatim asservari.

Extractum Melampodii seu Hellebori Nigri ejusdem Authoris.

℞. Radicum Hellebori nigri mundatarum, quantum volueris.

Macerentur in aquâ pluviali calente, vase tecto; hæc ubi per horas aliquot in infusione steterit, ac vires radicum prolectaverit, transcolata seorsim asservetur, & prioribus radicibus alia rursus aqua pluvia fervens affundatur, idque sic ter iteretur. Tandem omnis aqua vim radicum Hellebori habens, juncta ac diligenter colata ampullæ vitreæ indatur, extilleturque inde omnis humiditas, donec extracti spissitudo mellis instar in fundo cucurbitæ resideat.

M*Elancholicum succum, sed alios humores adustos solutu contumaces potenter evacuat: elephantiasi, lepræ, scabiei, arquato, aquæ intercuti, epilepsiæ, ac aliis id genus affectibus opem fert, vermes necat, & animalia in ventre nata propellit: morbis inveteratis ac chronicis, qui levioribus pharmacis non cedunt, medicamentum auxiliare.*

NOnnulli ad extractum hoc parandum aquam Anisi recipiunt, alii alia addunt corrigentia. Nos simplicissimo hoc persæpè contenti fuimus, quando Hellebori malitiam, Aromatum pro ejus correctione sibi jungi solitorum admixtione augeri ac fortificari, purgantemque ejus exorbitantem vim ab his ipsis intendi notavimus. Alias autem descriptiones aut modos Hellebori extrahendi, qui scire voluerit, Quercetanum, Weckerum, Heurnium, & alios consulat.

ANIMADVERSIONES.

SI extractio rerum sit veluti puri ab impuro segregatio, conveniet etiam, ut hujus *radicis extractum* paulò accuratius fiat. Laudo autem in ipsius præparatione inprimis, quòd *aquâ simplici pluviali*, pro cruda *radicum* extractione contenti sint, rejectis *aquis Anisi & aliorum Aromatum* pro fucata rerum correctione alioquin addi solitis, & jam antè à nobis explosis. Ut autem *extractum* hoc subtilius evadat & efficacius, extrahe illud, ità juxta modum præscriptum, *aqua simplici* paratum, adhuc semel *spiritu vini rectificato*, quousque *spiritus* colore rubro tingatur: Videbis enim magnam prioris extractionis partem fæculentam à *spiritu vini* intactam relinqui nec dissolvi, quâ proindè rejectâ, hanc

spiritu

spiritu vini denuò paratam extractionem filtratam in M. B. abstrahendo redige in formam *extracti* justæ consistentiæ.

Quercetani præparatio, ceu nimis intricata & prolixa, tædio afficit Lectorem, ne dum Pharmacopœum, cui ad ejusdem modum *extractum hoc* elaborandum est. Neque verisimile fit, quòd juxta ipsius assertionem in *sale Hellebori fixo* (quem ex fæcibus *radicum extractarum*, igne reverberii secundum artem in cinerem redactis, parare jubet,) *præcipua Hellebori vis purgatrix* resideat, quin hoc ipsum pro commento habendum esse censeam: Etenim ex *centum libris radicum Hellebori* vix *unam atque alteram unciam salis fixi* per incinerationem elicere poteris, & consequenter ex *libra una* vix *scrupulum dimidium*, hinc inde in præparatione vasorum lateribus adherentem; careretne itaque *extractum Hellebori nigri* omni vi catharticâ, prædicto suo *sale fixo* (quod insuper instar *salium fixorum omnium* non catharticâ, sed diureticâ virtute præditum;) destitutum? neutiquam.

Nota: quòd in decoctione *radicum Hellebori* cum *aqua simplici*, si in Alembico illa fiat, *aqua* transeat, acrimoniâ manifestâ imbuta, cujus usus adhuc me latet; Id saltem hâc animadversione in præsens innuere volui; quòd uti superiùs dictum, parùm *salis fixi* ex hisce *radicibus* elici possit, forsitan *salem* contineant *volatilem & acrem* in illarum decoctione pereuntem. Existimem igitur, radicibus ipsis contusis vel in pulverem redactis, aut saltem in vino infusis, Medicos plus præstare posse, quàm iisdem multoties decoctis vel extractis; Ast cuique hâc de re liberum suum relinquo judicium, ac ansam tantummodò præbeo ulteriùs inquirendi. Multoties enim fit, ut nostris nimiùm artificiosis & laboriosis præparationibus subjectum vel medicamentum aliquod per se satis efficax, virtutibus suis privemus potiùs, quàm ut illud exaltemus. Posset itaque, si alicui ita voluntas esset, *essentia liquida* ex illis ipsis *radicibus* parari ad modum sequentem, in *animadversionibus* super *extractum sequens* edoctum: neque enim dubito, quin ipsa singulares editura sit operationes; præsertim si *vino*, vel *menstruo* aliquo appropriato conficeretur.

Extractum Diapæonias D. D. Mindereri.

℞. Radicum & seminum Pæoniæ excorticatorum ana unciam semis,
Ostrutii,
Enulæ,
Zedoariæ ana drachmas duas,
Dictamni albi,
Calami Aromatici,
Corticum Citri siccatorum,
Seminis Dauci Cretici ana drachmam unam semis,
Apii,
Nucis Moschatæ,
Radicis Doronici,
Castorei ana drachmam unam,
Specierum Diambræ incompletarum scrupulos duos,
Foliorum Rutæ siccorum,
Melissæ hortensis ana manipulum semis,
Florum Liliorum convallium pugillos duos,
Visci quercini drachm. unam semis,
Ungulæ alcis scrupulos duos,
Spirit. vini rectific. quantum, sufficit.

Infundantur per triduum, vel quatriduum vase vitreo probè clauso, & stent simul in infusione loco calente; posteà colentur, sed sine forti expressione, quæ postmodùm in B. M. leni igne extilletur, usque dum extracti spissitudo justæ consistentiæ in fundo resideat, quæ in pilulas effingi possit.

Valet in affectibus uterinis & cerebri, maximè si hi complicati sunt, ut sunt epilepsia ex utero; item in frigidis capitis morbis: qui sopores, catalepsin, epilepsiam, & apoplexiam causant; item in suffocatione uterina, vertigine ex utero, &c.

ANIMADVERSIONES.

Singula propemodùm (paucis exceptis) *hujus extracti* ingredientia balsamicum & aromaticum habent odorem & saporem, qui illis, dum tinctura ad *extracti* vel *pilularum massæ*, uti Author vult, consistentiam abstrahitur, ferè totaliter adimitur, atque unà cum *spiritu*

vini evanescit in auras, relicto *extracto spirituosâ & balsamicâ suâ essentiâ* (in qua tamen, uti mea fert opinio, *cephalicorum & hysterico-rum medicamentorum* potissima virtus reposita est;) penitùs orbato. Ne autem hoc fiat, suadeo, ut potiùs loco *extracti crassioris*, ex prædictis *speciebus nobilissimis essentiam liquidam* conficiamus, quæ imprægnata sit virtute earum insigniter penetrante, & nervosum omne genus egregiè roborante. Quæ commodissimè hunc in modum parari posset.

℞. *Species omnes & singulas huic extracto deputatas,*

Quibus incisis & contusis, nec non cucurbitæ vitreæ immissis, superaffunde *spiritûs vini rectificati* ℔ j. appositoque capitello & circumlitis juncturis, locentur in digestionem per unum vel alterum diem: posteà in M.B. destillando totus proliciatur *spiritus affusus, qui prolectus relictis in cucurbita speciebus* denuò reaffundendus & juncturis optimè clausis, uti antea, totus abstrahendus ac studiosè asservandus est. *Relictæ verò in cucurbita species recenti vini spiritu*, repetitis tamen vicibus superfusæ denuò extrahantur, quousque ab affuso *menstruo* tinctura manifestè eliciatur: Hæ ultimæ extractiones posteà filtratæ in M.B. lento igne ad *extracti* consistentiam spissam abstrahantur: Cui *extracto inspissato libram illam superioris asservati spiritûs fragrantissimi* junge, & lenissimo calore digere, ut totum *extractum* veluti dissolvatur, relictis paucis crassioribus fæcibus, quæ juxta artem separandæ sunt: Sic demùm habebis *essentiam*, omnes *aquas cephalicas & hystericas*, quocunque etiam magnifico & pomposo titulo insignitæ sint, multis parasangis superantem: Quam pro libitu ulterius *oleis nonnullis destillatis* aromatizare, aut *Syrupo de Cinamomo* ad nostrum modum confecto, edulcorare poteris.

Extractum pilularum.

Arthriticarum,
Aurearum,
Cochiarum,
Fœtidarum,
Fumariæ,
Sine quibus.

ANIMADVERSIONES.

POssent equidem enumeratarum *pilularum extracta* secundum animadversiones nostras antecedentes *extractorum Holagogi & Marocostini* parari: verùm suaderem, ut quilibet contentus esset *ipsarum pilularum massis crudis*, præsertim *Arthriticarum, Aurearum, Cochiarum, Fœtidarum*, quarum *compositiones* multa ingrediuntur, quorum virtutes (quæ tamen meritò conservandæ essent) in abstractione *extractorum* penitùs exhalant, nisi fortè lubido fuerit *speciebus aromaticalibus* in extractione omissis, ultimò demum *extractis jam confectis*, *olea earundem* pro aromatisatione addere.

Laudanum opiatum.

℞. Opii Thebaici optimi uncias duas,
Succi radicum Hyoscyami mense Augusto collectarum, expressi & inspissati unciam unam.

Macerentur in sufficienti quantitate aceti Rosacei per quatriduum, deinde rursus exiccentur:

His affunde spiritûs vini rectificati eam quantitatem, ut digitis tribus aut quatuor superemineat, sæpius in die agitando; ubi sic per octiduum loco calente infusa steterint, per chartam diligenter transcolentur, & evocetur spiritus vini lege artis lento igne, ut in fundo vasis crassamentum remaneat; interim ex specierum Diambræ completarum unciis duabus extrahatur cum spiritu vini tinctura, cujus tertia pars affundatur crassamento dicto, stent in digestione per mensem, dum graveolentia Opii expiret, agitentur sæpius, paulatim inspissando: ubi spiritus vini maximâ ex parte exhalârit, sensim misce & adde

Salis Coralliorum rubeorum,
Margaritarum,
Succini albi præparati ana scrupulos duos,
Essentiæ Croci Austriaci scrup. unum,
Ligni Aloës resinosi drachm. semis.

Ubi sic per triduum loco tepido steterint, addatur successivè reliqua tinctura specierum Diam-

Diambræ, paulatimque lento igni exsiccando cogatur ad extracti consistentiam;

Hujus medietati adde

Moschi Orientalis scrup. semis,

Ambræ Gryseæ grana septem,

Misce ad usum.

Alteram partem reserva sine Moscho & Ambra.

Hoc divinum remedii genus, quod à laude meritò nomen accepit, ob effectus stupendos in mitigandis acutissimis totius corporis doloribus, etiamsi à variis varios præparationis modos sortitum sit; nos tamen ex probatissimis & optimis hinc inde studiosè collectis & examinatis conficiendi Laudani modis, hunc novum & multâ jam experientiâ comprobatum: Pharmacopœiæ nostræ inserendum judicavimus: salvo tamen omnium meliùs forsitan nobis sentientium judicio, nostrique in posterum Laudani opiati titulo publicavimus; quod tamen non nisi singulari solertiâ præparandum, & maximâ cum cautelâ ægris propinandum seriò monemus.

HÆc extractorum classis meritò pilularum classem subsequitur, quoniam extracta sæpiùs ex pilulis, & vice versâ pilulæ ex extractis formantur & commiscentur. Et quamvis Antecessores nostri plurimùm venerandi, Balsamis artificialibus, salibus item ex vegetabilibus confectis, tum Metallicis medicamentis variis chymicè præparatis, in hac classe locum dederint: quia tamen hoc tempore multò major usus eorundem apud nos invaluit, & omne punctum in verâ & legitima præparatione consistit, illorum numerum & verum parandi modum ad Mantissam Dispensatorii hujus nostri Hermeticam, cui propriè debetur, reservavimus.

ANIMADVERSIONES.

NEque hæc *Laudani* tantoperè laudati *confectio* suis caret difficultatibus, quarum potissimas ordine & succinctâ brevitate recensebo. Harum prima & omnium stupidissima est, quod *Opium* in *aceto Rosaceo* macerare, rursusque exsiccare, hinc illi *spiritum vini rectificatum* ad trium digitorum supereminentiam affundere, & ubi sic per quindecim dies infusum steterit, eundem denuò lento igne evocare, ut crassamentum in fundo remaneat, atque huic crassamento de novo *spiritum speciebus Diambræ essentificatum*, superaffundere, iterumque exsiccare præcipiant. Nam præterquam quòd *Opii cum aceto Rosato* maceratio & resiccatio vera & genuina ejus correctio non sit, (licet vis narcotica additione *liquorum acidorum* saltem tantillum infringatur;) sed illa potiùs, quam in *pilulis de Cynoglosso* annotavimus: stupiditatem etiam auget quòd crassamenta & impuritates, quibus *Opium* quàm maximè scatet, neque in *prima maceratione* cum *aceto*, neque in *secunda infusione cum spiritu vini rectificato*, neque denique in *tertiæ digestione cum spiritu vini Diambrato*, per colaturam vel filtrationem separare ullo modo jusserint; in qua tamen segregatione puri ab impuro, maxima & potissima *Opii* posita est correctio & præparatio. Secundò, quid *spiritus vini Diambratus* communicare potest *Opio*, aut quid in ipso corrigere, cùm in abstractione vel inspissatione *Laudani*, una cum graveolentia *Opii* ejus balsamica fragrantia omninò exspiret & exhalet, relictâ particulâ extracti inutilis, dosin saltem *Laudani* postmodum augente? de quo jam dum superiùs in *animadversionibus extracti Diacarthami & Holagogi* conquesti sumus. Ut nil dicam de *succo Hyoscyami inspissato*, huic *Laudano* addito, quem meo judicio longè consultiùs esset omittere; cùm experientia toties comprobaverit; illum non adeò prudenter *Laudanis* fuisse permixtum, & infelici successu pluriumque ægrotantium damno, in multorum celebrium Medicorum infamiam cessisse. Præstaret autem ejus loco quantitatem *Opii benè correcti* auctam substituere, & *Laudani* hujus præparationem instituere juxta modum nostrum sequentem, in quo ne latum unguem ab ingredientium serie recedo, nisi quod *Mumiam*, tanquam rem inutilem ac nocivam, & dictum *succum Hyoscyami* omittam, ejusque loco ipsum Opium, & vice *specierum Diambræ jam paratarum*, *ipsamet earundem ingredientia*, vel in substantia, vel eorundem *olea destillata* in quantitate huic *Laudano* proportionatâ substituam, utpotè

℞. *Radicum Doronici,*
Galangæ ana ℥ j ß.
Spicæ Indicæ,
Cardamomi majoris ana ℥ ß,
Zingiberis ℈ ij, *gr. v.*
Croci,
Santali citrini,
Piperis longi ana ℥ j,

Quibus contusis superfundantur spiritûs vini rectificati ℔ *ij* plùs minusvè, digerantur aliquandiu: posteà *spiritus tinctus* per filtrationem separatus asservetur; jam ulteriùs

℞. *Opii Thebaici* ℥ *iij*,

Quod frustulatim conscissum & præparatum, uti in *animadversionibus super pilulas de Cynoglosso* edocuimus, extrahe cum *spiritu vini superiùs asservato, & aliquot specierum Diambræ, item Croci essentiis* imbuto: *Extractionem* post unius alteriusvè diei digestionem per filtrum separa *novumque relicto Opio spiritum* superaffunde, ut tota ejusdem essentia eliciatur. Relictum ab *Opio* sufficienter extracto crassamentum inutile rejice, & *extractiones* omnes in M. B. ad *extracti* spissioris consistentiam abstrahe, cui adde

Salis Corallorum,
Margaritarum,
Succini albi præparati ana ℈ ij,
Ligni Aloës opt. gummosi pulverisati ℥ j.
Pulv. Cardamomi minoris ℥ ß,
Cassiæ ligneæ veræ ℥ j ß,
Ambræ in oleis subsequentibus solutæ ℥ ß *gr. iij* ß,
Moschi in particula aquæ Cin. sol. gr. xxv,
Oleor. stillat. Cinamomi ℈ ß,
Caryophyllorum,
Macis,
Nuc. Moschat. ana ℈ j,

Misce, fiat *Laudanum Opiatum*, omnibus ingredientium virtutibus, quantum fieri potuit, impraegnatum.

Nota: posset etiam portio aliqua hujus *Laudani* absque *Moscho & Ambrâ* præparari, & pro iis asservari, qui ipsa ferre nequeunt.

Extractum Melanagogum Quercetani.

℞. Folliculorum Sennæ uncias sex,
Radic. Helleb. nigri præp. unc. duas,
Turbith,
Myrobalanorum omnium ana unciam unam semis,
Trochiscorum Alhandali drachm. sex,
Florum Violarum,
Rosarum rubearum,
Epithymi ana pugillos duos,
Spec. Lætificantis Galeni drachmas duas,
Succorum optimè depuratorum
Fumariæ,
Pomorum redolentium,
Seri lactis ana, quantum satis est.

Incisæ & contusæ species supradictæ lege artis in succis & liquoribus jam dictis macerentur, & digerantur in balneo per odictuum: posteà colentur, exprimantur, depurentur, ac in extractum reducantur.

Atram bilem, ac salsos, adustos & retorridos humores evocat: psoræ, scabiei, ac elephantiasi medetur.

ANIMADVERSIONES.

SI *resinam*, quam aliàs *Turbith, spiritu vini* extractum præbet, non desideras, *extractum* hoc modo præscriptum, *indigitato menstruo* parare poteris; pro *specierum Lætificantis Galeni drachmis duabus*, (si præparatas & pulverisatas accipere nolles, vel si paratæ in Officinis non prostarent) accipiatur singulorum ingredientium dictæ *compositionis Lætificantis*, *trigesima secunda pars*, vel pro qualibet *drachma una*, eorundem *grana duo* circiter.

Extractum Panchymagogum.

℞. Specierum Diambræ unciam unam semis,

Macerentur in spiritûs vini libris quinque, commissuris vasis arctissimè clausis per dies quatuordecim, materiam hanc subinde agitando; tunc ubi spiritus vini rubicundissimus evaserit, à speciebus jam dictis separetur, superfundaturque sequentibus.

℞. Scammonii recentis unciam semis,
Rhabarbari electi,
Seminis Ebuli ana drachm. tres,

Colocynthidos drachmas quinque,
Agarici optimi drachmas tres ſemis,
Turbith albi,
Hermodactylorum ana drachm. duas ſemis,
Veratri nigri drachmas duas,
Foliorum Senæ unciam unam.

Stent ſimul in infuſione loco tepente vel calido per dies decem: poſteà colentur & exprimantur, ac in expreſſo diſſolve Aloës Succotrinæ drachmas duodecim, & prælo exprime; expreſſum rurſus per triduum in Balneo Mariæ macera: deinde liquorem exhala, ut mellis craſſitudinem extracti ſpiſſitudo in fundo reſidens adipiſcatur.

Omnes in univerſum humores expurgat, ac è longinquis partibus potenter educit.

ANIMADVERSIONES.

Quæ de *ſpeciebus Diambræ*, hoc *extractum* in ſatis larga quantitate ingredientibus dicenda eſſent, jam ante in ſuperioribus annotatis; præſertim ſuper *extractum Diacarthami & Holagogi* ſufficienter dicta ſunt. Ne itaque memorem immemorem faciamus Lectorem, ipſum eò relegamus. Cæterùm operæ precium foret, ut *reſinæ*, quas *Scammonium*, *Agaricus*, *& Turbith* præbent, exactè, prout in præcedentibus etiam innuimus, maximè verò in *animadverſionibus ſuper extractum Aloës & Diacarthami, &c.* huic *extracto* commiſcerentur. Reiteratâ affuſione *ſpiritûs vini* hîc opus eſſe, ex antecedentibus ſatis etiam pateſcit; propterea benevolus Lector illa pro libitu revolvere poterit.

Extractum Phlegmagogum Quercetani.

℞. Agarici trochiſcati uncias quatuor,
Hermodactylorum,
Turbith,
Senæ,
Medullæ Carthami ana uncias tres,
Rad. Eſulæ præparatæ unciam unam,
Trochiſcorum Alhandali unc. ſemis,
Salis Gemmæ,
Macis ana drachmam unam ſemis,
Spec. Aromatici Roſati drachm. duas.
Cum aquâ Cinamomi fiat extractum.

Morbis omnibus pituitoſis, & à frigidis humoribus ortis convenit: hydropicos, arthriticos, podagricos, & epilepticos juvat.

Ob quam cauſam in fine hujus claſſis Balſami artificiales cum ſalibus omiſſi, & in claſſem præparatorum reſervati fuerint, Benevolus Lector paginam antecedentem conſulat.

ANIMADVERSIONES.

Quid quantumque *aqua Cinamomi*, quâ extrahendo quâ corrigendo in *extractis medicamentorum purgantium* poſſit, jam ſuperiùs *in animadverſionibus extracti Holagogi* indigitavimus. Si itaque cuipiam tanta copia *aquæ Cinamomi* ſuperſit, & *extractum hoc Phlegmagogum*, *Turbith & Agarici reſinâ* deſtitutum eſſe velit, per me licet, ut præparationem ejus ſecundùm modum præſcriptum inſtituat; minùs tamen efficax *extractum* erit, ac longè debilius, quàm ſi cum *ſpiritu vini* extractio peracta eſſet, nec tamen propter *aquam Cinamomi* omiſſam minùs correctum. *Species* etiam *Aromatici Roſati*, quam eximiam virtutem huic *extracto* addere, quidvè corrigere in ipſo poſſint, ex præcedentibus *extractis*, quorum compoſitionem *ſpecies Diambræ* ingrediuntur, facilè colligi poteſt. Si quis autem huic *extracto* dictas *ſpecies* addere vellet, iſtæ autem præparatæ non proſtarent, is ſingula ingredientia *Aromatici Roſati*, prout in hoc Diſpenſatorio extat, in debito pondere & quidem eorundem *vigeſimam quartam partem*, pro qualibet ſcilicet *uncia una ſcrupulum unum*, & pro quavis *drachma una*, *grana tria*, huic extractioni recenter addere poſſet.

MEDICAMENTORUM PHARMACOPOEIÆ AUGUSTANÆ CLASSIS OCTAVA,

Continens

SERIEM DECOCTORUM ET INFUSIONUM,

Nec-non

Iisdem Annexas Animadversiones.

DEcocti *nomine in hac classe varia occurrunt. Nimirùm* primò *&* *quidem abusivè* species ipsæ compositæ, *ex radicibus, herbis, floribus, &c. craßiusculè incisis* & *contusis (ex quibus alioquin* decocta *parari debent) quæ in usum hunc jam paratæ plerumque in Officinis prostant.* Decoctiones itidem, ex præfatis speciebus *cum* aquâ, vino, aut hydromelle, succis, sero lactis, &c. *factæ & clarificatæ, pro vehiculis utplurimùm aliorum medicamentorum inventæ, interdum etiam per se adhiberi solitæ.* Infusiones etiam ex similibus speciebus & liquoribus *ad eundem usum paratæ*; *Nec non* hydromella, cùm purgantia, tùm roborantia; *Et tandem etiam* potus Hippocratici ex meris speciebus aromaticis & vino *parati, utplurimùm ob saporis gratiam, uti & ventriculum spiritusque vitales restaurandos adinventi.*

Decoctum aperitivum Majus.

℞. Endiviæ,
Cichorii,
Fumiterræ ana manipulum unum,
Eupatorii,
Borraginis,
Buglossæ,
Cuscutæ,
Scolopendrii veri ana manipulum semis,
Glycyrrhizæ rasæ,
Rad. Fœniculi,
Apii,
Petroselini,
Passularum ana unciam semis,
Sem. Anisi,
Fœniculi ana drachmas duas,
Comarum Thymi,
Epithymi ana drachm. unam semis,
Cort. Tamarisci,
Capparum ana drachm. duas,
Foliorum Senæ uncias duas,
Polypodii quercini unciam unam,
Agarici electi unciam semis.

Incidenda incidantur, & quæ contundi debent crassiusculè terantur, & misceantur omnia simul ac usui serventur.

D*Ecocta Officinis plurimùm sunt consueta; etenim ad Medicamenta tàm lenientia quàm purgantia dissolvenda utplurimùm expetuntur; præsertim ubi liquoribus stillatitiis uti non libet. Aperitivo hoc porrò in viscerum obstructionibus & contumacibus eorundem affectibus utimur: diuturnos enim jecoris, lienis, & venarum mesaraicarum infarctus permeat ac expedit, ictero & febribus antiquis, nec non hydropi opportunum.*

ANIMADVERSIONES.

NOn est, ut in hoc & similibus *decoctis* vel *speciebus pro decoctionibus* præparandis diû moremur, cùm unusquisque, qui vel hodiè artem pharmaceuticam auspicatus est, has & similes

miles *species* præparare, incidere & contundere queat; transeamus ergò ad alia.

Decoctum Aperitivum Majus cum Rhabarbaro.

℞. Specierum decocti aperitivi majoris & minoris ana uncias tres.

Decoquantur in aquæ libris sex ad consumptionem duarum librarum. Colaturæ fervidæ infunde

Rhabarbari electi unciam semis,
Cinamomi drachmas duas,
Salis Gemmæ scrupulum unum,
Spicæ Indicæ scrupulos duos,
Specierum Diarhodon Abbatis scrupulos quatuor,
Sacchari uncias duodecim.
Misceantur pro usu.

PRiori longè efficacius: ad contumaces & inveteratas oppilationes adhibetur, hydropi, morbisque frigidis, præsertim pituitosis, aut ex bile mixtâ natis confert.

HOc decoctum planè apud nos in usu esse desiit, quibus infusiones particulares, pro re nata, in quotidiano usu magis receptæ existunt.

ANIMADVERSIONES.

PLurima, de hoc inconcinni & ridiculè consarcinato *decocto* dicenda essent; sed cùm usus ejus, uti ipsimet in *animadversione sua* asserunt, jam eviluerit, judicium meum de ipso suspendam, & cuicunque, qui *animadversiones* antecedentium studiosè perlegerit, relinquam, ac ulteriùs progrediar.

Decoctum Aperitivum, Lenitivum Minus.

℞. Herb. Agrimoniæ,
Lupulorum,
Cichorii.
Cuscutæ,
Betonicæ,
Ceterach,
Endiviæ,
Fumiterræ ana uncias duas,
Rad. Apii,
Fœniculi,
Petroselini,
Acori,
Glycyrrhizæ ana unc. quatuor,
Asari unciam semis,
Sem. Anisi,
Fœniculi,
Polypodii quercini ana unc. unam,
Prunorum Damascenorum,
Ficuum pinguium ana numero triginta duo,
Passularum uncias quatuor,
Senæ Alexand. unciam unam,
Flor. Borraginis,
Buglossæ,
Violarum,
Rosarum rubearum ana unciam unam.

Incidantur & contundantur, ac misceantur omnia simul.

OMnes in universum humores ad expulsionem præparat: incidit enim, tenuat, concoquit, aperit & abstergit, capiti, pectori, ventriculo, jecori, nec non lieni familiare.

PRo Acoro Calamum aromaticum sumendum esse censemus: Palustris enim alter, seu vulgaris plus adstrictionis quàm apertionis habet.

QVoniam non tantùm in hoc, nobis quidem familiarissimo decocto, verùm etiam in aliis numerus Prunorum nimis exiguus ponitur, ita ut unicæ dosi vix medietas unius Pruni tribuatur; proinde unicuique dosi decocti Prunorum numero tria vel quatuor addere, vel pro majore laxandi facultate, etiam duas vel tres foliorum Senæ mundatorum drachmas, in ultimam ebullitionem injicere hactenus soliti sumus.

ANIMADVERSIONES.

ANimadversio Authorum super hoc *decoctum* quoad *Prunorum & foliorum Senæ* quantitatem augendam, non adeò conveniens mihi videtur, eò quòd *Pruna* saltem *decoctum*, quod aliàs à reliquis ingredientibus in deco-

ctione satis crassum viscidumque evadet, adhuc crassius efficiant ac ineptum, quò minùs *vis cathartica foliorum Senæ*, sive eorum, quæ antea *speciebus decocti* addita, sive quæ *singulis dosibus* addi debent, elici vel extrahi possit, quod ipse effectus demonstrat. Nam ℥ ij, *foliorum Senæ*, si saltem *solo vino puro*, nec aliis antea *speciebus* imbuto *in tribus circiter unciis* ejusdem infusæ steterint, *Catharticum* præbent satis efficax: E contrà verò hoc decoctum ex farragine tot ingredientium conflatum, secundùm eorum attributa, humores solummodò incidere, concoquere & ad expulsionem præparare debet. Hinc jam manifestum fit, cur sæpè numero tanta purgantium quantitas, ex quibus quatuor vel plures *doses* sufficientes parari possent, vix illud præstet, quod aliàs exigua sæpè eorundem quantitas legitimè infusa, imò interdum vix ac ne vix quidem, aut omninò leviter saltem alvum subducat: quod sanè ob nullam aliam causam contingit, quàm quòd *decocta* vel *infusiones*, nimiâ quantitate *specierum decoquendarum* graventur; quibus extrahendis impossibile est, ut liquor destinatus par esse possit. Memores proindè sint Medicorum plurimi nostri aliquoties jam in superioribus traditi moniti, quòd *nullum recipiens recipiat vel recipere possit ultrà modum suæ receptivitatis.* Quam regulam si probè observarent, multò leviori negotio ægrotorum corpora peccantium humorum saburrâ sublevarent; nec eorundem crumenam tantoperè laxarent & exinanirent.

Decoctum Capillorum Veneris Mesuæ.

℞. Capillorum Veneris unc. unam semis,
Summitatum Fumiterræ,
Lupuli,
Violarum siccat. ana unciam unam,
Prunorum Hispanicorum, aut Damascenorum numero quadraginta,
Sebesten numero decem,
Jujubarum numero viginti.

Coquantur in libris tribus aquæ lento igne ad consumptionem duarum librarum:
Infunde tandem
Pulpæ Cassiæ fistulæ uncias tres,
Tamarindorum uncias duas,
Rhabarbari optimi drachmas tres.

Frigidum manibus frica, frigefactum cola, & repone.

Bilis flavæ ardorem compescit, sanguinem purificat, ejusdemque fervorem attemperat.

ANIMADVERSIONES.

Equidem muneris mei nunc esset, hujus *decocti* aut nauseosi Embammatis potiùs, præparationem & correctionem tradere: Præstat autem tacere, quàm de insulsa *hac compositione*, quam vel unusquisque Pharmacopœorum discipulus pro ludibrio habet, multa disserere. Et quæso, Lector benevole, perpendas saltem, quàm oculis & ori gratum & jucundum, quàm stomacho & ventri acceptum & delicatum effeceris pulmentum, si ad præscriptam formulam *decocti crassi & ferè mucilaginosi libræ uni pulpæ Cassiæ fistulæ* ℥ *iij, pulpæ Tamarindorum* ℥ *ij*, *& Rhabarbari optimi* ʒ *iij*, addideris; præsertim si hæc ipsa frigida, uti jubent, manibus fricata probè commiscueris, & in pultem similem illi, quâ porci saginari solent, secundùm artem redegeris: Proh quàm non invidendæ dapes!

Decoctum Carminativum.

℞. Sem. Anisi,
Dauci,
Cumini,
Carui,
Fœniculi ana drachmas tres.
Glycyrrhizæ unciam semis,
Florum Chamæmeli manip. semis,
Passularum unciam unam semis.
Incisa misceantur.

Flatus potenter discutit, ob id colicos dolores mitigat. Inditur potissimùm Enematibus, ubi frigida pituita, aut crassi flatus negotium facessunt.

Decoctum Epithymi Mesuæ.

℞. Myrobalanorum Indorum,
Stœchadis Arabicæ,

Passularum,
Epithymi ana unciam unam,
Myrobalanorum Chebulorum,
Fumiterræ ana drachmas quatuor,
Folliculorum Senæ unciam unam,
Polypodii quercini drachmas sex,
Turbith albi drachmas quatuor,
Eupatorii drachmas quinque,
Seri caprini libras tres,

Bulliant omnia simul, præter Epithymum, ad consumptionem duarum librarum, tunc adde Epithymum, & semel fervefac: tolle ab igne, & adde

Hellebori nigri drachmam unam,
Agarici scrupul. unum semis,
Salis Indi drachmam unam semis.

Stent per horas octo, vel decem macerata, facta deinde optima expressione colentur.

Bilem atram ac pituitam salsam vacuat, ob id affectibus melancholicis, ut cancro, elephantiasi, ac fœdæ scabiei medetur.

Decoctum Florum & Fructuum.

℞. Caricarum numero quinque,
Prunorum Damascenorum numero quindecim,
Jujubarum,
Sebesten ana numero viginti,
Tamarindorum unciam unam,
Florum Rosarum,
Violarum,
Borraginis,
Buglossæ ana drachm. unam,
Capillorum Veneris,
Lupulorum,
Endiviæ ana manipulum semis,
Glycyrrhizæ drachmas duas.

Incidantur & contundantur pro usu.

Moderatè refrigerat, lenit & humectat: cor, jecur, & pectus recreat, humores quoque ad commodam evacuationem apparat.

Decoctum Fumariæ Mesuæ.

℞. Suc. Cichorii,
Endiviæ,
Lupuli,
Borraginis ana uncias quatuor,
Fumiterræ uncias octo.

Quibus coctis & purgatis, adde
Myrobal. Citrinorum,
Indorum ana drach. duas,
Passularum mundatarum unc. unam,
Tamarindorum uncias tres.

Coque iterum modicum, frica, cola, & serva.

Sanguinem à bile flavâ & adustis humoribus repurgat, hepatis obstructiones aperit, ac inde natum icterum sanat.

Decoctum Pectorale.

℞. Passularum minorum mundatarum unciam unam,
Sebesten,
Jujubarum ana numero quindecim,
Dactylorum numero sex,
Caricarum pinguium num. quatuor,
Hordei purgati unciam unam,
Glycyrrhizæ unciam semis,
Capillorum Veneris manip. semis,
Hyssopi drachmas duas.

Incidantur, & misceantur.

Pectoris vitiis, utpotè catarrho, tussi, asthmati, pleuritidi, & id genus aliis noxis pectus afficientibus utile existit; thoracem lenit, & ab humoribus eidem impactis repurgat.

Decoctum Senæ D. Gereonis.

℞. Folliculorum Senæ unc. unam semis,
Foliorum Senæ unciam unam,
Zingiberis drachmam unam,
Seminis Anisi drachmas duas,
Florum Borraginis,
Violarum,
Rosarum rubearum,
Arantiorum ana drach. duas,
Polypodii quercini unciam semis,
Passularum purgatarum uncias duas,
Sebesten,
Prunorum ana numero duodecim,
Aquæ fontis libras quatuor.

Fiat decoctum secundum artem, ita ut Sena parùm ebulliat, & vas optimè obturatum, per sex horas dimittatur: deinde exprimatur.

Affectibus melancholicis, quartanis, cancro, lui venereæ, & similibus idoneum.

Plura alia decocta, utpotè decoctum Eupatorii, Galli veteris, cujus in colica usus est, Myrobalanorum, Stœchadis, Chephalicum item & Cordiale, qui nosse eorundemque usum inire voluerit, videat Mesuæum, Andernacum, Johannem Jacobum Weckerum in Antidotario speciali lib. 2. Florentinos, & alios explicatam horum doctrinam fusè tradentes. Nos usitatiora solùm ac magis consueta huc apposuimus; cætera namque ad prudentis cujuscunque Medici præscriptum quotidiè parari poterunt.

Infusum Seri Lactis Mesuæ.

℞. Foliorum Rosarum recentium completarum mundatarum unc. duas,
Rhabarbari electi drachmas duas, grana duodecim,
Nardi Indicæ drachmam unam semis.

Rhabarbarum, & Rosæ similiter & Spica minutim incidantur, macerenturque per noctem in Seri lactis caprini libris duabus: deinde colentur, ac leviter exprimantur.

Sanguinem depurat, bilem quoque flavam, tenues & calidos ichores eidem admixtos clementer ac sine molestiâ educit, & erisypelata juvat.

Infusum aliud Seri Lactis.

℞. Florum Borraginis,
Buglossæ,
Fumiterræ,
Epithymi ana manip. semis,
Polypodii quercini drachmas sex,
Fœniculi drachmas duas,
Folliculorum Senæ unciam semis,
Aquæ lactis libras tres.

Fiat decoctio ad tertiæ partis consumptionem, & addantur
Mellis Rosati unciæ duæ.

Adustos homores temperat & expellit, cutem à scabie ac prurigine mundificat.

Infusum Hieræ Mesuæ.

℞. Hieræ simplicis,
Aloës ana drachmas quinque.

Macera decocto Epithymi suprascripto ad libram unam in vase vitreo, & insola dies decem.

Ventriculum & caput expurgat: proinde amborum doloribus assiduis, ac hemicraniæ confert, nec non febribus antiquis, & morbis melancholicis auxilio est.

ANIMADVERSIONES

In Decocta Carminativum, Epithymi Mesuæ, Florum & Fructuum, Fumariæ Mesuæ, Pectorale, Senæ D. Gereonis, Infusum seri lactis Mesuæ, Infusum seri lactis aliud, & Infusum Hieræ Mesuæ.

Pauca, quoad præparandi modum, ventilatione digna circa *hasce compositiones* occurrunt, excepto unico, quod ad disquisitionem vocare libet. An nimirùm, ubi *decoctio ex diversis ac pluribus speciebus* fieri debet, *species ingredientes omnes & singulæ unà & simul coquendæ sint*, *& quid prius quid-ve posteriùs, item quænam faciloris difficiliorisque cocturæ sint?* Scio equidem tritum illud Pharmacopœorum præceptum, quòd *primò radices, secundò stipites, tertiò folia, quartò fructus, quintò semina, sextò flores, &c*, (si hæc omnia uni composito simul deputata sint) coctioni committi debeant. Verùm hæc generalis regula insignem patitur exceptionem, ac omninò insufficiens mihi videtur, cùm magna sit diversitas *radicum*, major *stipitum*, maxima *foliorum*, *florum*, *fructuum, ac seminum*, quæ enumeratorum non exigua varietas, hujus præcepti insufficientiam apertè demonstrat. Ego, ut hic sententiam meam exponam, existimo illud primùm coquendum esse, quòd veluti *basis est & fundamentum totius compositi*, à quo nimirùm illud majores suas virtutes mutuari debet. Nam cùm tot tamque diversæ *species* extrahendæ vel decoquendæ, utplurimùm pauco *liquori*, sive is *aqua* sit sive *serum*, vel etiam *Hydromel*, aut quid

quid aliud ab Authoribus hujus Dispensatorii, vel horum compositionum, communiter parcè nimis destinentur; quodlibet aut *menstruum* vel *liquor affusus*, ultrà suum posse, modumque suæ receptivitatis extrahere vel recipere nequeat: proindè remanent *species decocta* potioribus suis viribus adhuc turgidæ, parumque exinanitæ, quibus si totaliter spoliari deberent, diversis affusionibus & decoctionibus opus foret. Cùm autem iterata illa *liquoris novi* suprà *species semel coctas* affusio, neque à Medicis præcipiatur, neque communiter Pharmacopœis fiat; itaque suaderem, ut *species*, quæ basis veluti sunt *decocti*, præsertim si *cathartica*, (non enim loquor hîc de *Aromatibus vel odoriferis*, quæ alium modum efflagitant, quique clarè satis in animadversionibus nostris super præparationem *extracti Diapæonias Mindereri* indigitatur) *species inodora* decoquendæ sint, primò *liquori extrahenti* injiciantur, & cum eo aliquandiu coquantur, donec earum *vis cathartica* vel quævis alia maximâ parte extracta sit; tandem etiam reliquæ crassiores *decocto destinata species* addantur, quæ veluti non primariò, sed secundariò *compositioni* insunt vel adduntur. Hujus rei exemplum exhibere potest *decoctum Epithymi*, & *decoctum Sena*, quorum in illo *folia Sena*, *Turbith*, *Helleborus niger*, *Agaricus* & *Epithymum*, primò coquenda, reliqua autem deinde adjicienda sunt. In hoc autem *folia* & *follicula Sena* & *Polypodium* priùs, secundò *reliqua crassiora*, & postremò demùm sub finem coctionis *odorifera* & *flores*, utpotè *Anisum, flores Rosarum* & *Arantiorum* immittenda sunt. Sed quæris forsitan, quâ ratione multarum *specierum* vires totaliter elici, & nihilominus in exili quantitate *liquoris* asservari queant, ut eò jucundius patienti vel ægrotanti propinari possint? Habes, Lector benevole, exemplum hujus sufficientissimum, *in animadversionibus nostris super extractum Diapæonias*, secundùm quod varias & similes effingere poteris essentias, decocta, potiunculas, &c. si saltem quodammodò cognitione rerum instructus sis, nec in decoctionibus ineptas, mucilaginosas & inter se repugnantes species conglomeres, sed semper unitati, quantum possibile est, studeas.

Hydromel Compositum.

℞. Aquæ fontis libras viginti,
Mellis despumati libram unam,
Salviæ,
Origani ana pugillum semis,
Anisi,
Coriandri ana drachmam unam,
Glycyrrhizæ drachmas duas,
Cinamomi drachmam unam semis.

Bulliant ad consumptionem quartæ partis & colentur.

ANIMADVERSIONES.

Constat hoc *Hydromel* ex solis *aromaticis* & *odoriferis speciebus*, quarum fragrantia in assignata coctura ad quartæ partis consumptionem totaliter expirat peritque: Suaderem igitur, ut minori quantitate *aqua affusâ*, digestioni vel fermentationi solùm committeretur, aut in cucurbita vitrea coctio perageretur, ut *humiditas illa fragrans*, quæ per Alembicum transit, relicto *Hydromelli* denuò jungi posset.

Hydromel Purgans.

℞. Hydromellis mensuram unam, seu uncias triginta duas,
Caricarum pinguium numero octo,
Fol. Senæ electæ,
Polypodii quercini ana unc. semis,
Sem. Anisi drachmam unam,
Cinamomi drachmam semis,
Zingiberis scrupulum unum.

Coquantur ad medias: colaturæ adde
Sacchari candi rubei uncias duas.
Misce, ut artis est.

Datur iis qui Medicamenta catera respuunt, ac interim alvi levatione indigent. Eccoproticon felix pueris, senibus, ac iis quo sedes remorantur, familiare, maximè cum aliquo Diagrydii stimulo addito.

Aliqui Anisum & Zingiber omittunt, dosin Cinamomi duplicantes.

ANIMADVERSIONES.

Ex *animadversionibus nostris superioribus* super *decocta Carminativa, Epithymi, &c.* ubi quid priùs, quidque posteriùs coquendum sit,

sit, indigitavimus, hujus *Hydromellis* præparationem facili negotio haurire poteris. Neque etiam nocebit in memoriam revocare, quæ in proximè antecedentibus *Hydromellis compositi animadversionibus*, ratione adjectorum *Aromatum*, monuimus. Et ut paucis præparationem hujus *Hydromellis purgantis* comprehendamus, coque prius *folia Senæ & Polypodium*, posteà adde *Caricas*, tùm *decoctum* cola & clarifica, in colaturâ hac clarificatâ infunde *Anisum, Cinamomum, Zingiber*, factaque digestione vel ebullitione, in cucurbita suo capitello munita *infusionem* denuò colatam usui reserva.

Hydromel Laxativum Tartarisatum Antimelancholicum.

℞. Aquæ pluvialis destillatæ lib. decem,
Tartari albi optimè contusi lib. unam.
Coque ad casum duarum tertiarum; posteà adde
Fol. Senæ mundatorum unc. quatuor,
Epithymi,
Polypodii quercini ana drachmas sex,
Herb. Scolopendrii,
Fumariæ,
Melissæ ana manipulum unum,
Florum Borraginis,
Violarum,
Genistæ,
Stœchados Arabicæ ana pugillos duos,
Sem. Anisi,
Fœniculi ana drachmam unam.
Coque iterum secundum artem; posteà ubi refrixerit, adde colaturæ
Mellis despumati libras duas.
Coque denuò leviter, sub finem addendo
Salis nitri purgati drachmas sex.
Tandem addito Fermenti pauxillo, stent in fermentatione loco calido, immittendo in peciâ
Foliorum Rorismarini recentium pugillos duos,
Cinamomi interioris acuti drachmam unam,
Galangæ drachmam semis.
Post fermentationem reponatur ad usum.

Virtute singulari præditum est, in humore melancholico & atrabilario præparando, & evacuando, in obstructionibus lienis, venarum item mesaraicarum, & exinde progenitâ melancholiâ hypochondriacâ.

ANIMADVERSIONES.

Antecedentes animadversiones pro *Hydromellis hujus* dextrâ præparatione quidem sufficerent, sed libet clariùs eandem adhuc præscribere: Videlicet, *Tartarum* (cujus meo judicio uncia una vel altera sufficeret, quia impossibile est, ut tanta quantitas *Tartari* in assignato liquore dissolvi queat) in aqua parùm coque; adde posteà *folia Senæ*, quæ optimè percoque, ut virtus cathartica ipsorum extrahatur, & *decoctum* eâdem sufficienter imbuatur: quibus optimè coctis, adde *reliquas radices, herbas, flores*, exceptis *seminibus & melissâ*, & adhuc ampliùs coque, posteà *decocto colato & albumine ovorum clarificato*, adjunge *mel despumatum, semina Anisi, Fœniculi, Melissam, folia Rorismarini, Cinamomum, Galangam & sal nitrum*; quæ junctim denique addito *fermenti pauxillo* ad mentem Authoris fermentationi committe, & peractâ fermentatione cola, usuique reserva.

Potus Hippocraticus.

℞. Cinamomi unciam unam semis,
Zingiberis unciam semis,
Caryophyllorum drachmam semis,
Cardamomi,
Macis,
Granorum Paradisi ana drach. unam,
Galangæ drachmam unam semis,
Seminis Anisi drachmam semis,
Vini libras decem,
Sacchari albi libram unam semis.
Fiat potus secundum artem.

Cerebrum & ventriculum roborat, spiritus auget, vitales facultates fulcit, amissas vires reparat, ac infirmæ coctioni opem præstat.

Jucun-

Jucundior potus Hippocraticus sic aliter paratur.

℞. Cinamomi electi uncias duas,
Zingiberis,
Galangæ ana scrupulos duos,
Nucis Moschatæ scrupulum unum,
Sacchari albissimi uncias sedecim,
Vini albi potentis ac odoriferi libras quinque.

Macerando probè tecta per horas octo, vel decem, postcaque sæpè sæpius percolando redigantur in Potum Hippocraticum, transcolatum liquorem Aromatibus in manicâ Hippocratis contentis semper reaffundendo.

Fiat, ut artis est.

Plures descriptiones ac formulas Potûs Hippocratici, qui perquirere voluerit, Evonymum, Arnoldum, Alexandrum Benedictum, Joannem Langium, Felicem Platerum, & alios consulat.

Potus Hippocraticus extemporaneus simplex Joannis Heurnii.

℞. Cinamomi electi unciam unam semis,
Zingiberis acuti drachmas tres,
Caryophillorum,
Nucis Moschatæ ana drachm. semis,
Granorum Paradisi scrupulos duos,
Piperis scrupulum unum.

Pulverisentur crassiusculè ac macerentur in libra una semis Aquæ Vitæ optimæ, probeque obturato vase cum luto ex farina & aqua facto fiat infusio per sex dies, quæ reposita in cella vinaria quotidiè sæpius agitetur, ad perfectiorem misturam.

Novâ hac atque eleganti ratione ex Aromatibus, spirituosa & vivida illa fragrantia per Aquam vitæ elicitur, quæ miram vim ad Spirituum instaurationem, præsertim in frigidis morbis, obtinet.

Cremor Ptisanæ.

℞. Hordei mundi excorticati libram unam,
Aquæ, quantum sufficit.

Bulliat semel, factâ ebullitione, removeatur prima aqua, & affundatur recens, quæ iterum coquatur ad consumptionem medietatis, ac per pannum coletur.

Tabidis ex usu est, hecticis, consumptis, & à prolixo morbo extenuatis idoneus ac perutilis.

Monendi sunt Pharmacopœi, ne decocta in magnâ quantitate parent: Præstiterit enim species pro decoctis in promptu habere, ut ex iis confestim pro Medici præscripto decoctum recens parari possit; cùm aliàs & mox quidem corrumpantur, & acescant.

ANIMADVERSIONES

In potus Hippocraticos omnes & Cremorem Ptisanæ.

Potus Hippocratici ad delectum potiùs & gustum muliercularum adinventi, diversimodè parari possunt; In aliquibus locis, ubi pro potu matutino divenduntur, simpliciter conficiuntur modo sequenti. Nimirùm accipiunt *vinum*, idque in *aheno* igni ardenti admoto citissimè cum *Saccharo* ebullire sinunt, cui statim in prima ebullitione *Aromata* injiciunt, ac insuper etiam *albumen ovi conquassatum*, si *vinum* aut *Saccharum* non adeò clarum aut purum sit, supperaddunt, factâque unicâ ebullitione, statim ab igne remotum per *manicam Hippocratis* sæpiùs colant clarumque reddunt. Si tamen in minori quantitate & ad nobiliores usus *vinum* hoc parandum esset, suaderem, ut *in cucurbita, capitello suo munitâ vel tectâ* conficeretur, id ipsum permittendo, ut leviter ebulliat, & quod *per Alembicum* prolectum, *liquori in cucurbita restanti* reaffundendo, simulque colando & filtrando: Vel, si lubet, etiam *albumen ovi conquassatum* ante ipsius *in cucurbita* peragendam coctionem addendo, quò eò clarius magisque transparens & perspicuum evadat.

Cremorem Ptisanæ mulierculis & coquis commendamus, quem, ut sale condiant, non obliviscantur.

MEDICAMENTORUM PHARMACOPOEIÆ AUGUSTANÆ CLASSIS NONA,

Continens

PULVERUM MEDICATORUM COMPOSITIONES,

Nec-non

Iisdem Annexas Animadversiones.

Pulvis Senæ præparatæ Montagnanæ.

℞. Foliorum Senæ unciam unam semis,
Zingiberis,
Macis ana drachmas tres,
Cinamomi,
Tartari ana drachmam unam semis.
Fiat pulvis.

ADustos & retorridos humores, melancholicumque succum hoc pulvere purgamus: serosam aquarum colluviem exhaurimus, pituitam salsam & putrilaginem jam conceptam deturbamus, eoque nomine cutis fœditatem, scabiem, lepram, cæterasque ejus generis sordes eluimus.

QUidam Anisum addunt drachmæ pondere, alii Tartarum augent: prædenti cuique suum sit hac de re judicium. Nos huic formulæ assueti felix Medicamentum experti sumus.

Pulvis Tartari Crystallini solutivus.

℞. Crystallorum Tartari,
Foliorum Senæ selectissimæ ana unciam unam,
Cholagogi simplicis drachmas duas,
Seminis Anisi electi,
Cinamomi acuti,
Galangæ minoris ana drachmam unam,
Caryophyllorum drachmam semis.
Fiat pulvis.

PRiore longè valentior: pituitam & bilem, succumque melancholicum, & adustos, ac retorridos humores purgat.

Pulvis solutivus de tribus.

℞. Foliorum Senæ drachmas sex,
Turbith drachmas quatuor,
Rhabarbari drachmas duas,
Glycyrrhizæ,
Sem. Anisi,
Fœniculi ana drachmam unam,
Spicæ Indicæ scrupulum semis.
Fiat pulvis.

INscribitur hic pulvis de Tribus, ob tria Simplicia purgantia, quæ ejus compositionem ingrediuntur, Rhabarbarum nempè Turbith, & folia Senæ. Confert autem hepatis & venarum mesaraicarum obstructionibus, hydropi incipienti, ac ventris inflationibus; crudorum quoque humorum, frigidorum maximè, collectionem è ventriculo & mesenterio ejicit, & Diaphœnici vires æmulatur.

Pulvis solutivus Magistralis Stockstaldi.

℞. Foliorum Senæ Alexand.
Diagrydii,
Hermodactylorum,
Turbith electi ana unciam semis,
Cinamomi,
Zingiberis ana drachmas duas,
Sem. Anisi drachmam unam,

Carda-

Cardamomi,
Galangæ,
Mastiches ana drachmam semis,
Sacchari uncias tres.
Fiat pulvis.

Hydropicis ac veteri ictero fœdatis opitulatur: pituitam namque & bilem purgat, estque Medicis frequenti usu familiaris. Descriptionem ejus vide in Valesco.

Cholagogum simplex, seu Diagrydium sulphuratum.

℞. Scammonii electissimi uncias tres, aut quantum vis.

Crassiusculè tere, & supra chartam bibulam tenuiter ac æqualiter expande, mox superimpone crati, sub quo carbo sit vivus, in quem injice sulphur, suffumigetur Scammonium, & charta tamdiu teneatur supra fumum usque dum Scammonium liquefieri, & chartæ adhærere incipiat: Cave solùm ne comburatur, ideoque à fumo remove, & calcinatum serva.

Cholagogum insuccatum seu Diagrydium Rosatum.

Hoc Scammonium modo dicto præparatum infunde in Mucharo Rosarum bis, & exsicca.

Pulvis Comitis de Warwich, seu Diagrydium Antimoniatum.

℞. Cholagogi simplicis uncias duas, drachmas duas,
Antimonii præparati unciam unam semis,
Cremoris Tartari Crystallini unciam semis.
Fiat pulvis.

Pulvis hic, etiamsi mole parvus sit, virtute tamen maximus existit, citò, tutò & jucundè operatur, humores peccantes blandè educit, vitia ventriculi, nauseam, anorexiam corrigit, biliosos affectus curat, febrili inprimis fomiti expurgando perquàm idoneus; in Italia inter Catholicos receptus, & à Marco Cornachino Professore Medico Pisano, commentario doctissimo in lucem productus est.

Pulvis ad suppositoria communia.

℞. Aloës drachmas duas,
Cumini,
Salis Gemmæ,
Rutæ ana drachmam unam.

Fiat pulvis, qui subigatur cum sufficienti quantitate mellis, & redigatur in glandes.

Alius Acutior.

℞. Aloës unciam semis,
Hellebori albi,
Granorum Colocynthidos,
Centaurii,
Rutæ,
Cumini ana drachmam unam.

Fiat pulvis, qui melle subactus effingatur in glandes, seu suppositoria.

Pulvis ad suppositoria sicca.

℞. Specierum Hieræ Picræ unciam unam semis,
Colocynthidos pulv. drachmas sex,
Hellebori albi pulv. unciam unam,
Salis communis uncia tres,
Farinæ frumenti unc. decem & octo.

Cum vitellis ovorum, & melle despumato quantum sufficit, fiant suppositoria.

Notandum: tametsi Suppositoria hæc alvum sollicitent, ac sedes remorantes evocent; ea tamen mulieribus gravidis haudquaquam tuta existere, prout nec iis, quibus hæmorrhoides molestæ esse solent; his enim vel levissima ex solo melle, vitello ovi, ac modico sale confecta sufficiunt: quibus acuendis nonnulli muscerdam paucâ quantitate indunt.

Pulvis ad vermes seu lumbricos.

℞. Sem. sancti uncias quatuor,
Foliorum Senæ unciam unam,
Coriandrorum præparatorum,
Cornu cervi ana drachmam semis.
Fiat pulvis,

IS est Officinis nostris usitatus, aliis alii sunt in usu, Venetorum, Ferrariensium, Nursini, & aliorum qui requirit, consulat Foësii Pharmacop. Sect. 9. de Pulveribus.

Semen sanctum, est semen Absinthij Seriphii, quod aliàs Santonicum dicitur. Officinæ semen hoc passim vocant semen lumbricorum, quod ipsum vulgus Wurmsamen *appellat, eò quod id vermes & lumbricos evocare ac expellere sit edoctum.*

Pulvis contra Abortum.

℞. Granorum Chermes drachmas unam,
Santali rubri drachmam semis,
Caryophillorum scrupulum unum,
Nucis Moschatæ scrup. duos,
Rad. Torment. drachmam semis,
Margarit. præparat.
Corallii utriusque præparati ana scrupulum unum,
Foliorum Auri numero tria,
Manus Christi perlatæ drachm. tres.
Fiat pulvis.

Datur gravidis ad præcavendum abortum ex ovo sorbili, vel vino odorifero, idque non unâ tantùm vice sed sæpius, pondere scrupuli dimidii, vel etiam unius; aut admiscetur Tragæis prægnantibus usui futuris.

CLarissimus Vir D. D. Joann. Udalricus Rumlerus, Collega noster observandus, ex priorum Medicorum August. traditione sequentem pulveris contra Abortum descriptionem in hanc Pharmacopœiam fideliter contulit. Ea sic habet.

℞. Rosarum rubearum,
Mastiches,
Ligni Aloës,
Margarit. præparat.
Corall. rub. præparat. ana scrupulum semis,
Spicæ Indicæ,
Macis,
Been utriusque,
Cinamomi electi,
Santali Citrini,
Cardamomi minoris,
Succini albi ana grana quindecim.
Fiat pulvis.

Ex hoc additis Sacchari albissimi unciis tribus Tragema paratur, quod gravidis à pastu magnâ utilitate exhibetur.

Pro Sacccharo communi Saccharum Rosatum Tabulatum nonnunquam assumitur, aut confectio Manus Christi Perlata.

Pulvis Adstringens Galeni.

℞. Aloës,
Mannæ Thuris,
Corticum Pini,
Terræ Lemniæ,
Boli Armenæ,
Lapidis hematitidis,
Succi Hypocistidis,
Croci,
Gallæ Omphacit. ana drachm. unam,
Fiat pulvis.

Pulvis Anonymus.

℞. Sem. Papaveris albi drachmas duas,
Portulacæ,
Cydoniorum,
Malvæ,
Bombacis ana drachmam unam semis,
Quatuor frig. major. excort. ana drachmam unam,
Gummi Arabici,
Tragacanti,
Amili ana drachmas duas,
Hypocistidis,
Boli Armenæ orientalis præparatæ,
Cornu Cervi usti,
Rasuræ Eboris,
Cicerum rubrorum ana drach. semis,
Cinamomi drachmas duas,
Penidiorum unciam unam semis,
Sacchari Canariæ uncias sex.
Misce, fiat pulvis.

Tabidis Phthisicisque prodest; ulcera enim pulmonum lenit, abstergit, & glutinat: tenues ac salsos catarrhos sistit & incrassat, faucium asperitatem mitigat, ac destuxiones acres ad pulmones devolvi prohibet.

Non-

Nonnulli huic Liquiritiam, Rosas, semen Althææ, Corallia, species Diatragacanthi frigidi, aut Pulmonis vulpis præparati nonnihil addunt; verùm hæc pro varia Medici prudentis intentione quocunque tempore adjici possunt.

Similis ferè pulvis extat descriptus apud Valescum, pulvis Haly dictus, easdem vires cum priore obtinens; cujus descriptio hæc est.

℞. Sem. Papaveris albi drachm. quinque,
Gummi Arabici,
Amyli,
Tragacanthi ana drach. unam semis,
Sem. Portulacæ,
Gossypii,
Althææ,
Malvæ ana drachm. duas semis,
Quatuor frig. major. excorticatorum,
Cydoniorum mundatorum ana drachmas tres semis,
Spodii præparati,
Succi Liquiritiæ, vel potiùs pulveris ejus ana drachmam unam semis,
Penidiorum ad pondus omnium.
Misce, fiat pulvis.

Notandum: Pulverum horum semina frigida continentium non nimiam unâ vice quantitatem præparari debere, ne pulvis diuturniore situ evadat rancidus.

Pulvis Bezoardicus D. Nicolai Præpositi.

℞. Boli Armen. cum aceto præparatæ uncias tres,
Terræ Sigillatæ,
Coriandri præparati,
Specierum Diamarg. frig.
Rad. Tormentillæ,
Dictamni vulgaris,
Angelicæ,
Scabiosæ ana drachmas duas,
Sem. Acetosæ,
Citri mundati,
Rutæ,
Cardui Benedicti,
Cornu Cervi usti,
Doronici,
Charabe ana scrupulos quatuor,
Rosarum rubrarum,
Corallii utriusque,
Ligni Aloës,
Serici crudi,
Santalorum omnium,
Margaritarum perforatarum,
Ossis è corde Cervi ana drach. unam,
Smaragdorum,
Ambræ ana scrupulos duos,
Moschi scrupulos quatuor,
Croci grana quindecim,
Camphoræ grana decem,
Fiat pulvis, vel cum Syrupo è Ribes fiat in modum Opiatæ.

Adversus pestiferæ luis insultus efficax, cordis vires eximiè tuetur, Spiritus vitales fulcit, internas putredines abolet, & contagiosis quibuslibet morbis adversatur.

Pulvis Electuarii de Bolo.

℞. Boli Armen. præp. aquâ Rosarum unciam semis,
Rad. Tormentillæ,
Angelicæ ana drachmas duas,
Corallii rubri,
Rasuræ Eboris,
Cornu Cervi,
Rosarum rubrarum ana drachmam unam semis,
Sem. Melonum,
Acetosæ,
Citri mundati,
Juniperi,
Bombacis mund. ana drachm. unam,
Anisi,
Fœniculi,
Cinamomi,
Xyloaloës (aut Santali Citrini,)
Macis ana drachmam semis.
Fiat pulvis.

Simplicior à nonnullis sic paratur.

℞. Boli Armen. unciam semis,
Rad. Tormentillæ drachmas duas,
Angelicæ drachmam unam,
Sacchari ad pondus omnium,
Fiat pulvis.

UTerque febribus malignis, pestiferis, ac contagiosis potenter resistit, eorumque insultus reprimit, spiritus extingui prohibet, eosdemque evanidos reparat: sudores evocat, ac pestilentis luis noxas disjicit.

Pulvis Cachecticus Quercetani.

℞. Limaturæ chalybis cum sulphure calcinatæ unciam unam,
Fæculæ radicum Aronis drachmam unam semis,
Ambræ gryseæ drachmam unam,
Essentiæ Coralliorum,
Margaritarum ana drachmas duas,
Cornu Cervi Philosophicè præparati,
Succini præparati,
Cinamomi ana scrupulos quatuor,
Sacchari ad pondus omnium.
Fiat pulvis.

IN curanda omnis generis cachexia, & depravatorum humorum colluvie educenda, præsentaneum est remedium: leucophlegmatiam, & morbum virgineum feliciter curat, pallorem vitiosumque colorem tollit, massam sanguineam utriusque sexus purificat, & à variis corruptionibus tutam præstat.

Pulvis ad calculum.

℞. Radicum Saxifragiæ albæ,
Petroselini,
Pimpinellæ,
Liquiritiæ,
Ononidis ana drachm. duas,
Baccarum Alkekengi unciam semis,
Juniperi drachmam unam,
Sem. Milii Solis,
Fœniculi,
Erucæ,
Dauci Cretici,
Violarum purpurearum ana drachmam unam,
Lactucæ,
Papaveris albi,
Quatuor frigidorum majorum excorticatorum,
Hyoscyami albi ana drachmam semis,
Herniariæ Hollerii drachmam unam,
Gummi Cerasorum nigrorum drachmas duas,
Tragacanthi drach. unam,
Terebinthinæ ad duritiem in aqua Malvæ coctæ drachmas duas.
Magisterii oculorum cancri,
Salis succini ana scrupulum unum,
Lapidis Judaici,
Spongiæ,
Nephritici singulorum præparat. ana drachm. unam,
Cantharidum grana sex,
Sacchari Candi uncias duas.
Misce.

COmpositionem hanc, pulveris ad calculum multâ sibi experientiâ probati, Vir Excellentissimus D. D. Marcus Banzerus Facultatis Medicæ in Illustri Academia Wittenbergensi Professor, Collegii Medici Decanus & Senior, Collega noster plurimùm honorandus, nobis communicavit, quem etiam suo merito hic inserendum duximus.

Pulvis ad Calculum alius.

℞. Sem Milii Solis,
Saxifragiæ ana drachmam unam,
Lactucæ.
Hyoscyami,
Papaveris albi ana scrupulos duos semis,
Quatuor frigid. majorum ana scrupulos duos,
Glycyrrhizæ scrupulos quatuor,
Trochisc. de Halicacabo drachmam unam semis,
Rad. Pimpinellæ,
Sem. Genistæ ana drachmam semis,
Sacchari uncias duas.
Fiat pulvis.

DAtur nephriticis & calculosis ad renum arenulas exturbandas, & ureterum obstructiones levandas ex aquâ Malvæ, aut Ononidis.

Pulvis Avicennæ è Cineribus.

℞. Cinerum Vitri,
Scorpionum,
Rad. Brassicæ,
Leporis,
Putamin. ovorum, è quibus pulli fuerint exclusi,
Lapidis Spongiæ,
Sanguinis hirci præparati,
Lapidis Judaici,
Gummi Juglandis,
Acori ana drachmam unam,
Petroselini,
Dauci,
Pulegii,
Gummi Arabici,
Sem. Althææ,
Piperis nigri ana drachm. unam semis,
Terantur, & simul misceantur.

PRiore longè validior: urinas magis promovet, & calculos potentiùs elidit, nec nisi consideratè usurpandus: qui tamen, ut & prior, nostris raro est usui.

PRo Gummate Juglandis, quod vix ullibi prostat, Gummi Cerasorum commodissimè substituitur: etenim calculis vexatos cum vino potum adjuvat, & ei tenuium partium magna facultas inest.

Pulvis ad Casum.

℞. Terræ Sigillatæ, aut Boli Armenæ,
Sanguinis Draconis,
Mumiæ ana drachmas duas,
Spermatis Ceti drachmam unam,
Rhabarbari drachmam semis.
Misce, fiat pulvis.

PRopinatur præcipitatis, ruptis, contusis, fractis, ex vino astringente, vel cui incoxerint, quæ stringendi vim habent: ut Rosæ, Balaustia, Cytini, Malicorium, Myrti & Rubi cacumina, Sumach, & id genus alia. Hoc vino intincta lintea & expressa, calida parti laboranti circumvoluta, omnem ex ictu & præcipitio offensionem mirificè curant, estque celebre Hispanis nec contemnendum remedium.

Quidam reliqua simplicia ex Avicenna subdupla Rhabarbaro faciunt, etsi æqualia quoque esse possint.

Pulvis ad Dentifricia Moschatus.

℞. Lapidis Pumicis uncias duas,
Ossis Sepiæ drachmas sex,
Corallii rubri præpar. drachm. unam,
Radicis Ireos unciam unam,
Moschi,
Zibethi ana scrupulum semis,
Olei ligni Rhodii,
Nucis Moschatæ destillatæ ana guttas quatuor,
Caryophyllorum guttas tres.
Misce lege artis.

MUcosos dentes à sordibus purgat, eosque dealbat ac mundificat, gingivas quoque stringit, & dentium radices obfirmat.

Pulvis Dysentericus D. D. Johannis Langii.

℞. Maxillarum Lucii cum dentibus,
Priapi Cervi,
Corticum Granatorum,
Cornu Cervi usti,
Boli Armenæ,
Sem. Lapatii acuti ana unciam unam.
Fiat pulvis.

AD omnes alvi fluxus, diarrhœam, lienteriam, & inprimis dysenteriam magnæ est efficaciæ.

Pulvis pro Epithemate Cordis.

℞. Florum Buglossæ,
Borraginis,
Melissæ ana manipul. semis,
Santalorum omnium,
Rosarum rubear. ana drachmas duas,
Corticum Citri,
Sem. Acetosæ,
Ligni Aloës,
Caryophyll. ana drachm. unam semis.
Fragmentorum Lapidum pretiosorum omnium ana drachm. unam;

Doronici,
Beën utriusque,
Succini,
Ossis de corde Cervi ana scrupulos quatuor,
Margaritarum præparatarum,
Corallii utriusque,
Spodii ana drachmam semis,
Croci scrupulum semis,
Camphoræ grana sex,
Moschi grana tria.
Trita omnia probè usui reserventur.

Mira est ejus efficacia in affectibus cordis ejusque palpitatione, syncope, & dejectis propemodùm vitalibus facultatibus: nobilissimum enim viscus sopitum, & veluti tenebris aut caligine occæcatum excitat, melancholicis, splenicis, tristibus & desperantibus succurrit, in pestilitate cordis spiritus refocillat.

Pulvis pro Epithemate Hepatis.

℞. Santali rubri,
Albi,
Citrini ana unciam semis,
Rosarum,
Corallii,
Spodii ana drachmam unam,
Camphoræ scrupulum unum.

Hepatis inflammationi confert, ejusque exæstuatione temperat. Adhibetur cum aqua Endiviæ, Rosarum, Acetosæ, & Aceti parte aliqua.

Pulvis Griseus Cæsaris contra Pestem.

℞. Rad. Pimpinellæ,
Gentianæ,
Tormentillæ,
Serpentariæ,
Foliorum Rutæ,
Absinthii,
Nucum Juglandium seu Regiarum,
Granorum Juniperi,
Aceti Rosati,
Theriacæ electæ ana unciam unam,
Misceantur omnia simul.

In præservatione, & curatione pestis plurimùm valet.
Quidam addunt Castorei unciam semis.

Pulvis Hystericus.

℞. Rad. Dictamni albi drach. tres,
Zedoariæ drachmam unam,
Cort. Citri sicci,
Sem. ejusdem ana scrup. duos,
Fragmentorum Lapidum pretiosorum omnium ana grana duodecim,
Spec. Diamargariti calidi drach. duas,
Sacchari albi unciam unam.
Fiat pulvis.

Uterinos dolores placat, ejusque expurgat illuviem, menses quoque retardantes & secundas moram trahentes propellit: animi defectiones ob vapores ab utero sublatos ortas arcet, ac matricis suffocationem abigit.

Pulverem hunc multæ utilitatis, & experti in muliebribus morbis prædictis juvamenti, Clariss. Vir D. D. Joan Udalricus Rumlerus Collega noster observandus, ex prædecessorum nostrorum Pragmaticorum celebri usu fidelissimè nobis tradidit.

Pulvis Marchionis seu Epilepticus.

℞. Radicum Pæoniæ maris decrescente Lunâ effossarum unciam semis,
Visci quercini,
Rasuræ Eboris,
Ungulæ Alcis,
Spodii,
Unicornu, vel ejus loco Cornu Cervi ex apicibus desumpti,
Corallior. rubeorum,
Alborum,
Margaritarum præparatarum ana drachmam unam,
Foliorum Auri puri numero viginti.
Fiat pulvis.

Prodest hic pulvis apoplecticis, epilepticis, ac incubo laborantibus, intemperiem cerebri humidam corrigit, & nocturnos terrores fugat.

Pulvis ad Nasalia.

℞. Calaminthæ,
Majoranæ,
Rad. Ireos,
Castorei,
Sem. Nigellæ,
Staphisagriæ ana scrup. unum,
Hellebori albi,
Pyrethri,
Nucis Moschatæ,
Myrrhæ rubeæ,
Euphorbii ana scrupulos duos.

Conterantur singula, deinde cum Ladani drach. sex & melle modico formentur Nasalia.

Sternutationem potentissimè cient, ac crassa per nares phlegmata evocant, lethargo ac epilepsiæ prosunt, catalepticos & attonitos juvant: sed cautè iis utendum, præsertim in corporibus nondum purgatis, ne subita humorum per irritationem tàm fortem præcipitatio, suffocationis repentinæ periculum inferat.

Pulvis partum provocans,

℞. Cinamomi drachmam unam,
Croci drachmam semis,
Cassiæ ligneæ veræ scrupulos duos,
Succini albissimi scrupulum unum.
Fiat pulvis.

Ad partus labores facilitandos utiliter exhibetur: eosdem namque accelerat, & fœtus exclusionem promovet. Datur ex aqua Liliorum alborum, Consolidæ regalis, aut alterius consimilis.

Alius Helidei de Paduanis.

℞. Cinamomi,
Croci ana scrupulum unum,
Boracis scrupulos quatuor.
Detur ex aqua Artemisiæ.

Usitatissimus ac expertissimus quondam erat hic pulvis Helideo de Paduanis Medico Bononiensi eximio, qui eundem secretum sibi adeò habebat, ut non nisi fidissimis amicis aut prædilectis discipulis eum communicaret.

Augetur horum pulverum efficacia, si eis testiculorum equinorum aridorum, aut julorum nucum Juglandium pulvis admisceatur, quod pro prudentis Medici arbitrio & exigentis necessitatis occasione fieri poterit.

Pulvis ad Dystokiam.

℞. Pulv. Cinamomi unciam unam,
Succini albi præp. unc. semis,
Boracis,
Hipposorcheos ana unc. unam,
Croci scrupulos octo.

Omnia in tenuem pollinem redacta misceantur.

Prædictis duobus ad partum proficuis pulveribus, etiam hunc tertium apud nos experientia & multiplex usus, in expellendis præsertim secundinis addidit.

Pulvis Pleuriticus.

℞. Mandibularum Lucii præparatarum,
Dentis Apri usti præparati ana drachmas duas,
Lapidum Percarum,
Talorum Leporis,
Oculorum Cancri præparatorum,
Lucii piscis præparat.
Sem. Cardui Benedicti,
Artemis. rubræ ana drach. unam.
Misce, fiat pulvis.

Contra omnes laterum puncturas in pleuritide tam spuria, quàm exquisita, etiam in epidemia illa, quâ doloris vehementiâ multi jugulantur, ad dolores mitigandos, inflammationes resolvendas; sudoresque eliciendos, singulare est remedium.

Pulvis Rubeus Cæsaris contra Pestem.

℞. Myrrhæ electæ,
Croci ana drachmam unam,
Ossis de corde cervi scrupulos duos,
Cornu cervi drachmas duas,
Dictamni Cretici,
Tormentillæ,
Pimpinellæ,

Gentianæ ana drachmas duas, scrupulos duos,
Zedoariæ,
Zingiberis ana drachmas tres,
Sulphuris vivi,
Boli Armen. veræ ana drach. quatuor,
Camphoræ scrupulos quatuor,
Theriacæ Andromachi,
Mithridatii optimi ana drachmas sex,

Fiat omnium pulvis, aspergendo aquæ vitæ modicum, ut est artis.

IS Anno Christi 1572. quo Pestis invaluit, nobis fuit frequentissimus, & D. Achilli Gassaro nostro, p. m. familiaris. Sunt & aliæ compositiones plurimæ pulverum Alexipharmacorum, de quibus consule Foësium.

Pulvis Rubeus Pannonicus.

℞. Boli Armen. cum aqua Rosarum & Acetosæ præparatæ uncias tres,
Terræ Lemniæ veræ præp. unc. duas,
Corall. rubeorum præp. unc. dimid.
Alborum præp. drach. sex,
Lapid. pretiosorum, scilicet
Smaragdi,
Rubini,
Saphyri,
Hyacinthi ana drach. quatuor,
Margarit. præpar. drachm. quinque,
Cinamomi electi drachm. duas,
Caryophyllorum drachmam unam,
Seminis Acetosæ drachmas duas,
Corticum Citri,
Santali albi ana drachm. unam semis,
Santali rubri drachmas duas,
Spodii præpar. drachmas quinque,
Rasuræ Eboris drachmas tres,
Croci orientalis drachmam unam,
Unicornu, aut ejus loco, ossis de corde Cervi drachmas quatuor,
Foliorum auri purissimi numero quinquaginta.

Fiat omnium pulvis.

ADversus pestilentium febrium noxas, & contagiosorum ac venenatorum morborum invasiones maximè potens est. Datur puerulis & infantibus, ubi variolarum aut morbillorum suspicio adest: eos namque efficaciter expellit, ac cor à putridi vaporis aut humoris contaminatione tutum reddit. Medicamentum planè regium, unicuique ætati ac sexui familiare & accommodum. Præbetur cum Syrupo Limonum, & Aqua Cardui, Acetosæ, vel Borraginis.

MOnendi sunt Pharmacopœi, quoties margaritæ, corallia, lapides pretiosi occurrunt, ut præparata sumantur.

Pulvis Rubeus Pannonicus alter.

℞. Boli Armen. orientalis præp. unc. duas,
Terræ Sigillatæ veræ uncias sex,
Lapid. pretiosorum, scilicet
Hyacinthi,
Saphyri,
Rubini,
Smaragdi ana unciam unam,
Margaritarum præp. drachm. decem,
Spodii præparati,
Rasuræ Eboris ana drachm. quinque,
Corall. rubeorum præp. drachm. octo,
Alborum præp. unciam unam semis,
Rad. Tormentillæ,
Dictamni ana uncias quatuor,
Unicornu, aut ejus loco, Cornu cervi drachmas sex,
Santali albi drachmam unam,
Radicis Doronici drachmas sex,
Seminis Acetosæ drachmas duas,
Corticum Citri drach. unam, & semis,
Camphoræ drachmas duas.

Pulverisentur singula per se & misceantur, addendo foliorum auri numero quinquaginta, & fiat pulvis.

Si Electuarium velis in formâ solidâ, ita parandum erit.

℞. Specierum supradictarum unc. unam cum dimidia,
Sacchari albissimi uncias duodecim.

Dissolvatur Saccharum cum aquâ Rosarum, & conficiantur rotulæ.

EAsdem quas prior jam dictus vires obtinet, imò valentiores, ob Tormentillæ, Dictamni, Doronici radices, & Camphoram, quorum

quorum quidem occasione sumentibus minus gratus existit, sed plus magis efficax.

Pulvis Saxonicus.

℞. Rad. Valerianæ unciam semis,
Vincetoxici,
Urticæ ana unciam unam,
Polypodii quercini,
Althææ,
Angelic. sylvestris ana unc. duas,
Angelicæ sativæ recentis uncias quatuor,
Cort. rad. Laureolæ Germanicæ quam Kellerßhals appellant, unciam unam semis.

Radices illæ omnes effodiantur eo tempore, quod XV. Augusti & XIII. Septembris intercidit: illæ incisæ reponantur in ollam vitreatam, affuso aceto acerrimo, quod duobus digitis radices excedat, tùm ollâ operculo clausâ, rimæ omnes albo ovi cum farinâ subacto diligenter oblinantur, & sic in olla ad lentum ignem leniter omnia bulliant: postea ollâ opertâ, abjecto quod redundat aceto, radices exsiccentur quoad teri possint: denique contritis omnibus addantur acini herbæ Paris dictæ, numero viginti sex & fiat pulvis.

PUlvis hic in Saxoniâ primùm usurpari cœptus, pesti ac venenis quoque assumptis egregiè adversatur, & deleteriorum vires frangit. Vide Moibani Parabilia in Dioscorid. lib. 2. cap. 143. ibidem varias descriptiones, & usum reperies.

Pulvis Stegnoticus D. D. Caspari Gutmanni.

℞. Lapidis Ætitis nuclei interioris drachmam unam,
Hæmatitis præparati,
Carneoli præparati,
Cornu Cervi usti præparati,
Terræ Sigillatæ veræ ana drach. semis,
Coralliorum rubeorum resolutorum drachmas duas.

Omnia in tenuissimum pollinem redacta misceantur.

AD omnes fluxus sanguineos narium & hepatis sistendos, inprimis menstruam mulierum purgationem superfluam, dysenteriam, diarrhœam, alvi & uteri profluvia alba curanda, singularis efficaciæ existit; à chirurgis etiam nostris in supprimendo vulnerum sanguine plurimùm commendatur.

Pulvis Sternutatorius.

℞. Majoranæ drachmam unam semis,
Betonicæ,
Pyrethri ana drachmam semis,
Hellebori utriusque ana drach. unam,
Pulegii scrupulum unum.
Fiat Pulvis.

LEntam pituitam, ac phlegma crassum, naribus insufflatus vel iisdem affrictus provocat: cerebrum à tenacibus humoribus purgat, & ossis ethmoidei obstructiones expedit.

Pulvis Sternutatorius alius.

℞. Pulveris Tabaci Anglici optimi scrupulos quatuor,
Foliorum florum Liliorum convallium scrupulos duos,
Moschi Orientalis optimi grana quatuor,
Ambræ gryseæ grana tria,
Spiritus Rosarum guttas quatuor.
Fiat pulvis.

ETiamsi pulvis hic posterior delicatior sit priore; certum tamen est, si stimulis antecedentis pulveris careat, quod parvum vel planè nullum effectum habeat cùm plurimi nec Tabaci, nec folior. Lilii convallium usu ad sternutationem commoveantur.

Pulvis Stomachicus D. D. Birckmanni.

℞. Pulv. rad. Aronis præparat. unc. duas,
Acori vulgaris,
Pimpinellæ ana unc. unam,
Oculorum Cancri unc. semis,
Cinamomi drachmas tres,
Salis Absinthii,
Juniperi ana drachmam unam.
Sacchari Rosati ad pondus omnium.
Conficiatur pulvis gustui gratus.

Hic

Hic pulvis ad varia stomachi vitia & dolores conducit, cardialgiæ sive oris ventriculi à succis mordentibus afflicti, & cardiacæ, à virulentis & venenosis humoribus productæ medetur, & quia os ventriculi acutissimo sensu præditum, cum corde, cerebro, & primariis corporis partibus conspirat, earundem etiam partium per consensum læsionibus, prodest.

Pulvis ad Strumam Arnoldi de Villa Nova.

℞. Spongiæ combustæ,
Pilæ marinæ tostæ,
Ossis Sepiæ,
Piperis longi
Nigri,
Zingiberis,
Cinamomi,
Salis Gemmæ,
Pyrethri,
Gallarum,
Lapidis spongiæ ana unc. unam.
Pulverisentur, & misceantur.

Botium reprimit, ac incipientes colli scrophas non tamen malignas discutit: ad strumas insuper abolendas, reiteratâ sæpius ejus assumptione, feliciter exhibetur.

Pulvis Violarum Odoratus.

℞. Iridis Florentinæ uncias sex,
Rosarum rubrarum uncias quatuor.
Cyperi drachmam semis,
Majoranæ,
Caryophyllorum,
Styracis ana unciam unam,
Benionin aut Benzoi,
Santali Citrini ana unciam semis,
Violarum drachmas tres,
Moschi drachmam unam.
Fiat pulvis.

Pulvis hic tametsi ad odoramenta præstanda potissimum expetitur, caput tamen extrinsecus adhibitus eximiè roborat, nec non cordis palpitationi medetur.

Aliqui eundem sic componunt.

℞. Florum Violarum unciam semis,
Rosarum rubrarum unc. tres,
Benzoini unciam unam semis,
Styracis Calamitæ,
Santali Citrini,
Albi ana unciam semis,
Rad. Cyperi rotundi,
Majoranæ ana unciam unam,
Caryophyllorum drachmas duas,
Cinamomi electi drachmas tres,
Rad. Ireos Florent. uncias tres,
Moschi Alexandrini,
Ambræ veræ ana scrupulum semis.
Fiat pulvis crassiusculus.

Pulvis pro ulceribus Gutturis.

℞. Sulphuris vivi uncias quatuor,
Myrrhæ rubeæ,
Aluminis Saccharini ana unc. duas,
Mastiches,
Thuris ana unciam unam,
Pyrethri drachmas sex.
Fiat pulvis.
℞. Hujus pulveris unciam unam.
Vini sublimati libram unam.
Misce.

Pulvis hic nosocomio Gallico à multis annis familiaris, felici successu gutturis antiqua ac fœda ulcera repurgat, & persanat. Utebantur eo quondam D.D. Adolphi Occones August. Medici, ac subsequentes Illustrium ac Generosorum D. D. Comitum Fuggerorum Xenodochiis præfecti, quibus in locis ex piâ & munifica præfati stemmatis fundatione plurimi Syphilide laborantes usque ad plenam sanationem sustentantur.

ANIMADVERSIONES

In Universam hanc Classem concernentes.

Magnam hæc classis complectitur seriem *pulverum medicatorum* cùm *simplicium* tùm *compositorum*, in quorum præparatione vix quicquam occurrit, quod singulari correctione aut peculiari animadversione indigeret. Periti enim Pharmacopœi antea nôrunt, quid priùs aut posteriùs, quæ per se quæque mixta contundi aut pulverisari possint & debeant, quorum solertiæ totum hoc negotium relinquo. Speciales quorundam *simplicium*, utpotè

Cornu

Cornu Cervi, Spodii, Gossypii & similium præparationes, suo loco examinare stat sententia. *Folia auri* quam inutiliter *pulveribus* aliisvè compositionibus addantur, Authores hujus Dispensatorii ipsimet in *Aurea Alexandrina Nicolai* fateri coguntur, utpotè quòd sanè ob nullam aliam causam illis commiscetur, quam ut oculis blandiamur, & conceptam vulgi ingentem in *aurum* fiduciam collocantis opinionem stabiliamus. Quod ad *Ambram* attinet, quæ, si cuidam *pulveri* commiscenda est, ejus dissolutio non *spiritibus vel aquis destillatis*, neque etiam *vino*, sed potiùs *guttulis aliquot olei appropriati & destillati* perficienda est. Præparationes *radicum cum aceto*, præsertim pro *pulvere Saxonico*, non usque quaque nobis arrident, suo loco etiam ventilandæ. In præsens hoc saltem assero, quod si *Laureolam vel ejusdem radicum cortices* exceperis, *reliquæ radices* pro prædicto *pulvere Saxonico* præparatione illâ *cum aceto*, in modum, uti illi sinistrè satis præcipiunt, instituendâ, nullatenùs indigeant. Si tamen omninò eas *cum aceto* præparare velis, ita te geras, nimirum *radices aceto imbutas & humectatas* leniter iterùm exsiccare sine, nec quicquam de *aceto effunde*. Cæterùm *Scammonii vel Diagrydii* præparationem quod concernit, in eo quidem omnes, quotquot de hac præparatione legi, ὁμόψηφοι sunt, quòd nimirùm *Scammonium* supra chartam bibulam expansum, crati, sub qua carbo vivus superimponi, ac *fumo sulphuris* tamdiu suffumigari debeat, quoad illud supra prædictum fumum liquefiat, atque ita præparatum, vel, ut appellant, *calcinatum Scammonium* studiosè asservare jubent. Verùm enim verò, quod pace eorum dixerim, genuina præparatio *Scammonii* nullâ ratione in eo consistit, ut illud suprà *fumum sulphuris* vel ignem liquefiat, sed potiùs ut absque liquefactione lentissimo igne cum illo suffumigetur; quò diutiùs enim *Scammonium fumo sulphuris* imbueris, eo meliùs istud præparabis & vulgariter quidem corriges; Id saltem unicè cavendo, ne liquefiat, aliàs enim *fumus sulphuris* ipsum penetrare nequit; quod tùm ex parte etiam præcavetur, si in cribro parvo supra chartam bibulam collocatum, continuò spatulâ agitetur & commoveatur: Sic namque non facilè liquefit, præsertim si ignis sit lenissimus, ità quidem ut is *sulphur* tantummodò incendere, non autem flammam eructare queat; Etenim à *sulphuris fumo*, non verò intenso ignis calore, *Scammonium* præparatur, & (licet vulgariter) corrigitur.

Cæterum, plura de inconcinnis huic Classi insertis compositionibus dicenda essent, utpote *de Pulvere Rubeo Cæsaris*, item: *de Pulv. Gryseo contra Pestem, &c.* in quas *Theriaca*, *Mithridatium*, acetum ipsum sat largiter ingrediantur, quibusque annexa sint: Factâ nullâ mentione, quomodò quaque arte illa cum reliquis Speciebus in pulverem redigi debeant. Verùm, ludicra hæc sunt, & vix causâ nuce dignæ compositiones, quarum Authores planè inconsideratè *composita compositis cumulantes* scire vel maximè debuissent, non quodlibet ex quolibet fieri, nec quodlibet cuilibet, salvâ legis arte, commisceri posse. Quodque *mel*, ex quo Theriaca & Mithridatium potiori parte constant, *sit succus tenax*, qui neque per se, neque cum aliis speciebus mixtus, verè in pulverem redigi queat, nisi illud totaliter comburere & destruere velimus. Satius ergò si tam ingens farrago Specierum ad has compositiones necessaria fuisset, alexipharmacas, *Theriacum & Mithridatium* ingredientes species his addidisse compositionibus vel pulveribus: non verò Theriacam & Mithridatium ipsum confectum, quæ ex tot *Resinis*, *Succis*, *Gummis liquidis & melle* potissimùm constant, quorum vel nullum trituræ aptum, & ipsa etiam artificiosè diluta & dissoluta; non verò in pulverem redacta Theriacæ & Mithridatio in eorum præparationibus commisceri & dextrè uniri debeat. His igitur obiter tactis, ad alia transitum paro.

MEDICAMENTORUM PHARMACOPOEIÆ AUGUSTANÆ CLASSIS DECIMA,

Continens

ECLEGMATA, SAPAS, LINCTUS ET LOHOCH,

Nec-non

Iisdem Annexas Animadversiones.

DIacodia Linctus *sunt ad* Electuarii *formam vel consistentiam propemodùm accedentia, paulò tamen liquidiora; crassiora vel viscidiora* Syrupis. *Parantur ut plurimum ex* decoctis *&* succis *nonnihil mucilaginosis, quibus Medici materiam tenacem salsam & acrem aut tenuem nimis ad asperam arteriam, pectus & pulmones cum impetu delabentem, inhibere & incrassare, nec non ad faciliorem expectorationem præparare & disponere solent.*

Diacodion Joan. Bapt. Montani, aliàs Syrupus de Siliquis.

℞. Capitum Papaveris albi cum seminibus numero viginti,
Siliquarum dulcium uncias tres,
Glycyrrhizæ rasæ uncias duas,
Aquæ fontis libras duodecim.

Eximantur è siliquis grana, postea decoquantur ad remanentiam librarum trium, deinde exprimantur & colentur: postea adde

Sacchari Candi rubri libram semis,
Penidiorum libram unam.

Decoquantur ad mellis consistentiam.

E*O utimur in tenuibus & acribus rheumatismis, pulmones & asperam arteriam fluxione tentantibus, & continenti tussi pervigilium excitantibus. Nobilissimum inter Arteriacas compositiones Medicamentum, & ex Linctuum genere magnoperè à Montano celebratum.*

Diacodion simplex Galeni.

℞. Capitum Papaveris albi mediocris magnitudinis, nec nimium viridium, nec nimium maturorum numero viginti,
Aquæ pluviæ aut fontanæ lib. tres.

Macera horis viginti quatuor, post coque, donec capita contabuerint, cola, & adde

Mellis libras duas.

Coque ad justam consistentiam.

Fit cum Saccharo eodem modo, item cum Sapâ hac ratione.

℞. Decoctionis prædictæ libras duas,
Sapæ vini dulcis tantundem,
Succi Glycyrrhizæ uncias duas.

Coquantur ad justam consistentiam.

U*Sus ejus est in destillationibus tenuibus è capite in asperam arteriam, ex perpetua tussi insomniam parientibus. Quod si magna humoris copia ex capite circa pulmones constiterit, confectio ex melle melior est, quemadmodum somno opus habentibus ea, quæ ex sapâ constat. Est autem sapa vinum mustum, ad Rob perfecti consistentiam decoctum.*

ANIM-

ANIMADVERSIONES

In Diacodion Montani, & simplex Galeni.

POssunt equidem hæc *Diacodia* juxta modum ab Authoribus præscriptum parari: meo tamen judicio meliùs foret, si in *Diacodio Montani*, prius *decoctum* parares ex solis *capitibus Papaveris*, (exemptis eorum seminibus) *filiquis* & *liquiritiâ*, illudque priùs clarificatum *ad* ℥ *x.* circiter exhalare permitteres, & cum ipso, ut in præparatione *emulsionum* moris est, *semina præfatorum capitum Papaveris* optimè & diu in mortario ad pultis formam contunderes, ità ut ferè totum *semen*, unà cum *supradicto decocto* per setaceum vel colatorium rarum cogi & exprimi possit. Huic *emulsioni crassæ & albissimæ*, lactis cremoris instar, postmodum adde *Sacchari albi* ℔ j ß, & solâ dissolutione confice Diacodion.

Diacodion simplex ad eundem modum parari potest, facto nimirùm prius *decocto ex capitibus Papaveris seminibus suis castratis*, quo clarificato ex *seminibus contusis*, *emulsionem* conficias crassiorem, quam *melli* vel *Sacchard* uti superiùs factum, artificiosè addas.

Nota: de *Sacchard Candi & Penidii* quid sentiam, animadversiones nostræ in *Syrupum Capillorum Veneris* demonstrabunt.

Diacodion Actuarii.

℞. Capitum Papaveris, magnitudinis mediocris, non nimium humidorum, nec omninò aridorum numero tredecim,
Rosarum rubearum drachmas duas semis,
Croci Orientalis,
Acaciæ,
Glycyrrhizæ ana drachmam unam,
Boli Armen. unciam semis,
Cinamomi electi,
Rad. Consolidæ majoris,
Hypocistidis,
Balaustiorum ana drachmam unam,
Myrti,
Dauci ana unciam unam,
Corallii utriusque,
Sumach,
Sanguinis Draconis,
Florum Althææ ana drachmas duas,
Sem. Portulacæ drachmam semis.

Capita Papaveris in aquâ pluviali aut fontanâ duobus diebus macerato; postridie ad tertias coquito, & decoctum expressum cum mellis optimi libris duabus ad justam consistentiam bulliat: postremò deposito ab igne vase species subtilissimè tritas adjicito, ac benè unito. Quod si solidiorem compositionem efficere volueris, decoctum expressum prius jam dictum cum sufficienti quantitate Sacchari decoquito, accipiendo ad libram unam Sacchari, specierum ingredientium unciam unam. Fiat confectio in rotulis.

Cœliacis, dysentericis, lævitati intestinorum ac alvi profluviis prodest: sanguinis sputo medetur, & acres tenuesque fluxiones ad thoracem devolvi prohibet.

AUctor in textu legit Hali. Est autem Halus Halum sive Alum herba, quæ Symphytum petræum, aut Consolida saxatilis dicitur, in cujus defectu radices Consolidæ majoris rectè substituuntur.

ANIMADVERSIONES.

JUxta modum superiùs indigitatum, ratione *capitum Papaveris* eorumque *seminum*, & hoc *Diacodion* confici potest: nimirùm ex *capitibus Papaveris exemptis seminibus* parando *decoctum*, ac cum illo priùs clarificato, & ad libram dimidiam circiter per evaporationem abstracto, ex *eorum seminibus* exactissimè & subtilissimè contusis conficiendo *emulsionem crassiorem*, aut quasi *pulpam liquidam*, quæ deinceps *melli jam ad paulò crassiorem consistentiam cocto* jungatur, & his demùm optimè permixtis, *reliquæ species subtilissimè pulverisatæ* inspergantur. Quod si etiam *succos Acatiæ Glycyrrhizæ & Hypocistidis* separatim in s. q. *decocti Papaveris* nonnihil dissolutos ultimò adderes, efficacius *Diacodion* efficeres. Sin autem *Diacodion solidum* ex iisdem ingredientibus parare lubido esset, procedatur hunc in modum.

℞. *Sacchari pulverisati* ℔ j.

Quam cum prædictâ *emulsione seminum Papaveris* absque coctione suprà ignem dissolve, in modum ac si *Tabulas* vel *Morsulos ex succo Citri vel Berberùm* conficere velles; cui sub finem adde *specierum ingredientium pulverisatarum* ℥ j vel ℥ j ß. Fiantque l. a. *Morsuli* vel *confectio solida.*

Diacodion Solidum.

℞. Capitum Papaveris albi, mediocri magnitudine, nec nimis viridium, neque prorsus siccorum numero viginti,

Aquæ pluviæ aut fontanæ libras tres.

Macerentur horis viginti quatuor, deinde coquantur donec contabuerint capita, & colentur: ad extremum adde Sacchari sufficientem quantitatem, & coquatur, ut est artis.

SUmenda sunt capita Papaveris flaccida inter recentia & arida medio modo sese habentia, qualia ferè sunt pridiè collecta.

ID jam ferè in usu esse desiit, cùm multò jucundius parari à Pharmacopœis nostris soleat in modum sequentem.

Diacodion in Solido usitatum.

℞. Sem. Papaveris albi unciam semis,

Aquæ Farfaræ,

Rosarum ana unciam unam semis.

Fiat emulsio, in aqua dissolve,

Sacchari albissimi uncias quatuor.

Fiat confectio in rotulis.

CReberrimus hujus confectionis usus ad tenues, salsos & acres catarrhos inhibendos ac incrassandos: tussim sedat, faucium asperitatem lenit, & raucedinem à calidis destuxionibus obortam aufert.

ANIMADVERSIONES

In Diacodion Solidum, & Diacodion in Solido usitatum.

EX superioribus animadversionibus horum *Diacodiorum*, exquisitum parandi modum, (quem quidem & illi quodammodo in *Diacodio solido* usitato indigitant,) exactè haurire poteris, observando unicè, ne *emulsionem* cum *Saccharo* coquas, sed solummodo eam supra ignem dissolvas, prout in *confectione Morsulorum ex succo Citri vel Berberùm* fieri assolet. Poterit igitur minor quantitas *aquæ* vel *decocti* pro *emulsione* elicienda accipi, ac *semen* diutiùs & exactiùs contundi, ut ejus major pars cum *aquis* vel *decocto* diluta per setaceum vel colatorium rarum transeat.

Lohoch de Caulibus Gordonii.

℞. Succi Caulium rubeorum lib. unam,

Croci drachmas duas,

Sacchari,

Mellis ana libram semis.

Misce, ut decet, & fiat Lohoch.

RAucedini, & vocis ablationi medetur, ac pectus ab humoribus vitiosis repurgat, nec non spiritum facilitando thoracis levat angustias: priscis forsan magis quàm nobis usitatum Medicamentum, ut qui Brassicæ plurimùm tribuentes, ex ea singulis in corpore membris singula compararunt remedia; nunc nostris raro est usui.

MEsuæ aliter in Pract. cap. de tussi humida præparat. Recipit enim succi Caulium libras quinque, hunc spumam auferendo lento igne coquit ad libras duas: deinde addit sapæ vini, & mellis ana libram unam, atque sic coquendo ad justam perducit consistentiam.

ANIMADVERSIONES.

LOhoch *hujus* genuina præparatio institui potest hunc in modum, videlicet.

℞. *Crocum*, quem cum *succi Caulium rubeorum particulâ* dilue, *reliquum succum* cum *Saccharo & melle* ad consistentiam satis crassam coque; cui, ubi parùm refrixerit, in fine demùm *Crocum* dilutum adde, atque ita Lohoch confice.

Lohoch de Farfara.

℞. Radicum Farfaræ seu Tussilaginis libram unam,

Coquantur in aquâ donec dissolutæ fuerint; postmodùm contundantur, & colentur, addendo.

Mellis libras duas.

Coquantur ad justam consistentiam.

Tabidis prodest, pulmonis ulcera glutinat, faucium ac asperæ arteriæ asperitates lenit, inter Arteriaca medicamenta haud postremum: quod studiò hic apposuimus, ad cujus normam & alia ejusmodi simplicia Lohoch præparari possunt, utpote Lohoch ex Althæa, Enula, Liquiritia & similibus, quibus interdum aromata adjiciuntur, atque imprimis Crocus pectori conveniens.

ANIMADVERSIONES.

Paretur utcunque libuerit, vel ex *decoctione radicum*, vel è *succo ipso ex herba & radicibus Tussilaginis simul sive junctim expresso*, & addito *melle* fiat *Lohoch*.

Lohoch de Papavere Mesuæ.

℞. Papaveris albi drach. viginti quinque,
Amygdalarum dulcium mundatarum.
Nucleorum pineorum,
Gummi Arabici,
Succi Glycyrrhizæ ana drach. decem,
Amyli drachmas tres,
Sem. Portulacæ,
Lactucæ,
Cydoniorum ana drachmas quatuor,
Croci drachmam unam,
Penidiorum alborum uncias quatuor,
Syrupi de Papavere uncias tres,

Omnia incisa & contusa Syrupo de Papavere excipiantur, cujus hæc esto formula.

℞. Capitum Papaveris albi & nigri recentium ana uncias sex,
Sem. Lactucæ,
Florum Violarum ana unciam unam semis.

Coquantur, dum intabuerunt capita, in aquæ cucurbitæ libris octo. Expressum & colatum cum Sacchari libris quatuor, aut Sacchari & Penidiorum ana libris duabus, percoque ad Syrupi crassitudinem.

Efficax est in destillationibus tenuibus, quæ acrem, salsam, tenuem, & liquatam materiam in thoracem demittunt fauces asperant, insomniam ac febrem pariunt: confert etiam febribus ardentibus, dolenti thoraci, & pleuritidi.

ANIMADVERSIONES.

Ex enumeratis hujus *Lohoch Papaverini speciebus*, *maximè verò ex insigni illa quantitate *Gummi Arabici*, *seminis Cydoniorum & Amyli*, egregium *gluten* & *viscum* confici posset, præsertim si *prædictum Gummi* debitè priùs (uti quidem fas esset,) dissolveretur, & *semen Cydoniorum* etiam extraheretur. Nec sanè operæ precium est, ut in hac & aliis consimilibus nugacissimis & rudi Minervâ conscriptis compositionibus emendandis diutiùs calamum conteramus. Nihilominùs tamen si citra labores, & glutinoso hoc edulio appetitum sedare velis, conficias ex *Papaveris capitibus*, *seminibus* exemptis, *decoctum*, quod clarificatum *ad* ℥ *iij* circiter evaporare sinas, quo cum *eorundem capitum semina*, *Amygdalas dulces & nucleos Pineos* exactè & optimè contundas, ut veluti *pulpam liquidam*, vel *emulsionem crassam* acquiras, per colatorium rarum sed setaceum transmittendam, cui loco *Penidii, Saccharum album*, nec non *Syrupum de Papavere* junge, & tandem etiam reliqua solummodò pulverisata, quæ tamen meritò sigillatim dissolvi deberent, uti *Gummi Arabicum*, *succus Glycyrrhizæ &c.* Quinimò omnium optimum esset, hanc & similes compositiones ex Dispensatoriis radicitùs exstirpare, utpotè quæ ipsa valdoperè defœdant & conspurcant.

Lohoch Passularum.

℞. Radicum Pæoniæ drachmas quatuor,
Hyssopi,
Melissæ,
Scolopendrii, seu Ceterach ana manipulum semis,
Glycyrrhizæ unciam semis.

Fiat omnium decoctio in sufficienti aquâ pluviâ, factæ colaturæ cum forti expressione adde:

Passularum minorum in mortario benè contusarum, priùs mundatarum à gigartis & arillis libram unam.

Decoquantur, & per pannum lineum fortiter exprimantur, expressioni adde

Sacchari libram unam.

Fiat Lohoch, ut est artis.

Frequenti usui est nostris ad tussim & pectoris vitia, maximè in puerulis, iisdemque epilepticis, propter Pæoniæ radices ingredientes.

Lohoch de Pino Mesuæ.

℞. Nucleor. Pineorum drachm. triginta,
Amygdalarum dulcium,
Avellanarum assatarum,
Tragacanthi,
Gummi Arabici,
Glycyrrhizæ,
Succi ejusdem,
Amyli,
Capillorum Veneris,
Ireos ana drachmas quatuor,
Dactylorum drach. triginta quinque,
Amygdalarum amararum drach. tres,
Mellis Passularum,
Sacchari albi,
Butyri recentis ana uncias quatuor,
Mellis optimi libras tres, uncias duas.

Terenda terantur, & incidenda minutissimè incidantur, ac melle excipiantur.

Modus confectionis hic est, ut Gummi & Tragacanthum diu macerentur in libris tribus aquæ Capillorum Veneris, donec prorsus mollescant; deinde cribro setaceo transmittantur, & libris duabus mellis optimi misceantur ad lentum ignem, ac rudiculâ ligneâ diu moveantur: posteà ei inspergantur pulveres tenuissimi radicum Iridis, Capillorum Veneris, Glycyrrhizæ, Sacchari & Amyli, & optimè misceantur. Demum utrumque Gummi mistum melli Passularum, in quo priùs fuerit dissolutus succus Glycyrrhizæ, vase ab igne deposito, addatur, & diutiùs omnia agitentur, donec uniantur, addito Butyro recenti, si statim eo utendum sit, sin verò diutiùs fuerit asservandum, paretur absque Butyro, ne rancorem contrahat.

Diuturnæ tussi, difficultati spirandi, & asthmati succurrit, humores in thorace crassos incidit & attenuat, senibus maximè familiare; peripneumoniam quoque ac pleuritidem, inclinante jam febre, juvat.

Pro melle passularum aliqui sapam non ineptè substituunt.

ANIMADVERSIONES

In Lohoch Passularum, & Lohoch de Pino Mesuæ.

Lohoch *Passularum* paretur juxtà modum præscriptum. De *Lohoch de Pino* sanè quid inferam, omninò anceps hæreo, & propemodum obstupesco, quoties ejus præparationem omni prorsùs judicio & ratione carentem mente revolvo, & pensiculatè mecum ruminor; quod ipsum etiam prudenti Lectori accidet, si saltem ingredientia ejusdem diligenter perlegat relegatque, posteà etiam modum confectionis in animadversionibus super eandem factis, fundatum perlustret. Nam primò, si *Gummi Arabicum & Tragacanthum in tribus libris aquæ Capillorum Veneris* macerari & dissoluta per cribrum setaceum transmitti, (quod nil nisi *crassa & viscida mucilago* erit) nec non *libris duabus mellis* immisceri debeant, qualis quæso inde exurget hujus *Lohoch* durabilis consistentia? Secundò, *si utrumque Gummi duabus libris mellis* modò commistum sit, & *pulveres tenuissimi radicum Iridis, Capillorum Veneris, Glycyrrhizæ, Sacchari & Amyli* pariter etiam illis additi & inspersi sint, quomodo *melli Passularum*, in quo *succus Liquiritiæ* dissolutus sit, ea denuò separatim commiscere debeo? Et tertiò, rebus hisce jam unitis, scilicet *libris tribus mucilaginis Tragacanthi & Gummi Arabici, duabus libris mellis, & melle passulato cum succo Liquiritiæ, pulvere rad: Ireos, Capillorum Veneris, Glycyrrhizæ, Saccharo & Amylo*, addito etiam *Butyro*, (ubi statim hoc *Lohoch* utendum erit,) quid deinceps faciendum cum *nucleorum Pineorum unciis tribus drachmis sex, Amygdalarum dulcium, Avellanarum assatarum ana unciâ dimidiâ, Dactylorum unciis quatuor drachmis tribus, Amygdalarum amararum drachmis tribus*

tribus, *& reliquâ librâ unâ cum unciis duabus mellis?* Sunt ne hæc omnia omittenda, vel in qua forma addenda? Verum ne diutiùs in his nugis ventilandis teram tempus, utpotè quæ multum chartæ & temporis requirerent, si accuratiùs excutiendæ essent, addam aliam rationi magis congruam & quodammodò concinniorum (quantum in hac *specierum farragine* fieri poterit,) præparationem. Utpotè

℞. *Dactylorum* ℥ *iv*, ʒ *iij*,
Glycyrrhizæ,
Herbæ Capillorum Veneris ana ℥ ß,
Aquæ simpl. q. s.

Fiat *decoctio ad* ℔ j ß. circiter; *Decoctum colatum* clarificetur, & in *colaturæ hujus clarificatæ unciâ unâ*, dissolve ad pultis formam.
Succi Glycyrrhizæ ℥ ß.

Tum etiam in *prædicti decocti unciis duabus vel tribus* dissolve
Pulv. Tragacanthi,
Gummi Arabici ana ℥ ß, similiter ad consistentiam pultis.

Jam ℞. *Nucleor: Pineorum* ℥ *iij*, ʒ *vj*,
Amygdalarum dulcium excort.
Avellanarum assat. ana ℥ ß,
Amygdalarum amar. ʒ *iij*,

Contundantur diù multumque in mortario cum *prædicto superiori decocto*, ut potior pars illorum cum ℥ *vij vel viij decocti* per setaceum cogi vel transmitti queat, in *qua emulsione* supra ignem dissolve *Sacchari albi* ℥ *iv*, quibus adde *succum Glycyrrhizæ dissolutum* superiùs, item *Gummi Arabici & Tragacanthi mucilaginem*, nec non
Pulveris Ireos,
Amyli ana ℥ ß,

Ac omnibus exactè permistis (ne grumi à *mucilagine* remaneant,) junge tandem
Mellis Passularum ℥ *iv*,
Mellis simpl. opt. clarificati & crassi ℔ *iij*, ℥ *ij*,

Fiatque *Lohoch*. Quod ipsum, si libet, etiam alio modo confici potest, scilicet ex *Dactylis* priùs *cum aquâ vel decocto* parando *pulpam*, quæ ita in substantia *Lohoch huic* addatur; vel etiam cum *decocto superiori* in paulò majori quantitate facto *mel* coquatur & clarificetur, quibus tum reliquæ *species* admisceantur.

Lohoch è Portulaca.

℞. Succi Portulacæ libras duas,
Troch. de Terra Lemnia drach. duas,
de Charabe,
Gummi Arabici,
Sanguinis Draconis ana drachmam unam,
Lapidis Hæmatitis,
Pilorum leporis ustorum ana scrupulos duos,
Sacchari albi libram unam.
Fiat Lohoch, ut est artis.

Sputum sanguinis cohibet, ac ruptis opitulatur pulmonibus: excesa vasa cruorem fundentia glutinat, & anhelitûs vias ab exulceratione tutas reddit.

Lohoch è Pulmone vulpis Mesuæ.

℞. Pulmonis Vulpis siccati & præparati,
Succi Glycyrrhizæ,
Capillorum Veneris,
Sem. Anisi,
Fœniculi ana unciam unam,
Sacchari clarificati uncias quindecim.

Omnia trita tenuissimè Sacchro excipiantur, & ad debitam formam redigantur.

Medicamentum hoc ex Mesue cap. de phthisi desumptum, prodest magnoperè tabidis, consumptis, ac ulceratos pulmones habentibus. Ejus loco aliqui solum pulverem pulmonis Vulpini cum Sacchro Rosato exhibent.

Pulmo recens ex vulpe juvene venatu capta, sanguine, venis & arteriis purgatur, vino albo odorato tepido sæpè abluitur, in clibano siccatur, exsiccatus pulvere Absinthii reponitur.

ANIMADVERSIONES

In Lohoch de Portulaca, & de Pulmone Vulpis.

In hisce *Lohoch*, quod singulariter moneam, non invenio: Quoad *Lohoch de pulmone vulpis*, qualis *liquor* & quantum de ipso pro disolu-

solutione *Sacchari* addi debeat, quilibet peritus Pharmacopœus facilè nôrit, & quidem si pro dissolutione *Sacchari albi* ℥ xvj, *octo uncias aquæ Anisi* addiderit, meo judicio, non aberrabit.

Lohoch Sanum & Expertum.

℞. Cinamomi,
Hyssopi,
Glycyrrhizæ ana drachmas quatuor,
Jujubarum,
Sebesten ana numero triginta,
Passularum enucleatarum,
Ficuum siccarum,
Dactylorum pinguium ana unc. duas,
Capillorum Veneris manipul. unum,
Fœnugræci drachm. quinque,
Sem. Lini,
Anisi,
Fœniculi,
Ireos,
Calaminthæ ana drachmas quatuor.

Coquantur omnia in libris quatuor aquæ purissimæ ad medietatis consumptionem: colaturæ expressæ adde
Penidiorum libras duas.

Coquantur ad perfectionem: posteà insperge subsequentia minutissimè incisa, & contusa.
Pinearum mundatarum drachmas quinque,
Amygdalarum dulcium,
Glycyrrhizæ,
Tragacanthi,
Gummi Arabici,
Amyli ana drachmas tres,
Ireos drachmas duas.

Misceantur subiganturque omnia celerrimè, donec albescat Medicamentum.

Tussi, vocis asperitati & raucedini à frigiditate natæ auxilio est: crassos itidem in thorace & pulmone humores incidit, & extenuat; morbis tamen calidioribus, ut & tussi calidæ suspectum.

Lohoch è succo Scillæ Galeni.

℞. Succi Scillæ diebus canicularibus excepti libram unam,
Mellis libram unam semis.
Coque ad formam Lohoch.

Incidit, tenuat, & expulsioni præparat materiam crassam, quæ thoracis cavo continetur, veterem tussim cum suspirio sanat, suppuratis, asthmaticis, difficulter spirantibus in magnâ puris & lentæ pituitæ copiâ, spiritus vias opprimente, succurrit, prompteque hujusmodi obstructa liberat; senibus perpetuò ejusmodi morbis conflictatis valde necessarium.

Scillas plenas ac nitidas cultello eburneo in partes incidito, ejusque laminas puriores in mortario lapideo contusas exprimito, ac utitor.

Galeni descriptio à Mesuæ non differt, nisi quod Mesuæ succi Scillæ, & mellis ana partes æquales ponit.

Lohoch è Scilla compositum Mesues, aliis Lohoch ad Asthma,

℞. Scillæ præparatæ drachmas quatuor,
Marrubii,
Hyssopi ana drachmam unam,
Iridis drachmas duas,
Myrrhæ,
Croci ana drachmam semis,
Mellis, quantum sufficit.
Fiat Lohoch.

Prædicta omnia valentiùs præstat, anhelam tussim ac senum levat suspiria, pectus à frigida, crassa, tenaci & impactâ iis locis pituita potenter expurgat.

Cum varia Linctuùm genera ab Authoribus passim descripta legantur, nos usitatiores solùm formulas apposuimus. Unde Lohoch de Prasio Pauli, Itemque Lohoch de Psyllio, Tragacantho, semine Lini, Fœnugræci, & alia mucilagines recipientia, utpotè quorum usus ferè eviluit, studiosè prætermisimus,

ANIMADVERSIONES

In Lohoch sanum & expertum: de Succo Scillæ; & de Scilla compositum.

Scio quòd Pharmacopœi multùm se torqueant, ut ad mentem Authorum ori & oculis

oculis gratum *Lohoch* ex præscripta *Lohoch Sani compositione* efficiant, præsertim cùm illud plurimis in locis in frequenti usu sit. Eapropter nonnulli ad gratiam & candorem huic medicamento conciliandum, *species alioquin decoctioni destinatas, affusâ aquæ s. q. destillant; cum aquâ destillatione prolectâ ex Pineis & Amygdalis emulsionem* conficiunt, inque ea *Saccharum* dissolvunt, & tandem reliquos addunt *pulveres:* Per me quidem liceret, ut & deinceps simili ratione conficeretur, licet de *fructibus* utpotè *Jujubis, Sebesten, Passulis, Ficubus, Dactylis* nil quicquam in destillatione virtutis proliciatur; Neque tamen si *decoctum* pararent, minorem imò majorem etiam subtiliorum & spirituosiorum partium, videlicet *Cinamomi, Hyssopi, seminum Anisi & Fœniculi, radicum Ireos, Calaminthæ,* faciunt jacturam, ac insuper etiam *Lohoch* ingratum conficiunt ex *decocto illo mucilaginoso*, quale efficiunt *semen Fœnugræci, Lini, Sebesten, &c.* Igitur ex duobus malis minus eligendum esse existimo; Ut *Lohoch ingrato & mucilaginoso, partibus subtilioribus Aromatum destituto,* contenti sint, vel *magis delicatum, fragrans, oculis & ori gratum, mucilagine tamen & viribus prædictorum fructuum destitutum* efficiant & acquirant *medicamen.* Hoc si arridebit, non necessum erit, ut *dicti fructus* destillationi inutiliter committantur, sed sine illis *exiguâ quantitate aquæ* affusâ (℔ *j* circiter *vel* ℥ *xv*) destillationem instituere præstabit. Cæterùm *Lohoch* è *Succo Scillæ*, & de *Scilla compositum* possunt secundùm artem & Pharmacopœorum judicium præparari.

MEDICAMENTORUM
PHARMACOPOEIÆ AUGUSTANÆ
CLASSIS UNDECIMA,

Continens

Confectionum seu Specierum Aromaticarum Formulas.

Nec-non

Iisdem Annexas Animadversiones.

Huic *classi* Confectionum aromaticarum *plures & diversæ speciei, formæ aut consistentiæ* compositiones *insertæ sunt: Etenim sub nomine* confectionum pulverum *sive* Specierum Aromaticarum, *ex diversis & multifariis ingredientibus conflatarum, magna hic adest medicinarum ubertas.* Species aromaticas *dictas sequuntur* Morselli, Confectiones *scilicet in forma oblonga & quadrata; Item* Rotulæ *aut* Tabulæ *in forma orbiculari, quæ ipsæ* confectiones *maxime familiares & communes sunt, ac ex omnibus præcedentibus* pulveribus *sive* speciebus, *addito* Saccharo *in debita quantitate* (librâ unâ videlicet Sacchari ad unciam unam communiter, vel unciam unam cum dimidia, aut uncias duas specierum prædictarum) *confici possunt, prout etiam* Electuaria, *si* mellis *vel* Sacchari duplum vel triplum *in debita consistentia addas. Post hæc* Pastæ Regiæ, *sive* Panis Marcius: Pignolatæ *itidem*, Morselli, *grandiores scilicet; Item* Species incisæ & grossæ *ac* Trageæ aromaticæ *in forma etiam* pulveris.

Et ultimò demùm Confectiones *propriè dictæ* seminum, fructuum, radicum, corticum, ac aromatum Saccharo obductorum: *Quæ cuncta ad delectum & saporis gratiam adinventa sunt, ex quibus tùm Medicus tùm Patiens ipse eligere possunt, quæ maximè arrident; & ex usu sunt.*

Aromaticum Caryophyllatum Mesuæ.

℞. Caryophyllorum drachmas septem,
Macis,
Zedoariæ,
Galangæ,
Santali Citrini,
Trochiscorum Diarhodon,
Cinamomi,
Ligni Aloës,
Spicæ Nardi Indicæ,
Piperis longi,
Cardamomi ana drachmam unam,
Rosarum rubearum drachm. quatuor,
Galliæ Moschatæ veræ,
Glycyrrhizæ ana drachmas duas,
Folii, aut Macis,
Cubebarum ana scrupulos duos,
Ambræ drachmam unam,
Moschi scrupulum semis,

Cor, ventriculum, & reliqua nutritionis membra roborat: nauseam & vomitum reprimit, flatus dissipat, putredinem humorum in ventriculo arcet, ac infirmæ concoctioni opitulatur.

Notandem: Confectiones has Aromaticas Ambram, & Moschum, ac Galliam, vel etiam Camphoram recipientes, etiam sine his odoratis in usum mulierum, quæ uterinis suffocationibus obnoxiæ sunt, ac fragrantiam vel odorem horum Medicamentorum non ferunt, commodè parari posse, sicque in Officinis nostris dupliciter, completas nimirum & incompletas, extare debere.

Quod si quis ex his confectionem in formâ solidâ parare voluerit, ad singulas drachmas specierum pro earundem conditione (cum aliæ plùs, aliæ minùs Sacchari exigant) Sacchari optimi unciam unam, vel drachmas decem adjiciat, patetque, ut artis est: quam regulam pro speciebus in universum notandam subjecimus.

Aromaticum Rosatum Gabrielis.

℞. Rosarum rubearum drachmas quindecim,
Glycyrrhyzæ rasæ drachmas septem,
Ligni Aloës,
Santali Citrini ana drachmas tres,
Cinamomi electi drachmas quinque,
Caryophyllorum,
Macis ana drachmas duas semis,
Gummi Arabici,
Tragacanthi ana drachmas duas, scrupulos duos,
Nucis Moschatæ,
Cardamomi minoris,
Galangæ ana drachmam unam,
Spicæ Indicæ,
Ambræ cineritiæ ana scrupulos duos,
Moschi scrupulum unum.

Frequentissimus ejus usus in magno humidorum excrementorum ventriculi proventu, coctionem juvat, putredinem prohibet, stomachi mollitiem corrigit, imbecillitatem firmat, ventrem inferiorem totum, & nutritionis instrumenta roborat, ventriculum distendentes flatus dissipat, appetentiam collapsam excitat, nauseam sedat, & stomachicis mirum in modum confert: convalescentes insuper ac è diuturno morbo emergentes plurimum recreat.

Diambra Mesuæ.

℞. Cinamomi,
Doronici,
Caryophyllorum,
Macis,
Nucis Moschatæ,
Folii, aut Cassiæ ligneæ,
Galangæ ana drachmas tres,
Spicæ Indicæ,
Cardam. majoris,
Minoris ana drachm. unam,
Zingiberis drachmam unam semis,
Ligni Aloës,

San-

Santali Citrini,
Piperis longi ana drachmas duas,
Ambræ drachmam unam,
Moschi drachmam semis.

AD omnem corporis imbecillitatem & noxam à frigida causa efficax est, viscera omnia calefacit & roborat, frigidoque sopita reficit ac recreat: vertiginem abolet, cerebri humiditates absumit, spiritus cùm vitales, tùm animales adauget, & concoctionem adjuvat; affectibus item uterinis ex frigida & humida intemperie natis prodest, senibus ob id & mulieribus salubre medicamentum.

NOnnulli pro Folio Nardum Celticam substituunt.

Dianisu Mesuæ.

℞. Sem. Anisi uncias duas semis,
Glycyrrhizæ rasæ,
Mastiches ana unciam unam,
Sem. Carui,
Fœniculi,
Galangæ.
Macis,
Zingiberis,
Cinamomi ana drachmas quinque,
Trium Piperum,
Cassiæ ligneæ veræ,
Pyrethri,
Calaminthæ ana drachmas duas,
Cardamomi,
Caryophyllorum,
Cubebarum,
Spicæ Indicæ,
Croci ana drachmam unam semis,

VEntriculo frigido & humido succurrit, ac cruditates à lenta pituita natas absumit: flatus quoque crassos in ventre collectos dissipat, quin etiam pectus à tenacibus humoribus repurgat, ac ob id diuturnæ tussi medetur.

Species contra Apoplexiam.

℞. Succini albi drachmam unam semis,
Margaritarum,
Smaragdi ana drachmas duas,
Ligni Aloës,
Cornu Cervi præparati,
Rad. Pæoniæ ana drachmam unam,
Cort. Citri drachmam semis,
Sem. ejusdem scrupulum unum,
Ambræ veræ scrupulum semis,
Moschi Alexandrini grana quinque,
Tabulati de Extracto Ligni Aloës,
Manus Christi Perlatæ cum Oleo Cinamomi ana unciam unam semis.
Redigantur in pollinem.

ANimalis vitalisque facultatis robur eximiè tuentur ac reficiunt: unde diuturnis capitis affectibus, præsertim frigidis opitulantur; spiritus redintegrant, obstructiones meatuum cerebri recludunt, vertiginem auferunt, ac Paroxysmos tàm epilepticos quàm apoplecticos antevertunt, senibus ac infirmam ætatem degentibus familiare & consuetum medicamentum.

ALiàs legebantur Sacchari albissimi unciæ tres, pro quibus Tabulata Manus Christi Perlat. cum Oleo Cinamomi, & id quod ex Agallochi Extracto parari consuevit, æquali pondere ad medicamenti vim ac efficaciam augendam, substituenda censuimus,

Dianthon Nicolai.

℞. Florum Rorismarini unciam unam,
Rosarum,
Violarum,
Glycyrrhizæ ana drachmas sex,
Caryophyllorum,
Spicæ Indicæ,
Nucis Moschatæ,
Galangæ,
Cinamomi,
Zingiberis,
Zedoariæ,
Macis,
Ligni Aloës,
Cardamomi,
Sem. Anethi,
Anisi ana scrupulos quatuor.

PRæter rationem tristibus subvenit: animi enim lætitiam auget, item cardiacis, elephantiacis, animi defectionibus, & cordis syncopi auxilio est; prodest etiam destillatione affectis,

affectis, & in universum omni cordis ac corporis imbecillitati.

Diacalaminthes Mesuæ.

℞. Calaminthæ fluviatilis seu Mentastri, Campestris,
Seseleos, id est, Sileris montani,
Petroselini Macedonici,
Ligustici ana drachmas sex,
Zingiberis drachmas tres,
Sem. Apii,
Comarum Thymi ana drachmas duas,
Piperis nigri unciam unam semis.

Tenaces & viscidos humores attenuat, flatus crassos dissipat, indeque natum singultum solvit: coctionem, & alimenti in corpus distributionem juvat, affectus ventris frigidos sanat, & urinam ac menses promovet.

Calamintha campestris Germanis dicitur, wilde Feld oder Kornmüntz.

Diacalaminthes Galeni.

℞. Piperis uncias sex,
Cardamomi uncias duas,
Cacuminum Thymi,
Sem. Apii ana unciam semis,
Seseleos Massiliensis,
Pulegii montani,
Sem. Petroselini Macedonici,
Calaminthæ montanæ ana drach. duas.

Famosum hoc Galeni Medicamentum (quo potius quam eo, quod secundum Mesuæ descriptionem paratur, utimur) describitur ab auctore lib. 4. de tuenda valetudine, quo is utebatur in ulceroso sensu, cum crudorum succorum copia extra venas & in corporis habitum recepta erat: utile enim est Medicamentum ad thoracis & stomachi vitia, tussim a frigido excitatam, ac præcordiorum & pectoris refrigerationem, senibus & quartanariis confert, difficulter coquentes adjuvat, crassos & lentos humores tenuat, flatus crassos discutit, urinam ac menses movet, qui præcipuè ex vasorum a crassis & lentis humoribus obortâ obstructione retinentur.

Diacinamomu Mesuæ.

℞. Cinamomi tenuis drach. quindecim,
Cassiæ ligneæ,
Rad. Enulæ ana unciam semis,
Galangæ drachmas septem,
Caryophyllorum,
Piperis longi,
Zingiberis,
Cardamomi utriusque,
Macis,
Nucis Moschatæ,
Ligni Aloës ana drachmas tres,
Croci drachmam unam,
Sacchari Tabarzeth drachmas quinque.

Concoctionem juvat, pituitæ putredinem prohibet, ac alimenti in corpus distributionem promovet.

Nonnulli compositioni huic Moschi scrupulos duos addunt: nos verò sic eam hucusque sine Moscho parare consuevimus, ut qui pro cujuslibet Medici arbitrio quovis tempore adjici queat.

Confectio Cordialis Alexandri Benedicti.

℞. Margaritarum,
Granatorum Orientalium,
Spodii de Ebore,
Cinamomi,
Tormentillæ,
Boli Armen. ana drachmas tres,
Terræ Lemniæ scrupulos octo,
Santalorum omnium,
Rasuræ Eboris,
Unicornu ana drachmas duas,
Hyacinthi,
Saphyri,
Corallii utriusque,
Charabe, seu Succini albi,
Valerianæ veræ,
Dictamni,
Zedoariæ,
Ligni Aloës ana drachmam unam,
Serici crudi tosti scrupulos duos,

Ossis

Ossis de corde Cervi drachm. semis,
Beën utriusque ana scrupulos duos,
Foliorum Auri num. quinque,
Ambræ,
Moschi ana grana decem.

Febribus pestilentibus & malignis adversatur, humores putrescentes corrigit, aut eos corrumpi prohibet: spiritus vitales plurimùm reficit, ac cordis vires tuetur; unde etiam nomen Confectiònis Cordialis obtinuit, ut quæ omnem penè noxam cordi adversam disjiciat & expellat.

PRo Unicornu duplum hîc pondus cornu Cervini usti & præparati ex apicibus desumpti; pro osse verò de corde Cervi, sicut in aliis quoque ejusmodi compositionibus, Margaritas præparatas substituimus.

Species Cordiales temperatæ.

℞. Ligni Aloës,
Spodii ex Ebore ana drachm. unam,
Cinamomi,
Caryophyllorum,
Ossis de corde Cervi,
Doronici.
Beën utriusque ana drachmam unam semis,
Margaritarum drachmas sex,
Serici crudi tosti,
Coralliorum rubeorum,
Alborum ana drachmas duas,
Hyacinthi,
Smaragdi,
Saphyri ana drachmam semis,
Croci scrupulum unum,
Ambræ,
Moschi ana drachmam semis,
Foliorum Auri,
Argenti ana num, decem.

COrroborant, animi deliquio medicantur, nec non in pestilenti lue commendantur.

NOs Augustani pro Corallio albo rubeum semper subrogamus, cùm adulteratio in isto facilè committi possit, ob Ostracodermorum quorundam similitudinem, quam rubrum Corallium non admittit.

Diacuminum Nicolai.

℞. Cumini priùs per diem naturalem in aceto infusi, & rursus exsiccati unc. unam, scrupulum unum,
Cinamomi,
Caryophyllorum ana drachmas tres, scrupulos duos,
Galangæ,
Thymbræ, seu Satureiæ,
Calaminthæ,
Zingiberis,
Piperis nigri ana drachmam unam, scrupulos duos,
Ammeos,
Ligustici ana drachmam unam, scrupulum unum, grana sex,
Piperis longi drachmam unam,
Spicæ,
Nucis Moschatæ,
Cardamomi ana scrupul. duos semis.

THoracis, præcordiorum, ventriculi & viscerum imbecillitati à frigida causa natæ, ac oxyregmiæ opitulatur, stomachicis convenit, intestinorum flatus dissipat, hypochondriorum distensionem à nimiâ cruditate & flatibus profectam aufert, viscera calefacit, & concoctionem mirè juvat: arteriacis itidem, difficultati spirandi, & tussi ex frigidis crassisque humoribus ortæ, auxilio est, nec non inflatis, colicis, & quartanariis plurimùm prodest.

Diacurcuma Mesuæ seu Diacrocu.

℞. Croci,
Asari,
Sem. Petroselini Macedonici,
Dauci,
Anisi,
Apii ana unciam semis,
Rhabarbari,
Meu,
Phu, seu Valerianæ majoris,
Spicæ Indicæ ana drachmas sex,
Scolopendrii, seu Ceterach drachmas duas semis,

Coſti,
Myrrhæ,
Caſſiæ ligneæ,
Schœnanthi,
Carpobalſami, ſeu Cardamomi minoris,
Rubiæ,
Succi Abſinthii,
Eupatorii Meſuæ,ſeu Agerati,
Olei Caryophyllorum ana drachmas duas,
Calami Aromatici,
Cinamomi ana drachm. unam ſemis,
Scordii veri,
Succi Glycyrrhizæ ana drachmas duas ſemis,
Tragacanthi drachmam unam.

Medicamentum hoc, quod nonnullis διὰ κρόκου, aliis διὰ ἐρυθροδάνου inſcribitur, viſcerum internorum, ventriculi nempè, hepatis & lienis morbis frigidis ac diuturnis ſubvenit. Vſurpatur ad cachexiam & hydropem: obſtructiones enim internas reſerat, colorem corporis fœdum & totum ejus habitum frigidiorem corrigit, frigidam item & humidam ſtomachi intemperiem emendat, flatus craſſos diſſipat, humorumque corruptionem prohibet; renum quoque vitiis ab obſtructione craſſorum & viſcidorum humorum natis opem fert, urinam prolicit, ac frigidis veſicæ affectibus medetur.

Notandum: In compoſitione hac pro radicibus Meu radices Angelicæ aut Oſtrutii, pro Phu radices Valerianæ, pro Carpobalſamo Cubebas, Cardamomum aut grana Juniperi, pro Opobalſamo Oleum Caryophyllorum, rectè ſubſtitui poſſe.

Dioſpoliticon Galeni.

℞. Cumini aceto macerati & toſti,
Piperis longi vel nigri,
Fol. Rutæ ſiccat. ana unciam unam,
Nitri unc. ſemis, vel æquale cum reliquis pondus, ſi movere ventrem velis.

Medicamentum hoc à Dioſpoli Ægypti oppido denominationem ſortitum, deſcribitur à Galeno δι' ὑγιεινῶν ι. Flatus potenter diſſipat, & ventriculo infarctam pituitam efficaciter detergit.

Cuminum pridiè macerari aceto acerrimo debet, & in vaſe fictili probè coctо frigi, deinde tundi.

Electuarium ducis ex Nicolao.

℞. Sem. Aniſi drachmas duas, grana ſedecim,
Glycyrrhizæ,
Maſtiches ana ſcrupulos duos, grana quinque,
Chamædryos,
Cinamomi,
Zingiberis albi,
Galangæ,
Sem. Fœniculi,
Carui ana ſcrupulum unum, grana quindecim,
Caſſiæ ligneæ,
Calaminthæ,
Pyrethri,
Piperis albi,
Longi,
Cyperi rotundi,
Schœnanthi,
Rad. Ireos,
Folii,
Aſari,
Sem. Dauci,
Amomi ana ſcrup. unum,
Spicæ Indicæ,
Croci,
Gummi Arabici,
Tragacanthi,
Calami Aromatici,
Cubebarum,
Caryophyllorum,
Carpobalſami,
Cardamomi,
Baccarum Juniperi,
Rad. Pentaphylli,
Acori,
Rhabarbari,
Nucis Moſchatæ,
Xyloaloës,
Baſilici Caryophyllati,

Sem.

Sem. Anethi,
Liguſtici,
Petroſelini Macedonici & noſtratis,
Seſeleos,
Aſparagi,
Citri,
Ammeos,
Milii Solis,
Saxifragiæ, ſeu Pimpinellæ,
Scariolæ,
Nucleorum quatuor ſeminum frigid. majorum,
Beën utriuſque,
Styracis Calamitæ ana ſcrupulum ſemis, grana quinque,
Penidiorum drachmas quatuor, ſcrupulos duos ſemis.

Cruditatem, inflationemque ventriculi & inteſtinorum corrigit: colicos etiam, ac iliacos curat, præterea calculos elidit, & urinam remorantem potenter promovet.

Aliam compoſitionem habet Rhaſis, quam Cantharides ingrediuntur. Vide Fumanellum de urin. difficult. fol. 190.

Diagalanga Meſuæ.

℞. Galangæ,
Ligni Aloës ana drachmas ſex,
Caryophyllorum,
Macis,
Liguſtici ana drachmas duas,
Zingiberis,
Piperis longi,
Albi,
Cinamomi,
Calami Aromatici ana drachm. unam ſemis,
Calaminthæ ſiccæ,
Menthæ ſiccæ,
Cardamomi majoris,
Spicæ Indicæ,
Sem. Apii,
Aniſi,
Fœniculi,
Carui ana drachmam unam.

Ventriculi & jecoris intemperiem frigidam ſanat; ob id coctionem juvat, ructus acidos compeſcit, flatus craſſos, atque ab eis natas inflationes diſſipat, oris halitum commendat, ac ejuſdem fœtorem gigni vetat.

Pro Liguſtico Cardamomum minus odoris gratiâ hîc ſubſtituitur.

Electuarium de Gemmis Calidum Meſuæ.

℞. Trochiſcorum Diarhodon,
Ligni Aloës ana drachmas quinque,
Margaritarum albarum,
Zedoariæ,
Doronici,
Corticum Citri,
Macis,
Sem. Ocymi Caryophyllati,
Ambræ veræ ana drachmas duas,
Corallii rubri,
Succini albi,
Raſuræ Eboris ana ſcrupul. quinque,
Saphyri,
Hyacinthi,
Sardæ,
Granatorum,
Smaragdi, aut Turchitis,
Cinamomi,
Galangæ,
Zurumbeth (id eſt, Zedoariæ rotundæ) ana drachmam unam ſemis,
Beën utriuſque,
Caryophyllorum,
Zingiberis,
Piperis longi,
Spicæ Indicæ,
Folii,
Croci,
Cardamomi majoris ana drachmam unam.
Foliorum Auri numero viginti,
Argenti numero decem,
Moſchi drachmam ſemis.

Ad frigidos affectus cerebri, cordis, ventriculi, hepatis, & uteri efficaciſſimum, melancholicos, triſtes, ſine cauſa manifeſta timidos, ſolitarios juvat, exhilarat, ac ad mores probos invitat: cordis tremorem & ſyncopen emendat, ventriculum à frigidâ intemperie imbecillum roborat, & coctione cùm ejuſdem,

ejusdem, tùm hepatis meliore redditâ, corpus εὔχυμον præstat, universi habitûs refrigerationem corrigit, imbecillitatem reficit, lypothymias & uteri præfocationes sanat.

Nota: hîc in Smaragdi defectu Turchitem sumi posse, cum apud Mesuen legatur Peruzegi, quo nomine Turchitem aliqui significari volunt.

Probantur Saphyri, & Smaragdi, qui in ignem conjecti flammam non edunt: alii enim illegitimi sunt, & ex argentifodinis eruuntur crudiores, Sulphuris aut alterius cujusdam mineralis haud quaquam nobilis naturam sapientes. Vide Prolegomena.

Electuarium de Gemmis frigidum.

℞. Margaritarum præp. drachm. tres
Spodii de Ebore,
Rasuræ Eboris,
Corallii utriusque ana drachm. duas,
Flor. Rosarum rubrarum drachmam unam semis,
Hyacinthi,
Smaragdi,
Saphyri,
Sardæ,
Granati,
Santali albi,
Rubri,
Citrini,
Florum Borraginis,
Buglossi,
Sem. Acetosæ,
Basiliconis,
Beën utriusque ana drachm. unam,
Ossis de corde cervi drachm. semis,
Folior. Auri,
Argenti ana num. quindecim.

Magnis febrium inflammationibus confert, ac jecinorosis prodest, insuper appetentiæ dejectæ, syncopi, cordis palpitationi, tussiculosis & asthmaticis auxiliatur.

Confectio de Hyacintho.

℞. Hyacinthi præparati,
Corallii rubri,
Boli Armen. Orientalis,
Terræ Sigillatæ ana drachmam unam semis,
Granorum Chermes,
Rad. Tormentillæ,
Dictamni albi,
Sem. Citri mundati,
Acetosæ,
Portulacæ,
Croci,
Myrrhæ,
Rosarum rubearum,
Santalorum omnium,
Ossis de corde cervi,
Cornu cervi usti,
Rasuræ Eboris ana scrup. quatuor,
Saphyri,
Smaragdi,
Topazii,
Margaritarum,
Serici crudi tosti ana scrup. duos,
Foliorum Auri numero viginti,
Argenti numero decem,
Ambræ veræ,
Moschi ana scrupulum unum,
Camphoræ grana quinque.

Opitulatur Cardiacis & lypothymias patientibus, vires resolutas restituit, syncopas arcet, animi defectiones sanat: pestiferos morbos præcavet, eosdemque jam factos expellit, putredinem humorum corrigit, ac in malignis febribus cor à tetrarum fuliginum & pravorum vaporum insultu tuetur.

Compositio hæc longè alia est, quàm quæ in Luminari majore ex Avicennâ desumpta prostat. Nos hanc communi alioquin voce celebratam ex Jouberti Animadversionibus sic restituimus, apud quem alia quoque descriptio legitur in Pharmacop. Sect. tertia de Conf. Alcher. molli; itemque alia in Tract. ejusdem de Peste cap. ultimo.

Notandum: in defectu Topazii, Smaragdi aut Saphyri, substitui commodissimè hîc posse Hyacinthos præparatos ex mente ejusdem Jouberti: Præterea nobis folia Auri numero viginti, Argenti verò decem sufficere videntur cùm tamen ille ana scrupulos duos posuisset. Quod idem

idem etiam suprà in Electuario de Gemmis calido observavimus.

Servatur hæc Confectio partim sub forma pulveris, species exactè tritas confusè miscendo, partim etiam Electuarii mollis consistentiâ, exceptis nimirum pulveribus Syrup. de Limonibus, aut Julep Rosati sufficienti quantitate, & ad formam Opiatæ permixtis.

Diahyssopu Nicolai.

℞. Hyssopi,
Ireos,
Thymi,
Piperis ana drachmas quindecim,
Pulegii,
Thymbræ, seu Satureiæ,
Rutæ,
Cumini ana drachmas decem,
Carnium Dactylorum,
Glycyrrhizæ,
Caricarum,
Passularum majorum enucleatarum,
Fœniculi ana drachmas quinque,
Zingiberis,
Sem. Anisi,
Carui,
Ligustici ana drach. duas semis.

Capitis vitiis frigidis conducit, columellam à frigidi humoris procubitu elongatam vel prætumefactam exsiccat, arteriam asperam expurgat, omnia frigida thoracis & stomachi vitia emendat, & coctionem promovet: rarissimè tamen in usum venit.

Tragacanthum per se terendum: si enim cæteris mixtum teratur, inæqualitatem mixturæ faciet; id in reliquis etiam compositionibus observandum.

Species Imperatoris.

℞. Cinamomi optimi drachmas decem,
Zingiberis unciam unam,
Caryophyllorum unciam semis,
Galangæ,
Macis,
Nucis Moschatæ ana drachmas duas,
Moschi optimi scrupulum semis.

Species hæ induntur potissimùm Tragematibus, cor & ventriculum frigidum humidum, ac flatulentum confortantibus, aut addito Saccharo in Morsellos aptantur, qui ad stomachi segniter cibum concoquentis vires augendas, & ad robur ventriculo conciliandum comparantur.

Diairis Salomonis ex Nicolao Myrepso.

℞. Iridis unciam unam,
Pulegii,
Hyssopi,
Glycyrrhizæ ana drachmas sex,
Tragacanthi,
Amyli,
Cinamomi,
Zingiberis,
Piperis,
Amygdalarum amararum,
Nucum Pinearum ana drachm. tres,
Caricarum,
Passularum enucleatarum, id est, Cybebarum,
Carnium Dactylorum ana drach. tres semis,
Styracis Calamitæ rubeæ drach. duas, scrupulum unum,

Faucibus exasperatis, & columellæ fluxione tentatæ prodest, dyspnoicis item, arteriacis & tussiculosis auxilio est, nec non frigidæ capitis intemperiei & destillationi in fauces irruenti conducit, ac vocis jacturam frigore contractam resarcit.

Hæc compositio quia valdè ingrata est, parùm frequens esse solet, cùm sequentes magis in usu sint.

Diairis simplex.

℞. Ireos unciam semis,
Sacchari Candi,
Specierum Diatragacanthi frigidi ana drachmas duas.

Ad omnem faucium destillationem, idque initio nondum invalescente impetu, feliciter adhibetur.

Diairis Usitata.

℞. Specierum Diatragacanthi frigidi unciam unam,
Radicum Ireos uncias duas,
Gummi Arabici,
Tragacanthi ana unciam semis.

Hujus in destillationibus ad fauces ac asperam arteriam ruentibus, præ cæteris crebrior usus esse solet, cùm quòd gratior sit reliquis, tùm quòd guttur probè leniat, expectoratum facilitet, nec non acres destillationes contemperet.

Electuarium Justinum Nicolai.

℞. Cinamomi,
Folii,
Costi,
Spicæ Indicæ,
Cassiæ ligneæ,
Aristolochiæ rotundæ,
Longæ,
Enulæ,
Pentaphylli,
Hyssopi,
Pulegii,
Artemisiæ,
Leucopiperis,
Baccarum Juniperi,
Lauri,
Sem. Orobi veri,
Petroselini,
Levistici,
Olusatri,
Urticæ,
Milii Solis,
Saxifragiæ,
Asparagi,
Sileris montani,
Apii,
Anethi,
Rutæ,
Citri,
Fœniculi,
Anisi ana drachmam unam semis.

Ad dolorem renum minuendum haud incommodum; calculos atterit, ac urinæ difficultati succurrit.

De Orobo magna est inter doctos controversia. Fuchsius Ciceris nigri semen ejus loco sumendum esse arbitratur, sed id amaritudine caret. Nos Dictamni albi seu Fraxinellæ radices, prout etiam in Trochiscis Scilliticis, substituimus.

Dialacca major Mesuæ.

℞. Laccæ lotæ,
Rhabarbari ana drachmas tres,
Spicæ Indicæ,
Florum & stipitum Schœnanthi,
Masticхes,
Myrrhæ,
Costi, seu Zedoariæ,
Cinamomi,
Croci,
Cassiæ ligneæ veræ,
Bdellii,
Hyssopi,
Sabinæ,
Amygdalarum amararum excorticatarum,
Succi Absinthii,
Eupatorii Mes. id est, Agerati,
Rad. Rubiæ tinctorum,
Aristolochiæ rotundæ veræ,
Gentianæ,
Asari,
Sem. Ammeos,
Apii,
Fœniculi,
Anisi ana drach. unam semis,
Piperis nigri,
Zingiberis ana drachmam unam.

Usurpatur ad ventriculi & jecoris frigidam intemperiem, hepatis obstructiones, inflationes & durities, aquæ inter cutem medetur, menses ciet, scirrhum dissolvit, cachexiam depellit, urinas promovet, renum ac vesicæ durities dissipat, & calculos atterit.

Laccæ præparatio in fine libri inter reliquas Medicamentorum quorundam præparationes requirenda.

Lætificans Galeni ex Nicolao Præposito.

℞. Seminis Ocymi Caryophyllati, aut florum ejusdem,
Croci,
Zedoariæ,
Xylobalsami, aut Xyloaloës,
Caryophyllorum,
Corticum Citri,
Galangæ,
Macis,
Nucis Moschatæ,
Styracis Calamitæ ana drachmas duas semis,
Rasuræ Eboris,
Sem. Anisi,
Thymi Cretici,
Epithymi ana drachmam unam,
Ossis de corde Cervi, vel cornu Cervini optimi,
Margaritarum,
Camphoræ,
Moschi ana drachmam semis,
Folior. Auri numero quinquaginta,
Argenti numero viginti quinque.

HÆc compositio Galeno quidem falsò adscripta, sed magis ex Nicolai Præpositi Antidotario excerpta, plurimùm valet ad cordis affectus ejusque palpitationem, ventriculi & hepatis intemperiem frigidam & humidam corrigit, coctionem adjuvat, & corporis malum habitum emendat, colori gratiam reddens, oris quoque odorem ac halitum gratum efficit: vires debiles instaurat, melancholiam sanat, ac involuntarios fletus compescit.

EXemplar habet foliorum Auri & Argenti ana scrupulum unum, pro quo notandum, cùm ægrè hæc ponderari queant, nos numerum apposuisse. Quinquaginta enim auri folia propemodum ponderant scrupulum, prout argenti folia viginti quinque; sunt enim auri foliis plùs duplo majora.

Lætificans Rhasis.

℞. Melissæ,
Corticum Citri,
Caryophyllorum,
Galliæ Moschatæ Mesuæ,
Mastiches,
Croci,
Cinamomi,
Nucis Moschatæ,
Cardamomi majoris,
Sem. Pæoniæ,
Beën albi,
Rubri,
Zedoariæ,
Doronici,
Sem. Ocymi Caryophyllati ana unc. semis,
Moschi scrupulum unum,
Folior. Auri numero quinquaginta,
Argenti numero viginti quinque.

DEscribitur à Rhase 9. ad Almansorem cap. 13. de Melancholiâ. Plurimùm verò facit ad affectus cordis, ventriculi & jecoris, quas partes etiam roborat, palpitationem cordis abigit, valenter exhilarat, infirmæ concoctioni opem adfert, coloremque corporis vividum efficit.

HÆc compositio priori præfertur, utpote magis jucunda & minùs sumptuosa; cui etiam majorum exemplo, folia auri & argenti addere voluimus.

Confectio liberantis incerti Authoris.

℞. Radicum Tormentillæ,
Sem. Acetosæ,
Endiviæ,
Coriandri præparati,
Citri ana drachm. unam semis,
Santalorum omnium,
Dictamni albi ana drachmam unam,
Boli Armen. præparatæ,
Terræ Lemniæ ana drachmas duas,
Margaritarum,
Corallii utriusque,

Succini albi,
Rasuræ Eboris,
Spodii ex Ebore, seu Eboris usti,
Ossis de corde Cervi,
Beën utriusque,
Doronici,
Cardamomi,
Cinamomi,
Macis,
Ligni Aloës,
Cassiæ ligneæ,
Croci,
Zedoariæ ana drachmam semis,
Penidii,
Sacchari Candi,
Serici crudi tosti pulverisati,
Smaragdi,
Hyacinthi,
Granati ana scrupulos duos,
Flor. Nymphææ,
Buglossi,
Rosarum ana scrup. unum,
Camphoræ grana septem,
Moschi,
Ambræ ana grana tria.

Eius usus multiplex est in febribus malignis, ipsaque peste: cor namque à veneni labe tuetur; præterea sudores movet, & à pestilentis luis contagione præservat atque etiam liberat. Cordiale planè Medicamentum omni ferè naturæ, ætati ac sexui accommodatum.

Aliam Antidotum cordialem ab hac non ita diversam describit Fuchsius 2. comp. Medicam. sectione quartâ, quæ talis est.

℞. Dictamni albi,
Zedoariæ,
Herbæ Tunicæ,
Tormentillæ ana unciam semis,
Pimpinellæ drachmas tres,
Dictamni Cretensis,
Scordii,
Trifolii odorati,
Ligni Aloës ana drachmas duas,
Sigilli Lemnii,
Boli Armenæ,
Corticum Citri,
Croci,
Santalorum rubeorum,
Alborum,
Ramentorum Eboris ana drach. unam,
Corallii utriusque,
Charabe,
Unicornu,
Phu,
Margaritarum,
Granatorum,
Hyacinthorum ana scrupulos duos,
Serici tosti,
Anthoræ,
Mastiches ana drachmam semis,
Ossis de corde Cervi scrup. unum,
Moschi,
Ambræ ana scrupulum semis.
Fiat Pulvis.

Lithontribon Nicolai.

℞. Spicæ Indicæ,
Zingiberis,
Xylobalsami, aut Xyloaloës,
Acori, aut Calami Aromatici,
Cinamomi,
Rad. Peucedani,
Meu, aut Seseleos Cretici,
Trium piperum,
Saxifragiæ ana drachm. duas semis,
Opobalsami, aut Olei Juniperini ex granis confecti,
Caryophyllorum,
Costi,
Rhapontici,
Glycyrrhizæ,
Cyperi rotundi,
Tragacanthi,
Chamædryos,
Sem. Olusatri,
Apii,
Ammeos,
Asparagi,
Ocymi,
Urticæ,
Citri ana drachmam unam, grana quindecim,
Amomi,

Ligustici,
Milii Solis,
Petroselini Macedonici,
Seseleos,
Sinoni, vel sem. Dauci Cretici,
Anethi,
Cardamomi,
Folii, aut Macis,
Croci,
Schœnanthi,
Cassiæ ligneæ,
Bdellii,
Mastiches,
Ireos,
Euphorbii præparati,
Lapidis Lyncis, aut Judaici,
Olei Nardini compositi Mesuæ,
Olei Moschellini ana scrupulum unum, grana quatuor.

Nephriticis, nec non stranguriæ, & dysuriæ succurrit, iliorum, lumborum, & renum gravitates ac obstructiones à frigidis & crassis succis ortas expedit, visicæ & renum calculos potentissimè elidit ac expellit, miram calculosis utilitatem exhibens.

Diamargariton Calidum Avicennæ.

℞. Margaritarum Orientalium,
Pyrethri ana drachmam unam,
Zingiberis,
Mastiches ana drachmas quatuor,
Doronici,
Zedoariæ,
Apii,
Capsici, id est, utriusque Cardamomi,
Nucis Moschatæ,
Macis,
Beën utriusque,
Piperis nigri,
Longi ana drachmas tres,
Cinamomi drachmas quinque.

Ad universi corporis refrigerationem perutile, cardiacos, animo deficientes, mulieres uterum ferentes, præfocationes, uteri, cordisque syncopen patientes juvat, omnium virium imbecillitatem firmat, his, qui animo deficiunt, & supra modum tristibus mirificè auxiliatur, ac omnium vitalium partium noxam discutit, asthmaticis, tussientibus, tabidisque subvenit, ventriculi fastidia tollit, ejusque coctionem juvat, uterinos meatus aperit: longo morbo dejectos & debilitate languentes recreat, & ad pristinum robur reducit; privatim verò imbecillitati stomachi & cruditati ejusdem, corporis ac cordis exolutioni medetur.

Aliam descriptionem ponit Foësius Lutetiæ usitatam, aliam item Lugdunenses, quæ Actuario adscribitur, aliam denique Melchius ex Nicolao petitam, quarum quamcumque suis intentionibus curativis idoneam futuram quilibet eligere poterit.

Diamargariton Frigidum incerti Autoris.

℞. Seminum quatuor frigidorum majorum excorticatorum,
Portulacæ,
Papaveris albi,
Rosarum rubearum,
Florum Nymphææ albæ,
Borraginis,
Baccarum Myrti,
Santali albi,
Citrini,
Ligni Aloës ana drachman unam,
Corallii albi,
Rubri ana drachmam semis,
Margaritarum drachmas tres,

Omnem virium imbecillitatem firmat, syncopen juvat, & asthmaticos, tabidos, tussientes, longo morbo extenuatos ac imbecillitate languentes reficit, & pristino recuperando robori conducit.

Zigiber in hac compositione studio omisimus, ne medicamenti intentio mutaretur, ut quod refrigerando cordi ac reliquis visceribus propriè sit destinatum.

Diamoschu Dulce Mesuæ.

℞. Croci,
Doronici,
Zedoariæ,
Ligni Aloës,

Macis, ana drachmas duas,
Margaritarum albarum,
Serici crudi tosti,
Charabe,
Corallior. rub. ana drach. duas semis,
Galliæ Moschatæ veræ,
Ocymi Caryophyllati,
Zingiberis,
Cubebarum,
Piperis longi ana drach. unam semis,
Beën albi,
Rubri,
Folii, aut Cassiæ ligneæ,
Spicæ Indicæ,
Caryophyllorum ana drachm. unam,
Moschi scrupulos duos.

Commendatur ad cerebri affectus frigidos, vertiginem, comitiales, melancholicos, cordis palpitationem, tumultuosa insomnia, paralysin, convulsionem, pulmonis noxas, & spirandi difficultatem, sopitum calorem nativum recreat, cachexiam emendat; lienosis, jecinorosis, ac stomachicis succurrit.

Diapenidion Nicolai.

℞. Penidiorum uncias duas,
Nucum Pinearum,
Amygdalarum dulcium,
Seminis Papaveris albi ana drachmas tres, scrupulum unum,
Cinamomi,
Caryophyllorum,
Succi Glycyrrhizæ,
Tragacanthi,
Zingiberis,
Gummi Arabici,
Amyli candidissimi,
Sem. excorticat. quatuor frigid. major. ana drachmam unam semis,
Camphoræ grana septem.

Tussiculosis, pleuriticis, peripneumonicis confert, omnem thoracis noxam, faucium asperitatem, vocis raucedinem & jacturam ex frigido & sicco contractam emendat: tabidis & purulenta rejicientibus opem fert, crassos humores attenuat, eosdemque expulsioni aptos reddit.

Electuarium contra Pestem Ferdinandi Imperatoris.

℞. Boli Armenæ præpar. unciam semis,
Cornu Cervi præparati,
Sem. Citri,
Arantiorum,
Limonum ana drachmas tres,
Coriandri præparati,
Perfor. ana drach. unam semis,
Anisi,
Perfoliatæ ana drachmam semis,
Dictamni albi,
Cinamomi electi ana drachmas duas,
Caryophyllorum,
Rosarum rubearum,
Rasuræ Eboris ana drachmam unam semis,
Xyloaloës,
Nucis Moschatæ,
Majoranæ,
Granorum Juniperi,
Ossis de corde Cervi,
Rad. Tormentillæ,
Scabiosæ,
Buglossi,
Santal. omnium, ana drachm. semis,
Saphyri,
Hyacinthi,
Smaragdi,
Rubini,
Granati præparati ana scrupul. unum.

Adversus pestilentis luis malignarumque febrium contagia remedium præstans ac efficax, cordis vires tuetur & auget, veneni malitiam sudoris provocatione disjicit, ac tàm in curatione, quàm in præservatione pestis morborumque contagiosorum plurimùm valere creditur.

Diatrion Pipereon Galeni.

℞. Trium piperum ana drachmas sex grana quindecim,
Anisi,
Thymi,
Zingiberis ana drachmam unam.

Descri-

Describitur hoc Medicamentum à Galeno 4. de tuendâ valetudine; commendat id autem in crudorum succorum & flatuum copiâ à cruditate, dandum iis, qui ob recens frigus malè concoxerunt, & succum plurimum pituitosum in primis venis coacervârunt, stomachi refrigerationes, ructus acidos, & jecinorosos juvat, nec non inflationes discutit.

Diatrion Pipereon Mesuæ.

℞. Trium piperum ana drachm. quinque,
Zingiberis,
Thymi,
Anisi ana drachmas duas,
Spicæ Indicæ,
Amomi ana drachmam unam,
Cassiæ ligneæ,
Radicum Asari,
Enulæ,
Sem. Apii,
Seseleos ana drachmam semis.

Ventriculi refrigerationibus, acido ructui, quartanariis, jecinorosis, & inflationibus auxiliatur, ac fluxionibus, quæ à capite ad thoracem descendunt, conducit.

Pleres Archonticon Nicolai Præpositi.

℞. Cinamomi,
Caryophyllorum,
Ligni Aloës,
Galangæ,
Spicæ Indicæ,
Nucis Moschatæ,
Zingiberis,
Spodii,
Schœnanthi,
Cyperi,
Rosarum,
Violarum ana drachmam unam, grana quindecim,
Folii, seu Macis,
Glycyrrhizæ,
Mastiches,
Styracis Calamitæ,
Majoranæ,
Balsamitæ, seu Menthæ aquaticæ,
Ocymi,
Cardamomi,
Piperis longi,
Baccarum Myrti,
Corticum Citri ana scrupulos duos, grana quinque,
Margaritarum splendidarum,
Beën albi,
Rubri,
Corallii rubri,
Serici tosti ana scrupulum unum, grana duo semis,
Moschi grana septem semis,
Camphoræ grana quinque.

Cardiacis, tristibus, melancholicis, cibum vomentibus, pulmonariis, ac epilepticis succurrit, cerebri sensationes interceptas liberat, sensum deperditum & memoriam restituit, imbecillo ventriculo & animi deliquio à corde nato confert: præterea eos, qui ex diuturno morbo penitùs extenuati sunt, plurimâmque inde imbecillitatem contraxerunt, admodum corroborat, asthmaticis prodest, omnemque cerebri debilitatem aufert.

Diaprasiu Nicolai.

℞. Prasii drachmas quinque semis,
Pinearum repurgatarum,
Amygdalarum dulcium,
Pistachiorum,
Carnium Dactylorum,
Caricarum pinguium,
Passularum majorum,
Tragacanthi ana drach. tres semis,
Cinamomi,
Caryophyllorum,
Nucis Moschatæ,
Macis,
Ligni Aloës,
Galangæ,
Spicæ Indicæ,
Zingiberis,
Zedoariæ,
Glycyrrhizæ,
Rhapontici,
Anacardii,

Styra-

Styracis Calamitæ,
Galbani,
Terebinthinæ,
Mastiches,
Myrrhæ rubræ,
Rad. Ireos,
Aristolochiæ rotundæ,
Gentianæ,
Cort. radicis Capparis,
Piperis nigri,
Sem. Anisi,
Fœniculi,
Anethi,
Apii,
Petroselini Macedonici,
Saxifragiæ ana drachmas duas,
Hermodactylorum,
Origani,
Peucedani,
Schœnanthi,
Cardamomi,
Piperis albi,
Carui,
Ligustici,
Vincetoxici ana drachmam unam semis, grana duo,
Balsamitæ,
Pulegii,
Dictamni Cretici.
Costi,
Pyrethri,
Thymbræ,
Sem. Basiliconis,
Pæoniæ,
Amomi,
Sinoni seu Seseleos Cretici,
Orobi veri,
Piperis longi ana drachmam unam, grana duo,
Xylobalsami,
Cassiæ ligneæ,
Corallii rubri,
Rasuræ Eboris,
Carpobalsami,
Dauci Cretici ana drachmam semis,
Ossis de corde Cervi,
Ambræ,
Moschi ana grana duodecim.

Confert tabidis, tussientibus, & iis qui defluxionibus destillationibusque frigidis è capite obnoxii sunt: item hebetudini oculorum, & palati noxis, oris putredinibus, ac in universum omnibus affectibus frigidis tussim afferentibus opitulatur, calculos atterit, ac iis qui difficulter mingunt, commodè exhibetur; ventriculi quoque & hepatis dolorem, ventrisque inflationes & torsiones sedat, menses educit, ac pallidum corporis colorem crebro usu vividum reddit; insuper etiam typos quotidianarios & quartanarios reprimit.

Diarhodon Abbatis Nicolai.

℞. Santali albi,
Rubri ana drachm. duas semis,
Tragacanthi,
Gummi Arabici,
Spodii ana scrupulos duos,
Succi Glycyrrhizæ,
Asari,
Mastiches,
Spicæ Indicæ,
Cardamomi,
Croci,
Ligni Aloës,
Caryophyllorum,
Cinamomi,
Galliæ Moschatæ veræ Mesuæ,
Rhabarbari electi,
Sem. Berberis,
Quatuor frigidorum mojorum,
Anisi,
Fœniculi,
Basiliconis,
Papaveris albi,
Intybi, id est, Scariolæ,
Portulacæ,
Lactucæ ana scrupulum unum,
Margaritarum,
Ossis de corde Cervi ana scrup. semis,
Rosarum,
Sacchari Candi ana unciam unam, drachmas tres,
Camphoræ grana septem,
Moschi grana quatuor,

Hepa-

Hepaticis, ictericis, cardiacis, phthisicis, & cœliacis prodest: defectionibus item animi è corde natis succurrit, ventriculum humidum desiccat, ac cerebro robur addit. Datur salubriter iis, qui è morbis diuturnis ac febribus emergunt.

Dupliciter hæ species apud nos paratæ prostant, completæ nimirum, quibus nihil ingredientium commemoratorum deest, & incompletæ, quibus Asarum, Gallia Moschata, Moschus, & Camphora subtrahuntur, ob eas personas, quæ odorem harum rerum non ferunt, quod suprà in Aromatico Caryophyllato monuimus.

Rosata Novella ejusdem.

℞. Sacchari Rosati Tabulati,
Rosarum,
Glycyrrhizæ ana unciam unam, scrupulos duos semis,
Cinamomi drachmas duas, scrupulos duos, grana duo,
Caryophyllorum,
Spicæ Indicæ,
Zingiberis,
Galangæ,
Nucis Moschatæ,
Zedoariæ,
Styracis Calamitæ,
Cardamomi,
Sem. Apii, ana scrupulum unum, grana octo,

Ad ventriculi & cordis imbecillitatem efficax est, his præsertim, qui diuturno morbo conflictantur, usu familiaris, vomitum, stomachi subversiones, & nauseas compescit; cardiacis quoque & pulmonariis subvenit, dissolutas & relaxatas ventriculi vires restaurat, ac prolixâ ægritudine extenuatos plurimùm reficit.

Diatrion Santalon Nicolai Myrepsi. sect. 1. cap. 213.

℞. Trium Santalorum ana drachmas duas, scrupulos duos,
Rhabarbari,
Spodii ex Ebore,
Succi Glycyrrhizæ,
Sem. Portulacæ ana drachmas duas,
Amyli,
Gummi Arabici,
Tragacanthi,
Sem. quatuor frigidorum majorum,
Intybi, seu Scariolæ ana scrupulos quatuor.
Camphoræ scrupulum unum,
Violarum unciam semis,
Rosarum quantum reliqua omnia ponderant, id est, uncias tres, drachmas tres.

Febrium biliosarum ardoribus, & viscerum fervoribus commodat, hepaticis, cardiacis, ictericis, phthisicis auxiliatur, & intemperiem omnem calidam emendat. Præcipuus ejus usus est in febrium declinationibus materiâ jam evacuatâ, ad residuum calorem febrilem extinguendum, & viscerum tonum conservandum.

Diathamaron Nicolai.

℞. Antophyllorum, id est, grandium Caryophyllorum,
Zingiberis ana drachmas quinque, scrupulum unum, grana sedecim,
Cinamomi,
Caryophyllorum,
Carnium Dactylorum ana drachmas quatuor, scrupulum unum, grana sedecim,
Galangæ,
Spicæ Indicæ,
Zedoariæ,
Costi albi & aromatici,
Pyrethri,
Corallii rubri,
Tragacanthi,
Rhapontici,
Spicæ Celticæ,
Anacardii,
Ossium Dactylorum,
Carpobalsami, seu Cubebarum,
Anisi,
Baccarum Juniperi,

Trium piperum ana drachmam unam, scrupul. duos, grana octo,
Margaritarum scrupulos quatuor,
Blattæ Byzantiæ scrupulos duos,
Folior. Auri centum viginti quinque,
Argenti septuaginta quinque,
Ossis de corde Cervi legitimi scrupulos duos semis,
Rasuræ Eboris,
Ambræ, ana scrup. unum, grana sept.
Moschi grana tria.

TAbidis, tussientibus, stomachicis, difficulter spirantibus, & asthmaticis prodest, ac ad omnem corporis imbecillitatem levandam facit; renum præterea impotentiæ & debilitati succurrit.

Diatragacanthum Calidum Nicolai.

℞. Tragacanthi uncias duas,
Hyssopi unciam semis,
Pinearum,
Amygdalarum amararum,
Sem. Lini ana drachmas tres,
Fœnugræci,
Cinamomi ana drachmas duas,
Glycyrrhizæ rasæ,
Succi Glycyrrhizæ,
Zingiberis ana drachmam unam.

COnfert pectoris affectibus frigidis: ægrè tussientes, asthmaticos & suspiriosos relevat.

HÆc compositio ab eâ, quæ in Græco Codice habetur, longè diversa ex Foësio est desumpta; verùm ejus usus ferè eviluit, cùm alia prostent remedia eaque jucundiora, eundem effectum præstantia:

Diatragacanthum frigidum Nicolai sect. 1. cap 98.

℞. Tragacanthi candidi uncias duas,
Gummi Arabici unciam unam, drachmas duas,
Amyli unciam semis,
Glycyrrhizæ,
Sem. quatuor frigid. major. ana drachmas duas,
Papaveris albi drachmas tres,
Penidiorum uncias tres,
Camphoræ scrupulum semis.

USus ejus frequens est in omnibus pectoris & pulmonum noxis à calida & sicca causa ortum trahentibus, thoracis gravitatem allevat, & tussiculosis ab intemperie calida opem fert: pleuriticis, peripneumoniacis, tabidis & macie confectis, linguæ itidem & faucium asperitati succurrit, ac siti immodicæ, quam pulmonum calor invexit, confert.

Diaxyloaloës Mesuæ.

℞. Ligni Aloës crudi,
Rosarum ana unciam unam,
Caryophyllorum,
Spicæ Indicæ,
Macis,
Nucis Moschatæ,
Galliæ Moschatæ Mesuæ,
Cubebarum,
Cardamomi utriusque,
Cinamomi,
Mastiches,
Cyperi rotundi,
Schœnanthi,
Zedoariæ,
Been utriusque,
Folii aut Cassiæ ligneæ,
Serici crudi tosti,
Margaritarum,
Corallii rubri,
Charabe,
Foliorum Citri,
Corticum Citri,
Ocymi Caryophyllati,
Balsamitæ,
Menthæ siccæ,
Majoranæ,
Piperis longi,
Zingiberis ana unciam semis,
Ambræ drachmam unam semis,
Moschi boni scrupulum unum.

VEntriculi, cordis, & jecoris malis frigidis, animæ defectioni, concoctionique auxiliatur, oris fœtorem abigit, lætitiam parit, & spiritus plurimùm exhilarat.

Diazin-

Diazingiber Nicolao Adscriptum.

℞. Zingiberis,
Galangæ,
Caryophyllorum,
Cinamomi,
Nucis Moschatæ,
Cardamomi utriusque,
Piperis longi,
Macis,
Spicæ Indicæ,
Rhabarbari,
Rosarum rubearum ana grana quindecim,
Sem. Anisi,
Fœniculi,
Glycyrrhizæ,
Croci ana drachmam semis,
Pistachiorum drachmas duas,
Pinearum mundatarum unciam semis.

Ventriculum frigidum roborat & confirmat, nec non crassos in eo flatus dissolvit.

Confectio ad Vermes.

℞. Seminis sancti unciam unam semis,
Farinæ Lupinorum unciam unam,
Dictamni albi,
Cretici ana unciam semis,
Cornu cervi usti,
Scordii veri ana drachm. unam semis,
Croci drachmam semis, grana sex,
Sacchari albi aquâ Absinthii diluti, quantum satis est,
Fiat confectio, ut est artis.

Vermes & interaneorum animalia expellit & enecat, ac ea gigni prohibet, putredinemque humorum, ex quibus hæc nascuntur, arcet ac emendat.

Confectio Zingiberis Cocti.

℞. Cinamomi electi drachmas duas,
Nucis Moschatæ drachmam unam,
Caryophyllorum scrupulos duos,
Macis scrupulum unum.
Incidantur omnia crassè: adde
Zingiberis tenuissimè pulverisati drachmas sex,
Sacchari aquâ Rosarum diluti uncias sedecim,
Fiat confectio in Morsellis.

Frigidis ventriculi noxis succurrit, ejusque concoctionem languidam reparat ac restaurat.

Manus Christi simplex, & cum Margaritis.

℞. Sacchari clarificati libram unam,
Aquæ Rosarum libram semis,
Coquantur, ut est artis: quòd si Margaritas addere volueris, injice sub finem
Margaritarum præpar. unciam semis.

Viribus dejectis, febribus ardentibus, & deliriis medetur, falsas etiam imaginationes abolet.

Paratur etiam Manus Christi Perlata, adjectis sub finem coctionis guttulis aliquot Olei Cinamomi, jucundissimum sanè ad omnem virium lapsum medicamen, si modò febris aut calor aliquis præternaturalis non subsit.

Morselli Imperatoris cum Fructibus.

℞. Pinearum mundatarum,
Pistachiorum decorticatorum,
Amygdal. dulcium ana unciam semis,
Specier. Imperatoris parum incisarum & contusarum drachmas tres,
Aromatici Rosati Gabrielis,
Cinamomi incisi & contusi ana drachmam unam,
Conservæ Rosarum Damascenarum unciam semis,
Sacchari in aqua Rosarum dissoluti uncias octo,
Fiant Morselli.

Pasta Regia, seu Panis Marcius.

℞. Amygdalarum dulcium contusarum libram semis,
Sacchari tenuissimè pulverisati libram unam.
Cum aqua Rosarum fiat Pasta.

Pasta Regia Composita.

℞. Pinearum mundatarum,
Pistachiorum præpar. ana uncias quatuor,
Sacchari albissimi uncias octo,
Quinque Lapidum pretiosorum ana scrupulos duos,
Corall. rub. præpar. drachmam unam semis,
Cinamomi acuti drachmam unam.
Specierum de Gemmis frigidis drachmas duas,
Nucis Moschatæ drachmam semis,
Macis grana quinque,
Corticum Citri conditorum,
Conservæ Borraginis ana unciam unam semis,
Margaritarum præparatarum drachmam unam semis,

Cum aqua Buglossi incisis crassiusculè incidendis, Aromatibus reliquis contusis, fiat Pasta Saccharo & Cinamomo incrustanda.

Plurimum nutrit ac roborat: eâ, qui è diuturnis morbis emerserunt, & macilenti, commodè reficiuntur.

Confectio post Pastum.

℞. Sem. Anisi,
Fœniculi,
Carui,
Coriandri,
Zingib. albi ana drachm. unam semis,
Calami Aromatici,
Nucis Moschatæ ana drachm. unam,
Cinamomi electi drachmas duas,
Sacchari albissimi libram unam semis.

Semina maneant integra; reliqua verò diligenter incidantur, & cum sufficienti quantitate aquæ Rosarum fiant Morselli, qui aromatisentur.

Moschi Orientalis granis duobus.

Tardam infirmamque ventriculi coctionem promovet, & crassos ejusdem flatus dissipat, ructus quoque acidos compescit, & oris halitui gratiam conciliat. Ejus descriptio à Clarissimo Viro Domino D. Mart. Holzapfelio Collega nostro, ac Officinarum Pharmaceuticarum Visitatore Ordinario, nobis communicata huc accessit.

Confectio Pectoralis.

℞. Pulveris radicum Ireos Florentinæ drachmas tres,
Liquiritiæ drachm. unam,
Cinamomi acuti drachmas duas,
Nucis Moschatæ drachmam unam,
Caryophyllorum scrupulos duos,
Macis, singulorum grosso modo incisorum, scrupulum unum,
Specierum Diaireos simplicis,
Diatragacanthi frigidi ana drachmas duas,
Pulveris Zingiberis albi drachm. tres,
Croci scrupulum semis.
Sacchari albi in aqua Farfaræ dissoluti uncias viginti.

Fiant Tabulæ aut Morselli.

Usitatum ad tussim ac pectoris vitia medicamentum vulgo existit; unde etiam Confectionis Pectoralis nomen sive Brustzucker *obtinuit.*

Pineolatum album.

℞. Pinearum in furno siccatarum & mundatarum libram unam,
Sacchari albissimi in succo Limonum crudo dissoluti, & albuminibus ovorum clarificati tantundem.
Fiat, ut artis est.

Pineolatum viride.

℞. Pistachiorum præparat. unciam unam,
Pinearum mundatarum uncias duas,
Cinamomi acuti unciam semis,
Zingiberis drachmam unam,
Caryophyllorum,
Nucis Moschatæ ana drachm. semis,
Macis scrupulos duos,
Sacchari albi in succo Betonicæ dissoluti libram unam,
Fiat, secundum artem.

Pineo-

Pineolatum Vulgare.

℞. Sacchari clarificati & nondum perfectè cocti libram unam.
Eidem, postquam optimè igne remoto agitatum ac dealbatum fuerit, adde
Nucum Pinearum uncias quatuor.
Rursus probè misceantur, posteà perfectè coquantur, & in vocatos Morsellos redigantur.

Pineolata hæc usui sunt tabidis, consumptis, extenuatis, & corporis refectionem exigentibus: plurimùm enim roborant, ac nutriunt.

Saccharum Rosatum Tabulatum.

℞. Florum Rosarum rubearum mundatarum drachmas duas.
Pulverisentur subtilissimè, & irrorentur spiritus Vitrioli guttis duodecim: adde
Sacchari albi in aqua Rosarum dissoluti uncias quatuor.
Fiat confectio in Tabulis vel Morsellis.

Species incisæ Sacchro obductæ.

℞. Cinamomi elect. drachmas sex,
Zingiberis drachmas quinque, scrupulum unum,
Calami Aromatici drachm. quatuor,
Macis,
Nucis Moschatæ ana drachmas duas, scrupulos duos,
Galangæ,
Caryophyllorum ana drachmas duas,
Cubebarum scrupulos quatuor,
Sem. Anisi uncias quatuor,
Carui,
Fœniculi,
Coriandrorum præparatorum ana uncias duas,
Conficiantur omnia cum Saccharo, ut est artis.

Species incisæ sive Tragæa Grossa, ut vocant.

℞. Anisi confecti libram unam,
Confect. sem. Fœniculi,
Carui,
Coriandrorum præpar.
Zingib. albi ana uncias octo,
Cinamomi electi uncias duas,
Calami Aromatici unciam unam,
Nucis Moschatæ unciam semis.
Concidantur grosso modo, & misceantur.

Speciebus his incisis adduntur subinde Tabulata specierum Aromatici Rosati, Diambræ, de extracto ligni Aloës, Manus Christi Perlata cum oleo Cinamomi in frustula confracta, pro variâ prudentis Medici intentione. Manduntur præsertim manè ad cerebrum & ventriculum roborandum, ejusque inediam tollendam, itemque post cibum ad ventriculi flatus dissipandos & oris halitum commendandum.

Tragæa Grossa cum Tabulatis.

℞. Confect. sem. Anisi,
Fœniculi,
Coriandri,
Carui ana drachmas sex,
Aquilegiæ,
Erucæ ana drach. quinque,
Cubebarum drach. tres,
Tabul. Aromat. Rosati drachmas sex,
Contra Apoplexiam drach. quinque,
De Extracto ligni Aloës unciam semis,
Ex oleo Cinamomi drach. sex,
Caryophyll. drach. tres,
Anisi,
Fœniculi ana drachmas duas semis,
Cort. Citri condit. siccorum unc. unam,
Nucis Moschatæ Lusit. major. condit. siccæ,
Spec. Imperatoris ana unc. semis.
Crassiusculè concisa misceantur.

Tragæa Aromatica usitata.

℞. Cinamomi acutissimi drachm. sex,
Nucis Moschatæ drachmam unam,
Macis drachmam semis,
Galangæ,
Caryophyllorum ana drachm. unam semis,
Zingiberis albi scrupulos quatuor,
Seminis Coriandri præparati drachm. semis,
Florum Rosarum rubearum scrupulos duos,
Sacchari albi libras duas.
Misce, fiat Tragæa tenuis.

Semina usitata Saccharo obducta.

Sem. Agni casti,
Anisi,
Angelicæ,
Aquilegiæ,
Basiliconis,
Carui,
Citri,
Coriandri,
Cumini,
Dauci,
Erucæ,
Fœniculi,
Majoranæ,
Papaveris,
Santonici,

Fructus usitati, Radices, Cortices, & Aromata Saccharo obducta.

Amygdalæ,
Caryophylli,
Cinamomi,
Cortices Arantiorum,
Citri,
Cubebæ,
Piper Album,
Nigrum,
Pineæ,
Pistachia,
Radices Angelicæ,
Contrayervæ,
Pimpinellæ,
Rhabarbari,
Scorzoneræ,
Zingiberis,

ANIMADVERSIONES

Integram hanc Classem concernentes.

SI ab instituto non liceret declinare, vix haberem, quod singulariter in hac classe corrigerem, cùm quoad *species* sive *pulveres* dispensandos & contundendos, nullo ferè artificio hîc opus sit, &, quilibet in Pharmaceuticis vel leviter saltem instructus, talia peragere possit; quidquid etiam sigillatim vel junctim contundendum sit, nullus Pharmacopœorum, ex artis usu ignorat, quem neque *selectiorum simplicium notæ & adulteria* latent. Occurrunt tamen nonnulla, quorum mentionem ut hîc injiciam, vel maximè mihi incumbit: Primò quidem valdoperè displicet *prodigiosa ubertas tot tantarumque compositionum*, quarum, vel paucæ merentur, ut publicis Dispensatoriis inserantur, quin longè satiùs esset, eas penitùs ex illis elidere. Namque ex tanta ingredientium inter se repugnantium farragine, sine omni ratione & judicio conglomeratæ sunt, ut vel utenti nauseam moveant, vel penitiùs perlustranti, risum extorqueant; quippè *integræ & prolixæ satis compositioni* aliquando *ingredientis cujusdam drachmam unam vel alteram* adjiciunt, à qua totum *compositum* vel *refrigerandi, calefaciendi, siccandi* vel *humectandi virtutes* mutuari debet; cujus tamen vel libra à quovis homine comesta, vix ullam in dictis qualitatibus causabit alterationem.* Si quoque exacta computatio institueretur, quantum *de uno vel altero ingredienti*, in quod illi ingentem spem vel *refrigerandi*, vel *calefaciendi*, aut *roborandi* collocant, in *quamvis dosin* redundaret; certò inveniremus, quòd aliquando vix *granum*, *ne dicam quarta vel decima pars unius grani dosin* ingrederetur; cujus tamen vel *uncia integra*, vel *drachma de aliquibus* plùs minusvè, cum emolumento ægri, propinari posset. Vidi non semel *integras drachmas*

mas lapidis Bezoar & Perlarum Orientalium pro dosi à Mercatoribus quidem, non Medicis, insigni cum emolumento ægrotantibus porrectas esse; Ecquis autem Medicorum ausit *scrupulum dimidium dictorum medicamentorum* transcendere? Item quoties in febribus incipientibus & confirmatis, diuturnis, Diarrhœa, & consimilibus morbis, *unciam dimidiam*, vel *amplius Theriacæ*, ipsemet assumpsi, aliisque propinavi, nunquam non feliciter & summo cum fructu; è contrà verò, nunquam vidi Medicos *ultrà drachmam unam Theriacæ*, ascendisse. Quam inconcinnum etiam sit & absonum, si quis æquâ lance perpendere velit, composita compositis cumulare, quilibet qui ingredientia *compositionum* hujus classis, ad computationem reducere non gravabitur, haud difficulter agnoscet. Exemplo in præsens esto *Confectio pectoralis* quam ultra *species simplices ipsi destinatas*, *species Diatragacanthi frigidi*, & *species Diaireos*, hasque iterùm *species Diatragacanthi frigidi* ingrediuntur, ita ut *radices Liquiritiæ*, *Saccharum*, *Tragacanthum & Gummi Arabicum* ter, *radices Ireos Florentinæ* verò bis, *huic confectioni* distinctim addi debeant. Sit igitur magno cum labore ad calculum revocata *hujus Confectionis Pectoralis* resolutio talis, utpotè:

℞. *Pulv. Radicum Ireos Flor.* ʒ *iv*,
Liquiritiæ ʒ *j. gr. v*,
Cinamomi acuti ʒ *ij*,
Nuc. Moschat. ʒ *j*,
Caryophyllorum ℈ *ij*,
Macis ℈ *j*,
Zingiberis ʒ *iij*,
Croci ℈ ß,
Tragacanthi ℈ *ij. gr. xiij*,
Gum. Arabici ℈ *j. gr. xviij*,
Sacchari Penidii ʒ *ß. gr. xvj*,
Candi ʒ ß,
Sem. quatuor frigid. major. ana gr. iij ß,
Amyli gr. viij,
Camphoræ partem tertiam unius grani,
Sacchari albissimi in aqua Farfaræ diss. & ad consistentiam Tabulati cocti ℥ *xx*,
Fiat confectio Rotularum.

Hujus *compositionis* nunc summatim erunt ℥ *xxij*, positâ jam *unciâ dimidiâ* etiam pro *dosi*, (licet Medici ultrà *duas vel tres Rotulas* pro unaquaque *dosi*, assumere non præcipiant) quantum jam *hæc dosis vel uncia dimidia* hujus *confectionis Pectoralis* continebit in se *Camphoræ? Quadragesimam scilicet quartam partem, tertiæ partis unius grani*: Quantum *Sacchari Penidii? granum unum*; Quantum de *quatuor seminibus frigidis majoribus? duodecimam circiter partem unius grani de quolibet semine*, Quantum *Amyli? tertiam circiter partem grani unius* & sic ulterius. Sed quæso nonne infantes, *Sacchari Penidii unciam dimidiam* sæpissimè, & unicâ vice sine nocumento lambunt: nihil enim aliud ipsum est, quam *Saccharum purissimum*, nullâ re permistum, sed saltem manualibus operationibus friabile redditum, *quæ* ℥ ß continet 240 *granorum: Amylum autem*, quid aliud est, quam *farina tritici purissima*, quam infantes quotidiè sat largiter, cum *lacte* in pulticulam redactam assumunt. Alterius exempli locum suppleat *Tragææ Aromatica grossa cum Tabulatis*, quam inter cætera *Tabularum Aromatici Rosati* ʒ *vj* ingrediuntur, quæ ipsæ ʒ *j Tabularum* continebunt *viginti quinque circiter grana specierum Aromatici Rosati*, Illi autem *xxv. grana* erunt ferè *centesima pars totius compositi*, scilicet *Aromatici Rosati* prout huic Dispensatorio insertum est: Igitur hæc *compositio* scilicet *Tragææ*, pro qualibet *drachma una* ingredientium, *dimidium granum cum dimidio quadrante unius grani specierum Aromatici Rosati* continebit. Jam si ulteriùs *hæc Tragæa* (*quæ* ℥ *viij &* ʒ *v* habet) in *doses* dividenda esset, & pro qualibet *dosi uncia dimidia* computanda sit (quæ erit *decima septima pars integræ hujus Tragææ*,) quantum quæso de *Aromaticq Rosato pro drachma una* singulorum ingredientium hanc *dosin Tragææ* intrabit? *Decima septima nimirùm pars dimidii grani & dimidii quadrantis unius grani.* Taceo reliqua minutiora, quæ hanc *Tragæam* pariter ingrediuntur: quantus enim exigeretur labor, si quis exactè omnia excerpere, & computationem super *singulas doses* instituere vellet? Hæc & similia maximè admiranda, passim in hac classę occurrunt, indi-

gna

gna sanè ut prolixè de iis differamus. Quoties etiam *fructus*, utpotè *Passulæ majores, Dactyli, Caricæ*, *pulveribus vel speciebus* immisceri debent, videlicet *Diaireos Salomonis*, *Diahysso-pu Nicolai*, & *Diaprasiu ejusdem*; quorum si pariter exacta computatio fieri deberet, *quot granis* putas enumerati *fructus*, quamlibet *dosin* ditarent? Anne melius foret, *fructus illos* ceu palato satis gratos, ità per se recentes esse, quam exsiccatos ac induratos, demumque in pulverem contusos, nec non rebus aliis commixtos, ægrotantibus propinâsse. Non minùs etiam mirari subit, quòd tantas tamque eximias virtutes rebus tam levissimis attribuerint, quæ loco alimenti vel cibi passim assumuntur, & in centupla majori quantitate, quàm communiter his *speciebus* permixtæ, pro dosi propinentur. Præparatio itidem *seminis Cumini cum aceto*, pro *Diacymino* & *Diospolitico Nicolai*, planè destructoria est & illegitima, cùm nullius veneni, aut alterius qualitatis nocivæ, correctione indigentis, particeps sit; utuntur enim illo frequentissimè plurimis in locis, inque satis larga quantitate, in cibis, jusculis potissimùm aliisque eduliis, ità per se, nulloque *aceto* castigato, sed integrâ ejus *virtute Carminativâ* vigente: Quid enim præstare potest illâ destitutum, præsertim si in tàm exigua quantitate, uti solet, propinetur? De *Gemmis* & *Lapidibus preciosis durissimis* plurimis *compositionibus* additis, quid sentiam, paucis dicam. Notum est, quòd *Adamas durissima Gemma*, quàm subtilissimè etiam teratur & levigetur, prout & *vitrum*, nihilominùs ventriculum & intestina (quibus tenaciter adhærent, & in eorundem mucorem minutissimis suis aculeis sese insinuant) successu temporis terebrare aut ad minimùm exulcerare, connatumque eorum mucorem abradere, & consequenter vel mortem ipsam, vel saltem malum corporis habitum, ob vitiatam exindè ventriculi coctionem, inducere possint: An non igitur quid simile ab aliis quibusdam *Gemmis* & *preciosis Lapidibus durioribus*, nimirùm *Crystallo*, *Smaragdo*, *Saphyro*, *Rubino*, &c. quæ digestioni penitùs subjecta non sunt, & caloris nostri nativi imperium omnimodè respuunt, metuendum sit, cuivis prudenti diligentiùs expendendum relinquo. Ego sanè à similibus *durioribus preciosis Lapidibus*, communi modo præparatis summoperè mihi caveo, & quàm maximè abstineo; Non tamen ob id existimo, quòd prædicti *Lapides* in Medicina prorsùs inutiles sint, nec eximiis suis viribus polleant, præsertim si ritè & debito suo *menstruo*, in liquorem resoluti, ægris propinentur, aut externè *Periaptorum* instar adhibeantur, de quorum virtutibus consulantur Authores; inter illos autem inprimis *Calceolarius in sectione tertia*, & *Boëtius de Boodt in tract. de Gemmis & Lapidibus.*

De reliquis nonnullis *rebus præparatis*, compositiones quasdam ingredientibus, utpotè *Cornu cervi usto*, *Spodio*, *Serico tosto*, & quæ sunt de genere hoc, suo loco agemus. His ità propositis & quodammodo ventilatis, nunc qui adhuc in hac classe supersunt plurimarum *compositionum errores*, vel penitùs eliminandos, aut saltem castigandos, vel ad minimùm sedulò pervestigandos aliis relinquo, propositurus *nonnullas species Aromaticas magis concinnas & necessarias*, in subsequenti Dispensatorio novo.

ME-

MEDICAMENTORUM PHARMACOPOEIÆ AUGUSTANÆ CLASSIS DUODECIMA,

Continens

TROCHISCORUM COMPOSITIONES,

Nec-non

Iisdem Annexas Animadverſiones.

C*Omprehendit claſſis hæc* medicamenta *pariter* compoſita, Trochiſci *nomine indigitata formâ orbiculari, effigie placentularum, non tamen more* Rotularum *aut* Tabularum *parata, ſed manuum duntaxat operâ, in orbiculos efformata, majores minoreſvè pro libitu; quibus ad majorem elegantiam, utplurimùm ſigilla vel aſteriſci imprimuntur, ſicque ſiccata priùs in pyxidibus repoſita, ad diuturnos uſus aſſervantur.*

Agaricus Trochiſcatus Meſuæ.

℞. Agarici electi uncias quatuor,
Vini Cretici, aut Malvatici infuſionis
Zingiberis, quantum ſufficit.
Formentur Trochiſci.

P*ituitam craſſam bile permixtam, & craſſos viſcidoſque humores expurgat, ac viſcerum obſtructiones tollit.*

AGaricus ſelectiſſimus per incerniculum transmiſſus, cum vino Cretico aut Malvatico infuſionis Zingiberis in mortario lapideo, in Paſtillos cogatur, qui in umbra ſiccentur, ut evadant candidi, cùm aliquando facilè nigreſcant.

Trochiſci de Abſinthio Meſuæ.

℞. Roſarum,
Abſinthii Pontici,
Aniſi ana drachmas duas,
Rhabarbari,
Succi Eupatorii Meſuæ,
Aſari,
Seminis Apii,
Amygdalarum amararum,
Spicæ Indicæ,
Maſtiches,
Folii, ſeu Spicæ Romanæ ana drachm. unam,
Succi Endiviæ, quantum ſufficit.
Fiant Trochiſci.

L*Ongis & diuturnis febribus ſunt ſaluberrimi obſtructiones ventriculi, hepatis, & dolores eorundem levant, partes naturales omnes roborant, dejectamque appetentiam ſuſcitant.*

Trochiſci de Agarico Meſuæ.

℞. Agarici electi uncias tres,
Salis Gemmæ unciam unam,
Syrupi Acetoſi ſimplicis, quantum ſufficit.

Formentur Trochiſci, qui reponantur in loco calido & ſicco.

H*I ſunt communes illi Trochiſci de Agarico; ſolennior tamen & magis correcta eorum componendorum ratio pluribus videtur ea, quæ ſequitur.*

℞. Agarici albi & levis uncias tres,
Salis Gemmæ unciam ſemis,
Zingiberis drachmas tres,
Oxymellis ſimplicis, quantum ſufficit.

 Anti-

ANtiquorum mos in corrigendo Agarico hic erat, ut ei Salem Gemmeum tres potissimùm ob causas adderent: quarum prima est, ut is jam dictum Agaricum ob levitatem suam os ventriculi alioquin petiturum, ac vomitum vel stomachi subversionem citaturum, ad ventriculi fundum deprimeret. Deinde verò, ut cùm Agaricus tardè ac segniter purget, Sal Gemmeus magis irritet, mordicet, stimulet, ac excretionem promoveat. Tandem quoque ut abstergat & mundificet; unde Priscos omnibus ferè medicamentis purgantibus salem indidisse notavimus. Oxymel porrò adjiciebant, ne Agaricus intestinis adhæreret; sed protinùs abstergeretur, cùm aliàs vitium hoc ei peculiare existat: unde Avicenna eundem Colicis non exhibendum esse docet, ne levitate suâ intestinis adhærens novos dolores procreet. Insuper etiam Oxymel crassos ac lentos humores incîdit, prout & Zingiber, quod tenacem pituitam liquat attenuatque, & Agarici infirmam vim in altum & ad longinquiores partes deducit, cùm interim calore suo aromatico easdem confortet.

COnfert Agaricus sic præparatus antiquis capitis doloribus, viscerum obstructionibus à crassa tenaci ac pituitosa materia creatis vel obortis: stomachum, renes, lienem ac hepar mundificat, præsertim verò mulierum matrices repurgat, epilepsiam & vertiginem abolet, vermes enecat & expellit, prodestque utplurimùm morbis partium naturali facultati dicatarum; unde forsan eum Democritus Medicinam familiæ *dixit, venenis quoque resistit, asthmati conducit, & spiritum facilitat.*

Trochisci de Agno Castro Rhasis.

℞. Sem. Agni casti drachmas quinque,
Endiviæ,
Portulacæ ana drach. duas semis,
Cort. Tamarisci drachmas quinque.
Formentur Trochisci cum aqua decoctionis Scolopendrii.

PRofluvio seminis medentur, & gonorrhœam supprimunt, morbis itidem splenis auxiliantur.

Trochisci Alhandali Mesuæ.

℞. Pulpæ Colocynthidos albæ & levis à seminibus purgatæ unc. decem.

Incidatur pulpa hæc minutissimè, & fricetur per spacium trium dierum, ex intermissione tamen, cum parte aliqua unciæ unius olei Amygd. dulc. recentis; Deinde

℞. Tragacanthi,
Gummi Arabici,
Bdellii ana drachmas duas,

Macerentur in aqua Rosacea, donec liquescant & dissolvantur, & cum parte istius mucilaginis formentur Trochisci, qui in umbra siccentur: siccati iterum minutissimè conterantur, & cum reliqua mucilagine rursus formentur Trochisci.

PItuitam, & humores alios crassos glutinosos è profundis longeque distantibus partibus, utpote cerebro, nervis, musculis, juncturis, pulmonibus, ac thorace extrahunt, quo nomine in cephalalgia, hemicrania, apoplexia inveterato capitis dolore, epilepsiâ, vertigine, asthmate, diuturnâ tussi, dispnœâ, thoracis angustiâ, ischiade, morbisque articularibus frigidis usurpantur. Exhibentur in dolore colico flatulento ad vitream & viscidam pituitam ex intestinis deturbandam.

TRochisci hi nihil aliud sunt, quàm Colocynthis præparata, qui injici possunt in omnes compositiones Colocynthidem recipientes: sicut etiam mos noster huc usque obtinuit, ut in singulis compositis pharmacis Colocynthidem desiderantibus pro crudâ Colocynthide Trochiscos hos hucusque substituamus, quorum quoque usus in Catapotiis acuendis apud nos creber esse solet.

Colocynthidis autem pulpa in formandis his Trochiscis forficibus incisa tenuissimè multumque teri debet, ne asperæ ejus partes intestinis adhærentes ea exulcerent.

Trochisci de Alkekengi, seu de Halicacabo Mesuæ.

℞. Fructuum Halicacabi drachmas tres,
Sem. Citrulli,

Anguriæ,
Cucurbitæ ana drach. tres ſemis,
Boli Armenæ,
Gummi Arabici,
Thuris maſculi,
Sanguinis Draconis,
Amygdalarum amararum,
Succi Glycyrrhizæ,
Tragacanthi,
Amyli,
Pinearum mundatarum,
Sem. Papaveris albi ana drach. ſex,
Apii,
Hyoſcyami,
Charabe, ſeu Succini albi,
Terræ Sigillatæ,
Opii ana drachmas duas.

Cum ſucco Halicacabi, vel cum aqua Roſacea, in qua ejuſdem fructus ſicci fuerint macerati, aut Julep Roſato vel Violato, fiant Trochiſci.

Dicuntur etiam Diaphyſſalidon, & de veſicaria. Ad urinæ ardorem, fiſtulâ urinariâ, veſicâ, renibus & ureteribus exulceratis feliciter exhibentur, ulcera detergent, glutinant & cicatrices tegunt; lotii acrimoniam mitigant, ejuſque ſtrigmenta mucoſa, aſpera, & dolorifica complanant & leniunt, indeque urinæ tarditatem & dyſuriam natam tollunt.

Trochiſci Aliptæ Moſchatæ Nicolai.

℞. Ladani puriſſimi uncias tres,
Styracis Calamitæ unc. unam ſemis,
Styracis rubeæ unciam unam,
Ligni Aloës veri drachm. duas,
Ambræ drachmam unam,
Camphoræ drachmam ſemis,
Moſchi ſcrupulum ſemis,
Aquæ Roſarum, quantum ſufficit.
Formentur Trochiſci.

Conferunt hi Trochiſci infantibus ac puerulis aſthmaticis & pectoris anguſtiâ vel anhelitûs difficultate preſſis, ventriculum eorum laxum ac imbecillum roborant; unde lactis à nutrice præbiti evomitiones compeſcunt, nec non ad pretioſos ſuffitus expetuntur.

Per Styracem rubeam intelligitur hoc loco Styrax optima & ſelectiſſima, quæ in grana confluxit, qualem Theriacæ indere conſuevimus.

Parandi modus hic eſt, ut Ladanum & Styrax, utraque in patina vitreata tenui linteolo tecta, diebus canicularibus tamdiu Soli exponantur, dum omnia ſimul molleſcant: tum verò in calido mortario, piſtillo calido validè contuſa commiſceantur, donec tota hæc maſſa nigreſcat, deinde lignum Aloës in tenuem pollinem attritum inſpergatur, ac prædictæ maſſæ admiſceatur, cui quoque Camphora & Ambra ſimul trita jungantur, & Moſcho unciis tribus aquæ Roſaceæ odoratiſſimæ diſſoluto in paſtam cogantur, quæ in paſtillos aut teretes orbiculos efformari queat, qui ſupra calidum marmor, aut aſſerculum quernum, vel ex Pyro aut Ebeno confectum, & aqua Roſacea, ne ei adhæreſcant, aſperſum rotari, ac in vitreo vaſe diligenter clauſo aſſervari debent.

Trochiſci de Aniſo Meſuæ.

℞. Aniſi,
Succi Eupatorii Meſuæ inſpiſſati ana drachmas duas,
Sem. Anethi,
Spicæ Indicæ,
Maſtiches,
Folii, aut Macis,
Foliorum Abſinthii,
Radicum Aſari,
Apii,
Amygdalarum amararum ana drachmam ſemis,
Aloës drachmas duas,
Succi Abſinthii, quantum ſufficit.
Fiant Trochiſci.

Obſtructiones hepatis reſerant, flatus diſcutiunt, ſtomacho auxiliantur, ac prolixos frigidos morbos, febreſque diuturnas ſanant.

Trochiſci Bechici Albi.

℞. Sacchari albiſſimi libram unam,
Candi optimi,
Penidii ana unc. quatuor,

Ireos unciam unam ſemis,
Amyli uncias duas ſemis,
Mucilaginis Tragacanthi albiſſimi cum aqua Roſarum factæ, quantum ſatis.
Formentur Trochiſci parvi,

Faucium aſperitati proſunt, ac tuſſientibus & difficulter ſpirantibus opem ferunt.

Trochiſci Bechici Nigri.

℞. Succi Glycyrrhizæ inſpiſſati unc. quatuor,
Styracis Calamitæ unc. unam ſemis,
Sacchari Candi uncias duas ſemis,
Specierum Diaireos Salom.
Lohoch ſani ana unciam ſemis,
Sacchari Penidii libram ſemis,
Sacchari albiſſimi libras duas, uncias tres,
Mucilaginis Tragacanthi cum aqua Hyſſopi factæ, quantum ſatis.
Fiant Trochiſci.

Tuſſi ſiccæ à materia acri & calida profectæ conferunt, guttur ac fauces leniunt, difficiles excreationes promovent, & ablatæ vocis jacturam reſarciunt.

Hos minori Diſpendio alii ſic parare conſueverunt.

℞. Succi Liquiritiæ inſpiſſati unc. octo,
Sacchari libras duas,
Pulv. Liquiritiæ unciam unam.
Cum mucilagine Tragacanthi fiant Trochiſci, in mortario calido maſſam miſcendo.

Trochiſci Bechici Rubri.

℞. Spec. Trochiſcos Bechicos albos conſtituentium uncias duas,
Boli Arm. Orientalis præparat. drach. duas, & ſcrupulos duos.
Cum infuſione Tragacanthi facta in aqua Roſarum fiant Trochiſci.

Catarrhos tenues intercipiunt, leniter enim adſtringunt & exſiccant, ac ſputum ſanguinis inhibent.

Trochiſci de Benzoi.

℞. Benzoi uncias ſex,
Ligni Aloës optimi uncias octo,
Styracis Calamitæ uncias tres,
Moſchi drachmam ſemis,
Ireos uncias duas,
Sacchari Candi libras tres.
Pulveriſatis omnibus, fiant Trochiſci cum aqua Roſarum.

Caput & pectus confirmant & ſiccant, nec non ad ſuffitus ac odoramenta expetuntur.

Trochiſci de Berberib. Meſuæ.

℞. Berberum drachmas duas,
Spodii,
Ligni Aloës,
Seminis Acetoſæ,
Maſtiches,
Galliæ Moſchatæ,
Nardi Indicæ ana drachmam unam,
Gummi Arabici drachmas tres,
Roſarum rubearum drach. quinque,
Aquæ Roſarum, quantum ſufficit.
Fiant Trochiſci.

Ingrediuntur Elect. Roſatum Meſuæ, in eumque uſum parantur, licet uſurpari poſſint ad intemperiem calidam, febrium ardores, linguæ ariditatem, & ſitim ſedandam.

Trochiſci de Camphora Meſuæ.

℞. Roſarum rubearum drachm. quatuor,
Sacchari albi,
Mannæ ana drachmas tres,
Santali Citrini drachmas duas ſemis,
Glycyrrhizæ,
Spodii ana drachmas duas,
Sem. quatuor frigid. major.
Gummi Arabici,
Tragacanthi,
Nardi Indicæ,
Croci ana drachmam unam,
Ligni Aloës,
Cardamomi majoris,

Amyli,
Camphoræ ana ſcrup. duos,
Cum mucilagine ſem. Pſyllii extracta cum aqua Roſacea formentur Trochiſci.

AD febres ardentes, bilis & ſanguinis fervorem, ventriculi & hepatis intemperiem calidam, & ab his ſitim inexpletam, icterum quoque, phthiſin, & hecticam utiliter adhibentur.

Trochiſci de Capparibus Meſuæ.

℞. Cort. radicum Capparûm,
Sem. Agni caſti ana drachmas ſex,
Nigellæ,
Naſturtii,
Calaminthæ,
Succi Eupatorii Meſuæ,
Acori ſeu Calami Aromatici,
Amigdalarum amararum,
Foliorum Rutæ,
Ammoniaci ana drachmas duas,
Ariſtolochiæ rotundæ veræ,
Cyperi rotundi,
Scolopendrii veri, ſeu Ceterach ana drachmam unam.
Trita omnia cum Ammoniaco in Aceto diſſoluto formentur in Trochiſcos.

IIs utimur ad lienis & hepatis obſtructiones à craſſa & melancholica materia profectas: potenter enim humores diſſecant & attenuant, natamque inde viſcerum duritiem emolliunt, ac flatus hypochondriacos, cæterarumque partium ſolvunt.

Trochiſci de Charabe Meſuæ.

℞. Charabe drachmas ſex,
Cornu Cervi uſti,
Gummi Arabici aſſati,
Corallii rubri uſti,
Tragacanthi,
Succi Acaciæ,
Hypociſtidis,
Balauſtiorum,
Maſtiches,
Laccæ,
Papaveris nigri aſſati ana drach. duas,
Thuris,
Croci,
Opii ana drach. unam, gr. quindecim,
Mucilaginis Pſyllii, quantum ſatis eſt.
Formentur Trochiſci.

SAnguinem excreantibus, tabidis, purulenta expuentibus, cœliacis & dyſentericis auxiliantur; ſanguinem undecunque emanantem ſiſtunt ac ſupprimunt.

Trochiſci de Corallio Nicolai.

℞. Corallii rubri,
Cinamomi,
Myrrhæ,
Amomi,
Sem. Papaveris ana unciam ſemis,
Schœnanthi,
Croci ana drachmas duas,
Calami Aromatici,
Xylobalſami,
Caſſiæ ligneæ,
Folii aut Macis,
Maſtiches,
Folior. Polii Montani,
Pedis Columbini,
Radic. Phu,
Aſari ana drachmam unam,
Vini, quantum ſufficit.
Formentur Trochiſci.

SAnguinolenta excreantibus, dyſentericis cœliacis, & cibum faſtidientibus mirè ſubveniunt.

PEs Columbinus eſt altera Geranii ſpecies, habens Malvæ folia: vide Foeſium fol. 210.

Trochiſci Diacoralliu Galeni.

℞. Corallii rubri,
Terræ Samiæ aut Boli Armenæ ana unciam unam,
Balauſtiorum,
Amyli ana unciam ſemis,
Hypociſtidis,
Sem. Hyoſcyami,
Opii ana drachmas duas,
Succi Plantaginis, quantum ſufficit.
Formentur Trochiſci.

Iisdem affectibus probè tollendis, quibus præcedentes succurrunt.

Trochisci de Croco Nicolai.

℞. Croci drachmas tres,
Rosarum rubearum,
Ammeos,
Myrrhæ ana drachmam unam semis,
Ligni Aloës scrupulos duos.
Cum aqua Rosacea fiant Trochisci.

Lienis & hepatis obstructiones aperiunt, flatus dissipant, humorum putredinem arcent, ac cordi vires addunt.

Croçomagma Damocratis ex Galeno.

℞. Croci drachmas viginti quinque,
Myrrhæ,
Rosarum ana drach. duodecim semis,
Amyli,
Gummi Arabici ana drachm. septem,
Vini Chii, quantum sufficit,
Fiant Trochisci.

Trochisci Cypheos Damocratis ex Galeno.

℞. Uvarum passarum pinguissimarum, seu Cybebarum,
Terebinthinæ coctæ ana uncias tres,
Myrrhæ,
Schœnanthi ana unciam unam semis,
Calami Aromatici drachmas novem,
Cinamomi drachmas quatuor.
Unguis odorati, seu Bdellii unguinosi
Spicæ Indicæ,
Cassiæ ligneæ veræ,
Cyperi,
Baccarum Juniperi ana drachmas tres,
Aspalathi drachmas duas semis,
Croci drachmam unam,
Mellis, quantum sufficit,
Vini Cretici modicum.

Bdellium, Myrrha & Terebinthina cocta in vino dissoluta redigantur ad crassitiem mellis, & carnibus Passularum ex melle diu tritis misceantur: deinde reliqua in tenuissimum pulverem redacta adjiciantur, ac simul agitando commisceantur, formenturque Trochisci, qui in umbrâ siccentur.

Describitur à Galeno 2. de Antidotis in Mithridatio Damocratis, cujus compositionem ingrediuntur. Quanquam per se quoque commodè iis dantur, qui jecur, aut pulmones, vel renes, aut aliud aliquod viscus exulceratum habent.

Pro Aspalatho, qui tamen nobis jam innotuit, lignum Aloës, aut Santalum Citrinum substitui potest.

Pro ungue odorato, rectè Bdellium unguinosum seu electissimum substituitur; ita enim Romanum quoque Antidotarium legit, in cujus defectu Bergomates Ammoniacum Thymiama sumunt, licet nonnulli Blattam Byzantiam, aut Conchylia, quibus Margaritæ innascuntur, pro Uugue odorato compositioni huic injiciant.

Terebinthinæ coquendæ modus in fine libri, inter præparationes Medicamentorum requirendus.

Trochisci de Eupatorio Mesuæ.

℞. Mannæ,
Succi Eupatorii ana unciam unam,
Rosarum unciam semis,
Spodii ex Ebore drachmas tres semis,
Spicæ Indicæ drachmas tres,
Rhabarbari,
Asari,
Anisi ana drachmas duas semis,
Cum aqua Cuscutæ fiant Trochisci, qui in umbra siccati reponantur.

Efficaces sunt ad omnem lienis & hepatis obstructionem tumoremque præter naturam; febres antiquas, earumque rigorem sanant, morbo regio & hydropi incipienti succurrunt, stomachicos juvant, & corporis flatus discutiunt.

Trochisci de Gallia Moschata Mesuæ.

℞. Ligni Aloës crudi drachmas quinque,
Ambræ drachmas tres,
Moschi drachmam unam,
Mucilaginis Tragac. extractæ cum aqua Rosarum, quantum sufficit.
Fiant Trochisci.

Cerebrum, cor, ventriculum, & reliqua viscera roborant, vomitum reprimunt, pectoris angustias & anhelationes juvant, oris halitum commendant, & ad varias compositiones expetuntur: suffitu ac vaporatione gratissimi, nec non ad delicias odoris suavitate quàm maximè accommodati.

Trochisci Gordonii.

℞. Quatuor sem. frig. major. mundat.
Papaveris albi,
Malvæ,
Bombacis,
Portulacæ,
Cydoniorum,
Baccarum Myrtillorum,
Tragacanthi,
Gummi Arabici,
Pinearum mundatarum,
Pistachiorum,
Sacchari Candi,
Penidii,
Liquiritiæ mundæ,
Hordei mundi,
Mucilaginis Psyllii,
Amygdalarum dulcium ana unciam unam,
Boli Armenæ,
Sanguinis Draconis,
Spodii,
Rosarum,
Myrrhæ ana unciam semis.
Ex Hydromelite fiant Trochisci.

Describuntur à Gordonio de Passionibus renum, Particula sexta, cap. 10. Renum exulcerationes sanant, sanguinis mictum inhibent, diabeti & gonorrhææ conferunt, ac stranguriam levant. Propinantur, si abstersio expetitur ex Hydromelite, aut decocto Liquiritiæ vel Hordei, sin verò consolidandi intentio prævalet, ex lacte aut aqua Chalybeata cum Syrupo vel succo Plantaginis, ac si exulceratio in vesica extiterit, lacte distemperati per syringam injiciuntur. Aliam descriptionem similium Trochiscorum ponit idem præfatus Auctor eodem loco cap. 11. quæ Ambram, Succinum, Spicam, Squinantum, & alia recipit; verum hæc quam apposuimus, usitatior existit.

Trochisci Hedychroi Andromachi ex Galeno.

℞. Mari,
Asari,
Amaraci,
Aspalathi ana drachmas duas,
Schœnanthi,
Calami odorati,
Phu Pontici,
Xylobalsami,
Opobalsami, aut olei Caryophyll.
Cinamomi,
Costi ana drachmas tres,
Myrrhæ,
Folii,
Nardi Indicæ,
Croci,
Cassiæ ligneæ ana drachmas sex,
Amomi drachmas duodecim,
Mastiches drachmam unam,
Vini Falerni, quantum sufficit.
Fiant Trochisci, qui in umbra exsiccati oleo Caryophyllorum inungantur.

Describuntur à Galeno 1. de Antidotis c. 10. ad Theriaces compositionem expetiti. In his cum quædam requirantur Succedanea, pro Maro, si id defuerit (quod tamen ad nos jam deferri cœpit,) Dictamni Cretici folia, pro Aspalatho Santalum Citrinum, pro Xylobalsamo lignum Aloes, pro Opobalsamo oleum Caryophyllorum, pro Costo Angelicam, pro Folio Macis & Cyperi ana partes æquales, pro Amomo Citri semina, ac denique pro Falerno Creticum vinum assumere licebit.

Oleum Caryophyllorum, quod pro Opobalsamo hîc substituitur, apud nos in compositione Trochiscorum horum omittitur; adjicitur autem in Theriacam sub finem ipsius mixtionis.

Trochisci Diajon seu de Violis Nicolai Alexandrini.

℞. Flor. Violarum purpurearum viridium drachmas quinque.

Amyli

Amyli drachm. tres,
Sem. Papaveris albi drach. duas ſemis,
Rhabarbari ſcrupulos quinque,
Sem. Plantaginis drachmam unam,
Balſami, ſeu olei Caryophyllorum ſcrupulum unum.

Trita ſubigantur, & cum aqua Roſarum formentur Trochiſci,

Thoracis anguſtias levant, guttur leniunt, ac alvum emolliunt; raro tamen ſunt uſui,

Trochiſci de Lacca Meſuæ.

℞. Laccæ mundatæ,
Succi Glycyrrhizæ,
Eupatorii,
Abſinthii,
Berberum,
Rhabarbari,
Ariſtolochiæ longæ,
Coſti,
Aſari,
Amygdalarum amararum,
Rubiæ,
Aniſi,
Apii,
Schœnanthi ana drachmam unam.

Cum decocto Ariſtolochiæ & Schœnanthi, vel ſucco Eupatorii, aut Abſinthii fiant Trochiſci.

Ecinoroſos lienoſos, & hydropicos adjuvant; febreſque ex viſcerum obſtructione natas propulſant, ac urinas potenter movent, quo nomine aſcitem pellunt.

Trochiſci de Myrrha Rhaſis.

℞. Myrrhæ drachmas tres,
Lupinorum drachmas quinque,
Foliorum Rutæ,
Mentaſtri,
Pulegii cervini,
Cumini,
Rubiæ,
Aſæ fœtidæ,
Sagapeni,
Opopanacis ana drachmas duas.

Diſſolvantur Gummi in aceto Scillitico, & cum ſucco Artemiſiæ fingantur Trochiſci.

Deſcribuntur à Rhaſe 9. ad Almanſorem in menſtruæ purgationis retentione, tarditatem enim menſtruam ſollicitant, quæ ex craſſorum & frigidorum copia aut ſanguine concreto ortum duxit: attenuant, incidunt, & infarctos meatus aperiunt, fœtum mortuum, ſed præcipuè ſecundinam tardantem præſenti remedio expellunt. Exhibentur è decocto granorum Iuniperi.

Pro Pulegio cervino quidam vulgare capiunt; ejus enim maxima vis eſt in ciendis menſtruis.

Trochiſci Pectorales cum Ambra.

℞. Spec. Diaireos uſitatæ ſcrupulos octo,
Diambræ completæ,
Pulveris radicis Ireos Florentinæ ana ſcrup. quatuor,
Amyli unciam ſemis,
Trochiſcorum Galliæ Moſchatæ veræ ſcrupulos quatuor, grana octo,
Ambræ gryſeæ veræ ſcrupulum unum, grana octo,
Sacchari albiſſimi uncias ſex,
Candi albi,
Penidii ana uncias tres,
Mucilaginis Tragacanthi cum aqua Roſarum factæ, quantum ſatis.
Fiant Trochiſci.

In catarrho & defluxionibus è capite variis ad aſperam arteriam & cavitatem pectoris inprimis utiles ſunt; lentorem catarrhi incidunt, ſputum promovent, & expectorationi humoris influxi conducunt.

Trochiſci Ramich Meſuæ.

℞. Succi Acetoſæ uncias ſedecim,
Roſarum unciam unam,
Baccarum Myrti uncias duas.

Semel ferveſiant & colentur; adde colato,
Gallarum recentium accuratè tritarum uncias tres.

Coquantur iterum aliquantulum, deinde inſper-

ſpergatur ſequentium ſpecierum minutiſſimus & optimè commixtus pulvis.

℞. Roſarum unciam unam,
Santali Citrini drachmas decem,
Gummi Arabici unciam unam ſemis,
Sumach,
Spodii ana unciam unam,
Omphacii, ſeu Agreſtæ drach. ſeptem
Granorum Myrti uncias quatuor,
Ligni Aloës,
Caryophyllorum,
Macis,
Nucis Moſchatæ ana drach. quatuor.

Miſce omnia ſimul, & extende in ſcutella lapidea dum ſiccentur. Exſiccata rurſus in tenuiſſimum pulverem terantur, & formentur Trochiſci parvi cum Camphoræ aureo ſeu denario uno, hoc eſt, drachma una & ſeptima ejuſdem parte & ſufficienti aqua Roſarum, ac in umbra libera exſiccati reponantur.

Hos Trochiſcos aliquot compoſitiones recipiunt, eoſdem tamen uſurpamus in inteſtinorum & alvi totius lævitate, acriumque humorum per ſedem profluvio. Infuſi enim acrimoniam obtundunt, & impetum refrenant, eoque nomine choleræ morbo ſuccurrunt: hæmorrhagiam omnem ſiſtunt naribus immiſſi, aut medicamentis admoti, viſcerum languores, ventriculi, hepatis, & cordis imbecillitates firmant.

Sunt, qui ſucci Oxalidis loco ſuccum Cydoniorum ſumunt immaturum, Trochiſcoſque aromatiſant Moſchi drachmæ unius quartâ parte. Præterea pro Myrti granis ſuccum baccarum Myrti Fuchſius legit, qui in compoſitione hac maximè probandus eſſet, ſi modò apud nos extaret, aut commodè haberi poſſet.

Ramich mixturam ex Gallis & uvis paſſis ſignificat.

Trochiſci de Rhabarbaro Meſuæ.

℞. Rhabarbari optimi drachmas decem,
Succi Eupatorii,
Amygdalarum amararum ana drach. quatuor,
Roſarum drachmas tres,
Spicæ Indicæ,
Aniſi,
Rubeæ radic.
Abſinthii,
Aſari,
Sem. Apii ana drachmam unam,
Aquæ Cuſcutæ, quantum ſufficit.
Fiant Trochiſci.

Horum uſus celebris eſt in febrium prolixarum declinatione, impendente malo corporis habitu: plurimum namque proſunt ictericis, hydropicis, hepaticis & cachecticis; tumoribus doloribuſque ventris inferioris medentur, obſtructiones reſerant, formæ corruptionem ac fœditatem emendant, nec non affectus jecoris inveteratos aquei, acris ac ſeroſi humoris dejectione tollunt.

Trochiſci Diarhodon Nicolai.

℞. Roſarum viridium drachmas tres,
Spodii drachmas duas,
Santali rubri drachm. unam ſemis, grana ſeptem,
Albi drachmam unam, grana duodecim,
Croci ſcrupulos duos ſemis,
Camphoræ ſcupulum ſemis.

Roſas recentes contunde in mortario lapideo ſine intermiſſione, tùm reliqua in pulverem redacta adde, & cum aqua Roſacea ſub finem Camphoram addendo formabis Trochiſcos, quos in umbra ſiccatos uſui reſerva.

Dyſentericis, cœliacis, jecinoroſis, & ſtomachicis conferunt.

Trochiſci de Roſis Rhaſis.

℞. Roſarum rubearum unciam ſemis,
Ligni Aloës drachmas duas,
Maſtiches drachmam unam ſemis,
Cinamomi,
Abſinthii Pontici,
Nardi Indicæ,
Caſſiæ ligneæ veræ,
Schœnanthi ana drachmam unam.

Cum vino veteri, & decocto quinque radicum aperientium formentur Trochiſci.

Efficaces sunt ad jecoris obstructionem, ac febres antiquas, icterum, & aquam intercutem; ventriculi & nutritivarum partium imbecillitatem corrigunt.

Hi sunt Trochisci de Rosis, qui pilulas de Rhabarbaro ingrediuntur. Ῥοδίδες autem seu Rosei Pastilli alii describuntur à Dioscoride lib. 1. cap. 113. ab his facultatibus non multùm differentes, quibus Myrrham insuper addit.

Trochisci de Santalis Mesuæ.

℞. Trium Santalorum ana unciam semis,
Rosarum drachmas tres semis,
Berberum, *aut succi eorundem inspissati*, drachmas tres,
Boli Armenæ,
Sem. Cucumeris,
Cucurbitæ,
Citrulli,
Portulacæ,
Spodii ana drachmas duas,
Camphoræ drachmam semis.
Cum aqua Portulacæ fiant Trochisci.

Ad febrem ardentem, ventriculi & hepatis intemperiem calidam, & sitim levandam usurpantur.

Trochisci de Scilla Galeni.

Scillam initio Julii collectam, mediæ magnitudinis, plenam, candidam, cortice primo detracto, & parte duriore cui radiculæ adhærent abjectâ, farinâ subactâ involves, & eò usque in clibano coques, donec farina probè siccata sit, & eâ perforatâ stylo ligneo tentabis, num Scilla undique tenera sit. Ea exempta, partem interiorem diligenter teres, cui admiscebis farinæ Erui tenuissimè cribratæ uncias octo ad singulas libras, formabis Trochiscos ponderis duarum drachmarum, & siccabis in superiore parte ædium meridiem spectante, sæpiùs obvertendo donec probè siccati sint, deinde repone.

Describuntur à Galeno 1. de Antidotis, & in Theriaca ad Pisonem; ejus enim compositionem ingrediuntur.

Pro farina Orobi seu Erui rectè hic à nobis substituitur pulvis radicum Dictamni albi, seu Fraxinellæ.

Trochisci Diaspermaton Galeni.

℞. Sem. Apii,
Ammeos ana unciam semis,
Anisi,
Fœniculi ana drachmas duas,
Opii,
Cassiæ ana drachmam unam.
Cum aqua pluviali formentur Trochisci.

Dantur ex passo aut aqua, ad omnes internos affectus dolorificos, sanguinem rejectantibus apprimè conferunt, ac somnum conciliant.

Trochisci de Spodio cum semine Acetosæ Mesuæ.

℞. Rosarum rubearum unc. unam semis,
Spodii drachmas decem,
Sem. Acetosæ drachmas sex,
Portulacæ,
Coriandrorum præparatorum,
Sumach ana drach. duas semis.
Amyli usti,
Balaustiorum,
Berberum ana drachmas duas,
Gummi Arabici assati drachmam unam semis,
Omphacii, seu Agrestæ, quantum satis.
Fiant Trochisci.

In febribus biliosis cum alvi fluore præstantes sunt; inflammationem ventriculi & hepatis, ac sitim continuam sedant.

Trochisci Sublinguales Completi contra Pestem.

℞. Extracti ligni Aloës grana decem,
Specierum cordialium Alexandri Benedicti drachmam unam,
Diamoschu dulcis drachmam semis,
Radicum Iridis Florentinæ scrupulos duos,

Olei

Olei corticis Citri guttas tres,
Zedoariæ guttas duas,
Sacchari albi uncias octo,
Ambræ gryseæ grana quatuor,
Moschi grana duo,
Zibethi granum unum,
Mucilaginis Tragacanthi cum aqua Rosarum factæ, quantum satis.
Fiant Trochisci.

Trochisci Sublinguales incompleti.

℞. Pulveris rad. Angelicæ unciam semis,
Pimpinellæ,
Seminis Angelicæ,
Corticis Citri sicci,
Pulveris Zedoariæ ana scrupulos duos semis,
Sacchari albi uncias septem.
Cum mucilagine Tragacanthi ex aqua Rosarum facta, quantum satis,
Formentur Trochisci.

Trochisci de terra Sigillata Mesuæ.

℞. Sanguinis Draconis,
Gummi Arabici assari,
Trochiscorum Ramich,
Rosarum rubearum,
Amyli exsiccati,
Acaciæ,
Hypocistidis,
Lapidis Hæmatitis,
Balaustiorum,
Boli Armenæ,
Terræ Sigillatæ,
Corallii rubri,
Charabe ana drachmam unam,
Spodii de Ebore,
Margaritarum præparatarum,
Tragacanthi,
Sem. Papaveris nigri ana drachmam unam semis,
Rosarum drachmam unam,
Portulacæ,
Cornu Cervi usti,
Thuris masculi,
Conorum Cupressi,
Croci ana drachmas duas,
Aquæ Plantaginis, quantum sufficit.
Fiant Trochisci.

SAnguinem undecunque manantem & sputa cruenta cohibent, ac varii generis hæmorrhagias sistunt, fœminarum menstruam purgationem immoderatiùs fluentem morantur: intus sumpti vel cum succo Polygoni aut Plantaginis ac ovi albumine coxis & pubi illiti, aut cum conveniente liquore utero immissi, cruento item lotio medentur, ac dysenterias, diarrhœas & alvi profluvia compescunt. Potentiùs id præstant, si eis addatur Opium, quod aliqui compositioni huic drachmarum duarum pondere in universum adjiciunt.

Trochisci de Sulphure & Tutia.

℞. Sulphuris vivi,
Camphoræ,
Tragacanthi ana drachmam unam,
Tutiæ præparatæ unciam semis,
Cum infusione Tragacanthi, ex aqua Rosarum facta, quantum satis.
Fiant Trochisci.

AD varia superficiei corporis vitia, impetiginem, phlogosin, herpetem, phlyctenas, rhagades, erysipelata conducunt, si cum aqua appropriata dissolvantur, & parti dolenti sæpius imponantur.

Trochisci de Violis Solutivi Mesuæ.

℞. Violarum nigrarum mediocriter exsiccatarum drachmas sex,
Turbith drachmas quatuor,
Succi Glycyrrhizæ,
Scammonii præparati,
Mannæ ana drachmas duas.
Cum Syrupo Violato fiant Trochisci.

USurpantur in expurgandâ pituita lenta & viscida, quæ thoracis vias intercipit & suspiriosos facit, bileque vitellinâ permixtâ deturbandâ.

Trochisci è Vipera Galeni.

℞. Carnis viperinæ Anetho, sale, & aquâ coctæ uncias octo,

Panis triticei puriſſimi, aut bis coćti triti & cribrati uncias duas.

Formentur Trochiſci cum jure, in quo decoćtæ fuerint carnes viperinæ, & inungantur oleo Caryophyllorum, quod proximè accedit ad naturam Balſami. Siccentur in loco umbroſo, libero, ventoque perflabili, per dies quindecim, aut eò ampliùs. Sæpè autem ſunt convertendi, donec probè exſiccati fuerint; deinde in pyxidem vitream, aut figulinam vitreatam benè obturatam reponendi. Annum integrum perſeverant, quanquam longè meliùs fuerit, haud multò poſt, quàm ipſos confeceris, Theriacam adornare. Qui porrò diutiùs conſervare volet, ſubinde eos à pulviſculo abſtergat, qui illis obnaſci conſuevit; nam ſi diutiùs inhæreat, paſtillos exedere & carioſos reddere ſolet. Hoc autem modo ad tertium annum uſque conſervari poſſunt.

Trochiſci hi ſunt baſis Theriacæ. Cutaneis morbis, viperarum morſibus peſtilentialibus conveniunt; elephantiacos juvant, oculorum caliginem atque obſcuritatem emendant, nec non viſum ipſum acuunt.

De Viperarum delećtu, & Trochiſcorum horum præparatione, vide plura apud Foëſium, Bartholomæum Maranthan, Baldum Angelum Eugubinum, & Galenum ipſum.

Trochiſci de Xyloaloë Meſuæ.

℞. Ligni Aloës.
Roſarum rubearum ana drachm. duas,
Maſtiches,
Cinamomi,
Caryophyllorum,
Galliæ Moſchatæ,
Spicæ Indicæ,
Macis,
Nucis Moſchatæ,
Cubebarum,
Cardamomi utriuſque,
Paſtinacæ,
Cort. Citri ana drachm. unam ſemis,
Moſchi,
Ambræ ana ſcrupulum ſemis.
Cum melle Paſſulato fiant Trochiſci.

Ventriculum, cor, & hepar, ac membra alia debilia roborant, oris fœtorem abigunt, cordis palpitationem & ſyncopas auferunt; hydropicis auxiliantur, ac peſtilenti conſtitutioni ſunt medendo.

ANIMADVERSIONES

Cunctas hujus Claſſis compoſitiones concernentes

Ex variis & diverſæ ſpeciei ingredientibus, è tribus Regnis depromptis, hi ſimiliter *Trochiſci*, de quibus in hac claſſe nobis ex inſtituto ſermo eſt, conficiuntur, ità ut non niſi formâ externâ, à *ſpeciebus* vel *confećtionibus* prioris claſſis diſcrepent, proindè etiam cunćta, quæ de illis ſuperiùs annotavimus, meritò & hîc locum habere poſſunt; cum tot ac tantæ huic, atque ſuperiori claſſi inconcinnæ ſint inſertæ *compoſitiones*, quæque proindè non minùs, ut ipſæ, exploſionem merentur, paucis ſaltem exceptis, *Trochiſcis nimirùm ſublingualibus, Bechicis albis, rubris & nigris*, uſui medico interno deſtinatis, & quæ *ſuffumigiis* inſervire poſſunt, *De Benzoë & Alipta Moſchatæ Nicolai*. Reliquæ autem *compoſitiones omnes*, ob quam ſingularem rationem, in hanc formam *Trochiſcorum* ſcilicet redaćtæ ſint, non video; cùm, ſi in uſum trahi debeant, neutiquam ſub hac forma aptæ ſint, ut ægrotantibus exhibeantur: Sunt enim *Trochiſci* duriſſimi à *Tragacantho* (cujus beneficio in hanc formam utplurimum coagmentantur) adeò compaćti & indurati, ut poſtmodum difficillimæ triturationis ſint, piſtillo etiam & mortario tenaciſſimè adhæreant, quod quidem aliter fieri nequit; nam ubi tot *diverſæ inter ſe repugnantes ſpecies*, ope alicujus *mucilaginis* in unam maſſam cogendæ ſunt, non poſſunt non ad ulteriorem triturationem inhabiles reddi, præſertim ſi *reſinoſa gummata vel ſucci concreti*, iis immiſta ſint, quæ ut alioquin moris eſt, ſemper ſigillatim pulveriſata aut diſſoluta, *compoſitionibus* coadunari debent. Si itaque neceſſum ſit, hoſce *Trochiſcos* (exceptis ſuperioribus denominatis) quoties in uſum trahi debent, priùs pulveriſare (integri enim, nunquam vidi, quod exhibiti

bibiti fuerint, neque ità exhiberi possunt, cùm ab humiditate oris vel salivâ tam promptè dissolvi nequeant, nec etiam deglutiri uti *pilulæ*) cur non in forma *pulveris* relicti, aut in aliam aliquam formam usui non repugnantem redacti sunt? Accedit & hoc incommodum, quòd plures *Trochisci*, maximè qui vi adstrictoriâ pollent, quando ægrotis, utut iterum in pulverem redacti, propinentur, vires suas propter *mucilaginem Tragacanthi*, quâ obducti sunt, & quæ tenaciter illis impacta est, commodè exserere nequeant, ac magnopere ab adhærente illa *mucilagine* impediantur. Quin etiam *Trochisci de Aniso*, in qua forma, & quomodo illi ægris exhibendi sint, libenter scirem? *Trochisci* item *Cypheos & Hedychroi*, cur sigillatim pro *Theriacæ & Mithridatii confectione* prostent, cùm ferè omnia horum *Trochiscorum* ingredientia *Theriacam & Mithridatium* ipsa ingrediantur? de quibus plura in eorundem, *Theriacæ* nimirùm & *Mithridatii confectionibus*, nobis differenda erunt? Cæterùm *Trochisci pectorales*, ex quot *compositis* illi consarcinati sunt? Et si exacta ipsorum *compositorum* institueretur computatio, & quantum singula dosis de hoc vel illo eorum ingredientium gauderet, accuratiori examine trutinaretur, simili divisione granorum impossibili hîc opus foret, illi quæ in *animadversionibus præcedentis classis*, inprimis super *confectionem pectoralem & Tragæam grossam*, non sine magno nostro labore, & accuratâ diligentiâ facta est. Insuper *Trochisci de Violis solutivi*, dic amabo, quomodo isti adhibendi, & ægrotantibus propinandi sint, vel quomodo commodè denuò in pulverem redigi queant? quasi verò sub nulla alia forma commodiori *Cathartica medicamenta* prostarent, ægris exhibenda; Et cur *Trochiscis de Xyloaloë* etiam sigillatim *Trochisci Galliæ moschatæ* addi debent, cum tamen *lignum Aloës*, *Moschus & Ambra*, utpotè ex quibus solis & non aliis ingredientibus *Gallia moschata* constat, & hos ipsos etiam *Trochiscos*, scilicet *de Xyloaloë* ingrediantur? Nonnè satiùs fuisset, *Ambræ*, *Moschi*, & *ligni Aloës* recentium quantitatem in *compositione* augere, quam *Galliam moschatam*, sive præfatas, ex quibus illa componitur, *species* priùs cum *glutine Tragacanthi*, in *Trochiscos* compactas, demùm addidisse?

Tandem, ne *Trochiscos de Viperis* prætercam, & quid de eorundem præparatione singulariter sentiam, ingenuè ut aperiam; horum plurimæ quidem prostant *compositiones*, attamen in nullo alio discrepantes, quàm in sola quantitate *Panis* addendâ. Maneamus jam in præscripta formula: neque enim opus habemus, ut denominatos in adjuncta animadversione Authores, de *delectu viperarum* aut horum *Trochiscorum* præparatione consulamus, vel ipsorum Authoritatem emendicemus, sufficiet ea huc adducere, quæ hisce nostris oculis usurpavimus & manibus perfecimus. Itaque, quòd præparationem inprimis & *compositionem illorum Trochiscorum* concernit, dico & assero, ipsam omni experientiâ & ratione destitui; Etenim impossibile est, ut ℥ *viij carnis viperinæ coctæ & humidæ cum duabus unciis panis* in massam cogantur, undè postea *Trochisci* efformandi sint, multò minùs de *jure ejusdem carnis viperinæ* (in quo tamen potissimæ *viperarum* vires reconditæ sunt, ipsaque earundem *essentia* veluti, non secùs quàm in *gelatinis caponum*, eorundem vis restaurativa delitescit, adeoque vel maximè necessarium & consultum esset, ut vel totum adderetur,) quicquam addi potest; eo enim admixto, liquidissimam quandam pultem, non verò massam ullam unquam efficeres. Scire autem forsitan desideras, Lector benevole, quo pacto & quâ ratione *Trochisci hi viperini* in Italia conficiantur, utpotè ex qua magnis sumptibus & impensis in Germaniam, reliquasque regiones speciosis testimoniis ornati & muniti transportantur? Id sanè longâ serie, prout ipse sæpiùs hujus confectionis spectator fui, & accuratè illam observavi, verbotenùs descripsissem, nisi singularia quædam me deterrerent, ac quasi sufflaminarent: Quin potiùs, amice Lector, exoptarem, ut ipses hujus rei experiundæ exemplum faceres, accipiendo nimirùm *aliquot serpentes Germanicos*, eosque capitibus & caudis detruncatis, exemptisque interaneis in *s. q. aquæ cum sale & Anetho* coqueres, donec *caro* ab *ossibus* sive *spinis*, tædioso

ſatis labore, (qui labor in Italia utplurimum mulierculis commendatur) ſeparari queat. Hinc accipienda *caro illa humida diffluens*, nec non *juſculum* in quo *viperæ* decoctæ ſunt, quibus addatur *panis biſcocti pulveriſati, quantum ſuffecerit, ad maſſam tenacem efficiendam*, ut ex illa exactè & diu in mortario contusâ, *Trochiſci* efformari queant, ac reipsâ experière, quàm inſigni quantitate *panis* opus fuerit, pro *uncia unica carnis viperinæ*, in maſſam redigendâ cum ſuo *brodio*. Næ, ſi mihi fidem adhibere velis, *unciæ quinque*, *ſex*, *ſeptemvè vel octo etiam*, prout plùs minuſvè *juſculi liquidioris* habueris, vix ac ne vix quidem ſufficient, pro *uncia una carnis*; Tali, in rei veritate, baſi & fundamento gaudet noſtra *Theriaca*; Nec tibi perſuadeas velim, juxta præſcriptum modum, meliores *Trochiſcos* confectos ex oris illis ad nos transferri, licet vel centum teſtimoniis confirmati nobis commendentur. Differentiam *viperarum* ratione ſexus quod attinet, ſcilicet an maſculi eſſe debeant vel Fœminæ (quæ poſtremæ à Galeno, & aliis pleriſque ad imitationem quidem dicti Galeni commendantur,) ex quibus hi *Trochiſci* conficiantur, mehercle parùm refert, modò ex montanis ceu locis ſalubrioribus oriundis, non verò paludoſis inſalubribus, in quibus quidem locis copioſior earundem proventus, *prædicti Trochiſci* parentur: Et hæc quoad modum præparandi vulgarem.

Nunc quædam diſquiſitione digna circa dictum præparandi modum occurrunt: *primò*, cur Galenus (quem etiamnum moderni Medici ſequuntur,) ex ſola *carne Viperarum*, non verò ſimul ex *oſſibus & ipſis illarum cordibus ac jecinoribus*, prædictos *Trochiſcos* parare præceperit, eaque unà cum interaneis, ceu quibus *cor & hepar* annexa ſunt, tanquam inutilia abjecerit; cùm tamen ex ipſis aliàs egregia & efficaciſſima conficiantur *Bezoardica & Alexiteria*. Id ſanè ſine experientia & inſigni ratione factum eſſe arbitror: Nam ſi *caro viperina* tàm eximiis pollet virtutibus, cur non iiſdem vel majoribus etiam *cor & hepar*, quæ ipſarum principaliora viſcera ſunt, quibus nimirùm vivunt & in vita conſervantur, item *ſpinæ vel oſſa*, quibus radicalis ſubſtantia maximè impacta eſt, prædita eſſe deberent. *Secundò*, ecquid ſibi vult *additio panis*, quidque *coctio cum ſale & Anetho*? Quod ad *panem* ſpectat, non autumo ullum fore, qui virtutes ſingulares vel Alexipharmacas vel correctivas ab ipſo *Trochiſcis* impertiri poſſe, pertinaciter aſſeruerit, ergò duntaxat conſervationis gratiâ, vel propter formam illam, *Trochiſcorum* ſcilicet faciliùs acquirendam, additus erit? Sed ſi conſervationis gratiâ, ſive ut eò diutiùs in integritate perſiſtant, additus ſit, præpoſterè idipſum factum eſſe arbitror, tùm quòd per ſe *Viperæ exſiccatæ & ſale nonnihil aſperſæ*, aut earum *pulvis* diutiùs aſſervari poſſit, quam ipſi *Trochiſci*, tùm quòd admiſtione tantæ quantitatis *panis*, præterquam quòd virtus earum nihil prorsùs intendatur, inſuper etiam plurimùm diminuatur. Si verò gratiâ formæ, *Trochiſcorum* ſcilicet citiùs acquirendæ, *panis* additus eſt, reverà nec operæ precium, nec rectæ rationi conſonum apparet, ut ob tàm levidenſem cauſam, medicamenta nobiliora in virtutibus ſuis diminuantur; & eò magis abſurdum hoc eſt, cùm in hac forma nullius uſui eſſe poſſint, ſed neceſſum ſit, ut iterùm in pulverem redigantur, ſi uſui medico inſervire debeant. Adjectio autem *ſalis & Anethi*, utrum illa genuina ſit. *Animalium venenatorum, viperarum* ſcilicet, quas illi ſummè venenatas proclamant (cujus contrarium tamen ipſa experientia nos edocuit,) correctio, nullo modo rationabiliter admitti, neque experientiâ confirmari poteſt. Id equidem concedo, *ſali* ineſſe virtutem conſervatricem putredini reſiſtentem; non ſimplicem autem putrefaciendi vim, ſed occultam qualitatem naturæ noſtræ adverſam venenis ineſſe, nemo eſt qui ignorat: Addo etiam, quòd *Anethum ſali ſcilicet addendum*, inter *Alexipharmaca* minimè numeretur, ac idcircò neutiquam illud ipſum virulentiam *Viperarum*, ſi quâ illæ ſcaterent, corrigere poſſet. Coctio itidem, in tanta *aquæ copia*, quâ mediante forſitan venenatas Viperarum partes expelli exiſtimant, & illa planè inepta eſt; *veneni* enim nil ſpirant, dum pro *pulvere*, vel etiam pro *ſale Viperæ in M.B.* exſiccantur; nec *earum aqua per deſtillationem in dicta exſiccatione*

co-

copiosè prolectæ, ullatenus aliquâ qualitate noxiâ infecta, sed potiùs salutifera est, præsertim *si vivæ Viperæ optimè mundatæ* Alembico immissæ fuerint. Accedit prætereà & hoc absurdum, quòd *jusculum illud*, in quo *Viperæ* sufficienter decoctæ sunt, & cui potior *Viperarum virtus* jam impacta vel impressa est, vel abjici, vel unà cum *carne* in *Trochiscos* (licet ad Gelatinam usque exhalet,) redigendum, magna *biscocti panis* quantitas addi debeat; utrumque autem malum & absonum esse, quis non videt? Porrò, quòd *Viperæ* non tàm ab antiquis, sed quod mirari subit, etiam à modernis Scriptoribus & Medicis, tantoperè venenatæ proclamentur, earum tamen usum summè salutarem, in morbis etiam aliàs incurabilibus, Leprâ videlicet, aliisque complurimis commendant, (*vide Quercetanum capit. de Trochiscis viperarum*,) illa ipsa directè opposita sunt, & contradictionem involvunt; nam *venena* alioquin, ceu naturæ nostræ toto genere infesta, vitæ fontem destruere ac demoliri, vitamque ipsam exterminare potiùs, quàm eandem instaurare solent: Sed hæc neutiquam eveniunt, sive à sanis, sive leprosis *Viperæ, vel coctæ vel in pulverem redactæ, vel etiam in vino extinctæ* assumantur; Ergo.

Sunt insuper inter modernos Medicos plurimi, qui, cùm vera *veneni Viperarum* cognitio eos lateat, aliquas saltem earundem partes venenatas, quasdam verò salutiferas esse firmiter asserant: Sed si *Vipera integra* in *vino* extincta leprosos restituat (*quod testatur Galenus & Quercetanus loco supra citato,*) nec non si fœminæ quædam nobiliores Anglicæ (uti ex fida relatione Anglorum habeo,) de *vino tali viperino*, sive in quo *Viperæ* extinctæ sunt, quasi interno Cosmetico ad pulchritudinem corporis vultusque & universæ cutis formositatem comparandam, absque ullo damno ac sanitatis detrimento, bibant; corruet etiam assertio *partium Viperarum venenatarum, fellis* scilicet, *caudæ & capitis*: (istæ enim sunt, quæ communiter pro venenatis habentur,) uti nec ego ipse in illis venenositatem aliquam deprehendere potui, ut ut multa millia *Viperarum* mactaverim, & *abscissa capita, vesiculas felleas & caudas earundem*, aliâ carne involutas *felibus* & canibus devoranda objecerim; quæ etiam absque ullo vitæ discrimine, vel noxa aliqua, consumpsêre, nec vel tantillum damni, quoad corporis incolumitatem inde passa sunt. Quotiescunque autem *Vipera iracundiæ æstro percita*, canem morsu sauciaverit, intra decursum aliquot horarum, vel citiùs iuterdum, subsecutus est effectus miserabili spectaculo satis calamitosus, ità ut in *solo earum morsu, imagine iræ veneno mortifero imbuto, Viperarum & Serpentum venenum* consistere, cum subtilissimo Philosopho Helmontio, & Doctissimo Poterio, asserere necesse habeam; quam nostram assertionem luculentissimis suis suffragiis comprobant Viri alii Celeberrimi, qui de iratorum animantium, *hominis* præcipuè, *canis, equi, lupi, felis, mustelæ*, & similium morsibus, tanquam summè venenatis ac lethiferis, observationes publicis scriptis commendârunt: Inter illos autem inprimis *Celeberrimus Guilhelmus Fabricius Hildanus, in suis operibus Chirurgicis*, ut adeò opus non sit, superiùs allatam nostram rationem in dubium vocare. Quod autem hujus vel istius animalis morsus, morsu alterius perniciosior, magisque lethalis sit, ex. gr. *Viperarum* magis quam *Serpentum*, hujus causam, cùm in iracundia magis vel minus intensâ, tùm etiam in acumine dentium, sive cuspide eorundem acutissimâ sitam esse, planè mihi persuadeo; Nam si dentes illos falcatos, quorum *aliquæ Viperæ* duos tantum, præsertim masculi, aliquæ quatuor & quidem utplurimùm fœminæ habent, ipsis eruas, deinceps morsus earum, eò quod nec profundè dentes reliquos obtusiores & breviores seu minutiores partibus demorsis infigere, nec nervos majusculos puncturâ sauciare valeant, sed solummodò aut maxima parte saltem epidermidem lædant, non æquè exitialis existit. Quam artem probè callent Circumforanei, qui hoc pacto spectatoribus suis egregiè imponunt, utpotè qui non aliter credunt, quàm quòd hi graviter à Viperis demorsi sint, cùm tamen parùm admodum ipsos sauciare potuerint.

Cæterùm quæ supersunt Theorica *de Viperis & Serpentibus* scitu necessaria, eorum tractandi ansam arripiam in *appendice classis decima quarta*, ubi benevolus Lector pleniorem

capiet

capiet informationem. Nunc verò ventilatâ præparatione *Trochiſcorum*, & correctione inutili *carnis viperinæ* rejectâ & explosâ, præmiſſo itidem diſcurſu, quid de putativa *Viperarum venenoſitate* ſentiendum ſit, ulteriùs jam diſquiritur, quâ ratione hi *Trochiſci Viperarum*, ſi qua ſtrictè expeterentur, parandi ſint; & an eorum loco *pulvis ex puris putis Viperis paratus*, ſubſtitui poſſit, ut hâc ratione *Viperæ* jure baſis & fundamentum *Theriaces* dici mereantur; Item quomodo *eſſentia* ex iis præparari queant; Hæc de re ſatis prolixè quidem, aſt minùs ingeniosè & acutè, nec non æquè inconcinnè, ut reliqui Authores, qui de *Viperis* ſcripsêre, diſſeruit *Quercetanus*, *loco ſuperius citato*, cujus ſententiam & præparandi modos, ceu minus appoſitos haud iniquè rejicimus, propoſituri præparationes aliàs genuinas, magiſque rationi conſentaneas, quæ tales eſſe poſſunt. Nimirum

℞. *Viperarum in locis montanis ſummo Vere captarum, recentium, nec diu, poſtquam captæ ſunt, aſſervatarum numero XXX. vel L. aut q. ſ.* quarum abſciſſis caudâ & capite, ſpoliiſque detractis, interanea exime, & ab ipſis *cor & hepar* ſepara, ac unà cum *corpore excoriato*, nonnihil per ſpinam cultro confracta viventia adhuc, ſtatim cucurbitæ vitreæ immitte, ſuperinſpergendo *ſalis Nitri optimè purificati*, vel quod meliùs eſt, *ſalis viperini fixati, ex aliis Viperis antea parati*, ſuo quoque loco edocendi, aut, ſi mavis, *ſalis Armoniaci ſublimati vel optimè purificati particulam*, appoſitoque capitello, fiat in M. B. igne lento deſtillatio, liquore ſatis copiosè prodeunte ad ſuos peculiares in *Theriacâ* uſus, ſtudiosè aſſervato: Deſtillatio illa per duos treſvè dies leniter continuanda eſt, donec *Viperæ* totaliter exſiccatæ in ſubtiliſſimum *pulverem* redigi queant. Quòd ipſum, quò commodius fiat, poſſunt poſt unius diei peractam deſtillationem, detracto parùm à cucurbita capitello, *Viperæ* ſemel atque iterum, bacillo ligneo vel immiſsâ manu, inverti, ne ubi in unam maſſam conglobatæ fuerint, earum integra impediatur exſiccatio; utque hâc ratione prohibeamus, quò minus fundo & lateribus cucurbitæ vitreæ tenaciter adhæreant, difficulter tandem à vitro ſine ruptura ſeparabiles. Secùs ſi in clibano, prout alii Authores præcipiunt, & uti ubivis locorum ferè evenit, *Viperæ* exſiccentur, *non ſubtilem & friabilem*, *ſed floccis totaliter refertum*, *nec non rancorem facilè contrahentem pulverem* acquires.

Hic *pulvis Viperarum ſimplex*, nec ullâ re peregrinâ permixtus, poteſt pro intentione Medici & conditione ſubjecti vel affectûs aromatizari *Ambra*, *Moſcho*, *Elæoſaccharis*, *confortantibus Alexipharmacis*, aut ſimilibus aliis, qui tùm in *ſua propria aqua* in exſiccatione Viperarum ſuperiùs per Alembicum, prolectâ, etiam ſi lubido fuerit, cum aliquo *Syrupo vel Cinamomi vel corticum Citri* edulcorata, commodiſſimè ægrotantibus ſine nauſea *à ℨ ß ad ℨ j*, tempore neceſſitatis propinari poteſt. Et jure meritò hic *pulvis* loco *Trochiſcorum Theriacæ* admiſceri deberet, id quod à me primò Anno 1649. in Inclyta Patavina, præſentibus diverſarum Nationum Doctiſſimis Viris, magno cum applauſu, tentatum eſt. Et ſi forſan, Lector benevole, formulas aliquot *pulverum ex Viperis* more prædicto confectorum deſideraſ, jungo horum ſequentes; utpotè,

Pulvis Viperarum Confortans.

℞. *Ambræ gryſeæ ℨ j. cum ℈ j vel ℨ ß ſem. Citri excort. ſubactis,*
Diſſolvatur in mortario vitreo cum
Ol. ſtillat. Cinamomi,
Macis ana ℨ ß,
Quibus adde
Pulveris viperini, ſimplici modo ſuperius edocto præparati ℥ iij,
Sacchari Citrati noſtri ℥ iij.
Fiat omnium *pulvis ſubtiliſſimus* & præſtantiſſimus corroborans, cui, ſi quis *Moſcho* delectetur, ejuſdem ℈ ß. addi poteſt, *Doſis ℈ j. ad ℈ ij.* in juſculo caponis & vino.

Pulvis Viperarum Alexipharmacus.

℞. *Pulv. Viperini ſimpliciter parati ℥ iiij,*
Florum Sulphuris ℥ j,
Myrrhæ opt. ℨ vj,

Ol. stillat. Angelicæ,
Rutæ,
Nucis Mosch. expr. ana ℈ j.
Misce, fiat *pulvis subtilissimus*, cujus *dosis* à ℈ j. *ad* ʒ ß. vel etiam urgenti necessitate ad ʒ j. in aqua aliqua Alexipharmaca.

Pulvis Viperinus Alexipharmacus alter.

℞. *Pulv. viperini simpl.* ℥ iij,
Sacchari albissimi citrati ℥ ij,
Ol. stillat. Rutæ,
Angelicæ,
Citri cort. recent. ana ℈ j,
Misce exactè, fiat *pulvis subtilissimus*, cujus *dosis* & utendi modus ut suprà.

His similes & quidem efficaciores *pulveres ex solis cordibus & hepatibus Viperarum* confici possunt, uti sequitur

Bezoardicum animale, sive Pulvis ex Solis Cordibus & Hepatibus Viperarum.

℞. *Corda & jecinora ex mactatis & vivis adhuc Viperis excerpta, numero L. vel C.* eaque consperge, dum adhuc vivunt, *sale proprio Viperarum fixato*, (vel *sale Theriacali* quodam, quorum præparationes vide in *animadversionibus classis decimæ quartæ super appendicem*,) & statim immissa Alembico vitreo suo capitello munito, in Balnei calore exsicca, *aquâ, quæ prodit, studiosè seorsim asservatâ*. Exsiccata in Alembico *corda & jecinora* in pulverem redige subtilissimum, quem ad lubitum *Ambrâ gryseâ* vel *oleis destillatis* cùm Alexipharmacis, tùm aliis confortantibus, ad normam *pulveris Viperarum simplicis* aromatizare poteris, vel alterius consistentiæ ex eodem conficere medicamenta, ut si exoptares *Trochiscos*, qui adhuc longiori forsitan tempore, propter consistentiam suam compactam, integris viribus conserventur, ii commodissimè ex *hoc*, vel *simplici Viperarum pulvere*, cum *aqua ejusdem propria*, addito *Gummi quodam appropriato*, vel portiunculâ cujusdam *Elæosacchari*, efformari possent; Aut si pro sola *Theriaca* expetantur *Trochisci*, potest *pulvis Viperarum prædictus simplex*, cum particula *Myrrhæ* in *vino* dissolutæ, vel *essentiâ Viperarum*, (quam mox edocebo,) in massam & *Trochiscos* efformari laudabiles, omni jure pro *basi Theriacæ* habendos; Si verò ad alium usum, confortantem puto, adhibendi essent hi *Trochisci*, non abs re foret, illos (uti paulò ante monui) ex *pulvere Viperarum* cum quodam *Elæosaccharo*, & propriâ earundem *essentiâ*, additâ etiam *Ambrâ* conficere modo sequenti:

Trochisci Viperini Confortantes & Alexipharmaci.

℞. *Sacchari albissimi aquâ viperinâ in exsiccatione earundem prolectâ soluti* ℥ ix.
Redigatur coquendo ad *consistentiam Tabulæ*, in quo remoto ab igne & nonnihil refrigerato eliqua
Ambræ gryseæ ʒ j, *vel* ʒ j ß,
addendo
Bezoardici animalis superiùs traditi ℥ ij,
vel loco hujus
Pulv. Viperini simplicis ℥ iij,
Ol. stillat. Cinamomi
Macis ana ℈ ij.
Fiat *pulvis*, qui additâ s. q. *essentiæ viperinæ sequentis*, cogatur in massam tenacem, ex qua formentur *Trochisci* delicatissimi,

Trochisci alii Alexipharmaci & Confortantes.

℞. *Sacchari albissimi pulverisati*, ℥ x.
Solvatur supra ignem cum s. q. *succi ex corticibus Citri extimis expressi*, sine coctione vel ebullitione, ac si *Tabulæ ex succo Citri* confici deberent, cui statim ab igne remoto, adde
Bezoardici animalis supradicti ℥ ij.
vel ejus loco,
Pulveris viperini simplicis ℥ iij.
& cùm refrixerint
Olei Citri ex corticibus recentibus non putrefactis destillati ʒ j.
Fiatque *pulvis*, qui additâ s. q. *essentiæ viperinæ* sequentis, vel si illa desit, *succi illius ex corticibus Citri expressi*, cogatur in massam,

ex qua formentur *Trochisci delicatissimi confortantes & Alexipharmaci.*

Sequitur nunc prænominata *essentia viperina*, quæ si diutiùs ad futuros usus asservanda est, cum *spiritu vini* paretur, sin minùs & pro confectione *Theriacæ* duntaxat expetatur, cum *vino, vel Malvatico, aut alio generoso & potenti* ipsius instituatur præparatio, utpote

Essentia Viperina Alexipharmaca.

℞. *Viperarum in locis montanis captarum*, vel (si lubet, & quod meo judicio idem esset, æquè benè etiam pro *pulvere*, quàm *Trochiscis* efformandis.) *Serpentum Germanicorum in montibus locisque sanis degentium Numero xxx, ad centum usque vel quot libuerit*, quos (uti superiùs innuimus) repurgatos & exuviis spoliatos, cum suis *cordibus & hepatibus*, citissimè, dum adhuc vitâ integrâ gaudent, in *spiritum vini vel vinum Malvaticum (x, vel xv, aut xx Viperas* recipiendo pro *mensura una vel* ℔ *iv, unciis scilicet quadraginta octo vini vel spiritus vini)* in cucurbita oblonga, suo capitello postmodum munienda, contentum immerge & in eodem emori sine: Posteà in M. B. ad dimidias destillando, *spiritum vini* evoca, iterumque affusum secundâ vice ad dimidias abstrahe, & residuo junge; tandem residuo redditum & conjunctum exprime, & per filtrum aut manicam Hippocratis *colatum vel clarificatum spiritum aut vinum impragnatum* asserva. Tum ex *relictis & expressis Viperis* destillando *salem*, juxtà modum nostrum, quem in *animadversionibus super appendicem classis decimæ quartæ* edocebo, confice *volatilem*, ac *essentiæ jam factæ* junge, quæ invicem in phiola probè munita loco tepido per diem unum vel alterum digere, usuique tandem asserva; addendo etiam, si lubet, *ol. stillat. Cinamomi, vel corticum recentium s. q.* si illa cum *spiritu vini* sit parata. Hæc *essentia*, an benè vel malè confecta sit, quivis facilè judicare poterit, ubi illam penitiùs inspectam, æquâ rationis & judicii lance, probè ponderaverit.

Aliam *essentiam ex cordibus & hepatibus Viperarum siccis cum suo sale proprio fortificatam*, tradit *Clarissimus Schröderus in Pharmacopœia Medico-chymica, cap. de Viperis l. 5.* quæ ipsa ex meis Collegiis Chymicis Patavii habitis profecta est; cui tamen illam, quam nunc descripsimus, ceu longè efficaciorem meritò præferendam esse judicamus.

Suppetit nobis alia *essentia viperina ex cordibus & hepatibus Viperarum vivis* præparata, quæ se habet in modum sequentem.

Essentia Viperina alia.

℞. *Centum circiter corda Viperarum & jecinora totidem*, eaque recentia & viva in *libras tres spiritûs vini optimi* immerge, & in eodem emori sine, ac ulteriùs modo in *præcedenti essentia* indigitato extrahendo, destillando & separando procede, cui tandem junge

Salis Viperarum volatilis ʒ ij,
Ol. stillat. Cinamomi,
Citri ex cort. recent. ana ʒ j.
Ambræ gryseæ in prædictis oleis destillatis prius solutæ ℈ j. *vel* ʒ ij.

Tum mixta digere aliquandiu, & acquires *essentiam nobilissimam*, cujus *dosis* ℈ ß. *ad* ʒ j. in *vino* vel alio vehiculo convenienti.

Si quod insuper ulli Magnati arrideret *vinum viperinum* pro restauratione virium totius corporis, potuque ordinario, posset illud parari modo sequenti. Nimirum,

Viperæ XL. vel L. statim atque mactatæ sunt, modoque supradicto in essentiam præparatæ unà cum *cordibus & jecinoribus, tribus vel quatuor mensuris vini optimi* cucurbitæ vitreæ oblongæ capitello muniendæ infusis, immergantur, in eoque emori permittantur, à quo post unius alteriusvè diei digestionem, tertia ferè pars per M. B. destillando evocetur, ac residuo iterùm affundatur; qui labor, abstractio scilicet & reaffusio *tertiæ partis vini*, ut eò meliùs arctiusque *virtus viperarum* illi communicetur, denuò reiteretur. Dein *Viperæ* exprimantur, & *vinum earundem essentia impragnatum*, coletur, colatum filtrando per chartam emporeticam vel manicam Hippocratis clarificetur, ac *uni urnæ alterius vini generosi* commisceatur: Cui, si insuper odorem & saporem aromaticum conciliare velis, facilè illud factu erit, addendo saltem

tem nonnulla *Aromata*, *Moschum*, *Ambram* & similia.

Tandem, ne quicquam intactum, quod ad *Viperas* spectat, & usui medico inservire possit, silentio prætereamus, è re fore judicavi, dum de iisdem nobis adhuc sermo est, ut paucis tantam ubivis gentium deprædicatam *caponum & gallinarum viperinis carnibus factam saginationem* attingamus: Quomodo nimirùm illa (cum nonnulli magni Germaniæ Principes, *eâdem saginâ nutritis caponibus & gallinis*, non sine insigni emolumento vescantur) legitimè peragenda sit: Ne, si fortè quidam nauseâ detineantur, & propterea medicamenta ex *viperis* parata, in substantiâ assumere abhorreant, *Viperarum* præclaris virtutibus penitùs destituantur.

Quanquam verò vulgò receptam *capones jam adultos & gallinas* saginandi consuetudinem non improbem; attamen ratio & experientia multò consultiùs suadent, ut qui intensiores *Viperarum* facultates per hujusmodi saginationem sibi comparare satagit, *gallum & aliquot gallinas* in chorte, ovis pariendis destinatas, *viperinâ* enutriat substantiâ. Quæ sic enutritæ mirum est, quàm evadant fœcundæ & salaces. Hinc *ova* taliter epulantium conjugum exclusioni subjicienda, & *pulli*, quam primùm è testis eruperint, *escâ è Viperis paratâ* sunt educandi.

Modus autem prædicta animalia saginandi hic est: *Viperæ*, ut superiùs dictum, *mundatæ* in frustula conscindantur, ac in vase idoneo affusâ s. q. *aquæ fontis*, decoquantur, adjecto modico *salis communis*, usque dum sufficienter *carnes* emollitæ sint: Hinc cochleari perforato eximantur *Viperæ* in mortario contundendæ, ut *ossa* comminuantur; quibus se contritis adde *farinæ saginationi aptæ*, *& jusculi decoctionis Viperarum q. s.* misce fiant *pastille*, quibus *gallinæ*, *capones & adultiores pulli* saginentur. Sed cùm recenter exclusi *pulli*, *pastillis* hisce pasci non possint, aliâ viâ eos cibare oportet: *Caro* videlicet *cocta & ab ossibus separata* minutim conscindenda, *ovis* ad duritiem coctis & similiter incisis permiscenda, & *pullis nuper exclusis* in esum porrigenda est. Atque *hoc cibo* tam diu sunt *pulli* pascendi, donec saginationem præscriptis *pastillis* celebrandam sustinere tandem queant; Quibus deinde ultrò sustententur, donec partim pingues & jugulationi accommodati; partim fœcundi pariendis *ovis*, & ex iis aliis excludendis pullis apti videantur; denique toto vitæ tempore simili pabulo alantur, ut, quantum fieri potest, *tota gallinaceorum natura*, tùm quasi per semen in ipsa generatione, tùm per alimentum in vitæ decursu, *Viperarum* viribus alteretur & imbuatur.

Habes hîc Lector benevole, *singularia ex Viperis medicamenta*, hisce meis manibus summâ diligentiâ elaborata & experientiâ non semel confirmata, ut meliora vix confici queant, quæ, ut grato & benevolo animo accipias, & si his meliora nôris, illa publici juris facias, amicè rogo.

Superest nunc, redeuntes unde digressi sumus, ut etiam de reliquis hujus *classis compositionibus*, *Trochiscis* scilicet aliis paulò concinnioribus & magis necessariis pauca disseramus, ac tandem huic classi colophonem imponamus. Dixi superiùs, paucas hujus *classis compositiones* nobis arridere, propterea nec operæ precium duxi singulas *Trochiscorum formulas*, separatim sub indudem revocare. Neque enim multum artis requirit, ingredientia simpliciter contundere, contusa cum *mucilagine*, *vel succo quodam concreto* in massam redigere, utpotè quæ levia, & unicuique Pharmacopœo trita ac notissima sunt, adeoque principaliores duntaxat, (quarum in hac classe fit mentio) *compositiones* ritè parare edocebo.

Primùm autem se offert *Agaricus Trochiscatus*, qui qualiter parandus sit, quilibet peritus Pharmacopœus non ignorabit: Nimirum *Agaricus* radulâ priùs comminuendus, non verò contundendus, ut per incerniculum transmitti possit; postmodum cum *infuso dicto Zingiberis & vino Cretico* in massam & *Trochiscos* redigendus, ac intensissimo frigore tempore hyemali exsiccandus est.

Sequuntur hunc *Trochisci Alhandal*, qui & ipsi parùm artificii pro sua præparatione

ne requirunt; In hoc solummodò Pharmacopœus intentus sit, ut *Colocynthidem à seminibus* repurget, repurgatam optimè *aquâ Rosarum*, in qua *Gummi Arabici* particula dissoluta sit, humectet, inque cucurbita vitrea calore balnei destillando quasi denuò exsiccet; ita enim facilè postea in pulverem redigi potest, neque opus habet, ut per spacium trium dierum, ex intermissione tamen fricetur. *Pulvis* demùm ità confectus, cum *Gummatibus*, scil. *Tragacantho*, *Arabico*, *Bdellio*, in *aqua Rosarum* dissolutis in *Trochiscos* efformari potest.

Trochiscos Aliptæ moschatæ ad preciosos suffitus potiùs accommodatos esse, quàm infantulis ac puerulis asthmaticis conferre existimo, cùm in hac forma juxtà modum præscriptum præparati, ne adultis quidem, nedum infantibus præberi queant, quin dentibus & ori instar *resinæ* adhæreant nauseabundi. Itaque si vel *pastillos* pro infantibus, vel *Trochiscos* pro adultis, aut etiam *pretiosum suffitum* ex hac *compositione* exoptes, hos sequentes sequere modos, utpotè

℞. *Resinæ Styracis Calam.*
Ladani ana ʒ vj,
Pulv. Ligni Aloës ℥ ß,
Ambræ ʒ j,
Moschi ℈ ß,
Sacchari albissimi pulverisati ℔ j.

Ambra prius dissolvatur in *s. q. olei Nuc. Moschat. destillati*, & cum prædicto *Sacchro* iterùm in pulverem convertatur: Similiter etiam *Moschus* in *aliquot guttulis spiritûs Rosarum vel vini* dissolvatur, & cum *pulverisato Sacchro* dicto in pulverem redigatur; Deindè *resinæ* in mortario calido nonnihil cum *Sacchro* commisceantur, quibus *Ambra & Moschus* jam ante dissoluta, & tandem etiam *lignum Aloës* addantur fiantque (si non suffecerint *resinæ*, cum *mucilagine Tragacanthi*, vel *pastilli*, pro puerulis, vel *Trochisci* pro adultis laudabiles, & quidem ad usum internum.

Vel

℞. *Sacchari albissimi* ℔ j.

Solvatur in *aqua Rosarum* vel simplici, & coquatur ad consistentiam *Tabulati*, cui remoto ab igne & nonnihil refrigerato immisce & in eo liquefac

Resinæ Styracis Calam.
Ladani ana ʒ vj,
Ambræ gryseæ ʒ j.

Et cùm penitùs refrixerint, adde

Ligni Aloës opt. & pulveris. ℥ ß,
Moschi in aqua Ros. sol. ℈ ß,
Nec non
Mucilag. Tragacanthi q. s.

ad massam tenacem efformandam, ex qua postea *Trochisci* vel *pastilli* efformentur, pro usu interno.

Ad suffitum verò sequentem imitare modum:

℞. *Resinæ Styracis* Calamitæ,
Ladani ana ℥ j.
Ambræ ʒ ß.
Moschi ℈ j.
Pul. Benzoës s. Asæ dulcis ℥ iiij.
Carbonum q. s.

Dissolvatur priùs *Ambra* in *oleo Rosarum destill.* si haberi potest, vel *Caryophyllorum aut Cinamomi*, vel *ligni Rhodii*, quodcunque horum placuerit, & cum *pulverisatis carbonibus q. s.* iterum in pulverem convertatur; similiter etiam cum *Moscho in spiritu Rosarum*, ut antè, dissoluto procede, scilicet cum *pulverisatis carbonibus q. s.* commiscendo & in pulverem redigendo.

Postmodum *resinæ* in mortario calido nonnihil liquefiant, quibus adde *pulverem Benzoës*, *Ambram & Moschum antea solutum*, ultimo quoque *pulveris carbonum* quantum illis adhuc imprimi possit, ita ut *massa refrigerata* durissima evadat instar *ceræ Hispanicæ*: Fiantque, dum adhuc *massa* nonnihil calet, *pastilli* vel *Trochisci*, qui omnes *suffitus*, ac vel ipsos etiam *pastillos Hispanicos*, qui ex tàm longinquis oris in Germaniam transvehuntur, multis parasangis superant; Id unicè circa usum ipsorum observandum, ne *prunis candentibus* immediatè injiciantur, sed supra *ferream aut aliam metallicam laminam*, *vel vitrum ipsum* collocati igni carbonum lentè admoveantur.

Præ-

Præparationem *resinæ Styracis Calam. & Ladani*, vide in animadversionibus nostris supra *Theriacam Andromachi*.

His *Trochiscis* quodammodo affines sunt *Trochisci de Benzoë*, qui simpliciter juxta præscriptum modum præparari possunt; si tamen ad *suffitus* expetantur, ne *Saccharo*, nec *radicibus Ireos* hîc opus est. Neque etiam *lignum Aloës* si comburatur, adeò fragrantem & suavem spirat odorem, præsertim si non summè resinosum illud sit, quod tamen in satis largâ quantitate his *Trochiscis*, sive eorum compositioni additur: Pariter etiam *Saccharum* igne crematum ingratum fœtorem exhalat, nec minus etiam *radices Ireos* ustulatæ; quorum enumeratorum empyreuma reliquorum preciosorum odoramentorum omnium gratissimam fragrantiam omninò obtundit. Et quanquam hoc frequentissimè in præsenti Dispensatorio eveniat, ut tot tamque *diversæ species odoratæ non resinosæ* suffumigiis addantur, nihilominùs tamen hoc & præpostere & sine omni ratione fit, ac Authores talium suffumigiorum nimium se dant turpiter, dum non meliùs rationem mixtionis expendunt, nec considerant, quòd non quodlibet cum quolibet æquè benè commisceatur. Aliam equidem horum *Trochiscorum* præparationem addere erat animus; sufficere tamen mihi videntur antecedentes *pastilli & Trochisci Aliptæ Moschatæ*, qui vices omnium supplere possunt, ne tot ac tàm variis *compositionibus*, quæ quidem ingentes requirunt expensas, in basi tamen & fundamento parùm aut nihil discrepant, Pharmacopœi graventur; secùs vel plures addere haud difficile foret.

Sequuntur jam in ordine *Bechici albi, nigri & rubri*, quos omnes intactos relinquo: possunt enim secundum modos præscriptos parari, & confecti in sua forma usurpari, licet plures *species pectorales* tantæ illis assignatæ quantitati *Sacchari* addi possent; quod negotium tamen prudentibus Medicis relinquo, qui pro libitu & dextro suo arbitratu, congrua addere & demere queunt. Locum etiam in his *Trochiscis* habere possunt *Saccharum Penidii & Saccharum Candi*, utpotè quæ non dissolvi, aut in pristinam formam redigi debent; & facilè concesserim, ea in leniendâ asperitate faucium, majoribus pollere virtutibus, quàm *simplex Saccharum*, præsertim si paulatim & sensim, non verò confertim deglutiantur.

Prædictis *Trochiscis* non absimiles sunt *Trochisci pectorales*, qui & ipsi juxta modum præscriptum parari possent, modò ex tam diversis *speciebus compositis* non essent cumulati & conglomerati; è quibus *species Diambræ* ingratum potiùs totum compositum, quàm gratum reddunt: proindè consultiùs esset prædictas *species* omittere, utpotè quod affectibus pectoris, singulariter appropriatæ non sint; earum autem loco *guttulæ aliquot oleorum ex speciebus ingredientibus destillatorum*, addi possent. Subjungam itaque primò horum *Trochiscorum* descriptionem & præparandi formulam, magis rationi & naturæ rerum congruam, servatis & auctis secundum proportionem potioribus ingredientibus, omissis aliis levioribus & minutulis; Tandem hanc ipsam *compositionem* magno meo labore resolutam in conspectum ponam, ut videas, Lector benevole, quàm ridiculum sit, *compositiones* aliorum compositorum farragine cumulare, utpotè

℞. *Pulv. rad. Ireos albiss.* ℥ i ß,
Gummi Arabici ℥ ß,
Tragacanth. ʒ iij.
Amyli ℥ ij,
Ligni Aloës opt. ʒ ij, *vel* ʒ iij,
Ambræ ℈ ij,
Moschi ℈ j,
Ol. stillat. Cinamomi,
Caryophyllorum,
Nuc. Moschat.
Macis ana ℈ ß.
Pulv. Sacchari albissimi ℔ ß,
Candi,
Penidii, ana ℥ iij,

Parentur secundum artem in modum sequentem, scilicet

Tragacanthum dissolvatur in *aquâ Rosarum*, in mucilaginem spissam, *Ambra* solvatur in *oleis destillatis prædictis*, *Moschus* autem in *portiunculâ spiritûs Rosarum*; Tandem omnia commixta redigantur cum dictæ *mucilaginis*

Tragacanthi s. q. in maſſam, ex qua formentur *Trochiſci ſuaviſſimi.*

Nota, quod *lignum Aloës*, imò *Ambra & Moſchus*, item *olea deſtillata* omitti poſſent, aut ſaltem eorum quantitas diminui, ut etiam pauperibus venales proſtent, quæ cuncta libero Medici judicio commendantur, qui ſtudioſè ægrotorum fortunas, nec non medicamentorum precium conſiderare debet, ſecundum quæ ſuas dirigere poteſt præſcriptiones.

Sequitur nunc exactè computata reſolutio reliquorum *Trochiſcorum*, quæ talis eſt.

℞. *Tragacanthi* ℈ j ß,
Gummi Arabic. ℈ j. gr. vj ß,
Amyli ℥ ß. gr. iij,
Glycyrrhizæ gr. j ß,
Sem. quatuor frig. major. ana gr. j ß,
Papaveris albi gr. ij,
Radic. Ireos ʒ ij. ℈ ij.
Camphoræ duodecimam partem unius grani, & unius quadrantis grani,
Ligni Aloës ℈ ij ß. gr, ß.
Moſchi opt. gr. ix.
Ambræ gryſeæ ℈ ij ß. *gr. vij.*
Cinamomi,
Doronici,
Caryophyllorum,
Macis,
Nuc. Moſchat.
Folii aut Caſſiæ ligneæ,
Galangæ ana gr. vij ß,
Spicæ Indicæ,
Cardamomi majoris,
minoris ana gr. ij $\frac{1}{4}$,
Zingiberis gr. iij,
Santali citrini,
Piperis longi ana gr. iiij ß,
Sacchari albiſſimi ℥ *vj.*
Candi albi,
Penidii ana ℥ *iij gr. xv.*
Fiant Trochiſci.

Continebit hæc *compoſitio* ℥ *xiij cum dimidiâ*, ponamus jam ℥ ß *etiam pro doſi*, quæ erit *vigeſima ſeptima pars integræ compoſitionis.* Quantum cogita de quolibet ingrediente aliquis capiet pro *ſingulâ doſi?* quantâ opus eſſet & quàm minutiſſimâ diviſione atomorum? ſi quis exactè ad calculum reducere vellet, etiam leviſſima hujus *compoſiti* ingredientia? Vides ergò, quàm inconcinnum ſit *compoſita compoſitis* aggravare: Conſtat enim iſta *compoſitio*, ex *quinque diverſis compoſitis*, nimirùm ex *ſpeciebus Diatragacanthi frigidi*, quæ *ſpecies Diaireos uſitatas* ingrediuntur, ex *ſpeciebus Diambræ*, *Trochiſcis Galliæ Moſchatæ*, & ipſa ſua *propria compoſitione.*

Trochiſcos de Scilla quod attinet, libet etiam illos, ob *Theriacam*, quam ingrediuntur, paulò penitiùs conſiderare. Quoad præparationem *Scillæ*, ferè omnes, quotquot ſunt, conveniunt Authores, quæ an tantoperè neceſſaria ſit, *Lohoch de ſucco Scillæ Galeni* (qui *ſuccum Scillæ diebus canicularibus exceptum* recipit, non verò *ſuccum Scillæ aſſatæ*) declarabit. Id equidem novi, quod *paſta*, in qua *Scilla* aſſata, venenata non ſit, ſed multoties ab animalibus illam ſine noxa comeſtam vidi: utut ſit, non loquar in præſens de *præparatione Scillæ*, ſed potiùs de *Trochiſcis ipſis*, qui in ſatis larga quantitate *Theriacæ* adduntur, ſed minùs prudenter: Etenim expertus ſum, quod ſi accipiatur *libra una Scillæ aſſatæ*, & addantur *farinæ Ervi*, *ſive pulveris Dictamni albi* ℥ *viij*, ac ex ipſis mixtim (quod tamen propter ingentem humiditatem difficilè fieri poterit, niſi maſſa vel pulmentum liquidum potiùs, diu & validè percoquatur, ut potiſſima ejus humiditas in coctura ſupra ignem evaporet, tandemque diu in mortaria lapideo contundatur) conficiantur *Trochiſci*, vix ℥ *ix* poſt exſiccationem eorum remaneant. Et ſi exactè obſervabis pondus omnium cùm ante inchoatam, tùm poſt peractam præparationem & *Trochiſcorum* exſiccationem, videbis parùm *de Scilla cum Trochiſcis* tibi ſupereſſe; ita ut *Trochiſci* hi non ex *Scilla*, ſed potiùs *re additâ* conſtent. Ex quo liquidò patet, quòd ſi *Scillæ* nativâ ſuâ humiditate ſpolientur, (ſolidi enim parùm inſtar reliquarum ceparum continent,) etiam ſuâ totali priventur eſſentiâ & ſubſtantia, ut nil niſi viribus exhauſtæ membranulæ remaneant. Longè igitur conſultiùs foret, ſi *Scillæ* ad *Theriacæ* compo-

compositionem necessariò expetantur, ut earum *succus* (quo nonnulla Theriacam ingredientia dissolvi possent) vel earum *pulpa* per setaceum transmissa, *Theriacæ* commisceretur.

Restant adhuc *Trochisci sublinguales*, qui ipsi etiam admitti possent, præsertim *compositionis secundæ*, incompleti dicti. Prima enim formula propter *specierum cordialium drachmam unam*, *Diamoschi dulcis drachmam dimidiam*, & *decem grana extracti ligni Aloës*, non minùs quam *Trochiscorum pectoralium compositio* ridicula appareret, si exacta ingredientium computatio & resolutio institueretur. Si tamen cuipiam modus ille præscriptus perplaceret, & nugis istis impensè delectaretur, illi liberum erit, juxta eundem ipsorum præparationem instituere? sin minùs, sequatur has nostras formulas subsequentes, utpotè

℞. *Rad. Angelicæ,*
Pimpinellæ,
Zedoariæ ana ℥ ß,
Seminis Angelicæ,
Citri excort. ana ʒ iij,
Sacchari albissimi pulver. ℔ j,
Ambræ gryseæ,
Moschi Orient. ana gr. vj,
Ol. Citri cort. recent.
Myrrhæ.
Zedoariæ,
Rutæ,
Angelicæ stillat. ana ℈ j, vel ʒ ß

Misce, fiant *Trochisci* secundum animadversiones nostras antecedentes, qui tempore pestis vel infectionis usurpari possunt.

Vel pro pauperibus

℞. *Myrrhæ pulverisatæ, & cum s. q. vini in quo radices Scorzoneræ maceratæ sint, in pulticulam dilutæ* ℥ j,
Pulv. nucum Vomicarum ℥ ß,
Croci Austriaci ʒ iij,
Camphoræ ʒ ij. *solutæ in*
Ol. stillat. baccar. Iuniperi ʒ j ß,
Sacchari albi pulverisati ℥ vj, *vel* viij.

* Fiant additâ s. q. *Tragacanthi* in *succo vel decocto Scordii soluti*, *Trochisci sublinguales potimi*.

Sequuntur hos *Trochisci sublinguales odoriferi Moschati*, utpotè

℞. *Pulv. rad. Iridis Florent. albiss.* ℥ j,
Moschi Orient.
Ambræ gryseæ ana ℈ j,
Zibethi gr. vj,
Sacchari albissimi pulverisati ℔ j,
Ol. stillat. Cinamomi,
Citri cortic. recent. ana ℈ j,
Caryophyllorum,
Nuc. Moschat. ana ℈ ß,

Fiant secundum modum in præparatione *Trochiscorum pectoralium* indigitatum, cum *mucilag. Tragacanthi*, *Trochisci odoriferi & delicati*, qui etiam cum minori quantitate *oleorum*, *Ambræ & Moschi* ad libitum parari possunt.

Cæterùm, quæ admonenda levia supersunt, utpotè quoad dissolutionem *Gummatum*, *succorum concretorum*, &c. illa ex præcedentium classium animadversionibus, uti etiam ex subsequentibus, peti possunt.

MEDICAMENTORUM PHARMACOPOEIÆ AUGUSTANÆ CLASSIS DECIMA TERTIA,

Continens

Collyriorum Siccorum, Sief Arabibus dictorum, Pastarum item Odoratarum, nec non aliorum suffituum generum parandi rationem,

Cum

Eorundem Annexis Animadversionibus.

Sief Album, cum, & sine Opio.

℞. Gummi Arabici,
Tragacanthi,
Amyli ana drachmas quatuor,
Cerussæ lotæ drachmas sex,
Sarcocollæ nutritæ drachmas tres,
Opii drachmam unam.
Cum albumine ovi fiat Sief.

Paratur etiam sine Opio, ut utrumque tempore necessitatis in promptu sit.

AD oculorum rheumatismos, lippitudines subacres, & ophthalmicos dolores leniendos efficax, & idem ferè est cum Collyrio albo Rhasis 3. ad Almansorem, quod cerussæ pondus auctius habet, nimirum ad drachmas decem, cui & Thus addit Mesue; unde in statu magis prodest, sicut hoc initio vehementis doloris à causa calida.

Sief Album Galeni.

℞. Cadmiæ lotæ, id est, Tutiæ præparatæ drachmas sedecim,
Cerussæ lotæ,
Amyli,
Gummi Arabici,
Tragacanthi ana drachmas quatuor,
Opii drachmas duas.

Excipiantur cum aquâ pluviâ vel Rosaceâ, & fiat Collyrium siccum, quod etiam sine Opio parari potest.

COllyrium hoc à Galeno τεφρὸν dictum, describitur ab eodem 4. de compos. med. secundum loca cap. 7. idem ferè præstat, quod Cygnus Galeni, qui paulò aliter describitur, & succum Acaciæ recipit: præcipuè verò facit ad oculorum ustiones, pustulas & chimoses, maximè in his, qui nullam acrimoniam aut mordacitatem ferre queunt.

Sief Citrinum *Mesuæ.*

℞. Cadmiæ ustæ, & in lacte mulieris extinctæ ac lotæ unciam unam,
Cerussæ lotæ uncias duas,
Croci unciam semis,
Opii drachmam unam,
Tragacanthi drachmas duas,
Aquæ pluviæ, quantum sufficit.

DEscribitur hoc Collyrium è Mesue in capite de Ophthalmiâ; vehementissimis enim oculorum doloribus ulceribusque plurimùm commodat.

SI lac muliebre defuerit, substituatur in ejus locum lac asininum, caprillum, vel ovinum.

Sief

Sief de Plumbo Mesuæ.

℞. Plumbi usti, & loti,
Æris usti,
Antimonii,
Tutiæ lotæ,
Gummi Arabici,
Tragacanthi ana drachm. octo,
Opii drachmam semis,
Aquæ pluviæ, quantum sufficit.
Fiat Sief.

Vulnera & ulcera oculorum replet, & consolidat.

Sief de Rosis ejusdem.

℞. Foliorum Rosarum drach. quindecim,
Gummi Arabici,
Croci ana drachmas octo,
Opii,
Nardi Indicæ ana drachmas duas.

Ad doloris molestias, fluxum uberem ac tenuem, pustulas & prolapsus oculorum efficax.

Sief de Thure Rhasis.

℞. Cadmiæ,
Pompholygis,
Thuris ana drachmas decem,
Cerussæ drachmas quadraginta,
Opii,
Gummi ana drachmas sex,
Aquæ pluviæ, quantum satis.
Fiat Collyrium.

Tumores oculorum reprimit, eorundemque exulcerationes sanat, ac cohibet.

Sief Viride Antæi.

℞. Cadmiæ,
Croci ana drachmas tres,
Gummi,
Myrrhæ,
Opii ana drachmam unam semis,
Plumbi usti & loti scrupulum unum, grana quindecim,
Squamæ Æris,
Nardi Indicæ,
Acaciæ ana scrup. unum grana decem.
Cum aqua pluvia fiat Collyrium.

Celebratur ad doloris molestias, pustulas, inustiones, prolapsus & contusiones oculorum.

Pomum Ambræ.

℞. Styracis Calamitæ,
Styracis liquidæ,
Benzoi,
Galliæ Moschatæ veræ,
Aliptæ Moschatæ,
Ladani ana unciam semis,
Cinamomi electi,
Caryophyllorum,
Santali Citrini ana drachmas duas.
Rosarum rubearum,
Nucis Moschatæ,
Macis,
Ligni Aloës,
Cyperi rotundi,
Majoranæ,
Gummi Elemi,
Rorismarini,
Iridis Illyricæ ana scrupulos duos, grana quinque,
Mucilaginis Tragacanthi factæ cum aqua Rosarum, quantum sufficit.
Fiat massa.

Cor ac cerebrum odoris suavitate ac fragrantia reficit, spiritus cùm vitales tum animales recreat & fulcit, vertiginosos juvat, ac capiti à frigida & humida intemperie affecto opem præstat.

Pro majori simplicium compositionem hanc constituentium unione, quandoque nonnihil Terebinthinæ Cypriæ admiscetur, ac ob odoris gratiam pauxillum olei Caryophyllorum additur. Divitibus Ambra, & Moschus vel Zibethum pro consulentis Medici judicio, aut expetiti odoris optatu adjiciuntur.

In hac compositione pro Santalo albo Citrinum, utpote odoratius, substituimus, pro Cardamomo verò Cyperum, pro semine Nigellæ Rorismarini folia, ac denique pro Zedoaria Iridem Illyricam assumimus.

Aliud.

℞. Santali Citrini drachm. sex, scrupulos duos,
Ligni Aloës unciam semis,
Rosarum rubearum,
Basiliconis,
Lavendulæ,
Anthos,
Majoranæ ana drachmas tres, scrupulum unum,
Corticum Citri drach. septem,
Cinamomi,
Nucis Moschatæ,
Macis,
Caryophyllorum,
Coriandrorum præparatorum,
Cardamomi ana drachmas tres, scrupulum unum,
Ladani puri uncias octo,
Styracis Calamitæ drachmas sex, scrupulos duos,
Liquidæ drachmas tres,
Asæ dulcis drachmas decem,
Ceræ citrinæ unciam unam semis,
Terebinthinæ Cypriæ uncias quatuor,
Aquæ Rosarum uncias duas semis,
Moschi Alexandrini,
Ambræ cin. ana scrupulos duos semis.
Fiat massa.

Odore spiritus instaurat, & cordi robur addit. Usui est maximè, cùm aliqua aëris inquinati suspicio viget, cui tunc temporis Angelica, Zedoaria, Ruta, & præsertim Camphora rectè adjiciuntur.

Suffitus Cephalicus.

℞. Benzoi unciam unam semis,
Styracis Calamitæ,
Succini citrini,
Mastiches ana unciam unam,
Olibani,
Myrrhæ ana drachmas sex,
Ligni Aloës,
Caryophyllorum ana drachmam unam semis,
Florum Rosarum rubearum drach. sex,
Lavendulæ drachmas tres,
Corticis Citri sicci drachmas tres,
Contundantur grosso modo.
Misce.

Suffitus Delicatus.

℞. Benzoi electi unciam unam semis,
Styracis Calamitæ drachmas sex,
Ligni Aloës drachmas duas,
Fiat pulvis grossiusculus.

Suffitus Communis.

℞. Baccarum Juniperi,
Rasuræ Succini citrini ana uncias tres,
Florum Rosarum rubearum unciam unam semis, drachmas duas,
Styracis Calamitæ unc. unam semis,
Ligni Juniperi drachmas undecim,
Mastiches,
Sandaracæ ana drachmas decem,
Olibani drachmas septem.
Misce, fiat pulvis grossus.

Candelæ pro Suffitu.

℞. Asæ dulcis, id est, Benzoi,
Styracis Calamitæ ana uncias quatuor,
Thymiamatis,
Olibani ana uncias duodecim,
Ladani uncias decem & octo,
Caryophyllorum unciam unam semis,
Sem. Nigellæ unciam unam,
Coriandrorum præparatorum,
Granorum Juniperi ana unciam semis,
Styracis liquidæ uncias sex,
Terebinthinæ unciam semis,
Carbonum Tiliæ vel Salicis uncias triginta.
Cum infusione Tragacanthi factâ in aqua Rosarum, fiant Candelæ.

Aliter sic Parantur.

℞. Styracis Calamitæ,
Carbonum Salicis ana uncias duas,
Benzoi

Benzoi unciam unam,
Caryophyllorum unciam ſemis,
Ladani drachmas ſex.

Terebinthinæ Cypriæ & mucilaginis Tragacanthi cum aqua Roſarum factæ q. ſ. fiant Candelæ, quibus pro delicatioribus Galliam Moſchatam, aut Ambram addere licebit.

Tæda Aromatica.

℞. Benzoi,
Styracis Calamitæ,
Maſtiches,
Olibani,
Ladani ana unciam unam,
Caryophyllorum,
Cinamomi,
Santali Citrini,
Succini albi ana drachmas duas,
Ceræ libram unam.

Fiat Tæda ad craſſitiem unius digiti.

Istiuſmodi tædis nos Medici Loimodochiales in Laſaretho utebamur, pro diſſipando venenato aëre, & corrigendo conclavium infectorum fœtore, in magna illa peſte Auguſtanorum, Anni milleſimi ſexcenteſimi vigeſimi ſeptimi & octavi.

Paſtilli pro Fumo Uſitati.

℞. Benzoi electi uncias duas ſemis,
Styracis Calamitæ drachmas decem,
Ligni Aloës drachmas tres,
Caryophyllorum drachmas ſex,
Cinamomi electi drachmas duas,
Ligni Cupreſſi unciam unam ſemis,
Sacchari albi uncias quatuordecim.

Cum infuſione Tragacanthi ex aqua Roſarum factâ,

Fiant Paſtilli.

Sapo Moſchatus.

℞. Saponis Veneti libras quatuor,
Incidantur minutiſſimè, adde pulveris
Caryophyllorum,
Santali albi ana uncias duas,
Benzoi unciam unam,
Moſchi ſcrupulum unum.

Diſtemperentur in aqua Roſacea.

Aliqui addunt olei de Spicâ guttas aliquot, ſed melius fuerit oleum Caryophyllorum, aut Macis, vel Roſarum. Quidam radices Iridis Illyricæ addunt; cuilibet ſuum hæc de re eſto judicium.

Sapo Moſchatus Venetus.

℞. Pulveris radicum Iridis Florentinæ unciam ſemis,
Styracis Calamitæ,
Aſæ dulcis ana drachmam unam,
Caryophyllorum,
Ladani ana drachm. ſemis,
Santali albi,
Ligni Aloës ana ſcrupulum unum.

Tenuiſſimè pulveriſata agitentur in mortario calido, adde

Saponis Veneti in aqua Roſarum fragrantiſſima decies loti libram unam,
Olei Tartari per deliquium facti unciam unam ſemis,
Ligni Rhodii ſcrupulum unum,
Moſchi ſcrupulum ſemis.

Fiant Globuli.

Alius albi Coloris.

℞. Saponis Veneti uncias decem,
Lavetur cum aqua Roſarum optima aliquoties, adde
Pulveris radicis Iridis Florentinæ odoratæ drachm. quinque,
Agitetur optimè in mortario calido,
Adde porrò
Olei Tartari per deliquium facti drachmas decem;
In fine
Olei ligni Rhodii ſcrupulum unum.

Formentur Cylindri.

ANIMADVERSIONES

Hanc Classem in universum concernentes.

Diversæ speciei medicamenta, & quidem externo usui tantummodò inservientia, in hac classe habentur; quarum prima *Collyria sicca* sive *Sief Arabibus dicta*, ex variis simplicibus & pulveribus, oculorum inflammationibus, visûsque imbecillitati succurrentibus conflata, & in formam oblongam, vel etiam *Trochiscis* similem efficta sunt: de quibus multa disserere operæ precium non est; cùm sint medicamenta in sua forma planè inutilia, nec ullo usui inservire possint, nisi denuò in pulverem redigantur: quod autem in facili non est, prout fusiùs in præcedentis classis animadversionibus hac de re disseruimus: Præstaret igitur, ob laboris compendium, *pulveres ipsos* reservare, nec *pastillos* exindè efformare, cùm, uti dictum, quotiescunque hos in usum trahere necesse est, opus habeant, ut denuò magno labore & difficulter pulverisentur.

Collyria sequuntur *Poma Ambræ*, quæ ob odoris fragrantiam excogitata sunt, & ex diversis *speciebus odoriferis, cum mucilagine Tragacanthi*, vel quod melius, *resinâ aliquâ*, vel *Styracis vel Ladani*, in simplicem massam redactis, conficiuntur, quæ ipsa, quò ex paucioribus *Gummatis & resinis fragrantibus*, itemque *oleis destillatis odoriferis* parata fuerint, eò gratiora sunt. His adjunguntur *Suffitus*, qui pulveres sunt grossi, ex iisdem *Gummatis & resinis fragrantioribus* ruditer contusis compositi, quibus *pulveribus* vel *suffitibus*, nec non *candelis & pastillis*, quandoque adduntur nonnulla, quæ prunis inspersa tantùm abest, ut fragrantiam aliquam redoleant, quin insignem fœtorem spirent, à carbonibus vivis ambusta, quantumvis antea & per se odorata fuerint, utpotè *Cinamomum, Caryophylli, sem. Coriandri, sem. Nigellæ, Rosæ, &c.* Imò & *Moschus ipse*, si vivis carbonibus immissus citò comburatur, malè olere solet. Proindè nisi Medicus quid aliud intendat cum similibus adjunctis, præstat ea omittere, quàm reliquorum odoriferorum fragrantiam unà destruere.

In compositione *candelarum pro suffitu, tadarum aromaticarum & pastillorum pro fumo*, præcedens admonitio similiter observanda est, præsertim in *pastillis pro fumo*, quibus sine ulla ratione magna *Sacchari albi* quantitas additur, quod ipsum jam ante in *animadversionibus præcedentis classis*, supra *Trochiscos de Benzoë* rejeci, quò benevolum Lectorem remitto. Hoc saltem in præsens moneo, satiùs esse loco *Sacchari pulverem carbonum* addidisse, & pro *Styrace Calamita* ejus *resinam*, cui reliqua tandem immisceri possunt: Si etiam *ligna Aloës & Cupressi*, item *Cinamomum ac Caryophylli* omitterentur, fragrantiores efficerentur *pastilli*.

Claudunt tandem hanc classem *Sapones Moschati*, qui & ipsi, quò paucioribus rebus, iisdem tamen gratis & odoriferis, utpotè *Moscho, Ambrâ, Zibetho*, vel *oleis quibusdam destillatis*, videlicet *Rosarum, Caryophyllorum, Benzoës, Majoranæ vel Lavendulæ* permixti fuerint, eò gratiores & fragrantiores existent.

Cæterùm, quæ diversorum horum *medicamentorum præparandi modos* concernunt, illa gnarus Pharmacopœus ipsemet abundè nôrit; sin minùs, consulantur nostræ compositiones & earundem parandi dexterrimi modi *sequentis Dispensatorii novi*; qui, si diligenter observentur, aliâ animadversione hîc ulteriùs opus esse, non censeo.

MEDICAMENTORUM PHARMACOPOEIÆ AUGUSTANÆ CLASSIS DECIMA QUARTA,

Continens

Confectionum Antidotalium, Narcoticarum seu Opiatarum aliarumque consimilium Conditarum & Conservarum descriptiones,

Nec-non

Iisdem Annexas Animadversiones.

THERIACAM, quam omnium planè medicamentorum Reginam meritò dicere queas, ob promissionum certitudinem & actionum efficaciam singulari multorum seculorum encomio celebratam, solis olim Regibus Imperatoribusque magnis sumptibus simplicia ad ejus confectionem requisita comparantibus, usui fuisse constat, cujus præparatio non nisi Medicis Cæsareis ob fidem peculiari privilegio credebatur. Notum namque est, Antidotorum inveniendarum studium, priscis semper magnatibus curæ fuisse: unde factum, ut hac in re, tot tantique viri maximè laboraverint, præcipuè verò Damocrates, Antipater, Ælius Gallus, Euclides, Palatianus Socratis discipulus, Zenon, Claudius Apollonius, Antiochus Rex, Hera, Xenocrates Platonis auditor, Esdra, Scribonius Largus, ac Nicolaus uterque, præcipuè verò Mithridates & Attalus, omnium ferè medicamentorum venenis adversantium vires particulatim experti, quorum quidem diversa, eaque plurima Mithridates conjungens, ea in famosam tandem redegit Antidotum, quâ suam à venenis incolumitatem tutatus esse legitur. Subsecutus autem multis pòst annis Andromachus, inter Neronis Medicos primus, nonnullis additis, quibusdam demptis, belluas seu viperas ei admiscuit, cùm jam antè citra ferarum additionem confectum medicamentum præclarè contra toxica faceret, atque sic Theriacam astruxit; cujus usus sub maximis Imperatoribus, (ut Galenus lib. de Theriaca ad Pisonem testatur) in publicum prodiit, primatibus ac exercituum ducibus opportunus futurus. Ad nobilem autem hanc Antidotum parandam, idem Galenus lib. 1. de Antidot. sibi ex magna Syria, Palæstina, Ægypto, Cappadocia, Ponto, maximè verò ex Macedonia, & ex provinciis ad Occidentem sitis, quas Galli habitant & Hispani, ac oppositas oras incolentes Mauri, medicamenta ad ejus compositionem necessaria allata fuisse scribit. Unde nullis hic sumptibus, diligentiæ, aut labori parcendum, ac difficultas propter utilitatem superanda. Cum autem neminem eam rectè paratum putaverit Galenus, nisi benè parantem priùs viderit, ideò ejus componendæ veram ac securissimam normam multo nobis usu compertam, lucidissimè, ne error obrepere possit, subjunximus. Ea autem sic habet.

Theriaca Andromachi Senioris ex Galeno.

ά, περὶ Ἀντιδότων.

℞. Trochiscorum Scilliticorum unc. sex,
Trochiscorum de viperâ,
Piperis longi,
Opii, seu succi Papaveris,
Magmatis Hedychroi ana unc. tres,
Rosarum rubearum exsiccatarum,

Iridis Illyricæ, aut Florentinæ,
Succi Glycyrrhizæ,
Sem. Buniadis dulcis, seu Napi agrestis,
Comarum Scordii Cretici,
Opobalsami, seu Olei ex Nuce Moschatâ expressi,
Cinamomi,
Agarici ana unciam unam semis,
Myrrhæ,
Costi odorati, seu Zedoariæ,
Croci Orientalis Corycii,
Cassiæ ligneæ veræ,
Nardi Indicæ,
Schœnanthi, seu Junci odorati,
Thuris masculi pellucidi,
Piperis nigri,
Albi, seu Aglaiæ,
Fol. Dictamni Cretici,
Comarum Marrubii,
Rhabarbari, seu Rhei,
Stœchadis Arabicæ ex Cycla,
Sem. Petroselini Macedonici,
Nepetæ, seu Calaminthæ montanæ odoratæ,
Terebinthinæ Chiæ, aut acris Lybicæ,
Zingiberis,
Rad. Pentaphylli seu quinquefolii racemosi ana drachmas sex,
Polii Cretici,
Chamæpityos ramorum,
Styracis Calamitæ rubeæ,
Meu, seu Angelicæ,
Amomi racemosi, aut sem. Citri & Hyperici ana part. æquales,
Acori, seu Calami Aromatici,
Nardi Celticæ,
Terræ Lemniæ veræ,
Phu Pontici, aut Valerianæ nostræ,
Chamædryos Cretici comarum,
Fol. Malabathri, aut ejus loco Macis & Caryophyll. ana partes æquales,
Chalcitidis tostæ,
Radicis Gentianæ,
Anisi torrefacti,
Succi Hypocistidis,
Carpobalsami aut Cubebarum,
Gummi Arabici splendidi, vermiculati,
Sem. Fœniculi Cretici,
Cardamomi minoris,
Seseleos fragilis Massil.
Succi Acaciæ,
Thlaspios,
Comarum Hyperici Cretici,
Ammeos,
Sagapeni ana drachm. quatuor,
Castorei,
Aristolochiæ tenuis, seu longæ,
Sem. Dauci Cretici,
Bituminis Judaici, seu Aspalthi,
Opopanacis,
Centaurii minoris comarum,
Galbani ana drachmas duas,
Mellis despumati triplum, id est, libras quatuordecim, uncias quinque, & drachmas duas.

Conficitur hoc modo secundum Galenum.

Herbæ, flores, fructus, semina, radices, cortices, Trochisci, terra Lemnia, Chalcitis, Bitumen, diligentissimè teruntur pistillo ferreo in mortario æneo, & cribro subtilissimè trajiciuntur, sem. Thlaspios, Napi sylvestris & Croco exceptis, quæ per se teruntur, vinoque rigantur, ne mortario interiori hæreant, & ut commodiùs conterantur: Gummi, succi & Castoreum per se terantur, affuso vino, ut commodiùs teri possint. In ipso compositionis tempore omniumque rerum mixturâ, Terebinthina in duplici vase cum modico mellis primùm liquefiat, deinde Opopanax, Galbanum, Sagapenum, exactè priùs trita, affuso pauculo melle, ut meliùs uniantur, compositionem subintrent; postea in duplici vase coquuntur cum Terebinthina, donec ad justam consistentiam redacta fuerint, his admiscetur pars aliqua contritorum, vino etiam dissolutorum, donec mellis consistentiam consequantur; deinde in mortarium vastæ magnitudinis effunduntur in hunc modum: Primùm pars aliqua eorum, quæ in duplici vase liquata sunt eaque tepida probè agitentur rudiculâ, & sic consequenter de residuo faciendum, donec omnia probè unita sunt, & hæc quidem ad Solem aut tepidum calorem, ut faciliùs uniantur, continuò

nuò agitando & tundendo pilâ ferreâ inunctâ oleo Nucis Moschatæ, ut commodiùs agitari possint, & oleum residuum reliquis admisceatur, alioquin facilè pistillo medicamentum adhæreret, & difficilior fieret agitatio. Hæc per quatuor aut quinque dies continuos agitanda sunt, & rursus elapsis sex aut septem diebus iteranda agitatio per duos menses; deinde reponitur medicamentum in vasculis plumbeis aut terreis benè coctis & vitreatis. Chalcitis, quæ hoc medicamentum ingreditur, sic præparanda est: Illius bona quantitas drachmarum non pauciorum quàm quadraginta, in ollam crudam operculatam conjiciatur, ac succensis carbonibus coquatur, eaque liquatâ ubi bullas emiserit, partem supernam in marmor effundes, atque illic in umbrâ permittas, donec frigescat. Inde solummodo capies quod supernè spumeum fuerit, quodque cinerei est coloris, aut prasii, non quod flavum est; Theriacam enim colore flavo non nigro tingeret: ea porrò drachmarum quatuor pondere vino trita & diluta medicamento admiscetur.

Nobilissima hæc Antidotus (quam Andromachus Neronis Medicus primùm composuit) à Galeno 1. de Antidotis & de Theriaca ad Pisonem descripta, quæ ante à tranquillitate, quam ægris præstabat Γαλήνη dicta est, cùm variè à variis parari soleat, & noster eam conficiendi modus à veterum normâ longè sit diversus, ut in ejus structura uniformis servaretur æqualitas, eum jam dictæ Theriacæ præparandæ modum hîc subjicere voluimus, quem Reipub. nostræ Augustanæ Pharmacopœi hoc in negotio versatissimi, ut qui sæpiùs ac ferè quotannis hanc Antidotum & quidem in magnâ quantitate conficiunt, sequuntur, quemque commodissimum & omnium præ cæteris dexterrimum multo usu ac experientiâ sunt edocti.

Simplicia igitur ad Theriacæ constitutionem expetita, eaque omnium selectissima & perfectissima, quæ conteri possunt, in sex classes dividunt, quarum singulas seorsim tundunt, in pulverem redigunt, ac angusto cribro transmittunt.

Classes autem hæ sunt.

I. CLASSIS.

℞. Iridis Illyricæ,
Scordii Cretici,
Sem. Buniadis ana unc. unam semis,
Anisi,
Seseleos Cretici,
Polii Cretici ana unciam semis,
Zedoariæ electæ drachmas sex.

Pendit hæc classis in universum libram semis, drachmas sex.

II. CLASSIS.

℞. Gentianæ,
Chamædryos,
Fœniculi Cretici,
Amomi aut succedanei ejus ana unc. semis,
Pentaphylli,
Marrubii,
Calaminthæ montana ana drach. sex.

Pendit hæc classis in universum uncias quatuor, drachmas duas.

III. CLASSIS.

℞. Radicis Meu, seu Angelicæ,
Phu Pontici,
Nardi Celticæ,
Chamæpityos,
Seminis Thlaspios ana unc. semis,
Aristolochiæ longæ drachmas duas,
Dictamni Cretici drachmas sex.

Pendit hæc classis in universum uncias tres semis.

IV. CLASSIS.

℞. Rosarum rubearum unc. unam semis,
Florum Hyperici unciam semis,
Centaurii minoris,
Seminis Dauci ana drachmas duas,
Petroselini Macedonici,

Schœ-

Schœnanthi cum flore ana drachmas sex,
Trochiscorum de Vipera unc. tres,
de Squilla unc. sex.

Pendit hæc classis in universum uncias tredecim.

V. CLASSIS.

℞. Seminis Ammeos,
Acori, seu Calami Aromatici ana unciam semis,
Cinamomi optimi unc. unam semis,
Cassiæ ligneæ,
Rhabarbari,
Spicæ Indicæ ana drachmas sex,
Piperis longi,
Trochiscorum Hedychroi ana uncias tres,

Pendit hæc classis in universum uncias decem, drachmas sex.

VI. CLASSIS.

℞. Stœchadis Arabicæ,
Zingiberis albi,
Piperis nigri,
Albi ana drachmas sex,
Macis,
Caryophyllorum ana drachmas duas,
pro Folio,
Cubebarum pro Carpobalsamo,
Cardamomi ana unciam semis.

Pendit hæc classis in universum uncias quatuor semis.

Sequentia autem singula per se terantur, utpote,

Myrrhæ,
Thuris albi,
Croci Orientalis ana drachmas sex,
Agarici Trochiscati unc. una semis,
Castorei,
Bituminis Judaici ana drachmæ duæ,
Terræ Lemniæ veræ,
Chalcitidis tostæ ana uncia semis.

Nunc verò Gummi & Resinæ, Terebinthinâ Cypriâ & Styrace exceptis, utpote Sagapeni uncia semis, Opopanacis drachmæ duæ, Galbani drachmæ duæ, Gummi Arabici uncia semis, per se vino Cretico dissolutâ ac eliquata per setaceum tenuis pulticulæ formâ exprimantur; hoc facto ad permixtionem sic accedes. Primò sex classes medicamentorum in tenuem pollinem redactas, unà cum iis, quæ per se terenda monuimus, terrâ Lemniâ, Croco & Chalcitide exceptis, in aheno magno commiscebis, diligenter pulveres hos per horam vel amplius agitando, ut sic probè coëant, ac accuratè & ad extremum usque permixti, paulatim postmodùm melli & reliquis liquidioribus misceri queant, eo planè modo, quem jam jam tradituri sumus.

His igitur ita ritè dispositis, in ahenum quoddam magnum quatuor aut sex mellis despumati ac modicè calentis unciæ infundendæ, eaque pistillo magno ligneo ita hinc inde diducendæ, ut cacabi jam dicti circumferentia melle hoc tenuissimè obducta, & quasi peruncta seu illita videatur. Tunc omnium primò Terebinthina Cypria super prunas modesto calore liquata, addito pauco melle & vino Cretico, eidem aheno indenda, quam mox Gummatum (ut paulò antea commemoravimus) per setaceum expressus quasi cremor identidem vino Cretico modicè dilutus, & ad prunas leniter calefactus subsequatur. Abhinc succi & liquores concreti nempè succus Acaciæ, Glycyrrhizæ, Hypocistidis, ipsumque Opium compositioni jungantur, quæ omnia ac singula vino Cretico dissoluta, unà cum prioribus aheno inditis, nimirùm Terebinthinâ & Gummis, continuâ ac indesinenti agitatione probè permisceantur. Hoc facto mellis despumati mediocriter calentis libræ aliquot in ahenum hoc dimittantur, ac factâ prius diligenti omnium jam dictorum unione, pulveres sex classium sedulò ad invicem (ut antea monuimus) permixti, per cribrum angustum paulatim inspergantur, continuaque agitatione sic accuratè permisceantur, ne quid grumescat, sed compositio ipsa evadat plana ac tenera, atque sic alternis vicibus modò mellis portio aliqua assundenda, modò pulveres inspergendi, donec omnis pulverum quan-

quantitas melli unita fuerit. Tunc verò terra Lemnia, & post eam Chalcitis, utraque priùs vino Cretico diluta adjicienda; abhinc Styrax Calamita addito modico vino Cretico ad prunas liquefiat, ac oleo Nucis Moschatæ addito artificiosè, ne grumescat, dissolvatur, & ad teneritudinem eliquetur, compositionique addatur. Quæ ubi probè unà cum cæteris omnibus mixta fuerint, Crocus eodem vino Cretico dilutus, ac tenuiter diductus Theriacam subintret, & postremò oleum Caryophyllorum, quod Trochiscis Hedychroi, in quorum structura Opobalsami vices supplere debebat, subtraximus, qua de re vide Scholion ad Trochiscos jam dictos, loco proprio adjectum, medicamentumque diu ac strenuè agitandum, ut omnium eò perfectior fiat mixtio, idque in vase mundo reponendum, cujus tertia vel ad minimum quarta pars vacua supersit, ut Theriaca fermentando in ampliorem molem accrescens & insurgens commodè per dies aliquot in eo agitari queat. Est enim ad dies ad minus octo continuos quotidiè commovenda, deinde verò singulis hebdomadibus, ac tandem singulis mensibus agitanda, donec anni unius ætatem attigerit, semper eam diligenter contegendo, & ab externis injuriis muniendo, eritque sic Theriaca omnibus suis numeris absoluta, eos effectus præstans, quos vetus seculum atque etiam modernum, de tàm nobili ac pretioso medicamine pollicetur.

Alii parùm à jam dicta methodo declinantes, Styracem unà cum Terebinthina omnium primò liquant, deinde Gummata resoluta, succosque vino dilutos, abhinc pulveres classium prius distributarum, benè prius (ut supra monuimus) permixtos unà cum melle Theriaces confectioni jungunt; ultimo loco oleum Nucis Moschatæ, terram Lemniam, Crocum, & tandem Chalcitidem admiscent, estque is Theriacam componendi modus à priore parùm diversus, nisi quod Styrax in dissolutione periculum aliquod pariat: ea enim si frigidius tractetur, in grumos abire, sin verò calidius, evaporare solet. Quare prior modus nobis ut probatior semper magis arrisit.

T*Heriacæ vires ex Galeni monumentis sic decerpunt Actuarius & Alexandrinus. Ipsa adversus maxima mala medicamentum alexiterium est expertum. Datur in venenatis morbis, aut venenatorum plagis, Nucis Ponticæ magnitudine cum vino, capitis dolores diuturnos, vertigines, auditus graves, hebetudines oculorum, gustus instrumentum, debilitatum, comitialem morbum, orthopnoicos cum mulsâ potum sanat; dissecans, attenuans & eductu faciles reddens humores; Succurrit etiam recenti & veteri tussi, & iis quibus thorax dolet. Convenit sanguinem expuentibus, sive à thorace, sive à pulmone eductio fiat, siquidem recens eductio sit cum posca, inveterata verò cum aqua decocti radicum Symphyti manè & vespere, stomachi vitia, ventriculi difficilem concoctionem & imbecillitatem emendat, inflationes stomachi, & intestinorum cruciatus sedat, colicos & ileosos placat. Valet etiam in cardiacis, & iis qui animo linquuntur, & cholericis, lumbricorum omne genus mirabiliter exigit, cum succo Menthæ data: hepaticos affectus, itemque morbo regio laborantes strenuè curat, induratos lienes liquefacit, sordes in iis consumens cum Oxymelite data. Deterit & lapides renum cum decocto Apii & Petroselini, aut semine Dauci, aut quorundam aliorum, & difficilem mictionem vesicæ, & in ipsa exulcerationes interdum sanat, cum decocto Chamæmeli febre carentibus data, aut cum vino dulci. Præbetur in omnis generis rigoribus diuturnis, maximè verò quartanis, si quis eâ artificiosè utatur, hoc est, post inclinationem. Datur etiam hydropicis cum Asari decocto & similibus malis, potissimùm verò iis qui anasarcâ laborant, elephantiâ quoque correptis sæpè auxiliatur, & partium corporis resolutiones in potu accepta sæpè sanat, mulierum purgationes movet, & mortuos fœtus ejicit, data cum passo aut aqua mulsa; Rutâ tamen aut Dictamno priùs in iis liquoribus incoctis fabæ magnitudine, podagrâ afflictis & articulorum defluxione infestatis conducit, post inclinationem non semel tantùm, sed multoties pondere drachmæ unius pota, pro viribus & ægri temperamento, opitulatur dolentibus etiam imposita. Admirari verò oportet hanc Antidotum, quod non modò corpori, verùm etiam animo malè affecto medetur: Ex atra*

enim bile natas diversas imaginationes hoc medicamentum exhibitum sedat, è vasis lienis atram bilem veluti eluens & exhauriens: quemadmodum etiam ex ferarum ictu illatum venenum, & aquæ formidinem (hydrophobiam vocant) pessimum sanè & curatu difficilem morbum, aut potiùs incurabilem, assiduè data sæpè sustulit. In pestilentibus similiter constitutionibus præsumentes ipsam hoc malo corripi prohibet. Hyemis tempore iter facientibus consulimus, ut ex ipsa parum sumant; est enim veluti bonum viscerum integumentum, quod plurimùm iis, qui eam sumpserunt, calorem exhibeat. Dare oportet hoc Medicamentum cùm probè coxerit, qui ipsum accepturus est, neque cibis refertus sit. Bibat autem jejunus, & jube, ut sufficienti tempore à cibis abstineat, quo Medicamentum concoqui possit. Inspicere verò etiam oportet tempus & ætatem ejus, qui sumpturus est. Æstate enim neque omninò dabis, neque in vigore ætatis existentibus, ut qui plurimùm habeant caloris, neque sæpiùs Medicamentum exhibendum esse monemus: iis verò qui jam vitæ declinationem attigerunt, pituitosis, nauseabundis & cruditate laborantibus, usque qui cibum non appetunt ex melancholia aut frigiditate, hanc sæpiùs & plurimùm exhibere convenit. Similiter etiam iis, qui stomachi inflatione laborant, & uteri malis, cum vino bono ac veteri consulimus frequenter sumendam. In biliosis verò febricitantibus & pueris omninò ejus exhibitionem vitare oportet: major enim ejus est facultas, quàm vires eorum tolerare possint, eò quod illorum corpora facilè dissolvat, & innatum spiritum celeriter extinguat.

ANIMADVERSIONES.

UNius equidem consistentiæ medicamenta hæc classis complectitur, *Electuaria* nempè, eaque magni nominis & æstimationis, ac ad diversorum morborum agmina profliganda decantati usûs, nec minùs tamen, si rectâ rationis bilance eorum compositiones & præparationes librentur & expendantur, mendis innumeris scatentia, ac proindè maximâ reformatione & castigatione summoperè indigentia.

Inter hæc ipsa verò primas tenet, illa omnium planè medicamentorum Regina dicta, ac tanti hactenus ubivis gentium æstimata, tot tantorumque virûm encomiis celebrata THERIACA, quam in præsens exquisitiori rectæ rationis & judicii examini subjicere, atque paulò minutiùs, quàm hactenus ab aliis factum est, pervestigare stat sententia.

THERIACA undè dicta sit, quis magni hujus remedii inventor extiterit, & quibus ægritudinibus potissimùm inserviat, de his non est ut multum disseramus, libet scriptionis & laboris operæ compendium facere, & ad Authores, qui de encomiis magnæ & pompofæ hujus confectionis ubertim loquuti sunt, benevolum Lectorem relegare. Neque tamen antiquissimæ huic *Antidoto*, ad quam omnis orbis ferè in morbis deploratissimis, inprimis autem diræ illius luis pestiferæ, nulli parcentis, Tros Rutilusvè ruat, ferociis coërcendis, veluti ad sacram anchoram confugit, laudes suas detrahere vel ipsam evertere, nobis proposuimus, utpotè cui rei etiam prorsùs impares essemus, cùm immensarum ejusdem virtutum encomia, jam tùm in mente non plebeiorum solùm, sed etiam Magnatum, ac ipsorummet etiam Medicorum; istorum autem præcipuè, quibus modernorum inventa sordent, & queis antiquorum authoritas adeò sancta est, ut piaculum censeant, ab eorum dictis & præceptis vel latum unguem recedere, altas & firmas radices egerint, imisque infixa sint medullis, atque si daretur optio, citiùs clavam ex manu Herculis extorquere, quàm conceptam hanc de THERIACA ingentem fiduciam ex animis multorum elidere anniteter. Interim tamen nemo, cui veritas cordi est, nobis vitio vertet, ubi non Quis, sed Quid loquatur seriò attendentes, Ratione etiam & Experientiâ adducti, nec non Authoritate præclarissimorum Virorum (*vide Quercet. rediv. in sua Pharmacopæia Dogmatica fol.* 475.) quibus jam dudum, ingens hæc THERIACAE ex tam immensa & incongrua prorsus, tot ingredientium farragine consarcinata compositio suspecta fuit, suffulti, ab antiquorum placitis, non dicam erroribus, pauxillum declinaverimus, nec ubique in omnibus pro dextra hujus præparatione efformanda,

manda, eorundem vestigiis institerimus. Præ cæteris autem rationi minùs conforme videtur, quòd ex indistincta vel potiùs infrunita, tantâque tòt diversarum rerum, nonnunquam apertè sibi repugnantium conglomeratione, tam nobile ac præcellens, (quale quidem THERIACA vulgò æstimatur) Alexipharmacum exsurgere vel emergere queat; taceo, quòd Alexipharmacorum sive specierum virtute aliquâ Bezoardicâ præditarum, vel minimus huic prolixæ *compositioni* insit numerus, quarum insuper vis & efficacia à plurimis adjunctis aliis incongruis ingredientibus, partim ipsorum qualitate, quâ alterum alteri infestum est, partim verò nimiâ copiâ obruitur & obtunditur, ferequè annihilatur. Et ut paucis absque fuco meam de THERIACA proferam sententiam, experientiâ crebrâ confirmatam, certò statuo illam, si legitimè præparata sit, in intemperie ventriculi frigidâ corrigendâ, ejusdemque, uti & intestinorum diris symptomatibus, utpotè *nauseâ*, *vomitu*, *diarrhæâ*, *dysenteriâ*, *colicâ passione*, *&c.* si in debita dosi propinetur, ac vel externè etiam applicetur, compescendis, aliisque quamplurimis reliquis *vitiis ventriculi* (à quo tanquam scaturigine, plurima fluunt morborum, inprimis verò febrium genera) corrigendis plurimùm posse: In morbis autem malignis ac pestilentibus, nec non peste ipsa, an tantum præstare queat, quantum illi satis gloriosè attribuitur, equidem hactenus nondum experiri, nec unquam ex illius solitario usu tam prosperos effectus videre licuit. Et sanè, si quid singulariter in *peste* valeat, idipsum non tam ratione insignis virtutis Alexipharmacæ (utpotè quam exiguam saltem ob rationem superiùs allatam à nonnullis ingredientibus, iisdemque ex parte summoperè adulteratis mutuatur,) quàm ratione *Opii* fieri existimo; hoc enim præter vim Narcoticam, etiam peculiari vi quasi dementatrice pollet, quâ ipsâ impræg-nata THERIACA, salubriter adhuc degentibus, qui ratione præservationis illâ utuntur, ac firmam fiduciam in illam collocant, veluti animositatem quandam, ceu tempore infectionis summè necessariam, addit, sicque nonnullos quandoque immunes conservat; quantum enim timor *tempore pestis* noceat, quantumque è contra impavida mens & animus intrepidus possit, præter observationes vulgares, etiam apud *acutissimum illum Philosophum Helmontium in Tumulo pestis*, eleganter videre est.

Præmisso hoc generali discursu de THERIACA & ejusdem virtutibus, progrediamur nunc ad specialius nonnullorum ejus ingredientium examen: Et quidem, quantum *Agaricum*, *Rhabarbarum & Chalcitidem* concernit, quem ob finem singularem illa (tanquam cathartica, & corrosiva, nec ullâ vi Alexipharmacâ prædita) addita sint, nemo sufficientem rationem, quæ animum veritatis avidum satiare posset, protulit; quin multis, Viris etiam præclarissimis, res suspecta fuerit, inprimis *Quercetano, qui fusius cap.*30. *de præp. Theriac.* de his tractat, quò, ne multus sim, Lectorem remitto. *Trochisci item Hedychroi*, quorum singula propemodùm ingredientia, etiam *Theriacæ compositioni* inserta sunt, quòd illi adhuc separatim adjiciantur, planè inconcinnum & absurdum, cum eodem *Quercetano cap. citato*, mihi videtur; Idcircò ne labor & compositiones frustrà hîc cumulentur, *species omnes hos Trochiscos ingredientes*, ipsi huic *compositioni Theriaces* in debito & exactè computato pondere adjiciam. *Trochisci de Viperis* quales illi sint, qui prolixæ huic *compositioni* à seculo jam adulterati & præposterè additi, & quales esse debeant, quidvè eorum loco substituendum sit, quod meritò basis & fundamentum THERIACAE esse, majoremque vim Alexipharmacam addere possit, fusiùs in *animadversionibus classis duodecimæ* explicavimus; in iisdem etiam *prædictæ classis animadversionibus* mentionem fecimus *Trochiscorum de Scilla*, qui tantum abest, ut ex *Scilla*, quin potiùs ex rebus adjectis constent, quod quivis, qui solummodò *Cepam* aliquam vel *Allium* semel exsiccare voluerit, reipsâ experiri poterit. Idcircò brevitatis causâ ad præfatas nostras animadversiones superiores revolvendas Lectorem relegamus. Nos jam ipsam, quæ reliqua est, *Theriacæ præparationem*, aggrediamur, in qua quidem à veterum componendi modo, utpotè à tot annorum serie recepto, non nimiùm declinabimus, nihilominus tamen concinniorem ejus

mixturam, exactioremque nonnullarum rerum præparationem indigitaturi sumus: utpotè

℞. *Succi vel pulpæ Scillæ,*
Radicum Dictamni albi, (harum enim pulvis ad Trochiscos de Scilla expetitur,)
Pulveris viperini ritè præparati, vel etiam hujus loco Trochiscorum de Viperis nostro modo confectorum,
Piperis longi,
Opii præparati ana ℥ ij,
Opobalsami sive olei ex Nucibus Moschatis expressi,
Cinamomi acuti ana ℥ j ß, ʒ j,
Rosarum rub. exsiccatarum,
Iridis Illyricæ aut Florentinæ,
Succi Glycyrrhizæ,
Sem. Buniad. dulcis sive Napi agrestis,
Comarum Scordii Cretici, vel potiùs, nostratis,
Agarici Trochiscati ana ℥ j ß,
Myrrhæ electæ,
Croci Austriaci,
Amomi racemosi aut sem. Citri excorticati,
Cassiæ ligneæ veræ,
Nardi Indicæ ana ℥ j,
Schœnanthi,
Costi odorati sive Zedoariæ ana ʒ vij,
Thuris masculi pellucidi,
Piperis nigri,
albi,
Fol. Dictamni Cretici,
Comarum Marrubii,
Rhabarbari,
Stœchadis Arabicæ,
Nepetæ seu Calaminthæ montanæ odoratæ,
Sem. Petroselini Macedonici,
Terebinthinæ Chiæ,
Zingiberis,
Rad. Pentaphylli ana ʒ vj,
Acori seu Calami Aromatici,
Fol. Malabathri, aut eorum loco Macis & Caryophyllorum ana partes æquales,
Phu Pontici aut Valerianæ nostræ ana ʒ v,
Comarum Chamædryos nostratis,
Polii Cretici,
Chamæpityos,
Nardi Celticæ,
Comarum Hyperici,
Meu, seu, quod melius, Angelicæ,
Radicum Gentianæ,
Anisi non torrefacti,
Sem. Fœniculi Cretici,
Ammeos,
Seseleos fragilis Massiliensis,
Thlaspios,
Cardamomi minoris,
Carpobalsami aut Cubebarum,
Succi Hypocistidis,
Acaciæ,
Gummi Arabici splendidi,
Resinæ Styracis Calamitæ,
Sagapeni,
Chalcitidis,
Terræ Lemniæ veræ ana ℥ ß,
Aristolochiæ tenuis seu longæ,
Comarum Centaurii minoris,
Sem. Dauci Cretici,
Bituminis Iudaici,
Opopanacis,
Galbani,
Castorei ana ʒ ij,
Xylobalsami ʒ j,
Aspalathi,
Asari,
Amaraci,
Mari veri ana ℈ ij,
Mastichis ℈ j,
Mell. despumati &, si haberi potest, Cretici triplum, id est ℔ xiv, ℥ v, ʒ ij,

Modus conficiendi primus hujus *compositionis* ab Authoribus annexus, maximè obscurus, imò inconditus & stolidus est: qui ut concinnè tradatur, præstat etiam *species* primùm in suas classes dispensare, quibus postmodum vel contusis, vel dissolutis, aut alio convenienti modo præparatis, minùs difficilem earundem moliemur præparationem.

CLASSIS I.

℞. *Iridis Illyricæ,*
Scordii Cretici vel nostratis,

Sem. Buniadis ana ℥ j ß,
Anisi,
Seseleos Cretici,
Polii Cretici ana ℥ ß,
Zedoariæ electæ ʒ vij,
Mari veri,
Amaraci,
Asari ana ℈ ij.

CLASSIS II.

℞. *Gentianæ,*
Chamædryos,
Fœniculi Cretici,
Amomi aut succedan. ejus ana ℥ ß,
Pentaphylli,
Marrubii,
Calaminthæ montanæ ana ʒ vj,

CLASSIS III.

℞. *Rad. Meu vel Angelicæ,*
Phu Pontici,
Nardi Celticæ,
Chamæpityos,
Sem. Thlaspios ana ℥ ß,
Rad. Dictamni albi ʒ iij,
Aristoloch. longæ ʒ ij,
Dictamni Cretici ʒ vj,

CLASSIS IV.

℞. *Rosarum rubearum* ℥ j ß,
Florum Hyperici ℥ ß,
Centaurii minoris,
Sem. Dauci ana ʒ ij,
Petroselini Macedonici ʒ vj,

CLASSIS V.

℞. *Sem. Ammeos,*
Acori seu Calami armat. ana ℥ ß,
Cinamomi opt. ℥ j ß,
Cassiæ ligneæ,
Rhabarbari ana ʒ vj,
Piperis longi ʒ iij,
Macis & Caryophyllor. loco Folii, ana ʒ ij.

CLASSIS VI.

℞. *Stœchadis Arabicæ,*
Zingiberis albi ana ʒ vj,
Agarici Trochiscati ℥ j ß,
Castorei ʒ ij,
Cubebarum, loco Carpobalsami,
Cardamomi ana ℥ ß.

Sequentia per se singula Teri possunt.

℞. *Croci Austriaci,*
Thuris albi ana ʒ vj,
Xylobalsami ʒ j,
Aspalathi ℈ ij,
Bituminis Iudaici ʒ ij,
Terræ Lemniæ ℥ ß,

Squinanthum & Nardus Indica omnium difficillimè in pulverem subtilem redigi queunt, ità ut quandoque necessùm sit potiorem ipsorum partem abjicere, si pulverem subtilem pro *Theriaca* expetamus: Et licet cum aliis pulveribus continuò multumque conterantur, nihilominùs si per cribrum, quam angustum etiam illud sit, transmittantur, capillacea tamen transeunt pulveremque totum pilis veluti minutissimis inficiunt, vel ad finem usque villosa vel aculeata remanent: sique diutiùs etiam contundantur, squammulæ à mortario in copia abraduntur, iisque permiscentur. Propterea consultiùs esset, ut loco dictorum, *Squinanthi & Nardi Indicæ* scilicet, eorundem *extractum & essentia Theriacæ* commiscerentur, quæ modo sequenti parari possunt; utpotè

℞. *Nardi Indicæ, &*
Squinanthi ana ʒ vj,

Quibus minutim concisis affunde *vini Malvatici* ℔ j ß, & in M. B. ad siccitatem usque abstrahe: *Aqua spirituosa & odorifera à prædictis rebus abstracta* (loco *vini Malvatici simplicis*,) pro dissolutione rerum *Theriacam* ingredientium, adaptetur; *Remanentia* verò in fundo cucurbitæ cum *aqua simplici* vel alia destillata q. s. coquantur, & exprimantur, *expressum decoctum* ad *extracti* consistentiam leniter abstrahatur, & *Theriacæ* tandem etiam commisceatur,

Quòd si verò *extractum* & *essentia destillata* non arriderent (cum tamen mehercle meliori modo res prædictæ *Theriacæ* jungi nequeant,) necessum erit, ut illæ sigillatim per se modoque peculiari, in pulverem subtilem redigantur, quod fieri potest, si ambo minutissimè forcipe priùs concisa cum *vino Cretico* humectentur, de *Gummi* quoque *Arabico*, antea *soluto*, illis nonnihil addatur, ac tandem in cucurbita vitrea, suo capitello munitâ, inque M. Balneo collocatâ, totaliter iterum exsiccentur; *Aqua odorifera vel vinum destillatum* ab illis prodiens, cum reliquo *vino Cretico* adhibeatur pro dissolutione aliorum quorundam ingredientium, aut hæc ipsa hoc modo parata, ubi in pulverem subtilem tandem redacta sunt, sique de *Gummi Arabico* illis aliquid additum sit, *hâc aquâ odoriferâ prolectâ* iterum dilui possunt.

His omnibus *speciebus*, quæ in classes divisæ sunt, iisque, quæ sigillatim contundi debent, subtilissimè contusis, & per cribrum angustum aliquoties trajectis, sequentia sigillatim in appropriatis suis *menstruis* dissolvantur. Inprimis autem *resina Styracis Calamitæ* (quam non immeritò *granis* longè præfero, cùm *grana Styracis*, quàm pura etiam sint, nihilominus *resinæ* puritatem non adæquant; taceo, quòd *grana* utplurimùm adulterata, aliorumque *Gummatum granis* permixta sint: Idcircò longè securiùs est, ut loco *granorum Styracis*, ejus *resinam expressam vel extractam*, prout postea edocebo, accipiamus,) nec non *Olibanum sive Thus pulverisatum*, (quod ipsum tamen nonnullas partes habet mucilaginosas) item *Bitumen Iudaicum & Mastiche*, optimè in *Terebinthina* liquentur, si *Terebinthina* clara sit & liquida, non verò nigra aut spissa, qualis plerumque illa, quæ communiter Venetiis transportatur, quæque nullatenus mihi arridet, & satiùs esset pro eadem, si pura & limpida haberi non possit, nostratem Germanicam selectam substituere. *Myrrha, Gummi Sagapenum, Opopanacum, Galbanum*, in *vino Cretico*, vel (quod meliùs est) in *essentia viperina* cum *vino Cretico* factâ, & in *animadversionibus classis duodecimæ super Trochiscos de Viperis* edoctâ, dissolvi vel dilui, & per colatorium setaceum colari & exprimi possunt. *Opium* verò juxta modum in præparatione *pilularum de Cynoglossa* indigitatum, priùs præparari, postea in *vino Cretico* vel prædictâ *essentiâ viperinâ*, vel etiam, si haberi potest, *aquâ viperinâ*, in præparatione *pulveris viperini* asservatâ dissolvi, ac per colatorium setaceum colari ac transmitti potest. Similiter etiam in prænominatis liquoribus dissolvi queunt, *succus Liquiritiæ, Hypocistidis & Acaciæ*, nec non *Gummi Arabicum*. Et si loco *Trochiscorum de Scilla*, ipsius *Scillæ succus* substitutus fuerit, cum eodem quoque nonnulla ex prædictis *speciebus*, utpotè *Crocus vel Gummi Arabicum* dissolvi possent aut dilui. Quòd si ipsum *Opobalsamum*, non verò ejus succedaneum, scil. *oleum Nucistæ* accipiatur, posset quidem illud cum *Terebinthina* commisceri; æquè tamen commodè etiam cum *melle* dissolvitur, aliisque *speciebus* superiùs dissolutis, per vices tamen nec confertim admisceatur, prout jam in ultima omnium *specierum* commixtione dilucidiùs edocebo. Si verò *oleum Nucistæ loco Opobalsami* accipiatur, potest illud similiter successivè reliquis rebus dissolutis artificiosè jungi, pari, quem mox aperiam & explanabo, modo. Nimirùm

Præ manibus inprimis habeas *mel quàm optimè clarificatum*, & satis crassum, vel ad crassam consistentiam inspissatum, in competenti pondere; Deinde *ahenum* magnum, quantitati *Theriacæ* conficiendæ proportionatum, collocatumque supra ignem lentissimum, cui mox particula *mellis* injici potest, nec non aliquid de *pulveribus*, & continuò agitari.

Interim in alia *patella* habeas *Gummata pulticulæ instar diluta & colata*, scilic. *Myrrham, Sagapenum, Opopanacum & Galbanum*, quibus supra ignem lentissimum collocatis insperge & instilla guttatim sub continua agitatione mox de *Terebinthina* (in qua jam *resina Styracis* &, si lubet, *Olibanum pulverisatum & Mastiche* etiam liquata sint,) mox de *oleo Nucistæ* liquato vel *Opobalsamo*, mox particulam de *pulveribus* insperge, vel alternatim etiam de *melle*, hocque tamdiu continuandum, donec tota *Terebinthina*, & quæ in illa dissoluta vel liquata sunt, unà cum *oleo Nucistæ vel Balsamo*

ſamo Indico vero & aliquot libris *mellis ac pulverum*, prædictis *Gummatibus* indiſſolubili nexu & exactè immiſta & commixta ſint, quæ invicem aliquandiu agitentur in calore leni, vel, quod meliùs eſt, in diplomate, collocando nimirùm vel nonnihil immergendo patellam, in qua res jam dictæ permixtæ ſunt, in aquam calidam (optimum enim eſt ſimiles *mixturas Gummatum* in diplomate veluti liquefacere, & liquefactas diu multumque agitare; quippè incredibile eſt, quàm exactè ad hunc modum, rerum aliàs difficulter coëuntium, ſcilicet *reſinarum, oleorum, Gummatum & liquorum*, *&c.* ſic fiat unitio & commixtio, quæ nullo modo tam benè & abſque periculo ſupra ignem apertum, etiam ſatis lentum, perfici poteſt, quin *Gummata* grumeſcant, ſive in grumos coëant) ſicque hoc pacto optimè unita & exactè commixta, paulatim & per vices etiam immittantur in *ahenum illud capax*, in quo, ut antea dictum, jam *mellis & pulverum* portio indita ſit, & alternatim de *pulveribus* pariter exactiſſimè invicem commixtis, per cribrum aliquid inſpergatur, mox de *melle calefacto* particula, nec non ſucceſſivè *reliqui ſucci*, modo ſuperiùs indigitato diſſoluti; utpotè *Opium, ſuccus Liquiritiæ, ſuccus Acaciæ & Hypociſtidis*, item *Chalcitis ſoluta*, *Crocus*, *terra Lemnia*, *Gummi Arabicum* diluta addantur, quoad omnia inſperſa & immiſſa ſint, quæ ſat diu adhuc, quò meliùs cuncta uniantur, agitari poſſunt, eritque ſic exactè peracta *Theriacæ præparatio*, quæ aliquoties adhuc in vaſe illo, in quo recondita eſt & aſſervata, agitari & ſubigi debet.

Nota, quod *Chalcitis toſta* nihil peculiare ac diverſum ſit à Vitriolo ad colorem cineritium calcinato; nec eſt quod ſpumam in ejuſdem calcinatione vel coctione ſupernatantem duntaxat accipiamus; præſtat enim *ipſum Vitriolum* leviter ſaltem ſive ad flavedinem ſive rubedinem (parùm enim in colore ſitum eſt, & quocunque modo leniter calcinatum Vitriolum addas, non colore vel flavo vel rubro, ſed nigro Theriacam & alia compoſita Electuaria, quæ *Roſas*, *Crocum* & ſimilia capiunt, imbuet;) calcinatum addere. Neque tamen *quodvis Vitriolum magnificæ huic compoſitioni Theriaces*, vel etiam ad *Chalcitidem* hanc præparandam æquè accommodatum eſt, ſed illud potiſſimùm, quod eſt de *natura vel vena Chalybis*, *Martiale dictum*, non verò è fontibus vel *venis cupreis* ſive *Venereum*: Etenim *Martiale Vitriolum*, quod colore viridi præditum eſt, ſapore ſubdulci gaudet, reſolventibus virtutibus maximâ ex parte præditum, nec valdè nocivum, ſi intra corpus in parva doſi ſumatur; *Venereum* è contrà, quod colore cæruleo imbutum eſt, ſaporem habet inſigniter adſtringentem, nauſeam vomitumque in pauca etiam quantitate commovens, ut ingens ſuſpicio ſit, venenum quoddam huic Vitriolo commixtum eſſe, atque ob id hoc ipſum minimè aptum cenſeo, ut huic *compoſitioni* jungatur, ſed *Martiale illud*, (ſi quâ neceſſariò vel Chalcitis vel Vitriolum ad *Theriacæ* compoſitionem expetatur,) ſtudioſè electum accipiatur.

Reliqua adhuc eſt præparatio *reſinæ Styracis*, quæ dupliciter inſtitui poteſt, per expreſſionem videlicet & extractionem. Si per expreſſionem illam elicere lubido eſt, tunc

℞. *Styracem Calamitam optimam & reſinoſam*, quam in mortario groſſo modo confractam, in patella affuſo *vino* vel *aqua Roſarum* ſuprà ignem unicâ ſaltem ebullitione diſſolve; poſteà per prælum vel torcular calefactam fortiter exprime, ſeparata denique ab aquoſitate *reſina* ſtudioſè aſſervetur. Quod ſi extractio magis arrideat, utpotè quâ tota *reſina* elici poteſt, remanentibus ligneis ac inutilibus ſegmentis, *Styraci* permixtis, quæ alioquin per expreſſionem ſufficienter ſeparari nequeunt; Tum

℞. *Styracem optimæ notæ, confractam*, cui cucurbitæ vitreæ immiſſæ, ſuperaffunde *ſpiritum vini rectificatum*, ad eminentiam quatuor vel quinque digitorum, & in tepore vel leni calore digere per diem, coletur *ſpiritus tinctus*; & ſi *reſinoſa* adhuc *Styrax* apparet, adhuc ſemel *ſpiritûs vini* affuſionem reitera, ac ut antea digere, cola, exprime: *Tincturas* ſive *extractiones* confuſas & conjunctas in cucurbita vitrea ad remanentiam quartæ vel ſextæ partis in M. B. leniter abſtrahe: Remanenti in cucurbita *ſpiritui* nonnihil aquoſo innatabit

bit *resina*, quæ si non totaliter præcipitata sit, affunde adhuc particulam *aquæ Rosarum*, postea separatam atque aliquoties *aquâ Rosarum* lotam ceu pulcherrimam, puram, *granisque* longè præferendam, diligenter usui asserva. Hæc ipsa *resina Styracis* si exsiccetur, (quod tamen non consultum arbitror,) clara & perspicua evadit Rubini instar.

Eodem planè modo, si volupe fuerit, per extractionem parabis *resinam Ladani*, cujus mentionem feci in *animadversionibus* Trochiscorum *Aliptæ Moschatæ*.

Cæterum, quod *Schema* concernit, quo præcedens *Theriacæ compositio* ornata est, superfluum duxi etiam illud hîc adjicere; quilibet enim Pharmacopœus vel leviter saltem in Arithmeticis instructus, pondus ingredientium ad libitum multiplicare, & ex uncia vel drachma una, quotquot libuerit uncias & drachmas efficere poterit; quapropter hoc ceu supervacaneo labore, ob operis compendium, lubens supersedeo, & ad alia, quæ supersunt, celeri pede transeo.

De exoticis plurimis *Theriacam* ingredientibus, hoc insuper monere volui, quòd non adeò strictè opus sit, his se alligare, si in illis oris, ubi *Theriaca* conficienda est, rerum consimilium ac ejusdem generis sit proventus; Etenim *herbæ ex natali solo evulsæ*, ad ægritudines locis illis Endemias propulsandas, majorem utplurimum habent efficaciam, quàm quæ ex terris aliis, alio sub Sole calentibus, advehi solent. Exemplo sit *Scordium nostrum*, quod æqualibus, si non majoribus & longè excellentioribus hisce in locis pollet virtutibus, quàm quod ex Creta aliisque longinquis oris ad nos transportatur: Ita etiam de aliis consimilibus reverà se res habet. Atque hac ratione, multis inutilibus Pharmacopœorum expensis parcere & ipsorum etiam ægrotantium rebus, maximè verò eorum, quibus curta minis Domi est supellex, non parùm consulere possemus.

Theriaca aucta à Medicis Romanis & Bononiensibus.

Noluimus hoc loco præterire, quin Theriaces Andromachi compositionem à Medicis Romanis & Bononiensibus olim auctam, & multis in locis mutatam, nec non à Clarissimo Viro Domino D. Luca Stengelio, Nobili itidem & multâ experientiâ præclaro Viro D. D. Adolpho Occoni A. F. A. N. Collegæ quondam nostro honoratissimo communicatam hûc insereremus, quæ sic habet.

℞. Trochiscorum Scilliticorum unc. sex,
De Viperis,
Hedychroi,
Piperis nigri ana uncias tres,
Trochisc. de Camphora,
Opii,
Succi infusionis Rosarum inspissati,
Scordii Cretici, & nostri,
Sem. Napi Sylvestris,
Iridis Florentinæ,
Succi Glycyrrhizæ,
Agarici,
Cinamomi,
Fol. Cardui Benedicti,
Balsami Indici,
Croci Orientalis ana unc. unam semis,
Myrrhæ,
Zingiberis,
Rhapontici veri,
Rad. Pentaphylli,
Tormentillæ,
Calaminthæ montanæ,
Comarum Marrubii,
Stœchados,
Rad. Costi,
Zedoariæ,
Piperis albi,
Longi,
Dictamni Cretici,
Thuris masculi,
Sem. Petroselini Macedonici, Smyrnii, id est, Olusatri, non Hipposelini,
Florum Schœnanthi,
Myrobalanorum Emblicorum, vel Chebulorum,
Terebinthinæ Cypriæ,
Cassiæ ligneæ,
Spicæ Indicæ ana drachmas sex,
Gentianæ,
Comarum Polii montani,
Styracis Calamitæ,

Sileris

Sileris montani;
Abrotani,
Sem. Thlaſpios, ſeu Iberidis, vel Naſturtii albi,
Sem. Ammeos,
Chamædryos,
Chamæpityos,
Succi Hypociſtidis,
Lentiſci,
Fol. Malabatri ſeu Macis,
Nardi Celticæ, ſeu Spicæ Romanæ,
Sem. Aniſi,
Fœniculi,
Rad. Meu, vel Imperatoriæ,
Terræ Lemniæ veræ,
Chalcitidis ſemiaſſatæ,
Amomi, vel Caryophyll. aut Galangæ majoris, vel Calami Aromatici,
Rad. Phu minoris,
Carpobalſ. ſeu Granorum Juniperi,
Cubebarum,
Comarum Hyperici,
Acaciæ, vel ſucci Lentiſci,
Gummi Arabici, vel Juniperi,
Cardamomi minoris,
Rad. Angelicæ optimæ,
Imperatoriæ,
Vincetoxici,
Ariſtolochiæ rotundæ,
Aſari,
Succiſæ,
Dictamni albi,
Serpentariæ,
Roriſmarini,
Salviæ minoris,
Scabioſæ,
Cornu cervi uſti,
Enulæ Campanæ,
Pimpinellæ,
Origani Cretici ana unciam ſemis,
Sem. Dauci Cretici, vel ſem. Pimpinellæ,
Galbani,
Opopanacis,
Sagapeni,
Aſphalti, vel Succini albi,
Rad. Cruciatæ,
Caſtorei,
Ariſtolochiæ longæ,
Baccarum Lauri ana drachmas duas,
Mellis duplum,
Vini Cretici, quantum ſatis eſt.
Conficiantur ſecundum artem.

Theriacâ Andromachi haudquaquam inferior, eadem præſtans, quæ in morbis malignis & intoxicatorum periculis Andromachi Theriaca, Alexandrina vocata, efficere poteſt. Etenim venenorum vires deſtruit, ac morbis viſcerum internis, præſertim verò frigidis, colicæ, iliacæ, uteri affectibus & ventriculi noxis à craſſis flatibus ortum ducentibus, ac aliis à putredine natis opitulatur.

Mordax vulgi vox fidem medicamini huic tàm antiquo & præclaro infirmam reddere, ac honori ipſius detrahere cupiens, eidem nævum hunc affinxit, quod ritè parari nequeat, eò quòd multa in ejus compoſitione ἀντιβαλλόμενα ſeu Succedanea requirantur, cùm veris ſimplicibus, ad ejus conſtitutionem requiſitis, vix gaudeamus. Veruntamen, quia labor improbus omnia vincit, Pharmacopœorum noſtrorum ſtudio & impenſis effectum eſt, ut pauca nunc deſiderentur: unde Georgius Melichius Auguſtanus, Pharmacopæus Venetus, meritò gloriatur in aſtruenda Theriaca Anno Chriſti 1573. ſibi non niſi quatuor legitima defuiſſe, quorum tamen defectum æquivalentibus ad ſufficientiam reſarciebat, pro Opobalſamo oleum Nucis Moſchatæ, pro Carpobalſamo Iuniperi baccas, pro Amomo verò Amomum racemoſum, ac pro Folio Folium Officinis uſitatum, ſeu Macim ſubſtituens: cùm de Calamo nullum ſit dubium, quin is verus ſit Acorus, Folium verum à Folio Officinarum viribus non diſcrepet, Cubebæ verò aut Baccæ Iuniperi Carpobalſamum æquent, atque inſuper oleum Nucis Moſchatæ, vel Caryophyllorum Opobalſamo parùm cedat, ac vix minoris conditionis exiſtat, de quibus plura in Prolegomenis.

Videant Pharmacopœi Theriacam paraturi ea, quæ Proſper Alpinus lib. 4. de Medicina Ægyptiorum ſcripſit. Similiter Johannem Baptiſtam Sylvaticum, Melichium, Nicolaum Monardes, Petrum Bellonium, Cluſium, & alios, qui de Exoticis probè ſcripſerunt, adeant.

ANIMADVERSIONES.

IN aucta hac *Theriacæ compositione* ventilandâ, non est quòd diu nos moremur, cùm, quoad præparandi modum, cum *Theriaca* præcedenti conveniat, ac parùm etiam in reliquis ab ipsa discrepet, nisi quòd plures diversæ species adhuc superadditæ sint, sed haud benè: Neque enim artificiosa res est tantam ac innumeram fere specierum farraginem sine ulla ratione congerere; nullum enim ingrediens integras suas virtutes ità potest exserere, quin à multis impediatur, unumque aliud veluti destruat. Accedit, quòd tam exigua quantitas de his vel illis *speciebus dosin* aliquam ingrediatur, ut si ad calculum reducerentur, certò minutissimâ non granorum solùm, sed ipsarum etiam atomorum, quotquot ipsam intrarent, divisione opus foret; cujus specimen jam in superioribus, in consimili simplicium inconcinnâ congerie, edidimus, idcircò missam faciamus hanc nimis auctam *compositionem*, simpliciori aliquâ cum Medicis sanioribus contenti.

Theriaca Diatessaron Mesuæ.

℞. Gentianæ,
Baccarum Lauri,
Myrrhæ,
Aristolochiæ rotundæ ana unc. duas,
Mellis despumati libras duas.

GRæcorum hæc est compositio, ut ex nomine patet, quam Arabes mutuati sunt. Describitur ab Avicenna & Mesue. Ad venenatos morsus & potus efficax, omnesque cerebri frigidos affectus, convulsionem, resolutionem, morbum comitialem, spasmum cynicum, ventriculi inflationem, ac coctionis tarditatem, venenatis ictibus admota & epota benefacit. Hanc passim agyrtæ & circumforanei circumferunt, & pro magna Theriaca venalem exhibent.

THeriaca hæc licet jumentis communiter exhibeatur; hominibus tamen identidem salutaris existit. Valebit autem plurimùm contra pestilentis luis infectionem, aliorumque morborum malignorum contagia, si ei terram Lemniam, aut Bolum Armenam, Dictamnum album, Tormentillam, Scordium, Carlinam, Zedoariam vel Angelicam aucto mellis pondere junxeris. Notabis autem vulgares illas radices pro Aristolochiæ radicibus venundari solitas, Pistolochiæ radices esse, vulgò **Holwurtz** dictas. Aristolochiæ verò vera radix est longe major & tuberosa, intus solida, colore Buxi flavo, odorem & saporem Aristolochiæ longæ nostratis referens.

Theriaca Communis seu Augustana.

℞. Rad. Enulæ libram semis, uncias quinque, drachmas septem,
Aristolochiæ rotundæ veræ libram semis, unc. unam semis,
Longæ unciam unam semis, drachmas duas,
Gentianæ,
Dictamni albi,
Tormentillæ,
Spicæ Romanæ,
Calami aromatici ana unciam unam,
Meu,
Phu,
Pimpinellæ ana drachmas sex,
Zedoariæ uncias duas, drachmas sex,
Zingiberis drachmas tres,
Fol. Scordii,
Chamædryos,
Chamæpityos ana uncias tres, drachmas sex,
Scabiosæ,
Sabinæ ana unciam unam semis, drachmas duas,
Betonicæ,
Salviæ domesticæ,
Prasii ana unciam unam semis,
Melissæ hortensis,
Menthæ rubeæ ana drachmas sex,
Absinthii,
Calaminthæ montanæ ana drach. tres,
Comarum Hyperici unciam unam semis, drachmas duas,
Corticum Citri siccorum uncias tres, drachmam unam,

Sem.

Sem. Rutæ unciam unam ſemis, drachmas duas,
Ammeos,
Carui ana drachmas ſex,
Baccarum Lauri unciam unam ſemis,
Granorum Juniperi uncias tres, drachmas ſex,
Nucum Juglandium numero ſexaginta,
Santali rubri,
Succini Citrini,
Macis ana drachmas ſex,
Piperis nigri,
Caſtorei ana drachmas tres,
Cuperoſæ præpar. unciam unam ſemis,
Boli Armenæ Orientalis præparatæ libram ſemis,
Opii Thebaici,
Sulphuris vivi præparati ana uncias tres, drachmam unam,
Cornu cervi præparati unciam unam ſemis, drachm. ſemis,
Olei Juniperi è baccis uncias tres,
Oxymelitis Scilliciti libram unam,
Succi Corticum Fraxini uncias tres,
Vini Cretici libram unam,
Mellis optimi deſpumati triplum.

Simplicibus ſingulis ſuo tempore collectis, & artificioſè præparatis, fiat Theriaca in bona forma.

Theriacam hanc communem omnium Medicorum totius Collegii noſtri conſenſu ad hunc modum hucuſque præparavimus, & in poſterum quoque parandam cenſemus. Hâc autem vulgus ad præproperos morbos ac ſubitas adorſiones, ubi contagii alicujus ſuſpicio ſubeſt, commodè utitur: Sudores enim potenter prolicit, humorum putredini adverſatur, eorumque corruptionem emendat, colicos inflatos, ex ventre, veſicâ, ſtomacho, aut utero dolentes adjuvat, venenis reſiſtit, malignarum febrium primos inſultus reprimit, cordis tædia è putridorum ſuccorum halitu ortum ducentia diſcutit, coctionem adjuvat, frigidam viſcerum intemperiem corrigit, ac contra venenati aut contaminati aëris noxas, quas potenter evincit, ſaluberrimè aſſumitur.

ANIMADVERSIONES

In Theriacam Diateſſaron Meſuæ, Theriacam communem Auguſtanam.

Facilis eſt *Theriacæ hujus Diateſſaron* præparatio, cujus etiam *compoſitio*, præ cæteris mihi arridet, ac facile adduci poſſem, ut crederem, hanc cùm in præſervatione, tùm curatione Luis peſtiferæ, ipſam *Andromachi Theriacam*, uti communiter fit, multis paraſangis ſuperaturam; præſertim, ſi loco *Ariſtolochiæ rotundæ*, *Angelica vel Zedoaria*, ſubſtitueretur. Quin etiam *Theriaca Auguſtana* ſuas mereretur laudes, propter *Alexipharmaca* in ſatis competenti quantitate ipſi adjuncta, niſi inſuper etiam minus utilibus quibuſdam ſcateret, utpotè *Cornu cervi uſto præparato*, *Cuperoſâ*, *Santalo*, *& aliis nonnullis*; In ejuſdem autem confectione, debita *Opii præparatio & ſolutio* ſedulò obſervanda eſt; Ut etiam *oleum Iuniperi è baccis*, *ſpeciebus* demùm ſubtiliſſimè tritis inſtillandum, & cum iiſdem ante additionem *mellis*, exactè commiſcendum eſt. Quod ſi pro *Oxymelle Scillitico*, *ſuccus* vel ipſa *Scillæ pulpa* adderetur, conſultum illud fore exiſtimarem, quin ſi mei arbitrii hæc res eſſet, Ego loco *Scillæ Alii pulpam* vel *ſuccum* non ſine ratione prægnanti ſubſtituerem.

Mithridatium Damocratis ex Græcis verſibus.

℞. Myrrhæ Arabicæ Troglodyticæ,
Croci,
Agarici,
Zingiberis,
Cinamomi,
Spicæ Nardi,
Thuris electi,
Thlaſpios ana drachmas decem,
Seſeleos,
Opobalſami,
Schœnanthi,
Stœchadis,
Coſti veri Aromatici, aut ſuccedanei,
Galbani,

Terebinthinæ,
Piperis longi,
Castorei Pontici,
Succi Hypocistidis,
Styracis rubeæ,
Opopanacis,
Folii ana unciam unam,
Cassiæ ligneæ,
Polii,
Piperis albi,
Scordii,
Sem. Dauci Cretici,
Carpobalsami,
Cypheos Trochiscorum,
Bdellii ana drachmas septem,
Nardi Celticæ purgatæ,
Sem. Petroselini,
Gummi,
Opii,
Cardamomi,
Sem. Fœniculi,
Gentianæ,
Foliorum Rosarum,
Dictamni Cretici ana drachmas quinque b. p.
Anisi,
Aristolochiæ rotundæ,
Acori,
Phu,
Sagapeni ana drachmas tres,
Meu Athamantici,
Succi Acaciæ,
Ventris Scinci veri,
Summitatum Hyperici ana drachmas duas semis,
Vini, quantum satis est,
Mellis despumati triplum, id est, libras novem, uncias octo, drachm. duas.

Modus confectionis hic est, ut ingredientia ad compositionem hujus tam famosi medicaminis in sex classes divisa in tenuem pulverem redigantur. Classium porrò series hæc est.

I. CLASSIS.

℞. Sem. Anisi drachmas tres,
Zingiberis drachmas decem,
Macis,
Caryophyllorum ana unciam semis,
Gentianæ drachmas quinque,

Pendit hæc classis in universum uncias tres, drachmas duas.

II. CLASSIS.

℞. Scordii Cretici drachmas septem,
Nardi Celticæ,
Seminis Petroselini Macedonici ana drachm. quinque,
Piperis longi unciam unam.

Pendit hæc classis in universum uncias tres, drachmam unam.

III. CLASSIS.

℞. Polii montani drachmas septem,
Stœchadis unciam unam,
Sem. Fœniculi drachmas quinque,
Phu Pontici drachmas tres,

Pendit hæc classis in universum uncias duas semis, drachmas tres.

IV. CLASSIS.

℞. Cinamomi,
Spicæ Indicæ ana drachm. decem,
Schœnanthi,
Zedoariæ,
Seseleos ana unciam unam,
Rosarum drachmas quinque.

Pendit hæc classis in universum libram semis, drachmam unam.

V. CLASSIS.

℞. Dictamni Cretici, drachmas quinque,
Cassiæ ligneæ,
Cubebarum,
Piperis albi,
Trochiscorum Cypheos ana drachm. septem,
Sem. Thlaspios drachmas decem.

Pendit hæc classis in universum uncias quinque, drachmas tres.

VI. CLASSIS.

℞. Sem. Dauci drachmas septem,
Cardamomi drachmas quinque,
Calami Aromatici,
Aristolochiæ rotundæ ana drach. tres,
Angelicæ,
Hyperici ana drachmas duas semis.

Pendit hæc classis in universum uncias duas semis, drachmas tres.

Sequentia porro per se terantur, nempe

Myrrhæ,
Thuris,
Agarici,
Croci ana drachmæ decem,
Castorei uncia una,
Bdellii drachmæ septem,
Ventrium Scinci marini in minutissimas partes incisorum drachmæ duæ semis.

HOc peracto Gummata & succi vino Cretico solvantur, ac eo planè modo, qui in Theriacâ præscriptus est, cum Terebinthina, melle & pulveribus sex classium uniantur, adjiciendo sub finem Crocum vino Cretico dilutum, itemque Styracem oleo Nucis Moschatæ & eodem vino liquatam, atque sic sedulâ strenuâque agitatione compositio hæc suam perfectionem acquirat, quæ identidem in vase mundo & satis amplo, ut fermentare queat, reponenda, atque ut Theriaca sæpiùs commovenda, donec in annum adoleverit.

PRo Opobalsamo, oleum Nucis Moschatæ, pro Acoro, Calamum Aromaticum, pro radicibus Meu, Angelicam hoc loco substituimus.

MIthridatica Antidotus celeberrima ad lethales & venenatos morsus à Mithridate, Ponti & Bithyniæ Rege famam & nomen accepit. Valet ad capitis, aurium, oculorum, dentium, pulmonum, ventriculi & intestinorum affectus frigidos seu pituitosos & melancholicos, ad stuporem, paralysin, apoplexiam, epilepsiam, spasmum, tetanum, cephalæam, hamicraniam, maniam, melancholiam, gravem auditum, oculos lachrymantes, odontalgiam, cynanchen, asthma, sputum sanguinis, peripneumoniam, lienteriam, dysenteriam, sive sumatur, sive admoveatur. Præterea ad frangendos calculos, menses ciendos, omnia uteri vitia, scirrhos, podagras, morsus & ictus venenatos, morsum canis rabidi, febres quotidianas & quartanas initio accessionum, coctâ jam materiâ, in modum avellanæ cum vino vel aqua, cui Salvia seu Mentha sit incocta, in aliis autem vespere sumpta vel admota efficax exstitit, diuturnis stomachi & thoracis defluxionibus prodest, tabidis, ventris inflationibus, cœliacisque medetur: bonum corporis colorem conciliat, appetentiam immutatam restituit, ex morbo languidos reficit, ac difficultatem urinæ emendat, melancholiam non finit consistere, mortuum fœtum ejicit, visum acuit, præsumpta non permittit lædi à lethalibus pharmacis, omnibus in profundo corporis factis exulcerationibus & abscessibus benefacit.

ANIMADVERSIONES.

QUæ de *Theriaca Andromachi* superiùs dicta & præmissa sunt, meritò etiam de hac *Compositione Damocratis* dici possunt, tùm quoad compositionem ipsam, tùm etiam præparandi normam: *Compositio* sanè multis superfluis, inutilibus ac multifariè conglomeratis scatet ingredientibus, quorum plurima optimo jure ex ipsa elidere possemus; Si *Trochiscos Cypheos*, qui pariter in numero ingredientium collocati sunt, examinemus, reipsâ inveniemus omnia illorum ingredientia, præter *Uvarum passarum* ℥ j ß, *Cyperi, baccarum Iuniperi ana gr. vij, & ligni Aspalathi gr. x.* antea huic compositioni inesse. An autem hoc *compositum* sive *Mithridatium*, quod in simplo paratum, *librarum quatuordecim pondus* adæquat, tam singulares *Alexipharmacas virtutes* ab *una illa drachma cum dimidia Cibebarum, vel uvarum passarum & pauculis granis baccarum Iuniperi, Aspalathi & Cyperi* acquirat, sanè ridere potiùs, quàm disquirere opus habeo: Nec minùs plura alia cachinno potiùs, quàm examine digna huic pomposæ *compositioni* insunt, quæ, quoniam pleraque in præparatione *Theriaces* ventilata sunt, tædiosum duximus eorum memoriam hîc revocare;

quin magè consultum putavimus, absque longis ambagibus, aliam paulò dexteriorem ejus præparationem subjungere: Omissis autem *Trochiscis Cypheos* eorum ipsorummet *ingredientia* in debito & exactè computato pondere adjiciemus, ut adeò necessum non sit, ulteriùs entia citra necessitatem multiplicare. Nimirùm

℞. *Myrrhæ splendidæ* ℥ j, ʒ ij ß, *gr. xv,*
Croci Austriaci ℥ j, ʒ ij, *gr. iv,*
Cinamomi optimi ℥ j, ʒ ij, *gr. xv,*
Spicæ Indicæ ℥ j, ʒ ij, *gr. xij,*
Zingiberis,
Agarici,
Thuris electi,
Thlaspios ana ℥ j, ʒ ij,
Schænanthi ℥ j, ʒ ß, *gr. xv,*
Terebinthinæ ℥ j, ʒ j ß,
Seseleos,
Opobalsami,
Stœchados,
Costi veri vel Zedoariæ,
Galbani,
Piperis longi,
Castorei,
Succi Hypocistidis,
Resinæ Styracis,
Opopanacis,
Folii ana ℥ j,
Cassiæ ligneæ,
Bdellii ana ʒ vij, *gr. xij,*
Polii,
Piperis albi,
Scordii,
Sem. Dauci Cretici,
Carpobalsami ana ʒ vij,
Nardi Celticæ purgatæ,
Sem. Petroselini,
Gummi Arabici,
Opii,
Cardamomi,
Sem. Fœniculi,
Gentianæ,
Foliorum Rosarum,
Dictamni Cretici ana ʒ v,
Acori seu Calami Arom. ʒ iij ß, *gr. iv,*
Anisi,
Aristolochiæ rotundæ,
Phu,
Sagapeni ana ʒ iij,
Meu Athamantici,
Succi Acaciæ,
Ventris Scinci veri,
Summitatum Hyperici ana ʒ ij ß,
Vvarum passarum sive Cibebar. ʒ j ß,
Cyperi,
Baccarum Iuniperi ana gr. xij.
Aspalathi gr. x.
Vini q. s.
Mellis despumati triplum id est ℔ *ix,* ℥ *viij,* ʒ *ij* ß.

Licet equidem divisio *specierum ingredientium* in distinctas classes non admodum necessaria sit, cùm quilibet prudens Pharmacopœus antea nôrit, quæ mixta & quæ per se contundi debeant; nihilominus tamen majoris facilitatis & melioris informationis ergò & hanc adjiciam.

CLASSIS I.

℞. *Agarici Trochiscati,*
Zingiberis ana ℥ j, ʒ ij,
Macis ℥ ß,
Sem. Petroselini Macedon.
Gentianæ ana ʒ v.

CLASSIS II.

℞. *Scordii Cretici vel nostrat.* ʒ vij,
Nardi Celticæ ʒ v,
Piperis longi ℥ j,
Caryophyllorum ℥ ß.

CLASSIS III.

℞. *Polii montani* ʒ vij,
Stœchados ℥ j,
Sem. Fœniculi ʒ v,
Phu Pontici ʒ iij,
Cibebarum ʒ j ß,
Cyperi,
Baccarum Iuniperi ana gr. xij.

CLASSIS IV.

℞. *Cinamomi* ℥ j, ʒ ij *gr. xv,*
Zedoariæ,
Seseleos ana ℥ j,
Rosarum ʒ v,
Aspalathi gr. x,
Ventrium Scinci marini minutiss. priùs concis. ʒ ij ß.

CLASSIS V.

℞. *Dictamni Cretici* ʒ v,
Cassiæ ligneæ ʒ vij, *gr. xij,*
Cubebarum,
Piperis albi ana ʒ vij,
Sem. Thlaspios ʒ x.

CLASSIS VI.

℞. *Sem. Dauci Cretici* ʒ vij,
Cardamomi ʒ v,
Calami Aromatici ʒ iij ß, *gr. iv,*
Aristoloch. rotundæ ʒ iij,
Angelicæ,
Hyperici ana ʒ ij ß,
Castorei ℥ j,

Croci ℥ j, ʒ ij. *gr. v,* per se terantur; *Squinanthi autem* ℥ j ʒ ß, *gr. xv,* & *Spicæ Indicæ* ℥ j, ʒ ij, *gr. xij,* eo modo extrahi vel teri possunt, prout in *Theriacæ* præparatione innuimus.

Reliqua singula in suis appropriatis solventibus sive menstruis dissolvantur, utpotè, *resina Styracis & Thus pulverisatum in Terebinthina; Gummi Arabicum & Bdellium in aqua aliqua destillata; Myrrha, Galbanum, Opopanacum, Sagapenum in vino Cretico;* Similiter *Opium, succus Hypocistidis & succus Acaciæ in vino eodem; Opobalsamum vel oleum Nucistæ* jam permixtis & unitis *Gummatibus, resinis & Terebinthina* admisceatur, & tandem omnia exactè invicem adunentur, prout in *animadversionibus nostris super Theriacam* & adjuncta ejusdem dexteriori præparatione luculenter edocuimus; qui ipse *Theriaces* conficiendi modus huic *Mithridatii* præparationi ad amussim respondet: Idcircò brevitatis ergò benevolum Lectorem eò remitto.

Schematismum sive multiplicationem ingredientium in duodecuplo usque adjungere, haud necessarium duxi, quin, ut tempori & chartæ parcerem, solerti Pharmacopœo relinquere volui.

Antidotus Matthioli.

℞. Rhabarbari,
Rhapontici,
Rad. Phu,
Acori seu Calami Aromatici,
Cyperi,
Quinquefolii,
Tormentillæ,
Aristolochiæ rotundæ,
Pæoniæ,
Helenii,
Costi,
Iridis Illyricæ,
Chamæleontis albi ana drachm. tres,
Galangæ,
Imperatoriæ,
Dictamni,
Angelicæ,
Filipendulæ,
Zedoariæ,
Zingiberis ana drachm. duas,
Agarici drachmas tres,
Gentianæ,
Morsûs Diaboli ana drachmas duas semis,
Sem. Citri,
Viticis,
Cocci infectorii,
Fraxini,
Oxalidis,
Pastinacæ sylvestris,
Napi,
Nigellæ,
Pæoniæ,
Ocymi,
Irionis,
Thlaspios,

Fœni-

Fœniculi,
Ammeos ana drachmas duas,
Baccar. Lauri,
Juniperi,
Hederæ,
Smilacis asperæ,
Cubebarum ana drachm. unam semis,
Folior. Scordii,
Chamædryos,
Chamæpityos,
Centaurii minoris,
Stœchadis Arabicæ,
Nardi Celticæ,
Calaminthæ,
Rutæ,
Menthæ,
Betonicæ,
Verbenacæ,
Scabiosæ,
Cardiu Benedicti,
Melissophylli ana drach. unam semis,
Millefolii,
Libanotidis maris,
Dictamni Cretici ana drachmas tres,
Sampsuchi,
Hyperici,
Junci odorati,
Marrubii,
Galegæ,
Sabinæ,
Pimpinellæ ana drach. duas,
Caricarum,
Nucum Juglandium,
Pistachiorum ana uncias tres,
Myrobalanorum Emblicorum drachmas quatuor,
Florum Buglossi utriusque,
Rosarum,
Lavendulæ,
Salviæ,
Rorismarini ana scrupul. quatuor,
Croci drachmas tres,
Cassiæ ligneæ veræ drachm. decem,
Caryophyllorum,
Nucis Moschatæ,
Macis ana drachmas duas semis,
Piperis nigri,
Longi,
Santalorum omnium,
Agallochi ana drachm. unam semis,
Cornu cervi crudi unciam semis,
Unicornu drachmam unam,
Ossis de corde Cervi,
Ramentorum Eboris,
Virgæ Cervinæ,
Castorei ana scrupulos quatuor,
Terræ Lemniæ drachmas tres,
Opii drachmam unam semis,
Margaritarum Oriental.
Fragmentor. Smaragdi,
Hyacinthi,
Coralli rubri ana ℥ j ß,
Camphoræ drachmas duas,
Mastiches,
Thuris,
Styracis,
Myrrhæ,
Gummi Arabici,
Resinæ Terebinthinæ,
Sagapeni,
Opopanacis,
Laserpitii ana drachmas duas semis,
Moschi odorati,
Ambræ ana drachmam unam,
Olei Vitrioli unciam semis,
Spec. Cord. temperatarum,
Diamargariti frigidi,
Diamoschu dulcis,
Diambræ,
De gemmis frigidis,
Trochisc. de Camphorâ,
Scilliticorum ana drach. duas semis,
de Viperâ uncias duas,
Suc. Oxalidis,
Sonchi,
Scordii,
Echii,
Buglossi,
Melissophylli ana libram semis,
Hypocistidis drachmas duas,
Theriacæ electæ,

Mithri-

Mithridatii optimi ana uncias sex,
Vini veteris albi odorati libras tres,
Mellis optimi libras octo & unc. sex.

Fiat secundum artem Electuarium eo modo, quo Theriaca aut Mithridatium conficiuntur.

Describitur à Petro Andrea Matthiolo in Commentar. ad librum 6. Dioscoridis. Facit autem adversus pleraque venena, quæ per os sumuntur, itemque adversus ea, quæ morsu, vel ictu relinquuntur. Pesti plurimùm adversatur, morbosque malignos præcavet & expellit, ac Theriacæ aut Mithridatii vires æmulatur.

ANIMADVERSIONES.

Nisi superiùs in *Theriaces* & *Mithridatii* pomposis compositionibus, de insolenti ac enormi illa plurium tàm simplicium, quàm compositorum congerie, prolixè satis, fortè etiam cum multorum fastidio, non dicam cordolio, egissemus, vix sanè nobis temperare possemus, quin paulò vehementiùs, in præsentem *Matthioli Antidotum*, utpotè quæ ambas illas prædictas, non solùm cùm simplicium, tùm compositorum numero ferè innumero æquat, sed in plurimis etiam absurditatibus superat, inveheremur: Ast tædet crambem illam recoquere, quin potiùs Lectorem ad animadversiones nostras super præfatas celebriores Antidotos remittamus, maximè verò, cùm unusquisque, qui vel hirquis emissitiis, hanc *Matthioli compositionem* inspexerit, mox primo intuitu cernet & deprehendet, ipsam eandem cum prædictis redolere prosapiam & æquè fœdis ac stolidis, imò majoribus etiam, quàm illæ, scatere erroribus, quos omnes si mihi centum linguæ essent, oraque centum, enumerare vix possem. Constat autem insipida hæc *Antidotus* ex *sedecim diversis compositis*, videlicet ex *Theriacæ Andromachi*, quadragesimâ parte; *Trochiscorum Hedychroi*, qui iterùm *Theriacam* ingrediuntur, parte centesimâ & vigesimâ, *Mithridatii*, vigesimâ octavâ parte; *Trochiscorum Cypheos*, qui denuò *Mithridatium* ingrediuntur, quingentesimâ cum duodecima parte; *Trochiscorum de Viperis & de Scilla*, qui bis quoque ponuntur, per se nimirùm, & quatenus *Theriacam* ingrediuntur, aliquâ parte; *Specierum Diambræ*, decimâ quartâ parte; *Specierum Diamargariti frigidi*, decimâ sextâ parte; *Specierum Cordialium temperatorum*, septimâ circiter parte; *Specierum Diamoschi dulcis Mesuæ*, decimâ tertiâ propemodum parte; Et *Trochiscorum Galliæ Moschatæ*, qui rursus proximè *præfatas Species* ingrediuntur, centesimâ cum duodecimâ parte; Item *Trochiscorum de Camphora & specierum de Gemmis frigidis* partibus aliquibus. Quæ omnia & singula enumerata *composita*, prout huic Dispensatorio inserta sunt, exactè ad calculum revocata hîc recensere libuit. Considera nunc, Lector benevole, & seriò tecum expende, si totius hujus *compositi* libras quatuordecim circiter continentis, ultima subdivisio in singulas doses institui deberet, & *drachmæ duæ pro dosi* computarentur (licet vix ad drachmam unam in dosi communiter ascendant,) quæ esset *integri compositi quadringentesima septuagesima secunda pars*, quàm minuta, quamque impossibili atomorum divisione opus foret, nimirùm subdividendo superiorum *compositorum* & eorum ingredientium *centesimas quingentesimas*, *quadragesimas*, *vigesimas &c.* partes, iterùm in *quadringentesimas septuagesimas secundas*; An verò Author ipse rebus ità constitutis novisse potuerit, quantum de uno vel altero ingredienti (quod ipsum tamen Medico scitu necessarium est, si certi aliquid de remedii effectu, tùm sibi, tùm aliis promittere velit,) dosin quamlibet intret, de hoc quilibet veritatis amans liberè & ingenuè judicet. Porrò constat hæc *Antidotus*, si singula ingredientia addantur, ex *trecentis & octuaginta octo speciebus*, ità quidem, ut potiores ipsarum *bis, ter, quater, quinquies, sexies, septies & octies* compositionem ingrediantur, Ex. gr. *Myrrha, Macis, &c.* quater; *Caryophylli, Moschus, &c.* quinquies; *Cinamomum, lignum Aloës, &c.* sexies; *Nardus Indica, &c.* septies; *Crocus, &c.* octies. Præterea inter cætera ingredientia omnia, lepidè sanè *Ficus*, *Nuces Iuglandes & Pistachia* (quæ tria in *octuplo*, *decuplo aut duode-*

cuplo, *vel centuplo* aut majori etiam pondere vel quantitate respectu reliquorum ingredientium addita,) quasi pro *basi & fundamento* posita sunt, haud secùs, ac si tam insignes virtutes Alexipharmacæ ab aliquot granis horum trium esculentorum fructuum, quibus unaquæque dosis præ cunctis aliis satis preciosis ingredientibus superbiet, proficisci possent, quorum tamen vel integræ libræ comestæ, neminem à peste aut aliquo alio illorum morborum, in quibus hæc *Antidotus* celebratur, immunem præservare, aut iisdem infectum liberare poterunt: Plura consimilia ridicula brevitatis causâ sciens prætermitto.

Sed objiciet quispiam, contra hanc nostram *compositorum* resolutionem, & in ea taxatam exiguam nimis *simplicium quorundam* in qualibet *dosi* resultantem quantitatem, non considerandam molem & efficaciam cujusvis simplicis sigillatim; sed potiùs qualitatem ex omnibus simplicibus, in hoc vel illo *composito* emanantem, sive jam illa manifesta sit, sive occulta examini subjiciendam esse. Exhibeatur Ex. gr. Patienti *Theriacæ* dosis competens, in qua compositione, cum ferè omnes species, aut saltem potissimæ calidæ sint, absque dubio totum compositum calidum evadet, & subjectum sumens calefaciet: Si verò quantitas *Piperis* seorsim, item *Cinamomi*, *Cassiæ ligneæ*, *Zedoariæ*, *Costi*, *Mari*, *&c.* perpendatur, certum est, quòd ea tam exigua invenietur, ut separatim exhibita, manifestè corpus alterare, apta non esset; alterabunt tamen omnes simul sumptæ. Accedit, quòd aliquando in *compositis* generetur aliqua qualitas & nova energia, quæ in nullo simplici compositionem hanc ingredienti antea præfuerat, ut videre est in *pulvere Pyrio*, qui ad primum ignis odorem (ut ita loquar) flammas concipit, per sui in momento rarefactionem longissimè sese dilatat, magnaque onera secum per aëra defert, quævis obvia prosternens, & si loco coërceatur angustiore, vi sibi viam parans omnia evertit. Profectò, *Nitrum*, *Sulphur*, & *carbones*, quibus pulvis hic conficitur, seorsim hanc proprietatem non obtinent, videmus tamen eam adesse, ubi hæc tria, debitâ proportione conjunxerimus. Concludendum est igitur, quòd, quando *composita compositis* addun-tur, non sit considerandum, quantum cujusvis simplicis communicetur uni dosi, sed quantum hujus vel alterius qualitatis, quæ inest uni medicamento composito, ex mistione & unione omnium simplicium illius, novo medicamini accedat.

Licet argumentum hoc non videatur suo carere robore, nihilominus respondemus *primò*, concedendo, quod singula collecta juvent, si singula in unum conspirent effectum & ejusdem virtutis & efficaciæ sint, nec invicem sibi contrarientur: At hæc requisita procul sanè exulant à compositionibus à nobis supra examinatis, quæ si adessent, utique concederemus, eas juvare. *Secundò*, in Alexipharmacis utplurimùm & aliis multis medicamentis non est respiciendum ad gradus caloris vel frigoris, &c. sed ad qualitatem, quæ à totâ substantiâ huic vel illi morbo mederi apta nata sunt & prædestinata. An autem hæc nobis tàm exactè cognita sint, judicet quisquis veritatis amans. Et licet à Creatore summo tot tantaque contra unum affectum pugnantia creata sunt, id tamen non ideò factum est, ut pro libidine cujusvis cervicosi ineptè confunderentur, ac novum Chaos mentirentur, sed ut inexhaustam superni Numinis Sapientiam & Providentiam admiraremur, quæ omnibus tùm divitibus, tùm pauperibus, tàm Europœis quàm Aphris, Asiacis aut Americanis sua esse voluit Antidota, quæ ipsa non eâdem elementariâ ditavit qualitate, sed hæc calida, illa frigida, imò nonnulla capiti, alia cordi, quædam hepati aut utero magis amica condidit, ut prudens Medicus, sine vanâ multorum additione cuilibet *ætati*, *regioni*, *temperamento*, *&c.* apta medicamenta, nullaque correctione indigentia, sibi commissa esse intelligeret. Addo, quòd cùm pestis reliquæque intemperies tàm qualitatum occultarum, quàm manifestarum, simplices sint qualitates, aut saltem binæ junctæ; convenientissimè unò curabuntur simplici, ut rectè monet *Sennertus l.* 5. *Instit part.* 2. *sect.* 2. *c.* 1. Intemperiei enim calidæ & siccæ rectè opponitur medicamentum humidum & frigidum, quarum qualitatum non unum, sed plurima nobis natura suppeditat simplicia, & sic de cæteris. In peste

peste præterea, non calida ut calida adhibentur, sed ut experta, quòd pestifero veneno resistant. Sic *cathartica* non purgant quatenus calida; aliàs enim *Piper* necessariò violentissimum esset *catharticum*, sed quatenus aut naturæ nostræ contraria, eam stimulant ad excretionem noxii, aut quatenus qualitatem occultam, certo alicui humori analogam obtinent, quâ illum ex toto corpore alliciunt, ab aliis humoribus secernunt, & secum per viam aliquam publicam efferunt. *Tertiò* non negamus, in compositis sæpè oriri novam qualitatem, quæ in nullo simplicium præexistebat, sed qualis nam illa sit, nobis non innotescit; sæpè noxia est, quam nos proficuam esse arbitrabamur: Unde fit, ut sperati effectus in ægrotis non succedant, & Medicus sæpissimè fine suo frustretur. Provenit autem ista nova qualitas à contrarietatibus rerum, quæ quantæ in *Vegetabilibus* reperiantur, *Mineralibus* etiam & *Animalibus*, luculenter *Chymia* docet. Sæpè enim numero fit, ut res commistæ se invicem destruant, ut neutrum ex illis proprias suas exserere ampliùs possit virtutes, imò nonnunquam, ut modò diximus, ex commistione rerum salutiferarum, lethifera venena resultant. Contrarietas autem in illis medicamentis apparet in fucata & non vera illa fermentatione, quæ in *Chymia* apertè demonstrari potest, & *Antipathica ebullitio* dici meretur. *Quartò* posito, ast non concesso, quod ex tanta farragine, & innumerâ ingredientium serie, tandem resultet medicamentum, unam habens vim & qualitatem vel calefaciendi vel refrigerandi, &c. deberet necessariò Medicus in compositione ejusdem probè callere, quantum de hoc vel illo, non solùm *totam compositionem*, sed *quamlibet dosin* ditaret, & de qualitatibus suis ei impertiretur. Quod, an Authores hîc & alibi fecerint, aut scire potuerint, judicium esto penes æquum Lectorem. *Quintò*, nego totaliter, quòd compositio medicamentorum similium compositorum sit vera mistio, sed tantummodò congesta appositio, & inordinata confusio, adeò ut unumquodque *simplex* (nisi naturâ suâ invicem manifestè vel occultè contraria sint, & sese mutuò destruant,) suas proprias servet dotes & virtutes; quòd manifestè in *Opio* videre est, & aliis quamplurimis: Præ omnibus enim aliis ingredientibus *Opium in Theriaca* suas vires obtinet integras, juxtà proportionem, quâ adhibetur. Quæ cum ità sint, sequitur inanem esse medicamentorum correctionem, per additionem *Aromatum* & similium; cùm, uti dictum est, quodlibet per se suam servet naturam, nisi per mutuam actionem & passionem destruatur; si verò plura jungantur, ut unum alterius segnitiem exstimulet, virtutemque intendat, necessariò Medico compertum esse debet, quantum de quolibet simplici uni insit dosi, aliàs nec hanc quidem determinare valebit,

Quod præparationem tandem spectat hujus *Antidoti*, illa nullâ ratione commodiùs institui poterit, quàm si procedatur ad modum nostrum in præparatione *Theriaces Andromachi* præscriptum: Id saltem præ illa peculiare habet, quòd *succorum expressorum libræ tres* cum *melle* inspissari aut coqui debeant, quousque *mel* consistentiam suam pristinam ac satis crassam denuò adeptum sit; Aut si libet loco *vini* cum illis ipsis succis nonnulla, quæ in illis dissolvi vel dilui possunt ingredientia, utpotè *Opium, Crocus, &c.* diluantur & dissolvantur. In reliquorum *Gummatum & succorum concretorum* dissolutionibus, ipsorumque æquè, ut aliorum ingredientium miscendi ratione nulla est disparitas.

Diacorum Mesuæ.

℞. Rad. Secacul, vel in ejus defectu rad.
Pastinacæ marinæ, aut Eryngii,
Acori, seu Calami Aromatici,
Pinearum ana libram unam semis.

Radices Secacul mundatæ & incisæ coquantur in aquâ clarâ, donec aqua consumatur. Postea optimè pistentur, & in minutissimas partes conterantur, ad pultis consistentiam; deinde affundè eis mellis odorati optimè despumati libras decem:

Coquantur lento igne, donec tota aqua, quam radices Secacul imbiberunt, in vaporem resoluta sit, diligenter agitando, ne ad vasis fundum radices adurantur. Cùm autem justæ spis-

situdinis consistentiam acquisiverint, ab igne deposito, & adde radices Acori tenuissimè tritas, ac Pineas minutissimè incisas, cum subsequenti pulvere optimè mixtas:

Piperis nigri unciam unam,
Longi,
Caryophyllorum,
Zingiberis,
Rosarum,
Macis ana drachmas quatuor,
Nucis Moschatæ,
Galangæ,
Cardamomi ana drachmas tres.

Omnia illa simul cum melle & radicibus Secacul misceto & unito, diligenter agitando, ne grumi aliqui relinquantur.

Nervorum ægritudinibus mirificè confert, acuit omnes sensus & imaginem, sedat dolores capitis; est peculiare remedium frigidarum ægritudinum, senum, & maximè catarrhi, ac hydropicos juvat. Describitur à Mes. Summâ quartâ de ægritudinibus nervorum cap. 1.

ANIMADVERSIONES.

Insigne hoc *medicamentum Stomachicum* præ aliis laudes suas meretur, plurimisque speciosis ac prolixis compositionibus omni jure præferendum est; cujus præparatio quidem juxta præscriptum modum institui potest: sed longè meliùs foret, si *radices Secacul vel Pastinacæ aut Eryngii, & Acori seu Calami Aromatici coctæ*, non pistarentur, aut in pulverem tererentur, sed grosso modo minutimque & quadratè conscinderentur. Atque hâc ratione longè gratius conficeretur *Electuarium*, cujus plenariam ac paulò magis concinnam hic subnectam præparationem.

℞. *Rad. Secacul, vel Pestinacæ aut Eryngii, Acori seu Calami aromatici ana* ℔ j ß,

Coquantur in non nimis largâ, sed mediocri saltem, sufficienti tamen quantitate *aquæ*, donec nonnihil mollescant, haud aliter ac si *Sacchāro* condiendæ essent; *aqua*, in qua prædictæ *radices* decoctæ sunt, asservetur, *radices* verò à nimia aquositate, sive contractâ in coctione superfluâ humiditate liberentur, ac in aëre supra linteum expositæ, per diem unum in umbra parumper siccentur, postea crassiusculè in minutas & quadratas particulas conscindantur. Pari quoque diligentiâ *Pinearum* ℔ j ß grosso modo incidatur: Tum

℞. *Mellis despumati* ℔ x,

Coquantur cum superiori asservatâ *aquâ*, in qua *radices* præfatæ ad mollitiem decoctæ sunt, donec *mel* pristinam suam consistentiam iterùm adeptum sit; cui denique junge *radices superiùs conscissas*, & aliquandiu adhuc simul coquere sine, donec & humiditas, quam *radices* imbiberunt coquendo, consumpta sit; quibus sic ad justam consistentiam coctis adde

Pineas crassiusculè, prout superiùs jussi, conscissas,
Nec non
Aromata in compositione sequentia, itidem pro majori parte conscissa, ut potè
Caryophyllorum,
Zingiberis,
Macis ana ℥ ß,
Nuc. Moschat.
Galangæ ana ʒ iij,
Conservæ etiam Rosarum ℥ j ß,
Attamen
Piperis nigri ℥ j,
longi ℥ ß,
Cardamomi ʒ iij,

Contundi possunt, non tamen nimis subtiliter, pro majori gratia *Electuario* conciliandâ, quod ipsum juxta nostrum modum confectum præstans & gratissimum evadet, illudque quod communi modo paratum est, quâ saporis gratiâ, quâ majori efficaciâ plurimùm superabit.

Nota, quòd loco *mellis*, si illud cuicunque non arrideret, *Saccharum* substitui posset: ità enim laudabilius conficeretur *Electuarium Stomachicum*. *Radices* etiam suprădictæ, quia commodius ante coctionem, quàm post eandem peractam, conscinduntur, idcircò ipsas priùs crassiusculè incidere, & postmodum ad mollitiem coquere præstabit.

Acorus conditus Vulgaris.

℞. Conservæ rad. Acori lib. unam semis,
Mellis despumati (vel ejus loco brodii Zingiberis conditi) libram unam,
Amygdalarum incisarum lib. semis,
Piperis nigri,
Nucis Moschatæ,
Zingiberis albi ana unciam unam.
Misce, fiat conditum.

VEntriculum frigidum, & humidum confortat, flatus crassos dissipat, & concoctionem promovet.

RAdices Acori vulgaris seu palustris mundatæ & in taleolas tenuissimè incisæ, decoquantur ad mollitiem in vino rubro: postea contusæ & trajectæ coquantur iterum cum duplâ quantitate Sacchari, ad formam Conservæ, sicuti reliquæ.

ANIMADVERSIONES.

NOn minus *hoc Electuarium*, quàm proximè præcedens eximiis pollet virtutibus, præsertim si juxta modum in eodem indigitatum conficiatur; Proindè potest *Acorus* sive *Calamus Aromaticus*, cum *Saccharo*, cocto in *aqua illa*, in qua priùs *radices* ad mollitiem decoctæ sunt, condiri, postea crassiusculè conscindi, cui demùm *Amygdalæ*, *nuces Moschatæ*, *Zingiber* similiter conscissa, *Piper* verò non admodum subtiliter contusum addantur.

Electuarium Alkermes Mesuæ.

℞. Serici succo granorum tinctorum recenter tincti libram semis,
Succi pomorum dulcium,
Aquæ Rosarum,
Sacchari albi ana uncias novem,
Ambræ gryseæ drachmas duas,
Ligni Aloës optimi,
Cinamomi electi ana drachmas tres,
Lapid. Cyanei loti & præparati,
Margaritarum albar. ana drach. duas,
Foliorum Auri drachmam semis,
Moschi laudatissimi scrupulum semis.

Sericum in aqua & succo maceretur viginti quatuor horis, deinde paulisper his incoquatur, donec liquores isti rubescant, quos expresso & abjecto Serico coque cum Saccharo ad mellis consistentiam. Ab igne depositis & adhuc calentibus misce Ambram, quâ liquatâ, injice pulverem ligni Aloës, Cinamomi, lapidis Cyanei, Margaritarum, folia Auri & Moschum.

COr ac vitales vires validè roborat, ob id syncopen & cordis palpitationes pellit, cerebro quoque ac animali facultati languidæ eximiè succurrit, nec non ab apoplexiâ præservat. Datur melancholicis, mœstis, tædio & squalore confectis, spontè illachrymantibus, meticulosis ac tristibus; lætitiam namque cum hilaritate parit, atque animum gaudio reficit.

HOc Electuarium nobis non probatur, qui nullo alio nisi Monspeliensi vel Lugdunensi cum sigillis allato, uti consuevimus, cum tamen interea succo Granorum seu potius ex his confecto Syrupo nunquam destituamur, ut copia nobis esse queat Electuarii sine Moscho & Ambra præparandi, pro illis, qui odorata ferre nequeunt.

ANIMADVERSIONES.

SUperiùs in *animadversionibus Syrupi de pomis, confectioni Alkermes* deputati, nonnulla præmisi, quæ ad elucidationem præparationis hujus decantati *Electuarii* plurimùm possunt, inprimis ratione *Serici* vel *Setæ succo granorum Kermes tinctæ*, quæ quàm imprudenter dicto *Syrupo* addatur, ibidem videre est, eò itaque Lectorem relego. Reliqua verò *compositio Mesues* scilicet, si vel *purum putum succum Kermes* pro *Syrupo* habere poteris, vel ex *granis Kermes Syrupum pro confectione* hac paraveris, sanè non improbanda, quin ipsa hæc nostra *confectio* ubicunque locorum etiam præparetur, modo ex *succo* vel ex *granis Kermes*, omisso *Serico* conficiatur, illis *Monspeliensium aut Lugdunensium confectionibus*, quamvis nescio quot sigillis confirmatis, longè anteponenda est, quod ex originali *confectionis Alkermes Monspeliensium* hîc subnexâ descriptione clariùs patebit; utpotè

Confectio Alkermes Monspeliensium.

℞. *Succi pomorum dulcium & aquæ Rosarum (in quibus Setæ* ℔ j *fuerit per diem naturalem infusa & multùm expressa) ana* ℔ j ß,
Succi granorum Kermes ℔ j,
Sacchari solidi ℔ ij,

Coque ad *mellis* spissitudinem; remotis ab igne, & etiamnum calidis adde
Ambræ crudæ minutim incisæ ℥ ij,

Sine ut liquescat, deinde admisce sequentia pulverata, videlicet,
Ligni Aloës, vel Santali Citrini,
Darseni, id est, Cinamomi electissimi ana ℥ vj,
Lapidis Lazuli usti & præparati,
Margaritarum albarum ana ℥ ij,
Auri boni,
Moschi ana ℥ j,

Fiatque *confectio* secundum artem.

Ex qua descriptione videre est, quod tota hæc compositio vel *confectio Monspeliensium*, in universum capiat jam parata vel confecta *libras tres & uncias duas vel uncias tres: Mesues verò compositio superior ultra libram unam & uncias duas* in pondere non excrescat; Adeoque *illa* hanc *Mesues* ultra *libras duas* in pondere superabit, cùm tamen ratione specierum ingredientium preciosarum, ultra dosin in *compositione Mesues*, denominatam, non plus contineat, quàm *Cinamomi & ligni Aloës*, (vel loco ejus *Santali tantum Citrini) ana* ℥ *iij, Moschi* ℈ *ij* ß, *& Auri* ℥ ß. Unde liquet, quod Monspelienses *debitum pondus Sacchari*, respectu specierum ingredientium, ceu quarum nulla ad tantam quantitatem *Sacchari* est proportio, non parùm excedant, & consequenter *illa Mesues descriptio superior*, uti magis concinna est, in assignata *Sacchari* & *specierum ingredientium* quantitate & pondere, ità etiam viribus & virtutibus efficacior existat. Haud satis itaque mirari possum, quod Authores tàm inperspectè, tamque imprudenter hanc *Mesues compositionem* reprobent, è contra verò *Monspeliensium ac Lugdunensium* præ illa unicè amplectantur; cùm tamen, ut ipsi fatentur, nunquam vel *succo* vel *Syrupo Kermes* destituantur, ex quibus tum satis elegantem efficacem, exoticis illis non solùm viribus æquivalentem, sed easdem etiam longè superantem *confectionem* parare possint. Et sanè Galli, cæteræque Nationes exteræ nos Germanos meritò rident, quòd spretis illis, quæ in nostris regionibus æquè commodè confici possunt, & indies conficiuntur, peregrinis, & quæ saltem ex longinquis oris advehuntur, rebus tantoperè delectemur; cùm tamen iis, quæ oculis propriis cernimus, ac nostris manibus paravimus, longè magis fidere deberemus, quàm quæ alienâ operâ composita, & peregrinâ fide ad nos transvehuntur.

Notare insuper hîc libet, quòd si forsitan aliquis illam, ex *succo* vel *Syrupo granorum Kermes*, omisso *Serico* à nobis commendatam *confectionem* renueret, eò quòd fortè putaret, eximias à *Serico*, si ipsum adderetur, virtutes huic *Electuario* accessuras; is certò sibi persuasum habeat, quod *Sericum*, si quâ crudum, & antequam Sericariorum manu elaboratum fuit, aliquas virtutes obtinuerit, easdem in lotionibus, coctionibus sive præparationibus suis multifariis, uti propriis usurpavi oculis, dudum amiserit: *Crudum verò Sericum cum folliculis*, ob vermes vel papiliones in iis putrefactos, (quod fœtor in *Serici* coctione & præparatione prodit, quodque sæpè & studiosè observavi,) magnâ est infectum malignitate, adeoque etiam rejiciendum. Neque existimamus, hanc Mesues fuisse mentem, quod *Sericum*, si non *succo granorum Kermes* priùs tinctum (utpotè alioquin in coctionibus, lotionibus aut aliis quibusvis præparationibus omni suâ virtute, si quam antea obtinuerit, penitùs exutam,) adeò strictè ad hujus *Electuarii* confectionem sumendum sit, sed ideò forsan ex *Serico, succo granorum Kermes imbuto*, ipsam tincturam elicere conatum fuisse, vel eandem extrahere præcepisse verisimile fit, quia dubio procul in oris illis Arabicis, ubi is vitam vixit, *hoc succo aut granis vel fructu Kermes* eo tempore vel omninò destitutus fuerit, aut ad minimum in sufficienti quantitate eundem habere non potuerit. Nos verò cùm nunc neque

succi,

succi, multò minùs *granorum Kermes* (quibus ubique locorum *Sericum* tingitur) viduitate teneamur, valdè imprudenter fecerimus, si ex rebus hujus *fructûs* tincturâ duntaxat imbutis, non verò ex *fructu ipso* tincturam & virtutes essentiales eliceremus, prout jam ante in præparatione *Syrupi Alkermes* prolixiùs hac de re disseruimus. Et miror sanè, quòd Magister Laurentius Catelanus Pharmacopœus Monspeliensis, quantumvis in sua genuina (uti putat) præparatione *Confectionis Alkermes*, ubi plura speciosa de *Serico* & *Seta* adfert, apertè fateatur, *Sericum* in præparatione & coctione vires suas perdere; nihilominus tamen ad *confectionem hanc* idipsum necessariò accipiendum esse censeat, licet paulò ante, ubi in explicatione *succi Kermes* intentus est, seipsum iterùm refutet. Nos tamen hujus arbitrium tantoperè non movet, ut ad tantas ineptias adducamur, neque voluntas aut sententia ejus nobis pro lege est, quin potiùs nullius addicti jurare in verba Magistri, rectâ ratione præviâ, Authoritates & præcepta aliorum, si rationi congrua non sint, postliminiò ponentes meliora sequamur. Sed hæc obiter:

Transeamus nunc ad dexteriorem hujus *confectionis* præparandi modum. Conficiatur igitur hoc *Electuarium* potiùs secundum descriptionem superiorem Mesuæ, *omisso Serico* ex *Syrupo Kermes*, sive is *ex succo*, sive *ex granis* sit confectus (quem in animadversionibus nostris superioribus super eundem factis edocuimus,) eritque longè efficacius illo, quod multis sigillis munitum, vel ex Gallia vel Belgio affertur. *Ambra* priùs nonnihil dissolvi potest, *guttulis aliquot olei Cinamomi*, *vel etiam Rosarum*, *aut alterius alicujus olei Aromatici*, (sic enim exactiùs *Sacharo* injecta, cum eo unitur,) quæ solutio insuper majorem efficaciam huic *confectioni* addet, utpotè quæ alioquin stimulo summoperè indiget, nec non opus habet, ut in majori dosi, quàm communiter fieri assolet, propinetur, si quas illi attribuerunt virtutes, exerere debeat. Aliam & quidem efficaciorem longè qui desiderat *confectionem Alkermes*, is adeat *Dispensatorium nostrum novum*, & secundum nostram mentem descriptionem illam conficiat, sic voti sui compos absque dubio evadet.

APPENDIX.

Prolatam meam sententiam de *granis Kermes*, quæ superiùs ad *Syrupum Kermes* conficiendum aptissima judicavi, confirmo cum ipso illo præfato Magistro Laurentio Catelano Pharmacopœo Monspeliensi, & qui in ipsius prolixam descriptionem *confectionis Alkermes* commentati sunt, Johanne Stephano Strobelbergero Med. D. & Johanne ab Oberndorf, qui (ubi contra Pharmacopœum Avignionensem, in tractatu de *confectione Alkermes* dicti Strobelbergeri, Jenæ 1620. impresso, disputat,) asserit & fatetur, *præcipuas vires & virtutes in medulla grani Tinctorii potiùs, quàm in tenui & magis aquosa parte consistere:* Item *Mesuen solius succi conservandi gratiâ, non autem quatenus præcisè ex Seta virtus extrahenda sit, Sericum adhibuisse* existimat etiam Brassavola, dum inquit: *Ego in confectionibus, quæ corroborare habent, potiùs setam arcerem, quàm recipere voluerim.*

An autem *Aurum* in tenues laminulas dictum, & hoc modo (juxta opinionem Oberndorffii) ità rarefactum, ut ad partes internas faciliùs penetrare possit, huic *confectioni* additum, inque liquore convenienti ægris exhibitum, verè potabile efficiatur, longè præstantius censendum sit, quàm illud Chymicorum, severiori equidem disquisitione indigeret. Verùm cùm unusquisque, qui aliquantillum saltem naturam *auri* & metallorum aliorum perspectam habet, absurditatem hanc primo intuitu cernat, non occupabo operam meam in eâdem prolixè refutanda; quin paucis in contrarium assero, si quis *aurum* super incudem tunderet, vel quousque orcus ab Acheronte animas dimitteret, se hoc pacto *aurum* nunquam eò redacturum, ut verè potabili fiat. Stet itaque rata sententia Augustanorum *in Animadversionibus super Auream Alexandrinam Nicolai*, nimirùm *quod auri & argenti* (de foliis autem eorundem loquuntur,) *in medicinas additio, opinioni magis, quàm intentioni satisfacere videatur, & ad pascen-*

dos

dos oculos ex Arabum luxu, ad conciliandum Pharmaco authoritatem, illa introducta esse; cùm tantùm absit, ut calor noster nativus aliquam virtutem ex illis (nimirùm crasso & rustico hoc modo minusque philosophico in laminas diductis,) suâ elixatione, vel vi quantumvis intensa, prolicere possit, ut ea ipsa integra ac nullam penitùs ab assumptione mutationem passa, ità uti ingesta sunt, per guttur inferius excernantur.

Confectio Anacardina Mesuæ.

℞. Myrobalanorum Chebulorum,
Emblicorum,
Belliricorum,
Indorum,
Piperis nigri,
Longi,
Castorei ana drachmas duas,
Costi,
Anacardii præparati,
Sacchari albi,
Sem. Nigellæ aut Erucæ,
Baccarum Lauri ana drachmas sex,
Cyperi drachmas quatuor.

Anacardia per se terantur, demum aliis tritis admisceantur: deinde omnia incorporentur cum Butyri recentis non saliti, & mellis despumati ana, quantum satis, seu unciis quinque semis, fiat Electuarium.

V*Alet ad ventris totius inferioris & cerebri affectus frigidos, sanguinem puriorem reddit, ac inde spiritu animali purgatiore tenuioreque effecto, sensus omnes apprehensionem, intellectum & memoriam juvat; unde eam Mesue confectionem sapientum esse dixit, ac iis qui scire desiderant, suppetias laturam promisit, quæ & ipsa venosum genus totum calefacit, nec non corpori vividum colorem præstat. Cautè tamen, & non nisi ante semestre tempus post perfectam fermentationem hoc, medicamento est utendum, & ab ejus assumptione à labore, ira, coitu, ac ebrietate cavendum.*

ANacardiis nomen indiderunt recentiores Græci à cordis cùm similitudine, tùm colore. Nascuntur in Siciliæ montibus, qui continuas eructant flammas, nec non in Calicut, Cananor, Cambaiâ & Decan. Excalefaciunt & siccant tertio gradu; quin imò sanguinem exurunt, ac cutim ulcerant.

M*Esue legit Burungi id est, Nigellæ, pro quo Petrus Coudenbergius album Sinapis semen substituit.*

ANacardiorum præparationem in fine libri inter reliquorum simplicium præparationes require.

ANIMADVERSIONES.

HÆc *confectio* paratu quidem facilis est, ast mehercle ingratum indè evadet edulium, si cum *butyro* conficiatur, præsertim si diutiùs paulò asservetur, donec rancorem contrahat: Quin miror maximè, quòd inter cætera ingredientia etiam *Sacchari albi* ℥ *vj*, reponantur, quasi verò ab exigua illa quantitate singulares virtutes in *confectionem* hanc redundare possint; præstaret sanè, ut loco *unciarum illarum quinque cum dimidia butyri, mellis vel sacchari tantundem* adderetur, ac ità *Electuarium* & multò gratius & longè durabilius conficeretur. Efficaciorem *confectionem Anacardinam* vide in Dispensatorio novo.

Confectio Archigenis.

℞. Castorei,
Piperis longi,
Nigri,
Styracis,
Spicæ,
Costi,
Galbani,
Opii ana unciam semis,
Croci drachmas duas,
Mellis despumati, quantum sufficit.

E*Fficax est ad sputum sanguinis, & tussim diuturnam ex materia corrupta, sanosa, vel ab ulcere ac phthisi; mundificat enim & abstergit materiam crassam ac putridam. confert uteri præfocationi, paralysi, & vesicæ vitiis, nec non fluxui ventris ac febrium periodis medetur; insuper etiam venenis resistit. Describitur à Mes. in cap. de tussi humida, folio 30. editionis Venetæ, 1549.*

ANIMADVERSIONES.

UBi animadversione & monitis summoperè opus esset, ibi piscibus & Seriphiis ranis magis muti sunt, in aliis verò rebus nauci & nihili plus satis loquaces. Et quamvis hæc *Opiata* ex paucis constet ingredientibus, nihilominùs tamen sedulam requirit præparationem, quæ talis esto:

℞. *Castorei,*
Piperis longi,
Nigri,
Spicæ Indicæ,
Costi ana ℥ ß,
Croci Austriaci ℨ ij,
Fiat ex iis pulvis subtilissimus,
Opii autem ℥ ß,
priùs præparetur, juxta modum in *animadversionibus pilularum de Cynoglossa* à nobis edoctum, postea in liquore convenienti ex.gr. *aceto, succo Citri, vel alio liquore* ad pultis formam dissolvatur & per pannum lineum exprimatur. Dissolvatur etiam sigillatim
Galbani elect. ℥ ß, in
Vino vel *aceto* pulticulæ instar, itidemque coletur, aut per pannum exprimatur; Cui *Galbano* in patella ferrea super ignem lentissimum soluto, alternatim mox de
Resinæ Styracis nonnihil calidæ ℥ ß,
aliquot guttulæ instillentur, mox nonnihil de *libra una*
Mellis clari despumati,
mox etiam de pulveribus vel speciebus superiùs dictis; & *Opio soluto* parùm addatur, hocque continuandum, donec omnia per vices admixta fuerint. Posset nec non ultimò patella cum hac *Opiata* aliquandiu in aquam calidam immergi, & *Opiata* per horam unam agitari, quò meliùs ingredientia unirentur; eritque sic ritè parata *Opiata*, quæ meritò *Laudani Opiati*, multarumque aliarum opiatarum vices supplere posset.

Aurea Alexandrina Nicolai.

℞. Asari,
Carpobalsami ana drach. duas semis,
Caryophyllorum,
Opii Thebaici,
Myrrhæ,
Cyperi rotundi ana drachm. duas,
Sem. Hyosc. albi drach. duas semis,
Seseleos,
Sinapis,
Saxifragiæ,
Anethi,
Anisi,
Cardamomi minoris,
Folii,
Salviæ,
Opobalsami,
Cinamomi,
Cassiæ ligneæ veræ,
Costi veri,
Meu,
Zedoariæ,
Zingiberis,
Euphorbii præparati,
Tragacanthi,
Thuris masculi,
Styracis Calamitæ,
Corallii ana drachmam unam,
Aliptæ Moschatæ,
Rhabarbari, aut Rhapontici veri,
Galangæ,
Spicæ Indicæ,
Rad. Pæoniæ,
Eryngii,
Acori veri,
Aristolochiæ longæ,
Gentianæ,
Phu,
Cortic. radic. Mandragoræ,
Sem. Ligustici,
Rutæ,
Sinoni, seu Amomi vulgaris Officinarum,
Carui,
Amomi veri,
Petroselini Macedonici,
Ammeos,
Dauci Cretici,
Anacardii præparati,
Baccarum Lauri,
Piperis longi,
Albi,

Rosarum rubearum,
Thymi,
Pulegii,
Chamædryos,
Ligni Aloës,
Xylobalsami,
Castorei,
Opopanacis,
Mastiches,
Sulphuris vivi,
Margaritarum albarum,
Blattæ Byzantiæ,
Ossis de corde cervi ana drach. semis, grana tria,
Fol. Auri numero viginti quinque,
Argenti numero duodecim,
Limaturæ Eboris,
Calami Aromatici vulgaris,
Pyrethri ana grana novem,
Mellis triplum, id est, circiter libras duas.

Compositio hæc, quæ paratu facilior est Theriacâ aut Mithridatio, cui ex Nicolao Græco Fuchsius Nucum Avellanarum drachmas duas, Saphyri, Smaragdi, Iaspidis ana drachmam unam, Carnis Pulmularum, Beën albi & rubei ana drachmam semis addit, ac in ponderibus nonnihil variat, ab auro, quod ad ejus constitutionem expetitur, vel potius à virium præstantiâ sic dicta. Efficax enim est contra capitis defluxiones frigore conceptas; dolorem siquidem confestim mitigat, oculorum lachrymas sistit, dentium dolores sanat, omnem noxam capitis à frigido & humido non modò epota, sed & imposita, & fronti illita propellit, comitialibus, vertiginosis, paralyticis, apoplecticis benefacit, furiosorum incompositos motus compescit tabidis, tussiculosis, asthmaticis, sanguinis eductionibus, cardiacis, ischiadicis, colicis, nephriticis, dysuriæ, stranguriæ, ischuriæ præsenti est auxilio; calculos renum & vesicæ comminuit, quotidianis ac tertianis febribus circa accessionis initium cum decocto Stœchadis eximiè medetur. Præsumpta hæc Antidotus, & in consuetudinem vocata, ab apoplexia, & colico morbo facilè vindicat. Vide ejus examen apud Ioannem Baptistam Montanum.

Aliam descriptionem ponit Actuarius ab hac, quæ Nicolai est, diversam, ubi pro Myrrhâ, baccas Myrti, pro sem. Sinapis, semen Apii, pro Pulegio, Halicacabum ponit, atque insuper semen Carui & Anethi, Rosas ac Piper album omittit, quâ de re (prout de aliis quibusdam dubiis hac in compositione occurrentibus) consulatur editio Anni 1581. Nobis hæc sic rectè sese habere visa sunt, defectum autem eorum, quorum copia non est, aut fortè non omnibus, resarcimus substituendo:

Pro Calamo Aromatico, cùm Acorus & ipse ingrediatur, Calamum Aromaticum vulgarem, vel Galangam majorem,
Pro Carpobalsamo, Cubebas,
Pro Opobalsamo, oleum Nucis Moschatæ,
Pro Xylobalsamo, Santalum Citrinum, cùm lignum Aloës per se alioquin ad compositionem hanc requiratur;
Pro Folio, Macim,
Pro Meu, Angelicam,
Pro Amomo, Cardamomum minus aut grana Juniperi.

Auri & Argenti pondus hîc penitus supplendum non putamus, medietate contenti; videtur namque Auri & Argenti in medicinas additio opinioni magis quàm intentioni satisfacere, & ad pascendos oculos ex Arabum luxu ad conciliandum pharmaco auctoritatem introducta esse, cùm tantùm absit, ut calor noster nativus aliquam virtutem ex iis suâ elixatione, vel vi quantumvis intensâ, prolicere possit, ut ea ipsa integra, ac nullam penitùs ab assumptione mutationem passa excerni observemus.

ANIMADVERSIONES.

Præ cæteris speciosis, ac ad pompam magis, quàm ad emolumentum proximi, malè consarcinatis compositionibus hæc, quantis etiam attributis superbiat, una est, quæ carbone ex albo pharmaceutico delenda esset: Cujus absurditates, cùm (uti opinor,) ex *Theriaca Andromachi*, *Mithridatii Damocratis*, & omnium maximè inconcinnæ *Antidoti Matthioli*

thioli animadversionibus, à nobis super easdem conscriptis, satis evidenter pateant, idcircò in hac & consimilibus futilibus ac omninò inutilibus compositionibus, quàm speciosissimis etiam encomiis ac aureis titulis ornatæ ac insignitæ sint, non multùm morabimur. Etenim, qui proximè præcedentem *Opiatam* (quæ si dextrè præparata fuerit, *Auream hanc Alexandrinam* plurimùm obfuscat) secundùm nostras animadversiones rectè præparare nôrit, etiam hujus præparationem non ignorabit.

Athanasia magna Nicolai.

℞. Cinamomi,
Cassiæ ligneæ ana drachmas tres, grana septem,
Croci,
Schœnanthi,
Styracis Calamitæ,
Opii,
Phu,
Betonicæ,
Sem. Hyoscyami,
Seseleos,
Apii,
Dauci,
Anisi ana drachmam unam semis, grana tria,
Spicæ Indicæ,
Symphyti,
Helenii,
Acori,
Asari,
Meu,
Cortic. rad. Mandragoræ,
Folii,
Polii,
Baccarum Lauri,
Piperis albi,
Longi,
Castorei,
Myrrhæ,
Mumiæ,
Sanguinis draconis,
Boli Armenæ,
Charabe,
Corallii rubri,
Lapidis Hæmatitis ana drachm. semis,
Sem. Oxyacanthæ uncias duas,
Quinquenerviæ, id est, Plantaginis minoris drachmam unam, grana quatuor,
Petroselini drachmam semis,
Baccarum Myrti,
Rosarum ana drachmam unam, grana quatuor,
Succi Quinquenerviæ uncias tres,
Hypocistidis,
Acaciæ,
Oxyacanthæ ana uncias duas,
Mellis triplum, id est, lib. unam, unc. unam, drachmas quinque semis.

Dysenteriâ laborantibus & cœliacis confert, ac fluxum muliebrem superfluum restringit, facit ad profluvium sanguinis narium, & eos qui cibum non retinent in ventriculo juvat; sanguinis præterea à quacunque causa natis rejectionibus auxiliatur.

Electuarium è Baccis Lauri Rhasis.

℞. Foliorum Rutæ drachmas decem,
Sem. Ammeos,
Cumini,
Nigellæ,
Ligustici,
Carui,
Dauci,
Acori, seu Calami Aromatici,
Origani,
Amygdalarum amararum,
Piperis nigri,
Longi,
Mentastri,
Baccarum Lauri,
Castorei ana drachmas duas,
Sagapeni unciam semis,
Opopanacis drachmas tres,
Mellis triplum, id est, libram unam, uncias quatuor, drachmas septem.

Tritis diligenter, quæ terenda sunt, fiat Electuarium, additis circa finem Lachrymis vino dilutis.

Commendatur ad colicam & iliacam passionem, ac doloribus intestinorum ex cau-

sa frigidâ vel flatuosa opitulatur. Adhibetur insuper utiliter Enematibus, flatus vel evocantibus, vel discutientibus. Describitur à Rhase 9. ad Almansorem, cap. de dolore Colico.

ANIMADVERSIONES

In Athanasiam magnam, & Electuarium de Baccis Lauri.

ATHanasia magna, licet ex plurimis constet ingredientibus, nihilominus tamen ferè cuncta in unum conspirant effectum, fluxûs nimirùm superflui, ventris præcipuè restrictionem: Possunt itaque, quæcunque dissolvenda aut diluenda sunt, utpotè *Myrrha, Opium priùs præparatum, succus Acaciæ, Hypocistidis, Sanguis Draconis, Crocus, &c. in succis liquidis Oxyacanthæ & Quinquenerviæ*, sique ipsi non suffecerint, addito pauculo *vino* vel *aceto*, dissolvi aut dilui; Quoad reliqua verò *Opiata*, hæc parari poterit juxta *animadversiones confectionis Archigenis.*

Notandum hìc, quòd *mellis pondus destinatum*, scilicet *libra una, uncia una & drachmæ quinque semis*, non sit triplum, respectu reliquorum ingredientium; horum enim sunt *unciæ quatuordecim & drachmæ quinque*: idcirco *mellis* quantitas augenda & exactior computatio instituenda erit, ut dupla vel tripla assignata *mellis* quantitas, superiorum *specierum* ponderi accurate respondeat.

Electuarium de Baccis Lauri juxta modum præscriptum parari potest.

Electuarium Chalybeatum.

℞. Limaturæ Chalybis uncias octo.

Molatur super Porphyrite subtilissimè ex aceto, deinde siccetur ad Solem, vel ignem, & sic septies iteretur: postea

℞. Limaturæ sic præparatæ uncias sept.
Cinamomi acuti,
Nucis Moschatæ ana drachmas sex,
Rhabarbari electi drachmas duas,
Specierum Aromat. Rosati drach. sex,
Mellis optimi despumati,
Sacchari albissimi ana uncias tredecim.

Misce ad lentum ignem, & fiat Electuarium.

HUjus Electuarii inventor extitit Fabricius Barzonius Professor Bononiensis celeberrimus, fuitque ejus usus in jecoris diuturnâ obstructione, & albo virguncularum ictero. Erat id quondam familiarissimum Clarissimis Viris D. D. Cratoni, Philippo Menzelio, ac Thomæ Meermanno p. m. quo muliebrem præsertim cachexiam pellebant.

ANIMADVERSIONES.

LOngè consultius foret, ac multò efficacius, palato etiam gratius conficeretur *Electuarium Chalybeatum*, si loco *Chalybis* modo præscripto parati, *Vitriolum Chalybis, cum spiritu Vitrioli factum*, in minori tamen quantitate substitueretur: Vulgariter enim præparatus *Chalybs*, tantoperè penetrabilis & resolubilis non est, & pro majori sua parte itâ, uti ingestus est, intestina permeat & excernitur, si non noxam insuper ventriculo inferat, prout sæpiùs vidi. *Species Aromatici Rosati* haud efficacius aut ori gratius reddent hoc *Electuarium*, sed potiùs nauseosum. Nec *Rhabarbari* (de quo meritò effari posset, quid hoc inter tam multa?) exigua quantitas huic *compositioni* quicquam conferre potest. Si igitur libet, paretur hoc *Electuarium Chalybeatum* juxta modum sequentem, de quo unusquisque certò sibi polliceri poterit, quòd cum effectu felici & ingenti fructu in denominatis affectibus & viscerum obstructionibus propinari possit: utpotè

℞. *Vitrioli Martis, seu Chalybis dulcis, cum spiritu Vitrioli facti* ℥ iiij.
solvatur in
Aqua Cinamomi aut Melissæ ℥ iiij,
cui statim junge
Sacchari pulverisati ℥ xiij,

quod priùs imprægnatum sit oleis sequentibus, utpotè

Ol. *stillatit. Cinamomi,*
Nucistæ ana ℈ j ß,
Macis ℈ j.

Hisque optimè commixtis adde
Mellis Melissæ juxta modum nostrum parati ℥ xiij,

Fiat sic *Electuarium* præstantissimum, ac odore & sapore gratissimum, virguncularum posthac magnum refugium.

Con-

Conditum pro Familia Antidotale Stapedii.

℞. Granorum Juniperi uncias sex,
Caricarum pinguium num. duodecim,
Nucl. Nucum Juglandium unc. octo,
Conf. Flor. Borraginis,
Buglossi ana unc. quatuor,
Theriacæ veteris,
Mithridatii optimi ana uncias duas,
Rad. Tormentillæ,
Gentianæ,
Pimpinellæ,
Angelicæ,
Zedoariæ ana unciam unam.
Cum Syrupo de Limonibus,
Fiat conditum.

ANIMADVERSIONES.

UT *hujus conditi* legitima fiat præparatio, necessum est, ut *grana Iuniperi recentia, nec nimis exsiccata*, & *Caricæ*, & *nuclei Iuglandes* diu multumque in mortario lapideo cum particula alicujus liquoris ex. gr. *aqua Angelicæ* irrigata contundantur, & per cribrum setaceum non nimis angustum instar *pulpæ*, si libet, trajiciantur, postea cum reliquis *conservis, Electuariis, pulveribus*, & *Syrupo* ex arte commisceantur.

Electuarium contra Dysenteriam D.D. Philippi Hochsteteri.

℞. Conserv. Rosar. rubearum antiquarum
Vitriolatæ unc. duas semis,
Pimpinellæ sanguisorbæ drach. decem,
Theriacæ Andromachi recentis seu quatuor annorum unciam semis,
Trochisc. de Spodio cum semine Acetosæ,
Terræ Sigillatæ ana scrupulos duos,
Ramich scrupulum unum,
Rad. Consolidæ majoris drach. sex,
Crassulæ seu Telephii Tragi unc. semis,
Pulveris nucis Moschatæ scrupul. quatuor,
Specierum Diarhodon Abbatis scrupulos duos,
Croci Martis drachm. unam semis,
Rob. Prunellorum sylvestrium uncias tres,
Syrup. ex Rosis siccis,
Myrtillorum ana unciam unam.
Misce, fiat Electuarium.

ANIMADVERSIONES.

HOc *Electuarium* easdem, quas *Antidotus Matthioli* laudes meretur, quia ex novem diversis *compositis* & ducentis ingredientibus ejus *compositio* conglomerata est, ità ut in infinitum procedente Atomorum divisione hîc opus foret, si singulorum ingredientium, quantum de unoquoque ad quamlibet dosin accederet, exacta institui deberet computatio. Præstabit itaque *similes compositiones* intactas relinquere, quàm vel ipsarum præparationibus vel erroribus enucleandis diu immorari, cum vel unicum saltem aut alterum ingrediens, majori cum fructu, feliciorique successu, adhiberi poterit, quàm talis irrationabilis ex tanta *compositorum* congerie consarcinata mixtura.

Electuarium de Scoria Ferri Rhasis.

℞. Myrobal. Indorum,
Belliricorum,
Emblicorum ana drachm. unam,
Spicæ Indicæ,
Schœnanthi,
Cyperi,
Zingiberis,
Piperis,
Ammeos,
Thuris ana unciam semis,
Scoriæ Ferri infusæ aceto per dies septem, postea torrefactæ drach. tres,
Mellis decocti cum Apozemate Emblicorum uncias sedecim.
Misce, fiat Electuarium.

Electuarium Diureticum Bartholomæi Montagnanæ.

℞. Cineris putaminum ovorum, è quibus pulli sunt exclusi,
Vitri combusti,
Lapidis Spongiæ,
Judaici ana drachmam unam semis,
Sem. Apii,
Rusci,
Petroselini,
Asparagi,
Levistici ana drachmam unam,
Anisi,
Glycyrrhizæ ana unciam semis,
Sanguinis Hirci præparati drachmas quinque,
Mucilaginis granorum Muchoitæ, id est, Sebesten libram unam,
Sacchari rubri libram semis,
Oxymellis compositi uncias tres,
Pistachiorum depuratorum unc. quatuor.

Infundantur Pistachia in aqua cineris calidi per duos dies, postea minutim incidantur, & coquantur simul mucilagines: Oxymel & Saccharum deinde in mortario incorporentur cum Pistachiis & aliis speciebus, fiat Electuarium.

Confert in urinæ retentione, dysuria, & stranguria: nam urinam potenter provocat, & calculos rumpit.

ANIMADVERSIONES

In Electuarium de Scoria Ferrii, & Diureticum Bartholomæi Montagnanæ.

Posset equidem *Electuarium de scoria ferri* juxta præscriptum modum parari; cui usui autem particulariter ipsum destinatum sit, ego ferè ignoro. Quod si fortè nonnemo *vim adstrictivam* inde sibi polliceatur, is, ubi periculum fecerit, certò se deceptum deprehendet.

Electuarium Diureticum Montagnanæ eradicationem potiùs, quàm correctionem efflagitat, & vix à risu me temperare possum, quoties vel limis oculis ipsam hanc *compositionem* aspicio.

Electuarium Guidonis contra Pestem,

Quod alii

Electuarium Papæ vocant.

℞. Granorum Juniperi drachmas duas semis,
Caryophyllorum,
Macis,
Nucis Moschatæ,
Zingiberis albi,
Zedoariæ ana drachmas duas,
Rad. Gentianæ,
Tormentillæ,
Dictamni albi,
Aristolochiæ rotundæ,
Longæ ana drach. duas semis,
Doronici drachmam semis,
Herbæ Tunicæ vel Cardui Benedicti drachmas duas,
Salviæ,
Rutæ,
Balsamitæ,
Menthæ crispæ ana drachm. unam,
Baccarum Lauri,
Croci Orientalis,
Sem. Acetosæ,
Citri,
Ocymi,
Ligni Aloës,
Santali citrini,
Rubei,
Muscellini,
Mastiches,
Thuris,
Boli Armenæ,
Terræ Lemniæ,
Spodii præparati,
Ossis de corde Cervi,
Rasuræ Eboris,
Margaritarum præparatarum,
Coralliorum rubeorum,

Fragmen-

Fragmentorum Saphyri,
Smaragdi ana drach. semis,
Conservæ Rosarum,
Buglossi,
Nymphææ,
Theriacæ electæ ana unciam unam,
Sacchari optimi libras tres.
Dissolvatur Saccharum cum aquâ Scabiosæ & Rosarum, addendo
Camphoræ scrupulum unum.
Misceantur omnia, ut est artis.

Febrium malignarum & contagiosarum impetus frangit, ac pestilentis luis seminaria disjicit, venenatam materiam sudore excludens, & tàm in præservatione, quam in curatione magnas vires obtinet.

Pro herbâ Tunica alii Angelicam, pro Aristolochiâ Enulam substituunt.

Electuarium de ovo Maxim. I. Imp. P. F. Aug.

℞. Ovum gallinæ recens, & educto per apicem albumine, id quod vacuum est, Croco Orientali non pulverisato imple, vitellum non auferendo: postea cum alio putamine iterum occlude, ne quid transpiret, & lento igne, vel post fornacem tamdiu assa in ollulâ, donec tota ovi testa nigrescere incipiat, diligenter cavendo, ne Crocus comburatur. Exempta è testa materia exsiccetur, ut in mortario exquisitissimè contundi, & in pulverem redigi queat, addendo pulveris Sinapis albi, quantum prædicta omnia ponderant. Postea

℞. Pulv. Dictamni albi,
Tormentillæ ana drachm. duas,
Myrrhæ,
Cornu Cervi,
Nucis Vomicæ ana drachm. unam,
Angelicæ,
Pimpinellæ,
Granorum Juniperi,
Zedoariæ,
Camphoræ ana unc. semis,

Misce omnia simul in mortario, & tandem adjice Theriacæ optimæ ad pondus omnium, ac iterum pistillo fortiter contunde & commisce, per tres quasi integras horas agitando, addendo Syrupi Limonum, quod satis erit, fiat Electuarium, ut est artis.

Præcipuus ejus usus est in peste & præservatione à venenis deleteriis: sudores potenter movet, & venenatos ichores à centro ad circumferentiam eximiè propellit, cor à tetris fuliginibus tuetur, ac pestilentis luis noxas disjicit.

Paratur etiam apud nos sine Nuce Vomica, pro iis quibus Nux Vomica jam dicta suspecta esse solet.

Nonnulli pro Nuce Vomica semen Citri substituunt, aut rad. Petasitidis, ut placet Fuchsio. Georg. Agricola lib. de Peste aliam descriptionem habet, cui radices Pentaphylli, Terram Lemniam, & Corallia adjicit.

ANIMADVERSIONES
In Electuarium Guidonis contra Pestem, & Electuarium de Ovo.

Facilis est horum *Electuariorum Antidotalium* præparatio, ex quibus illud, quod de *Ovo* dicitur, altero paulò concinnius est, licet de *ovi vitello* multa nobis essent dicenda, an nimirùm hic tàm singulare Alexipharmacum sit, qui insuper etiam testâ inclusus impediat, quò minus sine combustione *Crocus* exsiccari possit; nam *ovi testa*, quamdiu integra & incombusta perstat, *vitelli* unctuositatē & humiditatem haud facilè exhalare sinit, quod provida Natura jamdudum prævidit, & nostra irrita conamina ridet, quasi verò nostris ineptiis auscultare deberet. Sed hæc breviter tecta moneo, ut sedulò observetur, ne *Crocus ovo immissus*, & cum eo commovendo optimè permixtus, leniterque assatus comburatur, sed post aliqualem assationem unà cum *vitello* è testa excipiatur, ac cum reliquis *speciebus* commixtus totaliter exsiccetur: Quoad reliqua in præparandi modo nulla est difficultas.

Electuarium autem illud Guidonis contra pestem præter id, quòd ex inepta & incongrua multorum ingredientium farragine constet, etiam

etiam hoc vitii obtinet, quòd propter *conservas* admixtas ægrè in liquoribus dissolvi queat, quin semper flocculi à floribus contusis supernatent.

Micleta Nicolai Myrepsi.

℞. Quinque generum Myrobalanorum parùm tostorum ana drachm. duas semis,
Sem. Nasturtii,
Cumini,
Anisi,
Fœniculi,
Ammeos,
Carui ana drachm. unam semis.

Omnia cruda terantur, & macerentur in modico aceto vini horis viginti quatuor. exsiccentur subinde asperso Aceto, ac torrefiant leniter super prunas, deinde addantur sequentia:
Spodii de Ebore,
Balaustiorum,
Pulpæ Rhois, id est, Sumach,
Masticbes,
Gummi Arabici ana drachma una, grana quindecim.

Omnia cum oleo Rosaceo fricentur & commisceantur cum Syrupi Myrtini triplo, id est, unciis decem, drachmis tribus & quartâ parte drachmæ.

Utilis est dysenteriæ, intestinorum lævitate laborantibus, inflationibus intestinorum: ad omnes insuper cœliacos affectus atque hæmorrhoidas fluentes efficax.

ANIMADVERSIONES.

Parari potest modo præscripto: Observandum autem, quòd *acetum*, in quo *semina & Myrobalani* imprudenter quidem macerari præcipiuntur, non effundendum, sed unà cum *speciebus* prædictis leniter exsiccandum sit; Proindè nec multum *aceti* pro illarum maceratione requiritur, sed tantum duntaxat, quantum ad humectationem prædictarum *specierum* sufficiat. Cæterùm, cùm hæc *compositio* exigui momenti sit, & longè efficaciora ad eosdem affectus habeamus medicamenta, brevitatis causâ, quæ in illa taxanda essent, sciens volens transilio, aliisque perpendenda relinquo.

Philonium Mesuæ.

℞. Piperis albi,
Sem. Hyoscyami albi ana drachmas viginti,
Opii drachmas decem,
Croci drachmas quinque,
Spicæ Indicæ,
Pyrethri,
Castorei ana drachmam unam,
Mellis despumati quadruplum.

Mirum in modum mitigat dolores ventriculi, uteri laterum, totius ventris, & colicam cum decocto Chamæmeli, vel Rutæ. Statim somnum provocat cum aqua Lactucæ, vel Syrupo Papaveris. Tollit dolorem capitis cum decocto Stœchadis, prohibet catarrhum cum decocto Thuris, aut Spicæ. Ad convulsionem & resolutionem bibitur cum decocto Nucis Moschatæ: facilitat anhelitum cum decocto Baccarum Lauri, vel Hyssopi, tussim sedat cum aquâ mellis: provocat urinam, facilitat mictum, & frangit calculos vesicæ cum decoctione Saxifragiæ, vel aqua Apii, compescit vomitum, & fluxum sanguinis ex ore cum succo Plantaginis, vel decocto Mastiches, & sedat præfocationes ac uteri vitia, & singultus, somnumque potenter inducit.

Philonium Persicorum Mesuæ.

℞. Piperis albi,
Hyoscyami albi ana drachm. decem,
Opii,
Terræ Lemniæ ana drachm. quinque,
Lapidis Hæmatitis,
Croci ana drachmas duas semis,
Castorei,
Spicæ Indicæ,
Euphorbii,
Pyrethri,
Margaritarum,
Charabe,
Zedoariæ,

Doronici,
Trochiscorum Ramich ana drachm. semis,
Camphoræ scrupulum semis,
Mellis triplum, id est, unc. quindecim.

EIus usus est ad uteri hæmorrhagiam, fluxum, procidentiam, hæmorrhoidas, & cruentas excretiones per inferna: sanguinis sputum, ac menstruorum nimium profluvium compescit, & fœtum in utero retinet.

Philonium Majus, sive Romanum Nicolai Myrepsi.

℞. Piperis albi drachm. quinque,
Opii drachmas duas semis,
Cassiæ ligneæ veræ drachmam unam semis,
Sem. Hyoscyami albi drach. quinque,
Apii drachmam unam,
Petroselini Macedonici,
Fœniculi,
Dauci Cretici ana scrupul. duos, grana quinque,
Croci scrupulum unum,
Nardi Indicæ,
Pyrethri,
Zedoariæ ana grana quindecim,
Cinamomi drachmam unam semis,
Euphorbii,
Myrrhæ,
Castorei ana drachmam unam,
Mellis optimi triplum, id est, unc. octo semis.

COlicos affectus, cæterarumque partium lethales dolores, ventris, hypochondriorum, ventriculi, uteri, hepatis, lienis, renum, ab intemperie frigidâ, flatibus crassis aut crudis humoribus excitatos sedat, tusses intensissimas, suffocationis periculum minantes, ex cordis aut pulmonis incendio, singultum etiam vehementem, nec non urinæ difficultatem liberat: sanguinis eductionibus, tabidis, suspiriosis, pleuriticis confert, hæmorrhagiam sistit, insomniam levat, & somni conciliatione vires reficit ac recreat, doloresque omnes abigit. Sed in colicis affectibus præcipuam habet dignitatem, eique affectui adhibet Galen. lib. 2. de locis affect. doloris enim magnitudo sæpè totam in se curationem intendit, & in miseram vitæ desperationem plerosque conjicit.

Philonium Tarsense Galeni.

θ. κῷ τόπυς.

℞. Croci drachmas quinque,
Pyrethri,
Euphorbii,
Nardi Indicæ ana drachmam unam,
Piperis albi,
Sem. Hyoscyami ana drachm. viginti,
Opii drachmas decem,
Mellis triplum.
Confice, secundum artem.

EXpertissimum ad sedandos vehementes, & lethales partium dolores ventriculi, coli, hypochondriorum, hepatis, lienis, renum, uteri, excitatos à crudis humoribus, aut flatu crasso, aut intemperie frigidâ. Valet etiam ad suffocationis periculum, singultum vehementem, & urinæ difficultatem.

ANIMADVERSIONES

In Philonia Mesuæ, Persicum Mesuæ, Majus sive Romanum & Tarsense.

HÆ *Opiata omnes*, ad unum eundemque modum simpliciter confici possunt, nec in effectu ab invicem multùm discrepabunt; Caveant autem sibi, quibus illa frequenti in usu sunt, ob *Opium non ritè prius præparatum*, ac *semina præcipuè Hyoscyami*, in satis larga quantitate illis addita. Meo quidem judicio *confectio Archigenis* dextrè ad modum nostrum in animadversionibus ejusdem edoctum præparata, majori cum successu, & minori periculo omnium istorum *Philoniorum* vices supplere posset.

Requies Nicolai.

℞. Rosarum rubearum,
Violarum ana drachmas tres,
Opii,

Sem. Hyoſcyami,
Papaveris albi,
Scariolæ,
Lactucæ,
Portulacæ,
Pſyllii,
Cort. rad. Mandragoræ,
Nucis Moſchatæ,
Cinamomi,
Zingiberis ana drachm. unam ſemis,
Sacchari Candi drachmam unam,
Santali albi,
Rubri,
Spodii,
Tragacanthi ana ſcrupulos duos, grana quinque,
Sacchari uncias decem, cum aqua Roſarum modica.

SIc appellata ab effectu, quòd dolorem obtundat ac mitiget, caloremque febrium mitiorem reddat, & iis qui hanc ſumunt requiem afferat. Eſt etiam utilis temporibus, & pulſibus manuum inuncta, cordis dolorem lenit, ſomnumque conciliat.

ANIMADVERSIONES.

IN hac *confectione Opiata* nihil ſingulariter occurrit, quod moneam, niſi ut *Tragacanthum* in *aquæ Roſarum ſ. q.* (℥ v, circiter) diſſolvatur, cui poſtea *Saccharum & reliquæ ſpecies in pulverem redactæ*, poſt ſolutionem *Sacchari*, nec non *Opium præparatum, ſolutum & colatum*, artificiosè jungantur. Quàm acutè verò illa *Sacchari Candi drachma una* ſigillatim addatur, multoties jam ante demonſtravimus; proinde pro ludibrio nunc & inpoſterum habebimus.

Diaſatyrium Nicolai.

℞. Rad. Satyrii recentium denſarum,
Paſtinacæ ſativæ recentium,
Secacul, ſeu Siſeris, aut Eryngii,
Nucis Indicæ,
Pinearum,
Piſtachiorum ana unc. unam ſemis,
Caryophyllorum,
Zingiberis albi,
Sem. Fraxini, ſeu linguæ Avis,
Aniſi,
Erucæ,
Bulbi, vel Urticæ,
Cinamomi,
Caudarum & lumborum Scinci veri ana drachmas duas ſemis,
Moſchi grana ſeptem,
Mellis deſpumati optimi libras tres.

Radices Satyrii, Paſtinacæ & Siſeris vel Secacul privatim & ſeorſim benè tritæ, melli imponantur ac ſubigantur, paululumque molliuſculo igne ferveſcant, deinde Piſtachia & nuces Pineæ, repurgatæ ac tuſæ adjiciantur: ubi cum melle aliquantulùm bullierint, ſublato ab igne lebete, tuſæ & cribratæ ſpecies addantur. Poſtremò Moſchus cum exiguo ſtillatitio Roſarum liquore inſeratur; rurſus hæc probè ſubacta, in vaſculum ad uſum recondantur.

ANalepticum eſt Medicamentum, conſumptos & emaciatos reficiens, ſemen augens, & venerem concitans deſuetam, contra renum & veſicæ imbecillitatem valet, remorantem urinam propellit, & frigidam ac velut emortuam genitalium partium intemperiem erigit.

NOta, Satyrii & Secacul ſeu Siſeris radices melle, aut Saccharo conditas, ad hujus compoſitionis ſtructuram aſſervari poſſe, tamdiu donec Paſtinacæ ſativæ ad maturitatem pervenerint; unde mellis libræ tres ſufficere poterunt, cum aliàs triplum mellis conſtituat libras tres, uncias tres, drachmam unam ſemis.

ANIMADVERSIONES.

PRo confectione hujus *Electuarii*, conſuli poſſunt animadverſiones in *Diacorum Meſuæ, & Acorum conditum vulgarem*, quæ hujus *laudatæ confectionis* veram indigitabunt præparationem, quatenùs nimirùm *radices* in *aqua* ad mollitiem competentem coqui, poſtea craſſiuſculè conſcindi, *aqua* verò, in qua *radices* coctæ ſunt, cum *melle* inſpiſſari debeat: Quin etiam *nuces Indicæ conditæ, Pineæ & Piſtachiæ*

stachia crassiusculè conscindendæ, non verò contundendæ sunt: Similiter etiam *Caryophylli & Zingiber* conscindantur, reliquæ *species pulverisata* addantur. *Moschus* autem in particula *vini* vel *aqua Rosarum* dissolutus admisceri potest; & sic ritè paratum erit *Electuarium*.

Electuarium Magnanimitatis.

℞. Electuarii Diasatyrionis unciam unam semis,
Diacori Mesuæ drachm. tres,
Nucis Indicæ conditæ,
Radicis Satyrionis conditæ,
Spec. Diatrion pipereon,
Confectionis Anacardinæ ana drachmas duas,
Pistachiorum mundatorum,
Pinearum mundatarum ana unciam semis,
Sem. Erucæ,
Urticæ,
Pastinacæ ana drachm. semis,
Priapi Tauri,
Cervi,
Testiculorum Equi ana drachm. unam semis,
Carnis Scincorum drachmas duas,
Cardamomi minoris,
Boracis Venetæ ana drachm. semis,
Cantharidum ablatis alis & capitibus numero duodecim,
Moschi grana quinque,
Ambræ grana tria.
Cum brodio nucis Moschatæ Indicæ, fiat Electuarium.

ANIMADVERSIONES.

EQuidem non diffiteor, hoc *Electuarium* juxta normam ab Authore præscriptam confici posse, consultiùs tamen fore arbitror, propter diversa *composita*, ex quibus illud conflatum est, quæque forsitan non semper in procinctu esse possunt, ut *Diasatyrio* præcedenti, nonnullæ *species*, ex hoc *Electuario* excerptæ, pro lubitu adderentur, quod tandem vices hujus *Electuarii* supplere, & majori cum fructu etiam in usum trahi posset. Atque ita Officinæ pharmaceuticæ, tot tantisque non scaterent vetustate consumptis compositis, & medicamenta quoque haberemus efficaciora.

Diascordium Hieronymi Fracastorii.

℞. Cinamomi,
Cassiæ ligneæ ana unciam semis,
Scordii veri unciam unam,
Dictamni Cretici,
Tormentillæ,
Bistortæ,
Galbani,
Gummi Arabici ana drach. quatuor,
Opii drachmam unam semis,
Styracis Calamitæ drachmas quatuor semis,
Sem. Acetosæ drachm. unam semis,
Gentianæ drachmas quatuor,
Boli Armenæ unciam unam semis,
Terræ Lemniæ unciam semis,
Piperis longi,
Zingiberis ana drachm. duas,
Mellis albi libras duas semis,
Conservæ Rosarum libram unam,
Vini Aromatici libram semis.
Fiat Electuarium.

ID in usu esse cœpit apud nostros: eo enim feliciter utuntur in iis, in quibus Theriaca locum non habet, ut pueris & gravidis, in cephalalgiâ etiam epidemicâ jam aliquot annis grassante, cum aquâ Oxalidis aut Trifolii Acetosi feliciter exhibetur. Describitur ab Hieronymo Fracastorio de Contag. & morbis contagiosis lib. 3. cap. 7. & in peste correptis ac extreme desperatis commendat hoc modo:

Succi Lujulæ uncias duas,
Citri unciam unam,
Diascordii drachm. unam,
Specierum Cord. è Gemmis scrupulos duos,
Aceti unciam unam.
Omnia misceto, & totum haurito.

ANIMADVERSIONES.

HUjus *Electuarii* (quod ob eximias & excellentes suas, quibus contra morborum contagio serpentium omne genus pollet virtutes, meritò encomiis ornandum esset) dextra & genuina præparatio, ex *animadversionibus nostris super confectionem Archigenis* optimè elucescit. *Conserva Rosarum* verò, si qua *Electuarium* hoc potiunculis commisceri deberet, haud benè additur; proindè præstaret, ut dicta *conserva* affusâ particulâ *vini* dilueretur, factâque expressione hic *Syrupus Rosarum Electuario* adderetur.

Tryphera Magna Nicolai.

℞. Opii drachmas duas,
Cinamomi,
Caryophyllorum,
Galangæ,
Spicæ Indicæ,
Zedoariæ,
Zingiberis,
Costi,
Styracis Calamitæ,
Cyperi,
Calami Aromatici,
Rad. Iridis Illyricæ,
Peucedani,
Acori, aut Galangæ majoris,
Cort. Mandragoræ,
Rosarum rubearum,
Nardi Celticæ,
Piperis,
Anisi,
Apii,
Petroselini,
Fœniculi,
Dauci,
Sinoni,
Hyoscyami,
Hyssopi,
Sem. Ocymi ana drachmam unam.
Mellis despumati triplum, seu uncias decem semis.

DIcuntur hæ compositiones Tryphera, quasi delicata, eò, quòd totius corporis colorem ac oris odorem commendent, & delicatam quandam commendabilis speciei ostentationem præ se ferant. Putredines enim humorum emendant, genuinam corporis succulentiam restituunt, formæ corruptæ vitium redimunt, ac ut cætera cosmeticæ ad ornatum plurimùm faciunt. Hæc porrò ad omnia muliebria vitia à frigiditate nata, privatim efficax est; injicitur etiam utero cum oleo Moschato seu Muscellino dicto.

Tryphera Minor Phænonis Mesuæ.

℞. Myrobal. Chebulorum,
Belliricorum,
Indorum,
Emblicorum,
Nucis Moschatæ ana drachmas quinque,
Sem. Nasturtii,
Asari,
Origani Persici, seu Cretici,
Piperis,
Thuris,
Ammeos,
Zingiberis,
Fructuum aut foliorum Tamarisci,
Nardi Indicæ,
Schœnanthi,
Cyperi ana drachmas quatuor,
Scoriæ Ferri, aut Chalybis quinque diebus aceto macerat. drachmas viginti,
Myrobalani cum Butyro recente non salito modicùm assentur, reliqua oleo Amygdalarum dulcium involvantur: deinde adde
Moschi drachmam unam,
Mellis despumati triplum, id est, libras duas, uncias novem, drachm. sex.
Fiat Electuarium.

VEntriculum, hepar, renes, vesicam roborat, ob id fluorem alvi, hæmorrhoidum & mensium immodicum cohibet, sanguinis corruptionem, nec non cruditates, ac in ventriculo putredines humorum emendat, colorem bonum reddit, & formæ vitium redimit.

Try-

Tryphera Sarracenica Mesuæ.

℞. Quinque generum Myrobalan. ana drachmas quinque,
Cinamomi,
Trium piperum,
Secacul, vel Eryngii,
Folii, seu Macis,
Spicæ Indicæ,
Cardamomi utriusque,
Cassiæ ligneæ,
Seitaragiæ Indi, vel Lepidii,
Cyperi,
Apii,
Linguæ avis, seu sem. Fraxini,
Caryophyllorum,
Beën utriusque,
Zingiberis ana drachmas duas,
Nucis Moschatæ,
Macis,
Sesami ex cort. ana drachmas tres,
Amygdalarum utrarumque ana drach. quinque,
Ligni Aloës,
Rhabarbari,
Rutæ,
Sem. Fœniculi,
Masticbes ana drachmas duas,
Ocymi Caryophyllati,
Menthæ siccæ,
Origani Cretici ana drachmam semis.

Fricentur Myrobalani triti cum Butyro vaccino recente non salito; aliæ verò species oleo Amygdalarum ducium, & cum triplo mellis despumati fiat Electuarium.

Coctionem ventriculi & hepatis suo calore juvat, ob id flatus dissipat, humores in ventriculo & aliis visceribus putres absumit, oris ac corporis reliqui odorem & colorem commendat, lassitudinem tollit, sanitatem præsentem tuetur, ac morborum generationem prohibet.

ANIMADVERSIONES

In Trypheram magnam Nicolai, Minorem Phanonis, & Sarracenicam Mesuæ.

Enumeratæ *Tryphera* omnes (quarum prima tamen præ cæteris nobis nonnihil arridet,) simpliciter confici possunt: Solummodò haud benè & ridiculosè, *frictionem illam, nec non assationem & involutionem Myrobalanorum cum butyro* & reliquorum ingredientium cum *oleo Amygdalarum dulcium*, præcipiunt, non secus ac si in culina ferculum cum *butyro*, *melle*, & *oleo Amygdalarum* parari deberet, quod calidum adhuc sapidius sanè esset, quàm frigidum, loco medicamenti assumptum, & ad tempus asservatum. Cæterùm in *prima Tryphera* præparetur, solvatur & coletur *Opium*, priusquam reliquis commisceatur speciebus.

Electuarium vitæ Arnoldi de Villa Nova.

℞. Uvarum passarum libram unam,
Glycyrrhizæ rasæ drachm. quatuor,
Aquæ fontis uncias quindecim, aut quantum satis.

Coquantur benè, & exprimantur, quibus adde

Cort. Myrobal. Chebulorum,
Citrinorum,
Indorum ana unciam unam,
Emblicorum,
Belliricorum ana drach. unam.

Omnia contusa decoquantur, exprimantur & colentur, addendo

Sacchari libram semis,
Coquantur ad formam Syrupi,
Ultimò adde
Cinamomi electi,
Caryophillorum,
Galangæ,
Nucis Moschatæ ana drachm. unam,
Sem. Anisi,
Fœniculi ana unciam semis.

Misceantur, ut est artis.

Ventriculum roborat, superfluitates humorum ex nutrimento præterito remanentes purgat. Usus ejus facit homines coloratos, & caniciem retardat. Describitur ab Arnoldo in Tractatu de conservandâ juventute, & retardandâ senectute fol. 89. hodie non est in usu. Olim eo frequenter utebantur

Paulus Ricius, & Ambrosius Iung senior, Medici celebres, qui decoctioni Myrobalanorum addebant flor. Violarum, Borraginis, Buglossi, Anthos ana scrupulos duos, folliculorum Senæ unciam semis, & in fine Rhabarbari unciam unam, Agarici unciam mediam, & sic nonnihil alvum movebant.

ANIMADVERSIONES.

IN coctione *Passularum majorum*, *primò*, major requiritur *aquæ* quantitas, ut coquendo virtus ipsarum perfectè elici & extrahi possit; *Secundò*, *Saccharum cum decocto* ad crassiorem *Syrupi* consistentiam coqui debet, si *Electuarii* consistentia expetatur: Quoad reliqua, fiat præparatio juxta modum præscriptum.

Sotirella Parva.

℞. Olei nucis Moschatæ expressi drachm. unam,
Opii Thebaici,
Specier. Diambræ ana drachm. semis,
Camphoræ,
Extracti Croci ana grana sex,
Ol. Caryophyllorum destil. q. s.
Redigantur in formam Opiatæ spissioris.

CAvernis dentium indita dolores eorundem sopit ac placat, ad quorum auxilium præcipuè expetitur, Raymundo Minderero Collegæ nostro quondam honoratissimo. p. m. adscripta.

ANIMADVERSIONES.

SI *Opium præparatum & purificatum* huic *Sotirellæ* additum esset, posset illa supplere vices *Laudani Opiati*; Si verò *Sotirella hæc* doloribus dentium duntaxat dicata sit, ut eorum cavernis indatur, parari potest prout Author proposuit. *Camphora* autem in *oleo Caryophyllorum* dissolvenda & admiscenda est.

Condita.

Arantia integra,
Cortices,
Flores,
Berberes cum stipitibus,
sine stipitibus,
Calamus Aromaticus,
Caryophylli,
Cerasa acida,
Citri caro,
Cortices,
Flores,
Cichorii radices,
Corna,
Cydonia,
Enula,
Eryngium,
Galanga,
Lactuca Hispanica,
Limones,
Mespila,
Myrobalani Chebuli,
Nuces Juglandes,
Moschatæ communes,
Moschatæ Lusitanæ majores,
Persica,
Pimpinella,
Piper in racemis,
Pyra Moschatella,
Pruna hortensia,
Sylvestria,
Ribes,
Salvia baccifera,
Satyrionis radices,
Scorzonera,
Zedoaria,
Zingiber Chinense,
Indicum,
Vulgare.

Omnia diligenter Saccharo clarificato condiantur, ut est artis.

ANIMADVERSIONES.

QUamvis peritiores Pharmacopœi *condita* perpulchrè conficere sciant, unicum tamen admonere libet, ut ubi *radices*, *caules*, *fructus*, & *cortices* nonnulli condiendi sunt, id studiosè observent, ne *aquam*, *in qua res enumeratæ decoquuntur aut emolliuntur*, abjiciant, prout ferè semper fieri solet; sed cum *hâc ipsâ aquâ*, utpotè in qua maxima virtus rerum

rerum in ea maceratarum aut decoctarum recondita est, *Saccharum*, quo *radices* & *fructus* condiendi sunt, dissolvant & percoquant, ut sic *radicibus* vel *fructibus* virtus, quæ ex ipsis elicita est, denuò reddatur & incorporetur: Nisi enim hoc fiat, *condita* sanè habebimus potioribus suis virtutibus viduata, quod ipsum in decoctionibus *Cydoniorum*, *Enulæ radicum*, *Pyrorum Moschatellinorum*, aliorumque manifestè videre est. Nec me latet etiam, quòd nonnulli *fructus & flores condiendos* statim cum *Saccharo* coquant, & cum eodem unà operâ emolliant & condiant, similiter etiam quasdam *radices* recentes. Qui ipse modus præ cæteris apprimè mihi arridet, quem proindè Pharmacopœis eorumque ministris, qui hunc modum ignorant, studiosè commendatum volo.

Conservæ.

Absinthii Romani,
Acaciarum florum,
Acetosæ,
Acetosellæ,
Acori vulgaris,
Anthos,
Balaustiorum,
Betonicæ,
Borraginis,
Buglossi,
Calendulæ,
Cichorii,
Citrariæ,
Citri ex pulpa acida,
Cochleariæ,
Euphrasiæ,
Fumariæ,
Genistæ,
Hyssopi,
Lavendulæ,
Lilior. Convallium,
Majoranæ,
Malvæ,
Menthæ rubræ,
Nymphææ albæ,
Papaveris erratici,
Paralyseos,
Pæoniæ,
Rosarum albarum,
Damascenarum,
Rubearum simplex,
Vitriolata,
Rorismarini,
Rutæ,
Salviæ,
Sambuci,
Scabiosæ,
Tiliæ,
Tunicæ,
Tussilaginis,
Violarum.

Flores minutissimè incidantur, & singulis libris florum addantur Sacchari albissimi libræ duæ, iis scilicet qui humidi ac mucilaginosi fuerint, ut Borraginis, Buglossi, & similium. Siccioribus verò, quales sunt Rorismarini, Lavendulæ, Majoranæ, Melissæ, & similibus addantur Sacchari albissimi libræ duæ semis, affusâ aliquantulùm aquâ stillatitiâ, ut commodiùs pistillo permisceri possint. Deinde Soli exponantur in benè obturato vase, & interdum agitentur.

Fiunt etiam quandoque perfectè cocto Julepo, atque in eum injectâ tertiâ, aut quartâ parte florum tritorum, aut minutim concisorum, deinde insolantur.

Conserva Hederæ Terrestris composita.

℞. Folior. Hederæ terrestris,
Rutæ ana unc. unam semis,
Raphani unciam unam,
Rad. Angelicæ,
Levistici ana drachmas sex,
Sacchari albi libram unam, uncias quatuor semis.

Ex incisis & contusis fiat Conserva, quæ si aridior evaserit succo aut Citri Limonum adjecto q. s. redigatur ad debitam consistentiam.

Creberrimi in peste usus est: mira enim in eliciendo sudore præstat, quâ olim felicissimo successu Clarissimus Vir D. D. Leonardus Rawolff, Reipub. quondam nostræ Medicus eximius infectionis tempore utebatur.

ANIMADVERSIONES

In Conservas, & Conservam Hederæ Terrestris compositam.

DE *Conservis* licet multa afferre possem, quo modo nimirùm *flores integri* perquàm pulchrè *Sacchro* condiri, & quâ ratione *conservæ* parari queant, ut in suo colore persistant: Item an *flores* contundendi vel conscindendi sint, an etiam *Saccharum pulverisatum, an verò dissolutum, iterumque ad pristinam suam consistentiam coctum*, addendum sit; ast cum levia hæc sint, & plurimis Pharmacopœis optimè nota, brevitatis causâ illis supersedeo.

In *conserva Hederæ terrestris compositâ* observandum, quòd *radices* in subtilissimas & tenuissimas taleolas priùs conscindendæ sint, antequam pistentur; secùs enim subtilem *conservam* non effeceris, sed capillamentis refertam, quamdiu etiam quantumque eas contuderis.

Diacydonites simplex.

℞. Pulpæ Cydoniorum vapore aquæ dulcis ad spissitudinem coctorum,
Sacchari albissimi despumati & ad spissitudinem justam cocti ana lib. octo.

Coquantur denuò, ut est artis, ad justam consistentiam, ut possint recondi ad scatulas. Vel fiant in forma Electuarii spissi.

QUidam octo libris pulpæ Cydoniorum addunt sex libras Sacchari clarificati.

E*Odem modo fiunt alia Electuaria ex Prunis, Pyris, Pomis, Persicis, Cerasis, Ribibus, Berberib. &c.*

Diacydonites Aromatisatum.

℞. Diacydonii simplicis ad justam consistentiam cocti libram unam,
Specierum Imperatoris sine Moscho incisarum unciam semis,
Seminis Coriandri præparati drachm. unam,
Flavedinis corticis Citri recentis minutim incisi drachmas quinque.

Misceantur & fundantur in scatulas.

Diacydonites laxativum vide in classe Solutivorum solidorum.

Varias ac diversas Diacydonii parandi formas ac modos hominum industria reperit: id enim modò Eclegmatis, modò Conservæ, tum verò Gelatinæ, imò & solidæ Pastæ formâ parari à plerisque solet. Flavum enim ex succo Cydoniorum cum æquali portione Sacchari additâ sub finem seminum ejusdem mucilagine componitur: Rubeum ex ipsa Cydoniorum carne in lentorem discocta, ac succo eorundem artificiosâ cocturâ consistit: Album Hispanis frequens & Cydoniis ab exteriori cortice mundatis, & ad teneritudinem coctis, abjectis post cocturam seminibus, & additâ pari Sacchari albissimi portione ad justam Diacydonii consistentiam excoquitur.

ANIMADVERSIONES.

In Diacydonites simplex, & Aromatisatum.

PArari possunt juxta modos præscriptos; Caveant autem Pharmacopœi, ne *aquam, in qua Cydonia cocta sunt*, effundant, nec diu multumque in vasis æneis eadem coquant, à quibus nempè nauseosam ac insaluberrimam amaritudinem contrahunt.

Gelatinæ Cydoniorum variis ac elegantissimis coloribus imbui possunt; ut in vitris, scatulis, ac solidâ etiam formâ asservari queant, pro delicatulis & ditioribus mulierculis utplurimùm accommodatæ; Quæ tamen, cùm non tam Pharmacopœis quàm confectariis competant, multus de iis esse nolo, quin classi huic extremam manum imponam.

IN ANTIDOTORUM CLASSEM APPENDIX.

DE SALIBUS THERIACALIBUS.

CORONIDIS loco huic Antidotorum Classi jungendam esse censuimus salium Theriacalium mentionem, meritò memorandam; quorum usum priscis quidem familiarem, sed temporum diluvio nonnihil obliteratum, moderna rursus secula protulerunt, cùm qui de novis inventis solliciti alia rimabantur, antiqua hæc interim vel neglexerint, vel spreverint, vel penitùs ignorârint.

Suspicimus ea, quæ vel crudum vulgus, ex priscorum Medicorum penu, ac arcanorum adytis surripuit, quando complures etiam Mechanicos, sales hos Viperinos, contra omnis generis venena eorundemque noxas suam vitam tutaturos, ac longitudinem vitæ præ se ferentes, vel ad eam aspirantes parare cognoscimus, ac observamus, ut eorum adminiculo, omnem quorumcunque venenorum malitiam ac nocendi vim spernere sint ausi, eâ sanè experimenti fide, ut mirum sit, rudia ingenia eò scientiæ penetrasse, ut apud summum venenum, maximam quandoque medicinam latere deprehenderint. Hinc etiam pueruli serpentes innoxiè hoc prius assumpto pulvere tractant, ac quasi colludentes, belluas illas veneficas circumferunt, quas alioquin attingere, vix cuiquam sine mortis periculo concessum fuerat.

Stupendum sanè prout etiam Baldus Angelus Eugubinus in libro de admirabili viperæ natura monet, quod cùm serpentis astu mors mundum intraverit, ex ejus carne tale medicamentum parari queat, quod à venenis gravissimis, morbisque compluribus, imò verò malignis ac contagiosis corpus non modò præservare, verùm etiam liberare valeat.

Longè porrò ante Theriacæ inventionem, cujus auctor Andromachus extitit, Viperarum usus in Medicina celebris erat, ut ex Dioscoride, qui circa Mithridatis tempora fermè vixit, colligere licet, is enim lib. 2. cap. 16. easdem excoriandas, capite & caudâ truncandas, reliquam verò earum carnem dissectam in oleo & vino addito sale & Anetho coquendam esse docet, quam carnem sic præparatam ad roborandos nervos, visum acuendum, scrophulas inhibendas, ac vitæ diuturnitatem præstandam commodè manducari docuit, quo in loco etiam salis Viperini parandi modum exponit.

Erat autem hæc salium Theriacalium præparandorum ratio apud antiquos. Accipiebant enim quatuor Viperas recens captas, nec ultra biduum detentas, has ollæ mundæ ex optima terra effictæ imponebant, super has salis Ammoniaci aut vulgaris albissimi libras viginti injiciebant: Deinde verò addebant his Trochiscos ex Gentiana, Aristolochia rotunda, Centaurio minore, Cardamomo, Marrubio, Scordio, Apio, Chamædrii ac semine Rutæ domesticæ cum melle paratos. His insuper jungebant quinque prægrandes Scillas recentes in minuta frusta dissectas, salis rursus viginti libras superadjicientes. Quo facto, ollam operculo spiraculis seu foraminibus perviam tegebant, commissuras vasis luto quàm optimè obfirmantes & succenso igne materiam omnem primò lensim, tùm potentiùs exurentes; primus enim fumus per operculi spiracula exiens ignem jam Viperas invasisse denotabat, à cujus halitu ne interficerentur, studiosè cavebant, perfectam verò ustionem clara ac lucida flamma per spiracula prodiens indica-

 bat.

bat. Hoc peracto, igneque paulatim extincto, vas id testaceum Viperas unà cum reliquis jam dictis continens, viginti quatuor horarum spatio refrigerari permittebant, tùm verò materiam in eo contentam, tenuissimè tritam cribro transmittebant, addendo ei denuò semen Rutæ, grana Juniperi, semen Fœniculi, Coriandrum, Mentham & Piper longum, ac alia simplicia, quæ alioquin ad Theriacæ compositionem requiruntur. Is erat Sal. Theriacalis antiquorum, prout videre est apud Galenum lib. de Theriaca ad Pisonem, & Aëtium Tetrab. 4. Serm. 1. cap. 97. nec non Dioscoridem loco supra citato, licet inter veteres aliis alii ejusmodi sales parandi modi ex usu fuerint.

Moderna verò tempora, quorum labore vel industriâ veterum adinventa nonnihil perpolita subsistunt, Colubrinos hos seu Viperinos sales, aliter & magis dextrè conficere didicerunt, quâ in re summum ejus rei culmen attigisse meritò sunt existimanda, licet apud plebeios etiam crudus Viperas urendi mos adhuc magna cum effectus admiratione persistat. Videndus de his Galenus ipse, qui meliorem salium horum præparandorum usum suâ ætate introducere studuit, tùm verò Oswaldus Crollius, præcipuè verò Josephus Quercetanus in Pharmacopœia Dogmat. Rest. qui tres Viperarum confectiones Theriacales doctissimè ac magno ingenio conditas astruxit, quarum primam *Confectionem Viperinam Aromaticam*. Secundam *Confectionem Viperinam Saccharinam*. Tertiam *Confectionem Viperinam Iuniperinam* indigitavit.

De salibus porrò viperinis hoc scriptum prodidit Aëtius, loco priùs citato, inquiens:

Plerisque ex eorum usu sudor prolicitur, atque ita per exudationem corrupta substantia vacuatur, adeò ut quidam in principio pediculos excluserint intra quatuordecim ad summum dies post hos enim nullus in corpore pediculus apparet. Quidam verò pro pediculis sputa pituitosa rejectant, à salium rejectione initium facientes, deinde paulò pòst etiam sputa repurgata sistuntur.

Confirmat hæc Galeni sententia lib. de Theriaca ad Pisonen, ubi sic ait: *Peculiariter autem & sales medentur affectionibus, maximè summâ in cute obortis, leucis dico, lepris, impetigini agresti; nam superfluitates cuti subditas acresque potissimùm discutiunt. Plurimi igitur ipsos manducantes sudoribus largiter diffluunt, ac corruptam vacuant substantiam, ut pedunculos quoque vocatos quosdam ejiciant, ex corruptione propriè nascentes, quos ideò ni fallor, Græci phthiritas appellant. Dentes optimè abstergunt, & flaccidas partes densant, fluorem ipsis illabentem reprimunt, à putrilagine dentes reservant & erodi ipsos non sinunt.* Hæc Galenus.

Ulterius autem in viperinorum salium laude sic pergit Aëtius:

Licet autem tùm in prandio, tùm in cœna iis uti, cum quibuscunque eduliis eos accipere velis.

Qui eos accipiunt, non modò cibi appetentiores fiunt, sed etiam melius concoquunt; ac floridius corpus habent, sensuumque omnium vigore gaudent.

Suffusiones oculorum nondum penitùs congelatas dissolvunt, ac nondum natas præcavent.

Purgationes suppressas cient, largasque restringunt.

Præsumpti virus jaculantium bestiarum insidias evincunt.

Præstiterit etiam pestilenti constitutione instante ad auxiliare hoc & depulsorium pharmacum confugere, præsertim si ei Myricæ herbam miscueris.

Morborum præterea omnium Medici sales existunt, maximè tamen eorum qui in renibus existunt; lapides enim atterunt.

Vertigini, inveterato capitis dolori, ac morbo comitiali, diuturno usu medentur.

Arquatis, colicis, hydropicis ac caninâ fame laborantibus subveniunt, ac contra frigus aëris extraneum comesti faciunt.

Rigores circuitu repetentes cohibent, & tusses humectas resiccant.

Tabidos ad bonum corporis habitum reducunt.

Exolutos à languore reviviscere faciunt.

Membris exolutos sanant, & ad podagram articularesque affectus constructi videntur.

Atque hæc ex mente Aëtii.

ANIM-

ANIMADVERSIONES.

DE natura *Viperarum & Serpentum*, eorundem veneno & venenositate, meam superiùs in *animadversionibus classis duodecimæ*, *super* Trochiscos *de Viperis* sententiam, rationibus & experientiâ confirmatam aperui & declaravi; Reliquum adhuc est pariter disquisitione dignum, (quod in hac appendice affirmatur,) *An illi, qui pulverem vel Serpentum vel Viperarum semel atque iterùm assumpsère, à morsibus Serpentum & Viperarum inposterum immunes sint, ut tutò eas manibus tractare queant, & si fors ab ipsis demorsi fuerint, nullam exindè noxam persentiscant, morsumque illum absque vitæ periculo ferre possint?* In quo arduo quæsito non est, ut sententiam nostram decretoriam præcipitemus, quin ipsum diligenter nobiscum expendamus, antequam ita temerariè καθόλε affirmativam tueamur, ne hâc ita simpliciter positâ seducti plurimi in præsentaneum vitæ periculum conjiciantur.

Præprimis autem experientiâ confirmatum non est, quòd si quis *Serpentum* (de *Viperis* idem judicium) *pulverem* semel atque iterum assumpserit, deinceps *Serpentum Viperarumvè morsus* superciliosè ridere ac spernere habeat, cùm non semel compertum sit, quòd, qui tali prophylactico usi, nihilominùs, ubi à *Viperis ac Serpentibus ad iram provocatis*, & *in fermento existentibus*, in loco quodam nervoso & aliquantò profundiùs demorsi fuerint, subsequutis illicò atrocissimis convulsionibus, dirisque aliis symptomatibus, inter miserabiles ejulatus & mœstissima suspiria, acerbissimo sanè spectaculo vitam finiverint. Addo, quòd assertio hujus quæstionis prorsùs invalido nitatur tibicine; etenim si κατὰ παντὸς verum esset, quòd, qui *pulvere Viperarum* usi sint, promiscuè à morsu earundem internecino nihil sibi metuendum habeant, sequeretur etiam, quòd nec *Viperæ à Vipera*, nec *homini ab homine*, aliisque animantibus ejusdem generis ab invicem demorsis ullum immineret periculum; cum *Vipera demorsa* tota ex materia *pulveris viperini* constet, adeoque symbolici veneni activitatem respuere deberet; *Homo* itidem ab alio *homine* irato, dentibus sauciatus simili quâ ille, qui morsum inflixit, gaudeat substantiâ, de aliis animantibus brutis, ob dictam rationem, eadem foret ratio: Sed consequens est falsum; Ergò & antecedens. Etenim tot ocularibus testimoniis confirmatum est, quòd *Vipera à Vipera* atrociter demorsa, vitam cum morte commutaverit; *hominem* similiter ab *homine iracundiæ æstro percito*, morsu graviter sauciatum, in vitæ discrimen præcipitari, non paucæ plurium Experientissimorum Virorum observationes testantur, nec leve quoque in brutorum & ferarum genere, alteri ab alterius morsu impendere periculum, quis est, qui ignorat? Hinc adeò fit, ut *homines à Viperis sauciati* in Italia, non sanè usu solius *pulveris aut carnis Viperarum* liberentur, sed diversis remediorum materiis, *citissimis* scilicet *ligaturis*, *sacrificationibus*, *cauterisationibus*, *attrahentibus*, *extrahentibus*, *expellentibus internè datis cordialibus & Alexipharmacis vel Bezoardicis*; Nunquam autem *solo pulvere Viperarum*, quo aliàs προφυλάξεως ἕνεκα adeò confidenter nonnulli utuntur, feliciter curam peractam esse vidi. Quòd autem nonnulli *Serpentum omne genus*, *Viperas*, *imò Aspides ipsas* sine periculo pro libitu & lubitu tractent, licet *pulvere Serpentum* nullo usi sint, id duplicem ob causam fieri autumo, cùm ob *peculiarem quandam dotem & proprietatem* huic vel illi, aut quandoque integris quibusdam familiis à Natura implantatam & concessam, tùm ob *singularem nonnullorum audaciam* insigni dexteritati eos tractandi junctam; Enimverò quòd hæc ita se habeant, quodque huic vel illi, aut quandoque *integris familiis determinata quædam proprietas*, *certis quibusdam venenis adversa* implantata sit, Authorum, qui de venenis scripsère, experientiâ constat: Cujus rei etiam ipse, tùm in Germania, tùm Italia, multoties spectator fui, dum à quibusdam *Araneas* avidè deglutitas esse vivas, *Scorpiones* nudis esse tractatos manibus, *Serpentes Viperasque* pro libitu exagitatas, hisce meis oculis viderim. Hoc ampliùs memorabilem & notatu dignam historiam quondam ab *Excellentissimo illo ac Celeberrimo Anatomico Patavino, Io-*

hanne Vestingio (cujus nomen nunc in benedictione est) fando percepi, quam ille ipse, uti mihi retulit, oculis suis usurpavit Alexandriæ Ægyptiorum, ubi sponte sese obtulit quidam Mahometanus, Vir insignis authoritatis, qui summoperè gloriatus est de *singulari hâc dote & gratiâ divinâ*, sibi totique suæ familiæ à Mahometa Propheta concessâ, quòd nimirùm ab omnium *venenatorum animalium*, ipsarum etiam *Aspidum*, omnium sui generis *Serpentum*, *Africanis*, illis locis familiarium maximè lethiferorum, morsibus liberi ac immunes essent, ipsorumque venena omnimodè sperne-rent, cujus rei admirandæ experiundi exemplum fecit, & effectu ipso ejus veritatem in gratiam Illustrissimi Legati Veneti, qui tùm præsens fuit, comprobavit & stabilivit. Actu tùm enim *Aspidem* obviam illis venientem nudis manibus apprehensam, satis diu ad libitum tractavit, tandem caput ori suo immissum demordit, idemque exspuitione unà cum sanguine rejecit, insigni cum admiratione Legati omniumque adstantium. Huic proprietati singulari parùm absimilis est *audacia & dexteritas Serpentes* tractandi, nonnullis connatitia, & quicunque hujus audaciæ est, ut *Serpentes* summa cum alacritate in collo vel capite priùs arripere ausit, eosque ita tractare novit, ut in prima invasione ipsum non mordeant, is sanè postea ad lubitum cum ipsis ludere potest, (modò caveat ne nimis ipsos comprimat, aut alio quovis modo ad iram provocet,) sine ulla læsione aut periculo, licet vel nunquam *pulverem Viperarum vel Serpentum* degustaverit; quin etiam *Viperas* ipsas multoties à quibusdam tali modo tractari vidi. Indidit etiam provida Natura serpentibus metum quendam & timorem versus homines, qui illos intrepidè persequuntur: Fatentur enim omnes, quicunque huic negotio se dedêre (cujus etiam ipsius penes me experiundi exemplum habeo,) quòd Serpentes ipsos etiam nondum visos, tantoperè reformident, ac tam celeri gressu fugiant, ut vix eos cursu assequi vel manibus ad ipsos pertingere possint. Contrarium autem evenit, si homines pavidi & meticulosi Serpentibus obviam veniant; hos enim illi intestino odio concitati adoriuntur, ac ubi possunt, damnum inferunt. Qui ipse pavor hominum sive timor, venenum istorum animalium morsu receptum multum exaggerare, & per totum corpus dispergere ac consequenter etiam repentinam mortem inducere potest, quod ipsum venenum de sua natura alioquin tantoperè lethale non esset, planè simili modo ac in peste fieri assolet, ubi timidi in majori versantur periculo, quàm qui impavido animo gaudent. Nec planè etiam pro commento habeo historias, quòd quidam, qui inscii loco Anguillarum Serpentes comederint, (prout etiam non modo sine noxa, imò cum insigni fructu in diversis morborum generibus fieri posset,) diu post, ubi hujus rei certiores facti sunt, metu perculsi exanimati fuerint: Hinc etiam facilè concesserim, quòd illi, qui *pulverem Viperarum vel Serpentum* assumpserint, & audaciam ac fiduciam validam exindè contraxerint, deinceps in similibus læsionibus tantoperè de vita non periclitentur; etenim levi pendent malum, adeoque leviter saltem (attamen cæteris paribus) ab eodem afficiuntur.

His præmissis nos convertimus ad examinandum *salem Theriacalem antiquorum*, cujus præparatio tam infantilis ac absurda est, ut nullibi veterum simplicitas dilucidiùs atque in illo appareat. Et licet in primo errore, quem in *combustione Viperarum* committunt, connivendum esset, cùm forsitan eo tempore artificiosiores destillationes (quibus perfecta rerum analysis institui potest,) illis nondum innotuerint, consequenter etiam nec scire potuerint, quòd *animalia sale duntaxat gaudeant volatili*, & ferè nil præter *solam terram mortuam, omni virtute medicâ exutam* in violenta calcinatione post se relinquant, ex qua *terra mortua* licet exilis portio *salis fixi* (forsitan ex *mille Viperis vix uncia una*) elici posset, id tamen tanti precii non est, quin potiùs vires alterius cujusdam *salis fixi* æmuletur; atque ita tota animalium virtus & efficacia in meris volatilibus, *sale, spiritu & oleo*, quæ ignis violentiâ & levi saltem calcinatione totaliter in auras pelluntur, consistat, remanente *terrâ mortuâ*, vel *ossibus salinis partibus spoliatis*: Hinc & testæ probatoriæ sive capellæ, super quas metalla fixiora purificantur, ex *ossibus calcina-*

tis, utpotè quòd salsedinem nullam contineant, quæ huic operi refragari aut impedimento esse possit, & ex *cineribus crebris lotionibus itidem à salsedine sua omnimodè liberatis*, construantur. Reliqua autem plurima absurda silentii sipario nullatenus involvenda minimeque conticenda sunt: Posito enim, quòd *Viperæ* post calcinationem violentam, *salem* præberent *fixum*; quid autem hæ quatuor *Viperæ* inter tam multa, *salis* nimirùm *vulgaris quadraginta libras*, & *tot simplicium*, *juxta præscriptum modum calcinatorum cineres vel potiùs carbones*, præsertim si adhuc *reliqua simplicia contusa* superaddantur, efficere aut præstare valerent? Porrò tradunt, quòd aliquando etiam *salem Armoniacum loco salis communis* in pari quantitate *Viperis* superaddiderint, re profectò, ut video, ne tantillum intellectâ: Etenim ubi *salem communem* addiderunt, totus ille à calcinatione remansit, quia *sal communis* fixus est; si verò huic *sal Armoniacum* substituêre, totus is in auras pulsus est, & sic nec de *Viperis*, nec de *suo addito sale Armoniaco* quicquam illis remansit, nisi *ossa mortua*, & *cineres vel potiùs carbones ex adjectis herbis*. Præterea omnium maxime mirari subit, quòd etiam *Trochiscos ex adjectis speciebus nonnullis* confecerint, priùs quam illas combustioni vel calcinationi destinarunt, haud secùs, ac si *simplicia his Trochiscis destinata*, comburi non potuerint, nisi priùs ex ipsis contusis *cum melle Trochisci* efformati fuerint. His pariter nullâ ratione suffulti *quinque Scillas prægrandes recentes in minuta frusta dissectas* junxêre, cùm tota *Scilla* ex aquosa & volatiliori substantia constet, undè exiguam terrestreitatem post sui calcinationem relinquit, prout quoque jam ante *in animadversionibus Trochiscorum de Scilla* innuimus & experientiâ demonstravimus.

Hâc calcinatione demùm mirum in modum & perquam ineptè peractâ, non *cineres*, postquam ollam aperuerunt, sed *integros carbones* ex adjectis *herbis & Trochiscis*, *ac ossa ex Viperis nigerrima* adepti sunt: Verùm *carbones sali permixtos* exhibuisse ægris, id equidem insulsum planè & absonum est, quippe illi ipsi ferculum facêre nimis ingratum, quodque vel solo intuitu stomachum movere potuerit: Si saltem *cineres ex herbis* facti essent, potuissent forsan propinati aliquid, sudorem nimirùm commovendo, effecisse: Quod autem reverà *carbones*, non verò *cineres ex adjectis herbis & Trochiscis*, *ac ossa nigerrima ex Viperis* acquisiverint, quotidianâ experientiâ comprobari, imò à carbonariis, qui calcinatione clausâ suos efficiunt carbones, exemplum evidens desumi potest. Namque nulla *herba* vel *planta aut lignum* in clauso vase, calcinatione etiam violentissimâ & diuturnâ, in *cineres* redigitur, ut ex ipsis *sal* elici queat, sed remanet *carbo* semper *nigerrimus*, nullo modo pro *sale* extrahendo aptus.

Cæterùm, non solùm Quercetani hujus *salis Theriacalis* æquè inconcinna correctio, & adjecta alia ejusdem verè rustica præparatio examinanda, sed insuper etiam Italorum quorundam impostura, qui mundo *suo viperino sale* egregiè imponunt, & ingenti precio divendunt, detegenda est: Verùm illam, cujus absurditas antea palam est, & unà jam in præmissis refutata, brevitatis causa transiens, hanc verò paucis, ne multi & posthac defraudentur, attingam. Sunt & reperiuntur hodiernâ die Pharmacopœorum nonnulli in Italia, penes quos licet Chymia aut Spagyria intimè sepulta sit, in ore tamen eorum continuò versatur, & Spagyros se profitentes, more magis, uti putant, Spagyrico, *Viperarum ossa*, & reliqua *à confectione Trochiscorum* relicta, violento igne comburunt, & ex iisdem calcinatis *salem* elicere conantur: quod si verò eorum conamen ex voto non succedat, ut vel nihil *salis*, vel ipsum in tantilla quantitate acquirant, *salem marinum*, vel ante vel post calcinationem superaddunt; atque suum sic, *omni virtute viperinâ spoliatum salem* conficiunt. Alii autem, non tam Pharmacopœi, quàm circuitorum plurimi, qui nunc temporis mercimonia ex Italia in exteras regiones passim transportant, faciliori modo suum *salem viperinum vel Theriacalem*, si ita appellare mavis, in quantitate conficiunt, ingenti quoque ære divendunt, & clanculùm mundum, quòd in delitiis habeat fraudes & imposturas, subrident. Accipiunt autem more antiquorum, quatuor

vel quinque *Viperas*, parum pensi habentes, quod in locis paludosis insalubribus captæ sint, quibus jungunt *aliquot libras salis marini*, invicem parumper in aqua coquunt, postea *viperas* separant, & liquorem salinum iterùm in *salem* cristallizant. Et hæ reverà sunt *salis viperini vel Theriacalis*, qui nunc ubique circumfertur, artificiosæ præparationes, quibus obiter patefactis.

Progrediamur nunc ad genuinas ex *Viperis & aliis animantibus* conficiendorum *salium* præparationes, relinquentes tot ac tantas diversarum rerum commixtiones, unius subjecti sale contenti; hâc ratione enim explorare licet, quid quantumvè in re quaque sit reconditum.

Cavi autem inprimis in hoc opere, & à nulla re magis abhorrui, quàm scripta scribere, aliena corradere, ac non intellecta mendacia eaque absurdissima affirmare, qui mos sanè hoc tempore haud insolens, sed frequentissimus est. Sic nec hanc meam, hujus *salis Viperini* dextram præparationem huic libro inseruissem, nisi illa ipsa præparatio, quam Clarissimus Schröderus, nec non Acutissimus Severinus, Medicus Neapolitanus (à Doctissimo Domino Wepffero, me annuente quidem & consentiente, ipsi communicata) habent, quæque etiam in nuperrimè edito Dispensatorio aucto Horstiano visitur, ex meis Patavii habitis collegiis, proficisceretur. Hoc fundamento suffultus, non vereor propria mea experimenta, aucta quidem & accuratiùs explicata, hîc addere. Itaque cum diligens naturæ scrutator cuncta per ignem probare, & exactè examinare debeat, non secùs ego examini rectæ rationis & judicii ac Vulcano ipsi, ceu artium Magistro, *animalia* subjeci, ut viderem, ex quibus illa constarent, quæque singularia in iis laterent recondita. Hinc non sine magno labore reperi, quod *animalia* (non loquor autem in præsens de eorum excrementis, urinis & stercoribus) pro maxima sui parte ex *aqua elementari*, (quæ in prima exsiccatione, si in cucurbita suo capitello operta & recipientē affixo illa fiat, prodit,) *sale volatili*, *aquâ spirituosâ*, *fœtidâ*, *nonnihil amarâ*, (si à suo *volatili sale* liberata sit,) *oleo crasso*, *nigro*, *fœtidissimo*, & *terrâ damnata sive mortua*, nullum propemodum, vel exiguum saltem, quàm violentissimo etiam igne cremetur, *salem fixum* suppeditante, constent. Hâc Theoriâ cognitâ accipe, si ex *animalium carnibus*, *ossibus*, *sanguine*, *&c.* *salem* conficere velis, quodcunque horum volueris exsiccatum, illudque cucurbitæ suo capitello munitæ, vel, (quod meliùs, retortæ vitreæ immissum, recipiente similiter amplo præposito, destilla aperto igne, servatis ignis gradibus, donec ultimò extrema flammarum violentiâ totum, quod inest, expulsum sit. Peractâ destillatione *sal volatile* non solùm in *prolecto liquore* dissolutum existit, sed undique etiam lateribus recipientis, variè figuratum adhærebit, quòd cum dicto in fundo recipientis residente liquore eluendum, & ab *oleo fœtidissimo*, vel per tritorium, vel per chartam emporeticam artificiosè separandum est: postmodum ab adhærente *aquositate amarâ & fœtidâ* per sublimationem in phiala oblonga satis alta, in sabulum vel cineres collocanda, apposito etiam capitello rostrato, cui vitrum recipiens parvum saltem adjunctum vel annexum sit, igne lento, (ne humiditas unà cum *sale* ascendat,) liberandum est: Sublimatione jam peractâ eximatur *sal* ex superna phialæ parte, & capitello, quod ipsum albissimum erit & acutissimum, penetrantissimique odoris, ac summæ volatilitatis, adeoque nisi optimè in vitro cerâ probè obturato custodiatur, in auras brevi avolat. Hoc modo præparata *salia* (præsertim ex *Viperis*,) summas vires habent penetrandi, putredinem arcendi, obstructiones viscerum reserandi, hinc & egregiè conferunt, in omnibus *febribus*, *epilepsiâ & apoplexiâ*, *morbis nec non malignis & contagiosis*, *imò in peste ipsa*, à qua vel solo odore præservant. Possunt autem in quocunque liquore, modo ille non sit acidus, propinari: *Omnia enim acida naturam salium volatilium* immutant; hinc adeò fit, ut eadem postea diversas nonnihil edant operationes. Sed cùm ob odorem & saporem ingratum, ea delicatulis nonnihil adversentur, tale vehiculum eligere necessum est, quod *salis* saporem acutissimum de-

demulcere, non tamen ejus virtutes infringere possit: Commodissimè igitur propinatur in *emulsione aliqua*, ex *seminibus nonnullis unctuosis vel oleaginosis*, *aut Amygdalis ipsis vel Pineis*; idcircò habito respectu ad morbum, possunt *semina* huic vel illi morbo appropriata eligi, & exinde *emulsio* confici, utpotè *ad epilepsiam ex semine*, *Paoniæ*, *nucleis Cerasorum & Persicorum*: Ad *febres malignas*, *morbosque contagiosos*, è *semine Aquilegiæ & Citri excor. Raparum*, *Cardui Bened. &c.* adjectâ etiam particulâ *seminum frigidorum majorum*, *vel Amygdalarum dulcium*, & sic consequenter in aliis affectibus, quibus tum etiam *liquores vel aquæ appropriatæ*, pro *emulsione* conficienda, addi debent.

Postquam breviter quidem, dexterrimum tamen *salium volatilium* præparandi modum exhibuimus, libet nunc ulteriùs disquirere, anne aliquo artificio sine additione heterogeneorum, viriumque ipsorum jacturâ, eorundem odor graveolens auferri, vel saltem diminui, nec non nimia volatilitas aliquantum infringi aut domari possit: Quo in labore non parùm nec paucis meis expensis occupatus fui, ast laterem lavi. Etenim summâ cum industriâ totus in hoc fui, ut illa satis diu, imò per sex septemvè integros menses in Athanore, competenti calore cinerum, inque phiala altissima hermeticè sigillata figerem, verùm in vanum laboravi: Nec destiti, quin ipsis *salem proprium fixum* ex ingenti quantitate *Viperarum destillatarum & calcinatarum* extractum addiderim, atque ita ipsa figere intenderim, sed æquè ut ante, sine exoptato frustratus sum. Quo viso, ulteriùs ad alia transii, & cùm hinc inde ab Authoribus *calcem vivam* tantoperè ad fixationem *salium volatilium* deprædicatam scirem, & quòd *sal Armoniacum* figeret (quæ tamen fixatio fucata est, uti expertus sum) frequenter legerim, cum eâdem etiam experimenta feci, ipsâ *salibus volatilibus* diversimodè, sed secundum artem additâ, ast ne granum quidem illorum, ex prædicta *calce* iterùm extrahere potui. Et cùm hâc non successerit, denuò rem aliâ viâ aggressus sum, & ex ipsa *calce viva sal* extrahere conatus fui, utpotè de quo Chymici multum, falsò tamen, gloriantur, sed irrito conatu, quin loco *salis*, quem unicè in votis habebam, exiguam particulam *terræ calcineæ vel gypseæ*, ex satis magna quantitate *calcis vivæ* extractæ acquisivi: Non tamen destiti ulteriùs inquirere, eò quòd viderem *aquam calcis vivæ* potentem esse (licet destructiva ejus aciditas promptè & per se annihiletur, & in auras abeat,) quin etiam huic *aquæ recenti salia volatilia* jungerem, moxque vidi effectum, nimirùm *salium dictorum* totalem destructionem, & eorum in *calcem*, *vel pulverem insipidum* indissolubilem, omni odore & sapore privatum, ignisque violentiam inposterum strenuè sustinentem conversionem. Hinc addidici & animadverti, quàm frivolè & perperam Chymicorum quidam, *olea destillata*, *empyreuma spirantia cum calce viva* commisceant, & super illa rectificent ad ablationem ingrati fœtoris; Etenim dum hi ipsi empyreuma, (quod utplurimùm à *sale volatili* est) hoc modo abigere student, simul etiam virtutes ejus, quæ à sale volatili proficiscuntur, destruunt, unde consequenter *olea illa* ad usum medicum inutilia & inepta redduntur. Plura de *calce viva*, & quid illa ad usus cùm internos tùm externos possit, addere, in præsens non fert instituti mei ratio. Quocircà progressum facio ad ulteriorem *salium volatilium* præparationem, & qualemcunque eorundem fixationem, quam demùm post tàm varios vanosque ac irritos meos labores adinveni, & sequentem modum præ cæteris amplexus sum. Nimirùm accepi *Viperarum sal volatile*, illudque immisi phialæ capaci oblongæ, cui capitellum, quòd in parte superna foraminulum, per quod calamum infigere possem, habebat, superimposui, recipientem præmisi, & circumlitis undique juncturis, per dictum calamum vel canalem anserinum, capitello insertum, guttatim & per vices *spiritum salis communis rectificatum* instillavi, cessante strepitu plus infudi *spiritûs*, hocque paulatim & tamdiu continuavi, donec nullam contrarietatem ampliùs animadverti, ac omne *sal* in fundo phialæ penitùs resolutum apparuit, (liquoris nil quicquam ascen-

aſcendit, niſi quis confeſtim *ſpiritum* affundere vellet, nihilominùs tàm ſtudioſè huic labori intentus fui, ut certus eſſem, an quicquam vel de *ſale* vel de *ſpiritu* periret, quod tamen nullo modo cernere potui,) *liquorem hunc vel ſalem reſolutum*, ſuo jam odore penetrante ex parte privatum, per filtrum tranſmiſi, & in cucurbita vitrea, inque M. B. ad dimidias ferè (ſi cryſtallos expetivi,) vel ad ſiccitatem *ſalis* uſque abſtraxi: *Aqua abſtracta* inſipida eſt, empyreuma aliquantum redolens, quæ cui ſingulari uſui inſerviat, experientiâ mihi non conſtat; licet Baſilius Valentinus ſimiles dulcificatos, & à ſuo corroſivo liberatos ſpiritus laudibus ſummis extollat: *Sal* autem in fundo cucurbitæ relictum, boni eſt odoris, ſubacidi & ſalini ſaporis, ejuſdem ponderis, ſi totaliter exſiccatum eſt, ac antea erat *ſal volatile*, nec quicquam in pondere ex additione illa *ſpiritus ſalis* accrevit, quippè cujus pondus in abſtracta *aqua* integrum reperi. Atque hæc vera eſt & genuina *ſalis mei viperini* præparatio, & aliqualis etiam fixatio; abſolutè enim fixum dici nequit, cùm adhuc volatile ſit, & paululùm violentioribus flammis traditum, Mercurii inſtar in fumum reſolutum æthera petat. Nec velim Tibi, quiſquis es, perſuadeas, *ſalis hujus* extrahendi, vel fixandi, aliam eſſe viam, licet plurimi de ſecretioribus modis multùm glorientur, at fucus & impoſtura impediunt, quò minùs iſtos ulli ingenuè communicare & publici juris facere audeant, ne fraus & dolus ipſorum manifeſtetur. Si tamen quis eſſet, qui majorem in hiſce laboribus haberet experientiam, ipſi anſam præbeo, ut boni publici causâ illa, quæ hac in re expertus eſt, ſecum commori non patiatur, quin cum ſuo proximo faciat dividua.

Vires & uſus ejus ſunt, ad extremas uſque corporis partes indeperditis viribus penetrare, ſanguinem depurare, excrementa tenaciter infixa & veluti aſſimilata, podagrica præſertim, egregiè reſolvere, urinas & cum iis calculoſam materiam pellere, melancholicis affectibus putredinique ſummoperè reſiſtere, diuturnas viſcerum obſtructiones inſigniter reſerare, atque exindè orta ac inveterata varia febrium, aliorumque morborum genera à Genio domeſtico ſequeſtrare, propellere. Doſis ipſius eſt à ℈ ß. ad ℈ j, plus minuſvè, prout neceſſitas poſtulat, & morbi ac ægrotantis conditio permittit.

Quibus abſolutis nunc operæ præcium eſt, ut reliquas in reſolutione animalium partes, obiter etiam examinemus: Sint autem pro exemplo *Viperæ*, circa quarum conſiderationem ſtatim quæſtio eſt, an *aqua primùm ab iiſdem deſtillatione abſtracta*, (quam *elementarem* voco) ullius uſui ſit? quam certè omnimodò ſpernere, aut planè inutilem judicare non poſſum; nam experientiâ edoctus ſum, eam particulam ſaltem, licet exiguam, *ſubtiliſſimi ſalis volatilis* continere, *ſpiritum nec non vivificum*, ſi *recenter mactatæ & vivæ Viperæ* deſtillationi fuerint commiſſæ: Igitur hæc ipſa *aqua viperina*, loco alteriùs cujuſdam *aquæ*, pro diluendo *pulvere viperino*, vel *ſale ejuſdem* diſſolvendo in diverſis morborum generibus uſurpari, nec non in *præparatione Theriacæ*, pro diſſolutione *ſuccorum concretorum* adhiberi poteſt, *Oculorum affectibus, inflammationibus, præcipuè ſuo ſale parumper acuata, & hebetudini viſûs egregiè prodeſt.* *Oleum craſſum & fœtidum* poſſet forſitan rectificatum ſuper cineres, diverſis uſibus externis inſervire, *nervorum ſcilcet contracturis, tumoribus duris, cancroſis, &c.* prohibet autem fœtor ejus, quò minùs frequenti exhibitione virtutes ejus explorentur. *Sal fixum*, quod exiguum eſt, parùm à reliquorum *ſalium fixorum* natura diſcrepat, idcircò exigui momenti eſt. *Spiritus fœtidus* & is ipſe rectificatus quibuſdam affectibus accommodari poſſet, præſertim *malignis* & *duris etiam externis tumoribus reſolvendis.*

Tandem, ne in *ſalibus Theriacalibus compoſitis & veris, virtute viperinâ & Alexipharmacâ egregiè & potenter imbutis* hæream, en Lector benevole, ſequentes tibi communico & commendo formulas elegantes, rationi conformes & experientiâ comprobatas!

Sal

Sal Theriacale Compositum ex Viperis.

℞. *Salis Absinthii,*
Scordii,
Centaurii,
Cardui Bened. ana ℥ *ix.*

Quibus in *aqua* solutis immergantur *quindecim circiter Viperæ mundatæ* ut suprà, coquantur, separentur & *liquor salinus* inspissetur vel crystallizetur. *Dosis hujus* ℈ j. *ad* ʒ ß. & ʒ j. *in morbis malignis, Epidemiis & contagiosis.*

Modus alius Salis Theriacalis ex Viperis.

℞. *Herb. Scordii recent.*
Centaurii recent. ana ℔ ß,
Rad. Angelicæ,
Zedoariæ ana ℥ iij.

Fiat decoctum in *aqua simplici ad* ℔ *vj, vel* ℔ *viij*, cui optimè clarificato junge, ac in eo dissolve

Salis Centaurii,
Scordii,
Cardui Bened. ana ℥ *x,*
addendo
Viperarum recenter mactatarum & optimè mundatarum numero xv.

Coquantur, donec *Viperæ* mollescant, tùm fiat colatura; *Colatum decoctum salinum & viperinum* optimè iterum clarificetur, & in *sal* coaguletur: Quod ipsum si aliquo colore imbuere velis, addas *decocto* vel *Crocum, vel Santalum rubrum.*

Hoc *sal* equidem nonnihil amarum est; priori tamen nullâ ratione cedit, quin idem etiam superat, summæque *in morbis malignis & pestilentialibus* activitatis existit. *In dosi* cum superiori convenit.

Sal Theriacale Simplex, Seu Sal Commune Virtutibus Viperarum Alexipharmacis & Confortantibus imprægnatum, ad usum familiarem pro cibis.

℞. *Salis puri & albissimi sive Gemmæ sive Marini* ℔ *ij,*
Dissolvatur cum
Aquæ simplicis ℔ *x.*
cui adjiciantur
Viperarum recenter mactatarum & mundatarum, cum suis cordibus & hepatibus vivis numero xv. vel xx.

Coquantur aliquandiu, donec *Viperæ* frustulatim concidant, quæ separandæ per colaturam, *decoctum* clarificandum, filtrandum, & ad siccitatem *salis* inspissandum vel crystallizandum, cui *sali* demum pro libitu adde

Ol. stillat. Cinamomi,
Caryophyll.
Macis ana ʒ j ß,
& si arridet etiam
Ambræ gryseæ s. q. ex. gr. ʒ j.

Fiatque ex invicem mixtis *sal confortativum Alexipharmacum ac præservativum, nec non gustui gratissimum.*

MEDICAMENTORUM PHARMACOPOEIÆ AUGUSTANÆ CLASSIS DECIMA QUINTA,

Continens

Aquarum compoſitarum & ſimplicium, Vinorum item & Acetorum compoſitiones & parandi modos,

Nec-non

Iiſdem Annexas Animadverſiones.

DE aquis ſtillatitiis *tractaturo mihi nunc inter initia incumberet, de modis multifariis deſtillandi rerumque deſtillandarum naturis, & ſimilibus aliis plura diſſerere; verùm cùm alii Viri Clariſſimi & Doctoctiſſimi, utpotè* Sennertus, Schröderus & Quercetanus *de iis ubertim egerint, ideoque brevitatis causâ, amicum Lectorem eò ablego: Nam diverſa deſtillationum genera* hæc claſſis *non complectitur, ſed ad unum ferè modum omnes, quotquot ſunt* hujus claſſis deſtillationes, *peragi præcipiuntur. Propterea abſque multis verborum ambagibus ſingulas* hujus claſſis compoſitiones *ordine examini ſubjiciam, & quomodo quævis ipſarum ingredientia tractanda, quæque ex ipſis deſtillationi apta quæque inepta ſint, eâ, quâ poteſt fieri, brevitate aperiam, univerſaliora nihilominùs in* animadverſionibus ſuper aquas ſimplices *oſtenſurus.*

Aqua Acoviſtica, ſive ad auditum D. D. Mindereri.

℞. Herb. Roriſmarini,
Majoranæ,
Salviæ hortenſis,
Lavendulæ,
Rutæ,
Origani,
Polii montani,
Flor. Sambuci ana pugillum unum,
Spicæ Romanæ pugillum ſem.
Baccar. Lauri,
Juniperi ana drachm. duas,
Rad. Ireos Illyricæ,
Cyperi rotundi,
Valerianæ,
Leviſtici,
Cyclaminis ana drachm. ſemis,
Pyrethri drachm. unam,
Bryoniæ,
Cucumeris Aſinini,
Colocynthidis ana ſcrupulos duos,
Seminis Fœniculi,
Caſtorei ana drachm. unam ſemis.
Decoque in unciis octo urinæ Capræ,
Aceti Scillitici,
Rutacei ana unciis duabus.

Vaſe duplici clauſo ad medias, reſiduum coletur, deinde repetatur medietas jam dictorum ſimplicium, his decoctum hoc denuò affundatur, iterum recentibus addendo,
Succi Raphani,
Ceparum ana unc. unam ſemis,
Galbani in uncia una ſemis aquæ vitæ
Langii diſſoluti drachm. duas,
Emulſionis nucleorum Perſicorum (additâ

Semi-

Seminis Raphani,
Rutæ ana unciâ semis)
Cum spiritu Juniperi præparatæ uncias duas.

Destilla lento igne in Balneo, destillatum commisceatur cum spiritus Rosarum drachma una.

Servetur usui.

AD varios auditûs læsiones, surditatem, obauditionem, tinnitum, sibilum, pulsationem ac strepitum in auribus, ab humore vel vapore, vel flatu provenientem conducit.

ANIMADVERSIONES.

QUantoperè Author denominatus in *compositione hujus aquæ Acovisticæ*, non secùs atque in suis *pilulis Marocostinis*, aliisque compositis plurimis se prostituerit, dici vix potest: Trahantur huc *animadversiones* quorundam *Syruporum*, *Cinamomi* & aliorum, inprimis quoad coctionem *rerum aromaticarum & odoriferarum* in vase clauso ineptissimè instituendam. Et sanè interprete vel divinatore potiùs hîc opus haberem, qui ridiculam hujus *aquæ* juxta modum præscriptum decoquendæ sive perfectè elaborandæ rationem mihi explicaret. Etenim nullam rationem video, cur tanta congeries *rerum aromaticarum & odoriferarum* prius decoqui debeat ad dimidias, scilicet ut universa earum spirituosa & subtilis substantia, quæ maximè ad hosce affectus expetitur, exhalet? & cur in vase clauso, nihilominùs decocti medietas in auras pellenda est? Tacco, quod in vase penitus clauso coquendo, quod impossibile, ad medietatem evaporare nequeat. Sed quis absurda cuncta hujus *compositionis* enarrare poterit? potiora enim ingredientia tali modo, vel in destillatione parùm aut nihil de virtutibus suis fundunt, vel ipsorum virtutes jam tùm in prægressa coctione maximam partem depulsæ sunt. Suasor itaque sum, ut qui ex hac *compositione prolixa & intricatissima* liquorem affectibus assignatis accommodatum desideret, ille duntaxat ex cunctis ingredientibus infusionem faciat, quam ipsam, ut aliquatenùs durabilem efficiat, recipiat *urinam Capræ* (*vel Puerorum*) parumper *fermentatam & destillatam*, *Galbanum* dissolvat in *spiritu Juniperi*, *sem. Raphani*, *Rutæ*, *nucleos Persicorum* contundat cum *succis Raphani & Ceparum*, nec non *aquâ vitæ Langii*; Fiatque sic omnium simul unitorum digestio per aliquot dies, postea colatura, expressio & filtratio.

Aqua Antidotalis Alexipharmaca D. D. *Petri Andreæ Matthioli.*

℞. Antidoti Matthioli,
Syrupi de corticibus Citri ana libram semis,
Spiritûs vini quàm optimè rectificati libras duas semis,

Omnia vasi vitreo capaci indita, ore vasis diligenter obturato, simul agitentur donec dissolvantur, idque per mensem singulis hebdomadibus, bis agitationem reiterando, fiat. Tum verò Electuarium in vasis fundo residere permittatur, ut aqua supernatans, aureoque colore tincta clarescat, quæ paulatim in aliud vitrum effundatur, & à turbida fæce segregetur; vas verò accuratissimè clausum, ne quid expiret, custodiatur.

MAgnarum hæc aqua virium à drachmis tribus ad quatuor cum pari vini odoriferi aut aceti, vel aquæ cujusvis cordialis quantitate ictis vel demorsis à quocunque venenato animali, etiam desperatis propinata salutem restituit, vomitione plerumque infectorum humorum copiam exhauriens, ac momento vi suâ in omnes corporis venas permeans: pollet etiam multis viribus in depulsione affectuum cordis, cerebri, ventriculi, capitis ac uteri à frigiditate ortum ducentium.

ANIMADVERSIONES.

SI ipsa *Matthioli Antidotus*, ceu ex qua *aqua hæc Alexipharmaca* paranda est, tantis, quantæ ipsi attribuuntur, polleret virtutibus, tunc sanè *hæc essentia* non exiguis prædita esset viribus, præsertim si virtutes totaliter ex dicta *Antidoto* extraherentur; quod ipsum quidem juxta modum præscriptum fieri nequit: Etenim *Syrupus de corticibus Citri, & mel* (quod po-

potiorem *Antidoti* partem constituit,) *spiritum vini* statim impraegnant & inefficacem reddunt, quò minus *ex reliquis speciebus Antidotum ingredientibus* virtutem elicere possit. Quocirca si quis ex similibus *Electuariis vel Antidotis* essentiam parare intendit, is illas beneficio competentis menstrui ex *earundem speciebus*, priusquam *mel* ipsis adjungatur, eliciat vel evocet, & ultimò demùm, si libuerit, *mel* aut *Saccharum* duntaxat pro edulcoratione *essentiae* addat. Similium *essentiarum* formulam, quae longè *aquas destillatas* ad unum omnes antevertit, reperies in *animadversionibus super extractum Diapaeoniae Minderers.*

Aqua Antimelancholica D. D. Tobiae Fischeri.

℞. Radicum Buglossi utriusque ana unc. unam,
Florum Borraginis,
Buglossi,
Anthos ana unc. unam semis,
Croci Orientalis integri drach. unam,
Carnis seu pulpae Cydoniorum,
Pomorum dulcium odoratorum ana uncias duas,
Citri cum corticibus contusi unciam unam semis.
Concisa misce, & affunde
Vini albi optimi libras duas semis.

Macerentur horis viginti quatuor, pòst destillentur in balneo, destillatum restituatur capiti mortuo trito, digeratur & destilletur denuò.

AD varias multiplicis melancholiae species proficua est, mentis torporem & stuporem tollit, timores & maerores animi profligat, imaginationis hallucinantis nebulas dispellit, laetitiae lumine cor & cerebrum irradiat.

ANIMADVERSIONES.

QUisquis aequâ rationis lance *compositionem hanc* expendet, non poterit, quin spontè fateatur, potiorem ejus ingredientium partem destillationi, juxta praescriptam normam instituendae, omninò ineptam esse. Namque ex *radicibus Buglossi*, ex *carne seu pulpa Cydoniorum*, ex *pomis*, item ex *Citris integris* (si *cortices* exceperis) nil nisi *aqua quaedam elementaris* in destillatione prodit; de *substantia verò eorundem optima*, nil quicquam, quod asservari operae precium esset, per Alembicum ascendit vel transit, sed in fundo cucurbitae remanet in consistentia *extracti*, quod ipsum usui medico potius inserviret, nullo modo autem *spiritus vini* ab *iisdem speciebus* abstractus licet, *Crocus aquae spirituosae prolectae* exiguum impertierit odorem. Atque hinc facilè colligere est, quàm potentem, quantisvè viribus praeditam *aquam* ex hac compositione impetrare quis poterit. Quod enim ex *floribus Anthos*, ac minimâ illâ particulâ *corticum Citri & vino* non acquisiverit, ex reliquis certè non impetrabit, licet quis decies in M. B. cohobationem instituerit. Igitur longè consultius foret, ut qui ad *melancholiam* proclivis est, ex *fructibus illis* destillationi ineptis, *pomis* scilicet *dulcibus*, *Cydoniis*, *malis Citri & Croco*, singulis diebus ferculum sibi confici curaret, & *vinum* biberet, in quo *radices Buglossi utriusque*, *flores item Borraginis*, *Buglossi & Anthos* steterint infusi.

Aqua Antiscorbutica D. D. Tobiae Dorncreilii.

℞. Rad. Raphani sylvestris acerrimi lib. quatuor,
Polypodii quercini mundi,
Corticis radicum Capparum ana unc. semis,
Sem. Foeniculi unciam unam,
Cardamomi uncias duas,
Croci Orientalis drachmam unam.

Radices Raphani incidantur in orbiculos tenuissimos, reliqua verò pulverisentur subtilissimè & simul infundantur in vini albi optimi libris sedecim, & stent in infusione in loco calido per octiduum, vase quotidiè semel atque iterum exagitato; deinde adde
Aquae Cochleariae,
Beccabungae,
Nasturtii aquatici ana lib. unam semis,

Cha-

Chamædryos veræ,
Fumariæ compositæ ana libram unam,
Seri lactis caprini libram unam semis.
Misce, & destillentur in Balneo Mariæ igne lentissimo.

Valet propriè ad affectum Scorbuticum maritimis & Aquilonius regionibus propter parentum propagationem, ob victus rationem, & propter contagium Endemium. Liberat enim obstructiones lienis, emollit, & attenuat humorem feculentum melancholicum, eumque per meatus convenientes sensim evacuat, & lienem roborat.

ANIMADVERSIONES.

QUamvis ex aliquibus hujus *aquæ ingredientibus*, utpotè *radicibus Polypodii, corticum rad. Capparorum & Croco* parùm in destillatione elicietur, nihilominùs tamen, cùm *Antiscorbutica* (quæ *spiritu* gaudent *volatili salino*,) in hac compositione prædominentur, poterit illa modo præscripto destillari, & si lubido fuerit, ex præfatis rebus vel sigillatim, vel ex *residuis à destillatione speciebus* conjunctim *extractum* confici, & una cum aqua asservari.

Aqua Arthritica.

℞. Flor. Chamomillæ,
Fol. Pulegii,
Lavendulæ,
Majoranæ ana unciam unam,
Anthos uncias tres,
Salviæ,
Chamæpityos ana uncias duas,
Myrrhæ mundæ & optimæ unc. duas,
Caryophyllorum,
Cinamomi ana drachmas duas,
Rad. Pæoniæ unciam semis,
Pyrethri,
Cyperi rotundi,
Iridis Illyricæ ana drachmam unam semis,
Cardamomi minoris,
Cubebarum ana drachmam unam,
Nucis Moschatæ unciam semis,

Infundantur in libris quatuor spiritus vini rectificati, stentque in infusione vase probè clauso ne quid expiret, per dies quatuordecim. Postea destillentur in Balneo Mariæ, & liquor exstillatus reservetur ad usum.

Tremulis, paralyticis ac paresin è colicâ perpessis auxilio est frigidis articulorum morbis opitulatur, nervos roborat, & juncturis virium jacturam resarcit.

ANIMADVERSIONES.

UNica hæc *compositio* præ cæteris *aquarum destillatarum compositionibus* omnibus apprimè mihi arridet, eò quod ex meris balsamicis rebus conflata sit: Quæ ipsa tùm etiam juxta modum præscriptum satis commodè parari poterit. Interea tamen non inconsultum fore putarem, si, postquam *aqua* ex deputatis speciebus destillata est, in eâdem scilicet *prolecta aqua radices Pæoniæ & Pyrethri* denuò infunderentur, (quippe *radicum illarum essentia* in destillatione assignata non adeò facilè per Alembicum transit,) quæ demùm post unius alteriusvè diei digestionem ab iisdem *radicibus* per filtrationem liberata, studiosè asservanda est.

Aqua Astmatica.

℞. Rad. Enulæ campanæ uncias duas,
Ireos Flor. unciam unam semis,
Glycyrrhizæ,
Fœniculi,
Farfaræ ana unciam unam,
Althææ,
Consolidæ majoris ana drachm. sex,
Scillæ præparatæ,
Aristol. rotundæ veræ ana drachmas duas,
Herbar. Nepetæ,
Prassii,
Hyssopi,
Capillorum Veneris,
Pulmonariæ utriusque,
Salviæ hortensis ana manip. unum,

Sem. Nigellæ,
Erucæ,
Nasturtii ana drachmas duas,
Urticæ Romanæ unciam semis,
Anisi,
Fœniculi ana drachmas sex,
Baccarum Lauri,
Juniperi ana unciam unam,
Spicæ Indicæ,
Cinamomi acuti ana unciam semis,
Costi Arabici,
Cardamomi ana drachmas duas,
Croci scrupulos duos,
Jujubarum,
Sebesten ana unciam unam,
Dactylorum pinguium,
Caricarum pinguium ana num. octo.

Incisis & contusis omnibus fiat infusio in vini albi optimi libris sex,
Vini Malvatici libris quatuor,
Sublimati libris duabus,
Aq. stillat. Centaurii minoris,
Scabiosæ,
Taraxaci,
Tussilaginis,
Plantaginis,
Veronicæ,
Cardui Benedicti,
Hederæ terrestris ana librâ semis,

per dies septem, postea in liquore dissolvantur
Lohoch sani & experti,
de pulmone Vulpis,
de Pino,
ad Asthma ana unciæ duæ.

Destillentur omnia secundum artem in Balneo Mariæ, servetur usui.

Præpeditam spirandi facilitatem à crassis & viscosis humoribus, meatus pulmonarios & thoracis regionem obsidentibus introductam tollit, pectorique spiritum liberiorem conciliat. Quapropter eam omnibus anhelosis, senibus, aliisque thoracis affectibus à frigidorum humorum impluvio laborantibus, ex amica communicatione Viri Clarissimi D. D. Antonii Boxbarteri Augustani, Collegæ nostri honorandi, nunc Physici Reipublicæ Ulmensis ordinarii, singulariter commendatam esse voluimus.

ANIMADVERSIONES.

Haud adeò concinna est *hujus aquæ compositio*, non solùm propter *fructuum pectoralium* (de reliquis incongruis etiam taceo,) utpotè *Caricarum*, *Sebesten*, *Jujubarum*, *Dactylorum*, *&c.* ceu destillationibus consimilibus penitùs ineptorum, sed etiam ob diversorum *Lohoch compositorum* additionem. Meminisse conducet mei jam aliquoties inculcati, quod ingens sit diversitas *vegetabilium*, quæque proinde diversimodè tractari velint. Quædam enim *sulphureæ sunt naturæ*, horumque virtus & efficacia levi coctura & calore impulsa avolat. Quædam *terrestriora*, *alia medio modo se habentia*; *Nonnulla integris viribus & virtutibus prædita*, post violentam etiam & diuturnam cocturam (modò non comburantur,) in residuo extant vel restant, utpotè *fructus plurimi*, *Saccharum*, *&c.* ex quibus simplici hâc destillatione per M. B. nil quicquam virtutis elici potest, licet per integram septimanam destillatio continuetur. Scitu proindè necessarium, & in *destillationibus vegetabilium* in universum observandum est, quod, quò submissiori ignis gradu fiat destillatio, præsertim in M. B. eò magis subtiles solummodò ipsorum partes eliciantur, atque *hæc destillatio solis fermentatis, nec non summè volatilibus, & admodum spirituosis vegetabilibus, ac spiritui vini, &c.* competit. Quò intensioris autem caloris gradu (utpotè in arena vel cineribus) aut luculentiori flammâ, vel per vesicam cupream, stanno quidem obductam pellantur, eò plus etiam *de virtutibus suis materialibus* (ut ita loquar) summè tamen necessariis & proficuis, in destillatione per Alembicum transmittunt. Cum aliquibus autem *vegetabilibus*, utpotè *fructibus complurimis*, *Pyris*, *Pomis*, *Cydoniis*, *Dactylis*, *Ficubus*, *Amygdalis*, *Pineis*, *&c.* *radicibus* etiam non paucis, nimirùm *Consolidæ*, *Glycyrrhizæ*, *Cichorii*, *Buglossi*, *Altheæ*, *&c.* *lignis* itidem *& plantis plurimis esculentis*, ità comparatum est, ut sive lento sive fortiori igne per balneum vel arenam, affuso insuper liquore destillentur, nil

nil prorsùs genuinæ virtutis, sed *humiditatem duntaxat elementarem* præbeant. Hinc etiam magis proficuum censeo, ut vel ipsorum *decocta vel succi expressi*, aut varia ex iisdem parata *jusculа vel edulia* ægrotantibus offerantur, nec ita præposterè similibus destillationibus committantur: Licet enim enumerata cuncta, vel ad extremam siccitatem usque in M. B. abstrahantur, nihilominùs eorum virtus concreta ac compacta integrè in illis superstes manet, adeò ut omninò opus sit, si ex ipsis per destillationem virtutes essentiales extorquere velimus, non per balneum, nec arenam, neque per vesicam affuso liquore, sed aliâ violentiori viâ eorundem destillationem moliri, & quidem in modum sequentem.

℞. *Vegetabile simile, quodcunque libuerit, ex. gr. fructum, lignum, plantam, radicem, &c.* sive aridum sit, sive recens, quo imple retortam vitream loricatam, cui fornaci convenienter impositæ, recipientem adapta, juncturisque optimè clausis vel lutatis, lento primùm igne destillationem incipe, quousque (si *recens vegetabile* immissum) *tota humiditas ejus elementaris* prolecta sit; Si verò *siccum* fuerit paulò urgentiori igne pelle ad potiorem *humiditatis radicalis* prolectionem, hinc auge ignem gradatim, & prodibit *liquor acidus empyreuma redolens, cum oleo primum flavescente*, tandemque, si extremo ignis gradu urgeas, *nigricante*, subsequente omnium ultimò *nebuloso fumo, ceu extrema radicalis humiditatis particulâ*: Quibus omnibus s. a. evocatis, remanent in residuo *carbones non cinis*, quos ipsos si in *cineres* redigere animus erit, in aperico eos calcinare necessum est; aliàs enim nunquam in *cineres* abeunt, ex quibus *sal* elici possit. Hoc modo instituta destillatio (si *recens* fuerit *vegetabile*) quatuor diversa suppeditat, nimirum *primam humiditatem vel aquam elementarem*, exigui momenti, *spiritum acidum, fœtidum, empyreuma redolentem, oleum similiter fœtidum rubrum vel ex atro rubescens*, & in residuo remanens *sal fixum*, quæ singula postmodum ab invicem separanda sunt: *Oleum* quidem à *spiritu* per tritorium vel chartam emporeticam; *Spiritus* verò à suis fæcibus crassioribus per rectificationem; Deinde *oleum prædictum* separatim per *cineres proprios* rectificandum; Ex *cineribus* postea cum *aqua simplici sal fixum* elixiviandum est, quod denique *spiritui* commiscendum. Hæc tria, *spiritus* nempe cum suo *sale*, & *oleum*, ex quocunque etiam *vegetabili* prolecta sint, eximiis suis gaudent virtutibus, licet empyreuma redoleant: Et jure meritò plura *vegetabilia*, quorum vires per simplicem destillationem cum affuso liquore elici non possunt, tali modo destillanda essent, si quid in medicina præstare deberent; secus enim frustra labor instituetur.

Atque hæc vera est & genuina, nec non generalis de *vegetabilium* destillatione informatio, quam si imitaberis, non facilè errores vel absurditates ridendas in præscribendis *aquis* compositis committes.

Reliquum nunc esset, ut & aliam magis concinnam *hujus aquæ*, de qua nobis ex instituto jam sermo fuit, adderemus præparationem, quod tamen commodè fieri nequit, nisi exemptis & rejectis plurimis compositioni huic dicatis *ingredientibus*, ceu destillationi ineptissimis: quia verò propositi nostri ratio non fert, *compositiones* quoad *ingredientia* evertere, sed saltem errores in earundem præscriptionibus commissos indigitare, proindè missam hanc facio. Interim tamen suaderem, si aqua hæc ad asthma profligandum strictè expeteretur, ut ex *Balsamicis ingredientibus* duntaxat, addito *spiritu vini, aqua spirituosa* conficeretur, cui postmodum *Saccharum, mel*, & alia, nimirum *Ficus, Dactyli, Jujubæ* & *Lohoch* adjungi, & varia *asthmatica medicamenta* per infusionem saltem aut dissolutionem confici possent.

Aqua aurea D. D. *Johannis Langii.*

℞. Florum Liliorum convallium manipulos duodecim.

Infundantur in vini albi optimi mensura una per octo dies, deinde destillentur per Balneum Mariæ lentissimo igne: Postea

℞. Aquæ stillatitiæ Cerasorum nigrorum libram unam semis,

Misce simul; quibus aquis infunde

Flor.

Flor. Lavendulæ manip. unum. ſemis,
Anthos manipulum unum,
Caryophyllorum,
Macis ana ſcrupulos duos,
Scillæ præparatæ drachm. duas ſemis,
Cubebarum drachmam ſemis,
Viſci quercini,
Rad. Pæoniæ,
Dictamni albi ana drach. duas.

Incidenda incidantur, & conquaſſanda conquaſſentur, & in vapore aquæ calentis ter deſtillentur, aqua in vaſe vitreo optimè clauſo conſervetur.

Vires omnes corporis fulcit, præcipuè verò epilepticos inſultus abolet; inſignis etiam eſt auxilii in catarrhis frigidis ad pulmones defluentibus, & aſthmata inducentibus.

ANIMADVERSIONES.

Licet *hæc compoſitio* quædam contineat *ingredientia*, quorum virtutes per ſimplicem hanc præſcriptam deſtillationem elici nequeant, nihilominùs factâ comparatione ad reliquas *aquas compoſitas*, hæc aliqualem meretur commendationem: Monere tantum hic habeo, quod *radices Pæoniæ & Viſcus quercinus jam deſtillatæ aquæ* iterùm immergi, & cum ea aliquandiu digeri queant, à quibus demùm *aquam* per filtrationem ſeparare oportet.

Balſamum Embryonum.

℞. Nucis Moſchatæ,
Macis,
Caryophyllorum,
Cinamomi,
Zingiberis albi,
Cubebarum,
Granorum Paradiſi,
Zedoariæ ana unciam unam ſemis,
Galangæ drachmas ſex,
Florum Tunicæ,
Tiliæ ana libram unam,
Herb. Salviæ,
Carui,
Fœniculi,
Verbenæ,
Lavendulæ ana uncias tres,
Menthæ criſpæ,
Rad. Pæoniæ & ſeminis ejuſd.
Viſci quercini decreſcente Lunâ collect. ana uncias duas,
Medullæ panis triticei uncias ſex.

Herbæ & radices incidantur minutim, Aromata verò craſſiuſculè pulveriſentur, paniſque medulla in fruſtula confringatur; quo facto commiſceantur omnia, & affuſis menſuris quatuor vini boni Malvatici in vaſe fictili vitreato probè clauſo, ne quid expiret, ſepeliantur in vinaria cella ſubtus terram, ſtentque ibi in digeſtione per hebdomadas tres. Deinde die præcedente, antequam hæc è terra rurſus eximere volueris, ſumito

Amygdalarum dulcium excorticatarum uncias ſedecim.

His in mortario priùs probè contuſis, & in vitreo vel vitreato aliquo mundo vaſe collocatis ſuperinfunde

Aquæ Roſar. albarum,
Bugloſſi ana uncias octodecim.
Stent in infuſione per horas viginti quatuor.
Jam verò rurſus accipe
Hordei cremati uncias ſedecim.

Hoc groſſo modo in mortario confringe, illique ſuperinfunde

Aq. Fragorum,
Liliorum convallium ana uncias ſeptendecim,

Stent etiam ſimul in alio vaſe in infuſione per horas viginti quatuor. Tandem Amygdalas in infuſione ſtantes exactè terito, & unà cum aquis, quibus immaduêre, diligenter ſubigito, quo facto & Hordeum crematum aquis ſuis infuſum huic Amygdalogalæ jungito, ac unà in olla ſimul omnia ſtudioſè permiſceto. Quod ſi aquarum Amygdalis, & Hordeo ſuperinfuſarum quantitas commixtioni non ſuffecerit, de vino Malvatico in quo Aromata & herbæ ſub terra defoſſæ maceratæ ſunt, quantum ſufficere videbitur, adjungito, ut ſic omnia probè in olla ſimul concuſſa permiſceantur, donec mixtura lacti evadit ſimilis. Tùm demum Aromata, herbas, radiceſque unà cum vino Malvatico

vatico reliquo, in quo infusa steterant, & jam dicta omnia additis mellis despumati unciis octodecim simul confundito ac commisceto, & cucurbitæ indita levi igne aquam ex arena destillato. Nunc verò recipe veterem caponem, quem fune suspensum suffocabis, mundatumque exenterabis.

Huic in frustula dissecto, abjectâ omni sorde & pinguedine, affunde vini Malvatici mensuram unam, quo sanguinem elues ac dissolves, tùm vino huic Malvatico, & jam dicti caponis carnibus jungito

Aq. Borraginis,
Verbenæ,
Fœniculi,
Salviæ ana libras duas,
Dactylorum recent. exossat.
Uvarum passarum,
Passularum minorum,
Nucis Moschatæ ana uncias duas,
Caryophyllorum,
Cinamomi,
Zingiberis,
Cubebarum,
Granorum Paradisi,
Zedoariæ ana unciam semis,
Croci drachmas duas,
Conservæ Rosarum rubearum uncias quatuor.

Incidenda incidantur, & ollæ operculo diligenter clausæ, ac circa juncturam operculi pastâ studiosè circumlitæ, ne quid expirare queat, indita sensim simul decoquantur, donec carnes caponis ab ossibus se separaverint, tunc brodio huic adhuc ferventi injice panis triticei adhuc à furno calentis, & in frustra confracti, uncias sedecim, & de libo vel pasta mellea cum aromatibus bis cocta in laminas dissecta ac super cratem tosta & melle oblita, uncias sedecim, atque ollâ probè clausâ sic per noctem, ut in brodio cuncta mollescant, stare finito. Deindè verò brodium à rebus infusis separa, caponemque unà cum rebus reliquis sibi junctis eximiè contunde, donec pultis formam acquirat, quam pultem brodio priùs separato redde, eamque in jam dicto brodio dissolve, & ab his ampullæ inditis magna cum diligentia aquam ex arena levi calore extilla. Jam verò primam aquam & secundam hanc commisce, in iisque infunde auri purissimi quantum volueris, vitroque accuratè clauso per triduum Solis calori & radiis ad insolandum exponito; ac tùm demum rursus aquam hanc omnem cum diligentia per destillationem ab auro abstrahito.

Datur fœminis quæ sæpius abortum passæ sunt, magno emolumento, itemque gravidis, ubi a subito terrore aut occasione aliqua extrinseca languescunt, lypothymias & animi defectiones, ventrisque inflationes in his persanat, infirmum fœtum roborat, uteri ligamenta firmat, epilepsiam arcet, sanguificationi proficit, flatus delet; quin etiam parturientes in enixu adjuvat, & in summa spiritus restaurat, viresque fulcit, dolores ac tormina gravidarum discutiens, non gravidæ modò, sed & fœtui confortando remedium salutare, ac Dei beneficio summè proficuum.

ANIMADVERSIONES.

Speciosam hanc & ubique terrarum tantoperè commendatam, ac à nemine Medicorum non receptam *compositionem*, quòd primus ego examini aut reformationi subjicere coner, dubio procul plurimi vitio mihi vertent: Attamen Lector benevole, si exactiùs mecum rem perpenderis, & paululum à vanis præsumptionibus quorundam declinaveris, apertè deprehendes, mecumque sponte fatebere, ipsam non solum innumeris scatere mendis, sed insuper etiam plurimis absurditatibus esse tefertam, adeòque me non iniquè facere dices, quod sub incudem eam revocatam, ab erroribus crassioribus paululùm vindicem. Ut autem attingam ea, quæ ineptè addita sunt, nec quidquam huic *Balsamo* conferre queunt, illorum primitùs sese offert *medulla panis*, quæ bis huic *compositioni* jungitur, & quidem frustrà: qui enim in clibano jam coctus est *panis*, spirituosas & volatiles suas partes, si quas habuerit, utpotè quæ in destillatione per Alembicum proliciendæ sunt, jam tùm in coctura deposuisset: *Amygdalarum* etiam humiditas elementaris in destillatione prodiens, nullius valoris & virtutis est. De *Hordeo cremato* idem

est judicium, cui quis non *cerevisiam* ex ipso coctam præferret, & illi *Amygdalogala*? Et quid ex destillato *caponis* virtuosi tibi promittis, cùm tota ejusdem virtus in residuo remaneat? Si enim *animalium* vis restaurativa in volatilioribus eorundem partibus, quæ hac destillatione elici possent, consisteret, plurimùm certè in coctura violenta de eadem periret, vel prorsus etiam ipsa avolaret, & consequenter *carnes elixæ vel assatæ* nullum vel planè inutile corpori suppeditarent alimentum, satiusque foret *crudis vesci carnibus*, quàm *coctis*, itemque vaporem incoctura avolantem asservare, *carnes* verò abjicere: Sed posito, *capones* in coctione & simili destillatione virtutes suas restaurantes potiores emitterre, easque consistere in portione eorundem summè volatili, sive subtilioribus ipsorum partibus, dic amabò, nonne istæ in *violenta illa coctura*, quæ tamdiu continuanda, donec *ossa* à *carnibus* divellantur, & quod ineptiùs, cum *vino Malvatico*, additisque stultè etiam tot *Aromatibus*, quorum virtutes similiter in subtilioribus ipsorum partibus consistunt, perficiendâ, penitùs exhalaret? Neque juvat *ollam* circumquaque etiam arctissimè claudere; *spirituosa* enim *humiditas* in illa per calorem rarefacta & resoluta in eodem spacio, quò concreta & condensata erat, consistere nesciens, vias quærit etiam angustissimas, quas si non invenit, infallibiliter vas disrumpit. Itigur antequam destillationi *capo cum vino Malvatico Aromata & reliqui fructus* committantur, potioribus suis virtutibus & penetrantioribus partibus jam tum spoliata sunt. Quod etiam *Dactyli*, *Vvæ passæ*, *pasta mellea* destillationi simili perperam committantur, jam superiùs in *compositione aquæ asthmaticæ* indigitavi. Neque etiam *conserva Rosarum* utpotè quæ maximâ parte ex *Saccharo* constat, huic *Balsamo* quicquam de sua virtute largiri vel communicare potest: Nihil enim de *Saccharina essentia dulci*, in leni hac destillatione per Alembicum transit, uti neque de *pasta mellea bis cocta*, *iterumque super cratem tosta*, sicque omnibus suis subtilioribus partibus penitùs spoliatâ. Colophonem denique huic speciosæ *compositioni* imponit *Aurum*, quod virtutem suam eximiam confortantem ex sese expromere debet, eamque *Balsamo* huic impertiri; sed longissimè aberrant, qui illud hanc ob causam suis compositionibus addunt: *Aurum* enim tàm facilè solubile non est, nec adeò volatilis naturæ, ut unà cum vaporibus aqueis reliquarum specierum è fundo cucurbitæ in sublime feratur, & per Alembicum transeat in excipulum. Ergò videmus, quod nec ab illo quicquam sperare liceat, & consequenter quod frustra ac inutiliter saltem, uti plurima enumerata alia, *luxuriosam hanc compositionem* ingrediatur. Ex quibus præmissis jam ad oculum apparet, quod ex solis *Aromatibus* & *vino Malvatico*, nec non *affusis destillatis aquis*, hoc *Balsamum* vires suas, quas habet, mutuetur, reliqua autem omnia superfluè saltem adjecta sint. Ac sanè majores ex *residuis speciebus*, nisi tanta ipsarum farrago esset, vires elicere possemus, conficiendo ex illis Extractum aut Gelatinam. Ubi itaque utero gerentem confortare lubido est, longè consultiùs operaberis, si ex *capone gelatinam* confeceris, eamque *Amygdalis minutim conscissis* refertam, & *Sacchăro, melle Rosato vel Citrato*, nec non *Aromatibus* conditam, sæpiùs vel quotidiè propinaveris. Si etiam cum *aqua* è similibus *Aromatibus*, ex quibus reliqua compositio constat, & *vino Malvatico* destillatæ, uti sequetur, uno vel altero cochleari *gelatinam* illam diluere, & prægnanti exhibere volueris, non iniquè feceris.

Restat nunc, ut ex *speciebus hujus Balsami embryonum destillationi per Alembicum aptis*, quandam simpliciorem formulam, ast magis concinnam, subjungam, quæ talis esse potest.

℞. *Nuc. Moschat.* ℥ iij ß,
Macis ℥ j ß,
Caryophyllorum,
Cinamomi acuti,
Zingiberis,
Cubebarum,
Granorum Paradisi,
Zedoariæ ana ℥ ij,
Galangæ ℥ vj,
Croci Austr. ℥ ß,
Rosarum Damasc. recent. ℥ iiij,
Florum Tunicæ,
Tiliæ ana recent. ℔ j,

Herb.

Herb. Salviæ cum floribus,
Carui,
Fœniculi,
Verbenæ,
Florum Lavendulæ ana recent. ℥ ij,
Rad. Pæoniæ rec.
Sem. ejusdem,
Visci quercini decr. Luna coll. ana ℥ ij.

Incisa & contusa crassiusculè infundantur in mensuris quinque
Vini Malvatici opt.
Aquæ Liliorum convall. sine additione simplicis aquæ per M. B. destillatæ,
Spiritus Fragorum ana ℔ j ß,
Aquar. Salviæ
Fœniculi sine additione simpl. aquæ destillatar. ana ℔ j,

Stent in infusione loco tepido vel in cellario per mensem, postea destillentur, primò in arena, tum in M. B. (ne *species* comburantur & empyreuma spiret *aqua*) ad totalem *specierum* exsiccationem; *Aqua destillata aromatica* studiosè asservetur, quæ easdem & quidem majores habebit virtutes, quam si secundum speciosam præscriptam *compositionem* cum additione *caponis*, *conservæ Rosarum*, *panis tritici*, *Amygdalarum*, *pastæ melleæ & fructuum* parata esset. Ex *speciebus relictis vel residuis à destillatione*, beneficio cujusdam *aquæ destillatæ extractum* conficiatur, quod ad justam consistentiam abstractum, & cum *melle rosato citrato*, juxta meam descriptionem confecto, edulcoratum, quoties usus postulat, cum præfatæ *aquæ* particulâ aut *gelatina caponum* commixtum propinari poterit.

Aqua Bardanæ composita.

℞. Rad. Bardanæ recent.
Vincetoxici recent.
Cort. med. rad. Fraxini ana lib. duas.

Minutim incisa infundantur horis viginti quatuor in vini albi odoriferi, & aceti Rutacei ana libris quinque.

Postea destillentur in Balneo Mariæ, addendo post destillationem olei Sulphuris acidi, quantum satis pro manifesto acore, & ad singulas libras liquoris egressi Camphoræ scrupulum semis, quæ in nodulo ligata stillatitio huic liquori immersa pendula permaneat.

A*Qua hæc crebro usui quondam fuerat Clarissimis Reipub. nostræ Medicis Tobiæ Cneulino, & Iohanni Paulo Zangmaistero. Eâ etiam Collegæ nostri fidelissimi D. D. Carolus Widemannus, Iohan. Iacobus Schißlerus, Raymundus Mindererus, & Hieremias Cneulinus grassante peste felici successu usi sunt, ut qui ægris hac lue infectis in publicum Nosocomium delatis tunc temporis opem & operam suam præstabant: sudores enim potentissimè prolicit, venenatorum humorum malitiam temperat, infectionis ac putredinis miasmata disjicit, ac venosum corporis habitum excusso sudore repurgat.*

ANIMADVERSIONES.

NE diu huic *compositioni* refutandæ immorer, & brevibus me expediam, moneo & consultum duco, ut ex *denominatis speciebus, radicibus* scilicet & *corticibus*, nec non *Camphorâ*, beneficio *aceti Rutacei* & *spiritus vini*, aut si mavis, *Iuniperi* ℔ v essentiam duntaxat sine destillatione conficias, cui tùm *Oleum Sulphuris* pro libitu addere potes; Atque *hæc essentia liquida* tùm pro curatione, tùm præservatione *pestis*, ipsâ *aquâ destillatâ* longè efficacior existet.

Aqua Caponis composita.

℞. Caponem evisceratum atque in frusta incisum, depositâ pinguedine, decoque in sufficienti quantitate aquæ, donec carnes ab ossibus separentur, contundatur ad pultis formam.
℞. Brodii colati libras duas semis,
Aq. Borraginis,
Buglossi ana libram unam semis,
Flor. Rosarum,
Violarum,
Buglossi,
Borraginis ana drachmas duas,
Cinamomi electissimi unciam unam.

Destillentur in Alembico vitreo secundum artem.

Analepticum acresumptivum est medicamentum, tabidis, consumptis, & à morbo longo extenuatis, vel iis, qui cibos solidiores assumere nequeunt, proficuum.

ANIMADVERSIONES.

Quanta virtus ex *capone* jam sufficienter decocto, vel ejus *brodio* destillando per Alembicum elici possit, jam satis superque in præcedentibus *animadversionibus super Balsamum embryonum*, & *appendice classis decimæ quartæ, de salibus Theriacalibus* in analysi animalium edocuimus. Ex quibus luculenter videre est, *animalia* simpliciter modo præscripto, vel ad totalem ipsorum exsiccationem destillata, nil præter *aquam* quandam *elementarem* emittere, nisi fortè viventia adhuc liquori alicui immersa, inque eodem suffocata, vel viva adhuc destillationi commissa, *spiritum vivificum summè volatilem* fundere, aut ipsi liquori communicare possint. Longè autem efficacius tabidos confortare, & à morbis longis extenuatos infirmos reficere poteris, si iisdem *jusculum caponis* cum *aqua Cinamomi optima*, aliisque cordialibus permixtum sine destillatione præbueris, quàm si *aquam hanc ex capone destillatam*, ceu nullâ vel exiguâ ejusdem virtute restaurativâ imbutam propinaveris.

Chylostagma Diaphoreticum D.D. Raymundi mindereri p. m. seu aqua ejusdem Theriacalis Bezoardica.

℞. Succ. Nucum Jugland. immaturarum,
Limonum,
Acetosæ,
Pimpinellæ ana libram unam semis,
Cardui Benedicti,
Scordii nostratis,
Rutæ ana libram unam,
Scabiosæ,
Hederæ terrestris,
Calendulæ,
Melissæ hortensis odoratæ ana uncias octo,
Chelidoniæ,
Galegæ,
Aceti de Rubo Idæo,
Sambucini,
Rosati ana uncias quatuor,
Rutacei libram unam,
Rad. Tormentillæ,
Gentianæ,
Dictamni albi ana uncias duas,
Vincetoxici,
Carlinæ ana uncias duas semis,
Petasitidis,
Ostrutii,
Angelicæ,
Zedoariæ,
Cort. Citri ana uncias tres,
Boletorum Cervinorum uncias duas,
Fol. Dictamni Cretici,
Scordii Cretici,
Chamædryos ana unciam unam,
Santali Citrini drachmas tres,
Ligni Rhodii pulverisati drach. duas,
Theriacæ Andromachi uncias duas,
Mithridatii Damocratis unc. unam,
Baccarum Juniperi recentium libram unam,
Cort. median. Sambuci recent.
Fraxini recent. ana manip. tres.

Cortices Sambuci & Fraxini unà cum baccis Juniperi contundantur in mortario vehementer, & extrahatur inde succus cum sufficienti quantitate aceti de floribus Tunicæ, aquæ Pimpinellæ & Rosarum sumendo singulorum partes æquales. Hic expressus succus permisceatur cum succis & liquoribus suprà commemoratis, diluaturque in his Theriaca & Mithridatium. Tandem verò cætera incisa & contusa, in succis & liquoribus jam dictis infundantur, atque iis sic tridui spacio immacerentur, postmodum lento roridi balnei calore per destillationem liquor evocetur, in cujus medietate suspendatur Camphoræ in nodulo serico ligatæ drachma una, altera medietas pro iis, qui Camphoram non ferunt, seorsim reservetur.

Valenter hæc aqua sudorem pellit, venenatamque omnem materiam à centro ad circumferentiam corporis expellens, disjicit, suâ subtilitate corpus undique pervadens, arcensque putredines. Unde peste correptos adjuvat, febribus

bribus malignis adversatur, morbos contagiosos strenuè oppugnat, exanthemata, maculas pulicares seu petechias, variolas ac morbillos excludit. Datur ejus portio aliqua cum Syrupo acredinis Citri aut Limonum, vel cum succo Acetosellæ additis speciebus Liberantis, aut cordiali aliquâ aliâ Antidoto, corpore ab ejus usu ad sudorem composito. Descripta est ab auctore ejus Collega nostro quondam Raymundo Minderero p. m. in libello de peste, quem circa Annum Domini 1608. *edidit.*

SI succus Galegæ & Scordii defuerit, substituatur succus Veronicæ & Verbenæ.

ANIMADVERSIONES.

COmmendo potiorem hujus *compositionis Bezoardicæ* ingredientium partem: *Theriaca* autem & *Mithridatium* perperam destillationibus committuntur, sed majori cum emolumento in substantia exhibentur: Ratio est, quod plurima *Theriacam & Mithridatium* ingredientia destillationibus similibus penitus inepta sint, multa verò parùm promere possint virtutis. Accedit, quod *Theriacæ & Mithridatii* potior pars *mel* sit, quod diris illis affectibus, quibus debellandis hæc *aqua Bezoardica* destinata est, parùm juvaminis afferre poterit, neque etiam assignatâ destillatione vires ejus elici queunt: nisi enim hoc ad totalem suæ humiditatis expulsionem urgeatur, (quod leni hâc destillatione, tàm lento roridi balnei calore perficiendâ fieri nequit,) nil ab eo efficaciæ sperandum est. Quam ob singularem rationem etiam *baccarum Iuniperi, corticum Sambuci, & Fraxini feculæ* duntaxat, cum *aceto* & *aquis destillatis* per extractionem & expressionem prolectæ destillationi committendæ sint, nullus video, quin potius risum extorquet, si paulò penitius consideretur. Verùm ne prolixus sim, suadeo ut ex omnibus *speciebus ingredientibus*, *baccis etiam Iuniperi*, ipsisque duntaxat contusis, cum *corticibus Sambuci & Fraxini*, exceptâ *Theriacâ & Mithridatio*, *aquam* per M. B. ad totalem *specierum* exsiccationem destilles; Ex residuis verò *speciebus*, in quibus non minores virtutes adhuc reconditæ sunt, beneficio *aquæ destillatæ cujusdam vel spiritus vini extractum* conficias, cui postea, si libitum fuerit, *Theriaca & Mithridatium* addi possunt, quod tamen non tantoperè necessarium esse duco: Majoris enim efficaciæ *extractum* hoc, unà cum *aqua sua destillata* in lue pestifera existet, quàm sit vel ipsa *Theriaca vel Mithridatium* vulgari modo parata.

Aqua Confortativa usitata.

℞. Aqu. Cerasorum nigrorum,
Rosarum,
Borraginis,
Buglossi,
Flor. Violarum,
Tiliæ ana uncias sex,
Cinamomi optimi unc. semis,
Margaritarum præparatarum scrupul. duos,
Coralliorum alborum præparatorum drachmam unam,
Cornu cervi præparati scrup. quat.
Confectionis manus Christi perlatæ uncias quinque.
Misce ad vitrum pro usu.

IN *omni debilitate & languore virium exhibetur, spiritus animales puriores reddit, sensuum internorum & externorum organa reficit, atque ita generale quasi confortans omni ætati, sexui, & morbo accommodatum existit.*

ANIMADVERSIONES.

SI *aquæ*, quæ pro hac *mixtura confortativa* ordinatæ sunt, sine additione *aquæ simplicis*, per balneum destillatæ essent (exceptâ *aquâ Cinamomi*) magnifacerem hanc compositionem: Additio autem *cornu cervi usti præparati* frustranea est, cùm nil sit nisi terra mortua, prout partim superiùs in destillatione *Viperarum* demonstravimus, partim etiam suo loco ulterius demonstraturi sumus. *Perlarum verò præparatarum, ut & Coralliorum* additionem non improbo, maximè si illæ *Orientales*, hæc autem *rubra*, & non *alba* fuerint, utpotè quæ omnium Medicorum suffragio in virtutibus rubris longè inferiora sunt. Et

cùm pulverulenta in delicatissimis etiam vehiculis propinata, ægrotantibus nauseam moveant, licet inodora & insipida sint, proinde existimo non inconsultum fore, si loco *Margaritarum & Coralliorum rubrorum præparatorum*, eorundem solutiones cum aceto vini destillato, aut succo Citri claro, vel quod omnium optimum, menstruo ex Venere in sequenti Mantissa indigitato, paratæ (non *Magisteria*, quæ calces inutiles sunt, & æquè ut pulveres fundum petunt;) quæque solubiles & efficaciores etiam sunt, adderentur, & quidem in paulò majori dosi, cùm semper ex uncia una *Perlarum* vel *Coralliorum*, si in *aceto* solvantur, ferè uncia una & dimidia solutionis siccæ eorundem acquiratur. Idcircò pondus vel dosin ipsarum augendam, aut pro drachma una *Perlarum vel Coralliorum præparatorum*, drachmam unam cum dimidia *solutionis* accipiendam esse censeo. Atque tali modo parata *aqua confortativa Perlata* non solùm nauseam nullam ægrotanti movebit, verùm etiam præstantior in operando existet, viresque suas longè celeriùs exeret, quàm si ex *Perlis vel Corallijs præparatis* constaret. Ratio in promptu est; quia antequam *Margaritæ & Corallia cruda* à debilitato ægrotantis ventriculo, ejusque acido utplurimum in morbis depravato fermento dissolvantur, aut eorum virtutes ab ipso eliciantur, multum temporis requiritur, nisi etiam prorsus ab Archæo stomachi intacta relicta, per alvum uti ingesta excernantur, quod modo superiùs dicto *solutis Perlis* præpeditur.

Aqua Cordialis Temperata.

℞. Cinamomi acutissimi uncias tres,
Corticum Citri exteriorum unciam semis,
Ligni Aloës optimi,
Cassiæ ligneæ veræ,
Santalorum omnium ana drachmas duas,
Sem. Ocymi Caryophyllati,
Acetosæ ana drachmas tres,
Galangæ,
Caryophyllorum,
Macis,
Nucis Moschatæ ana drachm. unam semis,
Cubebarum,
Granorum Paradisi,
Cardamomi,
Spicæ Indicæ ana drachmam unam,
Cuspidum succulentorum cornu cervi junioris & recenter capti uncias quatuor.

Incisa & trita irrorentur in phiala vitreata, aspersis
Succi Limonum crudi colati unc. sex:

Stent ita per noctem, tunc affunde
Vini Malvatici,
Granatorum acido dulcium,
Succi pomorum subacidorum crudi & colati,
Erubo Idæo ana libram unam,
Aquar. Borraginis,
Buglossi ana lib. unam semis,
Rosarum,
Violarum ana libram unam,
Acetosellæ,
Cerasorum nigrorum,
Melissæ ana libram semis:

Addendo
Flor. Borraginis,
Buglossi,
Rosarum,
Anthos ana unciam semis,
Croci Austriaci scrupulos duos,
Spec. Cordialium temperat. incompl.
De gemmis frigidis,
Diamargariti frigidi,
Rosatæ novellæ ana drach. duas,
Conservæ Rosarum rubearum vet. uncias quatuor.

Macerentur infusa in vase vitreo probè clauso diebus octo, deinde diligenter Alembici osculis occlusis, ne quid evaporet, per balneum artificiosè destillentur, collectus subinde & in aliud vas vitreum reconditus liquor usui asservetur, in cujus media parte suspendatur sacculus, in quo
Ambræ gryseæ veræ,
Moschi Orientalis ana grana septem contineantur.

Reliqua medietas servetur incompleta.

In

IN subito virium lapsu ex defectu spirituum animalium aut vitalium, cerebrum & cor mirificè recreat: unde apoplecticis, epilepticis, paralyticis, cardiacis & syncopticis commodissimè exhibetur: Insuper analeptica est, & ex morbis diuturnis convalescentes insigniter roborat, viresque corporis universi manifestè restaurat.

HUjus aquæ præstantissimæ compositionem pharmacopoliis nostris propriam esse voluit, Clarissimus & Excellentissimus D. D. Adamus Hebichius, Reverendiss. & Illustriss. Principum Eystadiensis & Augustani Episcoporum Medicus, Reipub. Augustanæ Archiater; & pharmacopoliorum Visitator ordinarius, Collega nobis plurimùm honorandus.

ANIMADVERSIONES.

NUnc iteratò se offert speciosa quædam, & ex centum ac quinque in universum computatis ingredientibus conglomerata *compositio*, quæ quàm eruditè & artificiosè elaborata sit, mecum omnes, quibus natura rerum ingredientium aliqualiter saltem cognita est, facilè perspicient. Utque primò de *cuspidibus succulentis cornu cervi junioris recenter capti* sermonem inchoëmus, ex his equidem egregia medicamenta, quorum suo competenti loco mentionem facturi sumus, parari possunt, verùm longè alio, quàm præsenti assignato modo, destillatione scilicet per *Alembicum calore balnei*. Ita enim destillata *tenella cervorum cornua* (prout etiam cunctæ aliorum *animalium* partes) *aquam* duntaxat sive *humiditatem elementatem* exili virtute præditam exsudant: In illo autem, quod à tàm leni destillatione relinquitur, & cum aliis speciebus abjicitur, summæ ac unicè expetendæ eorum virtutes resident, alio convenientiori modo extorquendæ. Admiscentur itidem huic compositioni *succi nonnulli acidi*, quorum aciditas pariter in residuo manet, nihilque de eadem destillato communicatur, quæ tamen in denominatis affectibus non parùm juvamenti afferre posset. Quòd si etiam *compositas species* examini subjiciamus, certò inveniemus, ipsarum ingredientia pleraque, & ferè omnia, si *preciosos lapides*, utpotè *Hyacinthos*, *Smaragdos*, *Saphyros*, *Sardos*, *Granatos*, *Aurum*, *Argentum*, *Margaritas & Corallia*, *Spodium item sive Ebur calcinatum*, *Sericum tostum & Saccharum* excipias, jam ante ipsi huic compositioni inserta esse: Ecquid autem hi *preciosi* quidem ast *durissimi lapides*, qui non solùm annuam coctionem sine virium deperditione ferre; sed etiam ignis violentiam strenuè sustinere possunt, hâc simplici & leni destillatione præbebunt? Et esto, quod à *succis Citri & Granatorum acidis* addendis nonnihil de *Perlis aut Corallis* dissolveretur, illud tamen (solutum scilicet,) in fundo cucurbitæ remaneret, ut in præparationibus similium *solutionum Perlarum*, *Coralliorum*, *oculorum Cancrorum*, *&c.* manifestè patet. Et quod magis est, *solutiones dictarum rerum* omnem aciditatem (quæ à *sale acido* dependet, & arrepto corpore cum eodem coagulatur, & in aliud ens transmutatur,) *succorum acidorum* arctè secum retinent, ut nil de hisce præterquam insipidum & inutile phlegma in destillatione proliciatur, uti nec etiam simpliciter destillati *succi hi*, aciditatem ullam per Alembicum transmittunt. Quod ad *Aurum & Argentum* attinet, nec illa destillationi apta esse, luce meridianâ clarius est, & ad nauseam usque jam ante à nobis inculcatum est. Similiter neque *Spodium* sive *Ebur calcinatum*, quod jam superabundanter ignis violentiam sustinuit, & ex quo partes subtiliores omnes expulsæ sunt, ut nil nisi *terra mortua* remanserit: Non aliter etiam de *Serico tosto* sentiendum. Tandem, quàm stupidè & *Conserva Rosarum* huic compositioni adjecta sit, uti etiam *Saccharum rosatum tabulatum*, quod *Rosatam novellam* ingreditur, ex *animadversionibus Balsami embryonis* patebit. Perpende nunc, Lector benevolè, quàm inconsideratè & stultè magnificæ tales compositiones à Viris etiam eruditis sæpenumerò consarcinentur, quas ubi pauló severiùs examinaveris, nugis refertissimas, ac insuper etiam in ægri summum detrimentum conscriptas esse, manifestè deprehendes: Ad quid enim illa tot *Gemmarum & preciosorum lapidum*, *Auri itidem*

dem & Argenti, aliarumque rerum frustranea additio aut perditio potiùs, nisi ut misero ægrotanti marsupium exenteretur, & quod plus est, spe suâ de recuperanda valetudine pristina frustretur.

Erroribus hisce crassissimis aliquatenus detectis, reliquum nunc est, ut ex ingredientibus destillationi aptis, aliam præparationem formemus, rationi magis consonam, qualem nunc subjicimus:

Nimirùm

℞. *Cinamomi acutissimi* ℥ iv,
Cort. Citri recentium extim. ℥ iij,
Cassiæ ligneæ ℥ ß,
Santali Citrini ℥ j,
Herb. recent. Basilicon floresc. ℥ j ß,
Galangæ,
Caryophyllorum,
Macis,
Nuc. Moschat. ana ℥ vj,
Cubebarum,
Cardamomi,
Spicæ Indicæ ana ℥ ß,
Rosarum Damasc. odorif. recent. ℥ iij, *vel* ℥ vj,
Flor. recent. Anthos ℥ j,
Borraginis,
Buglossi ana ℥ ß,
Zedoariæ,
Styracis Calam. ana ʒ ij.

Crassiusculè incisa & contusa infundantur in

Vini Malvatici ℔ j,
Spiritûs vel aquæ spirituosæ cort. Citri ℥ iij,
Spiritûs de Rubo Idæo,
Pomorum,
Cerasorum nigrorum,
Rosarum ana ℔ j,
Aqu. Melissæ,
Acetosæ,
Violarum,
Borraginis,
Buglossi omnium sine additione aquæ simpl. destill. ana ℔ j.

Stent aliquandiu in digestione, postea destillentur, rostro verò Alembici vel capitello nodulo inclusa imponantur

Rad. Doronici,
Ligni Aloës odorif. & gummosi ana ʒ iij,
Croci opt. ʒ j ß,
Moschi &
Ambræ si lubet ana ℈ ß.

Vel hæc saltem scil. *Moschus & Ambra*, medietati hujus aquæ separatim destillandæ imponi possunt: Atque sic destillatio perficienda, & aqua præstantissima confortativa usui asservanda est.

Nota: *Succi acidi*, utpotè *Citri, Granatorum & alii*, licet crudi ad cordis corroborationem propter symbolicam aciditatem liquoris in pericardio existentis plurimùm possint; destillati tamen aciditatem & efficaciam omnem in residuo relinquunt, qui etiamsi ad siccitatem usque pellantur, non perindè efficaces sunt, propterea lubens, loco *prædictorum succorum, ipsorum fructuum spiritus* substitui.

Elixir vitæ Matthioli.

℞. Cinamomi unciam unam,
Zingiberis drachmas quatuor,
Santalorum omnium ana drach. sex,
Zedoariæ unciam semis,
Caryophyllorum,
Galangæ,
Nucis Moschatæ ana drachmas duas & semis,
Macis,
Cubebarum ana drachmam unam,
Cardamomi utriusque,
Sem. Melanthii ana drachm. tres,
Anisi,
Fœniculi dulcis,
Pastinacæ sylvestris,
Ocymi,
Rad. Angelicæ,
Caryophyllatæ,
Glycyrrhizæ,
Calami odorati,
Phu minoris,
Fol. Sclareæ,
Thymi,
Calaminthæ,
Pulegii,
Menthæ,

Serpylli,
Amaraci ana drachm. duas,
Flor. Rosarum rubearum,
Salviæ,
Betonicæ,
Rorismarini,
Stœchadis,
Buglossi,
Borraginis ana drachm. unam semis,
Corticum Citri drachmas tres,
Spec. Diambræ,
Aromatici Rosati,
Diamoschi dulcis,
Diamargariti calidi,
Diarhodon Abbatis,
Electuarii de Gemmis ana drachm. tres.

Terantur quæ terenda sunt, & deinde in vitreo vase macerentur ex libris duodecim aquæ vitæ præstantissimæ, è selectissimo vino paratæ, occluso subinde vasis osculo diebus quindecim continuis. Ac deinde vitreo Alembico vasi superposito per aquæ ferventis balneum à perito artifice destillentur, osculis Alembici adeò conclusis, ut nihil inde expirare possit. Aqua quæ inde fluxerit, in aliud subinde vas recondatur, additis Santali odorati tessellatim concisi duabus drachmis, Moschi & Ambræ in tenui linteolo colligator ana scrupulo uno semis, & Julep Rosati clarissimi librâ. Demum concutiantur fortiter, quousque Julep cum aqua misceatur, claudaturque deinde vas cerâ & membranâ, ac ita quiescat diebus quindecim continuis, & ultimò in aliud transferatur vitrum, ibique asservetur pro usu.

Aqua hæc mirabilis efficaciæ ac juvamenti existit, quippe non solùm hausta, sed in faciem ex alterius ore projecta, epilepticos, defectos animo, & fœminas uteri strangulatu decidentes revocat, loquelam amissam restituit, & jam jam moribundos tamdiu sustinet, ut quandoque miraculi speciem afferat. Additur etiam in clysteribus colicorum unciæ pondere, præsentaneo auxilio, ubi à flatu aut frigiditate provenit morbus, & præsertim additis Theriacæ aut Mithridaticæ Antidoti binis drachmis: denique ad frigidos omnes affectus medicamentum magnoperè commendandum existit.

ANIMADVERSIONES.

QUas præcedens *aquæ cordialis temperatæ compositio*, easdem hoc *Elixir vitæ* redolet ineptias & absurditates: Constat etiam ex *novem diversis compositis*, adeoque ex *centum & sexaginta sex ingredientibus*, quorum potiora ter quaterve, imò sexies, vel septies, non secùs atque in ipsa Authoris Antidoto ponuntur. Errores autem crassissimi in hac compositione quoque commissi, maximam partem in *præcedentibus animadversionibus super aquam cordialem temperatam* detecti sunt, ex quibus tùm quivis facilè colligere poterit, quænam ex hujusmet compositionis ingredientibus destillationi apta vel inepta sint. Et ne tanta rerum preciosarum huic *Elixiri* destinatarum inutilis fiat deperditio, ac ut impostorum cùm sumptus, tùm labores compendifaciamus, aliam ex ipsissimis ingredientibus, iisque duntaxat, quæ destillationi assignatæ accommodata sunt, subnectam præparationem:

Utpotè

℞. *Cinamomi acutissimi* ℥ iij,
Zingiberis ℥ ß,
Sant. citrini vel ligni Rhodii ℥ iij,
Zedoariæ ʒ vj,
Caryophyllorum,
Galangæ,
Nuc. Moschat.
Macis,
Cubebarum,
Cardamomi, ana ℥ ß,
Piperis longi,
Nigri ana ʒ ij,
Sem. Coriandri ℥ j,
Anisi,
Fœniculi,
Pastinacæ ana ʒ vj,
Apii ʒ ij,
Rad. Angelicæ,
Caryophyllatæ,
Calami aromat.
Phu minoris ana ℥ ß,
Pyrethri,
Asari ana ʒ j,

Fol. Sclareæ sive Matris sylvæ,
Thymi,
Basilici,
Calaminthæ,
Pulegii,
Serpilli,
Menthæ,
Majoranæ ana recent. ℥ vj,
Flor. Rosarum recent. contus. & sale conditarum ℥ iij,
Salviæ,
Betonicæ,
Rorismarini,
Stœchad.
Borraginis,
Buglossi ana recent. ℥ ij.
Cortic. Citri recentium extim. ℥ ij.

Incisa & contusa crassiusculè infundantur *in* ℔ *xij spiritus vini optimè rectificati*, stentque in infusione loco tepido per aliquot dies, postea destillentur in M. B. ad siccitatem *specierum* usque. *Capitello* verò vel *infundibulo nostri Alembici* immittantur sequentia in petia ligata, nimirùm

Rad. Doronici,
Ligni Aloës opt. ana ℥ ij,
Croci ℥ j,
Moschi &
Ambræ ana ℥ ß.

Aquæ sive *spiritui prolecto* fragrantissimo & efficacissimo pro edulcoratione adde

Iuleb rosati, secundum mentem nostram parati ℔ j,

Et acquires *Elixir* multò præstantius & majoris efficaciæ, quàm si juxta *pomposam præscriptam compositionem* paratum esset.

Aqua Epileptica Langii.

℞. Florum Liliorum convallium manipulos duodecim.

Superfundatur mensura una semis vini Cretici aut Moschatelli, aut aliâs generosi, in eoque per dies quinque infusi maneant, mox vitreis organis tepentis aquæ balneo destillentur. Deinde

℞. Cinamomi drachmas sex,
Nucis Moschatæ unciam semis,
Piperis longi drachmas duas,
Flor. Lavendulæ unciam unam,
Rorismarini,
Stœchadis ana unciam semis,
Cubebarum drachmas duas,
Visci quercini,
Rad. Pæoniæ,
Dictamni nostratis ana unciam semis.

Omnia crassiusculè contrita, rursus in superiore vino per dies octo macerentur loco aprico, postmodum destillentur ut suprà.

HÆc aqua præstantissima est ad epilepsiam, vertiginem & lethargum, non tàm ratione præservationis, omni tempore proximè quadram Lunæ antecedente, eandem usurpando, quàm ratione curationis, in ipso paroxysmo, & recollectis paulalùm viribus, illam assumendo: etiam exteriùs illam applicando summæ efficaciæ & virtutis esse experientiâ constat.

ANIMADVERSIONES.

PAuca in hac *compositione*, ceu reliquis magis concinnâ correctione vel admonitione indigent, præterquam quod *flores Liliorum convallium cum vino Cretico* ad totalem exsiccationem, sive quousque aridi relicti in fundo cucurbitæ remanserint, per M. B. destillandi sint. *Fl. Lavendulæ & Rorismarini* recenter accipiendi sunt, &, si libet, etiam in paulò majori quantitate. Pro *Visco autem quercino*, si ejusdem *spiritus radicalis* violentiori igne prolectus & rectificatus substitueretur, longè meliùs foret. *Radices Pæoniæ* possent jam *perfectæ destillatæ aquæ* minutim conscissæ denuò immergi, & aliquandiu in infusione relinqui, tandem ab ipsis per filtrum *aquæ* separari, quæ postea in vitro probè obturato servanda usui.

Aqua Epileptica Puerorum.

℞. Aquarum Cerasorum nigrorum,
Florum Tiliæ,
Pæoniæ,
Squamariæ ana unc. octo,

Ta-

Tabularum manus Christi perlatarum
uncias quatuor.
Misce ad usum.

Datur infantibus per se, vel cum superioris particula commixta, ad epilepticos insultus dentitionis ut plurimùm tempore, ob gingivarum crassitiem supervenientes, inhibendos & mitigandos.

ANIMADVERSIONES.

IN hac *mixtura* quod moneam, hoc unicum est, ut *aqua denominata* sine ulla additione *aquæ communis* destillatæ addantur: Nam alioquin *aquæ stillatitiæ simplices*, quæ in Officinis prostant, plerumque exigui momenti sunt, nec illæ ipsæ in tanta quantitate, qua cômmuniter expetuntur, neque pro tali precio, quò à vulgo desiderantur, ritè & absque additione *aquæ communis* parari aut divendi queunt: Præstaret tamen, ut quilibet Pharmacopœus ex *selectioribus vegetabilibus*, quantitatem *aquarum stillatitiarum* dextrè & sine additione *aquæ simplicis* paratarum vel destillatarum in gratiam illorum, qui sanitatem æri præferunt, in promptu haberet.

Aqua pro Epithemate Cordis Noribergensium.

℞. Spec. Diamoschi dulcis,
Diambræ,
pro Epithemate cordis ana drachmas duas,
Rosarum rubearum odoratissimarum unciam unam,
Santalorum omnium ana drachmas duas,
Iridis Florentinæ drachmas tres,
Cort. Arantiorum,
Citriorum ana unc. unam,
Boli Armenæ Orientalis drachmas duas,
Aquæ Rosarum libras quatuor,
Vini odorati lib. unam ac dimidiam,
Aceti Rosacei libram unam.

Incisis & contusis omnibus, infundantur & destillentur secundum artem.

IN ipsius cordis affectibus syncope & palpitatione, tùm etiam in febrili calore cor primariò occupante contemperando, præsentaneum remedium præstat.

HOc Epithema cordiale ex diligentissimo Dispensatorio Excellentissimorum Dominorum Medicorum Noribergensium desumptum, & in usum nostrum translatum est.

ANIMADVERSIONES.

NOn minoribus hæc compositio referta est erroribus, quàm superior illa *aquæ cordialis temperatæ*; proinde nec abs re erit, *animadversiones nostras* super eandem conscriptas etiam hùc trahere, præsertim ratione *lapidum preciosorum*, *Margaritarum*, *Corallorum*, *Spodii*, *Serici tosti*, & *Boli Armenæ* (qui præcedentibus *lapidibus aut Perlis* in simili destillatione æqualis existit) nec non *aceti*, quòd in dissolutione *Corallorum aut Margaritarum* cum iisdem veluti coagulatur, aut in aliud ens transmutatur, & in fundo cucurbitæ remanens ejus aciditas, saltem inutile suum phlegma emittit. Ne multus autem sim, addam ex ingredientibus hujus compositionis, destillationi quodammodo aptis aliam formulam paulò præstantiorem, videlicet

℞. *Rosar. recent. incarnat. contusarum & sale conditarum* ℥ vj,
Flor. Borraginis,
Buglossi recent. ana M ß,
Herb. Melissæ citrariæ,
Basilici recent. ana M ij,
Rad. Iridis Florent. ʒ vj,
Zedoariæ ℥ ß,
Galangæ ʒ iij,
Cort. Arantior. recent. extim.
Citri recent. extim. ana ℥ iij,
Cinamomi optimi ℥ j ß,
Macis,
Nuc. Moschat. ana ℥ ß,
Caryophyllorum,
Cardamomi cum capsulis ana ʒ iij,
Cubebarum ʒ ij.

Incisa & contusa grosso modo infundantur in

Aquæ Rosarum odoratissimæ ℔ iv,
Vini albi odorati & generosi ℔ j ß,
Aceti Rosacei ℔ ij.

Stent in infusione loco calido diebus aliquot, postea speciebus sequentibus, utpotè
Radicum Doronici,
Ligni Aloës opt. gummosi ana ℥ j ß,
Croci ℈ ij,
Camphoræ ℈ j,
Moschi &
Ambræ, si libet ana ℈ ß.

In petia ligatis, & rostri Alembici patentiori orificio prius immissis, fiat destillatio usque ad siccitatem *specierum*, ne *acetum* in fundo remaneat: *Aquam* denique *prolectam pretiosam* ad suos usus studiosè asserva.

Aqua Fumariæ Composita.

℞. Rad. Glycyrrhizæ rasæ unc. semis,
Polypodii quercini mundi drachm. septem,
Herb. Absinthii Romani,
Cuscutæ ana unciam unam,
Epithymi drachm. septem,
Flor. Borraginis,
Buglossi,
Violarum ana unciam unam,
Rosarum unciam semis,
Myrob. Chebulorum,
Citrinor. ana drach. viginti,
Prunorum Ungaricorum enucleat.
Passularum majorum enucleatarum ana libram semis,
Pulpæ Cassiæ fistulæ,
Tamarindorum ana unc. duas.

Pulverisanda pulverisentur subtilissimè; reliqua verò incidantur & contundantur, & misceantur, & infundantur in
Aquæ Fumariæ libris septem.

Stent in infusione in loco calido per octiduum, vase quotidiè exagitato, deinde adde
Succi Fumariæ depurati libras tres.

Destillentur in Balneo Mariæ igne lentissimo.

Ventriculum & hepar roborat, obstructiones aperit, cutis morbos præcipuè ab humore salso ac adusto natos, ut psoram, lepram, impetiginem atque serpiginem curat.

ANIMADVERSIONES.

Compositio hæc, ceu indigna, ut publicis Dispensatoriis inseratur, non meretur, ut diu ejusdem correctioni & emendationi immoremur. Etenim ex *speciebus ipsi deputatis*, utpotè quæ naturâ suâ satis violentam, sine virium deperditione, coctionem pati possunt, & quarum etiam bona pars, antequam huic compositioni additæ fuêre, jam sufficienter cocta est, (nimirùm *pulpa illa Cassiæ & Tamarindorum,*) impossibile est ulteriùs tam leni destillatione balnei *viribus ullis prædictam aquam* elicere. Relinquamus igitur has nugas, aliis magis necessariis ac utilioribus sedulam nostram operam accommodaturi.

Aqua Hirundinum usitata.

℞. Pullorum Hirundinum vivo corpore laceratorum, aut dissectorum, numero viginti quatuor,
Visci quercini uncias tres,
Sem. Pæoniæ excorticati unc. unam,
Rad. ejusdem uncias duas,
Aq. Liliorum convallium,
Flor. Sambuci,
Pæoniæ,
Tiliæ ana unc. triginta duas, seu mensuram civilem nostratem.

Stent in infusione loco calido, per horas viginti quatuor, deinde destillentur per Balneum Mariæ.

Reservetur liquor stillatitius in usum.

Adversus epilepticos insultus potens est, apoplexiam antevertit, vertiginem curat, incubo ac paralysi auxiliatur, ac infantium convulsionibus strenuè medetur.

Hujus descriptionis formula nobis hucusque usitata & consueta extitit, quam etiamnum retinemus, licet varii ejus aquæ parandæ modi prostent. Libuit autem alias duas formulas Medicis nostris probatas, hic subjicere, ne publicum bonum in privatum commodum transtulisse videamur.

ANIMADVERSIONES.

NUllâ dubitationis anchorâ distentus teneor, si *aqua hæc* ex *hirundinibus* dextrè elaboraretur, quod multum in denominatis affectibus præstare posset. Itaque ne quicquam, quod utile esse possit, intactum relinquamus, aut *corticibus* servatis, *nucleos* abjiciamus, procedamus hunc in modum. Nempè

℞. *Aquar. Liliorum convallium,*
Florum Sambuci,
Pæoniæ,
Tiliæ absque additione
Aquæ simplicis destillatar. ana ℔ ij ß,

Quibus in cucurbitam vitream infusis, immittantur *Pullorum hirundinum vivorum numero xxiv*, & statim apposito Alembico ac juncturis circumlitis relinquantur in loco tepido per diem unum vel alterum, postea destillando evocetur tota humiditas per Mariæ Balneum ad siccitatem *pullorum*, qui exsiccati & quantum fieri potest deplumati, vel à plumis separati statim immittendi sunt retortæ vitreæ loricatæ, & aucto igne per gradus, ultimò luculentâ flammâ in vas recipiens aliud destillandi, quousque *universa eorum radicalis humiditas cum sale volatili & oleo fœtido* expulsa sit: Queîs peractis, *spiritus cum sale volatili* (quod in ipso dissolvitur,) ab *oleo fœtido* separatus binis vicibus rectificandus, (saltem ad medietatem, ratione *salis volatilis*, quod statim & primò prodit;) & cum *aqua superiùs destillata* conjungendus est; Quibus tandem reliqua etiam infundantur incisa & contusa, utpotè

Visci quercini ℥ iij,
Sem. Pæoniæ excort. ℥ j,
Radicum ejusdem ℥ ij,
Sem. Coriand. ℥ j, } ad obtundendum odorem salis volatilis ex pullis hirund. prolecti.
Macis,
Cubebar. ana ℥ ß,

Destillentur iterum in M.B. vel arena ad siccitatem *specierum*. Ex *residuo* beneficio *spiritus vini* conficiatur *extractum*, quod unà cum *prolecta aqua* asservari, & si lubet etiam apoplecticis ac epilepticis propinari potest.

Aqua Hirundinum composita Minor.

℞. Hirundinum ut suprà vivis corporibus discerptarum numero quadraginta,
Fol. Rutæ recentis manipulos duos,
Castorei unciam,
Vini libras tres.
Destillentur in Balneo Mariæ, ut artis est.

EPilepticos paroxysmos abrumpit, ac comitiali morbo perculsos exuscitat.
Validior est quæ sequitur.

ANIMADVERSIONES.

HÆc ipsa *aqua* ut efficaciter in epilepsia, & congeneribus affectibus suas operationes exerceat, paranda est juxta modum in *animadversionibus antecedentibus* edoctum, destillando nimirum ex *pullis hirundinum*, postquam jam in *vino* suffocati, vinumque ab ipsis abstractum fuerit, *sal eorum volatile*, quod rectificatum *aquæ destillatæ* jungendum, & additis reliquis *speciebus*, nec non quibusdam *odoriferis* ad odorem ingratum cùm *salis volatilis*, tùm *Castorei* infringendum, de novo destillatio instituenda est.

Aqua Hirundinum composita Major.

℞. Pullorum Hirundinum vivo corpore discerptorum numero quadraginta,
Castorei unciam unam semis,
Sem. Pœoniæ,
Rad. ejusdem,
Visci quercini ana uncias duas,
Rad. Dictamni albi unciam unam,
Foliorum Rutæ,
Flor. Sambuci,
Tiliæ,
Liliorum convallium,
Anthos,
Paralyseos ana manip. unum,
Cinamomi acuti drachmas tres,
Cubebarum,
Macis,
Ligni Aloës ana drachmas duas,

Vini albi odoriferi libras octo,
Aceti Scillitici libras duas.

Macerentur per triduum in vase vitreo probè clauso, postea lento igne per cineres aut Balneum Mariæ destillentur. Liquori stillatitio huic postmodum addendo.

Spiritûs Vitrioli rectificati & ex arte præparati, quantum satis pro acore fuerit. Reponatur.

Crebri meatus potenter reserat, obstructiones ventriculorum ejus aperit, convulsionem, spasmum, paralysin, apoplexiam, epilepsiam, morbumque comitialem, ejusque insultus reprimit ac abrumpit, & hos quidem affectus non qualitate solùm manifestâ, sed etiam à proprietate pellit: Verùm adultis potissimùm usurpanda, uteri quoque affectus ac suffocationes plurimùm juvat. Quibus Castoreum odoris offensam parit, ii Ambræ aut Moschi nonnihil adjicere eamque modico Sacchara dulcorare poterunt, ut evadat jucundior.

ANIMADVERSIONES.

IN destillatione hujus *aquæ laudabilis* omnimodè imitari possumus modum in superioris *aquæ hirundinum usitatæ animadversionibus* edoctum: Nimirùm, postquàm *pulli hirundinum* in *vino* suffocati vel submersi, & cum eo destillati sunt, *sal volatile* ex ipsis eliciendum, & *aquæ destillatæ* commiscendum est: Quo facto, additis cæteris *speciebus & Aromatibus* destillatio reiteranda, demùm ex *speciebus residuis extractum* conficiendum, quod urgente necessitate, unà cum *aquâ* propinari poterit. Quin etiam ratione *aceti Scillitici & spiritus Vitrioli* ultimò addendorum, si mihi res committeretur, ego pro *aceto Scillitico succum Scillæ crudæ, vel aquam florum Tiliæ aut eorum etiam succum*, & pro *spiritu Vitrioli* (qui admixtus *aquæ sal volatile hirundinum* in aliud ens commutat) *phlegma* vel potiùs *spiritum Vitrioli volatilem sulphureum, à proprio suo spiritu acido semel atque iterùm rectificatum*, substituerem, & quidem non sine prægnanti ratione, cùm *spiritus hic Vitrioli sulphureus dicto spiritu acido & corrosive* in affectibus apoplecticis & epilepticis longè efficacior sit, & magis appropriatus.

Lac Virgineum.

℞. Aluminis crudi unc. quatuor.
Decoquantur ad tertias in aquæ fontanæ libris duabus;
Postea
℞. Lithargyri libram semis,
Aceti vini libram unam semis.

Decoquantur ad remanentiam libræ unius; colentur & commisceantur ambæ aquæ, ac spatulâ tamdiu agitentur, donec albescant.

Cosmeticum est medicamentum, cuti perpoliendæ, ac manibus lævigandis accommodum, faciem tergit, lentigines delet, cutis infectiones adimit, nec non serpigines, lichenas, impetiginesque persanat.

Aqua Lithargyri.

℞. Aceti acerrimi libras quinque,
Lithargyri Auri,
Argenti ana unc. quatuor,

Stent in infusione in vase vitreo per biduum, postmodum acetum extilletur per Alembicum, quod asservetur. Deinde

℞. Aluminis plumosi,
Salis Gemmæ ana drachmam unam,
Thuris masculi unciam semis,
Camphoræ scrupulos duos,
Aquæ Rosarum libram unam,
Olei Tartari uncias sex.

Terenda terantur, stentque simul in infusione per horas viginti quatuor, rursumque ab his aqua per Alembicum eliciatur.

ANIMADVERSIONES

In Lac virgineum & aquam Lithargyrii.

SI quâ alicui voluntas erit præparationem hujus *Lactis virginis* juxta modum præscriptum instituere, per me licebit. Et quantumvis *solutiones Aluminis & Lithargyrii* se invicem præcipitent, ut neutrum horum suas operationes proprias ritè exserere possit, nihilominùs tamen illa ipsa itâ mixta refrigerando, fucatamque cuti albedinem inducendo nonnihil præstare possunt. *Aqua autem Lithargyrii præpa-*

præparatio per destillationem stupidissima est. Etenim *Saccharum Saturni* sive *sal Lithargyrii auri & argenti*, quod beneficio *aceti destillati* solvitur vel extrahitur, si vel centies destilletur, semper tamen in fundo remanet, prodeunte duntaxat in destillatione solo *aceti phlegmate inutili*. Cæterùm, qui *Alumen plumosum* ceu rem fixissimam, item *sal Gemmæ*, nec non *oleum Tartari* (quod nihil aliud est quàm *sal Tartari*, humiditate aëris attractâ resolutum,) simplici hac destillatione per Alembicum pellere nôrit, næ is mihi magnus erit Apollo. Itaque ex binis hisce destillationibus solam *aquam Rosarum, Thuris ac Camphoræ odore* nonnihil imbutam, unà cum *phlegmate aceti* acquires; Adeoque necessum erit, ut solis costionibus vel infusionibus, intermissâ destillatione, contentus sis. & in fine demùm *Camphoram* s. a. & *aquam Rosarum* admisceas.

Aqua Mastichina.

℞. Mastiches uncias quatuor,
Macis elect. uncias duas,
Caryophyllorum unciam unam,
Cinamomi unciam semis.

Pulverisentur omnia & commisceantur, deinde affundantur illis
Vini Malvatici libræ duæ.

Stent in infusione per triduum, postea destillentur in arena igne lento, donec aquosus humor exierit, deinde fortiori, ultimò verò fortissimo, & quilibet liquor servetur seorsim.

Facultatem ventriculi concoctricem & retentricem confortat, ciborum fastidium absumit, nauseam, singultum, vomitum, & choleram morbum profligat.

ANIMADVERSIONES.

Perplacet equidem præ multis aliis hujus *aquæ Mastichinæ compositio*; id verò unicè circa ipsius præparationem desidero, quod de eo, quomodo scilicet hæc ipsa *aqua* dextrè destillanda sit, & an *liquores*, qui ultimò igne violento & fortissimo prodibunt, empyreuma redolentes, nec non *oleum fœtidum*, à *Maci*, *Mastiche*, *Caryophyllis & Cinamomo* priori grato odorifero & præstantissimo *liquori* commiscenda sint, ne tantillum quidem meminerint, abundè se muneri suo satisfecisse putantes, quod quemlibet *liquorem* à destillatione seorsim asservandum esse innuerint: Ast mehercle hoc ad efficiendam gratam, efficacem & ventriculum insigniter roborantem *aquam* nullatenus sufficit, quin aliâ viâ & quidem saniori procedendum erit, si voti nostri compotes fieri anhelamus; videlicet.

℞. *Species omnes & singulas prout in compositione præscripta enumerantur.*
Quibus superaffunde
Vini Malvatici ℔ ij,

Et post triduanam digestionem destilla per M. B. ad siccitatem usque: *Residuis speciebus* à destillatione denuò affunde
Spiritûs vini optimè rectificati ℔ ij.

Stent in infusione loco calido per unum aut alterum diem, postea *filtratam colaturam* priori *aquæ destillatæ odoriferæ* commisce: *Mixturam hanc* iterum filtra, sicque usui asserva. Si autem ad combustionem usque (uti quidem illorum mens est) *prædictæ species* destillarentur, multum quidem *olei fœtidi* redderent, *aquæ* tamen nunquam permisceri posset; Et si quis fortè tale *oleum* desideraret pro externa ventriculi inunctione, is ex *Mastiche* per se *oleum* elicere, eodemque ventriculum inungere posset, *aqua* verò sive *essentia illa superior odorifera* grataque & efficacissima erit ad usus internos, nec minus etiam utilis, si in languida constitutione ventriculi externè ejusdem regioni cum *pane* saltem applicetur.

Aqua Mercuriata.

℞. Cerussæ Venetæ uncias duas,
Aluminis crudi unciam unam semis,
Salis Nitri,
Ammoniaci ana drachmas duas,
Lithargyri unciam unam,
Zingiberis drachmam unam semis,
Mercurii sublimati unciam unam,
Aquar. Solani,
Plantaginis,
Rosarum alb. ana unc. tres,
Centinodiæ uncias quatuor,
Aceti

Aceti acerrimi libram unam,
Misce & bulliant parum.
Servetur in vitro ad usum sine colatura.

CUtis defœdationi, pustulis, verrucis, ficubus, serpigini, scabiei malignæ, fissuris in volis manuum & plantis pedum conducit, ulceribus inprimis venereis penicillo leniter contactis illita mirificè prodest.

ANIMADVERSIONES.

SI saltem ex aliquibus & selectioribus huic *compositioni Mercuriatæ* destinatis speciebus competens fieret mixtura, non dubito, quin exinde potens exsurgeret, ad nonnullos enumeratorum affectuum externorum integrè curandos medicamentum: Verumenimverò ingentem illam rerum apertè inter se pugnantium commixtionem nullo modo probare possum; Unum enim ab altero præcipitatur, atque hoc modo eorum vires reciprocè infringuntur, vel etiam penitus annihilantur; ut manifestè videre est in *essentia Lithargyri & Cerussæ* per acetum extracta, quæ per addita *Salia* & *Mercurium* denuò præcipitatur, & eo ipso in virtutibus suis diminuitur. Sin itaque aliam aliquam exoptas ad denominatos affectus *aquam* vel *mixturam* præstantiorem, minusque doloriferam, mira interim præstantem, tàm in antiquis ac sordidis, quàm recentibus ulceribus, fistulis ac vulneribus, etiam ubi alia *unguenta* plurima & *Balsama* etiam efficacia nequicquam profecerunt, quamque ob id semper in secretis habui, en fideliter tecum communico talem!

℞. *Aquæ Plantaginis vel Millefolii*
aut quod meliùs est,
Succi Plantaginis vel Millefolii,
hisque etiam non existentibus
Decocti saltem eorundem ℔ j, ℥ ij,
Aloës Succotrinæ ʒ vj,
Mercurii sublimati ʒ ß, *vel* ℈ ij.

Fiat una saltem atque altera ebullitio, tum residere permitte, quia de *Aloë* nonnihil præcipitatur, postea decantetur, addaturque *mellis Rosati simpl.* ℥ j ß. Et mixturâ hâc utere cum linteolis duplicatis in eadem madefactis: & tali modo parata vix ullum infert dolorem. Si quà tamen vulnus vel ulcus esset in partibus nervosis, quibus *Mercurius* inimicus (licet ego nunquam hujus *mixturæ Mercurialis* effectum infelicem observaverim;) posset loco *Mercurii*, substitui *Saccharum Saturni*, *vel etiam Alumen crudum*, in majori tamen quantitate, cum illo longè mitiora sint. Potentiorem etiam si quis *hanc mixturam* exoptaret, posset dosin *Mercurii sublimati ad* ʒ j *vel* ʒ j ß augere.

Aqua Mirabilis Langii.

℞. Florum Primulæ veris,
Rorismarini,
Fol. Majoranæ,
Ivæ arthreticæ ana manip. unum,
Spec. Diamoschii,
Diaplitis,
Diambræ ana unciam semis,
Conf. Anacardinæ unc. unam,
Cubebarum,
Ligni Aloës,
Nucis Moschatæ,
Caryophyllorum,
Macropiperis,
Carpobalsami ana drachmam unam,
Rad. Acori,
Ireos,
Aristolochiæ rotundæ ana unc. unam semis,
Sem. Sileris montani,
Pæoniæ,
Fœniculi ana drachm. unam,
Aquæ herb. Paralyseos,
Salviæ,
Betonicæ ana libram unam,
Florum Tiliæ lib. unam sem.
Serapini,
Opopanacis,
Myrrhæ,
Gummi Juniperini ana drachmam unam semis.

Stent omnia simul mixta in infusione per dies octo, postea extrahantur per Alembicum ter in cineribus calidis, vel vapore, sive balneo sicco.

Est

Est mirabilis juvamenti in præservatione ab apoplexia & omnibus ægritudinibus nervorum frigidis, curans paralysin, torturam, spasmum, & mirabiliter loquelam restituens.

ANIMADVERSIONES.

Mirabilis hujus *aquæ Langii compositio* æquè mirabiliter, uti superior *aqua cordialis temperata*, nescio ex quot quibusvè ingredientibus consarcinata est, cum qua etiam omnimodè convenit, tùm quoad inutilem plurimarum rerum additionem, scilicet *Margaritarum Coralliorum*, *Spodii & Serici tosti* (quæ *species Diamoschi & Pleres Archont.* ingrediuntur,) nec non *Myrobalanorum*, *Anacardiorum*, *mellis & butyri*, (quæ sunt ex numero eorum, ex quibus *confectio Anacardina* composita est:) tum etiam ratione farraginis ingredientium, quorum pleraque bis, ter, quatervè, imò quinquies *huic compositioni* inferuntur, & quidem in tàm exigua quantitate, ut, si exacta computatio institueretur, inveniremus unamquamque dosin vix tantillum de hoc vel illo capere posse; & ut summatim dicam, indigna est hæc tam miris modis *conglomerata compositio*, ut operam nostram in erroribus ejusdem enucleandis occupemus: Relegantur igitur *animadversiones nostræ in præfatam aquam cordialem temperatam*, & alias similes speciosas compositiones factæ, quibus hæc ad amussim respondet.

Aliam hujus aquæ præparationem dexteriorem subjungere operæ precium non duximus, cùm similium aquarum ad eosdem, quibus hæc dicata est, affectus conscriptarum, jam tùm in hoc Dispensatorio ingens sit ubertas, quibus juxta nostras *animadversiones* præparatis facilè quilibet contentus esse, aut secundum easdem, hujus *aquæ* concinniorem compositionem & præparationem eruere poterit.

Aqua Nephritica D.D. Johannis Georgii Brenggeri.

℞. Rad. Althææ,
Ononidis,
Petroselini,
Malvæ,
Saxifragiæ ana uncias duas,
Sem. Ceparum,
Cynosbati,
Fœniculi,
Milii Solis,
Urticæ ana unciam unam,
Baccar. Alkekengi,
Hederæ,
Juniperi,
Cort. Frangulæ,
Tamarisci ana unciam semis,
Ligni Guajaci,
Nephritici,
Sassafras,
Cinamomi,
Macis ana drachmas tres.

Infundantur in vini Malvatici libris quatuor, & spiritûs vini libris duabus, per quatuordecim dies, exprimantur, expressis adde

Succi Fragorum,
Limonum,
Asparagi,
Raphani,
Veronicæ ana libram semis,
Nucleor. Cerasorum,
Persicorum,
Prunorum sylvestrium,
Pulveris contra calculum,
Terebinthinæ Venetæ ana drachmas duas.

Destillentur, ut artis est.

Obstructiones renum aperit, sabulum ex iisdem & ureteribus propellit, terrestrem substantiam, calculorum renum & vesicæ genitricem dissolvit, & lapillos jam procreatos sensim conterit, & in arenulas redactos educit; difficultatem insuper urinæ facilitat, acrimoniam ejusdem mitigat, mictionis variis vitiis occurrit.

ANIMADVERSIONES.

Nauseam mihi movent consimiles *insulsæ compositiones*, quoties eas intueor, & miror magis, quòd tàm speciosis encomiis ornatæ sint: Pauca quippè sunt, præsertim hujus, de qua nunc agimus, compositionis ingredien-

tia, quæ cùm destillantur, aliquid virtutis è se expromunt, reliquorum verò virtutes intactæ in fundo remanent: Itaque si vel pauxillum saltem ex hac farragine elicere animus est, necessum erit, ut peractâ destillatione ad siccitatem usque, *ex relictis in fundo speciebus*, beneficio *spiritus vini extractum* conficiatur, quod ipsum *aquæ destillatæ* jungi, aut seorsim asservatum unà cum illa, quoties usus postulat, propinari poterit.

Aqua Usitata ad oculos.

℞. Aloës hepaticæ,
Sarcocollæ ana drachmam unam,
Camphoræ,
Croci Orientalis ana drachmam semis.
Pulverisentur omnia per se minutissimè: adde
Vini Cretici,
Aquæ Rosarum ana uncias sex.
Bulliant in duplici vase secundum artem.

Morbis oculorum destinata, inflammationes, affluxus, nebulas, pustulas, & maculas eorum sanat.

ANIMADVERSIONES.

Mixturam hanc Ophthalmicam, qui voluerit ad præscriptum modum parare poterit, quantumvis non opus esse arbitrer, ut fiat ebullitio in vase duplici, quin abundè sufficerit infusio & digestio in vase vel phiala clausa, ne spirituosiores *vini & aquæ Rosarum* partes coquendo exhalent.

Aqua Odorifera.

℞. Herb. Menthæ crispæ,
Majoranæ,
Basiliconis,
Thymi ana manipulum unum,
Flor. Lavendulæ,
Rosarum rubearum,
Spicæ Nardi,
Origani ana pugillos duos,
Ireos Florentinæ,
Cinamomi ana unciam semis,
Caryophyllorum,
Macis,
Styracis Calamitæ,
Asæ dulcis ana drachmas tres,
Gummi Ladani drachmas duas,
Ligni Rhodii unciam semis,
Aloës drachmam semis,
Vini Malvatici,
Aquar. Rosarum,
Corticum Citri,
Majoranæ,
Liliorum convallium,
Spicæ vulgaris ana uncias sex,
Aceti Lavendulæ,
Rosarum,
Rubi Idæi,
Sambucini ana uncias tres.
Stent in digestione per decem dies, destillentur lege artis: In destillato suspendatur sacculus albosericus, qui Santali citrini, Zibethi, Moschi, Ambræ ana scrupulum semis contineat.

Debet etiam parari sine contentis istis sacculi, nomine aquæ odoriferæ incompletæ, pro aversantibus dictos istos odores.

Mirâ & singulari virtute excellentis fragrantiæ & suavissimi odoris ipsum cerebrum penetrat, ibidemque spiritus animales reficit: partibus externis imposita, per continuum arteriarum pulsum etiam cordi communicatur, illudque jucundissimè refocillat.

ANIMADVERSIONES.

Haud inelegans est *aquæ hujus odoriferæ compositio*, quam tamen si adhuc præstantiorem conficere velis, accipias *herbas & flores recentes*, pro *aqua* autem *Rosarum*, *spiritum earundem: Styrax & Ladanum*, *lignumque Aloës* nodulo inclusa capitello vel ejus rostro unà cum *Moscho & Ambra* (si expetantur, aut medietati saltem *aquæ*,) imponas, atque hoc modo acquires *aquam fragrantissimam & efficacissimam*.

Aqua Panacis Heraclei composita.

℞. Rad. Pæoniæ decrescente Lunâ collect. uncias tres,

Sem.

Sem. ejuſdem unciam unam ſemis,
Papaveris albi unciam unam,
Sileris montani,
Viſci quercini ana uncias quatuor,
Myrrhæ electæ,
Caſtorei ana unciam ſemis,
Rad. Levitici,
Dictamni albi,
Zedoariæ ana uncias duas,

Infundantur per dies decem in loco calido, fimo aut arena, in aquæ Meliſſæ Majo menſe extillatæ libris quatuor, & vini aromatici odorati libris tribus. Poſtmodum lege artis deſtillentur.

Uterinis affectibus medetur, præſertim verò præfocationibus ac epilepſiæ per conſenſum matricis natæ, menſes iiſdem ac ſecundas pellit, & flatus uteri diſſipat.

ANIMADVERSIONES.

PRæſtantiſſimum & efficaciſſimum medicamen è *compoſitionis hujus ingredientibus* ad denominatos affectus parari poſſet, ſi juxta modum noſtrum jam aliquoties indigitatum ex iiſdem *eſſentia* conficeretur: Nimirùm deſtillando ex enumeratis ſelectioribus *ſpeciebus*, addito *vino odorifero & aquâ Meliſſæ* abſque additione *aquæ ſimplicis deſtillatâ, aquam ſpirituoſam fragrantiſſimam:* Deinde ex *reſiduis ſpeciebus* beneficio *ſpiritus vini extractum ſpiſſum* conficiendo, quod *aquæ ſpirituoſæ ſuperiori* jungatur, ſicque digeſtione brevi *eſſentia* paretur, quæ filtrata tandem aſſervetur uſui.

Aqua Phyſogona.

℞. Seminis Aniſi probè contuſi lib. duas,
Dauci ſylveſtris unc. unam,
Cinamomi acutiſſimi uncias duas,
Nucis Moſchatæ,
Macis,
Galangæ,
Caryophyllorum ana drachmas duas.

Trita infundantur in vini Malvatici libris quatuor, per biduum aut triduum in loco calente. Deinde deſtillentur lege artis.

Ventoſitates à frigidis & craſſis humoribus ſubortas diſſipat, ventriculi rugitus diſpellit, & inteſtinorum à flatibus diſtentorum murmura diſcutit.

ANIMADVERSIONES.

HÆc *aqua* optimè juxta præſcriptum modum deſtillari poteſt: omnium enim ingredientium virtus & efficacia in ſubtili partium tenuitate conſiſtit, quæ tùm facilè unà cum *vino Malvatico* deſtillatione per Alembicum elici poterit. Unum tamen huic *compoſitioni* ineſt, quod aliquatenus ſcrupulum mihi movet, nimirùm additio illa *ſeminis Aniſi ad duas integras libras*, quod pondus ſanè factâ comparatione ad *reliquas ſpecies & vinum Malvaticum* proportionem excedit, exiſtimo tamen σφάλμα eſſe typographicum; ſufficient autem *ſeminis Aniſi* ℥ *iv*, vel ℥ *v*, ad ſummum: Deſtillatio peragenda eſt in M. B. vel in ſegmentis lignorum aquâ irroratis, uſque ad ſiccitatem ſpecierum.

Aqua Stapediana prima.

℞. Theriacæ Andromachi,
Mithridatii Damocratis ana unc. ſex,
Pulv. Elect. de Bolo apud Joubertum,
Bezoardici apud Nicolaum ana uncias duas,
Aquæ vitæ per balneum bis deſtillatæ,
Vini Malvatici,
Aceti Rutacei ana libram unam,
Succi rad. Pimpinellæ,
Limonum ana uncias ſex.

Deſtillentur ſimul in balneo, ac ſtillatitio huic liquori conſervato in phiala vitrea immiſce Theriacæ uncias ſex, maneantque ſic ſimul omnia, ut in fundo quieſcat Theriaca.

In peſte morbiſque malignis mirificas vires obtinet, ſudores potentiſſimè movet; unde venenatam materiam omnem disjicit, valetque plurimùm tàm in curatione, quàm in præſervatione.

Aqua Stapediana ſecunda.

℞. Conditi pro familia libras duas,
Aquæ vitæ ſemel in balneo extractæ,

Vini Malvatici,
Aceti Rutacei,
Succi rad. Pimpinellæ,
Limonum ana libram unam.

Destillentur in balneo, ac extillato liquori permisce Theriacæ Andromachi uncias quatuor, resideat in fundo Theriaca.

ANIMADVERSIONES

In aquam Stapedianam primam & secundam.

QUàm inepta res sit, *Theriacam & Mithridatium, species, quas Bolus Armena, Lapidesque preciosi, aliaque præparata* ingrediuntur, item *Syrupos & conservas*, utpotè quæ maxima ex parte è *Saccharo* constant, nec non *fructus*, qui violentam etiam coctionem sine virium sensili jacturâ ferre queunt, leni alicui destillationi submittere, jam sat superque in præcedentibus *animadversionibus aquarum Chylostagmatis Mindereri*, *Cordialis temperatæ*, *Balsami embryonum*, aliarumque similium demonstravimus, quò benevolum Lectorem brevitatis ergò ablegamus. Proindè consultiùs fore existimo, ut ex ambarum harum compositionum ingredientibus infusa saltem faciamus, absque ulla destillatione, quippe quæ in *peste aliisque morbis malignis* ipsis eorundem *aquis* longè efficaciora erunt.

Aqua Stomachica.

℞. Cinamomi acutissimi,
Caryophyllorum ana drachm. decem,
Calami Aromatici,
Galangæ ana unciam unam,
Zedoariæ,
Zingiberis ana drachmas sex,
Macis,
Nucis Moschatæ,
Baccarum Lauri decorticatarum ana unciam semis,
Costi Arabici,
Piperis Longi,
Nigri,
Seminum Anisi,
Fœniculi ana drachm. tres,
Mastiches electæ,
Olibani electi,
Myrrhæ ana drachmas duas semis,
Corticum Arantiorum,
Citri ana drachmas duas,
Ligni Aloës optimi drachmam unam semis,
Santali albi,
Citrini ana drach. unam.

Incidantur grosso modo & contundantur, mixtis omnibus superfundantur
Vini Malvatici mensuræ quatuor.

Macerentur per octiduum in vitro benè clauso, deinde destillentur in balneo Mariæ. Liquor egressus servetur usui.

V*itia concoctionum in stomacho emendat, imbecillitatem ejusdem corrigit, humores crudos ex pituita & bile, ipsis ventriculi tunicis impactos incidit, & attenuat, ructus atque flatus in ventriculo obortos tollit & dissipat.*

ANIMADVERSIONES.

EFficacior hæc *aqua Stomachalis* redderetur, si cum *extracto ex residuis à destillatione speciebus parato* nonnihil acueretur, aut si ad minimum *Mastiche*, *Olibanum*, *Myrrha*, *lignumque Aloës* in petia ligata sub ipsa destillatione, Alembici rostro immitterentur. Posset etiam ad saporem gratum conciliandum *Syrupis de Cinamomo*, *& de corticibus Citri*, juxta nostras *animadversiones* confectis, illa edulcorari.

Aqua Theriacalis Bezoardica.

℞. Rad. Valerianæ,
Tormentillæ,
Pimpinellæ,
Bardanæ,
Gentianæ,
Petasitis ana unciam unam sem.
Angelicæ,
Dictamni albi ana unc. unam,
Enulæ campanæ,
Zedoariæ,
Aristolochiæ rotundæ ana unciam semis,
Cort. med. Fraxini manip. quatuor,

Herb.

Herb. Betonicæ,
Veronicæ,
Scabiosæ,
Cardui Benedicti,
Hyssopi ana manipulum unum & semis,
Acetosæ,
Agrimoniæ,
Fumariæ,
Rutæ,
Centaurii minoris ana manipulum unum.

Incidenda incidantur, & contundenda contundantur, ac infundantur in
Vini albi Neccarici mensuris quatuor,
&
Aqu. Valerianæ,
Scabiosæ,
Acetosæ ana mensurâ unâ.
Adde
Theriacæ Andromachi, & communis ana unciam unam semis,
Electuarii de Ovo unciam unam,
Boli Armenæ pulver. unciam semis.

Destillentur omnia lento igne, in Alembico benè occluso, servetur usui.

Præstans est hæc aqua in pellenda lue pestifera, commotis nimirum & prolectis sudoribus sumpta: manè à jejuno dimidii cochlearis mensurâ pota, præservativum est celebre, malignis quoque febribus potenter resistit, & adversatur.

ANIMADVERSIONES.

Æqualis est hæc *compositio superiori Chylostagmati Diaphoretico Mindereri*, iisdemque scatet erroribus: Itaque juxta *animadversiones nostras* super illud ipsum conscriptas, etiam hujus *aquæ Bezoardicæ* dexterior præparatio commodè institui poterit; Destillando nimirum *aquam* ex omnibus ingredientibus, exceptâ *Theriacâ* & *Electuario de Ovo*, ex residuis verò *speciebus* beneficio *spiritus vini* conficiendo *extractum* justæ consistentiæ, quod illicò *aquæ prædictæ* commisceri, vel etiam seorsim asservari & tempore necessitatis cum eâdem propinari potest. *Theriaca* tùm ipsius *Andromachi* tum *communis*, item *Electuarium de Ovo*, præfato *extracto* vel *aqua destillata* superiori quidem admisceri queunt; melius autem foret, si similia *Electuaria* postulante demùm necessitate *aquis & essentiis* commiscerentur.

Tinctura Rosarum Siccarum.

℞. Florum Rosarum rubearum unciam semis,
Aquæ fontanæ puræ libras duas,
Spiritus Vitrioli vel Sulphuris rectificati drachmam semis.

Stent simul in Balneo Mariæ tepido per horas quatuor: postmodum in colatura rubicundissima dissolvantur Sacchari finissimi unciæ sex, & denuo per chartam bibulam trajiciantur.

In febribus, aliisque caloribus præternaturalibus insigne refrigerativum, adeoque ipsi hepati confortativum existit, ventriculi etiam bonam digestionem promovet.

ANIMADVERSIONES.

Tinctura hæc paratu facilis est, cum *aqua* scilicet *ferventi*, *Rosis* superaffusâ, additaque *Sacchari & spiritus Vitrioli* quantitate competenti, pro grata aciditate: *Extractam tincturam* denique vase cui inest, benè cooperto, sponte refrigerari sinito.

Aqua vitæ Composita

℞. Cinamomi electi ℥ ß,
Zingiberis ℥ j,
Caryophyllorum,
Nucis Moschatæ,
Granorum Paradisi ana unc. semis,
Ligni Aloës,
Macis,
Piperis longi ana drachm. duas,
Florum Salviæ odoratæ lib. unam,
Cardamomi,
Mastiches,
Cubebarum,
Calami Aromatici,

Galangæ ana drachm. unam ſemis,
Florum Roſarum rubearum drachm. duas,
Citrariæ unciam ſemis,
Corticum Citri drachmas ſex,
Baccarum Lauri unciam ſemis,
Stœchadis Arabicæ drachm. quatuor,
Roriſmarini,
Majoranæ,
Lavendulæ,
Meliſſæ,
Betonicæ ana drachmas ſex,
Rutæ unciam ſemis,
Caſtorei,
Spicæ Indicæ ana drachmam unam.

Pulveriſentur omnia groſſo modo, & infundantur per decem dies in vini ſublimati optimi libris decem. Deſtillentur lento igne in Alembico benè obturato, cui infundatur in petia

Ambræ cineritiæ,
Moſchi Alexandrini ana drachma ſemis.

Servetur optimè, ne evaporet.

Omnes in univerſum, corporis vires firmat, ſpiritus reficit, cor recreat, animi deliquia pellit, ſyncopas delet, vitales ſpiritus reficit, nec non calorem nativum languentem exſuſcitat.

ANIMADVERSIONES.

Inſignis hæc compoſitio, pompoſam illam *Elixiris vitæ Matthioli* compoſitionem longè ſuperans, abſque ulteriori correctione confici poteſt: Attamen *lignum Aloës* gummoſum & odoratum, *Maſtiche* item, *Moſchus & Ambra*, in petia ligata Alembici roſtro imponenda ſunt, ac ultimò etiam prolecta *aqua vitæ Syrupo aliquo*, vel *Cinamomi* vel *Citri*, aut *Iulepo Roſarum*, juxta modum noſtrum in *animadverſionibus ejuſdem* edoctum, parato, ad ſaporis gratiam edulcoranda erit.

Cæterùm in aſſignato exceſſivo pondere *Salviæ* florum ſuſpicor commiſſum eſſe vitium typographicum: nulla enim hujus *ad reliquas ſpecies & liquorem affundendum* eſt proportio: Meo judicio ſufficiet unciam vel duas ad ſummum dictorum *florum* recepiſſe; leves enim ſunt, & ex uncia una ipſorum ſatis magna exſurgit quantitas.

Aqua cum Vino.

Aqua Abſinthii,
Agrimoniæ,
Betonicæ,
Cardui Benedicti,
Cinamomi,
Eupatorii Avicennæ,
Lavendulæ,
Liliorum convallium,
Meliſſæ,
Pulegii,
Salviæ hortenſis,
Veronicæ.

Aquæ deſtillatæ Simplices.

Aqua Acetoſæ,
Acetoſellæ,
Agrimoniæ,
Anagallidis,
Angelicæ,
Artemiſiæ,
Baptiſeculæ,
Betonicæ,
Betulæ arboris,
Borraginis,
Bugloſſi,
Burſæ paſtoris,
Cancrorum cum ſale Armon.
Caponis,
Cardui Benedicti,
Cardui B. Mariæ,
Caudæ equinæ,
Centaurii,
Centinodii,
Chelidoniæ,
Ceraſorum nigrorum,
Chærefolii,
Chamomillæ,
Cichorii,
Cinamomi,
Conſolidæ regiæ,
Cornu cervi ex apicibus,

Cor-

Corticum Citri,
Crassulæ,
Ebuli ex baccis,
Endiviæ,
Euphrasiæ,
Eupatorii Avicennæ,
Fabarum ex floribus,
Farfaræ,
Fœniculi,
Fragorum ex fructu,
Fumariæ,
Gentianæ ex radicibus,
Hederæ-terrestris,
Hirundinum,
Hyssopi,
Ivæ arthericæ,
Lactucæ,
Lapathii acuti,
Lavendulæ,
Levistici,
Linariæ,
Lilior. convallium ex floribus,
Lilior. alborum ex floribus,
Ligustri florum,
Majoranæ,
Malvæ,
Mellis,
Meliloti,
Melissæ utriusque,
Menthæ,
Nymphææ ex floribus albis,
Nasturtii,
Omnium florum,
Ononidis,
Papaveris utriusque,
Petroselini,
Pæoniæ ex floribus,
Pulegii,
Primulæ Veris ex floribus in pellicu-lis,
Picarum,
Plantaginis utriusque,
Portulacæ,
Prunellæ,
Rosarum utrarumque,
Raphani ex radicibus,
Roris Majalis,
Rorismarini,
Rutæ,
Salviæ utriusque,
Sambuci ex floribus,
Sambuci ex floribus & uvis,
Saxifragiæ,
Scabiosæ,
Scordii,
Sempervivi majoris,
Sempervivi ex sale Armoniaco,
Sigilli Salomonis,
Solatri,
Spermatis Ranarum,
Squamariæ,
Saturegiæ,
Spicæ ex floribus,
Taraxaci,
Tiliæ ex floribus,
Tormentillæ,
Tunicæ ex floribus,
Valerianæ,
Verbenæ,
Veronicæ,
Violarum ex floribus,
Vitium lachrymarum,
Urticæ.

Vina Medicata.

Vinum Berberum,
 Cydoniorum,
 Granatorum,
 Ribium.

ANIMADVERSIONES

In Aquas destillatas simplices, cum, & sine Vino, ac Vina Medicata.

De *aquis simpliciter destillatis* acturi, maximè necessarium fore judicavimus, ut paulò accuratiùs de illis, quàm in præsens ab Authoribus (eas duntaxat recensendo) factum est, & distinctius loquamur, eoque magis, quòd vel pauci vel nullus adhuc fuerit visus, qui de his quicquam dilucidè, quod animum veritatis & discendi avidum satiare posset, scriptis commendârit. Proindè cùm non tàm ex *vegetabilibus*, quàm *animalibus & mineralibus aquæ* simpliciter destillari præcipiantur, uno autem

autem & eodem deſtillandi modo commodè & dextrè perfici nequeant, præſtat ut *ſingula regna* ſigillatim, quantum experientiâ edocti ſumus, paululùm percurramus. Sit autem *minerale regnum*, quod reſpectu reliquorum fixiora imò fixiſſima ſubjecta habet, primum, in quo non pauca reperiuntur, quorum ſubſtantia integra, licet in baſi fixa dici mereantur, partes tamen habeant nonnullas volatiles, quarum virtutes prægreſsâ quidem fermentatione, aut reiteratâ cohobatione, ſimplici & communi per Alembicum deſtillatione ex parte, vel etiam totaliter pelli queunt; in quorum numero *Vitriolum* non infimum locum obtinet, *Alumen* item, quod ferè totum Alembicum tranſit, item *Nitrum* competenti vehiculo ſociatum, utpotè *Mannâ*, *rore majali* vel *aquâ pluviali*, *&c.* Simpliciter autem hæc & ſimilia ſine prægreſſa competenti digeſtione, aut reiteratâ cohobatione, vel analogi menſtrui affuſione, deſtillationi commiſſa, (quod communiter in *compoſitionibus aquarum antecedentibus* factum eſſe obſervavi,) non eſt, quòd nobis quicquam de virtutibus eorum promittamus. *Metalla* verò, *lapides & gemmæ*, *ac mineralia plurima*, quæ quàm ineptè & perperam deſtillationibus, in cucurbita vel Alembico, affuſo inſuper liquore, perficiendis committantur, quilibet agnoſcet, qui eorum naturas & proprietates aliqualiter perſpectas habet, aut experimentum facere non gravabitur: Et poſito, non autem abſolutè & univerſaliter conceſſo, *metalla*, nec non *lapides precioſi candefacti*, inque *liquore* extincti, communicarent quandam virtutem extinguenti liquori, non propterea, quantilla etiam illa ſit aquæ communicata, & nil aliud niſi particula *metalli* vel *lapidis ſoluti* eſſe poteſt, deſtillata per Alembicum tranſcendet, ſed in fundo cucurbitæ, etiamſi centies affuſo liquore deſtillaretur, reſidua manebit; quippè quòd clarè & perſpicuè demonſtrant *ſolutiones metallorum & lapidum precioſorum*, item *Margaritarum*, *Corallorum*, *&c. aquis corroſivis* peractæ, quæ, quoties etiam à ſuo menſtruo ſolvente per deſtillationem liberentur, non ſolùm integrè in reſiduo maneant, ſed utplurimum ſolventis menſtrui *acorem*, *aut ſal acidum* iis aſſociatum, & in aliud ens converſum, ſecum retinent, non niſi ignis violentiâ ſeparabile, cum deſtructione autem (exceptis *metallis*) rei vel *lapidis diſſoluti*.

Hoc breviter abſoluto, *animale regnum* ſuccinctè etiam & breviter percurramus, in quo quidem plurima nobis ſuppetunt notatu digna, Medico inſuper ſcitu neceſſaria, niſi & illa ipſa cauta eſſe debeant quibuſdam malevolis, adeoque ſtudio plurima ſilentio tranſilientes, *carnes ſaltem animalium*, quæ in hac claſſe multoties deſtillationi concinnantur, utpote *capones*, *hirundines*, *&c.* paucis examinemus, ubi primùm de natura vel proprietatibus *animalium*, an nimirum fixa ſive volatilia ſint, quædam examinanda occurrunt, quæ niſi exquiſitè cognita ſint, nil proficui efficerimus. Non loquor autem in præſens de *vivis animalibus*, de quibus ſuprà, ſed de *mactatis ſalutiferis & eorundem carnibus*, *oſſibus*, *ſanguine*, *&c.* quæ cuncta volatilia eſſe deprehendimus, ita tamen, ut violentiorem ignem deſiderent deſtillationi commiſſa, quàm quædam *vegetabilia balſamica ſulphurea*, propterea nil quicquam illis, ſive cum aqua fortiter coquantur, aut per ſe aſſentur, & vel totaliter etiam exſiccentur, de viribus vel eſſentia eorum detrahatur, ſed *humiditas* ſaltem *elementaris* exhalat, donec violentiori igni admota ex integro comburantur; ſic tota eorum ſubſtantia ferè avolat, relictâ *pauculâ terrâ* mortuâ inutili, ſed de his fuſiùs in *animadverſionibus ſuper appendicem claſſis decimæ quartæ*, quas Lector conſulat. Quibus ita ſe habentibus, experientiâ teſte, quid nobis promittimus per ſimplicem deſtillationem, affuſo inſuper liquore, ex illa vulgò tradita, à vapore exhalante, aquea humiditate omni virtute carente? Quis enim, ut ſeſe ſaturare poſſit, aut vires collapſas reſtaurare, *vaporem aqueum*, coquendo à carnibus exhalantem appetit, non verò *carnes ipſas*, vel earum *juſcula nutritiva*? Et quamvis nonnulli aſſerant, quod vapor quorundam eduliorum, *panis* nimirum *recentis*, *carnis aſſatæ*, *&c.* macie & maraſmo conſumptos reſtauret & nutriat, id tamen & veritati & experientiæ repugnat. Nam ſi hoc verum eſſet, conſultiùs foret,

uti superiùs etiam innui, *crudis* vesci *carnibus*, quàm *coctis & assatis*, *vapore nutritivo spoliatis*, aut in Alembico vel cucurbitâ suo capitello munitâ illa semper coquere, & vaporem unà cum *carnibus*, cùm coctis tùm assatis asservare, & nutritioni accommodare, sed cachinno digna hæc sunt. Vellem, ut qui pertinaciter antiquorum tradita defendere nititur, experimentum faceret, *carnes* sive *caponum*, sive aliorum *animalium* in balneo fortiter coquat, ad totalem etiam earundem exsiccationem, & experietur, quàm insignem scilicet *aquam nutritivam & confortantem* adipisceretur, quam sibi servet; nos verò *carnibus coctis & pane*, si sani & incolumes, vel *jusculis* aut *gelatinis* eorum, si à morbo aliquo diuturno debilitati & exinaniti fuerimus, interim spreto eorum vapore, vescemur. Et ut verba ad compendium referam, quæ supersunt de *animalibus* & illorum destillationibus, & superioribus nostris *animadversionibus classis undecimæ super Trochiscos*, item *super Balsamum embryonis*, *aquam caponis & hirundinum* factis, peti possunt.

Transeamus jam ad *tertium illud regnum vegetabile*, quod quàm diversas & multifarias habeat species, & quàm exactâ cognitione opus sit iis, qui eas dextrè destillare velint, ne *cortices nucleis* præferant, vix sufficienter describi, nec universalis destillandi modus assignari potest, quo cuncta *vegetabilia* dextrè destillari queant, ut *aquæ* ex illis prolectæ verè eorum virtutes æmulentur: Quædam enim ipsorum ità nata sunt, ut affuso liquore, ceu vehiculo, in quem virtutes deponant, destillata, potiorem suam essentiam & virtutes unà cum sapore & odore per Alembicum transmittant, ac insipida in residuo remaneant, solo *sale fixo* (quod operæ precium est asservare,) si ulterius crementur aut in cineres redigantur, prægnantia, ex quorum numero sunt, *Cinamomum*, *Caryophylli*, *Anisum*, *Carvum*, *Fœniculum*, *&c.* Quædam verò duntaxat odorem rei destillatæ repræsentant, non verò saporem, in quorum serie amara & dulcia deprehenduntur, utpotè *Absinthium*, *Opium*, *Tanacetum*, *item Rosæ*, licet eorum *olea destillata* aliquali ipsorum sapore imprægnata sint, non tamen æquè manifestè, ac superiorum prædictæ *aquæ*, quod ipsum non levem dubitandi ansam præbet, an nimirum similes *Aquæ* utcunque odoriferæ, integris dictarum *plantarum* viribus ditatæ sint. *Tertium genus vegetabilium* similibus destillationibus per Alembicum affuso liquore, planè inhabile & ineptum est, eò quod hujus generis *vegetabilia* jam denominanda, neque saporem, neque odorem (quo nonnunquam vel penitus destituuntur, aut vix sensibili imbuta sunt) proprium in destillatione fundant, sed *aquam duntaxat vel humiditatem insipidam*, communi similem omni virtute expertem, ex. gr. *Fructus complurimi dulces & acidi*, utpotè *Berberes*, *Ribes*, *Myrobalana*, *Pruna*, item *succus Liquiritiæ*, *Saccharum*, non paucæ *radices*, *herbæ*, *flores*, *semina*, *ligna*, *Gummata*, *&c.* Horum enumeratorum & similium nullum, uti dictum, nec saporem nec odorem proprium, nisi fortè exiguum & vix perceptibilem, neque etiam (quod in *purgantibus sive catharticis* manifestissimum est,) virtutes proprias *aquæ destillatæ* impertitur. Porrò ex *herbis aut radicibus*, *aliisvè vegetabilium speciebus*, *vi adstringente manifestissimâ ac stipticâ præditis*, utpotè *Tormentillâ*, *Bistortâ*, *Sanguisorbâ*, *radice Acetosæ*, *floribus Balaustii*, *Prunis sylvestribus*, *succis Acaciæ*, *Hypocistidis*, *&c.* nec tantillum de dictis eorum virtutibus destillatione cum liquore affuso, exprimi ac elici potest; remanentia autem eorum terrestrior à destillatione, adstrictoriâ virtute quàm maximâ pollet, quâ aqua ab iis destillata penitùs destituitur. Atque adeò in vanum laborant, & cribro aquam hauriunt, qui ex similibus *rebus adstringentibus*, curiosâ licet solertiâ destillatis, singulares *aquas stipticas* sibi pollicentur. Quæ cum reverà ità se habeant, non iniquè aut sine ratione in plurimis antecedentibus compositionibus, quantum in conglomerata illa & sæpiùs perperam congesta ingredientium farragine fieri potuit, eò respexi, ut vires integras in *compositis* conservarem, cùm *aromaticalium & balsamicorum*, tùm *aliorum vegetabilium*, ac ipsorum etiam *animalium*. Et quilibet ex præmissis facillimè cernet, quod haud prudenter, & sine omni naturalium re-

rum verâ cognitione & ſcientiâ, cuncta cùm *mineralia, tum animalia*, & promiſcuè etiam omnis generis *vegetabilia & marina*, uni & quidem ſimplici deſtillationi, in *M. Balneo, arenâ vel veſicâ*, affuſo liquore peragendæ, concinnentur. Proindè neceſſum erit, ni poſteris etiam ludibrio exponi velimus, ut penitiùs rerum eſſentias & naturam perveſtigemus, ac ſtudioſè obſervemus, quarum rerum virtutes per ſimplicem lenemque, quarum per aliam artificioſam & violentiorem *deſtillationem & ignem*, ad totalem illarum *combuſtionem* nimirum, & quarum etiam per *extractiones & decoctiones* potiùs, virtutes ac eſſentiæ elici quæque etiam crudè vel in ſubſtantia, nutritionis & confortationis, vel etiam alterius intentionis causâ aſſumi poſſint, ne in tot præcipitemur inexcuſabiles errores, nullo modo conticendos; cùm ſi dextrè & debitè operemur, in proximi ſalutem, ſin ſecus, in ejus detrimentum & interitum vergat.

Poſito hoc diſcurſu generali de *tribus ſimplicium regnis*, & eorum contentorum naturis, incumberet nobis, ut etiam adjiceremus, quâ ratione ſingula artificioſè & dextrè deſtillanda ſint, ut eorum *aqua, ſpiritus, & olea deſtillata*, propriarum rerum, è quibus profecta, virtutes ac vires referant, iiſdemque abundanter prægnata ſint. Verùm hæc non exiguum judicii acumen poſtulant, ſed verum, longâque experientiâ edoctum Philoſophum: Et cùm fortè hac in parte unicuilibet, & quidem in præſens, ubi brevitati ſtudeo, ſatisfacere nequeam, præſertim in *minerali regno* quod totam Chymiam involvit, ac brevibus coërceri & perſtringi non patitur, idcircò illud ſaltem *quoad mineralia* mihi in aliud tempus, Deo dante, ubi experientia rerum magiſtra plura ſuppeditabit, eaque realia, vera & digna, reſervo, additurus tamen pauca, anſâ arreptâ & materiâ ſuppeditante in *ſequenti mantiſſa. Animalia* quod ſpectat, de his ſufficienter actum eſt in *animadverſionibus ſuper appendicem claſſis decimæ quartæ, aquam item Hirundinum, & cornu cervi philoſophicè præparatum in ſequenti Mantiſſa*, ex quibus qualiter & quomodo deſtillanda, aut alio modo virtutes ex iis eliciendæ ſint, dilucidè patet. Reſtat nunc, ut *vegetabilia* paulò penitiùs perveſtigemus, atque genuinos & faciles eorum deſtillandi modos, ſi deſtillationi apta ſint, inferamus: Pro quorum meliori dilucidatione, diligenter & penſiculatè ruminentur ea, quæ ſuperiùs paulò de differentia *vegetabilium* inculcavimus, item quæ de *vegetabilium* quorundam deſtillatione & reſolutione in *animadverſionibus ſuper aquam aſthmaticam hujus claſſis*, nec non quæ de *eſſentiis aut ſpiritibus vegetabilium in animadverſionibus eorundem ſequentis Mantiſſæ* innuimus, in quibus non ſolùm, qualia *vegetabilia* huic vel illi deſtillationi apta vel inepta, quæque *extractionibus* aut *decoctionibus* potiùs, vel in ſubſtantia ut aſſumantur, accommodata ſunt, verùm etiam eorum præcipuæ & artificioſiores *aquarum deſtillationes & eſſentiæ* luculentiſſimè & ſatis clarè patent. Proindè ut ſimpliciſſimam ſaltem *aquarum ex vegetabilibus* deſtillationem, de qua ex inſtituto jam ſermo eſt, brevibus indigitemus, præſtat ut Chymicorum quorundam, *ſimplicium aquarum ex ſuccis, ſuo proprio ſale acuendarum, deſtillandi modum* ſub incudem etiam rectæ rationis & experientiæ revocemus: An nimirum tota *plantarum* virtus, *ſuccis deſtillatis*, cum reſiduo ex incineratis herbis profecto *ſale* maritatis, implantata vel ſufficienter impreſſa ſit? & ex quibuſlibet *plantis ſuccus* exprimi poſſit: An ſufficienti & competenti in quantitate, *ſal* ex reſiduis ſaltem à deſtillatione *plantis* elici, ut debito & proportionato pondere *aquis & ſuccis ſtillatis*, jungi queat? Et tandem an ea in quantitate, quâ exiguntur, & à vulgo expetuntur, *aqua* hâc normâ ſufficienter deſtillari poſſint? Quæ neceſſaria requiſita ſuis certè non carent difficultatibus haud exiguis. Præprimis plurimæ *plantæ* & *herbæ ſiccioris & balſamicæ naturæ* ita natæ ſunt, ut non ſolum exiguam *ſucci* portionem, imò aliquando nullum omninò, utut fortiſſimè ope torcularis premantur, verùm etiam illum ipſum *ſuccum* (ſi quem præbent) odore tàm fragranti, quàm *planta* antea pollebat, imbutum, minimè ſuppeditent, reſiduæ verò à preſſura *plantæ* etiamnum humidæ, & odore & virtute propriâ uberrimè prægnantes remanent, atque ideò hæ ſaltem *odori-*

feræ ficciores & balsamicæ herbæ, hoc destillandi genus planè respuunt, alioque modo tractari, & liquorem sibi affundi, vel statim *sequenti simplici destillationi* in substantia committi exoptant. Porrò ex *floribus quibuscunque*, paucis exceptis, quorum *aquæ* tamen frequenter expetuntur, vel nullus omninò, vel exigua *succi* quantitas, isque totus mucilaginosus, exprimi potest, remanentibus *floribus*, viribus integris adhuc præditis, nisi quòd quidam suâ fragrantiâ, quâ anteà pollebant, per contusionem in mortario penitùs etiam priventur, & neque *succus* ab iis expressus, neque *flores relicti* odorem proprium sed ingratum veluti fœtorem spirent. Quæ autem paulò *humidiores vel succulentiores plantæ*, & ad *succum* exprimendum aptiores, illæ ipsæ etiam vel *balsamico & fragranti odore* præditæ, vel *inodoræ & terrestriores* sunt: *Illæ* si exprimantur, earum *succus*, uti superius etiam dictum, tantâ fragrantiâ non gaudent, ac residuæ à pressura *plantæ*, idcircò & harum tota substantia destillationi commissa *aquam* suppeditabit majoribus viribus præditam, quàm si ex solo *succo* destillata esset: *Hæ* verò *inodoræ* sive integræ vel in substantia, sive earum *succus expressus* destillationi adaptetur, potiores tamen earum virtutes in residuo concretæ remanent, & *aquæ* ipsarum *elementarem* potiùs indolem, quàm singulares virtutes sapiunt. Hinc patet, quod *aquæ hæ* in genere ex *succis* destillatæ, licet proprio suo *sale* maritatæ sint (qua in re tamen non leve obstaculum sese offert, uti sequetur;) viribus nativis & integris tamen truncatæ prostent.

De *sale* addendo & *aquis destillatis* admiscendo non exigua etiam difficultas est: Nam *plantæ humidiores & succulentiores* copiosè *succum* & *aquam* suppeditant, ex residuo autem & remanentibus à pressura sive destillatione tanta copia *salis* extrahi nequit, ut in competenti, quâ exigitur quantitate, *aquis destillatis* jungi possit; Sat magna enim quantitas *herbarum* communiter requiritur ad *unciam unam vel alteram* conficiendi *salis*, suntque *plantæ & vegetabilia* quædam ità constituta, ut vix sensibilem *salis fixi* præbeant particulam, utpotè *Helleborus*, item *lignum sanctum*, ex quo nisi singulari artificio *sal fixum* extrahatur, vix quicquam illud calcinando vel in cineres redigendo elicietur: Adeoque ridendi sunt illi, qui sæpenumerò vix ex *dimidia* vel *libra una specierum*, peractâ aquæ destillatione aut extractione *sal* extrahi, illudque *aquis destillatis vel extractis* jungi præcipiunt. Unde necessum est, ubi *sale proprio aquæ destillatæ* prudentissimè quidem & dextrè acui jubentur, ex majori *plantarum* copia (præsertim si succulentæ fuerint,) quàm quæ à destillatione residua est, *sal purum* eliciatur, tandemque *aquæ suæ propriæ* in competenti quantitate adunetur, nimirùm *ad* ℔ *j aquæ* addendo ʒ *ij vel iij salis*: Hunc autem *salem*, si prius proprio a *plantæ oleo destillato* (ʒ ß *vel etiam* ℈ *j olei destillati ad* ℥ *j salis*) impraegnare, & in phiala spatio aliquot dierum lento cinerum calore circulare & exactè unire, tandem unita *aquis* jungere volueris, *aquas* efficies, quæ *essentiæ*, uti vocant, *quintæ* nomine divendi possunt, viribusque integris *plantarum*, ex quibus elicitæ sunt, uberrimè prægnantes.

Tertium quæsitum est, quod licet *Officinarum simplices aquæ destillatæ*, ob copiosam *aquæ fontanæ* affusionem minimè arrideant, & nullius ferè efficaciæ sint, maximè quæ ex frigidioribus *plantis* paratæ, ex *succis* tamen *solis* si destillandæ essent, tantâ copiâ, in qua nunc à vulgo, imò Medicis ipsis desiderantur, præsertim ex paulò naturâ *aridioribus plantis* vix ac ne vix quidem sufficienter parari possent, etiamsi Pharmacopœi solis *aquarum destillationibus*, & non aliis rebus operam suam nuncuparent: Accedit, quòd hodierno die tàm vili precio *aquæ destillatæ* ex Officinis petantur, ut si accuratè & dextrè, sive ex *succis*, sive, uti sequetur, ex *tota plantæ*, suo *sale* ritè acuatæ confici deberent, ne *carbones* ad destillationes necessarios, multò minùs *plantas* illo ære comparare sibi possent Pharmacopœi, nedum ut debitum pro labore ferrent præmium.

His fundamentis nixus, non suspicor ullum fore, qui non plenariam de *aquarum destillationibus* informationem excerpere, & *vegetabilia* huic vel illi intentioni apta sibi seligere possit. Ultimum nunc est, ut *simplicium aquarum* com-

communissimum destillandi modum, qui nobis arridet, parumper indigitemus: Perplacet autem præ cæteris simplicium aquarum destillandarum modis, (si ritè & debitè confici debent, & debito ære persolvantur,) is simplicissimus, qui etiamnum mulierculis familiaris est, & in *cucurbita plana & humili suo capitello munita*, quam super arenam vel sabulum madefactum, sub quo ignis carbonum accensus, collocant, eidemque *herbas* contusas vel conscissas absque *aquæ simplicis* affusione immittunt, peragitur.

Hic modus, licet communissimus, non tamen ridendus vel spernendus est, ob diversas rationes: Etenim quò magis sublimia *aquæ* petere aut in altum elevari debent, eò minùs de partibus rei destillandæ fixioribus (quibus sanè non exigua vis & efficacia operandi attribuenda,) præsertim *herbarum quarundam frigidiorum*, secum rapiunt. Quem modum si Pharmacopœi solertiores imitari, vel juxta eundem paulò artificiosiùs similem destillationem instituere vellent, suaderem, ut *plantas*, quas sine additione *aquæ simplicis* destillare intendunt, concisas minutim retortæ vitreæ & humili immitterent, & ex illa in M.B. vel quod melius, *segmentis lignorum humidis* locata, subligato annulo plumbeo, qui retortam deprimat, quàm violenter etiam in tali destillatione poterunt, *plantas* ad siccitatem usque destillarent; Qui modus equidem in *plantis succulentis* maximè locum habet. Si autem *herbæ* (de *floribus* aliisque eadem ratio est,) aridiores fuerint, illæ nonnihil vel *vino* vel *aquâ simplici* prius humectandæ sunt. Verùm enim verò qui in arte destillatoria probè versati sunt, & gradus ignis dextrè regere sciunt, illi in *retorta vitrea loricata* igne aperto moderato, hanc herbarum & plantarum, (sive succulentarum, sive paulò aridiorum,) destillationem faciliùs minori cum labore, & laudabiliùs peragere possunt, modò observent, ut furnum habeant aut sibi exstruant satis altum, ne retorta, cui *herba destillanda* inest, igni proximè adhæreat, sed quantum fieri potest, remota ab igne in altum collocetur, & supra retortam furnus etiam claudatur, relicto foramine vel spiraculo in medio, ut in destillatione spirituum mineralium aliàs moris est. Atque *hâc simplici destillatione* non solùm partes *sulphureæ*, sed & fixiores (impropriè terrestriores dictæ) ex plantis ascendunt, & *aquas* nobilitant; quas tamen si adhuc efficaciores reddere, aut proprio ipsarum *sale* acuere animus est, ex residuis à destillatione *plantis*, aliisque adjectis (si hæ non sufficerint) mediante calcinatione *sal* confici, & illis debito & competenti pondere jungi potest. Juxta eundem modum etiam *olea ex Aromatibus* nonnullis commodè destillari possunt, nimirum irrigando priùs *Aromata* pauculo *vino*, postea igne paulò intensiori, quem maximè hic ipse destillandi modus ferre poterit, sine ambustione tamen rerum destillandarum procedendo: plura quæ supersunt, de *oleis destillandis vegetabilium* monenda, in *sequenti Mantissa*, & sub proprio titulo patebunt.

Hæc sunt, quæ paucis de *destillatione vegetabilium* in genere annotare volui, è quibus, quæ ex præcedentium *compositionum* ingredientibus destillationi apta vel inepta, & quibus *aquis destillatis* consultum sit ex residuis paratum *extractum* addere, quæ denique *decoctionibus vel essentiis* parandis potiùs quàm destillationibus accommodata sint, clarè satis patebit.

Reliqua jam adhuc sunt *vina medicata* (quæ non nisi analogicè hoc nomine veniunt; sunt enim tantum *succi vegetabilium* cum modico *Sacchari* decocti, vel crudè asservati:) quæ qualiter exprimere & sine corruptione asservare oporteat, Pharmacopœis satis superque notum est, idcircò ipsorum præparationem intactam relinquens hoc saltem moneo, scilicet, cum talia *vina medicata* destillationibus planè non accommodata sint, ea imposterùm destillationi submittenda non esse, uti quidem in hoc Dispensatorio sæpiùs, verùm prorsus inutiliter & perperam factum esse video.

Acetum de Lithargyro.

℞. Lithargyri subtilissimè triti lib. unam,
Aceti fortissimi libras duas.

Stent simul in infusione per tres vel quatuor dies, sæpiùs interdiu agitando. Post maceratio-

nem residere sinito, & clarissimum reservetur pro usu.

IN perpolienda cute & ulceribus humidis, fœtidis & malignis exsiccandis magnificus ejus usus. Cum oleo Sambuci vel Violarum commixtum in serpigine, herpete & inflammativis doloribus magno cum commodo applicatur.

Acetum Scilliticum.

Scillæ præparatæ laminas inter corticem & cor medias, acu lignea filo consutas, tanto intervallo ne se contingant, siccabis in umbra dies quadraginta: postea concisam cultello ligneo libram unam dies alios quadraginta insolabis in aceti boni (videlicet albi antiqui) libris octo, in vase vitreato stricti orificii benè obturato, postmodum colabis & uteris. Nicolaus sumit

Scillæ pane involutæ & in clibano assatæ seu coctæ libram unam semis,
Aceti acerrimi libras septem, ac in vase vitreato per dies quadrag. insolat.

Si verò accelerare cogeris, sepeli vas in calido cinere, vel sabulo, non repentè sed paulatim, horarum aliquot spatio intercedente.

CUm aceti hujus vires sic bellè describat Galenus, ideo ejus textum huic loco inserendum meritò duximus, qui sic habet. Acetum Scillinum, quo omnes Imperatores usi sunt, ab ipsius Auctore fertur, quicunque hoc utatur, longæ vitæ fore, & ejus extrema integra usque ad finem permansura. Et ipse quidem Samius senex hujusmodi extitit: quantum enim temporis vixerit, haud ignoras, de ipso in libro traditum est, quod cum suis consanguineis hanc facultatem communicavit: cumque hoc medicamento uti incepit, quinquagesimum annum natus erat, & usque ad centesimum decimum septimum vitam produxit integer, & nulla unquam adversâ valetudine tentatus. Hæc sanè medicamenti Author disseruit, quòd fortasse vir Philosophus erat, mentiri nescius. Nos verò viri hujus fidei periculum fecimus, ac firmam constantemque hujus medicamenti facultatem esse testamur. Oportet igitur sumere Scillam montanam libræ unius ponderis, & dura circumcidere, & mollia minutim concidere, & aceti acerrimi sextarios octo in vitreum vas mittere, atque obturare, ac per triginta dies in Caniculæ caloribus, ut maceretur, permittere: deinde Scillam extractam exprimere. Id genus aceti parum manè sorbeto.

Tibi autem hæc evenient, ut ne faucium orisque partes unquam remollescant, os ventriculi benè valebit, facilè spiritum duces, vocem rectè habebit, oculi acutissimè cernent, aures in officio manebunt, nullusque flatuosus vapor in ventre unquam excitabitur, nullum viscus suspensum erit, & benè spirans, benè coloratus deges. Ad civilia negotia rectè affectus, non acidum, non salsum ructabis, si aliquid aceti hujus assumpseris: & jejunus ut assumas præcipio, septemque postea stadia deambules, ita enim dissolvetur. Hoc aceto qui utitur, in victu quamvis licentiosus esto: omnia enim cibaria conficiet, & à nullo unquam offensam patietur: neque valdè implebitur, sed in melius proficere videbitur. Nihil supervacui in corpore residebit, non flatus, non bilis, non stercus, non urina, sed omnia facilè excernit atque educit. Alvus lubrica omnino est, totiusque corporis purgatorium medicamentum, etiamsi in ossibus sordes inhæreant. Item Phthisicos ab omnibus deploratos hoc medicamento sanitati restitutos novimus. Morbo Comitiali diuturno efficaciter profuit, ut nisi post longa temporis intervalla non redierit: incipientem verò ac novum perfectè discutit, neque reverti ampliùs hunc affectum permittit. Ad podagras præterea, & articulorum morbos, jecoris, lienisque duritiem vehementer facit. Et particulares quidem aceti Scillini effectus hi sunt. Communes autem quàm plurimi: quibus nos commoti, salutare hoc medicamentum, sanitatis integritatisque causâ, tibi tradidimus. Galenus

Acetum Theriacale.

℞. Rad. Chelidonii majoris unciam unam semis,
Angelicæ,
Ostrutii,

Gentianæ,
Bistortæ,
Valerianæ,
Pimpinellæ,
Dictamni albi,
Carlinæ,
Zedoariæ ana drachmam unam,
Plantaginis majoris drachmam unam semis,
Fol. Scordii,
Cardui Benedicti,
Dictamni Cret. ana pugillos duos,
Cortic. & sem. Citri ana drachmam unam semis,
Granorum Juniperi drachmas duas,
Nucleor. Nucum Juglandium uncias duas,
Santali citrini drachmam semis,

Infundantur omnia in sufficienti quantitate aceti Rutacei, ac sic simul in vitro probè clauso infusa permaneant.

M*Orbis venenatis auxiliatur, putredinem humorum arcet, sudores prolicit, pestilentis luis contagia dissipat: præsumptum ab infectione corpus tuetur, ac peste correptos tàm internè exhibitum, quàm forinsecus arteriarum & cordis regioni superimpositum plurimùm reficit ac recreat.*

Prostant apud nos etiam alia Acetorum Medicatorum genera, utpotè

Acetum Calendulatum ex floribus,
Destillatum,
Lavendulatum,
Nucum ex nucleis,
Papaveris erratici ex flor.
Rosarum ex florib. rub.
Rubi Idæi ex fructibus,
Rutaceum,
Sambucinum,
Simplex,
Tunicæ ex florib. rubris.

ANIMADVERSIONES

In Aceta omnia tum Simplicia, tum Composita.

DE *acetis* cùm *simplicibus* tùm *compositis*, non est quod multa inferam, cùm simplici duntaxat viâ parata sint, od id etiam minus erroribus referta, multis autem aliis præstantiora sunt. Inter hæc *acetum Lithargyri* est extractio *salis Saturni* vel *Plumbi*, quod ipsum cùm per se, tùm aliis commixtum in plurimis affectibus utiliter usurpari potest.

Acetum scilliticum ego maxumi facerem, si secundum mentem & authoritatem Galeni paratum esset, nimirùm sine præcedenti *assatione* vel *coctione scillæ*, utpotè quæ non tàm præparatio, quàm destructio ejusdem est, quam etiam in *Lohoch de Scilla Galeni* aliquot rationibus improbavi; nunc verò, cum expressa Galeni authoritas sese offerat, quod *cruda Scilla cum aceto extracta* tanto cum emolumento fuerit usurpata, illam ceu planè inutilem totaliter rejicio, & quidem meritò. Etenim *assatione* vel *coctione hâc inutili* nihil aliud efficitur, quàm quod subtiliores & penetrantiores *Scillæ* partes prorsus annihilentur.

Reliqua *aceta composita & simplicia*, simplici infusione & digestione parata laudo, quæ ipsa tamen efficaciora & longè durabiliora evaderent, si loco *aceti simplicis*, *acetum destillatum* substitueretur, quod cùm majori vi penetrandi & extrahendi pollet, nec tàm citò, uti *aceta* simplicia, corrumpitur, sed semper integrum & incorruptum persistit, ita ut labor hic, qui in ejusdem destillatione impenditur, ratione diuturnioris integritatis insigni lucro recompensetur.

MEDICAMENTORUM PHARMACOPOEIÆ AUGUSTANÆ CLASSIS DECIMA SEXTA,

Complectens

OLEORUM COCTORUM ET EXPRESSORUM SERIEM.

Nec-non

Iisdem Annexas Animadversiones.

OLEA COCTA.

Oleum Abrotani.

℞. Abrotani recentis incisi & contusi libram unam.

Pone in vase vitreo, & affunde olei veteris clarissimi libras tres, & macera ad Solem, aut in aliquo loco calido per dies tres, deinde in duplici vase coque, & abjecto Abrotano recens injice, atque iterum tribus diebus macera: postea simili modo coque, & exprime, tertiâ vice recens Abrotanum denuò injice, macera quoque, cola & usui reserva.

ADhibetur ad producendos pilos, & eorum defluvio cum Ladano & Ursi pinguedine glabris locis illinitur.

Oleum Absinthii.

℞. Olei Omphacini libras tres,
Comarum Absinthii Pontici,
Succi ejusdem ana uncias quatuor,
Rosarum rubearum unciam semis.

Macerentur per triduum ad Solem, aut in loco aliquo calido, deinde in duplici vase coquantur ad succi consumptionem: postea abjectis prioribus, recentia alia injiciantur, rursusque per triduum macerentur, deinde simili modo coquantur, & exprimantur, ita etiam tertiâ vice reiterentur.

CAlefacit & refrigerata roborat, præsertim ventriculum, cibi aviditatem excitat, obstructa levat, lumbricos necat, frigidis ventriculi affectibus mirificè conducit, flatusque ibidem conceptos dissipat.

ETiamsi oleum Olivarum immaturarum, sive Omphacinum apud nos in Germania non paretur, quia tamen eodem in quibusdam compositionibus summoperè indigemus, ex Italia deportari, & in usum nostrum eâdem commoditate transferri posse existimamus, quâ hactenus oleum Olivarum maturarum sive commune comparavimus.

Oleum Anagallidis.

Oleum Anagallidis paratur ut oleum Abrotani.

PRæsentaneum remedium est variis puerorum doloribus, in infirmo ventre exsuscitatis à flatulentis, sabulosis, biliosis & pituitosis contentis, sive enematibus admistum injiciatur, sive externus applicetur.

Oleum Anethinum.

Oleum Anethinum fit ex floribus & foliis Anethi, ac oleo veteri claro, eodem modo, quo oleum Abrotani.

ANodynum est, tumores crudos concoquit, resolvit & laxat, somnum conciliat, rigorem febrilem spinæ & partibus nervosis accessionis initio illitum evincit, cephalalgiam mitigat, uteri duritiem mollit, menstrua provocat, vulvarum casus ferè omnes componit, aco-

pis

pis familiare, lassitudines discutit, dolores articulorum sublevat, venarum spiracula laxat, calefacit & emollit, nervis gratum, ac convulsionibus amicum.

Oleum Aranearum Mindereri.

℞. Olei Nymphææ,
Lumbricorum terrestrium ana uncias sex,
Hypericonis uncias duas,
Foliorum rutæ recentis & incisæ,
Florum Sambuci recentium ana manipulum unum semis,
Aceti Rosacei,
Calendulæ ana uncias tres,
Aranearum pinguium & magnarum numero quadraginta quinque.

Decoquantur omnia simul in vase duplici ad humiditatis consumptionem, atque absumpto omni aceto, colentur & exprimantur. In hoc colato infunde rursus
Araneas pingues numero viginti quinque, ac adde
Camphoræ in spiritu Rosarum dissolutæ drachmam semis.

Digerantur per horas duodecim in balneo Mariæ rorido, ad formam balsami essentificati vase probè munito, ac sine colatura, postea reponantur ad usum.

PRoderit hoc oleum ad inunctionem arteriarum, in febre maligna petechiali, quin & ipsius cordis regioni potest inungi: Siquidem venenum evocat, nec febrilem accendit calorem.

VOluit Auctor supplere eo vices olei Scorpionum Matthioli, quod magno pretio venit, cum Germania, & quidem benè, careat Scorpionibus.

Balsamum Vulnerarium ejusdem.

℞. Terebinth. Venetæ unc. unam semis,
Olei Hypericonis unciam unam,
Gummi Elemi seorsim dissoluti quantum ad consistentiam sufficit,
Olei Ceræ destillati scrupulos duos.
Misce.

IN vulneribus recentibus, modoque inflictis ac adhuc calentibus, singulare remedium est, maximè telis eo madidis impositum.

Oleum Chamæmelinum.

Oleum Chamæmelinum sive Chamomillæ fit ex floribus Chamæmeli, & oleo veteri claro. Siccentur flores in umbra viginti quatuor horis: deinde immittantur cum oleo in vas vitreum angusti oris benè obturatum, & per dies aliquot insolentur.

PHlegmonas mitigat, moderatè resolvit, fluxiones cohibet vi suâ modicè astringente, ideoque colicis, articularijs, cæterorumque dolorum initiis salubre est, lassitudines juvat, dolores sedat ac lenit, tensa laxat, febres discutit ac dissolvit, præsertim quæ stipatâ cute proveniunt: hypochondriorum tensionibus utile, capitis dolores levat, meatus namque laxat, vapores discutit, & acrimoniam temperat, acopum est & anodynum, ideoque non temerè injicimus initio colici cruciatus, ut quæ sunt à flatibus distensa relaxentur, ac emolliantur.

Oleum de Capparibus.

℞. Corticis rad. Capparum unc. unam,
Tamarisci,
Florum Tamarisci,
Semin. Agni casti,
Ceterach,
Cyperi ana drachmas duas,
Rutæ drachmam unam,
Olei maturi libram unam,
Aceti albi fortis,
Vini albi ana uncias duas.

Trita leviter coquantur in duplici vase usque ad consumptionem vini & aceti.

LIenis tumores duros ac scirrhosos adjuvat, ejusque obstructionibus valdè est familiare.

Oleum de Castoreo Jacobi de Manliis.

℞. Castorei,
Styracis Calamitæ,
Galbani,
Euphorbii,

Cassiæ

Cassiæ ligneæ veræ,
Croci,
Opopanacis,
Carpobalsami, aut Cubebarum,
Spicæ Nardi Indicæ,
Costi ana drachmas duas,
Cyperi,
Schœnanthi,
Piperis Longi,
Nigri,
Sabinæ,
Pyrethri ana drachmas duas semis,
Olei libras tres,
Vini odoriferi libras duas.

Confice sic: Galbanum & Opopanacem in vino seorsim dissolve, deinde reliqua omnia contusa cum oleo & vino coquito in duplici vase ad consumptionem vini. Postea cola, ac dissolutum & expressum Galbanum cum Opopanace oleo affunde, & iterum coque sufficienter, ac repone, sæpiùs miscendo in posterum, ut Galbanum & Opopanax in vasis fundo subsidentia oleo commisceantur.

Valet ad omnes nervorum & cerebri offensas frigidas, tetanum, convulsionem tremorem, ac paralysin sanat, rigores acerrimos & frigora febrium sedat, spina dorsi illitum.

Oleum Cheyrinum Mesuæ.

Oleum Cheyrinum fit ex Leucojis luteis, hoc est, Cheyris citrinis, & oleo veteri claro, ut oleum Chamæmelinum.

Calidum est temperatè, tenuat, lenit, ac digerit, suppositum dolores ex flatibus è materia frigida & pituitosa mitigat, ventris torminibus modicè succurrit, nervorum & juncturarum dolores levat, thoraci, pectori, visicæ ac renibus confert, menses provocat, uterique suffocationi medetur, lumbricos interimit, partum facilitat, arthriticis demum ac resolutis auxiliatur.

Oleum Costinum Mesuæ.

℞. Costi amari uncias duas,
Cassiæ ligneæ veræ unciam unam,
Summitatum Sampsuchi uncias octo,
Vini libras duas,
Olei Sesamini libras tres.

Trita macerentur biduo, deinde coquantur in duplici vase ad vini consumptionem.

Vehementer calefacit, ideoque nervorum ex frigore injurias propellit, paralysi confert, nervos roborando, ventriculum, musculos, tendines, & ligamenta confirmat, & obstructa aperit, spina illitum febrilem rigorem mitigat, capillos tenaciùs affigit, ac mucoso humore canitiem accelerante consumpto, eam moratur.

Oleum è Croco Mesuæ.

℞. Croci unciam semis,
Myrrhæ electæ drachmas duas,
Aceti, quantum sufficit ad macerandum diebus quinque,
Cardamomi drachmas quatuor semis,
Olei uncias novem.

Crocum & Myrrham diebus quinque macera, die sexto adde Cardamomum, septimo cum oleo coquantur igne lento ad aceti consumptionem.

Nervos ac uterum roborat, eorum dolorem sedat, convulsioni & uteri noxis confert, duritiés dissipat, nec non corpori colorem vividum præstat.

Oleum Cydoniorum.

℞. Cydoniorum non excorticatorum,
Succi eorundem ana uncias sex,
Olei Omphacini libras tres.

Omnia in vas vitreum obturatum immittito, & diebus quindecim insolato. Deinde horis quatuor coquito in duplici vase, colato & exprimito. In expressione carnem & succum renovato, rursum insolato, coquito & exprimito, id sic tertiùm iterato.

Melinum Dioscoridi dicitur, stringit & refrigerat, ad ventriculi & jecoris imbecillitates utile, ventrem totum inferiorem ac nervos laxos cogendo roborat, retentricem partium facultatem firmat, stomachum in vomitiones effusum in se cogit, ventri defluxionibus infestato, lienteriæ, diarrhϾ ac dysenteriæ medetur, spinæ illitum & thoraci sudores immodicos & diaphoreticos cohibet.

Oleum de Enula Mesuæ.

℞. Radicum Enulæ contusarum,
Succi ejusdem,
Olei Sesamini ana libram semis,
Vini odoriferi uncias tres,

Coquantur ad vini consumptionem: colatura servetur usui.

Calefacit, tenuat, digerit, ob id affectibus nervorum, uteri & vesicæ frigidis prodest, febrium quoque rigori, & colo à flatibus dolenti medicatur.

Oleum ex Euphorbio Mesuæ.

℞. Euphorbii unciam semis,
Olei Cheyrini uncias quinque,
Vini odoriferi tantundem.

Coquantur in duplici vase ad vini consumptionem.

Hemicranicis, cephalalgicis & lethargicis adhibetur, & naribus ad discutiendum vitium immittitur, epispasticis medicaminibus utiliter admiscetur; præstantissimum enim attrahendo est remedium in frigidis noxis, siquidem tenuium partium est: alopecias, & capillorum defluvia sanat, in coxariis inveteratis, ac profundis articulorum querelis ex alto evocandis, laudatissimum remedium, calidius & siccius oleo de Piperibus, ideoque non nisi vehementer frigidis vitiis adhibendum, in aurium tinnitu, sibilo, & hebetiore sensu ex frigiditate contracto tepidum adhibet Galenus 2. compos. medic. localium.

Oleum Formicarum Nicolai.

℞. Formicarum uncias duas,
Olei libram semis.

Macerentur æstate ad Solem diebus quadraginta, postea excolatum oleum reponatur.

Eo partes generationi dicatas ad venerem concitandam & impragnationem promovendam inungunt.

Oleum Hyperici.

℞. Florum Hyperici ad maturitatem seminis ferè accedentium lib. unam,
Olei veteris clari libras duas,
Vini odoriferi libram unam.

Macerentur tribus diebus ac noctibus: bulliant deinde in duplici vase, obturato orificio vasis usque ad consumptionem vini, postea exprimantur, & recentium florum atque vini par pondus addatur, iterum maceretur, coquatur, & exprimatur, tunc etiam tertiò recentes Hyperici flores ac vinum admisceantur cum
Terebinthinæ claræ libra una,
Croci scrupulis quatuor.

Calefacit & siccat, essentiaque est tenuis, unde ad omnes dolores à frigido contractos adhibetur, & anodynum exsistit, ischiadicis præterea & varicibus utiliter adhibetur, contra dentium dolorem, podagram, chiragram, articulorumque dolores salubre remedium, nervorum puncturis & vulneribus efficax est. & illitu ac fotu convulsiones prohibet, ambustis cicatrices ducit, & vulnera glutinat.

Oleum Jasminum.

Fit ex floribus Jasmini, & oleo veteri claro, ut oleum Cheyrinum.

Frigidis affectibus non obscurum adfert remedium, unde partibus calefactionem & relaxationem desiderantibus utiliter exhibetur, Chamæmelino aut Cheyrino viribus proximum.

Oleum Irinum Mesuæ.

℞. Radicum Ireos libram unam,
Florum ejusdem libras duas.

Macerentur in decoctione aliarum radicum Ireos, quantum sufficit. Adde
Olei veteris libras duas.

Coquantur in duplici vase, & exprimantur, radicesque novæ cum floribus immittantur. Coquantur denuò & tertiò. Colatum servato, ac obturato.

Vim habet excalefactoriam & emollientem, roborat, tenuat, resolvit potenter, tergit, concoquit, maturat & alta penetrat, convulsionibus efficax, aurium sonitum tollit, quæ in thorace sunt & pulmone concoquit, asthmaticos juvat, tussim compescit, strumas dissi-

dissipat, aliosque tumores duros hepatis & splenis, articulorum dolores & durities emendat: facit ad intestinorum tormina ac ilei cruciatus, naribus illitum destillationibus & ozanis medetur. Datur iis, qui Cicutam, Coriandrum, aut Fungorum venenum hauserunt, præsentissimo Alexipharmaco.

Oleum Ligustrinum Mesuæ, sive Cyprinum.

Oleum Ligustrinum, quod Arabes de Alcanna vocant, fit ex floribus recentibus Ligustri florente vite, aut paulò post, & oleo veteri clarissimo ad modum olei Chamomillæ.

ARabibus de Alcanna dicitur, nobis Ligustrinum, quòd ex Ligustri floribus fiat. Calefacit & moderatè astringit, emolliendi vim habet, vulvæ ac nervorum affectibus subvenit, pleuriticis, opisthotonicis, & angina laborantibus succurrit, capillos à canitie vindicat.

Oleum Liliorum alborum simplex.

℞. Florum Liliorum alborum, abjecto quod croceum est, libram unam,
Olei veteris libras tres.

Macera & insola per dies octo, flores exemptos benè exprime, atque alios impone, ita tertiùm fiat, cola & serva ad usum. Nonnulli in tertia infusione flores relinquunt.

DIcitur & Crininum, Lilinum, ac Susinum, resolvit, digerit, concoquit, dolores à frigore, thoracis, ventriculi, coli, uteri, renum, vesicæ, & nervosarum partium sedat, lenit, mitigat, convulsionibus prodest, colicis item doloribus inunctum aut suppositum confert, utile est uteri cumprimis ac muliebribus malis: ejus præclusiones & durities solvens, gravidis ad facilem partum auxilio est, ulcera capitis manantia, furfures, varos, fervidasque eruptiones sanat, vibices, cicatricesque celerrimè ad colorem reducit, & omnem inflammationem cum vitellis ovorum inunctum rarefacit.

Oleum Liliorum alborum compositum Mesuæ.

℞. Flor. Liliorum alborum unc. novem,
Masticbes,
Calami Aromatici,
Costi,
Carpobalsami ana unciam unam,
Caryophyllorum,
Cinamomi ana unciam semis,
Croci drachmas tres.

Omnia præter Liliorum folia in aqua sufficiente viginti quatuor horis macerentur, deinde paululùm coquantur,& additis Liliis oleique veteris libris duabus aliquantulùm bulliant. Tunc omnia injecta in vas vitreum insola dies quadraginta: pòst colatum & bene obstructum reponatur.

OLeum Liliorum alborum compositum ob aromatum admixtionem, longè præstantius simplici oleo antecedente, atque ob id frigidis noxis opportunius existit.

Oleum Liliorum convallium.

Fit ex floribus Liliorum convallium & oleo veteri claro, ut oleum Liliorum simplex.

SPasmaticis, convulsis ac tremulis auxilio est, frigidis nervorum noxis succurrit, puerulorum tormina mitigat.

Oleum Lumbricorum Terrestrium simplex.

℞. Lumbricorum terrestrium lib. semis.
Probè laventur in vino, deinde immittantur in olei Rosati Omphacini libras duas, vini uncias duas.

Coquantur in duplici vase ad vini consumptionem.

ANodynum est, cujus fotu nervi recreantur, ut quotidiè in nervorum vulneribus, eorundemque resolutionibus experimur.

Oleum Lumbricorum compositum.

℞. Ol. Lumbricorum (ex lumbricis modò in oleo suffocatis, qui in cœmiteriis collecti fuêre) recentioris uncias tres,
Ol. florum Hyperici uncias duas,
Vini optimi uncias quatuor.
Fiat decoctio ad consumptionem vini, huic oleo adde

Spir. Rorismarini, vel ejus loco olei stillatitii ejusdem scrupul. unum.
Misce, servetur ad usum.

Quia oleum lumbricorum simplex quibusdam non parùm suspectum videtur, ideò compositum ejusdem substituere voluimus, quod ad supradicta majoris efficaciæ compertum habemus.

Oleum Mandragoræ.

℞. Corticum rad. Mandragoræ libram unam.

Contundantur, & coquantur in aqua sufficienti, & colato decocto adde

Succorum capitum Papaveris nigri uncias tres,
Hyoscyami albi unc. duas,
Cicutæ teneræ unc. unam,
Olei Violarum libras duas,
Opii,
Styracis Calamitæ ana unciam semis.

Succi cum oleo decem diebus ad Solem macerentur, deinde coquantur in duplici vase ad succorum consumptionem, & colato adde Styracem & Opium.

Commendatur ad omnem inflammationem extinguendam, somnum conciliandum, capitis dolores sedandos, phreneticis, febricitantibus, & vigilantibus conveniens, fronti, temporibus, ac naribus illitum.

Quia non habentur apud nos Mandragoræ poma, ergò loco succi Mandragoræ pomorum, accipiendi sunt cortices radicum Mandragoræ.

Oleum Mastichinum Mesuæ.

℞. Olei Rosati Omphacini libram unam,
Mastiches uncias tres,
Vini odoriferi uncias quatuor.

Coquantur secundum artem in duplici vase ad vini consumptionem.

Mediocriter calefacit, astringit, & emollit, ventriculi coctricem ac retentricem vim firmat, illitum in lienteria & intemperie frigida sicca salubre existit, ad cœliacorum cruciatus utile, tumores duros lenit, cerebrum, nervos, & juncturas roborat, phlegmonis, gingivarum, linguæ & totius oris medetur, faciem emaculat, & coloris gratiam illitum commendat.

Oleum Menthæ.

℞. Menthæ domesticæ crispæ uncias quatuor,
Olei Omphacini libram unam.
Fit, ut oleum Abrotani.

Ventriculo imbecillo & refrigerato adhibetur: eum namque calefacit, roborat, nauseam firmat, vomitionem sistit, appetentiam excitat, & concoctionem provocat. Eligenda est crispa & sativa.

Oleum Moschelinum Nicolai Alexandrini.

℞. Olei puri libras sex,
Vini odoriferi uncias sex,
Folii, aut Macis,
Nardi Indicæ,
Costi,
Mastiches ana unciam unam semis,
Styracis Calamitæ,
Croci,
Myrrhæ,
Cinamomi,
Cassiæ ligneæ veræ ana drachmas sex,
Carpobalsami, seu Cubebarum,
Caryophyllorum,
Bdellii ana unciam semis,
Moschi drachmam unam,
Nuc. Moschat. numero duas.

Folium, Myrrham, Cassiam, Carpobalsamum & Bdellium tere, ac per biduum in vino & oleo macera: postea coque supra lentum ignem in duplici vase usque ad consumptionem vini: deinde cola, & reliqua in tenuissimum pulverem redacta insperge, præter Moschum; iterum macera & coque parumper. Ultimò Moschum addito: probè omnia misceto, reponito, ac interdum vas agitato.

Μοσχέλαιον potiùs dicendum à Moscho, qui ejus compositionem ingreditur. Frigidis affectibus est præstantissimum, ventriculo præsertim debili, quem roborat & calefacit, dolorem

rem lateris illitum sanat, stranguriosis, colicis, ac nervorum omnibus propè vitiis confert. Pomis odoratis cogendis est aptissimum, & unguento Arégon, aliisque medicamentis, ut speciebus Lithontribon conficiendis.

Oleum Myrtillorum.

℞. Olei Olivarum libras tres,
Baccarum Myrti libram unam.

Confringantur Myrtilli, & quoniam Myrtus vera apud Germanos non nascitur, neque habemus semper virides Myrtillos, sed aridos, ut ex Italia afferuntur, ideò necessum est, ut vino odorato priùs aspergantur: deinde misceantur simul ac bulliant secundum artem. Tandem coletur, & reservetur oleum.

Μυρτίνινον ἔλαιον seu Myrtillorum astringit, refrigerat, densat, cerebrum, nervos, & ventriculum adstrictione roborat, viscerum phlegmonis utile, gingivis, dentium dolori, dysentericis, cœliacis, vulvæ exulceratæ, ulceribus vetustis vel manantibus, nimio affluxu humentibus cum squamâ æris & cerâ medetur: attritâ sanat, furfures, rhagades, condylomata, articulos luxatos, & omnia quæ astrictionem desiderant, hæmoptoicis, & sanguinis ex pectore rejectioni confert, & ad arcendam phlegmonem in ulcere pulmonis Gal. illinit, capillos retinet, eorumque defluvium sistit, adjecto præsertim Ladano. Gal. 1. de comp. med. secundum loc. cap. 2.

Oleum Myrtinum.

Oleum Myrtinum fit ex foliis Myrti, ut jam dictum Myrtillorum oleum.

Easdem ferè vires obtinet, quas oleum Myrtillorum; astringit enim & roborat, ac viscerum laxitatem corrigit.

Oleum Nardinum Compositum Mesuæ.

℞. Spicæ Indicæ uncias tres,
Majoranæ uncias duas,
Ligni Aloës,
Enulæ,
Macis,
Calami Aromatici,
Foliorum Lauri,
Cyperi,
Schœnanthi,
Cardamomi ana unc. unam semis.

Contundantur omnia grosso modo, deinde affunde illis
Vini,
Aquæ fontanæ ana libram unam,
Olei Sesaminis libras quatuor.

Macerentur per noctem, deinde coquantur in duplici vase secundum artem.

Oleum Nardinum Simplex ejusdem.

℞. Olei Sesamini libram unam semis,
Spicæ Nardi Aromaticæ uncias tres,
Vini,
Aquæ ana uncias duas semis.

Incidantur minutim, & coquantur in duplici vase, donec vinum & aqua in vaporem resolvantur; coletur deinde oleum, & colatum reponatur, abjectâ Nardi Spicâ.

Calefacit, tenuat, digerit, modicè astringit, quocirca iis auxiliatur, qui calore & astrictione indigent, ut stomachicis, cœliacis, destillationi ac thoracis vitio obnoxiis, ventriculum firmat, & coctionem procurat, viscerum phlegmonis, jecoris inflammationi, ac pulmonum ulceribus illinitur, cerebri & nervorum frigidos affectus sanat, ac aurium dolores mitigat, tremulis & paralyticis summum est remedium, uteri præfocationes, occlusiones, & tumores suppositum discutit, aut etiam injectum vesicæ dolori; renumque calculis opitulatur.

Oleum Nymphææ.

℞. Florum Nymphææ albæ unc. quatuor,
Olei Omphacini libram unam.

Macera in Sole diebus decem, deinde exprime ac novos flores immitte: tertiò idem facito.

Vires habet Violati, refrigerat tamen magis, cephalalgiam ex febrium incendio, indeque enatum delirium Papaverino mixtum mitigat, insomniam abigit, urinæ ardori, intemperaturæ calidæ renum, eorumque ulceri, &

vesicæ commodum, illitum aut injectum, gonorrhœam arcet, & tentiginem propellit, genitalibus illitum.

Oleum Papaverinum.

℞. Capitum Papaveris,
Foliorum Papaveris,
Florum ejusdem ana unc. quatuor,
Olei libras tres.

Insolato in vase vitreo per octiduum, deinde cola, & nova rursus immitte: idem tertiùm facito. Postremùm colatum repone.

INtemperiem calidam sanat, febrium ardores ac insomniam mitigat, fronti, auribus, naribus, & temporibus illitum, somnum frigore & humiditate conciliat, nec non febrium squalorem præsentem, pervigilii causam tollit, impinguat, & asperam arteriam lenit, renum doloribus ex intemperie calida medetur.

Oleum de Piperibus Mesuæ.

℞. Piperis longi,
Albi,
Nigri ana drachmas tres,
Myrob. Chebulorum,
Emblicorum,
Indorum ana drach. quinque,
Rad. Apii,
Fœniculi ana drach. tres semis,
Sagapeni,
Opopanacis,
Ammoniaci ana drach. duas semis,
Turbith drachmas duas,
Zingiberis drachmas tres,
Surculorum Hyssopi,
Rutæ viridis ana manipulum unum.

Coquantur secundum artem in quantitate aquæ sufficienti ad tertias. Colaturæ adde
Olei amygdalarum dulcium lib. duas.
Recoque ad consumptionem aquæ.

CErebri & nervorum frigidas noxas propellit, quia calefacit, tenuat, tergit, discutit foras educit, obstructa potenter liberat, calculumque eo nomine dissipat; ad paralysin, spasmum, tremorem, epilepsiam, uteri, coli, renum ac vesicæ affectus frigidos utilissimè adhibetur, coxariis, nec non articulorum doloribus medicatur, menses evocat, & ventriculum imbecillum non temerè firmat.

COudenbergius addit Thymi viridis manipulum unum ad herbarum decoctionem.

Oleum Populinum Nicolai Alexandrini.

℞. Olei communis libras septem, uncias duas,
Vini libras quatuor,
Gemmarum Populi arboris recentium Veris initio collectarum lib. tres.

Gemmæ Populi diutissimè terantur, & macerentur in vino & oleo dieb. septem; pòst coquantur in duplici vase usque ad consumptionem vini. Deinde exprimatur oleum & reponatur.

EMollit, tenuium est partium & calidum, arthriticis ac podagricis utile.

Oleum Ranarum.

℞. Ranarum fluviatilium lib. semis,
Olei Sesamini libram unam semis.

Coque in vitro optimè clauso usque ad Ranarum dissolutionem.

REfrigerat, ob id podagram & alias arthritidis species calidas mitigat ac incendium febrium ardentium compescit, fronti & temporibus illitum somnum conciliat.

Oleum Resolutivum.

℞. Rad. Cucumeris Asinini,
Bryoniæ,
Althææ ana libras tres,
Olei communis libras decem.

Insolentur simul integro mense, coquantur pòst, & exprimantur.

REsolvit, digerit, mollit, alta penetrat, ac frigidos & contumaces dolores mitigat.

Oleum Rosatum Vulgare.

℞. Olei communis libras quatuor,
Rosarum rubearum nondum penitùs apertarum uncias sedecim.

Macera

Macera & insola per dies octo. Rosas exemptas benè exprime, atque ita fac tertiò, cola & serva. Nonnulli in tertia infusione Rosas relinquunt.

Vim habet repellentem, mitigatoriam, concoquentem, & discussoriam, inflammationes extinguit, roborat, cogit, densat, rheumatismos sistit, & materiarum per corpus fluxum cohibet, dysenterias potu insigniter juvat, alvum solvit, ventriculum æstuantem restinguit, ad uteri inflammationem pollet, capitis & meningum cerebri vulneribus confert, idem calefactum juvat & exsiccatum, aut mora in Sole, aut à febribus, aut alia causa: humectat enim, mitigat, ac somnum inducit, in dolore dentium inter initia utiliter colluitur, ulceribus in capite manantibus, & fervidis eruptionibus illinitur, lumbricos & ascaridas potum deturbat, podagricis doloribus ac inflammationibus, & hæmorrhoidibus commodè illinitur. Quod completum dicitur, roborat, resolvit, lenit & dolorum injurias sedat.

Oleum Rosatum Omphacinum.

℞. Olei Omphacini, id est, Olivarum immaturarum libram unam,
Rosarum rubearum nondum penitùs apertarum, sed purgatarum uncias quatuor.

Tritis Rosis ac oleò impositis, fac ut dictum est, ter Rosas permutando.

Oleum Rosatum Compositum Mesuæ.

℞. Olei ex Olivis maturis, aquâ fontanâ multoties loti, quantum voles. Deinde infunde folia Rosarum rubearum apertarum & purgatarum, quantum satis est in vitreum vas. Obturetur vas, ac per dies septem insola, & coque tribus horis in vase duplici. Expressis foliis & abjectis recentia immitte: insola iterum, coque in Balneo Mariæ, & exprime ut prius. Tertiò recentia immitte Rosarum folia, quibus adde aquæ infusionis Rosarum (eo modo confectæ, ut in Syrupo Rosato dictum est,) partem quartam, misce, insola dies quadraginta in vase vitreato obturato; pòst excola, exprime, & addito Rosarum succo, iterum diu insola.

Alii partem infusionis sumunt, & succi Rosarum partem alteram, ac eo quo suprà dictum est modo conficiunt.

Oleum Rutæ.

Præparatur eodem modo, quo Abrotani oleum præparare docuimus.

Calefacit, tenuat, & digerit, illitum & clysteribus injectum colicum dolorem sedat, vitreum phlegma ejiciens, laterum, renum, vesicæ ac uteri dolores à causa frigida juvat, nervorum & spinæ resolutionem inunctum componit, convulsionibus medetur, & flatus dissipat.

Prostat etiam apud nos Linelæon Rutaceum, ex foliis Rutæ recentis in oleo seminis Lini expresso paratum.

Singulare admodum est, adversus lienis scirrhos, & duritiem: tumores enim emollit, ratione olei lini, eosdem discutit ac digerit ratione Rutæ. In Enematis, ubi flatus discutiendi, antecedenti præferendum, variis insuper usibus in morbis accommodatum extat.

Oleum Sambucinum.

Oleum Sambucinum fit ex floribus Sambuci & oleo veteri clarissimo, quemadmodum oleum Chamomillæ.

Lenit, abstergit, cutim expurgat, ictero & hepati obstructo confert, articulorum & nervorum doloribus utile: eos namque roborat, epotum aut injectum alvum irritat, serosaque excrementa per inferna educit. Fit quoque ex medio Sambuci cortice similiter macerato oleum, quod ad ambusta Italis usui est.

Oleum Sampsuchinum, id est, Majoranæ.

℞. Foliorum Sampsuchi manip. quatuor,
Serpylli manipulos duos,
Foliorum Myrti manipulum unum,
Abrotani,
Sisymbrii, seu Menthæ aquaticæ ana manipulum semis,

Cassiæ

Cassiæ ligneæ veræ uncias duas,
Olei Omphacini libras tres.

Concidito & contundito omnia, ac impone in vitrum, & infunde oleum, ut supra species emineat: tùm obstructo vasis orificio macera ad Solem diebus octo. Postea exprime, & expressum oleum infunde recentibus speciebus, & hoc etiam tertiò facito.

Σ Αμψύχινον acopum est, & lassitudinibus utile, frigidis cerebri & nervorum vitiis prodest, spinæ in balneo inunctum paralysin juvat & spasmum cynicum naribus immissum, aut ore detentum, ac sternutamentum leviter ciet, in opisthotonicorum, & vulsorum cataplasmata additur: auribus immissum tinnitum à flatu dissipat, ad uteri præclusiones & conversiones efficax, menses, secundas, ac partus extrahit, uteri strangulatum recreat, & Scorpionum morsibus medetur.

Oleum Scorpionum Compositum Mesuæ.

℞. Aristolochiæ rotundæ veræ,
Gentianæ,
Cyperi,
Cort. radicum Capparum ana unciam unam,
Olei Amygdalarum amararum lib. unam semis.

Macerentur in oleo contusæ radices ad Solem fervidum, deinde coquantur aliquantulum in duplici vase, injectis ad ultimum Scorpionibus numero viginti: postea iterum serenis diebus triginta ad Solem macerentur. Postremò excolatum oleum reponatur.

Oleum Scorpionum Magnum Matthioli.

℞. Olei Olivarum vetustissimi lib. tres,
Florum Hyperici virentium ac modicè conquassatorum manipulos tres.

Insolentur simul in vase vitreo probè obturato recondita per dies decem vel duodecim; dehinc in calente balneo Mariæ macerentur horis viginti quatuor, tùm verò colentur & exprimantur.

Hoc facto.

℞. Flor. Hyperici recent.
Chamædryos,
Calaminthæ,
Cardui Benedicti ana manipulum unum.

Flor. & herbæ priùs contusæ oleo admisceantur, macerenturque in balneo per triduum, postea colentur & exprimantur.

Post hæc.

℞. Florum Hyperici à caulibus repurgatorum, ac modicè contusorum manipulos tres.

Submergantur in eodem oleo, ac per triduum itidem in balneo macerentur, colentur & exprimantur, eandem infusionem reassumptis semper recentibus floribus ter vel quater reiterando, donec oleum sanguineum colorem acquirat.

His Peractis.

℞. Granorum viridium Hyperici quod defloruit, in cacumine plantæ natorum, in quibus semen continetur, manipulos tres.

Contundantur, & vino albo meraco perfusa, in prædictum oleum immissa per octiduum insolentur, postea verò tridui spatio in balneo macerentur, colentur & exprimantur, laborem hunc novis semper reassumptis seminibus ter vel quater sic repetendo, ut oleum obscuri sanguinis colorem referat. Tunc verò

℞. Scordii recentis,
Calaminthæ,
Centaurii minoris,
Cardui Benedicti,
Verbenacæ,
Dictamni Cretici ana manipulum semis.

Tusa ac in oleo priore demersa, per biduum in balneo macerentur, colentur & exprimantur, ut suprà.

Postea.

℞. Zedoariæ,
Rad. Dictamni albi,
Gentianæ,
Tormentillæ,
Aristoloch. rotundæ ana drachmas tres,
Scordii manipulum unum.

Hæc omnia tusa ut priùs in balneo, affuso priore oleo per triduum rursus macerentur, colentur, & exprimantur.

Expresso & colato huic infunde denuò
Styracis Calamitæ,
Laseris, seu Benzoini ana drach. sex,
Baccarum Juniperi unciam semis,
Melanthii drachmas duas,
Cassiæ ligneæ, vel Cinamomi odoratissimi drachmas novem,
Junci odorati, seu Schœnanthi,
Cyperi rotundi ana drachmam unam semis,
Santali albi unciam semis.

Contusa in oleum immittantur, rursusque ut antea per triduum in eodem rorido balneo macerentur, tum colatum ac expressum oleum calens superinfundatur trecentis Scorpionibus vivis diebus canicularibus lectis, qui priùs vitreo vase conclusi, ac calidis cineribus superimpositi in iram exarserint, & sudare inceperint. Hi unà cum hoc oleo tridui spatio in balneo macerati exprimantur, oleumque abjectis Scorpionibus percoletur.

In hoc rursum inffunde
Rhabarbari selectissimi,
Myrrhæ,
Aloës hepaticæ ana drachmas tres,
Spicæ Indicæ drachmas duas,
Croci drachmam unam,
Theriacæ,
Mithridatii ana unciam semis.

Tundenda contundantur, ac cum cæteris oleo prædicto immergantur, macerenturque sic simul omnia in balneo calente per triduum, postea absque colatura reponantur in usum.

Viperarum, aspidum, ac venenatorum animalium morsibus auxilio est. Pulsibus ac extimæ cordis parti ad sinistram mammillam inunctum, repetitâ per ternas horas illinitione, omnibus venenis per os sumptis, si modò ea erodentia non fuerint, efficacissimè succurrit; quin etiam pestiferis morbis sic adhibitum medicatur, nec non ab iisdem præservat.

Oleum Scorpionum Simplex Mesuæ.

℞. Scorpionum numero triginta,
Olei Amygdalarum amararum libras duas.

Macerentur in vase vitreo stricti orificii per dies triginta caniculares, vel aliàs totâ æstate calidissimis diebus, postea colatum ad usus repone.

Vesicæ ac renum calculum dissipat, lumbis, pubi, perinæo in Solis egressu illitum, & in porum urinarium immissum, venenis præcipuè à Scorpio ictis, ac pestilentiæ adeò resistit, ut ejus solo usu quendam cum famulitio à pestilentiæ contagione servatum scribat Manardus, & ex sola inunctione aliquos esse liberatos, qui sævissima venena biberant.

Oleum Stomachale Cratonis. l. 2. Consf. 113.

℞. Olei Absinthii libram unam,
Summitatum Absinthii manipulum unum,
Caryophyllorum,
Santali Citrini ana drachmas duas,
Rosarum rubearum,
Macis ana drachmam semis,
Mastiches drachmas duas semis,
Vini odorati libram semis.

Coquantur secundum artem & ponantur in Sole.

Hoc oleum Crato mirificè prædicat in ventriculi doloribus & infirmitatibus, maximè verò frigidis, quod cùm Medicis nostris crebro usu serviat, meritò huic Pharmacopœiæ nostræ inserendum esse censuimus.

Oleum ex Styrace.

℞. Styracis uncias tres,
Olei communis libram unam,
Vini uncias sex.

Coquantur in duplici vase ad vini consumptionem.

Calefacit vehementer & emollit, ob id confert dolentibus à frigore renibus, vesicæ, utero, musculis, juncturis, tendinibus, eorumque durities insigniter emollit, ad nervorum injurias & vulnera fotu commodum, ob id Chirurgis expetitum, ac ad scabiem efficax, ut scribit Manardus, additâ Hellebori albi octavâ portione.

Oleum è Floribus Verbasci.

Fit insolatis in vase vitreo Verbasci floribus, ut oleum è floribus Liliorum alborum.

Ad Podagricos & alios dolores præsertim calidos laudatissimum. Commendatur etiam in Hæmorrhoïdibus. Vide Evonymum fol. 496.

Oleum Violarum.

Oleum Violaceum seu Violarum fit ex floribus Violarum ac oleo Olivarum, quemadmodum & Rosaceum.

Frigidum ac humidum est, tenuium partium, leniens & modicè aperiens, ad furentes inflammationes idoneum, intemperiem calidam extinguit, phlegmonas omnes sedat, arteriæ asperitatem, pulmonis, & thoracis lenit, inuncto thorace, unde & tabidis & hecticis præsenti est remedio: phreneticis ac vigilibus fronti & temporibus impositum somnum conciliat, hepati ac præcordiis adhibitum febrium ardentium æstus intolerabiles mitigat, renum ac jecoris immoderatum calorem restringit.

Oleum Vulpinum Mesuæ.

℞. Vulpem integram exemptis interaneis,
Aquæ fontanæ libras tres,
Olei veteris clari libras quatuor,
Salis uncias sex,
Coquantur, & inter coquendum adjice
Anethi,
Thymi ana libram unam.

Coquantur donec ab ossibus recedat caro, & aqua consumatur, deinde coletur oleum ac reponatur.

Potentissimæ in digerendo & discutiendo facultatis est, quo nomine ad nervosi generis injurias frigidas & articularios affectus præcipuè valet.

Vulpes benè habita & vegeta, non strigosa, qualis per vindemiam uvis nutrita & impinguata capitur, ætatis mediæ, non juvencula, aut recens nata esto quam exenteratam semianimem oleo incoquunt.

OLEA EXPRESSA.

Oleum Amygdalarum Amararum.

℞. Amygdalarum amararum siccarum non tamen rancidarum, cortice membranoso purgatarum, quantum voles.

Contundas minutissimè, postea in sartagine aliquantulum torrefacias, tandem prelo exprimas.

Primo ordine calidum est, humido & sicco temperatum, calefacit, attenuat, incidit & digerit: unde aurium tinnitus ac flatus è crassa & frigida materia ortos dissipat, auditumque frigore obtusum restaurat, obstructa expedit, cutis maculas & asperitates tàm reliquarum partium, quàm faciei (quas ephelidas & panos vocant,) exterit, manantia capitis ulcera furfuresque ex vino detergit, nervorum affectus frigidos, duros, & dolentes calore tenuante ac digerente sanat, amarore lumbricos necat, & frigidis uteri malis prodest, vulvarum dolores, strangulatus, conversiones, locorum inflammationes suppositum sanat, capitis dolore instillatum sedat, urinæ angustiis pubi illitum, calculosis renum vitiis, stranguriosis in fistulam urinariam immissum medetur, suspiriosis, lienosis, jecinorosis & tabidis subvenit.

Oleum

Oleum Amygdalarum Dulcium.

Fit ut oleum Amygdalarum amararum.

EO utimur ad gutturis, faucium, bronchiorum, & spiritualium partium asperitatem leniendam, vel per se, vel adjecto Sacchar præsertim Candi Violato, duritiem omnem ac siccitatem articulorum corrigit, cutem erugat, scabra & aspera polit, tensa emollit, renitentia digerit & complanat, phthisicis & atrophiâ laborantibus ac consumptis utile: alimentum enim humidum & lentore mediocri diuturnum præstat, extenuatum corpus reficit ac impinguat, calore est temperatum, humidoque secundum ordinem attingit, quo nomine omnem intemperiem sedat, ac semen genitale promovet, uteri, vesicæ, & urinæ ardores mitigat, colicos ac nephriticos cruciatus cum pari portione olei Amygdalarum amararum mirificè levat, partuum labores torminosos discutit, lenit, tandemque propulsat: inunctionum sola est materia, quæ fœtus laboriosos educunt, nephriticis & lotii acrimoniâ laborantibus per syphonem injectum tepidum mirè confert, intemperiem omnem moderatâ suâ substantiâ profligans.

Oleum Balaninum.

Fit è Balano Myrepsica vel glande unguentaria, quam granum Ben Arabes vocant, teritur, assatur, oleumque exinde exprimitur.

TErgit, expurgat, obstructa liberat, auri injectum tinnitui & surditati confert, strumas, hepatis & lienis scirrhum emollit ac digerit, affectibus frigidis nervorum & juncturarum spasmo & arthritidi medetur, alphos, lentigines, varos, maculas, cicatrices nigras, & reliqua fœda cutis vitia corrigit, alvum potu solvit, sed stomacho adversatur.

Oleum Carthami.

Fit ex semine Carthami trito, assato, & expresso.

OBstructa liberat, tergitque, ideò morbo regio, ventriculo dolenti, & colo confert, thoracem ac pulmonem expurgat, & clariorem vocem reddit.

Oleum è Granis Citri.

Grana Citri itidem teruntur, torrentur, & exprimuntur.

ARthritico dolori ac succedenti tumori conducit, calculum vesicæ & renum detrudit. In pestilenti statu Alexiterium optimum, lumbricos enecat potum aut illitum.

Oleum Hyoscyami.

Semina Hyoscyami contunduntur, torrentur & exprimuntur.

Dioscorides ex semine Hyoscyami albi recentis, & siccati, aquâ calida asperso, tritoque, hoc oleum parare docuit.

IN phlegmone & exulceratione partium pudendarum utriusque sexus præ reliquis locum habet.

Oleum Laurinum.

℞. Baccar. Lauri electarum, maturarum & contritarum, quantum voles.

Ea in aqua diu coquantur & colentur, cumque infrigidatæ fuerint, illud pingue quod supernatat, colligatur.

VIs ejus calefactoria vehemens, molliens, tenuans, aperiens, discutiens, exsiccans, intemperiem omnem partium frigidam solam, aut cum pituita & flatibus sanat; cerebri, nervorum, articulorum, ventriculi, intestinorum, præsertim coli, hepatis, lienis, renum, & uteri affectibus frigidis medetur, ac dolorem his succedentem abolet, rigori febrili spinæ dorsi illitum, paralysi, nervorum vitiis, algoribus, ischiadicis, capitis doloribus inveteratis ac destillationibus auxiliatur, auribus illinitur, renum morbis frigore contractis succurrit, lassitudines discutit, venarum spiracula aperit, scabie infestatis, & asperâ impetigine laboranti-

bus in balneo inunctum medicatur. Fugiendum tamen in scabie, aut impetigine inflammationem minante. & calidis ac biliosis naturis: frigidis namque & pituitosis solùm est commodum, vermes & pediculos enecat, capitis furfures, ophiasin, & alopeciam delet, capiti tamen calido non admovendum.

Oleum Seminis Lini.

Lini semina non excorticantur, sed contusa & assata in mola versatili exprimuntur.

Viribus proximum Chamamelino & Anethino, anodynum est, convulsionem curat articulorum, musculorum, nervorum, ac cervicis durities mitigat, ani affectibus mirificè confert, sedis abscessus, & hæmorrhoidum dolores sedans, ani fissuras, & rimas lenit. Manardus pleuriticis linctu aut potu exhibebat, quod magnoperè probavit Gesnerus, qui in epistola quadam scribit: Iam quatuor aut quinquies feliciter propinavi, primùm bis ante sesquiannum in pleuritide cruda & maligna jam desperatis ferè virgini & mulieri, quarum unaquæque mox magnâ admiratione meâ restitui cœpit. Postea juveni in morbo quodam interiore incognito ferè, nec satis jam memini, etsi annotavi. Quartò in tussi ac dyspnœa ante paucos dies mulieri gutturosæ, quæ heri ad me venit, & pro hoc consilio gratias egit. Omnibus paulò pòst soluta alvus est satis copiosè. Tres aut quatuor uncias unâ vice bibi jubeo. Odoris quidem ejus gravitas plerisque adeò molesta & fastidiosa est, ut secundò sumere nollent, sed nullum periculum, nullum incommodum sequitur, & Medicus necessitatem in gravissimis morbis, non voluptatem sumentium spectare debet. Si ritè pureque paretur, & Medicus domi haberet, confidentius dari posset. etsi Brassavolus non admodum laudat. Ego pro cognitâ felicissimâ, & admirandâ ejus facultate Deo gratias ago. Hactenus Gesnerus.

Oleum Nucis Indicæ.

Nuces Indicæ radulâ attritæ aut concisæ, & diligenter contusæ, aquæ calidæ aliquandiu immerguntur, oleumque exprimitur.

Nervorum dolori confert, thoracem & pulmones lenit, clariorem vocem facit, impinguat, ac genitale semen auget. Hodie ferè usurpatur ad conceptus procurationem, nec non seminis incrementum.

Oleum Nucum Juglandium.

Conficitur ut oleum Amygdalarum amararum.

Flatus crassos dissipat, tumores dissolvit, nervis punctis cum calce lota utiliter adhibetur, scabiei medetur, & variis vitiis cutaneis.

Oleum Nucis Moschatæ.

Paratur, ut oleum nucis Indicæ majoris.

Ori ventriculi inunctum mirè eum roborat, deglutitum calefacit mediocriter, & anhelitum commendat, illitum veneris tentiginem excitat, stomachicis quoque frigidâ & humidâ intemperie laborantibus conducit.

Oleum Seminis Papaveris Albi.

Præparatur, ut oleum seminis Hyoscyami.

Utile est anodynum ad ardorem febrium mitigandum, fronti & temporibus appositum somnum conciliat, & dolores capitis tollit.

Oleum è Granis Pæoniæ.

Præparatur, ut oleum è granis Citri.

Usus ejus tàm intra corpus quàm extra, in epilepsia & similibus morbis præclarus existit.

Oleum Nucleorum Persicorum.

Præparatur, ut oleum Amygdalarum amararum.

Obstructa aperit, aurium & sedis ab hæmorrhoidibus dolores ac tumores sanat, lumbricos enecat, in renum affectibus injectum & epotum valere asserit Manardus.

Olea ex Pistachiis & Pineis.

Exprimuntur, ut proximè antecedens.

Hepatis & renum dolores potenter leniunt, impinguant, semen augent, ventriculo non ingrata, tussim & thoracis dolorem compescunt, ac intemperiem emendant.

Oleum Sesaminum.

Fit ex semine Sesami, eodem modo quo oleum Papaveris.

Olim ex Alexandria Ægypti Venetias, & inde ad nos comportabatur sincerum, adulteratur oleo Nucum & Papaperis. Hodie apud nos paratur ex Sesamo, clarum est & candidum, gustu in cibis ac dulcedine delicatissimum.

Vires habet impinguandi, semen genitale augendi, asperitates & duritites leniendi, siquidem asperam arteriam emollit, ac clariorem vocem reddit, aurium dolores sanat, & ulceribus, quæ serpunt, ac mali moris sunt (cacoëthe vocant,) medetur, pectori & pulmonibus confert, pleuritidi accommodatum, puerorum tussim sedat, cum Sacharo Candi paulatim deglutitum.

Oleum è Vitellis ovorum.

℞. Ova recentia numero centum, coquito donec penitùs indurentur. Postea vitellos eorum exime, & comminutos assa in sartagine donec rufescant, & pinguedinem quandam remittant, deinde adhuc ferventes pone in sacculum pilis contextum, & exprime, quodque expressum fuerit oleum repone.

Cutis fœditatem mirè aufert, cicatricibus decorem addit, iis præcipuè, quæ in ambustis relictæ sunt, aurium, dentium, sedis doloribus, ejusque reliquis affectibus convenit, pilos auget, impetiginem serpiginem, & alia cutis vitia eluit, lentigines & fœdas oris maculas detergendi, ac resolvendi vi delet: rhagadiis utile fissuras manuum pedum & ani sanat dolores ulcerum, articulorum, omniumque locorum nervosorum sedat, ad aurium quoque dolores ac ulcera facit, ambustis utile, & in membranis cerebri partes contusas à sanis mirum in modum separat.

ANIMADVERSIONES

Universam hanc Classem Concernentes.

Olea, de quibus in hac classe agitur, in duplici sunt differentia, quorum alia *cocto* sunt, *expressa* alia: *Cocta olea* & ipsa ex *oleis jam expressis*, sive *Olivarum*, sive alterius cujusdam *fructus* vel *seminis oleosi*, additis quibusdam, quorum virtutibus imbui debent, conficiuntur: Et cùm juxta unum eundemque ferè modum omnia *cocta olea* parari præcipiantur, operæ precium non esse, unicuique sigillatim suas addidisse *animadversiones*, sed in genere de ipsis pauca disseruisse, inque iisdem commissos errores crassiores leviter saltem attigisse, sufficere arbitratus sum: Nihilominùs quoque specialiora nonnulla suggeram, ubi priùs de illorum coctione sive præparatione communi quid sentiendum sit, annotavero.

Quod itaque *coctionem illam vulgarem* attinet, næ illam indiscriminatim in omnibus admittere nequeo: Eò namque tùm ego ipse semper aspiravi, & meritò quivis Medicus in præscribendis medicamentorum generibus in id unicè attentus esse deberet, ut in unoquoque *composito* singulorum ingredientium *vires & virtutes integras* conservaret, nec easdem (uti plerumque in nimis artificiosis illis compositionibus fieri assolet,) inutiliter perderet, quod ipsum stante *hac violentâ coctione*, in quamplurimis hujus *classis compositionibus* haud quaquam aliter fieri potest: Etenim *herbarum balsamicarum aut florum*, nec non *Aromatum* vis in subtilioribus eorundem partibus consistens, ceu summè volatilis, levi etiam cocturâ quàm citissimè expirat, aurasque petit, nullâ revocabilis arte: Ut adeò hac ratione permotus simplicem digestionem aut quamlibet insolationem, maximè ubi res, e. gr. *plantæ*, quæ in iisdem macerantur, sulphureæ sunt tenuiumque partium, quales sunt *Majorana flores Rosarum, Sambuci, Chamomillæ, &c* cuivis coctioni violentiori meritò præferam. Haud equidem

me latet, quod omnia *olea* rancorem facilè contrahant, si humiditate aliquâ heterogeneâ permixta sint, aut saltem fæcibus humidioribus vel aquosis scateant; ast incommodo huic prævenire in facili est, si nempè *olea*, in quibus jam sat sufficienterque *herbæ & flores* repetitis infusionibus macerati sunt, optimè expressa aut colata per inclinationem à subsidente aquositate, quæ semper fundum petit, præsertim in leni calore separaveris, fæcesque cum pauco *oleo*, quod illis adhuc adhæret, ad omnimodam humiditatis absumptionem coxeris, & colatum hoc pauxillum *olei* tandem superiori per inclinationem separato *oleo* commiscueris. Quòd si autem aliquis minorem virium è *plantis* per macerationem, quàm per coctionem arguat extractionem, cum eo quoque, si *olea* citò expetantur, non contendam; ast coctionem quasi destillando in *vesica parva cuprea stanno obducta*, aut etiam *cucurbita vitrea* fieri conducibile est, ut ea quæ prodit *fragrans humiditas oleo residuo* reddatur, quod denuò parumper digeratur, & tandem per inclinationem ab aquositate separetur: Qui modus maximè in *oleis compositis*, præsertim quæ *Aromata* ingrediuntur, & quorum alioquin partes subtiliores promptè evanescunt, locum habet.

His præmissis particulares nonnullas *compositiones* ad meliorem dilucidationem præcedentium aggrediemur, initio facto ab *oleo de Castoreo Iacobi de Manliis*, cujus plurimorum ingredientium virtutes potiores & subtiliores coquendo exhalant, ac propterea non opus est, ut *tanta vini quantitas* addatur. *Vinum* enim vel alia humiditas aquea nunquam *oleis* verè commisceri potest, quin semper *olea* supernatent, itaque illo, quod *vinum* extraxit & in se continet, *oleum* destituetur, nisi totaliter *vinum* per evaporationem abstraxeris, sed hoc ipso *vinum* subtiliores secum rapit ingredientium partes, relictis fæculentioribus. Nec etiam juvat, ut *Galbanum & Opopanacum* prius *vino* dissolvantur, & sæpiùs cum *oleo* commisceantur, si soluta semper fundum petant: Nam quòd *oleum* per se de prædictis *Gummatibus* solvere nequit aut saltem extrahere, id beneficio *vini* multò minùs efficietur, sed potiùs impedietur. Idcircò minori quantitate *vini (unciis duabus vel tribus circiter,)* additâ, factaque aliquot dierum maceratione, nec non brevi in Alembico coctione, hoc oleum longè efficacius parabitur, potissimum si quæ in coctione per Alembicum prolecta *exigua humiditas oleosa & spirituosa*, residuo *oleo* reddatur, quod tandem expressum colatumque, postquam fæces in leni calore vel digestione subsederint, per decantationem, juxta modum superiùs edoctum, à sedimentis liberetur. Juxta quem modum multa alia *olea composita*, utpotè *Aranearum Mindereri*, *oleum Costinum Mesuæ*, & reliqua, quibus utplurimùm major quantitas, quàm decet aut par est, humiditatis, præposterè adjecta est, confici possunt.

Oleum Iasminum, quod non tam ad frigidos affectus corrigendos, quàm gratiâ fragrantissimi odoris, quem redolet, experitur, per simplices hasce infusiones dextrè parari nequit, ut odorem suavissimum floribus similem præ se ferat; ea propter necessum est, modo alio secretiori procedere. Nimirùm

℞. *Florum Iasmini odoriferorum recentium q. s.*

Quibus cum *Amygdalis dulcibus excorticatis ac nonnihil siccatis* fiat in *cribro ligneo*, vel *incerniculo*, aut aliquo alio vase puro stratum super stratum, ultimò orbiculo ligneo, pondere aliquo parumper saltem gravando superimposito, postero die *flores ab Amygdalis* segregentur, novisque & recentibus *floribus eædem Amygdalæ* stratificatæ, aliquo, uti antea, pondere nonnihil graventur; qui labor quò frequentiùs semper cum recentibus receptis *floribus* reiteratur, eò præstantius ac fragrantius *oleum*, simplici saltem, & sine igne, expressione ex *Amygdalis* elicitur: Simili modo etiam ex aliis plurimis *floribus*, quorum fragrantia aliàs, si contundantur, coquantur, vel cum *oleis* infundantur, citò evanescit, utpotè *Arantiorum*, *Citri*, *Rorismarini*, *Rosarum*, *&c.* Item ex *herbis*, *Majoranâ*, *Thymo*, *Melissâ citratâ*, & similibus odore fragrantibus *odoratissima olea* confici possunt, quæ nunc utplurimùm ex Italia, ubi

ubi *florum istorum* ingens copia est, transportantur. Durabiliora autem efficiuntur similia *olea*, nec tam facilè rancorem contrahentia, si loco *Amygdalarum Balanus Myrepsica* sive *Granum Ben officinarum* accipiatur, aut ad minimum (uti Romæ facere assolent,) *oleum* ejus *Gossypio* exceptum cum *floribus* sæpiùs stratificetur, quod denique fragrantissimo ipsorum odore sufficienter imbutum è *Gossypio* exprimatur. Hic modus ab Italis in secretis habetur, juxta quem suas *quintas essentias* (uti vocant,) parare consueverunt. In *compositione* vel potiùs præparatione *olei Liliorum alborum compositi Mesuæ*, maximi quoque & absurdi occurrunt errores, dum nimirum *Aromata* non solùm cum *oleo*, sed etiam, antequam *oleo* adjiciantur, coqui præcipiuntur: Ecquid enim cum *oleo* remanebit in residuo; præter crassiores *Aromatum* partes, expulsis subtilioribus & fragrantioribus, ceu efficacioribus: Itaque magis consultum erit, ut juxta modum, superiùs in præparatione *olei de Castoreo* annotatum, illud conficiatur; imò præstantius adhuc evaderet, si loco *Aromatum*, ipsorum *olea destillata*, (quæ cuncta ferè in officinis prostant,) eidem jam perfectè parato adderentur. ex. gr.

℞. *Florum Liliorum alborum recent.* ℥ ix,
Quibus in ℔ ij, *olei puri* infusis adde
Costi veri ℥ j,
Croci pulverisati & in vino infusi ʒ iij,

Macerentur aliquandiu, &, si lubet, coquantur parùm in cucurbita, postea fiat colatura & expressio: Denique jam parato *oleo* adde

Ol. stillat. Calami Aromat. ℈ j,
Cubebarum ℈ ij,
Caryophyll. ʒ ß,
Cinamomi ℈ ß,
Mastichis ʒ ij, vel ʒ iij,

Aut, si lubet, loco *olei Mastichini*, etiam ipsa *Mastiche electa oleo* addi, in eoque leni calore sine coctione dissolvi potest, eritque sic ritè confectum *oleum*.

Oleum Lumbricorum compositum quod spectat, in cujus præparatione deprehendo, jam coctis & paratis *oleis Lumbricorum & Hyperici* addi *vini* ℥ iiij, & ad omnimodam ejus consumptionem denuò incoqui; ast mehercle perquam inepte: quid enim *vinum*, quod penitùs in coctione iterum exhalare debet, *oleis jam perfectè coctis* efficaciæ aut virtutis communicare potest, cùm multò magis ea virtutibus suis hoc modo diminuantur?

Simili errore scatet *oleum Mastichinum Mesuæ*, cui etiam sine ratione & æquè præposterè *vinum* additum est: *Mastix* enim promptè in *oleo* dissolvitur, & in dissolubili nexu illi unitur, ad quam solutionem *vinum* necquicquam conferre potest, quin illam potiùs impediat, quippe dum istud in coctura exhalat, unà secum rapit partes *Mastichis* subtiliores sive spirituosiores: Neque *vinum*, dum *olea* cum ipso coquuntur, illa virtutibus exaltare potest, nec etiam ob id iisdem additur, sed ex mera (ut video) consuetudine, & ad imitationem priscorum, cum quibus ita delirare dulce est.

Progredior ulteriùs ad *oleum Moschelinum*, quod ipsum satis commodè juxta modum *olei Liliorum alborum compositi*, paulò ante indigitatum, confici posset, additis scilicet *oleis destillatis* ex deputatis *Aromatibus*, quorum vis & efficacia aliàs in coctura exhalat, quod apertè in effœtis similibus *oleis* in officinis videre est, quæ tamen jure merito suavem & fragrantem spirare deberent odorem, tumque etiam virtutibus excellentiora existerent.

In compositione *olei Nardini* ratione adjectæ tantæ quantitatis *vini & aquæ fontanæ* notanda sedulò, quæ in antecedentibus *oleis de Castoreo & Liliorum composito* dicta sunt, secundum quæ etiam hujus *olei* præparatio instituatur, & præ omnibus *vini & aquæ* quantitatis diminuatur.

Devenio ad *oleum Papaverinum*, quod ex *capitibus Papaveris*, *foliis & floribus ejusdem* cum *oleo communi* parari præcipitur, cui tamen meritò *oleum* ex ipsis *seminibus Papaveris expressum* præferendum esse arbitror.

Oleum de Piperibus juxta modum in præparatione *olei de Castoreo*, cui usquequaque in

in *compositione* respondet, indigitatum parari potest.

Oleo Populino non ineptè quantitas illa *vini* detrahi, aut ad minimum ad uncias aliquot diminui posset: Etenim *oculi populi* fragrantem redolentes odorem resinosi & oleaginosi sunt, ac faciliùs *oleo* soli, in quo macerantur, vim suam communicare possunt, quam si *vinum* adjiciatur, utpotè quod non solum unionem *oculorum populi cum oleo* prohibet, vel ad minimum remoratur, sed insuper etiam in diuturnâ illâ coctione, donec nimirùm *quatuor libræ* ejus exhalent, subtiliores & fragrantes *oculorum populorum* partes, unà secum rapit in auras.

Inter *olea Rosata*, *oleum Rosatum vulgare*, & *Rosatum Omphacinum*, *composito illi Mesuæ oleo*, nimis artificiosè composito scilicet, præfero.

Magnum illud *oleum Scorpionum Matthioli* adeò composè descriptum, longè compendiosiori viâ, paucioribus infusionibus, nec non breviori tempore parari posset; nihil enim obstat, cur *sex vel novem aut plures herbarum vel florum manipulos* simùl & semel *oleo* immergere non possim: Igitur si juxta modum nostrum universaliter, & particulariter, & quidem frequentiùs in hisce *animadversionibus* indigitatum, nimirùm in cucurbita vitrea, reaffundendo semper, quod in digestionibus aut ebullitionibus prodit, & quatuor vel quinque infusionibus in universum, nil quicquam tamen ingredientibus detrahendo, hoc oleum conficeretur, multo demùm efficacius evaderet.

Tandem nunc sese offert *oleum stomachale Cratonis*, quod sanè, si dextrè pararetur, ad externos usus foret efficacissimum; simpliciter autem hoc præscripto modo elaboratum, exiguas minusque valentes in roborando stomacho virtutes obtinebit, ob rationem aliquoties in præcedentibus adductam nimirùm quod unà cum *vino* præstantiores *Aromatum* & reliquorum ingredientium partes exhalent: Ne autem hoc contingat, & quod penè oblitus eram, cùm *oleum Olivarum* pro extractione *vegetabilium* propter suum lentorem & unctuositatem satis aptum menstruum non sit, propterea præstabit imitari modum sequentem. Utpotè

℞. *Olei Absinthii trinâ infusione & macerationе parati* ℔ j,
Mastiches electæ ℥ j,
Quibus in leni calore solutis & unitis adde
Ol. stillatit. Absinthii,
Caryophill.
Ligni Rhodii ana ℥ ß,
Rof. veri ℈ ß, *vel ejus loco*
Nuc. Moschat.
Macis ana ℈ j, *vel* ℈ ij,
Misce, servetur usui.

In *oleo ex Styrace* denique quantitatem nimiam *vini* juxta has *animadversiones* diminuere, *oleumque* hoc lege artis (videlicet in cucurbita vitrea,) præparare quilibet prudens Pharmacopœus probè noverit.

Quæ reliqua sunt *olea expressa*, cùm simplicia sint, non adeò erroribus scatent; hæc qualiter exprimere oporteat, etiam vulgo notum est. Caveant autem Pharmacopœi, ne *olea expressa preciosiora* (ex quorum numero est *oleum Nucistæ*,) à mercatoribus coëmant, sed propriâ industriâ ipsimet conficiant sive exprimant, etenim hæc rarò pura, sed utplurimùm adulterata divenduntur.

His *classem hanc* finio, quam quidem proliхiùs & fusiùs extendere potuissem, ast qui in præparationibus & compositionibus medicamentorum aliqualiter versatus est, facilè mentem meam ex præcedentium etiam *classium animadversionibus* capere, & hisce contentus esse poterit.

MEDICAMENTORUM PHARMACOPOEIÆ AUGUSTANÆ CLASSIS DECIMA SEPTIMA,

Comprehendens

UNGUENTORUM STRUCTURAM,

Nec-non

Iisdem Annexas Animadversiones.

Unguenta *inter externa remediorum genera reponuntur, & ex variis rebus unctuosis*, oleis *scilicet*, pinguedinibus, axungiis, melle, cerâ, resinâ, terebinthinâ, &c. (*quæ corpora veluti* unguentorum *sunt*,) *aliisque quamplurimis cùm* vegetabilibus, *tùm* animalibus & mineralibus *prædictis unctuosis pro re nata commiscendis, diversimodè parantur: Horum* hæc classis *plures continet* compositiones, *quas ordine, quâ poterit fieri brevitate ventilandas, nunc ad manus sumemus.*

Unguentum Ægyptiacum compositum Magistrale.

℞. Viridis Æris uncias quatuor,
Aluminis,
Salis Ammoniaci ana unciam semis,
Succi Scordii uncias quatuor,
Alliariæ,
Rutæ ana uncias tres,
Aceti Scillitici uncias sex,
Mellis cum decocto Absinthii & Scordii despumati uncias sedecim.

Omnia simul lento igne coquantur ad mediocrem unguenti consistentiam: addendo
Theriacæ electæ,
Mithridatii ana unciam semis,
Camphoræ unciam unam.

Ex probè mixtis fiat unguentum.

Usus hujus unguenti plurimùm commendabilis est in Gangrana, & Sphacelo, omnibusque aliis ulceribus valdè putridis & sinuosis; putredini siquidem efficaciter resistit, & carnem mortuam à sana potenter separat, exsiccat ac detergit, vaporesque putridos & venenatos partibus nobilioribus præcipuè infestos, fortiter discutit atque emendat, à Gulielmo Fabricio Chirurgo quondam experientissimo, in tractatu de Gangrana & Sphacelo, instar singularis experimenti ad prædicta dilaudatum.

ANIMADVERSIONES.

Satis potens hoc *unguentum* & fere causticum erit, quodque vix sine additione alterius rei mitigantis affectibus denominatis, nisi ingens demortuæ & corruptæ carnis copia adsit, applicare licebit; videat itaque is qui illud applicaturus est, ne dolores acerbissimos, & exindè consequentia varia & crudelia symptomata excitet. Nobis saltem in præsens incumbit, ut dextram illius addamus præparationem, quæ talis esse potest.

℞. *Mellis cum decocto Absinthii & Scordii* (forsitan melius foret cum decocto vel succo Plantaginis, Millefolii vel Hyperici,) *despumati* ℥ xvj,
Viridis æris subtilissimè triti ℥ iv,
Aceti Scillitici ℥ vj,

Mixta invicem in sartagine cuprea satis violenter inter initia coquantur, donec ex colore viridi conversa sint in spadiceum, postea leni igne ad satis crassam & ultra ordinariam consistentiam inspissentur; Tum admisce

Aluminis,
Salis Armoniaci ana ℥ ß,
Succi Scordii ℥ iv,
Alliariæ,
Rutæ ana ℥ iij,

Coquantur iterùm lento igne ad justam consistentiam, addendo in fine, ubi parùm refrixerit,

Theriacæ electæ,
Mithridatii ana ℥ ß,
Camphoræ verò ℥ j,

Cum *spiritu vini* vel alio ad pultis formam redactæ & quodammodo solutæ prædictis, dum adhuc parùm calent, optimè misceatur, paratumque usui reponatur.

Unguentum Ægyptiacum simplex Mesuæ.

℞. Æruginis drachmas quinque,
Mellis drachmas quatuordecim,
Aceti fortis drachmas septem.

Coquantur omnia simul, donec fiat unguentum spissum, & colore purpureum.

Valentissimum ad saniem siccandam, sordes detergendas, & carnem absumendam, ulceribus malignis, putrilaginosis & cuniculosis convenit.

Unguentum Agrippæ ex Nicolao.

℞. Rad. Bryoniæ libras duas,
Cucumeris asinini libram unam,
Scillæ libram semis,
Ireos uncias tres,
Filicis,
Ebuli,
Tribulor. aquaticorum ana unc. duas,
Ceræ albæ uncias quindecim,
Olei albissimi libras quatuor.

Radices omnes istæ recentes lotæ, incisæ, & contusæ macerentur in oleo per dies octo. Deinde coquantur, postea exprimantur, & in colato oleo & expresso resolvatur cera, ac fiat unguentum secundum artem.

Ad Regem Agrippam Auctorem compositionem referunt, ad aquæ suffusiones, partium tumores laxos seu œdemata, & nervorum contractiones valet, nephriticis succurrit, ac ventri illitum alvum movet, & stranguriam sedat, ad lienosos quoque, & ventrem dolentes utile existit.

ANIMADVERSIONES

In Unguentum Ægyptiacum simplex Mesuæ, & Unguentum Agrippæ ex Nicolao.

Utraque *hæc unguenta* juxta modum præscriptum parari possunt: Nihilominùs autem in *unguento Agrippæ* hoc observari potest, ne *oleum cum radicibus denominatis, tribulisque aquaticis* jam sat sufficienterque maceratum ad omnimodam humiditatis exhalationem coquatur, sed ut nonnihil humiditatis illi remaneat: Ita enim paratum hoc *unguentum* in operando efficacius fore mihi planè persuadeo, imò asserere ausim, *succos prædictarum radicum*, vel *radices ipsas contusas* in denominatis affectibus valentiores esse, cuicunque etiam loco (debitè tamen,) applicentur, quàm hoc ipsum ex iisdem paratum *unguentum*, ob *ceræ* & *olei* additionem, utpotè quæ suo lentore prohibent, quò minùs reliqua ingredientia poros permeare aut penetrare queant. Non equidem ignoro, quòd talia *unguenta*, quæ humiditatem adjunctam habent, si diu asserventur, tractu temporis situm contrahant; igitur necessum est, ut in minori quantitate singulis annis recenter parentur.

Unguentum de Alabastro.

℞. Succi Chamomillæ uncias quatuor,
Rosarum recentium unc. duas,
Rutæ recentis,
Betonicæ ana unc. unam semis,
Rad. Althææ uncias duas,
Olei Rosati Omphac. lib. unam semis,
Alabastri puri & pulverisati unc. tres.

Infundantur per noctem, & cum cera alba fiat unguentum.

Describitur hoc unguentum ab Auctore Benedicto Faventino in Empiricis cap. 1. de dolore capitis. Confert autem omni capitis dolori, sive is per essentiam, sive per consensum obortus fuerit, cum & citra febrem, omnique morbi tempore, solo excepto principio.

ANIM-

ANIMADVERSIONES.

PEr simplicem infusionem parare *hoc unguentum* quidem impossibile est; *succi* enim & *olea* licet diu multumque invicem confusa digerantur, nunquam tamen perfectè commisceri possunt, hinc etiam *olea* ex *succis* æque, ut ex *herbis*, virtutes perfectè elicere nequeunt, quippè semper ab invicem segregantur, fundum petentibus *succis*: Itaque si *unguentum hoc* secundum præscriptum modum parari deberet, necessum esset, ut *succi* enumerati per coctionem totaliter exhalarent, & ne sic quidem *oleum* suis virtutibus multùm imbuerent. Ut igitur efficacius conficiatur *unguentum*, consultum est, ut modo sequenti ejus præparatio instituatur. Nimirùm

℞. *Florum Chamomillæ Rom. recent.* ℥ *v*,
Rosarum recent. ℥ *iij*,
Rutæ hortensis,
Betonicæ ana recent. ℥ *ij*,
Rad. Althææ recent. ℥ *j*,

Incisa & contusa nec non cucurbitæ vitreæ immissa, infundantur per aliquot dies in *olei Rosati Omphacini*, vel *olei simplicis* (quod melius foret, eò quòd illud jam tum alienis virtutibus satis imbutum sit,) ℔ *j* ß, fiatque una vel altera lenis ebullitio in M. B. humiditate, quæ prodit asservatâ, postea *oleo adhuc calenti ex herbis expresso & colato* addantur

Alabastri puri & subtilissimè triti ℥ *iij*.

Iterumque aliquandiu digerantur, sæpius Alabastro (quod fundum petit) commoto vel subindè agitato: Adde tandem

Ceræ albæ ℔ ß,

Et ubi refrixerit, aliquandiu agita in sartagine, superiorique prolectâ particulâ aquositatis additâ, fiat *unguentum* in parva quantitate, ut singulis annis recenter parari possit, ne si diutiùs asservetur, situm contrahat aut rancidum evadat.

Unguentum Album, sive de Cerussa dictum Avicennæ.

℞. Lithargyri albi loti drachm. quatuor,
Cerussæ aquâ Rosatâ lotæ drachmas viginti,
Ceræ albæ drachmas viginti octo,
Olei Rosacei uncias octo,
Albuminum ovor. numero quatuor.

Ceræ liquatæ in oleo Rosato lento igne injice Cerussam & Lithargyrum probè contrita: misce ac postremò adde albumina ovorum.

COmmendatur ad ambusta, erysipelata, scabiem & cutis vitia à salsa pituita, & bile usta enata, ad prurigines ac pustularum eruptiones, acrem serpiginem attritâ, & intemperiem ulcerum calidam, præcipueque valet, ubi calor est, ustio & excoriatio.

Unguentum Album Camphoratum.

℞. Olei Rosati uncias decem, vel libram unam, ut habet Cordus,
Ceræ albæ uncias tres,
Cerussæ uncias duodecim,
Albuminum ovorum numero sex,
Camphoræ dissolutæ cum aqua Rosarum drachmas duas.

Fiat unguentum secundum artem.

AD prædicta valentius est propter Camphoram, erysipelata reprimit, & ambustis medetur.

ANIMADVERSIONES

In Unguentum Album sive de Cerussa Avicennæ, & Unguentum album Camphoratum.

HÆc duo *unguenta* in frequenti quidem usu sunt, ast nimis effœta, ratio est, quod *Lithargyrum & Cerussa*, ceu simplices *Plumbi* calces, quoad refrigerationem in enumeratis affectibus parùm præstare possint, tùm per se inspersa, tùm rebus unctuosis permista: Etenim exigua illa vis refrigerans *Cerussæ* in *Saccharina dulcedine Saturni* consistens, & fermentum salsum, quod est in ulceribus, à bile salsa & adustâ enatis aliàs mortificare potens, mediante lotione, quæ tàm studiosè præcipitur, penitùs eluitur. Ne itaque *unguentum hoc* efficaciâ illâ, quam de ipso Authores sibi promittunt, inposterum privetur, perutile fore existimo, ut dictum *Lithargyrum* nec non *Cerussa* priùs cum *aceto destillato*, in sufficienti quan-

titate affuso, benè coquantur, & ferè ad siccitatem usque iterum inspissentur, quibus tùm illicò *albumina ovorum conquassata, ac in aquam veluti per se resoluta* commisceri queunt, atque his demùm aliquandiu invicem agitatis, ultimò *cera in oleo destinato liquata* addi potest.

Nota: possent equidem *Cerussa* & *Lithargyrum* cum *oleo Rosaceo & aceto destill.* simul coqui, cui (scil. *oleo*,) intimè sic adunarentur; ast propter odorem fragrantem, quem *oleum à Rosis* solâ maceratione contraxit, quique in coctione penitùs exhalaret, coctionem cum ipso minùs proficuam duxi.

Camphoram quod attinet, quæ *unguento albo Camphorato* addi jubetur, illa cum *aqua Rosarum* commodè dissolvi nequit, sed necessum est, ut vel *spiritu aliquo ardenti*, utpotè *Rosarum* pro hoc *unguento*, vel *oleo Rosato* ipso, utro scilicet horum libuerit, dissolvatur, & *unguento* nonnihil adhuc calenti sub finem demùm admisceatur.

Unguentum de Althæa compositum Nicolai.

℞. Radicum Althææ libras duas,
Sem. Lini,
Fœnugræci ana libram unam,
Scillæ recentis uncias sex,
Olei libras quatuor,
Ceræ libram unam,
Terebinthinæ,
Gummi Hederæ,
Galbani ana uncias duas,
Colophoniæ,
Resinæ ana uncias sex.

Radices & Lini semina contusa macerentur tribus diebus in sufficienti quantitate aquæ, deinde coquantur donec crassescat mucilago, postea

℞. Mucilaginis expressæ libras duas,

Et adde reliqua, facque secundum artem unguentum.

Nonnulli ex Pharmacopœis, ut colorem unguenti magis intendant, illudque oculis gratius efficiant, nonnihil de radicibus Curcumæ adjiciunt; id autem si cera pulchra & citrina fuerit, facere non opus est, nec verò Curcuma medicamenti intentionem assequitur.

ANIMADVERSIONES.

Mira hæc congeries est, & inconcinna *compositio*, quæ vix meretur, ut ad ipsam corrigendam operam nostram occupemus: considera saltem, Lector amice, & perpende, quod *libræ viscosæ & crassissimæ mucilaginis* ex *quatuor libris radicum Althææ & seminum Lini & Fœnugræci* extrahi possent, & si *tot libræ extractæ viscosæ mucilaginis* ad *libras duas* inspissari, atque huic tandem reliqua ingredientia, inprimis *Scilla*, sine ulteriori coctione admisceri deberent, proh! quæ qualisque inde exurgeret *unguenti* consistentia? Ut autem aliquid saltem efficiamus, quod *unguento* quodammodo simile fit, (nam de viribus omnium ingredientium, an illæ salvæ remaneant, dubito:) procedamus hunc in modum

℞. *Mucilag. rad. Althææ,*
Sem. Lini,
Fænugr. ℔ *iij, junctim.*
Scillæ recentis ℥ *vj,*
Olei Olivarum ℔ *iiij,*

Percoquantur ad consumptionem humiditatis, coleturque & separetur *oleum* à crassamento *prædictæ mucilaginis* picis instar relicto: cui adde sequentia invicem soluta, & post residentiam per linum & qualum trajecta vel colata, utpotè

Ceræ flavæ ℔ *j,*
Colophoniæ,
Resinæ ana ℥ *v,*
Gumm. Galbani
Hederæ priùs in Terebinthinæ ℥ *iv, solutorum ana* ℥ *ij.*

Fiatque *unguentum* justæ consistentiæ; quod si flavum expetatur, priori decoctioni *Curcuma* in s. q. injiciatur.

Nota: quod *Gummi Hederæ & Galbanum* in *Terebinthina*, non verò in *aceto vel vino* dissolvere præceperim, causa est, quod neque *acetum*, neque *vinum*, neu *aqua*, nevè *oleum Gummi Hederæ* penitùs attingat, sed sola *Terebinthina* illud optimè penetret, quantumvis & hæc nonnihil de ipso indissolutum relinquat; igitur præstat istud priùs in pulverem redactum solutioni adaptare; *Galbanum* aut si purum

tota-

totaliter in *Terebinthina* liquefit & dissolvitur, quod tùm faciliori negotio postmodùm *oleis* commisceri potest, quàm si *vino* vel *aceto* dissolutum esset; propter hanc causam etiam *pondus Terebinthinæ ad uncias duas* adauxi, è contra verò de *Colophonio & resina unciam unam* (de quolibet) detraxi.

Uuguentum de Althæa Simplex ejusdem.

℞. Rad. Althææ libras duas,
Sem. Lini,
Fœnugræci ana lib. unam,
Olei libras quatuor,
Ceræ libram unam,
Terebinthinæ uncias duas,
Resinæ uncias sex.

Radices & semina contusa macerentur tribus diebus in aquæ libris octo, aut quantum sufficit: quartâ die coquantur donec remittant crassam & viscosam mucilaginem, eam deinde exprime. Mox

℞. Expressæ mucilaginis libras duas:
Coque cum oleo, & cum deinde aquosum illud in mucilagine consumptum fuerit, ceram addito & secundum artem parato.

USu celeberrimum ad emolliendum, calefaciendum, & humectandum, pectoris dolorem è frigore contractum abolet, laterumque doloribus felicissimè adhibetur, per se, aut etiam cum Butyro illitum, viscerum durities laxat, ac stomachi inflationes discutit: valet ad nervorum incontinentiam ac duritiem, eosque præcisos glutinat, vulnera claudit, resolutis nervis, & perfrictis partibus, in primis tamen vesica, ad ignem illitum benefacit, periodicasque febres amolitur, emollit, lenit, concoquit, incidit & digerit.

Unguentum Anodynum.

℞. Olei Liliorum alborum uncias sex,
Anethini,
Chamæmelini ana unc. duas,
Amygdal. dulcium unc. unam,
Pinguedinis Anatis,
Gallinæ ana unc. duas,
Ceræ albæ parum.

DOlores quacunque corporis parte mitigat, unde nomen quoque contraxit.

ANIMADVERSIONES

In Unguentum Dialthææ, & Unguentum Anodynum.

UNguentum Dialthææ simplex juxta modum præcedentem, in unguento *Dialthææ composito* indigitatum, parare convenit per evaporationem humiditatis, *mucilaginis* scilicet cum *oleo*, addendo ultimo *ceram*, *Terebinthinam*, & *resinam*: Quodque residet crassamentum à *mucilagine* indissolubile, colaturâ per linum & qualum separando.

Unguento Anodyno simpliciter confecto *unciæ tres circiter ceræ addi* possunt; quamobrem autem *cera alba citrinæ* semper præferatur, equidem rationem nullam video: Etenim *cera alba* non solùm per diuturnam insolationem flavedine suâ, sed etiam subtilissimis, fragrantioribus & virtuosioribus suis partibus privata est. Quippe *Sol vegetabilibus* omnibus à sua radice evulsis, ipsiusque radiis diù expositis multum detrahit, eademque viribus effœta reddit: Itaque si *cera alba* non tantùm ob albedinem vel pulchritudinem, sed etiam ob alias singulares virtutes expetatur, meritò illi *flavam* longè præferendam opinor.

Unguentum Apostolorum Avicennæ.

℞. Terebinthinæ,
Resinæ,
Ceræ albæ,
Ammoniaci ana drach. quatuordecim,
Aristolochiæ longæ,
Thuris masculi,
Bdellii ana drachmas sex,
Myrrhæ,
Galbani ana drachmas quatuor,
Opopanacis,
Æruginis ana drachmas duas,
Lithargyri drachmas novem,
Olei communis libras tres,
Aceti quantum sufficit ad Ammoniacum, Galbanum, & Opopanacem dissolvenda.

Sic dictum quòd ex duodecim constet, simplicibus. Usu frequens ad vulnera & ulcera difficilia, cuniculosos sinus & fistulas, sordidaque ulcera emendat, purgat, exsiccat, ac detergit; & exesá putrilagine carnem restaurat, duram emollit, & plagas sanat. Unguentum istud cum Venere antiquorum consentit, quo usi sunt attrahendo, molliendo, glutinando, & contra ferarum morsus.

Modus parandi talis est. Bdellium si est molle, Ammoniacum, Opopanacem cum aceto macerabis nocte unâ, postridie calefac, & cola, iterum pende, & ponderi horum legitimo Terebinthinam permisce; Lithargyrum autem in oleo nutries aliquandiu sine igne friatum, oleum æstate sit librarum duarum, hyeme trium, postea igni trade, ubi calet, ceram immitte, hac liquatâ igni aufer, liquores paratos misce, ubi refrixit, reliquorum pulverem paulatim adjice. Bdellium siccius (quale nobis adulterinum est,) ut cætera terendum, & aspergendum.

ANIMADVERSIONES.

Præscriptus *hujus unguenti* conficiendi modus intricatissimus est, nec ullus Pharmacopœus juxta traditam hanc Authoris informationem *unguentum hoc* parabit, ut itaque genuina ejus præparatio suppetat, en subdo sequentem!

℞. *Olei communis* ℔ *ij.*
Lithargyri subtil. triti ℥ *ij,*
Aceti fortis ℥ *vj.*

Coquantur invicem continuò spatulâ agitando ferè, usque ad consumptionem *aceti*, quibus adde

Terebinthinæ,
Resinæ ana ℥ *ij,*
Ceræ flavæ ℥ *vj.*

invicem liquata & per linum transcolata, postea in alia patella dissolvantur in *aceto* ad pultis formam,

Galbani puri,
Pulv. Myrrhæ opt. ana ℨ *vj,*
Opopanacis ℥ ß.
Ammon. ℨ *xiv, sive* ℥ *j* ß, ℨ *ij.*

Quibus adhuc calentibus, non tamen ferventibus, alternatim adjice, mox de superiori rudi ter commixto & imperfecto *unguento* cochlear unum vel alterum, mox de *pulveribus sequentibus* tantundem, semper in lenissimo calore agitando, donec omnia & singula optimè unita sint.

℞. *Pulv. Aristoloch. longæ,*
Thuris albi,
Bdellii ana ℨ *vj,*
Æruginis subtil. ℥ *j* ß.

Fiat unguentum juxta consistentiæ.

Nota: *hoc unguentum* longè efficacius redderetur, præsertim in vulneribus nervorum & ossium, si loco *olei simplicis, oleum Terebinthinæ rubrum* substitueretur: Cæterùm licet *Thus* in *Terebinthina*, & *Bdellium* in *aqua quacunque* dissolvi possit, nihilominùs ea in forma pulveris subtilissimi adjeci, unicuique tamen liberum erit ea dissoluta addere.

Unguentum Aregon Nicolai.

℞. Rad. Jari seu Ari,
Cucumeris asinini ana unc. quatuor semis,
Bryoniæ uncias tres,
Pyrethri unciam unam,
Rorismarini,
Majoranæ,
Serpylli,
Rutæ ana uncias quatuor semis,
Fol. Coccognidii uncias novem,
Cucumeris asinini unc. sex,
Lauri,
Salviæ,
Sabinæ ana uncias tres,
Pulicariæ majoris, id est Conyzæ,
Minoris ana unc. quatuor,
Calaminthæ, seu Nepetæ uncias sex,
Mastiches,
Olibani ana drachmas septem,
Euphorbii,
Zingiberis,
Piperis ana unciam unam,
Olei Moschelini unciam semis,
Communis libras quinque,
Laurini,
Adipis Ursini ana uncias tres,

Petrolei clari unciam unam,
Butyri uncias quatuor, aut quantum satis est.

Herbæ & radices Majo mense collectæ in olei & vini s. q. macerentur diebus septem, deinde coquantur & colentur. Colato oleo adjice reliqua, atque in fine adde

Ceræ libram unam, uncias tres.
Misce.

U*Nguentum hoc ab effectu ἀρηγὸν seu auxiliare dictum, numeratur inter quatuor unguenta calida, ideoque corporis vitiis frigidis, convulsioni, paralysi, tetano, & nervorum distensioni conducit, spinæ & renum dolores, ac colicos cruciatus sanat, ad omnem stomachi, & ventris dolorem, uterina quoque mulierum mala, quartanas, & morbum comitialem facit, articularios morbos juvat, & rigores febrium spinæ illitum discutit. Eo frequenter ad scabiem ex lue venerea utimur.*

MOschelinum oleum si deest, Rutaceo aut Laurino utendũ potiùs, quàm Balanino.

ANIMADVERSIONES.

CUm *unguenti* hujus præparandi modus ex parte insufficiens mihi videatur, idcircò pleniorem & dexteriorem ejus præparationem addere consultum duxi, quæ talis esse potest.

℞. *Rad. Ari,*
Cucumeris asinini ana ℥ iv ß,
Bryoniæ ℥ iij.
Pyrethri ℥ j,
Fol. Coccognidii ℥ ix,
Cucum. asinini ℥ vj,
Pulicariæ majoris,
Minoris ana ℥ iv.

Omnia hæc recentia & contusa infundantur in

Olei communis ℔ v,
Adipis ursini ℥ iij.
Butyri recent. ℥ iiij.

Stent in digestione vel maceratione per octiduum, postea cocta ad exhalationem humiditatis exprimantur fortiter & colentur: Tum *oleo expresso* de novo infundantur vel immergantur

Herb. recent. & cont. Rorismarini,
Majoranæ,
Serpylli,
Rutæ ana ℥ iv ß,
Fol. Contus. Lauri,
Salviæ,
Sabinæ ana ℥ iij.
Calamint. mont. ℥ vj.

Macerentur in calore leni per octiduum, postea fiat in Alembico una vel altera ebullitio, reaffusâ, quæ prodit, fragrantis aquositatis particulâ, factâque expressione & colaturâ addantur *oleo colato ceræ flavæ ℔ j ℥ iij.* quâ leniter liquefactâ admisceantur

Olei Moschelini ℥ ß,
Laurini ℥ iij,
Petrolei clari ℥ j.

Et dum adhuc calent *pulveres sequentes* inspergantur, diû & sine intermissione agitando, utpotè

Pulvis Mastichis,
Olibani ana ℥ vij.
Euphorbii,
Zingiberis,
Piperis ana ℥ j.

Misce, fiat unguentum.

Unguentum de Arthanita Majus Mesuæ.

℞. Succi Cyclaminis libras tres,
Cucumeris agrestis,
Butyri Vaccini ana libram unam,
Olei Irini libras duas,
Pulpæ Colocynthidis unc. quatuor,
Polypodii uncias sex,
Euphorbii unciam semis.

Contundenda terantur, & macerentur in succis ac oleis diebus octo in vase vitreo. Postea semel fervesac in duplici vase, cola, & colaturæ adde

Sagapeni drachmas septem semis,
Myrrhæ drachmas tres.

Dissolvantur hæc in aceto, & coquantur in prædictâ colaturâ ad succorum consumptionem; deinde adde

Ceræ uncias quinque,
Fellis Taurini drach. septem semis.

Fervesac simul donec cera liquescat, tunc in-

insperge paulatim pulverem subsequentem medicamentorum,

Scammonii,
Aloës,
Colocynthidis,
Mezereonis,
Turbith ana drachm. septem semis,
Salis Gemmæ drachm. quatuor semis,
Euphorbii,
Piperis longi,
Zingiberis,
Chamæmeli ana drachmas tres.

Misce, fiat unguentum.

Illitum stomacho vomitu purgat, hypogastrio autem inunctum, alvum dejicit, ob id hydropicos mirè juvat, serosum excrementum largè evacuando; vermes quoque enecat & educit. Adhibetur iis, qui purgans medicamentum sumere nequeunt.

ANIMADVERSIONES.

NEque hujus *unguenti* præparatio sufficienter tradita est, quæque meritò modo sequenti institui deberet.

℞. *Succi Cyclaminis* ℔ iij,
Fructus & herb. Cucum. agrestis,
Butyri Vaccini ana ℔ j,
Olei simplicis ℔ ij,
Pulpæ Colocynthidis ℥ iv,
Polypodii ℥ vj,
Euphorbii ℥ ß.

Contundenda terantur & macerentur in *succis* vel *oleis* per octiduum, postea coquantur ferè ad consumptionem humiditatis, fiatque colatura & expressio fortis, in expresso *oleo* liquefac

Ceræ flavæ ℥ v.

Tum

℞. *Gummi Sagapeni* ℥ j,
Myrrhæ pulveris. ℥ iij.

Solvantur in *aceto* ad pultis formam in singulari patella, quibus adhuc calentibus alternatim mox de *oleo prædicto*, in quo *cera* liquefacta est, mox de *pulveribus ultimò inspergendis* (qui ex descriptione superiori peti possunt,) nec non de *fellis Taurini drachmis septem*, cochlear unum post alterum injiciatur, fiatque ita *unguentum* justæ consistentiæ.

Unguentum Aureum Mesuæ.

℞. Ceræ citrinæ uncias sex,
Olei boni libras duas semis,
Terebinthinæ uncias duas,
Resinæ,
Colophoniæ ana unc. unam semis,
Thuris,
Mastiches ana unciam unam,
Croci drachmam unam.

Confice secundum artem.

AUreum à colore & pretio dicitur. Quibusdam Regis unguentum, vulnera tutò & salubriter glutinat, præsertim in corporibus mollioribus.

MOdus confectionis hic est, ut oleum & cera omnium primò liquentur, deinde addatur Terebinthina, tandem pulveres, ac postremò Crocus.

Unguentum de Bdellio Mesuæ.

℞. Bdellii drachmas sex,
Euphorbii,
Sagapeni ana drachmas quatuor,
Castorei drachmas tres,
Ceræ drachmas quindecim,
Olei Leucoii drachmas decem.

Bdellium & Sagapenum dissolvantur in aqua Rutæ, cætera cum aqua calida uniantur, & fiat unguentum.

COmmendatur ad paralysin, & spasmum jam confirmatum; valenter namque digerit ac emollit, ut nervorum & articulorum tophos dissipet, eorundem etiam frigidos affectus juvat, ac membrorum resolutionem sanat, ad epilepsiam quoque plurimùm facit.

Unguentum è Calce.

Calcem vivam singulis diebus semel lavabis, & in fundo residere permittes, atque aquam spongiâ exprimes decem diebus continuis. Deinde aquâ Rosaceâ lavabis, & siccari sines.

℞. Hujus Calcis ita præparatæ unc. tres,
Olei Rosati libram unam,
Ceræ albæ uncias tres.

Ceram in oleo liquato; huic ab igne exemptæ & jam concrescere incipienti Calcem leviſſimè tritam admiſceto, & reponito.

A*Liud* ἀπόρεσιν. *Calci vivæ ſuperinfunde aquam puram, cui mox detractæ adde tantundem olei communis, & agita ſimul, donec fiat unguentum. Ambuſta feliciſſimè inter initia percurat. Aliud ad ambuſta ex corticibus mediis Sambuci refert Fœſius ſect.*11.

ANIMADVERSIONES

In Vnguentum Aureum Meſuæ: de Bdellio, & de Calce viva.

INgredientia *unguenti Aurei* cuncta, præter *Crocum* & *Olibanum*, inter ſe invicem colliquari poſſunt, quæ ubi liquata ſunt, per linum & qualum colentur, addaturque *Crocus ſubtiliſſimè tritus & vino dilutus*, nec non *Olibanum* ſimili modo ſubtiliter pulveriſatum: Si quâ etiam alicui liberet loco *olei communis oleum Terebinthinæ rubrum* ſumere, is longè præſtantius ad quævis etiam vulnera, præſertim capitis, nervorum & oſſium, quibus alioquin oleaginoſa infeſta ſunt, efficeret *unguentum*. *Vnguento de Bdellio* nimis exigua quantitas *olei* aſſignata eſt, ita ut *Emplaſtrum* citiùs quàm *unguentum* exindè confici poſſet; paretur itaque juxta hunc modum ſubſequentem

℞. *Olei de Caſtoreo, vel Moſchelini, aut Nardini, quodcunque horum libuerit.* ℥ *viij,*
Ceræ citrinæ ℥ *ij.*

Quibus artificiosè junge

Bdellii in aqua Rutæ ad pultis formam ſoluti ℥ ß,
Euphorbii pulveriſati ℥ ß,
Axungiæ Caſtorei, (ſi haberi poſſit, ſin minus pulveris,) ʒ *iij.*

F. unguentum.

Vnguenta de Calce viva juxta modos præſcriptos quidem parari poſſunt, aſt propter frequentem totieſque reiteratam lotionem *calcis vivæ*, minùs efficacia efficiuntur; quippe *calx lota* terræ mortuæ inſtar eſt, ejus enim acrimonia exſiccans, vel ſolâ humiditate aëris attractâ infringitur vel deſtruitur, multò magis aquâ toties affusâ. Plura de *calce viva* petantur ex *animadverſionibus appendicis claſſis decimæ quartæ*, ubi de *ſale Viperarum* egimus.

Unguentum Citrinum, ſeu Baſilicum Nicolai.

℞. Boracis drachmas duas,
Camphoræ drachmam unam,
Corallii albi drachmas quatuor,
Amenti dulcis, id eſt Gypſi capillatas venas habentis unciam unam,
Umbilici marini,
Tragacanthi albiſſimi,
Amyli,
Cryſtalli,
Entali,
Dentali,
Thuris albiſſimi,
Nitri ana drachmas tres,
Marmoris albi, aut Alabaſtri drachm. duas,
Gerſæ ſerpentariæ, id eſt, Serpentariæ veræ præparatæ unciam unam,
Ceruſſæ uncias ſex,
Axungiæ porcinæ recentis mundæ libram unam ſemis,
Sevi Caprini præp. unc. unam ſemis,
Adipis Gallinacei præp. unc. unam.

Confice ſic:

Axungiam porcinam atque adipem gallinaceum liqua ſimul, & impone tepidis adhuc corticum Citrii Mali ſatis magnam quantitatem, & macerentur per menſem unum. Deinde eximito cortices, & ſevum caprinum addito: poſtea addantur reliqua tenuiſſimè trita. Ultimò verò inſperge Camphoram & Boracem ſeorſim ſubtiliſſimè trita.

C*Itrinum Officinæ vocant, cùm potiùs Citrium dicendum ſit, à pomis Citri, vel eorundem ſucco. Aſpera lævigat, faciei maculas & lentigines exterit, ephelides ac ex inſolatu uſtiones factas & cicatrices emendat, ruborem oculorum aufert, nec non puſtulas in cute à ſalſa pituita apparentes ſanat.*

PRiora exemplaria legebant Boracis unciam unam, præſtiterit tamen ad Græci exemplaris normam ſumere drachmas duas, Gerſæ

autem seu Cerussæ serpentariæ, quam Nicolaus ψαμμύθιον seu Fucum vocat, pondus ad unciam extendere, cùm cosmeticum sit medicamentum, cutim emaculans, cui intentioni Gersa præcipuè servit; ejus quoque unciam apponunt Noribergenses & Renodæus. Aliqui præter Citri cortices succum quoque Citri adjiciunt; & sic efficacius medicamentum efficiunt.

ANIMADVERSIONES.

Speciosa hæc satisque argutè conscripta *compositio*, reverà plurima inutilia continet, cujus utut libenter dexteriorem præparationem addere conarer, non possem tamen, cum inter ingredientia nulla sit symbolizatio: Ne tamen partibus meis defuisse videar, nihilominùs aliqualem ejus præparandi modum adjungam.

℞. *Axungiæ porcinæ recentis* ℔ j ß,
Adipis Gallinacei ℥ j,
Corticum Citri exteriorum minutissimè conscissorum aut contusor. ℔ j, *vel* ℔ j ß.

Macerentur diu multumque in loco tepido, tandem colentur & exprimantur: *Colatæ odoriferæ axungiæ* addatur
Sevi Caprini ℥ j ß,
Cerussæ cum succi Citri ℥ *viij*, *coctæ iterumque ad siccitatem ferè inspissatæ* ℥ *vj*, vel

si lubet & quod melius est, *Sacchari Saturni*, parumper cum *aqua Rosarum aut Citri dissoluti* ℥ *ij*.
Feculæ Serpentariæ vel Bryoniæ ℥ *j*.

Agitentur diu multumque invicem, & iterùm superaddantur,
Corallorum alborum ℨ ß.
Umbilic. marinorum,
Crystalli,
Entali,
Dentali ana præp. ℨ *iij*.
Alabastri albi præpar. ℨ *ij. in* ℔ *j. succi Citri recentis clari*, vel potius *aceti destillati* cocta, & denuò ad siccitatem per coctionem vel evaporationem redacta;

Item
Tragacanthæ albissimæ cum aqua Rosar. in mucilag. spissam dissolutæ,
Amyli,
Nitri,
Thuris albi ana subtil. pulv. ℨ *iij*,
Boracis Venet. alb. tritæ ℨ *ij*,
Camphoræ in spiritu Rosar. vel ipsa Axungia porcina solutæ ℨ j ß.
F. l. unguentum.

Unguentum Clysmaticum.

℞. Herb. Malvæ,
Bismalvæ,
Brancæ Ursinæ,
Parietariæ,
Mercurialis ana manip. quatuor,
Rad. Althææ,
Liliorum alborum ana uncias quatuor,
Florum Chamomillæ,
Meliloti ana manip. tres,
Butyri recentis libras quinque.

Pistentur simul, & sic stent per mensem: postea coquantur & exprimantur.

Adhibetur in Enemata, vel per se liquatum injicitur, emollit enim, lenit, digerit, dolores levat, ventrem blandè subducit, duras faces emollit, ac intestina reddit lubrica.

Alii sic Parare Solent.

℞. Parietariæ,
Malvæ,
Mercurialis,
Betæ ana manipulos tres,
Folior. Althææ,
Violariæ,
Flor. Chamomillæ,
Meliloti omnium recentium ana manipulum unum sem.

Coque in sufficienti quantitate, seu libra una semis Butyri recentis non saliti, donec virescat, addendo colaturæ
Olei Amygdal. dulcium unc. octo.
Misce, fiat unguentum.

Unguen-

Unguentum Comitissæ Guilielmi de Varignana.

℞. Cort. med. Glandium,
Castanearum,
Quercus arboris,
Baccarum Myrti,
Caudæ equinæ, seu Equiseti,
Gallarum,
Corticum Fabarum,
Acinorum Uvarum,
Calicum Glandium,
Sorborum immaturorum siccorum,
Mespilorum acerborum siccatorum,
Foliorum Capparis,
Pruneoli sylvestris,
Rad. Tormentillæ aut Bistortæ ana unc. unam semis.

Contundantur aliquantulùm, & coquantur in aquæ Plantaginis libris octo, aut quantum sufficit, donec media pars consumpta fuerit. Deinde in colatura laventur sequentia novem vicibus, semper recentem aquam decoctionis affundendo quotiescunque laveris.

℞. Ceræ novæ uncias octo semis,
Olei Myrtillorum,
Mastichini ana lib. unam sem.

Postea insperge sequentium rerum tenuissimum pulverem.

℞. Cort. med. Castanearum,
Glandium,
Quercus arboris ana unc. unam,
Gallarum,
Succi Hypocistidis,
Cineris ossium cruris bubuli,
Baccarum Myrti,
Acinorum Uvarum,
Sorborum siccorum ana unc. sem.
Trochiscorum de Charabe unc. duas.

Misce, fiat unguentum bonæ consistentiæ.

Unguentum hoc à Comitissa Vandrensi nomen sortitum, ad menstrua supprimenda, & abortum prohibendum concinnatum à Varignana lib. 16. de morbis cur. cap. 4. Fœmines fluxus abundantiam compescit, locos muliebres firmat, uterum roborat, ac renes laxatos stringit si eo inungantur, hæmorrhoidum superfluum profluvium sistit.

Modus compositionis talis esto, ut ceræ unciæ octo cum olei Myrtini libris duabus semis dissolvantur, & laventur novies ex aqua Plantaginis, semper aliquid de eo, quod est colatum, affundendo: Postea pulveres tenuissimè triti ceræ & oleo cum decocto lotis permisceantur, & addito oleo Masthichino non loto q. s. fiat unguentum: quo renes & pecten inungi debent ad firmandum uterum, ac mensium abundantiam cohibendam.

ANIMADVERSIONES

In Unguentum Clysmaticum, & Unguentum Comitissæ.

Unguenta *clysmatica* juxta præscriptos modos optimè parari possunt, diuturnâ nimirùm maceratione, levi coctione & forti expressione.

Unguentum autem Comitissæ correctione maximè opus habet, ejusque præparatio optimè fit modo sequenti.

℞. *Species omnes pro decoctione, uti compositio habet:* has in *aquæ simplicis* ℔ viij. percoque ad dimidias, colentur & exprimantur, *colaturæ* adde

Ceræ novæ ℥ *viij.*

iterumque unâ vel alterâ ebullitione factâ, penitùs refrigeratis omnibus fiat colatura; *Cera relicta* interim asservetur; *Decocto* autem *colato* adde

Ol. Myrtillorum ℔ j ß.
Communis ℔ j, ℥ *ij.*

Coquantur leniter ad consumptionem *decocti*, ac rursus coletur *oleum*, in quo dissolve

Mastichis electæ ℥ *iv* ß.
Ceramque quæ superiùs cum decocto ebullsit;

tandem inspersis *pulveribus ordine in compositione subsequentibus*, fiat l. a. unguentum.

Nota: præstaret *succum Hypocistidis*, qui ultimò unà cum *pulveribus* adjicitur, non tritum, sed in particula *decocti primi* solutum, sub finem addere; & locò *Trochiscorum de Carabe*, melius foret eorundem *species*, in *Trochiscos* nondum redactas substituere: Sic & unà cum

 succo

succo Hypocistidis, succus Acaciæ, Opium, Crocus, &c. (quæ dictos *Trochiscos* ingrediuntur,) non pulverisata, sed in prædicto *decocto* etiam soluta addi possent. Item reliqua alia, quæ dissolutionibus magis, quàm triturationi apta sunt; Pro *duabus autem unciis illis Trochiscorum*, medietatem ipsorum ingredientium, prout *compositio* huic Dispensatorio inserta est, accipere æquum esset.

Unguentum de Cynoglosso.

℞. Rad. Cynoglossi rubearum lib. semis,
Butyri recentis libram unam semis,
Vini rubri uncias quatuor.

Coquantur ad vini consumptionem & colentur.

Valet ad contusa & suggillata, sanguinem concretum tam intus assumptum, quam forinsecus illitum dissolvit, pleuritidi auxiliatur, dolores à causa calida etiam podagricos mitigat, & Anodynum est præstantissimum, variis usibus accommodatum.

Unguentum Fuscum Nicolai.

℞. Olei libram unam semis,
Ceræ novæ uncias quatuor,
Picis Græcæ,
Nigræ,
Sagapeni ana uncias duas,
Mastiches,
Galbani,
Thuris,
Terebinthinæ ana unciam unam.
Fiat unguentum.

Dicitur & Nigrum. Vulnera repurgat, & inter Sarcotica Chirurgis usurpatum, multa habet, undè emolliat & concoquat, carnem creat, putridamque depascit.

ANIMADVERSIONES

In Unguentum de Cynoglosso, & Fuscum Nicolai.

Unguentum de Cynoglosso paratu facile est; *Unguentum fuscum* verò tali modo confici potest, utpotè

℞. *Olei communis (vel quod melius foret, ol. Terebinth. rub.)* ℔ j ß.
in quo dissolve
Mastichis ℥ j,
Ceræ flavæ recentis ℥ iv,
Picis Græcæ,
Nigræ ana ℥ ij,
Terebinthinæ ℥ j.

colentur per linum & qualum, colaturæ s. a. admisceantur
Sagapeni ℥ ij,
Galbani ℥ j,
ambo ad pultis formam in vino dissoluta &
Thuris subtil. triti ℥ j.
Fiatque unguentum.

Notandum autem, quod *Sagapenum & Galbanum* etiam in *Terebinthina* dissolvi possent, similiter *Olibanum* sive *Thus pulverisatum*, nisi *Terebinthina* nimis exigua quantitas respectu dictorum *Gummatum* huic *compositioni* addita esset.

Unguentum ad Hæmorrhoidas.

℞. Thuris unciam semis,
Succi prunorum sylvestrium,
Myrrhæ,
Croci ana drachmas tres,
Opii drachmam unam.

Decoquantur in lactis caprini unciis quatuor ad consumptionem tertiæ partis; cui adde
Mucilaginis Psyllii unciam semis,
Olei Rosacei uncias tres,
Vitellum ovi unum.
Misce, fiat unguentum.

Acerbissimos hæmorrhoidarum dolores placat, earundemq; inflammationes retundit.

Noribergenses aliud unguentum ad Hæmorrhoidas ex Amylo, Cerussa, Lithargyro, Plumbo usto, Tragacantho, Opio, Camphorâ, Albumine ovi, oleo Rosato & Violato compositum habent. Ejus descriptionem in Antidotario Medico eorundē require fol. 227.

ANIMADVERSIONES.

Præstabit hoc *unguentum* parare modo sequenti.

℞. *Succi Acaciæ* ℥ iij,
Opii ʒ j,

Dissolvantur in *lactis caprilli* ℥ iij, colenturque, colatura coquatur ad spissitudinem pulticulæ tenuis, cui junge

Croci pulverif. ʒ iij,
Thuris subtil. triti ℥ ß,
Myrrhæ simil. tritæ ʒ iij,

fiatque adhuc una vel altera ebullitio, addendo etiam

Mucilaginis sem. Psyllii cum lacte caprino extracti ℥ ß,
Olei Rosati ℥ iij.

& dum adhuc parùm calent,

Vitellum ovi unius admisce,

Ex quibus omnibus invicem benè agitatis fiat *unguentum Anodynum.*

Unguentum infrigidans Galeni.

℞. Olei Rosati Omphacini libram unam,
Ceræ albæ uncias tres.

Ceram in oleo liquabis, & sæpiùs aqua frigidâ lavabis, donec albescat: postremùm aquâ Rosaceâ ablues, & pauxillum aceti Rosati adjicies.

Ubicunque refrigeratione & humectatione opus est, ejus usus esse poterit, hecticis prodest, nec non renum dolori à causa calida provenienti opem fert.

ANIMADVERSIONES.

In simplicissima hujus *unguenti* præparatione has animadverto ineptias, nimirùm quod *cera alba* toties adhuc *aquâ frigidâ* lavanda sit, donec albescat: Nonne quæso *cera alba*, cùm per insolationem candida & nitida redditur, sat sufficienterque lavatur, quid igitur ulteriori lotione opus est? Ast inutilem illam *ceræ* lotionem non adeò reprehenderem, nisi per frequentem reiteratamque hanc loturam, simùl etiam fragrantia & vires *olei Rosarum* demerentur vel auferrentur. Linquentes igitur hanc ineptam lotionem, illicò, postquam *cera* in *oleo Rosato* per solam macerationem juxta *animadversiones nostras superiores* parato leniter liquata, iterumque frigefacta fuerit, addamus sub continua agitatione *aceti Rosacei*, quantum sufficere videbitur, aut quantum continere poterit. Namque si *ceram albam* & *oleum aquâ simplici*, uti jubent, lavaremus, tantum de *aqua simplici unguentum* in se reciperet, quantum capere pote esset, ut ita de *aceto Rosaceo*, quod ultimò addere jubent, & à quò sanè *unguentum hoc* potiores suas virtutes mutuari deberet; nil quicquam amplius acciperet.

Unguentum Jovis.

℞. Fol. Hyoscyami,
Verbenæ,
Parietariæ,
Sambuci,
Geranii ana manipulos quatuor,
Violarum,
Papaveris albi,
Cicutæ ana manipulos sex,
Sempervivi manipulos tres,
Liquiritiæ recentis libras tres.

Omnia sumantur recentia, concidantur, & cum sufficienti quantitate Butyri recentis probè simul contusa impastentur, atque sic diebus quindecim simul unita maneant: postea coquantur & exprimantur.

Aliter & faciliùs sic paratur.

℞. Verbenæ recentis,
Hyoscyami recentis ana manipulos duos,
Butyri recentis uncias octo.

Contundantur simul, atque sic maneant per dies quatuordecim: deinde coquantur ad consumptionem humiditatis, & colentur.

Inflammationes, ac calidos quosvis tumores potenter reprimit, scroti præsertim incendiis salutare.

Unguentum de Liquiritia.

℞. Butyri recentis in aqua Rosarum & Solani aliquoties loti, libram unam,
Liquiritiæ recentis ac succulentæ uncias quatuor.

Pistentur simul in mortario, posteaque frigantur in sartagine, colenturque & expri-

mantur, laborem hunc ter reassumpta semper novâ Liquiritiâ iterando: tandem Butyro huic sic præparato adde

Pompholygis drachmas duas,
Cerussæ mundissimæ uncias tres,
Albumin. ovi conquassati unciam unam semis,
Camphoræ scrupulos duos,

Fiat secundum artem unguentum.

INflammationes partium insolentes, erysipelata, sacros ignes, ac pustulas ab ichoribus sanguinis calidis aut bile natas persanat, nec non manantibus ulceribus dolorificis à salsi seri acrimoniâ profectis eximiè confert; estque id civibus ex suasu Raymundi Minderers Med. Doctoris & Collegæ nostri quondam humanissimi plusquàm familiare.

Unguentum de Lithargyro.

℞. Lithargyri uncias duas,
Cerussæ unciam semis,
Aceti unciam unam,
Olei Rosati uncias duas semis.

Fiat unguentum in mortario plumbeo optimè agitatum.

PRodest scabiei & cutis vulneribus, pruritum ac desquamata juvat, & siccat sine morsu. Sarcoticum est & epuloticum, difficiliaque ulcera persanat, & cruenta glutinat: Lithargyrum namque vino aut aceto tritum & siccatum, vulneribus medetur, quæ ob humiditatem vix cicatrice clauduntur, quo si eloto utaris, rosionis omninò expers fiet medicamentum.

ANIMADVERSIONES

In Vnguentum Iovis, de Liquiritia, & de Lithargyro.

UNguentum Iovis tùm primæ tùm secundæ descriptionis, quoad præparationem nullas habet difficultates, modò illud non nimis, uti communiter fieri assolet, coxeris, scilicet ad totalem consumptionem humiditatis *herbarum & radicum*: Efficacius enim erit *unguentum*, si de humiditate ingredientium nonnihil cum *Butyro* remanserit.

Vnguentum de Liquiritia quod spectat, & illud ad denominatos affectus præstantius erit, si juxta modum, quem in *unguento albo* edocui, paretur, coquendo nimirùm *Cerussam* aliquandiu cum *aceto destillato unciis novem* circiter, vel etiam *librâ integrâ* ad pultis crassioris formam quæ *Butyro jam præparato* commisceri, ac diu multumque cum ipso agitari potest: His deinque reliqua, utpotè *Pompholyx, albumina ovorum conquassata & in liquorem aquæ instar resoluta*, nec non *Camphora, spiritu vel oleo Rosarum dissoluta* admisceantur.

Similem parandi modum requirit *unguentum de Lithargyro*; secùs enim, si juxta modum præscriptum fieret præparatio, malè illa cederet, & nulla exindè *unguenti* emergeret consistentia; necessum igitur, ut *Lithargyrum* & *Cerussa* cum s. q. *aceti* (℥ *viij circiter*) benè coquantur, & ad pultis formam inspissentur, quibus tum *oleum Rosatum* sine ulteriori coctione jungatur, deinde diu multumque invicem agitando probè misceantur.

Aliud quoddam *unguentum de Lithargyro dictum* in nonnullis Officinis nunc prostrat, ad affectus denominatos efficacissimum & præscripto longè præstantius, præsertim si adhuc pauci pulveres *Mastichis* nimirùm, *Olibani, &c.* ipsi admiscerentur, cujus præparatio hæc esto.

℞. *Olei Saturni* (id est, *extractionis salis vel Sacchari Plumbi cum aceto, sive ex Lithargyro sive Cerussa, vel quod melius, Minio, ad oleitatem veluti sive spissitudinem olei Tartari per deliquium, abstractæ.*) *q. s.* Cui adde sub continua agitatione, *olei Rosarum, quantum ad unguenti albi consistentiam sufficere videbitur*, quod ipsa præparatio dictitabit, adjiciendo postremò, si ita libuerit, ad *libram unam unguenti*

Pulv. subtil. Thuris
Mastichis
Lapidis Calaminaris præpar. ana ℥ j,
Camphoræ in oleo Rosar. solutæ ℥ ß,

Fiatque unguentum, cui etiam *Myrrhæ & Aloë subtilissimè trita* vel in *vino soluta* addi possunt,

possunt, pro conditione & constitutione affectûs vel ulceris, nec non alia *Balsama*, quæ tamen non habeant vim præcipitandi *Saccharum Saturni* & viceversa. Hinc adeò monere habeo, ut qui *Saccharum* aut *dictum oleum Saturni*, *decoctis* vel aliis mixturis permiscere vult, studiosè caveat, ne unum alterum destruat: *Saccharum* enim *Saturni* plures *decoctiones* præcipitat, easque ob id clarificat, non aliter ac si aliquot *albumina ovorum* ipsis addita fuissent, sed cum destructione virium rerum decoctarum, quia præcipitata separari debent à *decoctis* per colaturam. In illa ipsa etiam superiori *olei Saturni & Rosarum* commixtione aliqualis accidit præcipitatio *olei Saturni*, propterea albescit *unguentum*, non tamen cum destructione aut annihilatione *virtutum Sacchari Saturni*; ratio est, quod *oleum Rosarum* solutioni aut *Sacchari Saturni* non directè contrarietur.

Unguentum Martiaton Nicolai.

℞. Foliorum Tamarisci uncias sex,
Lauri,
Rorismarini ana uncias octo,
Rutæ uncias septem,
Ebuli.
Sabinæ,
Balsamitæ, seu Menthæ aquaticæ,
Salviæ,
Ocymi,
Polii veri,
Calaminthæ,
Artemisiæ,
Enulæ,
Betonicæ,
Brancæ Ursinæ,
Aparines,
Herbæ Venti, seu Parietariæ,
Pimpinellæ Sanguisorbæ, vel vulgaris,
Agrimoniæ,
Absinthii,
Paralyseos, seu Primulæ veris,
Persicariæ, vel Menthæ Sarracenicæ,
Cymarum Sambuci,
Crassulæ, id est, Telephii, seu Fabariæ, aut Sempervivi minoris,
Millefolii,
Sempervivi majoris,
Chamædryos,
Centaurii,
Centumnerviæ, seu Plantaginis minoris,
Fragulæ, seu Fragariæ,
Tetrahit, vel Orobi, aut Sideritidis,
Quinquefolii ana uncias quatuor,
Radicum Althææ,
Cumini,
Myrrhæ ana uncias tres,
Butyri unciam unam, drachmas duas,
Sem. Fœnugræci unciam unam semis,
Urticæ,
Violarum,
Papaveris albi,
Mentastri, seu, Menthæ agrestis,
Crispæ,
Lapathioli, seu Acetosæ, vel potiùs Lapathii acuti,
Adianti albi,
Carduncelli, seu Cardui Benedicti,
Matrisylvæ, seu Caprifolii, aut Periclymeni,
Maturellæ, seu Valerianæ,
Herbæ Moschatæ, seu Geranii odorati,
Allelujæ, seu Trifolii acetosi,
Hemionitidis, seu Linguæ Cervinæ,
Crispulæ, seu Buphthalmi, aut Cotulæ non fœtidæ,
Camphoratæ, seu Abrotani,
Medullæ Cervinæ,
Styracis Calamitæ ana unciam semis,
Adipis Ursini,
Gallinacei,
Mastiches,
Thuris ana unciam unam,
Olei Nardini uncias duas,
Ceræ libra duas.

Herbæ omnes Majo mense colligantur, & incisæ macerentur in vino odorifero per dies septem: octavo deinde die coquantur ferè ad vini consumptionem; adde

Olei communis libras octo.

Coquantur rursum donec consumatur vinum, mox adde ceræ circiter libras duas, & reliqua secundum artem.

Buty-

Butyrum, medulla, adipes, Styrax, Mastiche, Thus, oleum Nardinum adduntur in fine decoctionis. Reliquæ herbæ infunduntur oleo & vino, simulque decoquuntur, aliâs ambustæ herbæ nigrescerent, si in solò vino decoquerentur.

Usui est ad frigida) corporis mala, capitis refrigerationem, thoracis, stomachi, jecoris, lienis, aliosque dolores à frigore natos, convulsioni utile est, nervorum resolutiones & coxarios juvat, tumores ac duritíes emollit, lieni indurato præcipuè confert: ad lienosos enim & hydropicos expertam habet commendationem, livorem cutis emendat, nervorum & articulorum tumores frigidos discutit, eorumque dolores sedat. Herbæ recentes incisæ vino odorifero diebus septem infundantur, octavo die addito oleo communi, omnia simul decoquantur ad vini consumptionem (si solo vino decoquerentur herbæ, tùm comburerentur & nigrescerent.) Amotum ab igne colatur, atque rursus in lebetem oleum injicitur, cui (postquam lento igne parùm calefactum fuerit,) injice butyrum, medullas, adipes, Styracem, Mastichen, Thus, & oleum Nardinum, postremoque omnium ceram, ac omnibus lento igne dissolutis aufer tandem ab igne, & in vase recondе. Vide annotationes P. Coudenberg. in unguentum Martiatum parvum Nicalai Alexandrini.

ANIMADVERSIONES.

EX tam confusa ingredientium congerie *hæc compositio* conflata est, ut plures Pharmacopœi, à quo primùm incipiendum, aut ubi ultimò desistendum sit, ambigere necessum habeant, maximè si illi non accuratiores fuerint in *unguento* hoc præparando, quàm Author fuit in ipso præscribendo, & si secundum præscriptam formulam præparationem ejus aggrederentur: Enim verò non omnes Pharmacopœi in operationibus pharmaceuticis ita exercitati sunt, ut Authorum similium absurdos errores emendare valeant, uti jam ante *in animadversionibus super extractum Aloës* fusius monui, sed juxta præscriptam ab Authoribus formulam medicamenta parant, qui quidem ob id culpandi non sunt, sed illi potiùs, qui adeò erroneè eadem conficere præcipiunt vel præscribunt? Cæterùm si quis primam hujus *unguenti* conficiendi formulam accuratè perlustret, ridiculam & absurdam illam reipsâ deprehendet. Altera verò, quæ in *animadversionibus* continetur, nonnihil accuratior, nil minus tamen manca & mutila est, nec nodum tangit; Itaque dictis erroneis præparandi modis aliam, prout in hac farragine ingredientium fieri potuit, magis accuratam præparationem substituam, talem nimirum:

℞. *Fol. recent.* Tamarisci ℥ vj.
Ebuli,
Artemisiæ,
Brancæ ursinæ,
Aparines,
Parietariæ,
Pimpinellæ cum radicibus,
Agrimoniæ,
Primulæ veris,
Persicariæ,
Sempervivi minoris,
majoris,
Chamædryos,
Plantaginis minoris,
Fragariæ,
Sideritidis,
Quinquefolii ana ℥ iv,
Rad. Althææ ℥ iij.
Sem. Fœnugræci ℥ j ß,
Urticæ,
Violarum,
Papav. albi ana ℥ ß,
Lapathi acuti,
Rutæ murariæ,
Card. Benedicti,
Matrisylvæ,
Valerianæ,
Geranii odorati,
Acetosellæ,
Linguæ cervinæ,
Buphtalmi ana ℥ ß,

Plantæ omnes recentes conscissæ & contusæ, *radices* verò & *semina vini macerata* infundantur in *libris octo olei communis*, & *Butyri recentis* ℔ ß, macerenturque per unam vel alteram septimanam, postea decoquantur ad con-

conſumptionem humiditatis. Tum colentur, & *herbæ* fortiter exprimantur: Cum *oleo colato* jam de novo infundantur (quia tanta copia eſt *herbarum* & aliorum ingredientium, ut *olei* quantitas aſſignata, illa cuncta una vice capere nequeat;) *reliquæ herbæ recentes conſciſſæ & contuſæ*, utpotè

Folior. recent. Roriſmarini,
Lauri ana ℥ viij,
Rutæ ℥ vij.
Sabinæ,
Menthæ aquaticæ,
Salviæ,
Baſilici,
Polii veri,
Calaminthæ,
Enulæ cum radic.
Abſinthii,
Florum Sambuci,
Cymarum Millefolii,
Centaurii ana ℥ iiij,
Summitat. vel ſemin. Cumini ℥ iij.
Menthæ criſpæ,
Abrotani ana ℥ ß,

Macerentur denuò per ſeptimanam unam vel alteram in loco tepido, &, ſi lubet, ebulliant ſemel atque iterùm in cucurbita vel veſica, ut particula, quæ prodit, humiditatis reaffundi poſſit, tum rurſus fiat colatura & fortis *herbarum* expreſſio, inque *oleo expreſſo* liquefac

Ceræ flavæ ℔ *ij,*
Maſtichis ℥ j,
Medullæ Cervinæ ℥ ß,
Adipis Vrſini,
Gallinacei ana ℥ j,
Olei Nardini ℥ ij,
Ultimò addantur
Myrrhæ pulveriſ. & in Terebinth. ſolut. ℥ iij.
Styracis Cal. ſimiliter in Terebinth. ſolutæ ℥ ß,
Thuris pulv. & in Tereb. ſoluti ℥ j,
Fiatque unguentum.

Nota: *Terebinthinam*, cujus *unciis ſex* pro diſſolutione *Myrrhæ*, *Styracis* & *Thuris* opus eſt, *unguento* in operationibus ſuis, ſi ad affectus prædictos adhibeatur, nullâ ratione obeſſe, ſed plurimùm prodeſſe poſſe; niſi enim præfata, ſcilicet *Myrrha*, *Thus*, & *Styrax* in *Terebinthina* diſſolverentur, ritè & perfectè *unguento* commiſceri non poſſent. Et licet *Myrrha* in *vino* vel *aceto* nonnihil diſſolvi aut dilui queat, non tamen hæc tam genuina ſolutio eſt, quàm ſi in *Terebinthina* ſolvatur vel liquefiat, utpotè quæ tùm deinceps *oleis* vel *unguentis* facillimè commiſceri poteſt; ſecus evenit, ſi cum *vino* vel *aceto* diluta ſit. Similiter *Styrax* & *Olibanum* in nulla re alia commodiùs, quàm in *Terebinthina* liquefiunt, utpotè quæ de ipſorum natura eſt.

Unguentum ad membra ex igne Combuſta.

℞. Camphoræ unciam unam,
Olei Roſarum uncias tres,
Ceruſſæ albæ uncias ſex,
Pulveris Olibani electi uncias duas,
Albuminis ovorum numero ſeptem.

In plumbeo mortario miſceantur & agitentur optimè.

Aliud.

℞. Succi cortic. mediani Sambuci uncias quatuor,
Olei Roſati uncias ſex.

Decoquantur ad ſucci fere conſumptionem, in calatura liqueſcant
Ceræ albæ drachmæ tres:
Poſtea admiſceantur
Vitellorum ovorum numero tria.
Fiat unguentum.

Evporiſton eſt, & viribus antecedenti affine, ſedat dolorem & ardorem quàm citiſſimè, nullo cicatricum relicto veſtigio.

Unguentum ad membra peruſta gelu.

℞. Pinguedinis Cati ſylveſtris,
Sevi Cervini,
Olei Laurini,
Ceræ novæ ana unciam ſemis,
Camphoræ ſiccæ drachmam unam.

Diſſolvatur Camphora in vini ſublimati rectificati drachmis duabus.

ANIMADVERSIONES

In Vnguentum ad Membra ex Igne combusta, primum & secundum; Item Vnguentum ad membra perusta gelu.

EQuidem primum *unguentum ad membra ambusta*, juxta modum & *animadversiones nostras præcedentes unguenti albi simplicis & Camphorati*, *vel unguenti ad Lithargyro* parari posset; melioris autem informationis gratiâ dilucidiorem ejus addam præparationem, nimirùm:

℞. *Camphoræ* ℥ j,
quam dissolve in vitro clauso leni calore in
Olei Rosarum per solam infusionem & macerationem parati ℥ iij,
Postea coque
Cerussæ ℥ vj, *in*
Aceti destillati ℔ j, *vel* ℔ j ß,
ad pultis formam, & *oleo Rosato Camphorato* commisce, diu multumque invicem agitando; Ultimò adde *albumina ovorum conquassata & in aquam resoluta*, quo facto adhuc aliquandiu simul agitentur, fiatque unguentum.

Secundum *unguentum ad ambusta* planè nihil valet; quas enim ex *succo corticum medianorum Sambuci* virtutes nobis pollicemur, si illas in coctione *olei Rosarum deperdimus*; Quocirca opus est, ut aliâ viâ ejusmet præparationem aggrediamur, scilicet

℞. *Florum Sambuci recent.*
Cort. ejusdem median. recent. ana ℥ ij,
Conscissa & contusa immergantur in *olei Rosati* ℥ viij, macerentur in Alembico per septimanam unam vel alteram; postea factâ unâ vel alterâ ebullitione, humiditatisque prolectæ redditione, colentur & fortiter exprimantur; In *expresso* liquescant leniter
Ceræ flavæ & novæ ℥ ij,
ac cùm ferè refrixerit, admixtis *vitellis ovorum numero iij vel iiij*, & *decocti florum & corticum medianorum Sambuci* ad formam *extracti inspissati* ℥ ß, *vel* ℨ vj. Fiat unguentum

Vnguentum ad membra perusta gelu modo præscripto paretur solâ nimirùm liquefactione *pinguedinis oleorum & ceræ*, addendo ultimò *Camphoræ solutæ in spiritu vini* ℨ j.

Unguentum Mercuriale.

℞. Mercurii vivi mundati,
Axungiæ porcinæ veteris ana libram unam,
Lithargyri Argentei,
Cerussæ ana uncias duas,
Myrrhæ electæ,
Thuris masculi,
Bdellii,
Ammoniaci ana unciam unam,
Theriacæ Andromachi,
Mithridatii Damocratis ana unciam unam semis,
Unguent. Agrippæ,
Martiati ana uncias duas,
De Althæâ uncias duas sem.
Olei Laurini uncias quatuor,
Axungiæ Viperinæ veræ uncias duas,
Resinæ Pini uncias duas semis.

Dissolvantur Gummi in spiritu vini, & cum reliquis juncta, lege artis in unguentum redigantur.

EXtabat in prioribus editionibus unguentum quoddam Mercuriatum cum Theriaca, quo tamen præstantius hoc est, cujus nobis copiam fecit Clarissimus Vir D.D. Iohannes Vdalricus Rumlerus, Collega noster humanissimus, qui multo tempore ejus usum in Nosocomio Gallico feliciter est expertus.

MErcurius cum aceto ac sale agitatur, & aliquoties abluitur, ac per corium expressus repurgatur.

ANIMADVERSIONES.

INsigne superbientis & luxuriantis animi specimen est *unguentum*, quod vel rustici, aliptæ, balneatores, agyrtæ, & qui sunt de genere hoc empiricorum, æquè commodè ex tribus quatuorvè, vel etiam quinque aut sex ingredientibus conficiunt, desideratumque effectum illo ipso prosperè assequuntur, ex *ducentis* conglomeratis ingredientibus & amplius extruere velle. Ad quid amabo inconcinna hæc congeries? *Solus* enim *Mercurius est*, qui vim & operationem suam exerere debet, reliqua verò,

verò, quæ illi adjecta sunt, quod tantoperè vim *Mercurii* infringere, nervosque & membra roborare valeant, difficiliùs probari quàm credi potest. Est autem res cachinno digna, velle, ut *Mercurius* intimè ad partes penetret, & noxiam materiam expellat, roborando verò nervos & membra tantâ commixtâ farragine ejusdem conamini simùl resistere. Esto sanè, membra & nervosum genus nonnihil ab *inunctione Mercuriali* debilitari; attamen nonnè multò consultiùs foret, peractâ inunctione & veneno expulso demum membra nervosque roborare, & sudore, quod forsitan à *Mercurio* in illis relictum est, excutere. Nec est, ut credamus, adjuncta illa propter lentorem, crassitiem & unctuositatem suam unà cum *Mercurio* ad intima membra penetrare, eumque veluti passibus æquis insectando malignitatem ipsius infringere posse: Quotidianâ enim experientiâ constat, quàm difficilè nervorum & membrorum affectus paulò graviores solâ externâ similium *unguentorum* & *pinguedinum* inunctione extirpentur, eò quod ad loca affecta integris viribus pertingere nequeant. Taceo, quòd solus *Mercurius pinguedini Suillæ* permixtus, & corpori inunctus, vel in *aqua* resolutus & illitus similiter ejusdem *suffumigium*, eadem duntaxat & non graviora symptomata producat, quàm unguentum istud ex tot ingredientibus conflatum: Suntque hæ simplices *inunctiones*, *suffumigia & lotiones*, uti etiam *Emplastra Mercurialia*, inprimis in Gallia frequentissimi usûs, & quò simpliciora sunt, eò majori cum successu & celeriori effectu adhibentur. Secùs evenit in tanta rerum ferè innumerarum congerie, ubi plura sæpè intermixta sunt, quæ obesse magis, quàm prodesse valent, qualiter huic, de quo nobis nunc sermo est, *unguento* non pauca insunt inconvenientia: utpotè *Lithargyrum* & *Cerussa*, quæ in eo nil amplius præstant, quàm quod poros occludant & *Mercurio* resistant, non tamen corrigendo, sed potiùs torpidum ipsum reddendo, ut ad interiora penetrare non possit, sed in membris torpidus hæreat, & difficulter iterum expelli queat. Cæterùm *Bdellium* seu *Gummi mucilaginosum*, uti *Gummi Arabicum*. quid illud ampliùs potest, quàm similiter poros occludere? Ast tale modo *Mercurii* vim non infringit, vel malignitatem ejus corrigit, nec etiam membra quicquam roborat, sed solummodò *Mercurii* penetrationem retardat: Pariter etiam *Mel*, quo *Theriaca* & *Mithridatium* planè inutiliter ad prædictum finem huic *unguento* admixta abundant, quantum illud poros occludit vel obstruit, & cutim, nescio quâ viscididate & lentore, imbuit? Plura alia sunt inter hæc ingredientia planè intentioni præfatæ contraria & directè repugnantia. Et si jam ob hæc *Mercurius* vel leviter saltem operetur, vel tam gravia, uti quandoque solet, symptomata non producat, neque etiam ægri ab ejusdem inunctione integrè curati sint, an propterea exclamandum, ipsum tàm egregiè & exactè fuisse correctum, ut consuetas salivationes vel similes, queîs se prodere solet, operationis suæ modos exerere non potuerit, aut si nulla ex illo medela est, ipsum non esse verum luis Venereæ *rhizotomum*; Neutiquam sanè, sed hæc potissima causa est, quod vel nimiùm alienis compedibus satis stultè ligatus & constrictus, vel etiam à Medicis plus nimiò cautis, in debita quantitate aut competenti modo non fuerit adhibitus, atque hinc etiam causa elucescit, cur ægri, qui ex inunctionibus illis Mercurialibus quasi perfectè curati visi sunt, brevi post recidivam iterùm passi fuerint. Quòd jam ulteriùs *unguenti hujus* præparandi modum concernit, nec ille sua difficultate caret; neque enim omnia *Gummata spiritu vini* ad eorum placitum dissolvi possunt, utpote *Bdellium*; Neque etiam ea *Gummata*, quæ dissolutioni apta, si in *spiritu vini* dissolvantur, *unguento* propter nimiam *spiritûs*, in quo dissoluta sunt, quantitatem permisceri possunt, nisi priùs potior pars *spiritûs* ad resinam ferè usque abstrahatur. Proindè suaderem, ut, missâ hâc pomposâ & ineptâ compositione, aliâ aliquâ, tot ac tàm multifariis ingredientibus non usque adeò luxuriante, contenti essemus: Cui si voluntas erit, ille imitari poterit modum sequentem

℞. *Mercurii vivi,*
Pinguedinis Suillæ recent. non salitæ ana ℥ viij,

Olei Laurini ℥ j ß,
Ligni Guajaci destill. ℥ j ß,
Styracis Calamitæ ℥ j, *solvendæ in Terebinthinæ* ℥ j, *M.*

Fiat unguentum Mercuriale secundum artem.

Nota: quod longè præstantius adhuc conficiatur *unguentum Mercuriale*, si *Mercurius* in *aquæ fortis s. q.* solvatur, & cum *pinguedine Suilla* postea ad *aquæ fortis* totalem ferè exhalationem coquatur in vase vitreato, vel vitro ipso; Cui *unguento duriusculo* tandem pauca aliqua appropriata, cùm pro inunctione, tum pro aliis externis ex lue Venerea obortis ulceribus, cristis, condylomatibus, & consimilibus sanandis admisceri possunt, majori sanè cum effectu, ac si *Mercurius* simpliciter pinguedini commixtus esset: Et juxta hunc modum ex omnibus *metallis*, nec non quibusdam *mineralibus*, convenientibus suis menstruis dissolutis, *olea* & *unguenta* iisdem impraegnata & cocta, ut supra, ad varios humani corporis affectus parari possunt; sed de his alibi.

Unguentum Nervinum.

℞. Herb. Salviæ,
Ivæ Artheticæ,
Majoranæ,
Rorismarini,
Menthæ,
Rutæ,
Lavendulæ,
Hyperici,
Paralyseos cum flore,
Flor. Chamomillæ,
Meliloti,
Summit. Anethi ana manipulum semis,
Baccarum Lauri,
Juniperi ana unciam unam,
Rad. Pyrethri drachmas duas,
Mastiches unciam semis,
Benzoini drachmas sex,
Terebinthinæ uncias quatuor,
Ol. Lumbricorum,
Vulpini,
Anethini,
Hyperici ana uncias tres,
Terebinthinæ unciam unam,
Axungiæ humanæ,
Cati sylvestris,
Canis ana unciam semis,
Vini optimi libram unam.

Infundantur per noctem, manè fiat decoctio ad consumptionem vini, addendo in fine
Ceræ unciam unam,
Spiritus vini uncias duas.
Coque secundum artem.

N*Ervinum meritò dicitur: frigidos enim nervorum morbos tollit, ac doloribus eorundem opitulatur.*

ANIMADVERSIONES.

ABsurdissimus hujus *unguenti* præscriptus conficiendi modus, ex subsequenti nostra præparatione facilè elucescet, nimirùm

℞. *Herb. recent. Salviæ,*
Ivæ Artheticæ,
Majoranæ,
Rorismarini,
Menthæ,
Rutæ,
Paralys. cum flore,
Florum rec. Lavendulæ,
Hyperici,
Chamomillæ,
Meliloti,
Summitat. Anethi ana rec. M j,
Baccar. Lauri,
Juniperi ana ℥ j,
Rad. Pyrethri ʒ ij,

Incisa & contusa immergantur in
Oleor. Lumbricorum,
Vulpini,
Anethini,
Hyperici ana ℥ iij,
Terebinthinæ ℥ j,
Axungiæ humanæ,
Cati sylvestris,
Canis ana ℥ ß,

Macerentur sine affusione *vini* (ne illud, dum evaporat, subtiliores omnium ferè ingredientium partes secum rapiat,) per septimanam unam vel alteram, postea in cucurbita semel atque iterùm ebulliant, exiguâ, quæ prodit, humiditate *herbis* & *oleis* reaffusâ, tùm forti-

fortiter exprimantur & colentur, *in expresso ac colato* dissolve

Mastichis opt. ℥ ß,
Terebinthinæ ℥ iiij,
Ceræ ℥ ij,
Benzoini in unciis duabus spiritûs vini rectificatissimi dissoluti ʒ vj,

Sicque sine ulteriori coctione, utpotè quam enumerata *Balsamica* ingredientia propter *spiritus* ipsorum in coctione promptè exhalantes non ferunt, conficiatur *unguentum*, nervosis partibus quàm maximè accommodatum.

Unguentum Nicotianæ, seu ex Peto vel Tabaco.

℞. Foliorum Nicotianæ libras duas,
Pinguedinis Porci recentis diligenter lotæ libram unam.

Herba per noctem in vino rubro maceretur, manè igne lento cum pinguedine prædictâ bulliat ad vini consumptionem, postea coletur & exprimatur. Huic expresso adde

Succi Nicotianæ depurati lib. semis,
Resinæ Abietis uncias quatuor.

Coquantur ad succi consumptionem, quibus circa finem adde

Rad. Aristolochiæ rotundæ subtilissimè pulverisatæ uncias duas,
Ceræ novæ, quantum satis est.
Fiat unguentum.

Describitur hoc unguentum à Laurentio Iouberto in sua Pharmacopœia, cui miram in scrophulis dissipandis vim inesse ait. Celebratur autem potissimùm in ulceribus, & vulneribus tàm recentibus, quàm antiquis persanandis. Adusta quoque juvat & morphæam delet, tineam capitis exterit, & cutem à scabie mundificat.

Qui Ceratum maluerit, pondus ceræ augeat, cui verò exsiccandi & consolidandi mens fuerit, Mumiæ & Succini ana drachmas tres adjiciat.

Unguentum nihili ad Oculos.

℞. Tutiæ præparatæ unciam unam,
Corall. rub. præparat.
Matris Perlarum ana unciam semis,
Nihili albi unciam unam,
Camphoræ drachmam unam,
Pinguedinis Porci sine sale in vino lotæ libram unam.
Fiat unguentum.

Calidas oculorum fluxiones demulcet ac sistit, eorundem rubedinem, & inflammationem aufert, nec non dolores inde natos tranquillat.

Unguentum aliud ad Oculos.

℞. Butyri recentis uncias quatuor,
Ceræ albissimæ unciam unam.

Liqua, & lava sæpiùs aquâ Rosaceâ, & prunorum, & adde

Tutiæ præparatæ unciam semis,
Camphoræ scrupulos duos.
Fiat unguentum.

Easdem vires obtinet quas unguentum Nihili, paulò tamen inferiores.

Unguentum Pectorale.

℞. Olei Amygdalarum dulcium uncias quatuor,
Chamæmelini,
Violati ana uncias tres,
Butyri recentis uncias sex,
Adipis Gallinæ,
Anatis ana uncias duas,
Iridis drachmas duas,
Croci drachmam semis,
Ceræ albæ uncias tres.

Ceram & adipes in oleis liquato, deinde sæpiùs lavato aquâ Capillorum Veneris, aut aquâ Hordei. His probè lotis adde Iridem & Crocum in tenuissimum pulverem redacta.

Laterum ac pectoris dolores mitigat, tussim sedat, maturat, excreationem & expectoratum juvat, humores crassos digerit & attenuat.

ANIMADVERSIONES

In Unguentum Nicotianæ, seu ex Peto vel Tabaco: Item unguentum Nihili ad oculos, & aliud unguentum ad oculos: Item Pectorale.

NOn video, quam ob rem in *unguento Nicotianæ vinum* additum sit, quo *Nicotiana*, quæ per se succulenta satis, macerari debeat, cum & *succi* ejus ℔ ß, *vices vini*, si humiditate opus foret, (quippè qui æquè uti *vinum* exhalare debet,) supplere posset. Secundò *resina Abietis* ineptè cum *axungia* coqui præcipitur, cùm in coctura non solùm in bullas semper elevetur & intumescat, verùm etiam *spiritus ejus oleosus*, qui naturam *spiritûs Terebinthinæ* æmulatur, citissimè evaporet. Igitur ut compendiosè, & absque virium specierum ingredientium deperditione *unguentum* hoc paretur, omittatur *vinum*, addito ejus loco *succo Nicotianæ*, coquaturque cum *pinguedine & Nicotiana recenti contusâ* ad humiditatis exhalationem; *Pinguedini colatæ & expressæ* jungatur *resina* & *ceræ citrinæ* ℥ ij, quibus priùs adhuc semel per linum & qualum colatis admisce *Aristolochiam rotundam subtilissimè pulverisatam*, fiatque *unguentum*.

Reliqua ad oculos *unguenta* nil difficultatis habent quoad præparationem, modò *Camphora* priùs in *pinguedine* benè soluta (cavendo tamen, ne in dissolutione exhalet,) illis commisceatur. Similiter *unguentum pectorale* nullâ singulari animadversione indiget, nisi quod lotio illa *ceræ*, *oleorum & adipum* frivola & inepta sit, uti jam tum in unguento infrigidante Galeni innui; Proindè ne potiores vires *oleorum & adipum* eluamus, lotionem hanc ceu superfluam & perperam relinquamus.

Unguentum Pediculorum.

℞. Sem. Staphisagriæ uncias duas,
Hellebori albi unciam unam,
Salis drachmas duas,
Argenti vivi uncias duas,
Aceti vini drachmas duas,
Axungiæ porcinæ libram unam,
Olei Laurini uncias novem,
Saponis Veneti libram semis.
Fiat unguentum secundum artem.

Aliis hoc Magis est Familiare.

℞. Olei Laurini libram unam,
Argenti vivi uncias quatuor,
Staphisagriæ,
Hellebori albi ana uncias decem,
Olei Spicæ unciam unam,
Axungiæ porcinæ libras sex.

Argentum vivum extinguatur cum aceto, deinde agitetur cum oleo Laurino, donec splendorem amittat, postea jungatur secundum artem cum reliquis.

ANIMADVERSIONES

In Unguentum Pediculorum primum & secundum.

NEque levidensia hæc *unguenta* quicquam faciunt ad rhombum; etenim similibus insectis, quibus hoc *unguentum* dicatum est, aut dandum aliquid, quod avidè amplectantur vel devorent, uti vermibus intestinorum sive lumbricis *lac & mel*; aut tale quid, à cujus odore vel sapore adverso fugiant, uti *Aloë*, *semen Cinæ*, *oleum Spicæ*, &c. Sic quoque vermibus capitis vel pediculis *pinguedo porcina* in deliciis est, cui si *Mercurius* commixtus fuerit, item *semen Staphidisagriæ*, *Hyoscyami* aut quoddam aliud venenum dulce vel insipidum aut inodorum, facilè miscellam illam devorant, mortemque sibi consciscunt. Si verò alia, quæ aversantur, utpotè *sapo Venetus*, *acetum*, *sal* & similia prædictis commisceantur, tunc illa nec attingunt (taceo quod hæc sint illorum propria Alexipharmaca:) nec eorum odor tam validus est, ut ipsos propellat, aut fugere faciat; Idcircò, quod uno vel altero ingredientium præstamus, reliquis inconvenienter admixtis prohibemus, atque ita minùs efficacia reddimus plurima *unguenta* hisce aliisvè usibus destinata. Insuper *unguenta* acribus similibus permixta, si capitibus phthiriasi vel tineâ infectis inungantur, pruritum summum, nec non dolorem inger-

ingentem, item majora ulcera ut excitent, necessum est, cum non exiguo nocumento & incommodo, scilicet propter admixtum *acetum*, *sal*, *saponem*, *item Helleborum*; Nec valent ista ad sanandam scabiem capitis vel tineam, quâ utplurimùm caput in simili animalculorum profluentia laborat; Solus autem *Mercurius pinguedine aliqua permixtus*, vel ad modum in superiori *unguento Mercuriato* indigitatum cum *aqua forti* dissolutus, & cum *pinguedine* coctus, atque ulcusculis inunctus, illa egregiè consolidat, & unà operâ pediculos enecat. Et quidem hoc modo *dissoluti & pinguedini commixti Mercurii uncia una* plus præstat, quàm *libra integra Mercurii crudi*, *rudiiter saltem cum pinguedine subacti*: Quin imò *Mercurius sublimatus ad ℈ ij. in aquæ vel decocti*, *aut infusionis alicujus convenientis* ℔ j dissolutus, si caput eo humectetur, omnes brevissimè pediculos abigit, crustasque capitis abscedere facit: Quin imò longè satiùs esset *hâc aquâ Mercuriali* caput inungere, quàm tot *oleis*, *pinguedinibus*, & quæ hisce affinia sunt; quippe quæ scabiem, furfures, tineas pediculos, &c. potiùs augent quàm abigunt. Hisce observatis cuivis facilè erit, sibi formulas *unguentorum ad pediculos* cùm pro capite, tùm vestimentis efformare, nec opus est, ut diutiùs illis immoremur.

Unguentum Diapompholygos Nicolai, vulgo nihili dictum.

℞. Olei Rosacei,
Ceræ albæ ana uncias sex,
Succi fructus Uvæ Lupinæ unc. quatuor,
Cerussæ uncias duas,
Plumbi usti & loti,
Pompholygis,
Thuris puri ana unciam unam.
Confice secundum artem.

P*Rodest ulceribus calidis, ac iis quos acres & salsi humores infestant: refrigerat enim, siccat & consolidat, nec non absque ullius acrimoniæ sensu cicatricem ducit.*

ANIMADVERSIONES.

C*Erussa* & *Plumbum ustum* cum *succo Uvæ Lupinæ* additis insuper *aliquot unciis aceti destillati* coqui, postea ad pultis formam inspissari tandem reliquis secundum artem commisceri possunt.

Unguentum Pomatum.

℞. Styracis Calamitæ,
Benzoi electi ana drachmas decem,
Cinamomi electi,
Caryophyllorum ana drachmas sex,
Radicum Ireos Florentinæ unciam unam,
Nucis Moschatæ drachmas tres,
Macis drachmam unam,
Florum Lavendulæ,
Spicæ ana pugillos duos,
Pomorum Arantiorum recentium,
Citri recentium ana numero duo,
Odoriferorum numero viginti quatuor,
Aquæ Rosar. optimæ unc. octodecim,
Vini albi optimi uncias quatuor,
Unguenti Rosati albi libras tres,
Sevi castrati libram unam,
Ceræ albæ uncias quatuor.
Fiat lege artis unguentum.

A*D oris fissuras, & ad decorem cuti conciliandum, utiliter adhibetur.*

Pomata, sive Sevum Confectum, ex Amato Lusitano.

℞. Adipis Cervini, vel illius, qui ab Hœdi renibus separetur, libras duas,
Pinguedinis Suillæ recentis libram semis.

Pinguedines à membranis purgatas albo vino abluito, deinde lineo panno exprimito, ut vinum à pinguedinibus separetur. Eas postea in olla vitreata aquâ Rosaceâ semiplenâ infundito, ut aqua supereminea, & pinguedines cooperiat, quibus demum addes

Pul-

Pulveris Caryophyllorum unc. semis,
Nucis Moschatæ drachmas duas,
Spicæ Indicæ grana quatuor,
Pomorum Camusiorum mundatorum & incisorum numero octo.

Postea optimè coopertâ olla, lenibus prunis totum admoveto, & bacillo agitato, fervereque permittito, ac aquositas penè tota consumatur. Tandem remotâ ab igne ollâ, quod residuum est, per linteum novum rarum in vas fictile aquâ Rosaceâ respersum percolato, fæces tamen relinquendo. Colatum denuò in alteram infundatur ollam vitreatam, cui adde

Olei Amygdal. dulcium unc. sex,
Ceræ albæ uncias quatuor.

Ad ignem omnia liquefacta iterum colato, & in vasculum vitreatum Rosaceâ aquâ inspersum cadere finito. Demum omnia illa aquâ Rosaceâ abluta, in vase vitreo optimè cooperto servato, & tùm candidissimum sevum habebis, quod interdum Minio coloratur. Potest iisdem addi

Coralliorum rubrorum drachma una semis.

ANIMADVERSIONES

In Unguentum Pomatum primum & secundum.

De priori hujus *unguenti compositione*, cujus artificiosa præparatio Pharmacopœis relinquitur, sciendum, quòd illa non nisi mutandis mutatis dextrè parari queat; Præprimis autem tanta quantitas humiditatis, *aquarum* scilicet & *vini* (quæ necessariò exhalare debet, si *unguenti* debitam consistentiam expetas,) abroganda est: Etenim licet in diplomate & vase clauso fiat coctio, nihilominùs tamen fragrantissima, & spirituosa specierum ingredientium essentia evaporat, quam arctè etiam vas operiatur. Vide super hac re, si vis, *animadversiones nostras in Syrupum de Cinamomo*, cui hæ *compositiones* ferè ad amussim respondent: Paretur itaque *primum unguentum* in modum sequentem, videlicet

℞. *Sevi castrati* ℔ j,
Pinguedinis Suillæ ℔ iij,
Pomorum odorifer. numero xxiv,
Radicum Ireos conscissar. ℥ j,
Rosarum recent. consciss ℔ j.

Coquantur invicem ad humiditatis exhalationem, tùm colentur & exprimantur; In *pinguedine expressa* liquefiant,

Ceræ albæ ℥ iiij,

Quibus jam refrigeratis adde

Styracis Calamit.
Benzoës, in s. q. spiritus Rosar. fortiss. & rectificatiss. solutarum ana ʒ x,
Oleor. stillat. Cinamomi ℈ j,
Caryophyllorum,
Nuc. Moschat. ana ʒ ß,
Lavendulæ,
Cort. Aurant. recent.
Citri recent. ana ℈ j,
Ligni Rhodii ʒ ß,
Ol. express. Nuc. Moschat. ʒ ij.

Misce, fiat *unguentum* fragrantissimum, quod demùm aliquandiu agitandum est, ut albescat.

Possent equidem *aromata* & reliqua ingredientia loco *oleorum* eorundem *destillatorum*, secundâ vice, postquam nimirùm prima infusio decocta est, cum *axungia* & *sevo* infundi, macerari, & in Alembico, additâ saltem particulâ *aquæ Rosarum* coqui, demùm redditâ exiguâ in coctura exstillante humiditate exprimi & colari: Verùm hæc ipsa colorem, quem album desiderant in hoc *unguento*, immutarent, nec tam eximiam fragrantiam spiraret, atque superius illud cum *oleis* & *spiritu Rosarum* paratum præstantissimum *unguentum*, cui, si lubido est, *Moschus, Ambra*, vel *Zibethum* jungi possunt.

Altera *Pomatæ Compositio*, ejusque præparandi ratio prorsus ridicula est, quam scientes volentes missam facimus, cùm præcedens abundè cuivis sufficere queat, juxta quam aliæ multifariæ compositiones efformari possunt.

Unguentum Populeon Nicolai.

℞. Oculorum Populi arboris recentium libram unam semis,
Axungiæ porcinæ præparatæ lib. duas.

Oculi populi contundantur, & macerentur in axungia, donec sequentes herbæ per æstatem colligi queant. Deinde

℞. Cymarum Rubi tenerrimarum,
Fol. Papaveris agrestis,
Mandragoræ,
Hyoscyami,
Herb. Solani,
Vermicularis, id est, Sempervivi minoris,
Lactucæ,
Sempervivi majoris,
Bardanæ,
Violariæ,
Umbilici Veneris ana unc. tres.

Herbæ contundantur, & misceantur oculis Populi & Axungiæ, ac dimittantur per dies decem, deinde coquantur supra lentum ignem in vini odorati sufficienti quantitate, donec vinum consumatur. Postea colentur & exprimantur, expressumque unguentum reponatur.

Febrium ardoribus cum Rosaceo aut Violaceo convenit, somnum conciliat, fronti, temporibus, aut manuum, ac pedum pulsibus illitum.

Quidam, ut virescat magis, ac refrigerandi facultate sit efficacius, coctioni addunt Solani triti manipulos duos.

In defectu rad. Mandragoræ substitui possunt radices Hyoscyami, & folia ejus pondere æquali. Pro Umbilico vero Veneris herba Paris assumenda.

Unguentum Potabile.

℞. Butyri recentis sine sale libram unam semis,
Rad. Rubiæ tinctorum,
Tormentillæ,
Castorei,
Spermatis Ceti ana unciam semis.

Bulliant simul in vini odorati sufficienti quantitate ad vini consumptionem, ac fiat unguentum secundum artem.

Præcipitatos juvat, eorumque, qui ex alto ceciderunt, vulnera interna glutinat, sanguinem concretum dissolvit, & concussis auxilio est: magni usus apud Classiarios seu Oceani Septentrionalis nautas.

ANIMADVERSIONES
In Unguentum Populeon, & Unguentum Potabile.

Usitatissima hæc sunt *unguenta*, in quorum præparatione Pharmacopœi plurimùm soliciti sunt, ut ea pulchrè nativis suis coloribus conficiant, nempè *Populeon* viride, *potabile* verò rubrum. *Populeon* quod concernit; in ejus præparatione *vinum* omitti potest: *Herbæ* enim, quæ illud ingrediuntur, omnes si recentes, satis succulentæ sunt, idcircò potiùs obesse quàm prodesse *vinum* videtur, præsertim ob *oculos Populi fragrantes*, quorum odor in tam longa lentaque coctione unà cum *vino* expirat. *Axungiæ* assignata quantitas etiam manca est, respectu *herbarum*, idcircò illa augenda erit.

Quantum ad *unguentum potabile*, huic optimâ ratione *vinum* additur, quia *radices* ipsum ingredientes siccæ sunt; *Sperma Ceti* peractâ decoctione residuo jungatur. Conveniet autem *radicum Rubiæ tinctorum* quantitatem augere, atque etiam *Alkannæ radices* addere; secùs enim *unguentum* colore rubro haud sufficienter imbueretur.

Unguentum ex Rhamno & Frangula
D. R. Mindereri.

℞. Rad. Scrophulariæ recentium uncias duas,
Enulæ,
Lapathii acuti,
Chelidoniæ majoris,
Cort. median. Frangulæ,
Rhamni omnium recentium ana ℥ j,
Butyri recentis unc. sedecim.

Pistentur simul fortiter, posteaque coquito, additis
Aceti Rutacei unciis quatuor.

Coque ad aceti consumptionem, postea cola, & fortiter exprime, deinde adde
Terebinthinæ Venetæ drachmas sex,
Styracis liquidæ drachmas tres,
Vitellor. ovorum numero quatuor,

 Salis

Salis Nitri drachmam unam ſemis,
Sulphuris vivi drachmam unam,
Aceti ſcillitici drachmas ſex.

Miſceatur omnium primò Terebinthina cum Styrace, & Vitellis ovorum, poſtea additis reliquis omnia ſimul redigantur in unguentum, agitatione ſecundum artem factâ, paratum.

AD cutis vitia ex ſcabie uſus erit, tutius longè omnibus Mercuriatus, dicique verè poteſt unguentum ad ſcabiem compoſitum.

ANIMADVERSIONES.

IN hoc unguento quantitas *Sulphuris vivi* meritò augeri poſſet; *Vitella ovorum* in fine demùm jam ferè refrigerato *unguento* addenda ſunt: *Acetum Scilliticum* ne nimium rodat & dolorem inferat, unà cum reliquis ingredientibus decoctioni committere conſultum eſt.

Unguentum Reſumptivum Fernelii.

℞. Sem. Lini,
Althææ,
Fœnugræci,
Gummi Arabici,
Tragacanthi ana drachmas duas.

Macerentur & bulliant in libra ſemis aquæ Roſarum, eliciatur mucilago, in qua diſſolve
Adipis Suillæ,
Gallinæ,
Anſeris,
Anatis ana uncias duas,
Oeſypi humidæ unciam ſemis,
Ol. Violarum,
Chamomillæ,
Amygdal. dulcium ana unc. duas,
Medullæ Vituli,
Butyri recentis,
Ceræ albæ ana libram ſemis.
Coquantur in unguentum.

ADhibetur commodè aſthmaticis, hecticis, tabidis, pleuriticis, ac è longo morbo emergentibus, quibus nuda cutis oſſa veſtit: eos enim, qui languorum diuturnitate emarcuerunt quadantenus reſtituit, impinguat, ac corporis totius ſqualorem aufert.

ANIMADVERSIONES.

MUlta quidem de hac inutili *compoſitione*, cùm ratione ingredientium, tùm ratione præparationis, nec non adſcripti ridiculi encomii dicenda eſſent, verùm brevitatis causâ ea omitto, cùm unuſquiſque ejus levitatem facilè agnoſcet; qui tamen illud conficere velit, obſervet noſtras quamplurimas *animadverſiones* antecedentes.

Unguentum Roſatum Meſuæ.

℞. Axungiæ Porcinæ libram unam,
Lavetur novies aquâ calente, & toties frigidâ, deinde adde,
Roſar. rubearum recentium lib. unam.

Probè terantur, & marceſcant ſimul diebus ſeptem, poſtea coquantur cum facilitate, & rurſus cum tantundem Roſarum rubearum terantur, ac dimittantur per alios dies ſeptem marceſcere. Idem reiteretur tertiò: Quartò autem præter Roſas affunde
Succi Roſarum rubrarum unc. ſex,
Olei Amygdal. dulcium unc. tres.
Coquantur lento igne ad ſuccorum conſumptionem.

USu frequentiſſimum ad phlegmones, ignem ſacrum, ulcera ſerpentia, & cephalalgiam calidam, ventriculi & jecoris intemperiem calidam mitigat, renum ardoribus ac hæmorrhoidum inflammationi ſalubre, & cordi robur addit.

QUidam parum Opii in aqua Roſarum colliquati, inter decoquendum injiciunt, ſed id unguenti candorem deſtruit.

In ipſius compoſitione ſufficiunt olei Amygdalarum dulcium unciæ tres.

Plurimi ſucci Roſarum loco, ut magis albeſcat unguentum, in quo vulgus candorem probat, aquam Roſarum odoratiſſimam accipiunt.

ANIMADVERSIONES.

VIs refrigerandi, odor & fragrantia (quæ maximam partem in præſcripta præparatione

tione pereunt,) in hoc *unguento* conservari, nec non eidem candor (quem vulgus in illo probat,) conciliari potest, si juxta modum sequentem præparatio instituatur: Nimirùm,

℞. *Axungiæ Porcinæ recentis albiss.* ℔ j.
Rosarum alb. contus. recent. & odorif. tantundem.

Macerentur commixta invicem *horis* 24. postea leniter coquantur ad consumptionem humiditatis, quibus expressis, de novo *pinguedini vel axungiæ dictæ* adde

Rosarum recent. contusarum ℔ j.

Macerentur aliquot dierum spatio, factâque unicâ ebullitione in cucurbita, & servatâ, quæ prodit, humiditate denuò *Rosæ* exprimantur (non opus est tertia infusione, nec *succo Rosarum*;) *refrigeratâ pinguedine rosatâ*, benè multumque agitetur, addatur etiam nonnihil de *spiritu Rosarum ardenti*, in quo particula *olei Rosarum* vel *ligni Rhodii* soluta sit. Quo facto demum ad usum reponatur sine additione *olei Amygdalarum*; eo enim addito nimis fluidum aut liquidum redderetur *unguentum*, odor etiam non parùm exindè diminueretur.

Est & alius modus secretior conficiendi similia *unguenta odorata*, præsertim ex illis *floribus*, qui odorem diu servare nequeunt, quem ex parte in *animadversionibus olei Iasmini* indigitavi, & perficitur hac ratione: Videlicet ex *pinguedine Porcinâ albissima nunquam lotâ vel humectatâ*, (humiditas enim prohibet ulteriorem extractionem vel attractionem partium subtiliorum fragrantissimarum ex adjiciendis *floribus odoriferis*;) cui in patella plana tenuiter, sive ad digiti minoris crassitiem extensæ *flores* superficietenus inspergantur, sed nullatenus immergantur, patellâ mox operculo reclusâ. Elapso uno vel altero die *flores* mutandi, exemptis nimirùm abjectisque prioribus recentes inspergendi sunt, cavendo, ne à rore vel pluvia humectati sint; singulis duabus vel tribus inspersionibus peractis, *pinguedo* agitari, tenuiter de novo extendi, *alüsque recentibus floribus* aspergi potest: Hæc operatio tamdiu continuanda est, quousque fragrantissimam acquisiveris *pinguedinem* vel *unguentum*; Cui, si libet, ulterius *olea nonnulla destillata & appropriata* adjungi possunt; Verùm hæc *unguenta* tali ratione parata per se adeò grati odoris sunt, ut nulla re aliâ ampliùs indigeant.

Nota: Trahantur huc *animadversiones olei Iasmini*, juxta quarum ductum, ex similibus oleis odoriferis, additâ *cerâ albâ* egregia *unguenta odorifera* confici possunt.

Unguentum Rubeum sive de Minio Camphoratum.

℞. Olei Rosati libram unam semis,
Lithargyri uncias duas,
Minii uncias tres,
Cerussæ unciam unam semis,
Tutiæ præparatæ,
Camphoræ ana drachmas tres,
Ceræ albæ uncias duas.

Liquatam ceram cum oleo, lento igne, misce in mortario plumbeo, cum reliquis rebus tenuissimè tritis.

Refrigerat & siccat potentissimè, idemque ignibus sacris felicissimè adhibetur, cancros sanat, & exedentia ulcera, quæ humorum acrimoniâ serpunt; eam namque sua frigiditate obtundit. Ejusdem facultatis cum unguento de Plumbo, cujus descriptionem vide apud Foësium XI. de unguentis sectione.

Unguentum ad Scabiem.

℞. Styracis liquidæ unc. unam,
Terebinthinæ lotæ,
Butyri loti ana uncias duas,
Succi Limonum unc. unam semis,
Cerussæ lotæ unciam unam,
Salis uncias duas.
Misce, fiat unguentum.

Confert ad scabiem & pruritum, cujus fervorem temperat, vitiosum humorem cuti impactum extergit, mitigat & emendat.

Unguentum ad Tineam.

℞. Olei Rosati,
Juniperi ex ligno ana drach. sex,

Sulphuris vivi,
Stercoris Columbini,
Floris Æris ana unciam semis,
Ceræ, quantum sufficit.
Fiat unguentum.

ANIMADVERSIONES

In Vnguentum Rubeum, sive de Minio Camphoratum, & Vnguentum ad Scabiem & Tineam.

UNguentum rubeum juxta *animadversiones unguenti albi Camphorati* parari potest, coquendo nimirùm prius in s. q. *aceti destillati Lithargyrum*, *Minium* & *Cerussam* ad pultis formam, antequam *oleo* commisceantur; *Camphora* verò priùs in *oleo* soluta, sub finem demùm addatur.

Vnguentum ad Scabiem quoque simili modo confici potest, coquendo *Cerussam* cum *succo Limonum*: *Salem* autem ego non adderem, cùm utplurimùm *scabies* à salso humore producatur, igitur contrariis curanda est, extinguendo scilicet *salsum fermentum*. Suaderem igitur, ut loco *salis* exiguam portiunculam ex. gr. ℈j. *Mercurii sublimati in aqua Rosarum vel Plantaginis dissoluti* huic *unguento* adderent, vel etiam *Sulphur subtiliter tritum aut pulverisatum*, quod summoperè exsiccat, & fermenta, etiam sine dolore extinguit; *Sal* verò pruritum non solùm adauget, sed, etiamsi non præsens est, ipsum excitare valet, & consequenter majorem quoque causabit affluxionem.

In *unguento ad tineam flores æris* in pondere excedere mihi videntur, cùm maximè corrosivi sint, idcircò horum ratione quantitas *oleorum* nonnihil adaugenda erit, utpotè:

℞. *Olei Rosati,*
Iuniperini ex ligno, vel quod melius esset,
Terebinthinæ rubri ana ℥ *iij,*
Sulphuris vivi,
Stercoris Columbini,
Florum æris ana ℥ ß,
Ceræ flavæ ℥ *ij.*
F. s. a. unguentum.

Unguentum de Succis Arantii.

℞. Olei Rosati completi uncias sex,
Omphacini uncias tres,
Succorum Plantaginis,
Solani hortensis,
Centaurii minoris,
Lapathii acuti ana unciam unam semis.

Bulliant simul ad succorum consumptionem, postea adde
Ceræ albæ seorsim liquatæ, quantum satis.

Inspergendo paulatim
Lithargyri triti drach. unam semis,
Plumbi usti drachmas tres,
Pompholygis drachmas duas,
Hordei usti pugill. unum semis,
Boli Armenæ Oriental.
Camphoræ ana drachmam unam.

His omnibus simul mixtis, ultimo loco inde
Ung. Populei unciam unam,
Infrigidantis Gal. unc. semis.

Misce, fiat unguentum justæ consistentiæ.

ULceribus fœdis ac malignis mirificè opitulatur: mundificat enim, siccat, abstergit, coquit, & consolidat, fluxiones acres in iisdem temperat, inflammationes reprimit, ac sinus cicatrice tegit.

HÆc descriptio ab auctoris nonnihil est diversa; utpotè quam Clarissimus Vir Dn. Tiberius Phialettus Medicus & Chirurgus Patavinus nonnihil immutavit, à Nob. itidem & Clariss. Viro D. D. Joh. Udalrico Rumlero in hujus operis ornamentum allata.

Unguentum de Tutia Nicolai.

℞. Olei Rosati,
Ceræ albæ ana unc. unam semis,
Succi Solani drachmas duas,
Cerussæ lotæ unciam semis,
Plumbi usti & loti,
Tutiæ præparatæ ana drachm. duas,
Thuris drachmam unam.

Ceram liqua cum oleo lento igne, & in pilam plumbeam injice, additis quæ terenda sunt in tenuissimum pulverem redactis, move con-

continuò & paulatim succum supradictum instillato, perpetuò movendo sex horis continuis.

Differt ab unguento Diapompholygos, in eo, quod hoc Cadmiam fornacum Botrytin dictam recipiat, nostris Tutiam appellatam, alterum verò Pompholyga, id est, Nil album dictum. Ejusdem penè facultatis ad exiccanda erysipelata, vulnera sordida, & sananda tibiarum ulcera, cavaque explenda, ac cicatricem ducendam. In putridis & cancrosis, ubi fervor aliquis est, summâ fiduciâ usurpari debet, quod nulli veterum compositioni cedat.

ANIMADVERSIONES

In Unguentum de Succis Arantii, & de tutia Nicolai.

Quamvis huic *unguento* de *succis Arantii*, corrigendo laborem & operam impendere vellem, nil tamen efficerem, servatis singulis ingredientibus, quod ad denominatos affectus utile foret. Cumquead eosdem affectus longè efficaciora nobis suppetant *unguenta*, idcircò hanc *inutilem compositionem* lubens transgredior.

Unguentum de Tutia juxta modum *unguentorum de Cerussa*, *&c.* parari potest, coquendo prius *Cerussam & Plumbum calcinatum* cum *aceto*: Cæterùm *olei* quantitas respectu *ceræ* pauca nimis est; accipiantur igitur ℥ *iij*, *olei*, & ℥ *j*, *ceræ flavæ*.

Unguentum ad Vermes.

℞. Succi Absinthii,
Abrotani,
Centaurii minoris,
Persicariæ,
Folior. Persicæ arb.
Lupini,
Rad. Ebuli ana drachm. unam,
Porri uncias duas,
Nasturtii aquatici libram unam,
Balaustiorum drachmam unam,
Olei Absinthii libram unam semis,
Ceræ, quantum sufficit.
Fiat unguentum.

Umbilico superpositum ac ventri inunctum, vermes enecat & expellit.

Unguentum Violatum.

Fit ut Rosatum, sed ex Violis nigris.

Calidis pectoris noxis prodest, refrigerat & humectat.

ANIMADVERSIONES

In Unguentum ad Vermes, & Violatum.

Anceps hæreo, an prægrandem illum, quoad pondus *succorum*, in *unguento ad vermes* commissum errorem culpæ typographi; an verò voluntati & beneplacito autographi adscribere debeam; Nulla enim *succi Nasturtii* (cujus vis & efficacia in spiritu volatili facilè avolante vel effugiente consistit,) respectu reliquorum est proportio; *Illius enim libra integra* posita est, *cæterorum verò succorum* (qui tamen directius ad scopum propositum collimant,) *singulorum* duntaxat ʒ j, quæ est nonagesima sexta pars respectu integræ unius libræ. Utut sit, *oleum Absinthii* jam sufficienter imprægnatum est ab *Absinthio*, & licet *tres libræ succi Nasturtii* adderentur, & cum dicto *oleo* ad humiditatis consumptionem coquerentur, parùm tamen exindè juvaminis sperandùm esset: Nam tanta quantitas *succi*, multò minùs *herba* cum *unguento* absque ulteriori decoctione & abstractione permanere nequit; quod autem à *succis* peractâ coctione remanet, cum *oleis* non permiscetur, estque materia crassa, nullo artificio *oleis* permiscibilis. Quocircà necessum est, ut alium & quidem dexteriorem hujus *unguenti* conficiendi modum ad manus sumamus, qualis est sequens.

℞. *Olei Absinthii* ℔ j ß,
Ceræ flavæ ℥ v,
Quibus invicem liquatis & refrigeratis adde
Succor. inspiss. ad formam extracti
Absinthii,
Abrotani,
Centaurii,
Folior. Persicæ arb,
Lupini,
Decocti inspiss. rad. Ebuli, ana ʒ j ß,

Succi Nasturtii inspissati ℥ ij,
Pulpæ Porri ℥ ij,
Pulv. Balaust. ℥ ij,

Misce exactè diu invicem agitando, fiatque *unguentum.*

Nota: quod ex superioribus *herbis*, si tempore hyberno hoc *unguentum* expeteretur, *decoctum fortè* parari posset, quod ipsum ad formam *extracti inspissatum*, tandem loco *succorum concretorum unguento* commisceri aptum erit; Sed meo judicio illis omissis alia magis appropriata huic addi possent.

Ratione *unguenti Violati* consulantur *animadversiones super unguentum Rosarum*; licet hoc *unguentum* non sit in usu.

Unguentum ad Verrucas, seu Carunculas in Meatu Urinario Natas.

℞. Mercurii præcipitati drachmas duas,
Unguenti de cerussa unciam semis.

Addatur his pro magnitudine affectus aliquid olei Vitrioli aut aquæ fortis, immittendo de his parùm supra candelam ceream in canalem. Potest autem loco unguenti de cerussa à principio sumi unguentum Anodynum in æqua cum præcipitato portione.

Utebatur hoc unguento feliciter Alphonsus Ferrius Neapolitanus in extirpandis carunculis seu verrucis in pene natis, urina non rarò suppressionem causantibus: Id quoque commodissimè quondam usurpabat Ioannes Thanmüllerus Lithotomus ac Chirurgus p. m. insignis, qui multis annis in urbe nostra praxin suam exercuit. Id nobis Clarissimus Vir D. D. Udalricus Rumlerus, Collega noster honorandus, promptè communicavit.

Candelæ sic fiunt.

℞. Ceræ albæ libram unam,
Terebinthinæ Venetæ unciam unam.

Liquescat cera, postea addatur Terebinthina, & in his liquatis intingantur Elychnia, fiantque candelæ justam crassitiem habentes.

ANIMADVERSIONES.

Facilis quidem hujus *unguenti* præparatio est, ast caveat sibi, qui illud adhibiturus est, ne intolerabilem ægrotanti concitet dolorem, præsertim si *oleum Vitrioli* aut *aquam fortem* illi jungere velit. Quæcunque enim acida, mitissima etiam, in meatum urinarium injecta, atrocem excitare valent dolorem, inflammationem, exulcerationem & affluxionem humorum. Felix igitur ille, qui mitioribus medicamentis absque tanto cruciatu grave malum istud abigere aut superare potest, quod tamen non adeò difficile est, si paulò penitiùs rerum naturas perscrutemur.

Unguentum viride Reginæ.

℞. Fol. Lauri,
Rorismarini,
Salviæ,
Majoranæ,
Rutæ,
Millefolii,
Anagallidis aquaticæ,
Nigellæ cum floribus & seminibus ana manipulos duos,
Urticæ majoris,
minoris,
Hyssopi,
Prunellæ,
Artemisiæ ana manipulum unum,
Agrimoniæ,
Centinodii,
Plantaginis minoris,
Rad. Cichorii,
Bellidis,
Consolidæ mediæ,
Sarracenicæ,
Vincæ pervincæ,
Lavendulæ,
Absinthii,
Rosarum rubearum,
Albarum ana manipul. tres,

Herbæ & radices mundatæ incidantur, contundanturque cum Butyri recentis libris sex, coquantur simul lento igne rudiculâ continuò agitando:

agitando: postea colentur & exprimantur, ita ut expressa pinguedo fluat in aquam frigidam, ubi refrixit, aquæ demptam rursus parùm coque, & adde ceræ albæ seorsim liquefactæ libram semis, olei Olivarum libras duas, quæ continuò simul agitabis, ac ubi ferè refrigerata fuerint, insperge

Olibani & Mastiches subtilissimè pulverisatorum ana uncias quatuor.

Redigantur in unguentum.

D*atur intra corpus ruptis, convulsis, ac ex alto prolapsis, ubi grumosi sanguinis suspicio subest: suggillata curat, dolores partium lenit, estque ad varios usus accommodatum.*

ANIMADVERSIONES.

Coronidis loco adjectum *unguentum Reginæ dictum*, non minimis absurditatibus refertum est; Namque in coctione diuturna *herbarum odoriferarum & balsamicarum* virtutes exhalant, quæque non exhalant, ineptissimâ illâ præcipitatione *unguenti* post peractam coctionem in *aquam frigidam* eluuntur. Et ne nimis efficax evadat *unguentum*, etiam *oleum*, quod æquè aptum ad *herbarum* vires eliciendas, quàm *Butyrum*, simpliciter additur, nec uti *Butyrum* earundem *herbarum* viribus imbuitur: *Mastix* etiam, quæ in *oleis* facilè & promptè liquefit, *pulverisata* non minùs perperam additur. Sed ne prolixior sim, aliam & magis dextram præparationem adjungam, utpotè:

℞. *Anagallidis,*
Nigellæ cum floribus ana ℥ iiij,
Urticæ majoris,
minoris,
Prunellæ,
Artemisiæ ana ℥ iij,
Agrimoniæ,
Centinodii,
Plantaginis minoris,
Radic. Cichorii,
Bellidis,
Consolidæ mediæ,
Sarracenicæ,
Vincæ pervincæ,
Absinthii,
Rosarum ana ℥ iij,

Omnia recentia concisa & contusa infundantur in

Butyri recent. non saliti ℔ vj,
Olei Olivarum ℔ ij,

Macerenturque per septimanam unam vel alteram, postea coquantur ad humiditatis exhalationem, fiatque colatura cum expressione fortissima: Expresso & colato de novo immisce

Fol. recent. Lauri vel
Baccarum Lauri,
Rorismarini,
Salviæ,
Majoranæ,
Rutæ,
Summitat. Millefolii,
Hyssopi,
Lavendulæ ana ℥ iiij,
Absinthii,
Rosarum rubearum ana ℥ iij,

Macerentur rursus per septimanam unam vel alteram, factâque ebullitione unicâ in cucurbita, reiteretur colatura cum expressione fortissima, addendo exiguum illud humiditatis, quod fortè in ebullitione illa unica ultimò prodiit. *Colato unguento* adde in coque dissolve

Mastichis electæ ℥ iiij,
Ceræ citrinæ & novæ ℔ ß,

Agitentur optimè, tùm demum adjice

Olibani subtiliss. triti ℥ iiij.

Et omnibus probè mixtis fiat unguentum.

MEDICAMENTORUM
PHARMACOPOEIÆ AUGUSTANÆ
CLASSIS DECIMA OCTAVA,

Continens

EMPLASTRA,

Nec-non

Iisdem Annexas Animadversiones.

EMplastra & Cerata, *quæ duobus hisce sequentibus* classibus *continentur, non nisi consistentiâ inter se differunt:* Emplastra *paulò solidiora sunt, molliora nonnihil* Cerata; *Suntque medicamenta externa, vulneribus, ulceribus, rupturis, debilitatis, refrigeratis & inflammatis membris, &c. accommodata. Liquabilia uti* cera, resina, pix, &c. *ob id solida in frigore, liquida in calore paulò fortiori. Componuntur ex omni genere* mineralium, vegetabilium, & animalium, *pro intentione Medici & diversitate affectuum. Specierum ipsa ingredientium utpote* ceræ, resinæ, Terebinthinæ, Gummatum, oleorum, pulverum, &c. *proportio & exacta quantitas universaliter determinari nequit. Non equidem me latet, quod communiter ad* ℥ j, oleorum *(præsertim in Ceratis)* ℥ iij, ceræ, resinæ ℥ j, pulverum ʒ j, ʒ j ß, & ʒ ij, *destinentur, ast hæ vanæ sunt assertiones; Quam diversam enim producat coctio* oleorum *cum nonnullis pulveribus, inprimis* mineralibus *consistentiam, palàm est: Ex solo enim* oleo *& quocunque* metallo *plurimisque* mineralibus, *quibusdam solutis, nonnullis autem indissolutis,* unguentum, Ceratum, *(quoad consistentiam) &* Emplastrum *fieri potest. Variant itidem pondus exquisitum,* Terebinthina, resina, Gummata, &c. *quæ modò liquidiora modò solidiora & crassa deprehenduntur; Omnium denique maximè discrepant* pulveres, *quorum alii aridiores sunt, alii oleaginosi; Nonnulli graves, uti* metallorum & mineralium, *quidam è contrà leviores, uti* animalium & vegetabilium, *qui proinde* Emplastris *commixti eandem duritiem & consistentiam non producent; Quin etiam anni tempora, nec non plurimæ* mucilagines viscosæ Emplastris *additæ pondus ingredientium reliquorum non parùm variant. Cùm itaque universaliter rerum ingredientium proportio determinari nequeat, necessum est, ut, qui similes* compositiones *construere velit, rerum medicarum immaniter variantium exactam habeat notitiam; Dictas autem rerum varietates, diversæ* Emplastrorum & Ceratorum compositiones *& præparationes sequentes manifestabunt.*

Emplastrum album Coctum.

℞. Olei libras duas,
Cerussæ libram unam semis,
Ceræ albæ uncias quatuor.

Coquantur secundum artem, & fiat Emplastrum.

D*Icitur & Emplastrum de Cerussa, & sola coctione ab unguento albo differt, ut & unguentum Triapharmacum & Tetrapharmacum cocturæ modo in Emplastra transeunt. Intertriginibus quacunque ex causa succurrit, ac leves cutis exulcerationes sanat.*

Emplastrum D. D. *Ulmensium.*

℞. Cerussæ subtilissimè tritæ,
Ceræ Citrinæ,
Olei Olivarum ana partes æquales.

Immit-

Immittatur primò Cerussa in cacabum æneum addendo lentè oleum, quæ bulliant simul lento igne super prunas, perpetuò agitando cochleari ferreo satis longo ob strepitum Cerussæ, usque dum desideant: quo facto etiam indatur successivè cera minutissimè concisa, cum cautela effervescentiæ, donec probè liquata sit, omnia deinde coquantur pari ignis gradu lege artis, usque dum nigricantem aliquantum colorem acquirant justæ consistentiæ.

E*Iusdem cum priore facultatis existit, & solâ ferè cocturâ ab eodem differt.*

ANIMADVERSIONES

In Emplastrum album coctum; & Emplast. D. D. Vlmensium.

PRimum hoc *Emplastrum* paratu difficile est, præsertim si pondus præscriptum rerum, ex quibus componitur, strictè observari debeat: Convenit enim aliàs, ut *Cerussa olei pondus* superet, vel ad minimùm adæquet, eò quod *Cerussa* sit res gravissima, *oleum* verò respectu illius leve admodum, adeoque quoad pondus prorsùs improportionatum: Quam ob rem nonnulli *pondus Cerussæ* adaugent & ℔ j, *vel plus ejusdem*, *uni libræ olei* jungunt. Rectius autem meo judicio rem instituunt, qui de *aceto* destillato quantitatem addunt, pro meliori nimirùm *Cerussæ* dissolutione; Solent etiam nonnulli, ut candorem *Emplastri* conservent, ac diuturnam & lentissimam (quæ pro albedine *Emplastri* acquirenda necessaria est,) coctionem abbrevient facilitentque, *salis communis* tantillum adjicere, experientiâ edocti, quod *sal commune* aciditate suâ *metalla* & *mineralia* quædam corrodat & quasi dissolvat, quos Pharmacopœorum conatus improbare nequeo, cùm additione dictarum rerum *Emplastrum* hoc viribus potiùs adaugeatur, non verò diminuatur; Idcirtò qualem quis amplectatur modum, non aberrabit, licet *acetum* præ *sale* nobis magis arrideat.

Alterum *D. D. Vlmensium Emplastrum* paratu facilius existit, propterea quod candor in eo non expetatur, hinc quo violentiori igne (competenti tamen nec nimis excessivo,) coquatur, eo pulchriori imbuetur colore; *Cera* ante debitam *Emplastri* (mollioris tamen) acquisitam consistentiam non addatur, sed tùm demùm, ubi *Cerussa* in *oleo* per coctionem dissoluta competentem duritiem nacta fuerit. Quæ admonitio etiam priori *Emplastro* inserviet, utut hæc peritioribus Pharmacopœis jam ante nota sit.

Quod si quis hæc *Emplastra* in virtute adaugere voluerit, ipsis pro libitu addere poterit *Mastichen* & *Thus* subtilissimè trita, nec non *Camphoram*, quæ tamen priùs in particula *olei* dissoluta, jam perfectis & parùm adhuc calentibus *Emplastris* sub finem commiscenda est.

Nota: quod loco *olei*, *axungia porcina* non ineptè quandoque substitui possit.

Emplastrum Apostolicon Nicolai Alexandrini.

℞. Lithargyri uncias sex,
Ceræ Citrinæ,
Colophoniæ ana uncias duas,
Propoleos,
Visci quercini glutinis ana unc. unam,
Ammoniacæ guttæ,
Lapidis Calaminaris,
Thuris ana drachmas sex,
Mastiches,
Mumiæ ana unciam unam semis,
Terebinthinæ,
Galbani,
Bdellii,
Myrrhæ,
Æris usti,
Sarcocollæ,
Squamæ æris,
Dictamni Cretici,
Aristolochiæ,
Viridis æris ana unciam unam,
Olei veteris, quantum sufficit.

E*Pispasticum potius dicendum erat: nam calamos, surculos & spicula corpori altùm infixa & omnia venenata extrahit, ad strumas recentes, frigidos ac diuturnos abscessus, viscerum tumores, præcisos & punctos nervos perutile: ad recentia quoque vulnera, phygetla,*

carcinomata, & cervicis ex frigida causa dolores facit, strumas aperit, abscessus rumpit, purgat & glutinat, ac cicatrices extenuat, splenis duritiem emendat, articulorum ac genuum ex influxu dolores sedat, ad mammarum collectiones, erysipelata & fistulas injectum efficax; impositum etiam morsibus venenatis, aut rabidorum animalium medetur. Vsurpatur insuper ad vetusta & diuturna ulcera, putredines, sinus, hæmorrhoidas, sedis vitia, condylomata, rimas ani, carbunculos, impetigines, intestinorum ramices, pudendorum depascentia ulcera, cum Rosaceo injectum, cum quo etiam muliebribus malis pesso suppositum confert.

PRopolis est cera odorata, quâ apes alveariorum foramina ad hyemis austeritatem arcendam obturant, Germanis Wethwax.

Visci quercini nomine hoc loco intelligitur gluten illud lentum, è baccis Visci quercini, quo aves capiuntur, extractum, nostris Vogelleim.

Squama æris sumenda hîc est non illa crassa, vulgò Kupfferschlag dicta, sed rufa ac tenuis, quam vulgus Kesselbraun vocat.

ANIMADVERSIONES.

CUm duntaxat ingredientia hujus *Emplastri* posita sint, nullâ factâ mentione præparationis, proindè necessum est, ut dextrum ejus præparandi modum subnectamus, qui talis esse potest.

℞. *Olei Veteris* ℥ *viij*,
Lithargyri ℥ *vj*,

Coquantur invicem ad dissolutionem *Lithargyri*, molliorisque *Emplastri* consistentiam, in quibus dissolve

Ceræ citrinæ odoratæ ℥ *iij*,
Colophoniæ ℥ *ij*,
Terebinthinæ ℥ j ß,

Quæ interim calidè asserva; Jam seorsim dissolve in

Aceti fortis s. q.
Pul. Gummi Ammoniaci ℥ *vj*,
Myrrhæ,
Sarcocollæ,
Galbani puri ana ℥ *j*, ad formam pulticulæ.

Cui paulatim in leni calore adde mox particulam de superiori commixto *Emplastro* cocto, mox drachmam unam vel alteram de *pulveribus subsequentibus*, mox etiam de *Visci quercini* ℥ *j*, in *olei circiter* ℥ *j*, soluti & colati, nec non *Bdellii* in *aquâ Plantaginis* quodammodo ad crassioris *mucilaginis* consistentiam soluti ℥ *j*, donec omnia sic alternatim commixta & injecta sint. Tùm demùm aliquandiu in diplomate commixta & liquata omnia agita; sic enim exacta fiet rerum commixtio & unio. *Pulveres* hi sunt

℞. *Lapid. Calaminaris*,
Thuris ana ʒ *vj*,
Mastichis,
Mumiæ ana ℥ j ß,
Æris usti,
Squamæ æris, vel loco istorum duorum Croci Veneris vel Vitrioli Veneris calcinati,
Dictamni Cretici,
Aristolochiæ,
Viridis æris ana ℥ *j*,

Fiat omnium pulvis subtilissimus.

Nota: ubi de *diplomate* loquor, subintelligo *patellam*, cui res vel *Emplastri massa* inest, esse nonnihil immergendam in *aquam calidam* & aliquatenus ferventem; hoc modo enim exacta fit mixtio rerum diversarum, ex quarum miscella *Emplastrum* confici debet, neque *Gummata* grumescunt aut in unum coëunt.

Emplastrum de Baccis Lauri.

℞. Thuris,
Mastiches,
Myrrhæ ana unciam unam,
Baccarum Lauri uncias duas,
Cyperi,
Costi ana unciam unam,
Olei Laurini,
Terebinthinæ Venetæ,
Ceræ citrinæ ana unciam semis,
Mellis despumati, quantum sufficit.
Fiat Emplastrum.

V*Entriculi, intestinorum, jecoris, renum, vesicæ, uteri & partium aliarum dolorem, à flati-*

à flatibus, aut frigida intemperie ortum sanat. Si verò stercus capræ, aut vaccæ siccum pondere omnium adjicias, ad hydropem, ascitem, ac tympanitem fit mirabile, sed tum augendum est Mellis pondus.

Emplastrum Basilicon Majus Mesuæ.

℞. Ceræ albæ,
Resinæ Pineæ,
Sevi Vaccini,
Picis Græcæ,
Nigræ,
Terebinthinæ,
Thuris,
Myrrhæ ana unciam unam,
Olei communis, quantum sufficit.
Fiat Emplastrum.

Vulneribus recentibus remedio est, eaque probè glutinat.

Emplastrum Basilicon Minus Mesuæ.

℞. Ceræ flavæ,
Resinæ Pineæ,
Picis Græcæ ana libram unam,
Olei communis, quantum sufficit.
Fiat Emplastrum.

Ulcera phlegmones expertia partium maximè nervosarum tergit ac carne implet.

Alii Terebinthinam addunt: alii verò Terebinthinam picis loco ponunt.

Emplastrum de Lapide Calaminari.

℞. Lapidis Calaminaris,
Tutiæ præparatæ ana uncias duas,
Terebinthinæ unciam unam semis,
Ceræ citrinæ,
Resinæ ana unciam unam,
Lithargyri unciam semis,
Olibani,
Masticbes,
Tragacanthi ana drachmam unam,
Olei Rosati,
Myrtini ana uncias duas.
Fiat Emplastrum.

Ulcera manantia desiccat & cicatrice claudit, atque idem ferè præstat, quod Griseum.

ANIMADVERSIONES

In Emplastrum de Baccis Lauri, Basilicon majus & minus Mesuæ, & Emplastrum de Lapide Calaminari.

Emplastra hæc paratu facillima sunt, & primò quidem *Emplastrum de Baccis Lauri*, in quo *Thus, Mastiche, Myrrha, Baccæ Lauri, Cyperus, Costus*, subtilissimè pulverisata vel trita cum *melle calido s. q.* ad Emplastri formam impastari debent, quibus demùm adjungenda sunt *oleum Laurinum, Terebinthinæ, & cera citrina* invicem liquata.

Emplastrum Basilicum majus Mesuæ, nullo ferè indiget *oleo*, cum & sine ipso *species ingredientes*, pondere præscripto liquatæ & commixtæ *Emplastri mollioris consistentiam* constituant; Necessum igitur foret, ut *ceræ* quantitas nonnihil augeretur) præstantior autem erit *cera flava odorata, balsamicâ suâ virtute adhuc pollens*, quàm alba, omni virtute dictâ spoliata:) sicque nonnihil de *oleo*, maximè verò de *oleo Terebinthinæ rubro*, ceu *oleo communi* longè efficaciore addi posset, quod ipsum *Emplastrum hoc* non parùm nobilitaret.

Quod etiam in *Emplastro Basilico minori* observari deberet, *cui ℥ viij. circiter olei Terebinthinæ* addi possent. Quæ duo *Emplastra* ita parata, certè multas alias speciosas *Emplastrorum compositiones* antecellerent.

Emplastrum de lapide Calaminari si juxta modum præscriptum paretur, durioris *unguenti* non verò *Emplastri* consistentiam acquiret; Idcirdò vel *ceræ* quantitas notabiliter augenda, vel (quod consultiùs esse duco,) adhuc *unciæ duæ* circiter *Lithargyrii* addendæ sunt, quibus cum *oleis* ad suam dissolutionem coctis, postmodum reliqua secundum artem immisceantur. Utpotè

℞. *Ol. Rosati,*
Myrtini ana ℥ ij.
Lithargyrii ℥ iij.

Coque ad dissolutionem Lithargyrii & mollioris Emplastri consistentiam, in quo liquefac,

Terebinthinæ ℥ j ß,
Ceræ citrinæ,
Resinæ ana ℥ j.
Demùm adde
Pulv. subt. lapidis Calamin.
Tutiæ præpar. ana ℥ ij,
Olibani,
Mastichis ana ʒ ij,
Tragacanthi in aqua Ros. parumper dissoluti ʒ j,
Fiat lege artis Emplastrum.

Emplastrum Catagmaticum, *seu ad Fracturas ossium* D. D. *Renodæi.*

℞. Radicum Symphyti majoris,
Althææ,
Visci quercini ana uncias duas,
Plantaginis,
Chamæpityos,
Hypericonis ana manipulum unum.
Fiat decoctio in æquis partibus vini nigri, & aquæ fabrorum ad medias. Colaturæ adde
Mucilaginis seminis Cydoniorum cum decocto Aristolochiæ rotundæ extractæ,
Olei Mastichini,
Rosarum ana uncias quatuor,
Ceræ virginis libram unam,
Lithargyri auri uncias duas,
Terebinthinæ uncias tres,
Balaustiorum,
Rosarum,
Myrtillorum,
Acaciæ ana unciam semis,
Mumiæ,
Gran. Androsæmi, vel sem. Hyperici,
Colophoniæ,
Mastiches,
Succini ana drachmas sex,
Picis navalis unciam unam semis,
Boli Armenæ,
Farinæ volatilis,
Thuris ana unciam unam semis,
Sanguinis Draconis uncias duas.
Fiat lege artis Emplastrum.

Emplastrum hoc catagmaticum vires habet insignes ad fracturas ossium sanandas: Eorum enim coalitum juvat, & accelerat, callum, quo simul agglutinantur, auget, calorem partis nativum fovet, & humorum fluxiones sistit. Vnde non immeritò Pharmacopœiæ huic nostræ inserendum esse censuimus.

ANIMADVERSIONES.

Quisquis secundum præscriptam formulam *Emplastri* hujus præparationem aggredietur, næ is non *Emplastri*, neu *unguenti*, sed nescio cujus medicamenti mirabilem acquiret consistentiam, cùm illa principio & fine careat, omnique ordine ac debita componendi ratione. Et cum ob id suspicer, non paucos esse Pharmacopœos, qui propter dictam *compositionis hujus* inconcinnitatem *Emplastrum* hoc dextrè conficere nesciant, ideò commendo modum sequentem dexteriorem & faciliorem, utpotè

℞. *Olei Rosarum* ℥ iiij,
Lithargyrii auri ℥ iij,
Coquantur ad *Emplastri consistentiam*, cui remoto ab igne statim injice, in eoque liquefac
Ceræ virgineæ ℔ j,
Terebinthinæ ℥ iij,
Picis navalis ℥ j ß,
Colophoniæ ʒ vj,
Olei Mastichini ℥ ij,
Mista & liquata invicem interim asserventur. Jam
℞. *Radic. Symphyti majoris,*
Althææ,
Visci quercini ligni ana ℥ ij,
Plantaginis,
Chamæpityos,
Hypericonis ana M j.
Fiat addito *vino rubro & aquâ fabrorum* decoctum mucilaginosum *ad* ℔ j ß, cui insuper adde
Mucilag. sem. Cydoniorum cum decocto Aristol. rotundæ extractæ ℥ iij;
Pulv. Balaustiorum,
Rosarum,
Myrtillorum ana ℥ ß,
Mumiæ,
Sem. Hyperici ana ʒ vj,
Boli Armenæ,
Farinæ volatilis ana ℥ j ß,

Sanguinis Dracon. pulv. ℥ ij,
Succi Acaciæ in decocto Aristol. etiam solutæ ℥ ß.

Coquantur invicem ad *consistentiam Cataplasmatis spissioris* igne lento, continuoque agitando, ne *species* fundo vasis vel patellæ adnæreant & comburantur; Huic *Cataplasmati* adde *superius mixtum Emplastrum*, nec non

Pulv. Mastiches,
Thuris ana ℥ j ß,
Succini præpar. ℥ vj.

Factaque adhuc unâ vel alterâ ebullitione & continuâ agitatione, quoad omnia optimè inter se invicem colliquata fuerint, fiatque justæ consistentiæ *Emplastrum.*

Nota in hac *compositione*, dùm in ipsa præscribitur *Viscum quercinum*, hîc subintelligendum esse *ipsum lignum Visci quercini* dictum, non verò *Viscum* sive *gluten* ex eo enascens, quod avium capturæ inservit, si tamen aliquis *gluten* illud loco *ligni quercini Visci*, huic *compositioni* substituere vellet, is ipsum in particula *olei* dissolutum, iterumque colatum *Emplastro* sub finem demum admiscere posset.

Emplastrum Ceroneum Nicolai.

℞. Picis navalis benè colatæ,
Ceræ ana unc. duas, drachm. tres,
Sagapeni uncias duas,
Ammoniaci,
Terebinthinæ,
Colophoniæ,
Croci ana unc. unam, drachm. tres,
Aloës,
Thuris,
Myrrhæ ana unciam unam,
Opopanacis,
Styracis Calamitæ,
Galbani,
Mastiches,
Aluminis,
Fœnugræci ana drachmas sex,
Confitæ, seu fæcis Styracis liquidæ,
Bdellii ana drachmas tres,
Lithargyri drachmam unam semis.
Confice sic:

Sagapenum, Galbanum, Opopanacum, Ammoniacum, Gummi aliquantulum tusa cum vino temperentur, deinde ad mediæ partis vini consumptionem bulliant, & vase stanneo posito super ignem cùm inceperit bullire, pix navalis benè colata addatur, ac cum spatula benè agitetur, donec liquefiat. Liquefactâ pice addatur cera, & ea liquefactâ ponatur Colophonia, tum Styrax cum pistillo calido trita frustatim imponatur. Postea Mastiche & Olibanum, deinde Myrrha cum Bdellio, & intervallo facto ponatur Terebinthina, ac consequenter Alumen & Lithargyrum, ad ultimum Fœnugræcum. Et cùm decoctum fuerit, fundatur super aquam frigidam, & ab ea extractum manibus exprimatur, donec tota aqua inde exeat: deinde pulvis Aloës super marmor inunctum oleo Laurino malaxetur. Postremùm Croco pulverisato, ac inunctis manibus cum eodem oleo Laurino Magdaleones formentur.

Valet ad dolorem scapularum, & thoracis à frigore ortum ducentem, lienis duritiem emollit, aquam intercutem à frigida jecoris intemperie natam sanat, ac uteri vitiis ex causa eadem procreatis prodest, lumborum, pudendorum, vesicæ ac renum frigus vi suâ calefaciente dissipat, ossium fracturis & luxationibus commodat, repellit, concoquit, mollit, carnesque procreat.

ANIMADVERSIONES.

Præparatio hujus *Emplastri* optimè quidem incepta, ast pessimè & perquàm stupidè finita est; Necessum igitur, ut concinniorem etiam ipsis addamus præparationem. Nimirùm

℞. *Ceræ flavæ odorif.*
Picis navalis vel nigræ ana ℥ ij ß.
Colophoniæ,
Terebinthinæ in qua Styracis Calam. ℥ j, *dissoluta sit ana* ℥ ij.

Liquefiant invicem igne lento, & liquefacta ad ulteriorem commixtionem asserventur. Jam ex *sequentibus speciebus* fiat pulvis subtilissimus, nempe:

Aloës epat.
Thuris,

Myrrhæ ana ℥ j,
Mastichis,
Fænugræci ana ʒ vj,
Bdellii ℥ iij,
Lithargyrii ℥ iß.
Misceantur, postea

℞. *Gummi Sagapeni* ℥ ij,
Ammoniaci ℥ j ß,
Opopanacis,
Galbani ana ʒ vj.

Solvantur pulverisata priùs in *tantillo vini* ad pultis formam, quibus adhuc calentibus immisce guttatim, mox cochlear unum de *superiori adhuc calente Emplastro*, mox *drachmam unam vel alteram de pulveribus prædictis*, nec non *de in vino sigillatim dilutis & infusis*, scilicet

Pulv. Croci ℥ j ß,
Aluminis ʒ vj,

donec ita alternatim omnia injecta & commixta sint; Tùm agitentur adhuc diù multumque in diplomate vel balnei calore invicem liquefacta, & tandem ubi refrigerari incipit *Emplastrum*, immisceantur etiam *Styracis liquidæ* ʒ *iij*, fiatque Emplastrum.

Nota: quòd *Aloë, Bdellium, Myrrha, Mastiche, &c.* dissoluta priùs *Emplastro* addi possent, ast ne nimiùm præparandi rationem intricemus, eandemque difficilem reddamus, acquiescamus in præfato modo. Etenim si saltem *Emplastrum* in diplomate, id est, in patella, quæ aquæ ferventi ultrà medietatem immersa sit, benè liquetur, ac diù multumque agitetur, cuncta sese invicem amicè amplectuntur, ac quasi dissolvuntur, dùm unumquodque arripit quod sibi familiare est, & eidem adunatur; *Aloë* nimirùm & *Bdellium* humiditatem quâ *Gummata* soluta, item quâ *Crocus & Alumen* diluta sunt, amplectuntur; *Mastix* verò, & ex parte etiam *Myrrha*, *Terebinthinam, &c.*

Emplastrum Citrinum Vulgare.

℞. Rosinæ libram unam,
Ceræ Citrinæ libram semis,
Sevi Cervini uncias quatuor,
Terebinthinæ uncias duas.
Fiat Emplastrum.

V*Ulneribus recentibus medetur, ac ea cicatrice claudit. Quod si id ulceribus repurgandis magis idoneum reddere volueris, in singulas libras Emplastri, adjicito æruginis mundatæ drachmas duas, atque sic Emplastrum viride effeceris, id quod communi usu à plebeis expetitur.*

Diachylon Simplex, sive Album Mesuæ.

℞. Mucilag. Fœnugræci,
Seminis Lini,
Rad. Althææ ana lib. unam,
Olei veteris clari libras tres,
Lithargyri libram unam semis.

Lithargyrum tenuissimè teratur, & cum oleo subigatur: postea igne lento coquatur spatulâ semper agitando, donec probè permixta sint. Ab igne deposita, paulatim frigescant, postea mucilagines affundantur, permisceantur, & decoquantur ad justam crassitiem.

A*D partium quarumcunque durities resolvendas & digerendas efficax, scirrhos hepatis, lienis, ventriculi, viscerumque collectiones, & furunculi reliquias dissipat ac emollit, strumas quoque & inveteratos abscessus dissolvit, recentia vulnera ab inflammatione vindicat, divisa glutinat, & quæ inflammantur curat, superficialia ulcera glutinat solutum Rosaceo vel Myrtino, liquatum Chamæmelino nervorum phlegmonen prohibet, podagricis quovis tempore opitulatur, ad diuturnas ac recentes uteri phlegmonas optimè pessario inditum admovetur, inflammatione correpta ulcera & musculos vulneratos citra alterius cataplasmatis opem, aut spongias, aut irrigationes curat.*

QUidam addunt pulveris Ireos unciam unam in libram singulas.

ANIMADVERSIONES

In Emplastrum Citrinum, & Diachylon Simplex.

DE *Emplastro Citrino* non est ut multùm simus soliciti, cùm paratu sit facillimum.

Dia-

Diachylon simplex autem parem diligentiam efflagitat, quam *Album coctum*, cùm candor aut aliqualis saltem albedo in eo valdoperè probetur: Propterea *animadversiones nostra* super idem ipsum conscriptæ unà huc trahantur, secundum quas *Emplastri* hujus præparatio commodè institui poterit. Solent etiam nonnulli Pharmacopœi, *mucilagines prædictas* cum *lixivio* extrahere: sic optimè cedit operatio, modò lenis quoque fiat coctura & continua agitatio; Pro *oleo* aliqui *axungiam porcinam* recentem substituunt.

Diachylon Compositum, seu Emplastrum de Mucilaginibus dictum.

℞. Mucilag. rad. Althææ,
Sem. Lini,
Mediani corticis Ulmi,
Fœnugræci ana uncias quatuor semis,
Olei Chamæmelini,
Liliorum,
Anethi ana unc. unam semis,
Ammoniaci,
Galbani,
Opopanacis,
Sagapeni ana unciam semis,
Ceræ novæ uncias viginti,
Croci drachmas duas,
Terebinthinæ uncias duas,
Gummi dissolvantur in vino optimo, & conficiantur secundum artem.

Dicitur & Emplastrum de mucilaginibus, maximarum in emolliendo est virium, phlegmonas sanat, & saniem ruptorum apostematum abstergit.

Nota in defectu Mediani corticis Ulmi Fœnugræci pondus duplicari posse.

ANIMADVERSIONES.

Necessum est, ut in præparatione hujus *Emplastri, mucilagines dictæ,* scilicet
Radicum Althææ,
Sem. Lini,
Fœnugræci &
Medianor. cortic. Ulmi ana ℥ iiij ʒ, cum
Oleor. Chamomillæ,
Lilior. alborum &
Anethi ana ℥ j ß.
coquantur ad totalem humiditatis consumptionem; *oleum coctum* postea coletur vel à crassamento à mucilaginibus relicto separetur, in quo liquefiant
Ceræ novæ odoratæ ℥ xx,
Gummata vero, scilicet
Ammoniaci,
Galbani,
Opopanacis,
Sagapeni ana ℥ ß.
jam trita (si fieri potest) tempore hyberno in *Terebinthinæ* ℥ ij, soluta paulatim etiam admisceantur, *Croci* demùm *subtiliter triti & vino diluti* ʒ ij. Ultimò adjiciantur.

Nota: quod *Gummata* etiam *aceto* & *vino* dilui, & diluta *Emplastro* commisceri possent, prout alibi & quidem sæpiùs factum; Ast melius erit in hoc *Emplastro Terebinthinâ Gummata* dissolvere, cum optimè etiam in ea solvantur, utplurimum ratione consistentiæ, utpotè quæ paulò mollior alioquin evaderet, quàm pro Emplastro exigeretur.

Diachylon Magnum Mesuæ.

℞. Lithargyri libram unam,
Olei Chamæmelini,
Irini,
Anethini ana uncias octo,
Mucilaginis sem. Lini,
Fœnugræci,
Althææ,
Ficuum pinguium,
Uvarum passarum,
Succi Ireos,
Scillæ,
Ichthyocollæ,
Oesypi ana drachmas duodecim,
Terebinthinæ uncias tres,
Resinæ Pini,
Ceræ flavæ ana uncias duas.
Fiat secundùm artem Emplastrum.

INflammata & dura sedando, emolliendo, ac digerendo magis est efficax sequenti, ideoque magnum dicitur. Vigonis ad omnia ista efficacius.

ANIMADVERSIONES.

EQuidem multò consultiùs esset, hanc & similes *compositiones* ex Dispensatoriis elidere, quàm corrigere; nihilominus tamen non parcam operæ meæ in dextra ejus præparatione investiganda & proponenda, quomodocunque etiam ingredientia concordent. Itaque

℞. *Mucilag. extractæ ex anatica portione*
Sem. Lini,
Fœnugræci,
Radicum Althææ,
Uvarum passarum,
Ficuum pinguium ℥ vij ß,
Mucilag. extractæ ex ℥ j ß, Ichthyocollæ ℔ ß,
Succi Scillæ ℥ j ß,
Oleor. Chamomillæ,
Irini,
Anethini ana ℥ viij,
Lithargyrii subtil. triti ℔ j ß.

Coquantur igne lento, rudiculà continuò agitando ad consumptionem humiditatis dissolutionem *Lithargyrii*, & *Emplastri consistentiam*; Cui adde invicem liquatarum & colatarum

Ceræ flavæ,
Resinæ Pini ana ℥ ij,
Terebinthinæ ℥ iij,
Oesypi ℥ j ß.

Ultimò insperge *pulv. radicum Ireos ℥ j ß*, fiatque *Emplastrum.*

Nota, si albedo in hoc Emplastro expetatur, consulantur *animadversiones Emplastri albi cocti & Diachyli simplicis.*

Diachylon Parvum Mesuæ.

℞. Lithargyri uncias sex,
Olei veteris clari libram unam,
Mucilaginis seminis Hyoscyami unc. unam semis,
Psyllii uncias quatuor,
Lini,
Rad. Althææ ana uncias duas.
Fiat ut primum.

EO utuntur in duris inflammationibus ac tumoribus calidis; eos namque digerit & maturat, nec non ad intemperiem calidam efficacissimum est, quod per se Psyllium & Hyoscyamus præstant, siccat verò & digerit, quoad cætera simplicia.

Diachylon cum Gummis Vigonis.

℞. Radicum Althææ libram semis,
Sem. Lini,
Fœnugræci ana unc. unam,
Malvæ,
Althææ,
Cydoniorum ana unciam semis,
Psyllii drachmas duas,
Cum aqua fontana fiat mucilag.
Florum Violarum manipulum unum,
Rad. Ireos uncias duas,
Olei Chamæmelini,
Anethini,
Liliorum,
Lini,
Irini ana uncias tres,
Amygd. dulcium drach. decem,
Pinguedinis gallinæ,
Anatis,
Anseris ana uncias tres,
Oesypi humidæ,
Succi Glycyrrhizæ ana drach. decem,
Terebinthinæ unciam unam semis,
Sevi Vitulini libram semis,
Lithargyri Auri drachmas decem.

Bulliant omnia simul baculo agitando, usque ad consumptionem mucilaginis: Deinde cum cera alba quantum sufficit, fiat Ceratum molle, addendo

Sagapeni,
Opopanacis,
Bdellii mollis,
Galbani ana drachmas tres,
Ammoniaci drachmas quinque.

Dissolutis in aceto fiat Emplastrum secundum artem.

MAgnarum in emolliendo est virium, concoquit, maturat, digerit ac resolvit.

ANIMADVERSIONES

In Diachylon Parvum Mesuæ, & cum Gummis Vigonis.

IN *Diachylo parvo* pondus *Lithargyrii ad* ℥ j. *vel alteram* augeri debet, quoad cætera vero juxta *animadversiones præcedentes Diachyli simplicis* confici poterit.

Diachylon cum Gummis Vigonis difficultates nonnullas implicat; nam si ad ℥ *xxvj* ß, *oleorum*, ℔ ß, *sevi Vitulini*, nec non *Terebinthinæ* ℥ *j* ß, tandem *ceræ* quantitas sufficiens, ad *Emplastra* aliàs à Medicis determinata, addi deberet, ejus vix *novem libræ* sufficerent; Ast hæc quantitas *ceræ* nimiùm excederet proportionem ingredientium reliquorum: Igitur *Lithargyrii* quantitas respectu aliorum ultra modum diminuta est, quæ proindè necessariò adaugenda erit, si *Emplastrum* ex enumeratis ingredientibus componi debet. Pro *succo Glycyrrhizæ nigro, fortissimum radicis Glycyrrhizæ decoctum* substitui potest, ne *succus* ille *Emplastrum* nigro colore imbuat. Instituatur igitur ejus præparatio tali modo:

℞. *Radicum Althææ* ℔ ß,
Sem. Lini,
Fœnugræci ana ℥ j,
Malvæ,
Althææ,
Cydoniorum ana ℥ ß,
Psyllii ℥ ij.

Extrahatur ex ipsis cum *aqua fontana* vel *lixivio* mucilago ad ℔ *ij*, cui adde *decocti fortissimi ex radicibus Glycyrrhizæ* ℔ ß, & *flor. Violarum M j*, *parati* ℔ j. *Decocto huic & mucilagini* admisceantur

Lithargyrii auri subt. triti ℔ j ß,
Oleor. Chamomillæ,
Anethi,
Liliorum,
Lini,
Irini ana ℥ *iij*,
Amygdal. dulcium ℥ *x*,
Pinguedinis Gallinæ,
Anatis,
Anseris ana ℥ *iij*.

Coquantur lento igne semper agitando ad consumptionem humiditatis & consistentiam *Emplastri* duram, in quo ulteriùs liquefiant

Sevi vitulini ℥ *vj*,
Terebinthinæ ℥ j ß,
Oesypi humidæ ℥ *x*.

Jam demùm in aceto dissolvantur (pulverisata priùs, ne nimiùm ipsa coquere necessum sit,)

Gummi Sagapeni,
Opopanacis,
Galbani ana ℥ *iij*,

ad formam pultis, quæ *Emplastro* superiùs confecto & semirefrigerato sensim commisceatur ut &

Bdellii in crassam mucilaginem cum aqua soluti ℥ *iij*.
Pulv. radic. Ireos ℥ *ij*.

Ex quibus demùm optimè commixtis, fiat *Emplastrum* justæ consistentiæ.

Emplastrum de Crusta Panis Montagnanæ.

℞. Mastiches,
Menthæ,
Spodii,
Corallii rubri,
Albi ana drachmam unam,
Crustæ panis tostæ & maceratæ in aceto per horam mediam unc. duas,
Olei de Mastiche,
Cydoniorum,
Terebinthinæ,
Ceræ ana unciam unam,
Farinæ Hordei, quantum sufficit.
Fiat Emplastrum.

Confert ad vomitum puerorum, ac iis, qui cibum retinere nequeunt, prodest.

ANIMADVERSIONES.

PRæterquam, quod vitium typographicum huic *compositioni* subesse suspicer, quod constructio falsa indicat; insuper etiam nonnulla frustrà addita esse omninò existimo, ex. gr. *Corallia alba*, *rubra & Spodium*, utpotè quæ externè applicata, præsertim *Spodium*, tanquam res mortuæ, ventriculum haud roborabunt, quorum loco itaque alia efficaciora substitui possunt; Nimirùm,

℞. *Pulv. Mastichis,*
Myrrhæ,
Menthæ,
Nuc. Moschat. ana ℥ ß,
Rosarum rubr. ℥ j,
Caryophyllorum ℨ iij,
Crustæ panis tostæ & in aceto Rosarum ad Cataplasmatis consistentiam coctæ ℥ iij,
Terebinthinæ claræ, in qua Styracis Calam. ℥ ß, *dissoluta sit* ℥ ij,
Olei Mastichis ℥ j, *vel q. s.*
Ceræ flavæ & novæ ℥ j.
M. fiat Emplastrum.

Nota quod loco *olei Mastichis Balsamus Indicus* substitui posset, qui insigniter ventriculum roborat.

Aliud Stomachicum Emplastrum sine Pane.

℞. *Terebinthinæ claræ* ℥ iij,
in quibus dissolve leni calore,
Gummi Tacamahacæ vel Animæ aut Elemi ℥ j ß,
Resinæ Styracis Calam. vel ipsius Styracis gumm. ℨ vj,
Pulv. Mastichis,
Myrrhæ,
Olibani ana ℥ j,
Nuc. Moschat.
Caryophyll. ana ℨ vj.
Quibus ultimò quasi refrigerato *Emplastro* addatur
Balsami Indici Peruviani ℥ ß.

Plures aliæ addi possent formulæ *Emplastrorum stomachalium* & Cataplasmatum, etiam sine unctuosis & pinguibus; quilibet autem ex hisce denominatis speciebus pro constitutione ægrotantis & affectus consimilia ipsemet efformare, sibique eligere poterit, quæ maximè ex usu esse putabit. Ex *Mastiche* enim *pulverisata*, *Tacamahaca*, *Rosis siccis*, *nuce Moschatâ*, *pane*, & *aquâ vitæ* optimâ sine *Sacharo* conficitur *Cataplasma*, ad intemperiem stomachi frigidam, à que indè contractam ejus imbecillitatem corrigendam efficacissimum, quod tamen sæpiùs recenti *aquâ vitæ* humectandum & irrigandum est.

Emplastrum de Fuligine.

℞. Theriacæ Andromachi,
Mithridatii ana unciam semis,
Fermenti,
Terebinthinæ ana uncias duas,
Mellis Rosati simplicis unciam unam semis,
Butyri recentis uncias duas,
Salis communis unciam unam,
Fuliginis camini unc. unam semis,
Saponis Veneti uncias quatuor,
Croci drachmas tres,
Vitellorum ovorum num. quatuor.
Fiat lege artis Emplastrum.

Magnarum virium & multæ experientiæ fuit hoc Emplastrum in grassantibus tribus posterioribus infectionibus pestilentialibus Augustanis; eo enim Loimiatri nostri ordinarii ad maturandos bubones ac anthraces, extrahendum venenum, atque mitigandos ex inflammationibus subortos dolores felicissimè utebantur.

ANIMADVERSIONES.

Licet *Emplastri* hujus præparatio non adeò difficilis sit, novi tamen non paucos, qui illud dextrè conficere ignorant; quocircà in illorum gratiam dilucidiorem & faciliorem ejus præparandi modum hic apponam: Si enim hoc *Emplastrum* rectè conficiatur, nullus dubito, quin extracto prius vehementiori veneno vel *vivis animalibus*, vel *exsiccatis Bufonibus* aut consimilibus, denique abscessibus applicatum, eosdem maturare, rumpere & dolorem lenire potesit. Itaque

℞. *Terebinthinæ* ℥ ij,
Saponis Veneti subt. conscissi ℥ iiij.
Liquefiant invicem super igne lento, quibus statim adde
Fuligin. camini splend. subt. triti ℥ j ß.
Agitentur aliquandiu superadditis
Theriacæ Androm.
Mithridatii ana ℥ ß.
Tum separatim & frigidè commisceantur

Vitel-

Vitellorum ovorum numero iiij,
Butyri recentis ℥ ij.
His optimè invicem subactis & agitatis adjungantur etiam
Fermenti ℥ ij,
Croci triti ʒ iij,
Salis communis ℥ j.
Pistentur & agitentur optimè iterùm, donec omnia probè unita sint, demùm
Mellis Rosati ʒ vj, addantur,
Quæ sic benè mixta *superiori mixturæ* adhuc parùm *calenti* aut tepenti diligenti agitatione admisceantur, atque ita fiat lege artis *Emplastrum*.

Emplastrum Griseum de Lapide Calaminari.

℞. Lapidis Calaminaris præparati unciam unam,
Lithargyri uncias duas,
Cerussæ unciam semis,
Tutiæ drachmam unam,
Terebinthinæ unciam semis,
Ceræ albæ uncias tres,
Sevi Cervini uncias quatuor,
Thuris electi drachmas quinque,
Mastiches drachmas tres,
Myrrhæ drachmas duas,
Camphoræ drachmam unam semis.
Confice secundum artem.

U*Lcera explet, siccat, & cicatrice claudit.*

ANIMADVERSIONES.

E*Mplastrum* hoc nulla ratione artificiosiùs, quàm simplici misturâ perfici potest. Liquentur ergò & misceantur *primò Terebinthina*, *cera & sevum Cervinum*, quibus liquatis statim injiciantur *pulveres Thuris*, *Mastichis & Myrrhæ*: his benè agitatis & veluti solutis addantur *reliqui pulveres*, utpotè *lapid. Calaminaris*, *Lithargyrii*, *Cerussæ*, *Tutiæ*; Ultimò, dum adhuc *Emplastrum* parùm calet, adjiciatur *Camphora* in *spiritu vini* tantillo soluta, fiatque *Emplastrum*.

Emplastrum ad Hydropem.

℞. Stercoris Columbini aceto macerati libram unam,
Sulphuris vivi unciam unam,
Nitri unciam semis,
Pulv. rad. Enulæ,
Baccarum Lauri,
Anethi,
Flor. Chamom. ana drach. sex,
Sem. Nasturtii drachm. duas,
Decoquantur omnia in vino ad spissitudinem, Adde
Mellis,
Sevi Cervini ana libram semis,
Terebinthinæ uncias quatuor semis,
Succi Ebuli uncias duas,
Iridis unciam unam,
Farinæ Fabarum unc. unam semis.
Fiat Emplastrum.

E*O quondam crebrò usi sunt celeberrimi Medici Patavini, Iohannes Baptista Montanus, & Aloisius Bellacattus, tanquam experto ac valdè probato ad hydropem remedio.*

ANIMADVERSIONES.

HUjus *Emplastri* genuina præparatio fit modo sequenti.
℞. *Pulv. stercoris Columbini aceto macerati* ℔ j,
Sulphuris vivi ℥ iij,
Rad. Enulæ ʒ j,
Farinæ Fabarum ℥ j ß,
Nitri ℥ ij.
Decoquantur in *vini s. q.* & *succi Ebuli* ℥ vj, ad consistentiam *Cataplasmatis* satis crassam, cui adde,
Mellis crassissimi Mercurialis,
Sevi Cervini ana ℔ ß,
Terebinthinæ ℥ iiij ß,
Pulv. Ireos ʒ j,
Baccarum Lauri ℥ j ß,
Anethi,
Flor. Chamomillæ ana ℥ j,
factaque adhuc unâ vel alterâ ebullitione, fiat *Emplastrum* vel potiùs *Cataplasma*.

Emplastrum Ischiadicum.

℞. Gummi Galbani,
Sagapeni,
Castorei ana unciam semis,
Euphorbii drachm. unam,
Scillæ drachmas tres,
Seminis Lini,
Ceparum,
Erucæ ana drach. duas,
Fermenti acris,
Olei Lini ana quantum satis,
Incorporatis & benè invicem mixtis, adde
Stercoris Columbini drach. tres.
Misce, fiat Emplastrum.

Commendatur illius virtus ad humores à cerebro & partibus superioribus ad coxam destillantes, exsiccandos, vel attractos è profundioribus istis locis discutiendos, atque protuberantes dolores ischiadicos placandos & auferendos.

ANIMADVERSIONES.

Præstat hoc *Emplastrum* hunc in modum conficere; Nimirùm

℞. *Gummi Galbani,*
Sagapeni ana ℥ j.

Solvantur in *aceti* ℥ iij, circiter, & si impura sint, colentur & exprimantur, quibus statim calentibus adhuc & liquidis (sine coctione) addantur

Pulv. Castorei vel pingued. ejus ℥ ß,
Euphorbii ʒ ij,
Sem. Lini,
Ceparum,
Erucæ ana ℥ ß,
Stercoris Columbini ʒ vj,
Fermenti acris ℥ ij.
Pulpæ Scillæ recentis non assatæ, ʒ v,

Impastentur optimè supra ignem; & si sufficientem *Cataplasmatis* mollioris consistentiam non habuerint, fiat insuper unica saltem vel altera ebullitio, addendo demum *olei Lini* (vel quod meliùs est & aptiùs etiam *olei Saponis cum spiritu vini facti vel destillati*) parùm, ℥ j, circiter, vel *q. s.* fiatque *Cataplasma.*

Emplastrum Magneticum Angeli Salæ.

℞. Gummi Sagapeni,
Ammoniaci,
Galbani ana uncias tres,
Terebinthinæ Laric.
Ceræ ana uncias quatuor semis,
Magnetis Arsenicalis uncias tres,
Terræ Vitrioli lotæ unciam unam,
Olei Succini uncias duas.

Gummata illa tria dissolve in unciis viginti aceti Scillitici: postea solutionem illam per pannum lineum colatam exprime, quam deinde tamdiu bullire cures, donec acetum fuerit consumptum, excipe pauxillum spatulâ, & infrigida, dum videas ita induruisse, uti cum Gummi essent: serva in loco calido, donec in residuo incorporaveris, quo facto, accipe ceram & Terebinthinam, fac ut lento igne in se coëant: remotum à calore aliquantulùm agitato, donec ad spissitudinem unguenti reducatur: deinde adde Gummata jam ante soluta, & uti dictum colata, postea adjunge Magnetem Arsenicalem subtiliter pulverisatum, terram Vitrioli, & oleum Succini, postremò pastillos forma, & corio aut vesicæ oleo Scorpionum inunctæ involve.

Præparatio Arsenicalis Magnetis hæc est.

℞. Antimonii crudi,
Sulphuris flavi,
Arsenici crystallini ana uncias duas.

Pulverisentur omnia subtiliter, & in vase vitreo in arenam calentem imponantur, & tamdiu in illa relinquantur, donec materia illa omnis colliquescat, studiosè à fumo sibi cavendo, id quod inde cognoveris, si materia ferreo stylo tacta illi adhæserit, & Terebinthinæ instar duci possit.

Terra Vitrioli sic fit,

℞. Vitrioli Ungarici, quantum volueris, sublimetur secundum artem cum æquali portione salis Armoniaci, donec auferantur ejus tria principia, Sal, Sulphur & Mercurius, & remanebit quædam terra aliquoties aquâ dulci eluenda.

Emplastrum hoc anthracibus pestilentialibus dextrè applicatum, eos illicò maturat, rumpit,

rumpit, & venenum ad se rapit, certissimum præsidium, ne venenum retrò intra corpus secedat, & longè aliis Emplastris huic usui destinatis meritò anteferendum. Vide Mindererum de Chalcantho cap. 7.

ANIMADVERSIONES.

DUo potissimùm in hoc *Emplastro* occurrunt, quæ ingentem redolent absurditatem: *Primò* quidem diuturna illa *Gummatum* coctio cum *aceto Scillitico*, usque ad recuperatam pristinam eorundem duritiem, in qua violentâ & longâ coctione subtiliores & penetrantiores *Gummatum* partes maximè exhalant. *Secundò, terræ Vitrioli* præparatio & edulcoratio mehercle satis inepta & non intellecta; Etenim quod ad præparationem attinet, nullatenus tàm facili negotio tria illa (ficta aliquando) Chymicorum principia, additione *salis Armoniaci* & sublimatione à Vitriolo separantur; Neque sublimatio illa cum *sale Armoniaco* succedet, nisi *Vitriolum* priùs ad rubedinem optimè calcinatum fuerit. Et posito sublimaretur *sal Armoniacum* cum *Vitriolo non calcinato*, reverà tamen non *terra* lotioni apta, sed *Vitriolum solubile* post sublimationem in residuo maneret: Sed esto etiam, quòd *terra Vitrioli* sublimatione remaneret, attamen illa nullo modo ad hunc destinatum usum edulcorari deberet, utpotè quæ edulcoratione illi demitur omnis vis magnetica (adstrictoria & attractoria, relictâ *terrâ mortuâ*; Idcircò longè satiùs erit *Emplastrum* hoc tali modo parare; videlicet

℞. *Pulv. Gummi Sagapeni,*
Ammoniaci,
Galbani ana ℥ iij,

(Tempore enim hyberno *Gummata* illa pulverisari & teri possunt; siqua autem *Galbanum*, quod præ cæteris magis molle, se teri non pateretur, illud priùs in *Terebinthina* huic compositioni deputata solvendum & postea colandum erit,) liquefiant, quantum possibile, leni calore in

Terebinthina ℥ vj,

Quibus etiam adde

Ceræ flavæ tantundum,

ac postquam invicem liquefacta sunt, adjunge illis

Olei Succini ℥ ij,

His optimè unitis adjiciantur

Magnetis Arsenicalis ℥ iij,
Terræ Vitrioli à sublimatione salis Armoniaci, cum Vitriolo calcinato relictæ & nullo modo lotæ vel edulcoratæ ℥ j,
Pulpæ Scillæ vel etiam Ceparum nostratium ℥ ij.

Fiatque Emplastrum.

Emplastrum de Meliloto Mesuæ.

℞. Meliloto uncias sex,
Florum Chamæmeli,
Fœnugræci,
Baccarum Lauri,
Rad. Althææ,
Absinthii ana drachmas tres,
Seminis Apii,
Cardamomi,
Ireos,
Cyperi,
Spicæ Nardi Indicæ,
Cassiæ ligneæ,
Ammeos ana drachmam unam semis,
Majoranæ drachmas tres,
Ammoniaci drachmas decem,
Styracis Calamitæ,
Bdellii ana drachmas quinque,
Terebinthinæ unciam unam semis,
Ficuum pinguium numero duodecim,
Sevi Hircini,
Resinæ ana uncias duas,
Ceræ uncias sex,
Olei Sampsuchini,
Nardini ana uncias tres,

Aquæ decoctionis Meliloti, Fœnugræci & Chamæmeli ana, quantum sufficit ad infundendum: coquantur ad medias, deinde in colaturam immissis triturandis subtilissimè pulverisatis rursum coquantur, additis oleis, Terebinthina, & similibus, Gummisque in aceto dissolutis. Postremò addantur radices & Ficus simul coctæ, ac benè contusæ. Misce, fiat Emplastrum.

Malacticum celebre ad inveteratas durities jecoris, lienis, ventriculi, viscerum, & reliquarum partium emolliendas, hypochondriorum tensionem laxandam, flatus resolvendos, ac dolorem à frigido sedandum. Eo utimur in materia crassa & frigida, & in inguinum bubonibus ad incidendum, emolliendum, attenuandum, discutiendum, & calefaciendum.

ANIMADVERSIONES.

Omnes propemodùm Pharmacopœi, postposito insufficienti hoc præscripto præparandi modo, *Emplastrum* hoc simpliciter conficiunt, liquando scilicet quæ liquari possunt, liquefactis demùm & permixtis reliqua in pulverem redacta, *Ammoniacum* verò in *aceto* solutum, *Ficusque* in pulpam conversas admiscent, & quidem benè; nam coquendo omnia multùm de rerum aromaticalium & odoriferarum fragrantiâ & penetrante subtili essentiâ deperditur. Hac tamen ipsorum præparandi ratione non obstante, ego adhuc aliam non minus elegantem & proficuam subjungam, scilicet

℞. *Pulv. seminis Fœnugraci,*
Radic. Althaæ,
Baccarum Lauri,
Florum Chamomillæ ana ℥ iij,
Ireos,
Semin. Ammeos ana ℥ j ß,
Meliloti viridissimi ℥ ij,
Absinthii viridiss. ℥ ij,
Pulpæ Ficuum ℥ ij,

Coquantur in s. q. *decocti prius facti* ex *Meliloto, floribus Chamomillæ, Absinthio & Spica Indica*, ad consistentiam *Cataplasmatis durioris*, lento igne, continuò & studiosè agitando, ne fundo vasis vel patellæ adhærendo *species* comburantur; Huic *Cataplasmati* adde
Styracis Calamitæ ℥ v, *solutæ in* Terebinthina ℥ j ß, *& colatæ*, item *Ammoniaci pulverisati in aceto ad pultis formam soluti* ℥ x,

Sequentia autem invicem liquata & colata, nimirùm
Sevi Hircini,
Resinæ ana ℥ ij ß,
Ceræ ℥ vj,
Olei Sampsuchini,
Nardini ana ℥ iij,

Ultimò etiam inspergantur pulveres sequentes.

Pulv. herb. Meliloti viridiss. ℥ v,
Flor. Chamomillæ,
Absinthii ana ℥ iij,
Semin. Apii,
Cardamomi,
Cyperi,
Cinamomi opt. ana ℥ ß,
Majoranæ viridiss. ℥ iij.

Misce exactè aliquandiu agitando, fiat *Emplastrum* priori efficacius.

Emplastrum de Minio Vigonis.

℞. Olei Rosati libram unam semis,
Myrtini,
Unguenti Populeonis ana uncias quatuor,
Pinguedinis Gallinæ uncias duas,
Porcinæ uncias septem,
Sevi castrati,
Vaccini ana libram semis,
Lithargyri auri,
Argenti ana unc. tres semis,
Cerussæ uncias quatuor,
Minii uncias tres,
Terebinthinæ uncias decem,
Ceræ, quantum sufficit.

Fiat Emplastrum secundum artem.

Ulnera & ulcera antiqua & maligna potenter curat.

Aliud Nicolai Massæ.

℞. Minii libras duas,
Olei Rosacei uncias viginti,
Picis navalis uncias quatuor.

Bulliant omnia simul, donec per cocturam redigantur ad formam Cerati: deinde adde
Terebinthinæ uncias duas.

Misce, postea sic calidum projice in situlam aquæ frigidæ, & dimitte refrigerari, postmodum manibus ducatur ad optimam permistionem.

Com-

Commendatur ad vulnera pectoris penetrantia, & ad ulcera quàm plurima antiqua, ac difficilis consolidationis. Massa parte 2. fol. 96.

ANIMADVERSIONES

In Emplastrum de Minio primum & secundum.

Bonitas hujus *Emplastri* communiter à vulgo ex colore rubro judicatur, ast qui ex hisce ingredientibus, iis non mutatis *Emplastrum* debitam habeos consistentiam & colorem competentem parabit, istum sanè magnifecerim. Quod si volupe fuerit, paretur tali modo:

℞. *Olei Rosati* ℔ j ß,
Myrtini,
Vnguenti Populei ana ℥ iiij,
Pingued. Gallinæ ℥ ij,
Porcinæ ℥ vij,
Lithargyrii auri,
Argenti ana ℥ viij,
Cerussæ ℔ j,

Coquantur igne lento, addito semper de *aceto fortissimo s. q.* ne nigrescat, ad consistentiam *Emplastri durioris*, cui adde

Sevi Castrati,
Vaccini ana ℔ ß,
Terebinthinæ ℥ vj,
Ceræ ℥ x,
Minii cribrati ℥ iiij, *vel* vj,
Fiat Emplastrum.

Nota: quod impossibile sit ob inconcinnam rerum commixtionem cunctorum hujus compositionis ingredientium vires sartas tectas servare, utpotè *olei Rosorum* & *unguenti Populei*, quorum qualiscunque etiam fragrantia in præparatione præfata ut pereat necessum est.

Alterum Nicolai Massæ sic parari potest.

℞. *Minii cribrati,*
Olei Rosacei ana ℥ xx,

Coquantur addita *aceti fortis destill. s. q.* ad Emplastri consistentiam (lento igne ne nigrescat, spatulâ continuò agitando,) cui adde iterùm

Minii cribrati subt. ℥ iiij, *vel* v,
Picis navalis ℥ iiij,
Terebinthinæ ℥ ij.
Fiat Emplastrum.

Emplastrum Nervinum Vigonis.

℞. Olei Chamomillæ,
Rosarum ana uncias duas,
Mastichini,
Terebinthinæ,
Lini ana unciam unam semis,
Terebinthinæ claræ uncias quatuor,
Sevi Vituli castrati,
Hircini ana uncias duas semis,
Herb. Rorismarini,
Betonicæ,
Caudæ equinæ,
Centaurii ana manipul. unum,
Vermium terrestrium lotorum & purgatorum in vino uncias tres.
Coque simul in vino
Rad. Rubiæ tinctorum drach. decem,
Hipericonis fol. & sem. ejus ana manipulum unum,
Mastiches pulverisatæ,
Gummi Elemi ana drachmas decem,
Picis navalis,
Resinæ ana unciam unam semis,
Sagapeni,
Galbani,
Ammoniaci ana drachmas tres.

Dissolutis Gummi in aceto cum cyatho uno vini odoriferi aliquantulum contundantur, postea decoquantur & exprimantur: cui expressioni addantur

Litharg. auri,
Argenti ana unciæ duæ semis,
Minii unciæ duæ.

Iterum bulliant in primis lento igne, baculo agitando, ignem deinde vigorando, bulliant donec acquirat colorem subnigrum. Quo facto, cum cera nova sufficiente fiat Emplastrum in bona forma.

Emollit, digerit, resolvit, nervosorum partium malis cumprimis utile.

Modus compositionis est, ut herbæ, radices Rubiæ, & vermes terrestres coquantur in sufficienti quantitate vini odoriferi & oleo-

& oleorum ad vini consumptionem. Expresso adjiciantur Terebinthina, Sevum, Mastiche per se trita, & Gummi diluta aceto: tùm coquantur ad justam consistentiam; addendo ceram sufficientem, & sub finem decoctionis addenda Lithargyrum & Minium.

ANIMADVERSIONES.

EX tam dissonanti rerum congerie *Emplastrum hoc* constructum est, ut satis mirari nequeam; Secundus item ille in *animadversionibus* superadditus præparandi modus, priori inepto multò ineptior est, & si omnes hujus *Emplastri*, tàm quoad compositionem, quàm præparationem ejusdem commissos errores enumerare lubido esset, integra pagina mihi non sufficeret; Nec etiam possibile est, ut omnes ipsius errores servatis singulis ingredientibus corrigi & emendari possint: nam ubi unum horum conservabimus, alterum ibimus perditum. Nihilominus tamen dexteriorem ejus quantùm poterimus, moliemur præparationem; utpotè

℞. *Herbarum Rorismarini,*
Betonicæ,
Centaurii ana M j,
Vermium terrestrium mundat. ℥ *iij,*
Radic. Rubiæ tinct. ʒ *x,*
Folior. Hyperici,
Seminis ejusdem ana M j,

Coquantur in *vini & aceti ana* ℔ j ℥, ad medietatis exhalationem, postea colentur & exprimantur, colaturâ asservatâ. Jam

℞. *Oleor. Chamomillæ,*
Rosarum ana ℥ *ij* ß,
Lini,
Olivarum (pro Mastichino)
Terebinthinæ rubræ ana ℥ *j,* ß,
Lithargyrii auri,
Argenti ana ℥ *iij,*
Minii ℥ *ij.*

Coquantur lento igne semper affundendo de *superiori decocto*, (relictis tamen *hujus decocti unciis duabus vel tribus* pro dissolutione *Gummatum*) ad justam *Emplastri* consistentiam. Cui addantur sequentia liquata invicem ac per linum transcolata, scilicet

Sevi Vituli,
Hircini ana ℥ *ij* ß,
Picis navalis,
Resinæ ana ℥ *j* ß,
Ceræ flavæ ℥ *iij,*

His mixtis dissolvantur in
Terebinthinæ unciis quatuor,
Pulv. Gummi Elemi ʒ *x,*
Mastichis ℥ *j,* ʒ *vj,*

& priori Emplastro etiam addantur: Tandem in superiori asservato *decocto acido* dissolve
Pulv. Gummi Sagapeni,
Ammoniaci,
Galbani ana ʒ *iij,*

ad formam pultis & sensim semi refrigerato *Emplastro* admisce, prout sæpius edocui.

Nota: quod *Emplastrum hoc* vel nigrum vel gryseum mediante coctione fieri possit, vel etiam rubrum, ultimò admixto *Minio. Oleum simplex sive Olivarum* substitui pro *Mastichino*, è contra verò sub finem pondus *Mastichis* debitè auxi, quo ipso, quæ in *oleo* superiùs defuit, *Mastichem* restitui; nam *oleum Mastichinum* huic coctioni non dextrè aut prudenter adderetur.

Emplastrum Nigrum.

℞. Colophoniæ,
Resinæ,
Picis navalis,
Ceræ albæ,
Vitrioli Romani,
Cerussæ,
Olibani,
Myrrhæ ana uncias octo,
Mastiches unciam unam,
Olei ovorum uncias duas,
de Spica unciam unam,
Juniperi ex granis uncias tres,
Rosarum uncias septem,
Mumiæ uncias duas,
Terræ Sigillatæ,
Sanguinis Draconis ana unciam unam,
Vitrioli albi,
Corallii rubri ana uncias duas,
Axungiæ Ardeæ unciam unam,
Thymalli uncias tres,

Lapi-

Lapidis Magnetis præp. uncias duas,
Lumbricorum præparatorum,
Camphoræ ana unciam unam.
Fiat Emplastrum secundum artem.

Perquam efficax ad recentia vulnera & puncturas,

ANIMADVERSIONES.

Si dextra fieri debet *Emplastri* hujus præparatio, necessum est, ut ingredientia, quæ adeò confusè conglomerata sunt, priùs in ordinem redigantur; ideoque paretur modo sequenti.

℞. *Olei Rosarum* ℥ *vij*,
Axungiæ Ardeæ ℥ *j*,
Thymalli sive Asiæ piscis ℥ *iij*,
Cerussæ cribratæ ℥ *viij*,
Vitrioli albi,
Romani in aqua simpl. solutor. ana ℥ *iv*,

Coquantur simul igne paulò fortiori ad dissolutionem *Cerussæ*, & nigredinem, *Emplastrique consistentiam*, cui admisce sequentia simul liquefacta & per qualum vel linum colata, scilicet

Colophoniæ,
Resinæ,
Picis navalis,
Ceræ flavæ ana ℥ *viij*,

His unitis adjunge etiam
Mastichis, in unciis duabus Olei ovo-*rum solutæ*, ℥ *j*,

Nec non sequentes pulveres
Olibani sive Thuris,
Myrrhæ ana ℥ *viij*,
Mumiæ ℥ *ij*, *si lubet*,
Terræ sigillatæ,
Sanguinis Draconis, *ana* ℥ *j*,
Corallorum rubr.
Lapidis Magnetis præp. ana ℥ *ij*,
Lumbricorum præpar. ℥ *j*,

Agitentur aliquandiu in calore, donec benè invicem unita & liquefacta sint, quibus demùm jam frigescere incipientibus adde
Olei Spicæ ℥ *j*,
Olei Iuniperi ex granis ℥ *iij*, in quibus *Camphoræ* ℥ *j*, in vase clauso, leni calore soluta sit, fiatque Emplastrum.

Emplastrum Opodeltoch D. D. *Mindereri.*

℞. Ceræ novæ mundissimæ libram unam,
Terebinth. Venetæ claræ lib. semis,
Gummi Elemi uncias tres,
Olei Hyperici,
Myrtini ana unciam unam semis,

Liquefiant simul omnia, & postquam diffluxerint, adde eis sequentia, nempe
Gummi Ammoniaci mundi,
Galbani,
Opopanacis ana drach. tres,
Colophoniæ drachmas sex,
Mumiæ selectæ,
Succini albi pellucidi ana drachmas duas,
Olibani albi,
Mastiches purificatæ,
Sanguinis Draconis,
Sarcocollæ à recrementis purgatæ ana Drachmam unam semis,
Aloës Epaticæ drachmam semis,
Myrrhæ drachmam unam.

Dissolvantur gummi in aceto, junganturque simul commodè ac secundum artem, agitando singula, ac ubi fermè refrixerint, paulatim ac studiosè injice
Lapidis Magnetis præparati drachmas sex,
Croci Martis ex arte sine corrosivo concinnati,
Tutiæ præparatæ ana unciam unam,
Lapidis Calaminaris præparati uncias quinque,
Lithargyri auri unciam unam,
Colcotharis indulcati, seu terræ Vitrioli mortuæ ac dulcificatæ unc. duas,

Redigantur lege artis in Emplastrum, quod frigefactum durescat. Qui mollius habere id optaverit, Terebinthinæ, ac oleorum supradictorum quantitatem nonnihil adaugeat. Alioquin rectè sic subsistit.

Notandum quoque, posse Emplastro huic adjici
Succum Alchimillæ,
Symphyti,
Veronicæ,

Pyrolæ,
Saniculæ,
Consol. med. vel Sarracenicæ,
Telephii,
Nicotianæ,
Numulariæ, aut
Fol. quercûs.

Emplastrum hoc magnæ efficaciæ est ad vulnera recentia: ea enim protinùs persanat, spicula, tela, cuspides, dummodò ossibus fixæ non hæreant, itemque crines, paleas, ac resegmina, aut quæ vulneri inciderint, extrahit, symptomata vulneribus infensa ac periculosa, si citò applicetur, antevertit ac præcavet, tumores, affluxusque humorum, qui cæsæ ac offensæ parti incumbere solent, reprimit, ac dissolutam unitatem citò conjungit, consolidat, ac cicatrice claudit.

ANIMADVERSIONES.

Tanta extant hinc inde apud Authores plurimos hujus *Emplastri* encomia, ut plerique pro universali omnium vulnerum & ulcerum consolidativo id habeant; proindè æquum est, ut sedula & exquisita ejus fiat præparatio, & quidem in modum sequentem.

℞. *Terebinthinæ* ℥ vij,
In quibus dissolvantur vel liquefiant
Pulv. Gummi Ammoniaci,
Opopanatis &
Galbani puri vel granorum, (ut non necessum sit, ea à fæcibus suis per colaturam purgare, aut cum aceto multum coquere, cùm ipsorum partes subtiliores coctura evanescant) *ana* ℥ ß,
Pulv. Myrrhæ ℥ iij,
Thuris ℥ ß,
Quibus solutis aut liquefactis adjungantur
Olei Terebinthinæ rubri ℥ iij,
in quo oleo
Gummi Elemi ℥ iij,
Mastiches elect. & pulv.
nec non
Tacamahacæ ana ℥ ß,
pariter soluta aut liquefacta prius sint.
Item
Colophoniæ liquatæ ℥ j ß, cum
Ceræ flavæ & novæ ℔ j,
Aloës Epat. cum succo Pyrolæ in formam pultis solutæ ℥ j ß,
Tandem etiam pulveres sequentes, utpotè
Succini albi pelluc. præpar. ℥ ß,
Sanguinis Draconis,
Sarcocollæ ana ℥ iij,
Lapidis Magnetis cum succo Nicotianæ & folior. Quercûs præpar. ℥ j,
Croci Martis sola reverberatione facti & non edulcorati,
Tutiæ in succo Symphyti vel Alchimillæ semel extinctæ & cum iis ipsis levigatæ ana ℥ j,
Lapidis Calaminaris priùs candefacti, ac in succis Pyrolæ ac Symphyti extincti, & cum iisdem præpar. ℥ v,
Sacchari Saturni cum succi Pyrolæ & Consolidæ ana ℥ iij, *soluti & ad pultis vel olei formam iterùm inspissati* ℥ j,
Colcotharis in destillatione spiritûs Vitrioli relicti non edulcorati, sed postquam extrema ignis reverberii violentiâ totaliter omnis humiditas & spiritus expulsi sunt, astris vernali tempore per septimanam unam vel alteram expositi, à Sole verò interdiu remoti ℥ ij,
Et si lubet addantur etiam ultimò
Succ. inspiss. Alchimillæ,
Symphyti radic.
Pyrolæ,
Saniculæ,
Millefolii,
Folior. Quercûs,
Consolidæ Sarrac. ana ℥ ß.
Fiatque *Emplastrum nobile* diû multumque in diplomate calore leni agitando, ut species omnes eò meliùs invicem uniantur.

Notandum, quod aliqui pro meliori præparatione *Magnetis* præcipiant eundem vel *oleo* vel *essentiâ Martis* saturatè imprægnari, putantes *Magnetem* hac ratione in operationibus suis & actionibus in distans, uti vocant, plurimum fortificari, adeoque ad cuspides ac spicula extrahenda multò potentiorem & longè efficaciorem reddi: Ast hi, meo quidem judicio, insigniter falluntur & contrarium potiùs

potiùs suæ intentioni moliuntur. Etenim in aprico est, *Magnetem* non secùs ac aliæ substantiæ finitæ, non habere infinitam ferrum attrahendi potentiam, sed pro ratione magnitudinis & bonitatis suæ à Natura sibi concessæ, scilicet quantum illa permittit, solummodò attrahere, & si ultrà modum vel ordinarium pondus ipsi de *Ferro* adjiciatur, nihil quicquam ampliùs trahere, imò insuper etiam debilitari: Idem etiam contingit in præparatione aut confortatione *Magnetis*, modò prædicto cum *oleo* vel *essentiâ Martis* peragendâ; namque ubi *ille* semel sat sufficienterque *Ferri essentiâ* imbutus fuerit, ulteriùs nil quicquam ampliùs ad se allicere vel attrahere, neu spicula vel cuspides è vulneribus extrahere poterit. Cæterùm etiam palàm est, & plurimorum experimentis constat, *Magnetem* trahere *Ferrum* ab unâ, repellere verò à parte altera, vel saltem ab illa parte non trahere, sed potiùs, suam cuicunque *Ferro* communicatam virtutem attractivam ab altera parte ad se denuò revocare. Jam si tritus fuerit *Magnes*, aut in alcohol redactus, ecquis atomorum istarum, rebus pinguibus ac resinosis intermixtarum, investigabit & discernet latera septentrionalia aut meridionalia, eaque debito modo ad extrahenda spicula corpori vel vulneri accommodabit? Consulatur hac de re *subtilissimus Athanasius Kircherus in opere de arte Magnetica libro tertio de Magnetismo Medicinalium pag.* 688. *& sequentibus*, ubi tractat de Cultrivoris Bohemo & Prutenico, eorundemque curatione per Emplastrum ex Magnete factum. Ex his patet, quàm malè sæpenumerò res conjungamus, quàm stupidè & stultè ipsas non rarò præparemus; Quanta non inest vis & efficacia trahendi *Ferrum Magneti integro*, cujus vena septentrionalis laminâ ferreâ comprehensa est! ast is idem *Magnes* jam tritus, quàm invalidus ille, quamque exiguâ aut penè nullâ pollet *ferrum* alliciendi virtute! An non de aliis *lapidibus & gemmis preciosis*, *Succino* item, aliisque simili vi magneticâ dotatis idem fiat, perpendet & judicet Lector benevolus; cum vis unita semper fortior sit dispersâ. Ex prædictis jam in facili est colligere, quales quantasque virtutes ego ex tam multifariis, tot contrariis, tamque ineptè sæpenumerò corrasis ingredientibus fabrefactis *compositionibus* (quarum in hoc Dispensatorio cornu copiæ est) virtutes adscribere possim, maneo nihilominùs in formulis usitatis, quas tamen nec impensè laudo, nec nimiùm vitupero, quin potiùs ansam præbeo ulteriùs inquirendi.

Notare etiam circa hanc præparationem conducibile erit, quòd *edulcoratio terræ Vitrioli* similiter rationi non usquequaque consentanea sit: Nam si probè sufficienterque *Vitriolum* calcinatum, omnique aquositate & spiritu privatum sit, necquicquam ampliùs corrosivum est, nec salsedine abundat, nisi ex aëre, si fortè ad aliquod tempus repositum fuerit, de novo eam attraxerit, quæ tamen salsedo tantum abest ut *Vitrioli*, quin longè alias & peregrinas redoleat virtutes; Itaque si huic *Emplastro*, adstringendi saltem gratiâ *terra Vitrioli* addatur, eam neque edulcorare neque astris imprægnare consultum esset: Eadem de *Croco Martis* ratio est; Nam ubi adstringere volupe fuerit, humectantia stipticis admiscenda non sunt, & viceversâ. Hinc etiam manifestum evadit, quàm difficilis & ardua res sit, ex tàm multifariis, sibique invicem repugnantibus speciebus utiles efformare *compositiones*.

Oxycroceum Commune ex Nicolao.

℞, Ceræ,
Picis,
Colophoniæ,
Croci ana libram unam,
Terebinthinæ,
Galbani,
Ammoniaci,
Myrrhæ,
Olibani,
Mastiches ana uncias quatuor,
Aceti phialam unam.

Galbanum & Ammoniacum in aceti sufficienti quantitate dissolvantur, & rursus ad lentorum coquantur, donec acetum in vaporem evanuerit, tunc addantur liquefactis simul cera, pix, Colophonia & Terebinthina: postquàm omnia sunt commixta, inspergito etiam

Myrrham, Olibanum & Mastichen subtilissimè trita, postremùm verò etiam Crocum per se in tenuissimum pulverem redactum, ac fiat secundum artem Emplastrum.

AD contusa, ossium fracturas, nervorum dolores, & abscessuum inveteratorum duritiem emolliendam idoneum, Emplasticum quoque & gignendo callo habile.

ANIMADVERSIONES.

IN hoc *Emplastro Croci* quantitas nimia est, neque etiam convenit, ut *pulveres*, qualescunque etiam illi sint, in *Emplastris* unà cum *cera* aut *resinis* æquale pondus habeant; nec tam vili præcio venditur *Crocus*, ut eum adeò largiter citra necessitatem profundamus, neu, quod magis est, tanta *Croci* quantitas *Emplastro* huic imprimi potest; Ideoque ejus pondus diminuendum & taliter *Emplastrum* conficiendum erit, nimirùm

℞. *Picis,*
Ceræ flavæ,
Colophoniæ ana ℔ *j,*
Terebinthinæ ℥ *v,*

Junctim liquata & per linum colata, calida asserventur, hinc

Pulv. Croci ℥ *ij,*

in *vino* infundantur, dilutæ ad formam pulticulæ, quâ interim etiam asservatâ, dissolve in *s. q. aceti*

Gum. Ammoniaci triti,
Galbani electi ana ℥ *iiij,*

ad formam pultis, quibus paulatim & alternatim adde mox de superioribus liquatis portiunculam, mox etiam drachmam unam vel alteram de *pulveribus subsequentibus*, utpotè

Myrrhæ,
Thuris,
Mastichis ana ℥ *iiij,*

nec non de *Croco superius infuso* aliquantillum, donec omnia sic alternatim immissa & commixta sint: postea benè liquata probè agitentur, non tamen supra ardentem flammam, (prout sæpiùs monui) sed in diplomata, id est in M. B. collocando nimirùm vel immergendo ultra medietatem patellam, in qua primò *Gummata*, postea totum compositum commixtum fuerit, in aquam calidam & ferè ferventem, taliter enim omnia optimè unientur, & in massam minimè friabilem aut grumosam, sed optimè ductilem coibunt, & postquam cuncta junctim sic unita liquata sunt (non cocta, quod observandum;) ipsa sub continua agitatione refrigerari sinas, efformesque magdaleones.

Nota: quod *Gummata quædam*, utpotè *Galbanum*, *Opopanacum*, *Ammoniacum* longè meliùs solvantur aut liquentur in *Terebinthina* quàm in *aceto:* nam quæ fit cum *aceto*, præsertim in calore liquatio, propria *horum Gummatum* solutio non est; propterea etiam non consultum est, ea cum *aceto* multùm coquere, sed tantum de *aceto* solummodò addere convenit, ut ex illis maximè pulverisatis (quod tempore hyberno commodè fieri potest) pulticula efficiatur, ne sub coctione diuturnâ partes ipsorum magis subtiles & penetrantes evanescant, vel etiam, si libet, in *Terebinthina* solvantur; quod autem in hoc *Emplastro* & multis aliis fieri nequit, ob *Terebinthinæ* paucitatem & *Gummatum* copiam.

Oxycroceum Vigonis.

℞. Olei Myrtini,
Rosarum,
Omphacini ana lib. unam semis,
Succi radicum Althææ libras duas,
Rad. & folior. Fraxini,
Consolidæ minoris,
Folior. Myrti ana manipulum unum.

Omnia prius aliquantulùm contusa, bulliant in vino nigro, quantum sufficit ad consumptionem medietatis, cum

Myrrhæ,
Thuris ana unciâ semis.

Deinde fortiter colentur, cujus colaturæ addantur

Sevi Hircini librâ semis,
Terebinthinæ unciæ duæ,
Mastiches uncia una.

Iterum cum prædictis oleis bulliant ad consumptionem decoctionis. Postmodum colentur, addendo

Lithargyri auri,
Argenti ana uncias tres,

Boli Armenæ,
Terræ Sigillatæ ana uncias duas,
Minii drachmas decem.

Coquantur lento igne, & cum cera nova sufficiente semper baculo agitando, fiat Emplastrum.

Perperàm hoc Emplastrum à Vigone dicitur Oxycroceum, cùm aceto & croco careat, nomen tamen immutare noluimus, quia ejusdem usus diuturnior jam invaluit, de quo tamen benevolum Lectorem monere placuit.

ANIMADVERSIONES.

Mirabilis structuræ *compositio* hæc est, ab Authore penitùs non intellecta, ex qua non nisi mutatis ingredientibus *Emplastri* debita consistentia confici potest: Posset itaque hæc *compositio* meritò omitti, & cum aliis consimilibus eradicari, cùm longè meliores abundanter prostent; Nihilominùs, si forsitan ab aliquo expetatur, addam ejus præparationem talem.

℞. *Succi radicum Althææ* ℔ ij,
Rad. & foliorum Fraxini,
Consolidæ minor.
Folior. Myrti ana recent. M j.
Oleor. Rosarum,
Myrti,
Omphacini ana ℔ j ß.

Coquantur ad consumptionem humiditatis, fiatque colatura cum expressione forti, *oleo expresso* adde
Lithargyrii auri,
Argenti ana ℔ j.

Coquantur ad dissolutionem *Lithargyrii* & consistentiam *Emplastri*, cui adde
Sevi Hircini ℔ ß,
Ceræ flavæ ℥ iij,
Terebinthinæ ℥ ij. *in qua*
Mastichis ℥ j. *liquata sit,*
Pulv. Myrrhæ,
Thuris ana ℥ ß,
Boli Armenæ,
Terræ sigillatæ ana ℥ ij,
Minii ℥ ß.
Fiat Emplastrum.

Nota: si ex enumeratis *radicibus* radulà tritis per se succus exprimi nequeat, impraegnetur rasura aliquâ quantitate *aquæ*, vel substituatur earum *radicum mucilago*.

Emplastrum Diaphœnicon calidum Mesuæ.

℞. Ceræ uncias duas,
Olei Rosati,
Nardini ana uncias quatuor.

Simul liquentur, deinde
℞. Dactylorum siccorum numero quadraginta,
Panis bis cocti drachmas octo.

Macerentur in vino odorato biduum: postea
℞. Carnis Cydoniorum in vino coctæ unciam unam.

Contundantur & permisceantur superioribus; & adde subsequentia in mortario benè contusa.

℞. Mastiches,
Thuris,
Absinthii Romani ana drachmas duas semis,
Ligni Aloës,
Macis,
Myrrhæ,
Aloës lotæ,
Spicæ Nardi,
Acaciæ,
Galliæ Moschatæ,
Trochiscorum Ramich,
Calami Aromatici ana drach. unam,
Ladani drachmas duas.
Misce, fiat Emplastrum.

Ventriculum & hepar firmat, ob id lienteriam & dysenteriam hepaticam juvat. Id verò quod frigidum dicitur, ventrem totum inferiorem, ne aliarum partium recrementa suscipiat, roborat, coctionem adjuvat, ob hæc vomitum, choleram morbum, lienteriam ac fluxum hepaticum, prout & sequens, coërcet.

Emplastrum Diaphœnicon Frigid. ejusdem.

℞. Dactyl. maturitati proximorum, in vino austero coctorum unc. quinque,

Panis bis cocti unciam unam,
Carnis Cydoniorum in vino austero
coctæ unciam unam semis,
Styracis Calamitæ,
Mastiches,
Ladani,
Florum Acaciarum,
Rosarum rubearum,
Santali citrini,
Trochiscorum Ramich,
Myrrhæ,
Ligni Aloës ana drachmas quatuor,
Ceræ uncias quatuor,
Olei Rosacei uncias quindecim,
Vini austeri, quantum sufficit.
Fiat Emplastrum.

ANIMADVERSIONES

In Emplastrum Diaphœnicum Calidum *&* *Frigidum.*

PArùm admodum inter se differunt hæc duo *Emplastra*, quoad caloris vel frigoris temperaturam; ambo enim ex rebus calidis & adstringentibus confecta sunt: Igitur prioris conficiendi modum hîc apponam, ex quo alterius præparatio facilè elucescet.

℞. *Pulpæ Dactylorum cum aceto vel vino Cydoniato confectæ* ℥ vj,
Panis biscocti triti ℥ j,
Pulpæ Cydoniorum ℥ j ß,
Aloës in vino Cydoniorum solutæ ℥ ij,
Succi Acaciæ concreti, in succo vel vino Cydoniorum soluti ℥ ß,
Absinthii pulverisati ℥ iij,
Succi Cydoniorum vel Granatorum, aut etiam aceti parùm vel q. s.

Coquantur igne lento ad consistentiam *Cataplasmatis durioris*, continuò & sine intermissione spatulâ agitando, ne *species* fundo patellæ adhærentes comburantur, & Empyreuma contrahant; *Huic Cataplasmati* adde
Olei Rosarum,
Nardini ana uncias tres,
Ceræ flavæ ℥ v,
Pulv. Mastichis,
Thuris,
Myrrhæ ana ℥ ß,
Ligni Aloës,
Macis,
Spicæ Nardi,
Galliæ Moschatæ,
Calami Aromatici,
Trochiscorum Ramich ana ʒ j,
Ladani ℥ iij, *vel* ℥ ß.

Fiat ex omnibus benè mixtis *Emplastrum Stomachale.*

Nota: loco *Galliæ Moschatæ, Ambræ in oleo Nucistæ solutæ* ℈ j, *Moschi in vino soluti gr. vj, & ligni Aloës* ʒ ß. Loco autem *Trochiscorum Ramich*, si recentes non prostarent, centesima & sexagesima circiter pars totius compositionis, aut quod clariùs, pro qualibet *uncia una ingredientium horum Trochiscorum gr. iij*, & pro qualibet *drachma una tertia quasi pars unius grani*, substitui possunt.

Emplastrum de Ranis cum Mercurio Vigonis.

℞. Olei Chamomillæ,
Anethini,
de Spica,
Liliorum alborum ana uncias duas,
De Croco unciam unam,
Pingued. Vituli libram semis,
Euphorbii drachmas quinque,
Thuris drachmas decem,
Olei Laurini unciam unam semis,
Axungiæ Viperinæ uncias duas semis,
Ranarum viventium numero sex,
Lumbricorum lotorum in vino uncias tres semis,
Succi rad. Ebuli,
Enulæ ana uncias duas,
Schœnanthi,
Stœchadis,
Matricariæ ana manipulum unum,
Vini odoriferi libram unam.

Bulliant omnia simul ad consumptionem vini, colaturæ adde
Lithargyri libram unam,
Terebinthinæ claræ uncias duas,
Ceræ flavæ uncias sex,
Styracis liquidæ unc. unam semis,

Posthæc

Posthæc ab igne depone, & ubi refrixerit, adde

Argenti vivi salivâ hominis jejuni extincti uncias quatuor.

Misce diu pistillo, & fac Emplastrum.

Hoc Emplastrum debet etiam parari sine Mercurio.

Valet egregiè in dissipandis doloribus artuum, homoplatarum, coxendicumque à lue venerea inveterata obortis, partibus robur conciliat, virulentiam luis sub madoris specie extrahit, & implacabiles dolores consopit, Quod sine Mercurio paratur, doloribus ex frigida causa obortis confert.

ANIMADVERSIONES.

UT propemodùm ad unam omnes *Emplastrorum compositiones* satis inconcinnè & absurdè conscriptæ sunt, ita nec, quam in præsens ventilamus, *Emplastri* formula suâ absurditate caret; quam quis illicò deprehendit, si modò *Argenti vivi extinctionem cum saliva jejuni hominis* perpendere non gravatur. Quis, rogo, asservabit *hujus spurcitiei libram unam vel alteram*, quâ pro dissolvendâ assignatâ quantitate *Argenti vivi* opus esset, & quis tantam copiam aquositatis *Emplastro* huic commiscere poterit, servatâ justâ *Emplastri* consistentiâ, & viribus *Mercurii* integris? Itaque nugis his postliminiò positis, transeamus ad aliam hujus *Emplastri* præparationem, præscriptâ multò meliorem & longè efficaciorem, scilicet

℞. *Argenti vivi* ℥ iiij.

Solvantur *in s. q. aquæ fortis*, cui adde

Axungiæ Viperinæ vel Serpentum ℥ iij,
Olei Liliorum alborum ℥ ij.

Coquantur leniter in vitro capaciori & amplioris orificii ad *aquæ fortis* exhalationem, donec nimirùm ejus guttula una vel altera in ignem projecta strepitum ampliùs non edat, eritque massa, ubi refrixerit, duriuscula, citò tamen & in leni calore liquabilis, quæ interim calida asservetur. Postea

℞. *Ranarum viventium numero* x,
Lumbric. absque lotione purgat ℥ iij ß,
Schœnanthi,
Stœchadis,
Matricariæ ana M j,
Croci ʒ ij,
Succi radicum Ebuli,
Enulæ ana ℥ ij,
Aceti vini fortis ℔ ij ß.

Coquantur ad dimidias, colaturâ per expressionem factâ pariter asservatâ; Tùm demum

℞. *Olei Chamomillæ,*
Anethini,
de Spica cocti ana ℥ ij ß,
Laurini ℥ j ß,
Pingued. vel sevi Vitulini ℔ ß,
Lithargyrii triti ℔ j.

Coquantur lento igne (addendo semper aliquid de *superiori decocto* cum *aceto* facto, usque dum totum *decoctum* additum sit,) ad consistentiam *Emplastri* durioris grysei in colore, cui ab igne remoto adde

Terebinthinæ claræ ℥ ij,
Ceræ flavæ ℥ vj,

& his liquatis etiam

Pulv. Euphorbii ʒ v,
Thuris ʒ x,
Nec non Argentum vivum superius solutum, & cum axungia Serpentum & oleo Liliorum alborum coctum.

Agitentur benè in calore leni, admiscendo sub finem, ubi jam omnia semi refrigerata fuerint,

Styracis liquidæ ℥ j ß.

Fiat Emplastrum.

Emplastrum de Rhabarbaro Joannis Manardi.

℞. Rhabarbari electi unciam semis,
Aloës hepaticæ unciam unam,
Lixivii fortis libram unam,
Saponis Veneti libram semis,
Ceræ uncias duas.

Decoquantur ad duritiem justam.

Commendatur ad duros tumores, & tophos præsertim in morbo Gallico.

Em-

Emplastrum Santalinum, olim incognitum dictum.

℞. Ceræ novæ uncias quatuor,
Resinæ uncias quinque semis,
Santali rubri,
Vini sublimati ana unciam unam semis,
Croci drachmas duas,
Olibani,
Mastiches,
Myrrhæ,
Aluminis ana drachm. unam semis.
Fiat Emplastrum.

OBstructiones hepatis reserat, & indurationes ejus emollit, infarctos humores peccantes resolvit, sanguinem mundificat, & concoctionem hepatis, sive sanguificationem promovet.

ANIMADVERSIONES

In Emplastrum de Rhabarbaro, item in Emplastrum Santalinum vel incognitum.

HÆc *Emplastra* paratu sunt facilia, idcircò singularibus animadversionibus tantoperè non indigent: quæ autem ex ingredientibus priùs, quæque posteriùs commiscenda aut coquenda sint, ex præcedentibus nostris *animadversionibus plurimis* abundè constabit; progrediamur itaque ulteriùs.

Emplastrum Spleneticum Hieronymi Fabricii ab Aquapendente.

℞. Gummi Ammoniaci in aceto dissoluti unciam unam,
Succi Tabaci unciam semis,
Ebuli,
Resinæ Pini,
Terebinthinæ ana drachmas duas,
Olei de Capparibus unciam semis,
Ceræ drachmam unam semis,
Misce, fiat Emplastrum.

HUjus Emplastri virtus tota est in resolvendo succo melancholico, splenem occupante, priusquàm in scirrhum abeat, vel si diuturnitate temporis jam sese exserat, in eodem emolliendo & resolvendo.

ANIMADVERSIONES.

SIt hujus *Emplastri* nonnihil aucta præparatio talis; Nimirùm,

℞. *Resinæ Pini,*
Terebinthinæ ana ℥ ij,
Olei de Capparibus ℥ ß,
Ceræ flavæ ℥ j.

Liquefiant junctim & colentur, quippe *resinæ* partibus fæculentis & crassioribus referta est, quæ fundum petunt, nec resolubiles sunt; Jam dissolvatur

Gummi Ammoniaci ℥ j ß, *in s. q. vini austeri, in quo Tabacum infumatum maceratum sit,*

ad formam pultis, & guttatim sensimque immisceantur superiora invicem liquefacta & colata; Item

Decocti Tabaci infumati cum vino facti, & ad formam extracti inspissati ℥ ß,
Succor. Ebuli &
Verbenæ recent. inspiss. ana ℥ ij.

Misceantur omnia benè aliquandiu agitando, fiatque *Emplastrum Spleneticum.*

Emplastrum Stícticum Crollii.

℞. Minii,
Calaminaris ana libram semis,
Lithargyri auri,
Argenti ana uncias tres,
Olei Lini,
Olivarum ana lib. unam semis,
Lauri libram semis,
Ceræ,
Colophoniæ ana libram unam,
Vernicis,
Terebinthinæ ana libram semis,
Opopanacis,
Galbani,
Serapini,
Ammoniaci,
Bdellii ana uncias tres,

Succini

Succini citrini,
Olibani,
Myrrhæ Alexandrinæ,
Aloës Epaticæ,
Aristoloch. longæ,
rotundæ ana unc. unam,
Mumiæ transmarinæ,
Magnetis,
Hæmatitid. ana unc. unam semis,
Corallorum alborum,
rubeorum,
Matris Perlarum,
Sanguinis Draconis,
Terræ medicatæ Strigensis,
Vitrioli albi ana unciam unam,
Florum Antimonii,
Croci Martis ana drachmas duas,
Camphoræ unciam unam.

Modus parandi talis esto:

Gummata quinque in aceto macerata & cocta exprimantur per linteum crassum, bis repetendo cocturam: postea super lentum calorem in munda sartagine usque ad consistentiam mediocrem inspissentur. Oleum Lini & Olivarum imponatur alteri sartagini, & addatur Lithargyrum auri & argenti, coquantur agitando, donec oleum coloretur, hinc addatur Calaminaris, & paulò pòst Minium, omnia illa agitando coquantur simul ad sufficientiam, cujus indicium erit, si supra unguem gutta concrescat, & condensetur, neque ampliùs diffluat. Tandem etiam addatur circa finem Vernix, Oleum Laurinum, Cera, Colophonia: omnibus benè invicem mistis & liquefactis, & ab igne sepositis, postea da operam, ut sartago cum Gummatibus paulatim calefiat, & successivè affunde liquorem è secunda sartagine Gummatibus diligentissimè agitatione incorporando, supra lentissimum calorem, cavendo ne bulliat; alioquin Gummata in grumos coëunt, & oleo difficulter miscentur, postmodum agitando addantur pulveres, & diligenter per horam omnia commoveantur: Ultimò Camphora resoluta in oleo Juniperino addatur; Si fortè nimis durum esset, jungatur adhuc aliquid Ceræ & Colophoniæ. Tum demum ab igne deponitur, ac manibus (oleo Chamæmelino, Rosarum, Juniperino, Lumbricorum, Hypericonis ana quantum satis mixto,) perunctis, pinsere ac instar malagmatis subigere convenit. Servetur ad usum, efformatis inde priùs magdaleonibus alutæ includendis.

Vires hujus Emplastri perinsignes sunt: Vulnera siquidem recentia & ictus celeriter consolidat, symptomata & fluxiones supervenire solitas præcavet, ferrum, lignum, plumbum, aliaque profundius membris infixa sine dolore extrahit, antiqua etiam ulcera siccat, & mundificat, carnem bonam producit & cicatrice claudit. Plura qui desiderat, videat Oswaldum Crollium in Basilica.

Emplastrum Tetrapharmacon Galeni.

℞. Picis nigræ,
Resinæ,
Ceræ,
Adipis Vaccini ana uncias duas.
Misce.

Dicitur Mesuæ Basilicon minus, & à Galeni compositione non differt, nisi quod oleum pro adipe Vaccino Mesue substituit. Solemne ad pus movendum, inflammationem leniendam, molliendum, tergendum, & glutinandum, ob id recentibus capitis & nervosarum partium vulneribus ac ulceribus est aptissimum.

Emplastrum Triapharmacon Mesuæ.

℞. Lithargyri,
Aceti fortis,
Olei communis ana uncias tres.

Lithargyrum levissimè tritum, moveatur continuò ad ignem, paulatim affusis oleo vicissim & aceto.

Dicitur & Emplastrum de Lithargyro nutrito Mesuæ. Siccat potentissimè, ulcera difficilia percurat, fistulas, quæ nondum callum contraxerint, jungit, eoque parotidas criticas, quæ jam fistulas traherent, in pueris, adolescentibus, ac mulieribus Galenus percuravit.

Aliud Emplastrum Triapharmacum Dioscoridis ex oleo, cera & ærugine ulcus carne implet. Vide Marantham fol. 240.

ANIMADVERSIONES

In Emplastrum Sticticum Crollii, *Tetrapharmacon Galeni, & Triapharmacon Mesuæ.*

Circa præparationem *Emplastri Stictici Crollii* hæc inprimis observanda sunt: *Primò* ut *Lithargyrium* in pondere ad aliquot uncias augeatur, vel præscriptum ejus pondus duplicetur; *Secundò* ne *Bdellium* cum reliquis *Gummatibus* in *aceto* solvi tentetur, est enim *Gummi mucilaginosum*, & in *aqua* resolubile; *Tertiò Vitriolum album* dissolutum addatur, & cum *oleis* & *Lithargyrio*, nec non *Minio*, ad *Emplastri consistentiam* coquatur. Reliqua autem, quæ circa hanc præparationem notanda sunt, ratione *lapidis Calaminaris & Magnetis*, item alia nonnulla ex antecedentibus nostris *animadversionibus* præsertim *Emplastri Opodeltoch* clarè patebunt.

Emplastrum Tetrapharmacon Galeni nullam habet difficultatem, modò hoc observetur, ut, postquam liquata sunt ejus ingredientia, per linum colentur.

Emplastrum Triapharmacon spadiceo colore commendabile est, proindè solâ coctione paulò violentiori eò reduci debet.

Emplastrum ad Tophos.

℞. Picis navalis,
Colophoniæ ana uncias tres,
Mucilaginis radicum Althææ uncias duas semis.
Galbani,
Mastiches,
Myrrhæ,
Thuris,
Ammoniaci ana unc. unam semis,
Propoleos,
Visci quercini,
Aristolochiæ rotundæ,
Æris usti,
Ceræ citrinæ,
Terebinthinæ ana uncias tres.
Fiat secundum artem Emplastrum.

In tumoribus & nodis Gallicis felici successu usurpatur, quod quia nostris Medicis usu consuetum est, meritò operi huic inserendum erat.

ANIMADVERSIONES.

Genuinam hujus *Emplastri* præparationem talem esse oportet:

℞. *Picis navalis,*
Colophoniæ ana ℥ iij,
Ceræ citrinæ & novæ odorif. ℥ vj,
Terebinthinæ ℥ iij.

Liquefacta invicem aliquantum calidè asserventur: Jam in alia patella dissolve
Pulv. Gummi Ammoniaci &
Galbani ana ℥ j ß,
in *aceto* ad formam pultis non multùm coquendo, & dum adhuc calent, alternatim de *superioribus liquefactis rebus* guttatim instilla portiunculam, mox etiam de *subsequentibus pulveribus* cochlear unum vel dimidium insperge. Utpotè
Mastichis,
Myrrhæ,
Thuris ana ℥ j ß,
Aristoloch. rotundæ,
Æris usti ana ℥ iij.

Mox etiam de *Visci quercini*, *in particula olei Hyperici soluti*, *& per pannum linteum colati* ℥ iij, similiter de *mucilagine radicum Althææ* aliquid addatur, donec omnia commixta sint, quæ aliquandiu adhuc in diplomate liquata agitari possunt, ut *species* eò meliùs uniantur, prout in præcedentibus sæpius monui.

Emplastrum Filii Zachariæ secundum Mesuen.

℞. Ceræ flavæ,
Medullæ cruris Vaccæ,
Adipis Anatis,
Gallinæ,

Muci-

Mucilaginis ſeminis Lini ana libram unam,
Olei Lini, quantum ſatis eſt.
Fiat Emplaſtrum.
Si autem valentius facere volueris, adde
Mucilaginis Althææ,
Fœnugræci ana partes æquales,
Olei Leucoii (pro oleo Lini) quantum ſatis.
Adhuc valentius reddetur, ſi addatur
Mucilaginis Oeſypi,
Ichthyocollæ ana, quantum ſufficit.

Iuncturarum tophos ac nodos duros emollit, diſſolvit, & craſſa lentaque pulmonis ac thoracis excrementa ad ejectionem per ſputum magis habilia reddit.

Emplaſtrum Veſicatorium.

℞. Cantharidum drachmas duas,
Terebinthinæ drachmam unam,
Olibani,
Myrrhæ,
Maſtiches,
Camphoræ ana grana quindecim,
Olei Roſarum drachmam unam,
Ceræ drachmas tres.
Fiat Emplaſtrum.

Hoc inſigne præſidiorum genus varias corpori humano utilitates præſtat, humores enim, qui à capite ad oculos, dentes, & genas deſcendunt, potenter revellit, in bubonibus & carbonibus peſtilentialibus venenum à corde ad exteriora revocat. In morbis diuturnis nullis remediis cedentibus potiſſimùm ſibi locum vendicat.

ANIMADVERSIONES

In Emplaſtrum Filii Zachariæ ſeu Meſuæ, & Veſicatorium.

Quiſquis hoc *Emplaſtrum* vel ſimpliciter, vel iſtud valentius reddendo, cum *mucilaginibus Fœnugræci*, *Oeſypi*, *Ichthyocollâ*, &c. ad normam præſcriptam conficere voluerit, nunquam ferè *Emplaſtri conſiſtentiam* adipiſcetur, licet ſatis diù multumque, imò vel ad combuſtionem uſque *ſpecies* huic compoſitioni deputatas percoxerit; nihil enim adeſt, quod rebus illis liquidiuſculis conſiſtentiam aut ſoliditatem, ne dum *Emplaſtri* debitam duritiem, largiri poſſit: Aſt quàm multa ad enumeratos affectus valentia *Emplaſtra* jam ante correximus, quæ hoc *Filii Zachariæ* longè ſuperant! Poterimus itaque nugis hiſce commodè carere, utpotè quæ non merentur ut ſpongiam ipſis admoveamus.

Emplaſtrum Veſicatorium ſimpliciter parari poteſt, liquefaciendo invicem *Terebinthinam*, *Ceram* & *Oleum Roſarum*, poſtea reliqua immiſcendo; *Camphora* autem in *oleo* priùs ſoluta ultimò addenda eſt.

MEDICAMENTORUM PHARMACOPOEIÆ AUGUSTANÆ CLASSIS DECIMA NONA,

Continens

CERATORUM PARANDI MODUM,

Nec-non

Iisdem Annexas Animadversiones.

E*Xigua est inter* Emplastrum *&* Cerata *differentia, itaq; quæ superiùs in genere de* Emplastris *præfati sumus, etiam huic* Classi de Ceratis, *non iniquè accommodari possunt.*

Ceratum de Ammoniaco D.D. Petri *Foresti.*

℞. Ammoniaci dissoluti in aceto unciam semis,
Unguenti Dialthææ,
Emplastri de Meliloto ana drach. duas,
Furfurum frumenti optimè cribrati unciam semis,
Pulv. rad. Bryoniæ siccæ,
Iridis Illyric. ana drach. duas,
Pingued. Anatis,
Anseris,
Gallinæ ana drachm. unam semis,
Bdellii,
Galbani ana scrup. duos, grana sex,
Olei Irini drachmas sex,
Mucilaginis sem. Fœnugræci,
Lini ana ℥ j ß,
Ceræ uncias duas,
Terebinthinæ,
Resinæ Pini ana drachmas sex.
Fiat secundum artem Ceratum.

M*Alacticum & plurimi usus ac emolumenti est hoc Ceratum in omnibus affectibus externis, digestionem & concoctionem requirentibus, inflammationes sedat, indurata emollit, ulcera detergit, vulnera consolidat, & callum obducit.*

ANIMADVERSIONES.

C*Eratum hoc* inordinatè nimis & confusè conscriptum est, convenienter autem modo sequenti parari poterit.

℞. *Olei Irini* ʒ vj,
Unguenti Dialthææ ʒ ij,
Pingued. Anatis,
Anseris,
Gallinæ ana ʒ j ß,
Mucilag. sem. Lini,
Fœnugræci ana ℥ j ß.
Coquantur ad humiditatis exhalationem, quibus adde, ut colliquescant,
Ceræ flavæ odoriferæ ℥ ij,
Resinæ Pini ʒ vj,
liquatis & ab igne remotis, postea adjunge
Terebinthinæ ℥ j, in qua
Ammoniaci pulverisati ℥ ß,
&
Galbani puri ʒ j, soluta vel liquefacta sint:
Item
Emplastri de Meliloto ʒ ij,
Furfurum frumenti cribrati ℥ ß,
Pulv. radic. Bryoniæ,
Iridis Illyricæ ana ʒ ij,
Bdellii in aq. Plantag. sol. ʒ j.
Fiat Ceratum.

Ceratum ex Betonica.

℞. Terebinthinæ,
Resinæ pini,
Ceræ flavæ ana uncias duas,
Betonicæ pulverisatæ unciam semis,
Masticbes,
Thuris ana drachmas duas,
Mumiæ drachmam unam semis.
Misce, fiat Malagma.

AD exiccandos varios humores cerebri, cephalæam, cephalalgiam, aliosque capitis præter naturam affectiones generantes conducit, catarrhos ad partes inferiores defluentes manifestè sistit.

ANIMADVERSIONES.

CEratum hoc paratu quidem facillimum est, nihilominùs ut eò melius conficiatur, non nocebit imitari modum sequentem.

℞. *Terebinthinæ claræ* ℥ ij,
In qua leni calore solvantur vel liquefiant.
Mastichis electæ ℥ ij,
Item
Pulv. Thuris &
Mumiæ ana ℥ ij,

quæ ambo licet non totaliter, pro majori tamen parte in Terebinthina dissolvuntur, propterea pulverisata addi debent; Quibus unitis & leniter liquatis addantur

Resinæ Pini &
Ceræ flavæ ana ℥ ij,

seorsim liquatæ & per linum colatæ, ac ultimò demùm

Pulveris Betonicæ ℥ ß,
Fiat Ceratum capitale.

Nota, de *Mumia vera*, qualis olim in defunctorum Regum & Heroum Ægyptiorum sepulchris tantum inveniebatur, quod illa hisce temporibus ad nos non transvehatur: In tanta enim existimatione apud Ægyptios sunt Regum ipsorum, Principum, eorumque agnatorum cadaverum reliquiæ, easque tam reverenter habent, ut non nisi in maxima egestate aut extrema necessitate, tanquam preciosissimum suum Diadema pro magno ære aliis oppignerent. Quæ autem ad nos hodierna die transportantur cadavera nigricantia linteis involuta, sæpenumero fœdissimâ morte defuncta, nil minùs sunt quàm vera *Mumia Ægyptiorum*, quæ ipsa etiam tantum abest, ut utiliter intra corpus humanum assumi, quin mage plurimùm obesse possint, de qua re vide prolixius disserentem *Clariss. Ioannem Danielem Horstium in sua Pharmacopœia Galeno Chymica parte* 1. l. 8. c. 2.

Ceratum Capitale.

℞. Sandaracæ,
Thuris,
Mastiches,
Ligni Aloës,
Santali rubri,
Rosarum rubearum ana drach. unam,

CVm Ladano, cera, & resina ana quantum sufficit, fiat ceratum, ad capitis fluxiones sistendas.

Ceratum Cerinæ Ctesiphontis.

℞. Ceræ citrinæ,
Terebinthinæ,
Olei antiqui,
Salis Nitri ana libram semis,
Aquæ communis uncias octo.

Dissolvatur Nitrum in aqua mortario imposita ad perfectam colaturam: postea ponatur ad ignem, semper agitando cum baculo ad perfectam coctionem. Fiant massæ in bona forma, cæteris quæ liquari debent injectis.

Vel hac ratione paratur.

Quæ liquari possunt liquefacimus, & cum dissoluta fuerint, Nitrum ex aqua levigatum adjicimus, paulatim id moventes, & assiduè, caventesque ne effervescat.

EXsiccat mirificè humores omnium corporis partium, & præsertim scroti. Describitur à Gal. ς' κ΄ γένη 404.

ANIMADVERSIONES

In Ceratum Capitale, & Ceratum Cerinæ Ctesiphontis.

CErati capitalis præparatio fiat tali modo:

℞. *Ceræ flavæ odoriferæ* ℥ j,
Terebinthinæ claræ ℥ vj,
in qua
Ladani opt. ℥ ß, liquata sit.

Quibus liquefactis immisceantur pulveres sequentes, nempè
Sandaracæ,
Thuris,
Mastichis,
Ligni Aloës,
Santali citrini,
Rosarum rubrarum ana ℥ j,

Fiat Ceratum aliquandiu in calore leni agitandum, ut eò meliùs uniantur.

Ceratum Cerine solâ coctione lentâ ad consistentiam perduci debet, igitur *sal Nitrum* prius solvatur, & postea cum *Cera Terebinthina* & *oleo* leniter in vase amplo percoquatur.

Ceratum Diachalciteos Gal. seu Diapalmæ.

℞. Axungiæ porci veteris à membranis per liquationem & colationem purgatæ libras duas,
Olei veteris,
Lithargyri triti & creti ana lib. tres,
Chalcitidis ustæ uncias quatuor.

Coquantur igne, & moveantur rudiculâ ex ramo Palmæ recentissimò confectâ, ac cum probè excoctum erit, adde
Teneriorum Palmæ ramorum minutim incisorum, & in nodulo ligatorum manipulos quatuor.

Coquantur ad Cerati crassitiem.

Verè polychreston est hoc Emplastrum, valet ad ulcera dysepulotica, articulorum morbis, bubonibus, ambustis, pernionibus, ossium fracturis, contusionibus, omnibus denique affectibus, quos rheumaticos vocant, prodest; sanat omnes contusiones & plagas, œdemata resiccat. Galen. Fontanellis ligandis unicè destinatum est remedium, quas minimè sordescere aut excrescere permittit.

IN defectu ramorum Palmæ sumatur rudicula ex recenti ligno quercûs.

ANIMADVERSIONES.

RArus in locis Europæis *Palmæ* proventus est, & non nisi in hortis quorundam Magnatum culta visitur, proindè non ubivis locorum hoc *Ceratum* dextrè, & quidem cum *Palmæ ramusculis* confici poterit, prout etiam sæpissimè vidi, solam rudiculam ex *Palmæ ramo* confectam pro agitatione in ejusdem præparatione sive coctione adhibitam fuisse, atque taliter confectum hoc *Ceratum* in Germaniam aliasque Regiones, utpotè in quibus illud adeò benè & artificiosè scilicet, parari non posse arbitrati sunt, ab exteris fuisse translatum. Ut autem in locis illis, ubi *Palmæ rami* tenuiores haberi queunt, dextrè parari possit, commendo modum sequentem.

℞. *Teneriorum Palmæ ramorum recentium minutim incisorum M iiij, (vel in defectu recentium aridi rami sumi possunt & in vino humectari, parumque coqui.)*
Axungiæ porci veteris purg. ℔ ij,
Olei veteris (sive non admodum recentis) ℔ iij,

Coquantur ad humiditatis exhalationem, tùm fiat colatura cum expressione forti, *colato* adde
Lithargyrii subtiliss. triti ℔ iij ß,
Chalcitidis ustæ, vel quod meliùs est, Vitrioli albi, (quia Chalcitis nihil aliud est quam Vitriolum,) in aquâ simplici vel decocto ramorum Palmæ soluti ℥ iiij, *vel v,*

Coquantur igne lento ad consistentiam *Emplastri* vel *Cerati*, rudiculâ ex *Palmæ ramo recenti* semper inter coquendum agitando, fiatque *Emplastrum* vergens ad albedinem.

Nota, quod in Germania & aliis locis, ubi *Palmæ* haberi nequeunt, satis commodè rudicula pro agitando *Emplastro*, ex *viridi ramo quercino* confici, & loco *teneriorum Palmæ ramorum folia tenera quercina recentissima* substitui possunt. Videatur etiam vera ejus præparatio in *Dispensatorio subsequenti novo.*

Diadictamnum, seu Sacrum Galeni.

℞. Olei veteris libras duas semis,
Lithargyri libram unam, unciam sem.
Æruginis unciam unam,
Squamæ æris drachmas sex,
Colophoniæ uncias sex, drachm. duas,
Pollinis

Pollinis Thuris unciam unam semis,
Ammoniaci uncias duas,
Æris usti unciam unam,
Diphrygis,
Gentianæ ana drachmas sex,
Propoleos,
Aloës ana unciam unam,
Galbani unciam unam semis,
Aristolochiæ rotundæ,
Dictamni Cretensis ana unciam unam, drachmas duas,
Ceræ drachmas viginti quinque.
Confice in hunc modum:

Lithargyrum cum oleo mixtum coques tantisper, dum probè coïerint, continenter agitando, & additis ærugine & squamâ æris, ferveant aliquantulùm. Exime igni, & dum adhuc bulliunt, immitte resinam & Ammoniacum in aceto dissoluta, ac eò usque commove, donec deferbuerint, tum ceram & æs ustum immitte. Rursus coquantur igne, & cum non inficient manus exime, & adde reliqua tenuissimè trita, probè moveto, ac confice Magdaleones.

Prodest ad vulnera recentia, nervorum, præcisiones, vetera ulcera, quæ cicatricem non facilè admittunt, abscessus, strumas, furunculos, durities, tela, aculeos & ossa ex capite educit: nec non ad cujuslibet virulentæ bestiæ ictus efficax existit.

ANIMADVERSIONES.

Modus annexus *hujus Cerati* conficiendi erroneus est, proindè saniorem alium subnecto. Videlicet,

℞. *Olei veteris* ℔ ij ß,
Lithargyrii ℔ j ß,

Coquantur ad consistentiam *Emplastri vel Cerati mollioris*, paucis duntaxat ebullitionibus, in quo liquefiant
Colophoniæ ℥ vj,
Ceræ citrinæ odoratæ ℥ iiij,

Remota ab igne interim asserventur; Tùm in alia patella cum *aceti s. q.* solvantur
Gummi Ammoniaci ℥ ij,
Galbani ℥ j ß,

ad formam pultis, non multum nec diu coquendam, quibus adhuc calentibus sensim admisceatur *Emplastrum superius decoctum*, & alternatim etiam *pulveres subsequentes*, prout sæpiùs in præcedentium *Emplastrorum animadversionibus* edocui. Ut autem cuncta eò meliùs uniantur, in diplomate invicem benè liquata aliquandiu agitentur. *Pulveres* hi sunt

℞. *Æruginis* ℥ j,
Squamæ æris aut æris usti, vel Croci Veneris ℥ ij,
Thuris ℥ j ß,
Aloës ℥ j,
Gentianæ ʒ vj,
Aristoloch. rotundæ
Dictamni Cretici ana ℥ j, ʒ ij,
M. fiat pulvis.

Nota: quod squama æris nihil diversum sit ab ære usto, quia dum tunditur æs prius candefactum, squamulæ abscedunt, ceu æs combustum. Pariter etiam Diphryges nihil aliud est, quàm æs ustum; nimirùm, quod ab ære abscedit calcinatum aut ustum, cùm in aquam frigidam æs liquatum effunditur, in ea relinquitur: Quid igitur opus est, entia citra necessitatem multiplicare? Quod autem Galenus ea confuderit, mirum non est, cùm ipsius tempore similia metallica non ità distinctè, uti hodiernâ die, innotuerint.

Ceratum de Gratia Dei Nicolai.

℞. Terebinthinæ libram semis,
Resinæ libram unam,
Ceræ albæ uncias quatuor,
Mastiches unciam unam,
Verbenæ,
Betonicæ,
Pimpinellæ ana manipulum unum.

Herbæ pistentur, & in vino albo odorato bulliant usque ad consumptionem tertiæ partis, colentur, deinde herbæ abjiciantur, ac Cera, Resina, & Mastiche cum colatura ponantur, ac bulliant iterum agitando donec incorporentur: tunc deponantur ab igne, & addatur Terebinthina, ac totum agitetur benè cum spatula, & fiat Ceratum.

Sordida repurgat, inflammata lenit, durata emollit, vulnera consolidat, nervorum incisiones glutinat, & furunculos mitigat, præsertim si ex vino rubro conficiatur.

ANIM-

ANIMADVERSIONES.

Esto hujus Cerati præparatio talis:

℞. *Ceræ flavæ,*
Resinæ ana ℥ *x,*
Liquefiant & colentur, quibus adde
Terebinthinæ ℥ *iiij,*
in qua
Mastichis ℥ *j*, soluta & liquata sit:
Item
Extracti Verbenæ,
Betonicæ,
Pimpin. cum rad. ana ℥ ß.
Fiat Ceratum.

Isis ex Galeno.

℞. Ceræ albæ drachmas quinquaginta,
Squamæ æris,
Æruginis,
Aristolochiæ,
Thuris,
Salis Armoniaci,
Ammoniacæ guttæ,
Æris usti ana drachmas quatuor,
Aluminis usti drachmas tres,
Myrrhæ,
Aloës,
Galbani ana drachmas sex,
Olei veteris uncias quinque.

Coquantur, deinde subigantur manibus aceto forti lotis, & fiant Magdaleones, quos in aceto repones diebus decem.

Usurpatur ad fœda ulcera & fistulosos sinus, carnem putridam adsumit, ac fœdam ulcerum antiquorum, & quæ mali moris, saniem exsiccat & abstergit.

Alii addunt radicis Dracontii drachmas quatuor.

ANIMADVERSIONES.

Paretur hoc Ceratum juxta modum sequentem:

℞. *Olei veteris* ℥ *v,*
Æris usti ℥ *j,*
Æruginis,
Salis Armoniaci ana ℥ ß,
Aluminis usti ℥ *iij,*
Aceti vini fortis ℥ *vj,*

Coquantur lento igne, rudiculá semper agitando, addendo etiam in fine, antequam humiditas totaliter evaporârit,

Ceræ citrinæ ℥ *vij,*

Continuatâ coctione ad omnimodam humiditatis absumptionem, & *Cerati mollioris consistentiam* perducatur, quod calidè asservabis. Interim in alia patella dissolve in *s. q. aceti,*

Ammoniaci pulverisati ℥ iß,
Galbani puri ℥ *vj,*

ad formam pultis, admiscendo alternatim & per vices *superius coctum Ceratum*, & subsequentes *pulveres*, juxta modum superiùs, inculcatum, utpotè

Aristolochiæ,
Thuris ana ℥ ß,
Myrrhæ,
Aloës ana ℥ *vj.*

M. fiat pulvis, & ex omnibus s. a. commixtis Ceratum.

Ceratum Matricale, vel de Galbano.

℞. Galbani præparati unciam unam sem.
Asæ fœtidæ unciam semis,
Myrrhæ rubeæ drachmas duas,
Bdellii mollis drachmam unam,
Gummi Animæ drachmas tres,
Tacamahacæ drachmas quinque,
Matricariæ pulverisatæ,
Artemisiæ ana drachmam semis,
Seminis Dauci scrupulum unum.

Gummi dissolvantur in aceto, & fiat Ceratum.

Uterum frigidum calefacit, ejus flatulentiam dissipat, eum elocatum reponit, ac in propriâ sede coërcet, doloresque ejus frigidos placat.

ANIMADVERSIONES.

Necessum est, ut huic *compositioni* aliquid addatur, quo cum *species* in consistentiam *Cerati* coire queant: Nam non cuncta hanc *compositionem* ingredientia *Gummata* in *aceto* se dissolvi patiuntur, utpotè *Gummi Animæ, Tacamahacæ, Bdellii, Asæ fœtidæ*, quæ nullo modo in eo solvuntur, sed potiùs in *Terebinthina* & *oleis*: *Galbanum verò* & *Myrrha* aliquantum equidem in *aceto* liquêfiunt, sed uti sæpiùs dixi, non vera & genuina hæc est solutio.

Pro-

Proindè qui vult, poterit tali modo præparationem *hujus Cerati* instituere, nimirùm

℞. *Galbani in aceto q. s. ad pultis formam soluti* ℥ j ß,
cui adde
Terebinthinæ claræ ℥ ij,
in qua
Pulv. Gum. Tacamahacæ ʒ v,
Animæ ʒ iij, &
Asæfœtidæ ℥ ß.

dissoluta & liquefacta sint, ac alternatim etiam de pulveribus sequentibus (utpotè
Pulv. Myrrhæ ℥ ß,
Matricariæ,
Artemisiæ ana ʒ ij,
Sem. Dauci ʒ j ß,
ut &
Bdellii in aqua Mat. soluti ʒ j,)
portiuncula adjiciatur, fiatque Ceratum.

Ceratum Oesypi Mesuæ.

℞. Ceræ flavæ uncias tres,
Olei Chamæmelini,
Irini ana uncias sex,
Mastiches unciam unam,
Spicæ Nardi drachmas duas semis,
Croci drachmam unam semis,
Terebinthinæ unciam unam,
Resinæ unciam semis,
Oesypi uncias decem.

E *Mollit, lenit, concoquit, & maturat, duros tumores ac tophos membrorum digerit, crudosque abscessus maturat. Philagrii ad prædicta omnia efficacius.*

Ceratum Oesypi Philagrii.

℞. Croci drachmas quinque,
Bdellii,
Mastiches,
Ammoniaci,
Aloës,
Styracis liquidæ ana drachm. septem,
Ceræ flavæ libram unam,
Terebinthinæ unciam unam semis,
Medullæ cruris Vaccæ,
Adipis Anseris ana drach. quindecim,
Oesypi humidæ libram unam semis,
Olei Nardini, quantum satis.

Bdellium, Ammoniacum & Aloë dissolvantur in aqua, in quâ Fœnugræcum & Chamomilla sint macerata, postea aliis commisceantur. Post Philagrium addiderunt nonnulli
Succi Scillæ uncias tres,
Sevi Vitulini drachmas quindecim,
Thuris unciam unam,
Ceræ uncias novem.

ANIMADVERSIONES

In Ceratum Oesypi Mesuæ & Philagrii.

Quod *Cerata hæc de Oesypo nuncupata* attinet, vix illa merentur, ut ipsorum correctioni vel tantillum operæ demus, utpotè quorum primum nullo modo ad consistentiam justam *Cerati* cogi potest, nisi diu ac fortiter coquatur & quasi comburatur: In qua coctura vehementi tùm spirituosæ & oleaginosæ ingredientium partes, quibus tamen maxíma vis penetrandi, concoquendi, digerendi, &c. inest, penitus exhalat.

Alterum verò Oesypi Ceratum qui parare voluerit, observet sedulò modos plurimos in *antecedentibus nostris animadversionibus* edoctos, & vel solâ ac simplici mixturâ illud efficiat, liquefaciendo *Ammoniacum in Terebinthina*, *Mastichen* verò in *oleo Nardino*; cujus tamen *olei* non nimium addendum erit, ne admodum molle efficiatur *Ceratum*.

Nota: quæ de *Oesypo* dicenda essent, ex propria ejus præparatione & annexis *animadversionibus* petantur.

Ceratum Diapipereos Galeni.

℞. Lithargyri argenti,
Cerussæ ana libram unam,
Olei communis libras duas,
Ceræ uncias sex,
Terebinthinæ uncias tres,
Thuris unciam unam semis,
Aluminis drachmas sex,
Piperis drachmas tres.
Fit in hunc modum:

Lithargyrum levissimè tritum coquatur ad Solem in oleo, quæ tantisper movenda, donec crassitiem habeat, nec manus inquinet. Deinde adduntur cera & Terebinthina: his liqua-

tis injice pulverem tenuiſſimum Thuris, Aluminis, & Piperis, poſtremò Ceruſſam tenuiſſimè pulveriſatam, ſemper movendo: Conſice Ceratum ad juſtam craſſitiem.

Senum ulcera curat, & eorum, qui mollem habent cuticulam, juvat. Omne ulcus curat, & non facilè cicatricem admittit.

ANIMADVERSIONES

Ex enumeratis ingredientibus *Ceratum* hoc vel *album* vel *nigrum* vel etiam *gryſei coloris*, prout libuerit, confici poterit, pro diverſitate coctur æ & regimine ignis. Obſerventur itaque in ipſius præparatione antecedentes noſtræ ſimilium *Emplaſtrorum animadverſiones*, & juxta illas artificiosè conficiatur.

Ceratum ex Pelle Arietina Arnoldi de Villa Nova.

℞. Lithargyri,
Lapid. Hæmatitis,
Sanguinis Draconis,
Boli Armenæ,
Opii,
Maſtiches,
Ammoniaci,
Mumiæ,
Galbani,
Thuris,
Coſti,
Lumbricorum ana drachmam ſemis,
Picis nigræ,
Colophoniæ,
Ceræ albæ ana uncias duas,
Rad. Conſol. majoris,
minoris ana drach. tres,
Roſarum rubearum,
Myrrhæ,
Aloës ana grana decem & octo,
Succi Hypociſtidis,
Gallarum immaturarum,
Balauſtiorum,
Ariſtolochiæ rotundæ ana drach. ſex,
Viſci quercini drachmas duas,
Terebinthinæ uncias duas,
Sanguinis hominis ruſi uncias novem.
Conſice ſic:

Pellem Arietinam integram cum omnibus pilis coques in aqua, donec ferè omninò diſſoluta ſit, in lentorem quendam, quem colabis. Hujus colaturæ ſume libram unam, immitte in vas novum, in quo viſcum liquabis lento igne, rudiculâ ſemper agitando; injice deinde lumbricos, poſtea ceram, Terebinthinam & Maſtichen: his liquatis adde Gummi aceto diſſoluta, & coque ad Cerati craſſitiem. Poſtremò injice, quæ terenda ſunt probè trita, probeque miſce, & confice Magdaleones.

Ad membrorum luxationes adhibetur, præcipuè verò herniosis prodeſt.

ANIMADVERSIONES.

Magna ſæpenumerò apud Pharmacopœos, major verò apud Chirurgiæ candidatos, quibus *hæc compoſitio* nonnunquam pro magiſterio vel examine aſſignatur, de ingenti hujus *Cerati* parandi difficultate querela eſt; quod ipſum tamen, ſi modò *ſpecies* ordinatim & non ita confusè ponantur, ſtupidus ac abſurdus ille præſcriptus conficiendi modus deleatur: paratu facillimum eſt, uti ex, ſubnexa noſtra legitima præparatione, quâ vires omnes ingredientium integræ conſervantur, quorundam etiam adaugentur, diſpaleſcet. Nimirùm,

℞. *Rad. Ariſtolochiæ rotundæ,*
Florum Balauſtii,
Gallarum immaturarum ana ʒ vj,
Radic. Conſ. majoris ℥ j,
minoris ℥ ß,
Roſarum rubr. exſiccat. ʒ ij,
Succhari Saturni, ſive ſalis Litharg.
Sanguinis Draconis,
Boli Armenæ,
Lapidis Hæmatit.
Lumbricorum exſiccat.
Opii Theb. ana ʒ j, *Succi Hypoc.* ʒ vj, *Aloës Epaticæ* ʒ j, } ſoluta hæc tria in decocto Tormentillæ & Perfoliatæ.
Sanguinis hominis recenter è vena extracti & non ſicci ℥ ix,
Mucil. expelle Arietina per coctionem diuturnam cum aq. extractæ ℔ j.

Coquantur, prius trita quæ terenda ſunt in *pulverem ſubtilem*, lento igne ſpatulâ continuò agitando (ne ſpecies fundo patellæ adhæreant,

com-

comburantur & empyreuma contrahant,) ad *Cataplasmatis solidioris vel durioris consistentiam:* Cui ab igne remoto adde invicem liquata & per linum colata:

Picis nigræ,
Colophoniæ,
Ceræ flavæ odorif. ana ℥ ij,
Item
Pulv. Mastichis,
Gummi Ammoniaci,
Thuris,
Asphalti,
Myrrhæ,
Galbani electi ana ʒ j,

cuncta hæc in
Terebinthina claræ ℥ ij,
liquatorum & dissolutorum,
nec non
Visci querc. in particula ol. Hypericonis soluti & per pannum lint. colati ʒ ij.

Fiatque justæ consistentiæ Ceratum.

Nota: si quis velit huic *Cerato sanguinem priùs siccatum* admiscere, per me quidem licebit, si verò mei arbitrii hæc res foret, *sanguinem recentem è vena prosilientem* siccato substituerem, prout etiam in compositione præsenti facere præcepi.

Ceratum pro Herniosis D. D. Noribergensium.

℞. Pulv. Mastiches,
Mumiæ,
Thuris,
Electri sive Succini,
Gummi Arabici,
Tragacanthi,
Aloës optimæ,
Balaustiorum,
Rosarum ana unciam semis,
Sanguinis Draconis,
Boli Armenæ,
Lapidis Hæmatitis ana drachmas sex,
Olei Rosarum uncias tres,
Myrtini,
Mastichini ana uncias unam.
Cum cera & resina quantum sufficit,
Fiat Ceratum.

ANIMADVERSIONES.

QUi *Aloën* pro *Cerati* hujus dextra præparatione in *decocto aliquo adstringente & vulnerario* dissolvere, & *Tragacanthum* ac *Gummi Arabicum* cum eodem *decocto* in mucilaginem crassam convertere voluerit, illi liberum esto. Cæterùm *ceræ* ℥ vj, circiter, & *picis* ℥ j, *vel altera* sufficient pro debita hujus *Cerati* consistentia acquirenda; Quoad reliqua ipsum paratu facillimum est.

Ceratum Santalinum Mesuæ.

℞. Rosarum rubearum unc. unam semis
Santali rubri drachmas decem,
albi,
Citrini ana drachmas sex,
Boli Armenæ drachmas septem,
Spodii drachmas quatuor,
Camphoræ drachmas duas,
Ceræ albæ uncias sex,
Olei Rosati libram unam.
Confice secundum artem.

P*Hlegmonas & calidas intemperies ventriculi & hepatis, atque aliarum partium emendat.*

ANIMADVERSIONES.

NEcessum est in hujus *Cerati* confectione, ut pondera *ceræ* & *olei Rosati* invertantur, si debita *Cerati* consistentia exoptetur: Accipiatur autem *Ceræ flavæ* ℔ j. *olei verò Rosarum* duntaxat *libra dimidia.* Pro *Spodio, Ebur ipsum tritum* substitui posset; *Camphoram autem* in *oleo* dissolvere, & ultimò demùm, ubi quasi refrixerint, admiscere præstabit; In reliquis nulla est difficultas.

Ceratum Sparadrappum Vigonis.

℞. Hordei,
Myrtillorum,
Olei Rosati ana uncias duas,
Unguenti Populei uncias duas semis,
Pinguedinis Vituli,
Vaccæ ana libram semis,
Axungiæ porci uncias quinque,
Foliorum Plantaginis,
Solatri,
Matrisylvæ ana man. duos,

 Vini

Vini Granatorum uncias octo.

Omnia simul pistentur & conquassentur, ac per diem naturalem permaneant: deinde bulliant ad consumptionem vini. Postremùm colentur, colaturæ adde sequentia

Lithargyri auri,
Argenti ana uncias tres,
Minii drachmas decem,
Boli Armenæ,
Terræ sigillatæ ana drachmas sex.

Bulliant iterum, ac baculo agitentur, & cum cera alba, quantum sufficit, fiat Sparadrappum, addendo in fine cocturæ

Camphoræ drachmas duas,
Terebinthinæ uncias tres semis.
Misce.

Fluxiones quâcunque corporis parte irruentes intercipit, & ad locum affectum devolvi vetat.

ANIMADVERSIONES.

Hoc Ceratum commodissimè paratur modo sequenti.

℞. *Hordei,*
Myrtillorum ana ℥ ij,
Foliorum Plantaginis,
Solatri,
Matrisylvæ ana M ij,

Incisa & contusa infundantur in

Axungiæ porcinæ ℥ v,
Pingued. vel sevi Vitulini,
Vaccini ana ℔ ß,
Vini Granat. vel aceti fortis ℔ j,

Stent in digestione loco calido per diem unum vel alterum, postea parùm coquantur, non tamen ad omnimodam humiditatis absumptionem, fiatque colatura cum expressione forti. Colato & expresso addantur.

Lithargyrii auri,
Argenti ana ℥ vij,

Coquantur lento igne continuò agitando ad consistentiam *Emplastri durioris*, coloris ex cineritio albicantis, cui immisceantur,

Ceræ citrinæ ℥ iij,
Olei Rosarum ℥ j ß,
Vng. Populei ℥ ij,
Minii cribrati ʒ x, vel ℥ j ß,
Boli Armenæ &
Terræ sigillatæ ana ℥ j,

Agitentur benè & satis diu in calore, ultimò tandem ubi parùm refrixerint, *Camphoræ* ʒ ij, in *olei Rosarum* ℥ ß, solutæ addantur, & fiat *Ceratum.*

Ceratum Stomachale Galeni.

℞. Rosarum rubearum,
Mastiches ana drachmas viginti,
Fol. Absinthii drachmas quindecim,
Spicæ Nardi drachmas decem,
Ceræ mundæ uncias quatuor,
Olei Rosacei libram unam semis.

Ceram & oleum aliquoties ex aquâ Rosarum lavabis, & excolatâ omni aquâ, rursus ad lentum ignem dissolves. Deinde alia omnia in subtilissimum pulverem trita inspergantur.

Ventriculum infirmum unà cum hepate roborat, ac horum dolorem à frigida causa lenit, vomitiones compescit, & concoctioni opitulatur.

ANIMADVERSIONES.

Lotionem illam ineptam *Ceræ & Olei Rosacei*, utpotè quâ saltem efficacia & fragrantia ipsorum eluitur, jam ante in superioribus *Vnguentis Rosarum*, *Pomatæ & Reginæ* reprobavimus, quam etiamnum hîc omittere omninò utile esse censemus. Cæterùm solâ ac simplici ingredientium commixtione *hoc Ceratum* parari consuevit; notandum tamen, quod *olei* quantitas vel diminuenda, vel *ceræ* adaugenda sit, si *cerati debitam consistentiam* exoptas: Ast longè meliora *Emplastra stomachalia* in præcedenti *classe* à nobis annotata & commendata sunt, ad quæ benevolus Lector urgente necessitate recurrere poterit.

ME-

MEDICAMENTORUM PHARMACOPOEIÆ AUGUSTANÆ CLASSIS VIGESIMA,

Continens

Præparationes quorundam ſimplicium, quorum in hoc Opere mentio facta eſt,

Nec-non

Iiſdem Annexas Animadverſiones.

Continet hæc Claſſis *quorundam* ſimplicium, *partim ex regno* vegetabili, *partim ex* animali & minerali *depromptorum*, *præparationes*, *quas potius* deſtructiones *ipſorum pro maxima parte dixeris*, *quæ quantoperè ſedulâ reviſione & ſeriâ correctione indigeant*, *ex ſpeciali ac ſingulari* uniuſcujuſque præparatione *patebit*.

Adipum Præparatio.

Adeps quivis exciſus à membranis, exemptis venulis ac fibris toties lavetur, donec purus evaſerit. Mercurialis calidâ aquâ lavari vult, verùm pinguedines frigidâ lotæ ſolidiores fiunt, & magis candidæ, ut experientia monſtrat in parando unguento Roſato Meſuæ. Dioſcorides adipem colliquatum colat, ac reponit.

ANIMADVERSIONES.

HÆc ipſa *adipum præparatio* vel inepta *lotio* nullius prorsùs utilitatis eſt, tùm quòd *pinguedinibus* per crebras illas *ablutiones* multum de viribus detrahatur, tùm etiam quod ipſis à *lotione* illa *humiditas aliqua* impacta maneat, quæ poſtea in cauſa eſt, ut eò citius ranceſcant, ſitum contrahant, ac tractu temporis etiam ingentem concipiant putorem, & conſequenter ad plurima, præſertim *unguenta odorifera*, e. g. *Roſarum & Pomat. &c.* inhabiles reddantur. Inſuper etiam ſuperflua eſt *adipum*, *pinguedinum*, *& ſevorum lotura*, quippè enumerata impura non ſunt, ſi purè & nitidè ex *animalibus* excipiantur, neque etiam pravâ aut noxiâ aliquâ qualitate infecta, ſed ſuis ſolummodò nativis virtutibus imbuta ſunt, quas adeò incogitanter eluere, nefas eſſet. Præſtabit itaque cum *Dioſcoride* ſimpliciter *adipem liquatum* colare, colatumque ſtatim recondere, & quantum poſſibile etiam ab aëre humido præſervare.

Æris Uſtio.

Æris bracteæ in fictile immittantur, interpoſito inter ſingulas lamellas ſalis communis, aut Sulphuris pulvere, atque ſic ſtratum ſuper ſtratum paretur, quod igne uratur ad ſufficientiam: cinis relictus aquâ calidâ ſæpiùs affuſâ dulcoretur, qui rubicans evadit à ſale vel nitro; niger autem, ſi per Sulphur præparetur.

ANIMADVERSIONES.

INſigniter diſcrepant *uſtiones Æris*, peractæ cum *ſale* vel *nitro*, ab his quæ cum *Sulphure* fiunt; Etenim *laminæ Æris*, ſi prius pur-

gatæ per *urinam* (in qua candefactæ extingui debent) postmodùm cum æquali vel duplo pondere *Sulphuris triti* stratificatæ urantur, ad omnimodam deflagrationem *Sulphuris*, verè calcinantur & fragiles evadunt, ut in pulverem totaliter tundi possint, qui *pulvis Æris* si ulteriùs sæpiusque cum *Sulphure trito* (unciam unam vel alteram *Sulphuris* sumendo *pro libra una pulveris Æris*,) commixtus rudiculâ ferreâ continuò agitando ad conflagrationem *Sulphuris* calcinetur, tandem in *Crocum* rubicundum forti calcinatione redigi, vel affusione *aquæ* & iteratâ extractione in *Vitriolum Veneris cæruleum* elaborari potest. Quod ipsum *Vitriolum* solâ calcinatione vehementiori & expulsione *spiritus* (Sulphuris potiùs quàm proprii,) iterùm in *Crocum Veneris rubicundi vel spadicei coloris*, commutatur. Qui *Crocus*, sive ex *Vitriolo*, sive per simplicem calcinationem factus sit, stupidissimè à quibusdam Chymicis *aquâ* edulcorari præcipitur: nam sive is *vi adstringente*, sive etiam *aperiente* polleat, illa tota per edulcorationem tollitur, quippe utraque vis, in *sale metallico Vitriolato*, in aqua resolubili consistit, adeoque etiam eâ affusâ, & hoc soluto *Croco* omnis, quæ ipsi inest, efficacia detrahitur, & *mortua terra*, nisi de novo elaboretur, ex eo efficitur. *Ustio* autem *æris*, quæ addito *sale* vel *nitro* fit, saltem aliqualis, non verò totalis ejus calcinatio est, propterea quod duntaxat superficies laminarum nonnihil calcinentur, quæ si *aquâ* abluantur, & à *sale* liberentur, *Æs ustum* fundum petit instar *Croci*, in exigua autem quantitate: Et tali modo *calcinatum Æs*, veterum Chymicorum fuit *Crocus Veneris*, qui tamen mehercle, etiamsi magno labore partus, inefficax est, nec ullis manifestis siccandi vel adstringendi qualitatibus donatus, sed tanquam *calx metalli*, non nisi in *fortibus aquis* resolubilis, præsertim externè adhibitus, parùm præstare potest: Itaque ultimæ huic præparationi *Æris* superiorem, quæ fit cum *Sulphure* longè præferendam, edulcorationem verò intermittendam esse censeo.

Agarici Præparatio.

Nihil aliud est apud nos, quàm Agaricus Trochiscatus, cujus descriptio habetur superiùs fol. 201.

ANIMADVERSIONES.

A*Garicus* beneficio *infusi Zingiberis* cum *vino* facti, in *Trochiscos* redactus, licet tantoperè correctus non sit, aut in virtutibus suis exaltatus, nihilominus à plurimis partibus heterogeneis, lignosis, saxosis, aliisque impuritatibus, dum radulâ comminuitur, liberatur: Accedit etiam hoc utilitatis, quod efformatus in *Trochiscos*, leviori negotio postea subtiliter teri & commodiùs ægrotantibus propinari possit; Nam crudus veluti plumosus ac summè levis est, nauseam facilè assumenti procreans: Itaque sufficiat hac vice præfata præparatio: Prostant etiam alia ex ipso parata medicamenta, scilicet *extractum*, *resina* & similia, ut, qui *trochiscato Agarico* non est contentus, ad illa confugere possit. Cuicunque etiam placuerit, nonnulla convenientiora alia in ipsius trochiscatione addere, ipsi liberum erit.

Aloës Lota, vel Lotio.

℞. Aloës Succotr. quantum volueris, superfunde aquæ pluvialis destillatæ, quantum satis, stent per diem & noctem in balneo tepido, sæpiùs movendo, donec Aloës soluta separetur à fæcibus, colatura clara inspissetur Sole vel loco calido ad justam crassitiem servetur usui.

Solemus etiam parare cum succo Rosarum, ut videre est in descriptione pilularum de Aloë lota superiùs fol. 114.

ANIMADVERSIONES.

A*Loë Succotrina* si pura est, nec heterogeneis rebus permixta, similiter *Aloë Epatica*, hâc impropriâ & inutili lotione opus non

non habet; Si verò sordibus, puta stramine, lapillis, segmentis lignorum & similibus permixta sit, eam dissolvere & colare necessum est, quod autem commodiùs *Spiritu vini*, utpotè qui simul etiam partes resinosas ejusdem solvit, quàm *aquâ*, quæ has intactas relinquit, perficitur. *Insuccatam autem Aloën quamcunque*, sive illa *infusione Violarum* sive *Rosarum* aut aliâ fiat, in suo precio relinquo & magnifacio.

Aluminis Ustio.

℞. Aluminis quantum volueris, ponatur in fictile novum, & tamdiu uratur, donec totum Alumen efferbuerit, nec ulteriùs spumam emittat, refrigeratum servetur ad usum.

Anacardiorum Præparatio.

Anacardia teruntur, maceranturque in aceto acerrimo diebus septem, deinde coquuntur lento igne, colanturque; remanentia siccatur, atque ea est substantia Anacardiorum præparata.

ANIMADVERSIONES.

In Ustionem Aluminis, & Anacardiorum Præparationem.

MIssâ *ustione Aluminis* (quæ quidem in Alembico terreo vitreato fieri posset, ut *Spiritus ejus*, qui præscripto modo perit, asservaretur,) ceu rei levioris precii, *præparationem Anacardiorum*, correctione summoperè indigentem aggredior, quæ si secundum literam intelligi debet, ineptissima est, & ab Authore ipso, qui hanc posteritati commendavit, penitùs non intellectâ: Ac quamvis concesserim, *Anacardia sicca*, si tantâ exurenti qualitate, qualiter quidem vulgò, ast falsò putatur, prædita essent, *aceto* præparari posse, tamen id alio magis rationabili modo fieri oporteret, scilicet ipsa in mediocri *aceti* quantitate macerando, & ubi probè illud imbiberint, unà cum *aceto* per evaporationem lentè exsiccando: Vel etiam cum *aceto extractum* ex ipsis parando, idque in usum trahendo: Ast *trita Anacardia* cum *aceto* coquere, *acetum*, cui omnis vis & efficacia *Anacardiorum* inest, per colaturam ab ipsis separare, ac remanentiam viribus exutam pro substantia *Anacardiorum* præparata venditare, id sanè summæ stupiditatis & dementiæ præbet indicium: Proindè qui *Anacardia* inposterum dextrè præparare satagit, ille dictum nostrum amplectatur modum, & linquat hasce nugas, rerumque destructiones.

Ari Radicum Præparatio.

Radices Ari optimè mundatæ tessellatimque incisæ, macerentur in vino albo, spacio viginti quatuor horarum; postea effundatur vinum per inclinationem, & ita repetatur, secundâ & tertiâ vice semper affundendo novum vinum: Tunc exsiccentur radices, serventurque ad usum.

ANIMADVERSIONES.

QUamvis *radices Ari* (recentes) vim & saporem exurentem habeant, non tamen existimo tàm frequenti affusione *vini*, & toties reiteratâ effusione sive separatione ejusdem opus esse, utpotè quo ipso nil efficitur ampliùs, quàm quod tota vis & efficacia è *radicibus* extracta eluatur: Proindè præstabit ad modum superiùs in *præparatione Anacardiorum* indigitatum, *vinum* ipsis affusum non effundere, sed unà cum *radicibus* per evaporationem exsiccare. Mihi tamen si daretur optio, missâ hac assignatâ præparatione, ipsas *radices Ari simpliciter exsiccatas* traherem in usum, cùm acrimonia illarum in ipsa exsiccatione iis adimatur.

Asellorum Præparatio.

℞. Asellorum quantum volueris, infundantur in vino albo per noctem, exsiccentur, & pulverisentur macerenturque postea in vino Malvati-

co

co per diem & noctem, reficcentur super prunas. Iterum pulverisentur, & in vino Malvatico infundantur, & sic tertiâ vice, ultimò reficcentur super prunas, pulverisentur tenuissimè, & serventur.

Avellanarum Præparatio.

Avellanæ ablato cortice extimo duro, in vase aliquo stanneo furfuribus additis spatulâ supra ignem tamdiu agitantur, donec calore omnis ipsarum humiditas interna sit absumpta, deinde pellicula, quâ teguntur, ipsis detrahitur. Cavendum autem ne deurantur. Adhibentur ad Diasenæ Nicolai.

ANIMADVERSIONES
In Præparationem Asellorum, & Avellanarum.

IN præparatione *Asellorum* hoc unicum notare velim, ne *vinum* vel simile, quod ipsis pro maceratione aut correctione affunditur, effundatur, & abjiciatur, sed lento calore unà cum illis usque ad omnimodam siccitatem inspissetur; Neque enim venenositas ulla ab *Asellis* pertimescenda est, quin potiùs cavendum, ne in dosi ac utendi modo error committatur.

Avellanarum præparationem ceu nugacem & ridiculam, lubens prætereo, quippe quæ talis est, quâ cuncta *Dispensatoria*, & ipsa quoque *Diasena Nicolai*, utpotè quæ à pauculis illis granis *Avellanarum*, quarum aliàs à multis non exigua quantitas absque tam exacta decorticatione comeditur, nullas eximias mutuabitur virtutes, commodè carere possit.

Boli Armenæ Præparatio.

Separentur sordes omnes & arenulæ aquâ Rosaceâ, ut ter vel ampliùs perfusa siccataque, tandem pura evadat. Alii pro Rosacea acetum adhibent: quidam pestilenti tempore vino primùm abluunt, postea Rosaceâ, vel simili aliquâ accommodatâ aquâ. Sunt etiam qui compositam adhibeant, de quibus videndi libelli de peste conscripti.

ANIMADVERSIONES.

OMnem *terram* (pinguem præsertim,) *astris* imprægnatam, *saleque centrali* imbutam esse, neminem esse credo, qui eat inficias, atque hoc ablato, omni etiam virtute *terra* spoliatur: Quid autem aliud *hac præparatione*, quæ per frequentes ablutiones fit cum *aqua*, *vino* & *aceto*, efficitur amplius, quàm quod potiores *terræ* virtutes, dicto in *sale* (quod in quovis liquore resolubile est,) fundatæ eluantur. Itaque cùm quælibet *Bolus* satis pura inveniatur, ac ferè nullis vel paucis lapillis commixta, (qui tamen facili negotio ab iis, si qui sint manuum operâ separari possunt;) relinquamus hanc ineptam *præparationem*, cùm longè consultiùs sit & laudabilius rerum virtutes augere, quàm manifestè easdem, uti hîc fit, destruere. Et si alicui volupe esset, *Bolos* vel *terras medicinales* majoribus virtutibus imprægnare, is illas *rore majali*, vel *aquâ pluviali*, *ingenti tonitru & fulgure delapsâ* frequenter imbuere ne gravetur, quo facto illas aëri & astris exponat, ac spontè vel leniter exsiccare sinat, à radiis verò Solaribus interdiu studiosè præservet, vel etiam, si libet ipsasmet *decoctis quibusdam essentiis*, aliisque rebus, morbis & infirmitatibus, quibus destinatæ sunt, appropriatis vel accommodatis, imbuat, utpotè *decocto Viperarum*, *decocto cornu Cervi Crudi*, *decocto quarundam radicum*, vel aliorum *Vegetabilium*, *Scordii* nimirùm & similium, *oleis destillatis*, *salibus Viperinis*, *&c.* Unicum exemplum subjungam.

℞. *Boli Armenæ cum aqua pluviali ac rore majali aliquoties imprægnatæ, iterumque leniter exsiccatæ* ℔ j.

Quam imbue

Decocto decem vel duodecim Viperarum, aut Serpentum Germanicorum mundat:

Item

Decocto libræ unius cornu Cervi recentis,

nec

nec non

Decocto radicum Angelicæ,
Bistortæ,
Herb. Scordii ana unciarum duarum,

Exsiccetur iterùm in calore leni, relictâ *Bolo efficacissimâ*; Cui insuper, si lubido erit, *olea destillata* imprimi possunt, *Angelicæ*, *Citri*, *Myrrhæ*, *Rutæ*, &c. Perpende nunc Lector benevole, quantum hæc præparatio discrepet à vulgari illa præscripta corruptiva potiùs, quàm perfectiva præparatione, quæ ob id meritò delenda est, ne posteris innotescat, quod in rebus tam levidensibus adeò crassos commiserimus errores.

Additio.

Quod si tamen omninò Bolus vel terra quædam Medicinalis sigillanda, lavari, elui, & à suis recrementis rebusque hæterogeneis, lapideis arenulis, sabulo vel stipitibus aut paleis beneficio lotionis segregari debeat, en, hunc procedatur in modum: Bolus vel alia Medicinalis terra quæ sigillanda, aut usui accommodanda Medico est, si siccata & arida jam tum sit, à majoribus suis lapidibus aliisque rebus hæterogeneis, quantum fieri potest, selectione segregetur, & postea pulverisetur. Quæ verò adhuc recenter effossa & humida, quod melius, trituratione non indiget; quæcunque autem harum terrarum præ manibus fuerit, illa mortario largo immittatur, cui aqua pluvialis, si haberi queat, tonitruis delapsa, sensim sub continua & aliquandiu durante agitatione, pistillo factâ, affundatur: Deinde, cessante agitatione, momentorum aliquot spacio, quò crassiores & terrestriores partes terræ vel Boli ejusque lapilli seu sabulum fundum petere possint, decantetur per inclinationem aqua terrâ adhuc plenâ in vas aliud purum; & relictæ denuò in mortario terræ aqua recens affundatur, & cum pistillo aliquandiu iterum agitentur, & quasi levigentur, donec iterum levior & subtilior pars Boli vel terræ sigillandæ, aquæ innatet, quæ iterum desinente agitatione post unius alteriusvè momenti spacium, decantanda est. Et hæc operatio toties & tamdiu repetenda, donec subtiliores partes omnes terræ aut Boli unà cum aqua à crassioribus terrestrioribusque partibus separatæ, & decantatæ fuerint, relictis in fundo partibus hæterogeneis inutilibus, quæ removendæ. Nunc autem permittatur elota terra fundum petere, aqua verò supernatans, in qua potiores eæque virtuosiores terræ partes, in sale terræ minerali, subtili, & universali consistentes, ab aqua lotione illâ solutæ, non est profundenda sed studiosè asservanda. Ut autem nihilominùs Bolus seu terra sigillanda elota, in solidam seu siccam substantiam, sive compagem, sine detractione sive effusione salis sui subtilis, mineralis & universalis, reduci valeat, procedere licet sequenti duplici viâ, quarum alteruter pro placito arripiatur: videlicet, aut aqua bolo & terræ supernatans, in leni calore retro fornacem, terreo in vase, chartâ bene tecto, leniter evaporet, usque dum terra planè siccata aut apta ad sigillandum fuerit; vel decantetur aqua illa, terræ supernatans, per inclinationem, postquam terra fundum petierit, & abstrahatur illa aqua destillando in vitreo vase M. B. quod autem ab illa abstractione in residuo manet, illud terræ vel Bolo, à qua decantata fuit aqua, rursum uniatur, ut sic ad Dominum redeat, quod fuit ante suum. De cætero & hoc observandum, quod si fortè in magna copia Bolus seu terra aliqua suprà descripto modo eluenda veniret, & à suis partibus crassioribus separanda, utpote hæterogeneis, propter quod quoque larga aquæ copia expeteretur, eò in casu proficuum accidet, ut portionem seu partem saltem terræ elotam, sinamus fundum petere, quod spacio horarum aliquot expeditum dabitur; aquam verò claram supernatantem per inclinationem decantemus, eamque ipsam ulteriori usui, vel lotioni novæ terræ, illotæ adhuc, accommodemus, & iterum illam post residentiam terræ decantemus, atque ita inposterum sæpiùs procedendo, multum terræ vel Boli unà eademque aquâ eluere, & à suis recrementis partibusve hæterogeneis crassioribus potuerimus separare, quæ tandem aqua virtutibus elotæ terræ plena sive una cum terra elota leniter exsiccari, vel destillando, uti supra in M. B. abstrahi, residuumque ab abstractione, relictæ terræ, reduniri pariter

riter potuerit. Et hæc vera, genuinæque rationi consentanea Boli vel terræ cujuscunque sigillandæ præparatio est, efficiens nequicquam de virtutibus ejus profundatur: quemadmodum hactenus sinistrâ illâ & privativâ lotione factitatum fuit. Plura de Bolo seu terra sigillata in Append. super Animadversiones has patebunt.

Cantharidum Præparatio.

Fictile patuli oris terreum Cantharidibus fermè plenum, rarissimo linteolo obductum, inversum alteri vasculo, in quo acerrimum ferveat acetum, imminens suspendatur tamdiu, donec aceti ferventis vapore Cantharides omnes enecatæ fuerint, quæ in fictili sicco, chartâ pergamenâ benè clauso, exsiccentur, ne aër ipsas contingat, & sic ad annos sex durant.

ANIMADVERSIONES.

INtactam relinquerem hanc *Cantharidum præparationem*, nisi aërem quovis vapore, sive *aceti* sive alterius humiditatis multò subtiliorem & consequenter etiam penetrantiorem esse constaret; Itaque ubi *acetum* sive ab eo relicta humiditas per chartam pergamenam exhalare potest, & debet, si *Cantharides* siccare volueris, ibi multò magis aërem penetrare posse opinor: Adeoque has nugas ex præscripto tractare penes Pharmacopœi arbitrium esto, nos ludicra illa non curamus.

Cauterii Potentialis, seu Lapidis Septici Præparatio.

℞. Cineris clavellati,
Calcis vivæ ana partes æquales.

Macetentur per dies aliquot in aquâ communi; postea colentur, & clarum coquatur, ut artis est.

Cerussæ Lotio vel Ablutio.

℞. Cerussæ quantum volueris, pulverisetur, & in aquæ Rosarum sufficienti quantitate dissolvatur, sine residere per noctem, postea separetur aqua per inclinationem, & materia residua exsiccetur, reponaturque ad usum.

ANIMADVERSIONES

In Cauterium Potentiale, & Cerussæ Lotionem.

STudiosè caveat, qui *Cauterium illud*, & similia alia, quæ *Calcem vivam* recipiunt, præparaturus est, ne in *vasis aneis* vel *ferreis* ea tractet; Etenim *calx viva metallis* vel potius *Sulphuri* ipsorum summè infesta est, quod allicit, solvit, & ex parte destruit.

Nobile Cauterium aliàs præbet *cinis Fraxini* per simplicem combustionem *ligni* & *corticum* recenter paratus, quod licet Chirurgi præstantiores quàm maximè in secretis habeant, hîc tamen boni publici causâ revelare volui.

Ablutionem Cerussæ quod concernit, eam æquè ineptam esse, ac *Boli Armenæ*, vel similium rerum *lotionem*, planè tibi persuadeas velim; quid enim impuritatis continet *Cerussa*, quæ ablutione indigeret? Est enim per se *calx metalli purissima* ex *Plumbo* confecta, nec præter tantillum *salis proprii* aliud quicquam *lotione* ab ea auferri potest, quod tamen *sal* sive *Saccharum Saturni Cerussæ essentia* est, illam itaque tàm studiosè abluere, quàm stupiditatis & dementiæ plena res sit, nemo non apertè videt.

Chalcitidis Præparatio.

Habetur superiùs in dispensatione Theriacæ, fol. 231.

Chalybis Præparatio ex Aceto.

℞. Limaturæ Chalybis quantum volueris, affundatur aceti vini acerrimi tantum, ut tota madeat in eo, stent in loco calido tamdiu, donec acetum ad siccitatem absumptum, postea pulverisetur & sic septies reiteretur: Postremùm

ſtremùm molatur ſupra Porphyritem & ſervetur uſui.

Chalybs cum Sulphure.

℞. Limaturæ Chalybis quantum volueris, & fac cum pulvere Sulphuris citrini ſtratum ſuper ſtratum, calcinetur. Hanc calcinationem ſemper addito novo Sulphure toties repete, donec Chalybs liqueſcat. Tunc extinguatur in vino albo generoſo, deinde in tigillo ad ignem fortem ſinatur per unam atque alteram horam, ut optimè exſiccetur, & Sulphur evaneſcat & conſumatur, tandem in Porphyrite lævigetur pro uſu.

ANIMADVERSIONES

In Præparationem Chalybis cum Aceto & Sulphure.

PRæparationes *Chalybis* ſive cum *aceto*, ſive cum *Sulphure* fiant, omnes eò tendunt, ut *Ferri* ſolutio fiat, quod alias *metallum* eſt quovis liquore acido ſolutu facile; Hinc ſi *acetum* illi ſæpiùs affundatur, tandem ſolvitur, ita ut in pulverem tundi, & demùm ſuper *Porphyrite* totaliter in pollinem teri vel moli queat, ut adeò neceſſum non ſit (prout quidem Chymici non pauci præcipiunt, quando de *Croco Martis aperiente* agunt:) *limaturam Chalybis vel Ferrum non ſolutum* à *ſoluto & in pulverem converſo Chalybe* per ablutionem ſeparare, nimirum hâc ablutione *Mars* totaliter ſuo *ſale vitriolato dulci proprio*, atque etiam illo, quod ab *aceto* cum eo remanſit, ſpoliatur. Neque etiam ſeptenâ ſaltem humectatione vel madefactione, reiteratâque exſiccatione, ſed pluribus opus erit, prout plùs minuſvè *limaturæ* fuerit, aut *acetum forte* extiterit, antequam *Chalybs* totaliter in pollinem, ferruginem vel rubiginem convertatur, ſive *Crocum Martialem aperitivum*; Cujus tamen ſatis tædioſi & diuturni laboris compendium fieri poterit, & unicâ die id effici, quod alias priori modo trium vel quatuor pluriumvè ſeptimanarum ſpacio, perfici vix poteſt. Scilicet coquendo *limaturam Martis* in olla vel patella ferrea cum *ſ. q. aceti acerrimi deſtillati*, donec illam in fundo vaſis tactu leviuſculam & quaſi ſolutam deprehendamus, tum demùm exſiccata parumper adhuc calcinari, uſuique aſſervari poteſt. Et hæc quoad *Præparationem Chalybis cum aceto* peragendam, quam ob *ſal aceti* reſolutivum, quod in exſiccatione reſiduum manet, & arctè cum *Chalybe* combinatur, ſpernere nolo; quantumvis etiam leviori negotio *Vitriolum* aut *ſal dulce Chalybis efficaciſſimum*, mediantibus *aquis fortioribus vel ſpiritibus*, & ope etiam ipſius *Sulphuris crudi*, uti ſequetur, parari poſſet.

Quantum ad præſcriptam *præparationem Chalybis* ſive *limaturam* ejus cum *Sulphure* perficiendam, illa re non benè intellecta hîc annotata eſt, ideò non uſquequaque nobis arridet, eidemque *calcinationem Chalybis non limati ſed integri & candefacti* per *Magdaleones Sulphuris* peractam, longè præferimus, utpotè in qua ſtatim *Chalybs candens Sulphuri* admotus liqueſcit, & guttulatim in *aquam ſuppoſitam* decidit, qui poſtea ulteriùs, tritus prius & cum novo *Sulphure* etiam pulveriſato commixtus, ſæpiùs calcinari poteſt, quouſque *affuſa aqua calida Vitriolum* ſuum linquat, quod tum pro maxima ſui parte, ubi *aqua* exhalârit in fundo vaſis concreſcit, & in Cryſtallos abit, (vide hac de re prolixiùs *Crollium* loco de *Vitriolo Martis & Veneris*:) Sin minùs verò *Vitriolum Chalybis* (quod tamen, licet non philoſophicè, *reſolutum metallum* eſt,) expetatur, tertiâ vel quartâ calcinatione peractâ, *calcinatum Ferrum* in Porphyrite lævigandum, uſuique tandem aſſervandum eſt.

Colcotharis indulcati Præparatio.

Colcothar ad rubedinem calcinatum, vel caput mortuum ſpiritûs Vitrioli abluitur aquâ communi toties, donec omnis ſalſedo, & acrimonia prorſus abſumpta, deinde exſiccetur ad uſum.

ANIMADVERSIONES.

Tetigi hanc *præparationem* vel *edulcorationem Colcotharis*, nî fallor, in *animadversionibus super Emplastrum Opodeltoch*, quas Lector benevolus si vult, consulere potest. De eodem *Colcothare* hîc annotare libet, quod illud, si optimè calcinatum & omninò à *spiritibus* liberatum fuerit, penitùs non sit corrosivum, neque (quod sæpè expertus sum) statim à destillatione *sal* ex eodem affusâ aquâ elici queat, sed tum priùs, ubi aliquandiu aëri expositum fuerit; tunc enim *sal* præbet quandoque candidum, quandoque purpureum, aspectu pulcherrimum, quod aliquando in copia acquisivi, & penes me asservo, quandoque etiam *nitrosum*: Qualem autem hoc *sal* redoleat prosapiam, & an *Colcothari* sive *Vitriolo calcinato* ortûs sui debeat primordia, an verò simpliciter *ab astris* aut *aëre* trahat originem, scire non adeò in proclivi est, licet ego medio modo de hoc dubio sentiam. Cum itaque, uti superiùs dixi, *Colcothar Vitrioli*, mox à destillatione omni vi corrodente destituatur, nec *salis ullius corrosivi* particeps sit, sed solam vim stipticam & attractivam, sive magneticam obtineat, (licet deinceps, ubi aliquandiu *astris* & *aëri* expositum fuerit, ab attracto *sale* ex aëre vel exhalationibus in eo contentis, aperitivam virtutem nanciscatur:) quid, quæso, opus est edulcoratione? Utpotè quâ vis utraque tollitur, adstrictoria quidem & attractoria imbibitione aquæ, aperitiva verò resolutione & ablatione *salis*, per frequentem lotionem, ut ità *terra mortua* relinquatur, nisi ultrò & de novo eam elaborare animus sit. Vellem autem, ut qui nunquam forsan *tale Colcothar* viderit, cùm utplurimùm *capita mortua* (uti vocitant) *Vitrioli* & aliorum, peractâ destillatione *spirituum*, adeò corrosiva sint, ut degustata linguam & palatum offendant, experimentum hujus rei aliquando faceret: ita enim certò experiretur, me falsum non esse, nihilque scripsisse à veritate alienum. Et hæc sufficiant de dulcoratione *Colcotharis*.

Colocynthidis Præparatio.

Nobis nulla alia est, quàm Trochiscorum Alhandali compositio, quæ suprà videnda est fol. 202.

ANIMADVERSIONES.

Colocynthis quàm violentum sit catharticum, nemo ex Medicis expertis est, qui ignoret, ut etiam quævis *Medicamenta cathartica ex Antiomonio & Mercurio* facta superet: igitur correctione non immeritò indigeret, cùm familiarissimum sit ingrediens plurium *pilularum*, aliarumque *compositionum purgantium*. Mirari autem subit, quod nemo Medicorum hactenus, quibus illa in frequenti usu fuit, genuinam aliquam ejusdem præparationem vel correctionem meditatus sit: Etenim quæ in *confectione Trochiscorum Alhandal Colocynthidis fit præparatio*, vera ejus correctio nullo modo vocitari potest. Existimarem ego, (licet tàm vehementi Medicinâ facilè carere, & animalibus brutis relinquere possemus, cùm alia longè mitiora caque tutissima purgantia, imò ex *Antimonio* ipso, cujus quidem naturam ex mille vix unus Medicus explorârit, affatim nobis suppetant:) succis acidis, & coctione ejus correctionem aliqualem moliri, non inconsultum fore.

Compositi Sperniolæ Præparatio.

℞. Spermatis Ranarum triduo ante Novilunium collecti mense Martio quantum sufficit; destilletur per se in balneo, cum aqua destillata imbibe sequentem pulverem vigesies aut trigesies repetendo, semper tamen eundem sponte priùs exsiccando:

℞. Myrrhæ selectæ,
Thuris ana uncias duas,
Croci unciam semis,
Camphoræ drachmas tres.

Terantur

Terantur singula in pulverem, & misceantur.

Servetur ad usum.

ANIMADVERSIONES.

A*Quam spermatis Ranarum destillatam* parvipendo, ipsum autem *sperma*, quod facilè resolvitur in aquam, quæ addito *Alumine* per annum integrum aut diutiùs incorruptè, sine ejusdem destillatione asservari potest, magni æstimo: Ponatur igitur ipsum *sperma* in saccum, & quæ defluit *aqua*, *Alumine* condiatur asserveturque; Ità quoque species hæ pro *Sperniola Crollii*, si ipso *spermate Ranarum* taliter resoluto sæpius irrigarentur, non sine magno emolumento in effervescentia sanguinis, hæmorrhagia, erysipelate, &c. adhiberi possent: *Camphoram* autem ultimò addere oportebit, ne illa in tot reiteratis exsiccationibus omnimodè exhalet, cùm maximè volatilis & spirituosa sit, spontè etiam in frigore evaporans.

Coriandrorum Præparatio.

Coriandri semina tribus diebus aceto macerantur, deinde siccantur, & reponuntur.

ANIMADVERSIONES.

LIcet Dioscorides, & cum ipso plures alii Botanici, *Coriandrum* inter *venena* connumerent, insignem tamen quandoque esse differentiam inter plantas recentes & aridas, nemo negare poterit, quippe quod manifestissimè in *radicibus Ari*, aliisque simili acredine præditis videre est, quæ dum virides sunt & vegetæ, tantâ acrimoniâ linguam feriunt, ut ipsam quandoque incendant, faucesque inflamment, quæ tamen ubi paulò aridiores factæ sunt, multum de intensa sua acrimonia remittunt & longè mitiores fiunt. Similem in modum *Coriandri semen*, ubi exsiccatum est, vix ullam habere pravam vel venenatam qualitatem, quotidiana experientia abundè testatur, cum ubique etiamnum locorum ad cibos aromatizandos, panemque condiendum, adhibeatur: Accedit, quod Authores etiam de plantarum aliarumque rerum facultatibus sæpenumerò perperam judicium ferant, v. gr. de *Lactuca*, cujus *succi unciam unam vel alteram* vehementer lædere, narcosin inducere, imò mortem inferre asserunt, cùm tamen indies plurimi multò plus *Lactucæ* sine ulla noxa comedant; Itaque cùm neutiquam nunc temporis deprehendatur *Coriandrum* venenatum esse, superfluum erit, affuso *aceto* illud ad usum præparare, & inefficax reddere: Quia exsiccando *Coriandrum aceto imbutum*, exhalat tota ejus vis carminativa & balsamica unà cum *aceto*, & remanet *Coriandrum* inodorum, atque adeò potioribus suis virtutibus spoliatum.

Cornu Cervi Præparatio.

Cornu Cervi vasi figulino imponitur, deinde in fornace ad albedinem ustum, & postea pulverisatum in lapide Porphyrite minutissimè aquâ Rosaceâ vel Graminis teritur, & in placentulas formatur. Ita Excellentissimus Medicorum D. D. Petrus Holtzhemius in Dispensatorio Coloniensium parare docuit.

ANIMADVERSIONES.

EDoctam hanc rudem *cornu Cervini ustionem*, non tàm præparationem quàm destructionem ejusdem omni jure meritoque appello, ipsamque ceu inutilem penitùs rejicio, quippè, quâ illud omni suâ virtute medicinali propriâ omninò castratur, & in terram mortuam insipidam ac effœtam redigitur, prout hoc ipsum de simili materia in *animadversionibus nostris super Appendicem classis decimæ quartæ*, ubi de *salibus Theriacalibus* egimus, abundantur & clarè satis demonstravimus, quas adeat Lector benevolus. Hoc postquam plures saniores Medici in praxi quotidiana animadverterunt, aliam adinvenêre præparationem, quam sine *violenta ustione* perficiunt, & *calcinationem philosophicam* nuncupant, de qua quid sentiam, paulò pòst sub proprio titulo in sequenti Mantissa, aperiam: Interim suadeo, ut qui *cornu Cervino*

uti velit, aliudque præter vulgari modo ustum in promptu non sit, crudum & raspatum potius adhibeat, aut illud (ustum scilicet,) Gelatinâ sive *decocto cornu recentis* sæpius impraægnatum, & viribus quasi propriis, sive humiditate radicali optimè rursus insuccatum, usurpet. Cæterùm, qualia medicamenta ulteriùs ex *Cervino cornu* utiliter confici possint, sub titulo prædicti *cornu Cervi Philosophici* in sequenti *Mantissa* edocebo.

Cranii hominis præparatio.

℞. Rasuram Cranii homini suspensi, vel decollati, ab omni immunditie & pinguedine liberati, quantum volueris, contunde, & in mortario sufficienti quantitate aquæ Liliorum convallium irroretur, ut fiat pasta, exiccetur: postea pulverisetur, & cum sufficienti quantitate aquæ florum Tiliæ iterum in massam reducatur, Idque tertiâ vice ex aqua florum Pæoniæ repetatur. Quarta vice verò ex aqua Cerasorum nigrorum impastetur. Tandem servetur pulvis subtilissimus pro usu.

Cuperosæ præparatio.

Cuperosa est species Vitrioli, albi coloris, transparens veluti Crystallus, sic recens est, vetusta opaca, sed alba frangibilis, sicut Vitriolum, dissolvitur aquâ Rosaceâ, & colatur per pannum, deinde exiccatur ad Solem ter vel quater.

Dentium Aprorum præparatio.

℞. Dentium Aprorum pulverisatorum, quantum volueris, impastentur sufficienti quantitate aquarum
Cardui Mariæ,
Taraxaconis,
Papaveris erratici,
Scabiosæ,
toties, donec post exsiccationem in tenuissimum pollinem reduci possint, tunc servetur ad usum.

Eboris, seu Antispodii præparatio.

℞. Eboris selecti in tenues lamellas seu frustula dissecti libram unam: id fictili crudo nondum cremato indatur, vasculi portione aliquâ in summitate apertâ relictâ, ne Ebur inter urendum nigrescat: Postea coquatur unà cum reliquis fictilibus in fornace figuli ad perfectionem, abhinc exemptum teratur, ac aquâ Rosaceâ abluatur, rursum siccetur, & iterum abluatur, idque tertiâ vice fiat, lævigetur in marmore, & fiant Trochisci.

ANIMADVERSIONES

In Præparationem Cranii hominis, Cuperosæ præparationem, Dentium Aprorum, item Eboris sive Antispodii.

P*Ræparatio Cranii hominis* laudem meretur, propterea quod sine calcinatione aut ullâ virium destructione, sed potiùs exaltatione ipsarum peragatur; Similiter etiam *Dentium Aprorum*; Circa quas præparationes id saltem monitum volo & consultum duco, ut loco *aquarum destillatarum*, quibus impastari cùm *cranium* tùm *dentes* præcipiuntur, *decocta rerum vel herbarum*, *florum aut fructuum* accipiantur, utpotè pro *cranio humano*, *decoctum radicum florum & seminum Pæoniæ*, debito tempore collectorum item *Visci quercini*; Pro *dentibus Apri* verò *decoctum Cardui Mariæ*, nec non *seminis ejusdem emulsio*.

Cuperosam quod concernit, cùm illa nihil aliud sit, quàm *Vitriolum album vomitivum*, idcircò ejus confectio cum præparatione dicti *Vitrioli* jam vulgò notâ coincidit; Videantur de hoc tyrocinia Chymicorum.

Eboris autem præscriptæ præparationi eadem accommodari possunt, quæ in *antecedentibus animadversionibus* de ineptissima *cornu Cervini ustione* dicta sunt.

Elaterii præparatio.

Succus fructûs Cucumeris sylvestris maturi digeritur in balneo Mariæ, usque dum clarefit, separatur à fæcibus & inspissatur ad formam massæ, ut pastilli ex ea efformari possint, servatur in vase vitreo, vel vitreato.

Esulæ Radicum Corticum præparatio.

Esula præparatur tribus diebus, eam in acerrimo aceto infundendo, rursusque exsiccando.

Euphorbii præparatio.

Euphorbium subtilissimè pulverisatum in lapide, cum sufficienti quantitate olei Amygdalarum dulcium instar Collyrii fricatur & teritur, massa postmodum illa pomo Citrio vel Cydonio excavato inditur, pastâque panis obvolvitur, atque sic in clibano coquitur. Euphorbium deinde sic præparatum vase vitreo benè obturato reconditur.

Hellebori albi & nigri præparatio.

Radices Hellebori albi & nigri, demptâ ligneâ medullâ triduo in vino Cydoniorum macerantur loco tepido & calente, postea exsiccantur ac reponuntur.

Alioquin radices sic maceratæ pomo demùm Cydonio infiguntur, quod pastâ panis obvolutum, in clibano coquitur ad sufficientiam, radices postmodum exemptæ siccantur, & in usum asservantur.

ANIMADVERSIONES

In præparationem Elaterii, Esulæ Radicum, & Euphorbii; item Rad. Hellebori nigri & albi.

Elaterium, quod *succus est inspissatus ex Cucumeris Asinini fructu*, nullâ aliâ indiget correctione.

Cortices radicum Esulæ qui dextrè præparare intendit, is *acetum*, quo cum *cortices* infusi sunt, non separet vel effundat, sed unà cum ipsis exsiccari sinat.

Euphorbii commendata præparatio nil minùs quàm correctiva est, cùm quousque *Euphorbii* substantia integra & intacta manet, etiam ejus mordacitas firmiter persistat. *Oleum* autem *Amygdalarum dulcium* planè fucatam & palliativam præbet correctionem, & nil amplius præstat, quàm quod lentore suo quadantenus prohibeat, ne *Euphorbium* vires, suas, donec dicto *oleo* spolietur, exerere possit. Neque etiam per assationem in clibano illi quicquam adimitur, *pomi* enim *humiditas* & *olei unctuositas* prohibent, ne *resina* illa *Euphorbii* jam spissa à calore ignis moderato tàm promptè lædatur.

Quod tandem *Hellebori præparationem* concernit, nec illam tantoperè necessariam esse autumo; poterit tamen, qui *Helleborum* corrigere voluerit, ex ipso *extractum* conficere, separando crassum à subtili, purumque ab impuro: Et si nihilominùs aliquis præscriptam præparationem necessariam reputaret, is *succum Cydoniorum*, prout sæpiùs monui, unà cum *radicibus*, per evaporationem exsiccet, & neutiquam effundat: Cæterùm, ademptio illa *Medullæ ligneæ radicum* ex nimiùm curiosi cujusdam cerebello profecta est, qui *radices Hellebori* nunquam forsitan viderit aut nôrit, multò minùs tractaverit, ideoque tanquam inutilem & impossibilem eam improbamus, uti quoque ulteriorem illam *radicum obvolutarum in clibano coctionem*, ceu æquè ineptam & ridiculam.

Hirundinum ustio.

Pulli Hirundinum ita jugulentur, ut sanguis super alas defluat, hi modico trito sale aspergantur, ac in novo fictili vitreato probè obturato urantur, cinis reservetur.

Eodem ferè modo, sed sine addito sale uruntur Erinacei, torrentur Ranæ, Millepedes, Bufones ad Xenechta expetiti, ac alia animalia.

ANIM-

ANIMADVERSIONES.

IN *animadversionibus nostris super appendicem classis decimæ quartæ*, ubi de *salibus Theriacalibus & Viperinis* tractatum fuit, luculenter cùm experimentis, tùm rationibus demonstravimus, quod cuncta *animalia* ex meris volatilibus constent, & combusta nihil præter inutilem terram mortuam post se relinqueant. Quod si ita se res habet, uti reverà non aliter est, quod ex *calcinatis Hirundinum pullis*, licet ità crudeliter jugulatis, ut sanguis super alas defluxerit, saleque aspersis; Item ex *Erinaceis*, *Ranis* & *Millepedibus*, nec non *Bufonibus* similiter combustis & incineratis, præsertim si ad *Xenechta* expetuntur, aliud sperandum est? Usu nunc crebriori comprobatum est, cujus rei etiam ego experimentum feci, *Bufones* ipsos, *exsiccatos* saltem in aëre & tritos, innoxiè in gravissimis quibusdam morbis intra corpus sumi posse; Externè etiam eorundem corpora exsiccata, iterumque in *vino* mecerata aut pulverisata & Cataplasmatis loco Bubonibus pestilentialibus quanto cum emolumento applicentur, dici vix potest: Si jam *Bufo*, qui etiam pro venenatissimo animali, dum vivit, habetur, prout etiam est, crudus & exsiccatus saltem, homini cùm internè, tùm externè tantoperè prodesse, & absque periculo adhiberi potest, multò minùs à *pullis Hirundinum* solummodò exsiccatis, item *Erinaceis*, *Ranis*, *Millepedibus* pertimescendum aut abstinendum erit, & neutiquam priùs, si quis illis præstare volupe fuerit, comburenda, totaliter destruenda, omnique virtute privanda sunt. Propterea suasor sum, ut *pulli Hirundinum deplumati & exenterati*, *Erinacei* verò *pellibus detractis & exemptis interaneis*, in cucurbita vitrea in modum *Viperarum*, dum pro pulvere præparantur, leni balnei calore exsiccentur, & tandem pulverisentur. Ast *Bufones* & *Ranas* in aprico exsiccare consultum erit, observando tamen, ne nimium *Soli* exponantur. *Millepedum* præparatio jam superiùs tradita est, ubi de *Asellis* actum fuit.

Jecoris Lupi Præparatio.

Jecur Lupi vino odorato lotum exsiccetur in furno, postea Absinthio circumdatum reponatur.

Aliqui & rectè id ante exsiccationem pulvere Santalorum, maximè verò citrini conspergunt.

Intestini Lupi Præparatio.

Intestinum Lupi secundum longitudinem sectum, ac vino, in quo Ruta & Fœniculum cocta fuerint, elotum, ac in frusta dissectum exsiccetur, & Rutâ obvolutum servetur.

ANIMADVERSIONES

In Præparationem Iecoris, & Intestini Lupi.

SImiliter, uti in præcedentibus *animadversionibus cum Hirundinibus* factum est, etiam cum *jecore Lupi* & *intestinis ejusdem* procedatur, lavando ipsa priùs *vino spirituoso Myrrhato*, sive in quo *Myrrha* portio dissoluta sit, & postmodum immissa cucurbitæ vitreæ optimè in M. B. exsiccando; Vel, si libet etiam, *Myrrhâ* conspergere illa & aliquatenus condire non abs re erit: ita enim incorrupta in longum tempus conservari possunt.

Laccæ Lotio, vel Præparatio.

Lacca trita aqua fontanâ, cui Aristolochia & Schœnanthum ad æquas partes incocta fuerint, lavetur, pistillo semper agitando quoad clarescat: quod resedit, coletur & siccetur.

Lapidis Lazuli Præparatio.

Lapis Lazuli minutissimè tritus toties aquâ abluitur, fricatur, & agitatur, donec aqua nullum ampliùs vel colorem vel saporem induerit.

Lapidis

Lapidis Magnetis Præparatio.

℞. Succi Aristolochiæ rotundæ,
Sabinæ ana uncias quatuor,
Serpentariæ uncias duas,
Spiritûs vini libram unam.

Circulentur priùs viginti quatuor horarum spatio, tum destillentur. Hujus aquæ cape libram unam, Magnetis electi in pulverem redacti uncias quatuor.

Circulentur simul, & aqua à fæcibus destilletur: idque ter reiterabis. Atque hoc pacto Magnetis præparationem assequêre.

Leporis Ustio.

Fit, ut Hirundinum ustio proximè antecedens.

Lumbricorum Præparatio.

Lumbrici cum vino toties lavantur, donec omnem impuritatem deposuerint, deinde siccantur.

Mandibularum Lucii piscis Præparatio.

Paratur, ut antegressa dentium Aprorum.

Mezerei Præparatio.

Folia Mezerei macerentur horis viginti quatuor in aceto acerrimo, postea in umbra siccentur, ac asserventur.

Myrrhæ Præparatio.

Myrrha in vino ad ignem balneo Mariæ dissoluta, adhuc calens per linteum transcolanda est.

ANIMADVERSIONES

In Laccæ Lotionem, Lapidis Lazuli, & Magnetis Præparationem, Leporis ustionem, Lumbricorum, Mandibularum Lucii piscis, Mezerei & Myrrhæ Præparationem.

L*acca* subtiliter trita difficulter lavari potest, quin ipsa unà & quidem melior ejus particula eluatur; itaque crassiusculè saltem terenda erit, ut stipites & ligna duntaxat, quibus plerumque referta est, aquæ innatantia ablui, & ab ea separari queant.

Lotio autem præscripta lapidis Lazuli inepta & ridicula est, ac planè inconsiderata; sive enim illud quod eluitur, sive quod à lotione in fundo remanet, inspicio, utrumque vel purus pulvis *lapidis Lazuli* erit, si purus ille; vel lapillis & saxis permixtum, si is saxosus fuerit. Porrò, sive purus, sive saxosus sit *lapis Lazuli*, nullo planè sapore imbuet aquam, qui signo esse posset perfectæ lotionis. Ut autem constet, quo pacto *lapis Lazuli* præparari debeat, & quâ ratione quasi in Magisterium redigi possit, colore pulcherrimo cæruleo conspicuum, pictoribus *ultramarinum* dictum, subjungere libet modum insignem, qui à plurimis in secretis habetur. Nempe teratur *lapis Lazuli cæruleus* & optimæ notæ supra porphyriten, (& non alium aliquem lapidem,) subtilissimè quantum fieri poterit, cum aquâ simplici, qui iterum exsiccatus reponatur: Postea fiat *Emplastri massa* talis.

℞. *Ceræ citrinæ,*
Picis Græcæ vel Colophoniæ,
Resinæ Pini ana ℔ j,
Olei Lini ℥ iij,
Terebinthinæ ℥ iiij,

Liquefiant supra ignem & colentur, quibus adde

Mastichis electæ ℥ iv,
Fiat massa.

Hujus *massæ* accipe partes circiter tres vel quatuor, lapidis superiùs subtilissimè cum aqua communi lævigati partem unam, misceantur in patella, & commixta septimanam unam vel alteram relinquantur veluti in digestione, postea *aquâ calidâ*, vel si hâc succedere nolit, ferventi malaxando & agitando spatulâ massam, eluatur *pulvis lapidis Lazuli subtilissimus* instar *Magisterii*, qui pulcherrimo cæruleo colore imbuet aquam (quam colare oportet in patinam,) & postquam *lapis Lazuli* resederit, aqua decantanda, & pulvis subtilissimus impalpabilis ac pulcherrimus exsiccandus est.

Nota autem, quod qui primò eluitur *lapis* vel *pulvis*, pulchrior sit in colore & subtilitate secundo, & hic tertiò, ac sic consequenter, ideò separatim singuli asservandi erunt. Priorem illum pulverem, *ultramarinum dictum*, pictores Veneti, qui illum parare soliti sunt, & à quibus hunc modum addidici, non sine expensis, magno olim vendidêre precio, nunc autem postquam ejus præparatio pluribus innotuit, minori precio venit.

Magnetis præparationem quod concernit, æquè insipida illa est, ac antecedens *lapidis Lazuli lotio*, cùm ex parte ipsiusmet *Magnetis*, tùm etiam ratione additæ *aquæ destillatæ*, quâ præparari & circulari debet. Et quidem de *Magnete* in pulverem redacto, quid sentiam, jam antea in *animadversionibus super Emplastrum Opodeltoch Mindereri* constabit; Quid autem *aqua illa destillata* pulveri *Magnetis* conferre possit, ego sanè vix capio: Etenim *aquæ spirituosæ* semel destillatæ, nunquam in secunda aut tertia cohobatione, rei, cuicunque etiam jungantur, spirituositatem aut vires relinquent aut impertient, quin æquè ut in priori destillatione avolabunt, ut adeò hanc *præparationem* ex parte *Magnetis* omni jure destructivam, ex parte autem additæ *aquæ*, superfluam ac inutilem appellare possim.

Nec *Leporis ustio* majorem laudem promeretur, quàm reliquorum *animalium combustio*, quâ de re consulantur *animadversiones præcedentes super cornu Cervi ustum*.

Lumbrici similem in modum, uti *jecur Lupi*, *vino* scilicet *Myrrhato spirituoso* parari & in M.B. exsiccari possunt.

Mandibula Lucii piscis optimè ad modum nostrum, in *dentium Aprorum præparatione* positum, præparantur.

A foliis Mezerei acetum, in quo macerata fuêre, nullatenus separare aut decantare, sed unà cum ipsis lentè exsiccare consultum erit.

Myrrham tandem quod attinet, ejus vera & genuina non est, quæ fit cum *vino* solutio, cùm totaliter in eo non solvatur, sed potius in *spiritu vini*; Quod verò quandoque in *vino* diluatur, fit ob id, quia, postquam cum *vino* ad spissitudinem cocta est, liquida aliquatenus maneat, atque hac ratione cum reliquis speciebus intimiùs permisceri queat, hoc autem, si cum *spiritu vini* solveretur, ob nimiam ejus copiam, quæ pro solutione *Myrrhæ* vera necessaria est, fieri nequit; ideò præstat hanc *Myrrhæ præparationem* intermittere, nec priùs instituere quàm exigatur.

Oesypi Collectio.

Lanæ succidæ hoc est, nondum purgatæ, quæ ex collo, feminibus & femoribus Ovium defatigatarum fuerit detonsa, affundatur aqua fervens pluries, & lavetur diligenter quousque omnem suam pinguedinem in aquam deposuerit. Postea expressa lana seponatur, & aqua illa pinguis & sordida ex vasculo aliquo diutissimè ex alto fundatur & refundatur, donec spumosa fiat, ac tum spuma sinatur subsidere, & colligatur aquæ innatans pinguedo, iterumque aqua refundatur, donec spumet, ac subsidens pinguedo auferatur, quod tamdiu fiat, donec non ampliùs appareat spuma, & nulla concrescat supra aquam pinguedo. Tum collectam pinguedinem cum spuma in aqua pura manu subigendo lavare, sordesque immixtas sæpiùs aquam renovando auferre debemus, donec pura effluat, & pinguedo admota linguæ non mordeat, deinde reponatur in fictili denso, frigido loco.

Oesypum hoc veterum corrupto nomine vocatur Hyssopus humida, quod ut rectè præparatum habeant Pharmacopœi, operam dare debent.

ANIMADVERSIONES.

Si intimiùs hanc *Oesypi collectionem sive præparationem* pervestigo, satis mirari nequeo, quod tam fœtidi sordidique animalium sudores tantoperè ad Medicinam expetantur, quasi vel non sexcenta alia suppeterent medicamina, e. gr. *pinguedines*, *adipes* & similia, ad eosdem quibus *Oesypum* inservire posset affectus, æquè efficacia & experimentata, leviori etiam precio, minori multò labore & in majori copia ubique obvia. Ingenuè fateor, me lubentiùs *unciam unam hujus Oesypi* pro aureo coëmere velle, quàm ut ipsemet eam colligerem: Etenim

Etenim quanta grex ovium, quàm ingens labor, quanti sumptus ad hanc spurcitiem corradendam exigantur, & quam ingratum & insalubrem fœtorem in ejusdem præparatione perpeti necessum sit, is solus novit, qui eam collegit ac præparavit. Existimem igitur, inutilia hæc excrementa, tantâ ubertate nunc existente aliorum medicamentorum cùm Galenicorum tum Chymicorum, è Pharmacopoliis demùm citra necessitatem exulare posse; Quinimò rationabilius esse autumo, si qua parti alicui dolenti, aut tumori duro *lana* applicanda est, illam à spurcitie istâ prius eluere & probè mundare, quàm ita fœtidam ac sudore, aut nescio quâ immunditie conspurcatam, corpori adhibere.

Olei lotio, seu Lavandi modus.

In phiala magna vitrea, quæ vulgò vocatur boccia, collum habente logum, unum brachium, & continente libras sex vel octo liquoris, infundantur duæ partes aquæ ferventis, & una olei, deinde agitentur omnia diligentissimè, donec optimè misceatur oleum cum aqua, & tota illa materia candida fiat. Liquor albus factus tollatur è phiala, & ponatur in catino sub Sole, ibique detineatur, usque dum separetur oleum ab aqua, quod ubi separatum fuerit, colligatur magno cochleari & asservetur.

MErcurialis de Compos. Medicam. lib. 3. cap. 26.

Pelliculárum ventriculorum Gallinarum præparatio.

Laventur vino albo, postea exsiccentur & reponantur pro usu.

Pilorum leporis ustio.

Fiat, ut ustio Hirundinum.

Pilarum marinarum torrefactio.

Eodem modo fit, quo Serici crudi torrefactio subsequens.

Plumbi ustio & lotio.

Plumbum cum Sulphure (ut in Æris ustione suprà monuimus,) strato uno super aliud stratum uritur, post ustionem sæpiùs abluitur & resiccatur.

Commodiùs ab aliis plumbum cum sale calcinatur: liquato enim plumbo sensim sal communis inspergitur, & spatulâ continuò agitatur, donec plumbum in pulverem abeat, qui beneficio aquæ simplicis à sale liberatus colorem cineritium acquirit.

ANIMADVERSIONES

In Olei lotionem, Pelliculárum Gallinarum præparationem, Pilorum Leporis ustionem, Pilarum marinarum torrefactionem, Plumbi ustionem & lotionem.

DE *olei* (*Olivarum* puto, de quo hic loquuntur,) *lotione* hoc sentio, quod cùm illotum ad cibos condiendos usurpetur, non opus foret illud ad usus externos, præsertim si gutturi inferiori injiciendum, priùs tàm studiosè lavare: Relinquo itaque ineptam hanc *lotionem*, ulteriori examine penitus indignam ac infantilem, & progredior ad

Præparationem pelliculárum ventriculorum Gallinarum, quæ, uti *intestinum vel jecur Lupinum*, modo superiùs indigitato, præparari possunt.

Pilos Leporis ustos, *hæmorrhagias sive sanguinem* erumpentem sistere creditur: cui itaque alia medicamenta sanguinem sistentia non suppetunt, in tanta aliàs ubertate eorum, illi per me licet *pilos dictos* comburere, atque in carbones subtiles vel cineres aridos redigere: parùm autem in hisce à rebus aliis, ab animantibus desumptis, & incineratis vel combustis, diversum inveniet.

Pilæ marinæ nisi totaliter in carbones vertantur, in pulverem redigi nequeunt; Similiter se res habet cum *Serico crudo*, cujus igitur in medicina singularis usus esse, aut quales quamque eximiæ virtutes ab ipsis taliter præparatis proficisci queant, quilibet qui recti judicii compos est, facilè judicare potest. *Pi-*

las marinas quidem contra ſcrophulas & ſtrumas non ſolùm ob eximiam vim exſiccandi, quâ pollent, ſed etiam à tota ſubſtantia & occultâ proprietate prodeſſe, Authores ſibi perſuadent, & vulgò etiam ita receptum eſt; cui quoque non tantoperè repugno, præſertim cum *ſalinæ* ſint ſubſtantiæ, à *ſalſedine maris* obortæ quæ *ſalſedo* in *combuſtione* non perit: *Sericum autem crudum*, quod tàm variis *compoſitionibus & ſpeciebus cordialibus* ubique commiſcetur, cur illud adeò torqueri, ſummâque Vulcani violentiâ tractari debeat, quidque ita combuſtum efficere, aut in cordis affectibus propulſandis ſingulariter præſtare poſſit, certò non ſatis adhuc videre, neu conjecturare poſſum. Cui voluntas erit ſuperiores noſtras *animadverſiones ſuper confectionem Alkermes* evolvere, is ibidem inveniet rationibus abundè demonſtratum, *Sericum crudum*, etiam per ſe planè inutile & inefficax eſſe medicamentum, multò itaque inutilius erit, ſi combuſtum & in carbones converſum ſit.

Plumbi uſtionem dexteriorem à figulis addiſcere oportebit, qui nullâ peregrinâ additione *liquefactum Plumbum* rudiculâ ferreâ tam diu hinc inde commovent, agitantque collocatum ſuper ignem lentum, donec totaliter in *calcem* converſum ſit, ulteriori ablutione non indigentem; Quæ ipſa *figulorum calcinatio* meo quidem judicio, *præſcriptæ & cum ſale perficiendæ uſtioni* meritò præferenda eſt, eò quod & ſine additione fiat, nec *edulcoratione aut ablutione*, utpotè, quæ nec ad hanc *Plumbi*, neque ad alias *metallorum calces* præparandas, quicquam prodeſt, ampliùs opus habeat.

Pulmonum Vulpium Præparatio.

Pulmo Vulpis recens, extractâ aſperâ arteriâ vino perquàm odoro, cui Hyſſopus & Scabioſa incocta fuerit, diligenter lavatur, lotus ſiccatur, ſiccatus Abſinthio, Marrubio, ac Hyſſopo involutus reponitur.

Sanguinis hirci Præparatio.

Hircum mediocris ætatis domi per menſem alito, qui Pimpinellâ, Apio, Petroſelino, Leviſtico, Ericâ, Malvâ, & ſimilibus herbis diureticis nutriatur, hunc æſtatis principio Sole Cancrum ingrediente mactato, & ſanguinem, qui ex arteriis ejus defluxerit, vaſe mundo excipito, & abjectis partibus ichoroſis concreſcere ſinito, ac in grumos in furno reſiccato.

Scammonii Præparatio.

℞. Scammonii electi & lacteſcentis libras quatuor,
Succi Cydoniorum libras duas, & uncias duas,
Cort. Myrobalanorum citrinorum,
Maſtiches electæ ana uncias duas,

Myrobalani contuſi infundantur ſucco Cydoniorum loco calido, donec humorem imbibant: tùm addatur Scammonium per ſe tritum in mortario, inuncto oleo Amygdalarum dulcium, fiant Trochiſci, ut artis eſt. Scammonium ſic præparatum Diagrydium vocatur.

Scoriæ ferri Præparatio.

Limatura ferri in aquam limpidiſſimam projecta manibus fricetur, & abluatur toties, donec ſorditiem depoſuerit: huic deinde in vitream patinam inditæ affunde modicum aceti, ut id non emineat, ſed ſolùm limatura ex eo humectetur: hanc ſic diebus triginta macera, tandem tere & repone.

Scorpionum Uſtio.

Idem proceſſus eſt, qui fuit in uſtione Hirundinum.

Scillæ Præparatio.

℞. Scillam recentem, hanc rejectis aridioribus tunicis extimis paſtâ panis involve, eamque in clibano ad panis ſufficientiam coque; exemptam cultro ligneo ſolido, aut ex oſſe parato in laminas diſſeca, quas filo trajice, ita ut una alteram non attin-

attingat, & loco ſicco appenſas exſicca.

Serici Crudi Torrefactio.

Folliculi Serici exemptis vermibus inciſi, in furno tepido ollæ novæ impoſiti ſiccantur, dum poſſint in mortario per trituram in pulverem redigi.

Spongiarum Uſtio, vel Combuſtio.

Fit ut Hirundinum.

Sulphuris Vivi Præparatio.

℞. Pulveris Sulphuris vivi, quantum volueris, ſuperfunde vini albi, quantum ſatis, ſtent ita per diem & noctem, ſæpiùs movendo, deinde ſeparetur vinum per inclinationem, & ſic repetatur ſecundâ, & tertiâ vice. Tandem exſiccetur & ſervetur uſui.

Terebinthinæ Coctio, vel Coquendæ Modus.

Terebinthinæ libra una coquitur in libris viginti quatuor aquæ, donec odorem amittat, & inſpiſſetur, adeò ut refrigerata digitis in pulverem teri queat, ac vitri modo diſſiliat.

Tutiæ Calcinatio, & Præparatio.

Tutia Arabum ſeu Græcorum Cadmia, Botryites Dioſcorid. aliquoties vel ad minimum ter in crucibulo candefiat, deinde ſingulis vicibus aquâ Roſarum extinguatur, tunc demum trita lævigetur in marmore. Alii ſic præparatam linteo includunt, & in vaſe aquâ clarâ pleno hinc inde agitant, ut tenuior ac melior ejus pars in aquam effluat, craſſiore in linteolo relictâ. Inde cum reſederit, aquam auferunt, ac ſupra Porphyritem ex aqua Roſacea molunt, tandemque in paſtillos cogunt.

Veſicarum Aprorum Præparatio.

Veſicæ à pinguedine & membranulis optimè mundatæ, incidantur in minutiſſimas fruſtulas, macerentur in vino rubro per viginti quatuor horas: poſtea abjecto vino, exſiccentur veſicæ, & ſervetur pulvis ad uſum.

Vitri Uſtio vel Combuſtio, & Præparatio.

Accipe fruſtum Vitri clari ſubtiliter pulveriſati ac cribrati, quod in ollula ferrea tamdiu ponatur ſuper prunas, ut ferrum candeſcat, deinde extinguatur in acervo facto ex cinere ſtipitum fabarum. Quo facto iterum pulveriſetur, & rurſum ignitum in priore acervo extinguatur, idque toties repetatur, donec optimè in cinerem ſit redactum.

Id apparet, quando non ampliùs reſplendet, & inter digitos attritum non ſit aſperum, inque os ſumptum dentibus ſonitum non edat. Hic cinis vitri in marmore Porphyritico ſubtiliſſimè pulveriſetur, & intra corpus ita utiliter uſurpari poteſt.

Atque hunc modum comburendi Florentiæ & alibi obſervant. Avicenna alium tradit, quem Fallopius in libello de Metallis improbat.

Ungulæ Alcis Præparatio.

Idem parandi modus eſt, cum cranii humani præparatione.

Reliqua præparata ſola ferè lævigatione ac triturâ perficiuntur: ut ſunt

- Blattæ Byzantiæ cum aqua Roſarum,
- Corallii Albi cum aqua Roſar.
  - Rubei cum aqua Roſar.
- Lapid. Ætitis cum aqua Tormentillæ,
  - Calaminaris cum aqua Roſar.
  - Carneoli vel Sardæ cum aq. Roſ.
  - Chryſolithi cum aqua Roſar.
  - Cryſtalli cum aqua Bugloſſi,
  - Granati Orient. cum aqua Roſ.
  - Hæmatitis cum aqua Burſæ paſtoris,
  - Hyacynthi cum aqua Roſar.

Judaici cum aqua Saxifragiæ,
Lyncis cum aqua Malvæ,
Nephritici cum aqua Petroselini,
Rubini cum aqua Rosar.
Saphyri cum aqua Rosar.
Smaragdi cum aqua Rosar.
Topazii cum aqua Rosar.
Margaritarum Orientalium cum aqua Rosarum,
Matris Perlarum cum aqua Rosar.
Oculorum Cancri cum aqua Fragor.
Ovorum putaminum ustorum cum aqua Linariæ,
Succini albi cum aqua Betonicæ.

Sunt & alia quædam, eaque complura, quæ cuivis pro cujuslibet libitu ac voluntate & præparantur, & præparata prostant, utpote argilla fornacum, exuvia Colubri, rubrica fabrilis lævigata, sanguis Taxi seu Melis, cruor Agni, cinis Rubetæ, & his similia.

Horum aliqua ustionem requirunt, ut metallica, nonnulla tosturam exigunt, ut mineralia pleraque, alia nutritionem postulant, ut Sarcocolla, Gypsum, ac Alcohol Nihili. His sola trituratio sufficit, illis infusio noxam adimit, eaque medicamentorum compositionibus idonea reddit. Pleraque verò repurgatione indigent, ac sitûs depositione meljorantur. Nec desunt, quibus depuratio per quietem seu residentiam facta vim addat.

ANIMADVERSIONES

In Præparationem Pulmonum Vulpium : & Reliquas omnes, quæ adhuc supersunt hujus Classis Præparationes.

V*Ulpium pulmones* in modum *hepatis Lupi* præparare & exsiccare convenit, quos & aliis *decoctionibus vel extractis*, *pulmonibus* & pectori appropriatis, utpotè *decoctis Pulmonariæ*, *Veronicæ*, *&c.* *Essentiâ Croci*, *Myrrha* & similibus imbuere, & quasi condire non inconsultum erit.

Hirci sanguis præparatus à nonnullis præsertim ab acutissimo Helmontio valdoperè in pleuritide commendatur, quam is sine venæ sectione curare asserit, paulò tamen aliter ejus præparationem instituit, uti ex sequentibus ipsius verbis formalibus videre est: *Hircum, inquit, suspendo cornibus, & crura posteriora ad cornua reflecto, testes abscindo, & recepto inde cruore exanguem dimitto pro lanione: Hic cruor siccatus est instar vitri difficillimæ triturationis, atque longissimè ab hircino sanguine Officinarum differens; Assumptus drachmæ pondere confestim sopit & curat pleuritidem absque sectione venæ, nec te deseret unquam*; hæc ille.

Scammonii præparatio præscripta vera & exquisita dici non potest, cùm additamenta stomachum duntaxat roborare, non verò *Scammonii* vim & violentiam directè infringere queant; convenit itaque paulò artificiosiùs correctionem ejus instituere, separando nimirum purum ab impuro, cum illud multis inutilibus scateat recrementis: Plura de hac in *sequenti Mantissa*.

Scoriæ Ferri præparatio jam paulo antè sub *præparatione Chalybis* indigitata est: *Chalybs* enim & *Ferrum* parùm admodum differunt, cum *Chalybs* nil aliud sit, quàm *Ferrum purissimum & optimum.*

De *ustione Scorpionum animadversiones superiores, de combustione aliorum animalium,* consuli possunt.

Scillæ præparatio Pharmacopœis notissima est, quâ tamen non abs re carere possemus, si *Scilla montana* solum sive *Hispanica*, aut in hortis cicurata ad nos deveheretur, usibusque applicaretur Medicis. Nam tanta mordacitate, exurenteque malignitate non est prædita, quâ *Scillæ marinæ* sunt, quæ in littoribus maris Italiæ uberrimè crescunt; cùm & Galenus ipse *Scillam crudam non præparatam* usui Medicinæ destinârit. Siquidem hac præparatione quidem nihil efficitur aliud, quàm ut mordacitas *Scillæ* ex parte diminuatur, non verò totaliter tollatur. Secus enim viribus suis omnimodè privaretur.

De usu planè inutili *Serici crudi*, ejusque ineptâ *torrefactione* in *Animadversionibus confectionis Alkermes*, & paulò antecedentibus *Pilarum marinarum*, sufficienter disseruimus.

Sulphuris vivi præparationem quod attinet, illa

illa quandoque necessaria non est, cùm *Sulphur dictum* nonnunquam tàm purum sit, & inveniatur, ut nullâ lotione indigeat, idipsum tamen, si impurum fuerit, qui vel *vino* vel *spiritu vini*, vel etiam *aceto* lavare voluerit, non tantoperè aberrabit: Solent etiam nonnulli *spiritum vini* vel *acetum destillatum* ab eo aliquoties abstrahere.

Terebinthinæ coctio mera est abstractio ipsius *spiritus*, vel *olei spirituosi*, quod patet ex *Terebinthinæ destillatione*: hæc enim si in vesica cuprea cum aqua, & non per se in cucurbita (quod meliùs) fiat, peractâ destillatione, tota *Terebinthina* cocta remanet in residuo, saltem *spiritu suo* & *oleo penetrantiori* orbata.

Tutiæ calcinatio prior, posteriori satis tædiosæ meritò præferenda est.

Vesicas aprorum non aliter quàm *jecur Lupi*, *aut aliorum animalium partes* in B. M. exsiccare commodè possumus, ut in pulverem facilè tundi & teri queant.

Vitri levidensem ac planè inutilem ustionem & præparationem ceu ineptissimam, omni jure explodimus, cùm tantas involvat absurditates; ut si quis accuratiori examini & judicio eam subjicere vellet, animumque haberet reprehendendi pronum, materiam sanè suppeditaret, sufficientissimam, vel hanc aut aliam similem ex præmissis *præparationibus* nugacissimis, omni vulgo notissimâ & rusticanâ Philosophiâ carentibus, in volumen extendendi, & infinita absurda hinc deducendi, quæ indigna essent Philosopho naturali. Videant ergò, quam turpiter se dent tales Philosophi putatitii & sermocinales, qui verâ Philosophiâ destituuntur, & in quantos ruant errores, ut non solùm illis, qui penitius naturam ejusque penetralia scrutantur, sed & rusticis ipsis, imò lippis & tonsoribus, nec non vetulis & aniculis se deridendos propinent.

Vellem clarius constaret & sese explicuissent, cur tantoperè hoc medicamentum desideretur, aut ob quas eximias virtutes in officinis prostare debeat? Certò si quis peculiarem *vim Lithonthripticam* in eo sibi imaginetur, is toto errat cœlo, & si quis aliquando ab ejus exhibitione detur successus (quod tamen sine periculo aut detrimento ægroti, licet ilud protinus non senserit, exhiberi minimè potuit) id neque à vitro emanavit, sed potiùs è *sale stipitum Fabarum*, in quo talem vim sabulum & arenam pellendi inesse probè novi, ast ejus parandi ratio alio modo quærenda, non isto, quo medicamentum nullius virtutis, sed maximi detrimenti evadit: Verùm de hisce nugis satis, transeamus ad alia.

Ungulæ alcis parandi modus, si juxta *animadversiones nostras in præparationem cranii humani factas*, instituatur, minimè destructorius est, quin insuper vires *ungulæ Alcis* intendat, & efficiat, quò faciliùs ejus rasura tandem in pulverem teri, & ægrotis commodè propinari possit.

Reliquorum tamen præparatorum, quæ sola triturâ & lævigatione concinnantur, nonnulla haud difficulter sic læviganda admitto, præsertim quæ molliora & friabilia sunt, nec *vitri* aut *Adamantis duritiem* æmulantur; è quorum numero sunt *Blattæ Byzantiæ*, *Corallia alba & rubra*, *lapides Calaminaris*, *Carneoli*, *Hæmatites*, *Iudaicus*, *Margaritæ Orientales*, *Mater Perlarum*, *oculi Cancri*, *Succinum album* & his similia, maximè si lævigatio instituatur supra lapidem durissimum quantum fieri potest, de quo medicamento nihil accedat, aut quam minimùm communicetur, qualis *lapis Porphyrites* est, qui à plerisque ad hoc negotium expeti solet. Sunt enim res modo denominatæ facillimæ solutionis, & ab Archeo nostro innatoque calore, si meliora nobis ex iis parata & in essentias redacta medicamenta non prostent, utcunque devinci & actuari possunt. *Aquæ* verò, quibus affusis res prædictæ studiosè præparari jubentur, necquicquam de virtutibus suis iis impertiri possunt, ob rationes sæpiùs, & paulò ante in *præparatione Magnetis* inculcatas. *Cæteri verò duriores lapides & Gemmæ*, qui quandam *vitri* & *Adamantis* similitudinem habent, difficillimæ sunt trituræ & lævigationis, multumque laboris & temporis requirunt, antequam usui idonei reddantur, in qua diuturna præparatione, asperita-

te & duritie suâ, accedente præparantis nisu & compressione, profundè satis subjectum lapidem aggrediuntur, ejusque partes multas, præsertim si marmor aut alius paulò molliusculus lapis fuerit, abradunt: Quod Pharmacopœi probè advertunt, & cum fœnore, cùm post peractam præparationem, suos lapides duplo aut triplo, quoad pondus, auctos esse deprehendunt. Quare igitur prædictorum hanc rudem præparationem simpliciter admittere nequeam, tùm ex modo dictis, tùm ex iis, quæ in *animadversionibus classis undecimæ* nec non super *Emplastrum Opodeltoch*, ubi de *præparatione Magnetis* actum fuit, allata sunt, ubi opinionem meam rationibus & experientia fultam, breviter aperui, abundè patet, quo Lectorem ablego.

Cæterùm *lapis Ætites*, periapti instar, corpori prægnantis aut parturientis alligatus, supra renes, si fœtum diutius in utero materno continere, abortumque prohibere debeat, infra renes autem & cruribus, si partum promovendi animus sit, multa præstat: Tritus verò vel in subtilissimum pulverem, additâ licet *Tormentillæ aquâ*, lævigando redactus, non est quod nobis de virtutibus dictis quicquam promittamus, nisi fortè vim adstrictivam, illi, taliter præparato, si intra corpus sumatur, attribuamus, idem judicium esto de plurimis aliis *lapidibus preciosis*; vis enim unita fortior dispersâ.

Quæ restant tandem *simplicia*, in ultima hujus *Classis additâ Animadversione* denominata, qualiter illa paranda sunt, si *præparationem* aut sui meliorationem exigant, illa haud difficulter ex antecedentibus nostris *animadversionibus* peti possunt: Et sic huic *ultimæ classi* plurimis inutilibus & destructivis *præparationibus* rerum refertæ, colophonem imponimus.

MAN-

MANTISSA HERMETICA.

PRÆFATIO.

CUm Mantissa hæc *de Medicamentis* Chymicè *præparatis agat*, *incumberet nobis*, *antequam examen ipsorum aggrederemur*, *de præstantia eorundem & eximiis virtutibus*, *queîs præ aliis medicamentis*, *more Galenico*, *id est*, *rudi elaboratis*, *eminent nonnulla in medium proferre*; *Verùm ut scriptionis operam compendi faciamus*, *cùm plures*, *tùm antiquiores*, *tùm recentiores Medici abundè hac de re*, *satisque celebriter locuti sint*, *silentio ea transilio*, *neque etiam hîc opus esse arbitror suspensâ hederâ*; *Solummodò de* difficultate artis Chymicæ *hîc in vestibulo* hujus Mantissæ *paucis agere decrevi*, *cum nonnulli sint*, *qui adeò facilem ipsam esse autument*, *ut vel sex mensium spatio*, *& alii* (*quod maximè miror*,) *intra decursum sex septemvè septimanarum*, *quantum Medico* de Chymia *necessarium sit*, *integrè addisci posse*, *audacter asserere non vereantur*. *Ast Lector benevole*, *si* animadversiones nostras super antecedentem Pharmacopœiam Galenicam, *nunc demùm* (*sit gratia Superis*,) *ad umbilicum perductam*, *pensiculatè pervolveris*, *& seriò tecum ruminaveris*, *reipsâ deprehendes*, artem Pharmaceuticam *utpotè arduam*, *licet* Chymiâ *inferiorem*, *non immatura judicia aut rusticos exposcere labores*: *ita* Chymiam *esse artem uti nobilissimam*, *& Medico scitu summè necessariam*, *sic difficillimam*, *& includere universam Philosophiam practicam*: *Ut igitur illi*, *qui ipsam exactè callere*, *ejusque penetralia pervestigare velit*, *non septimana una aut altera*, *non menses aliquot nec annus integer*, *imò nec omnes suæ vitæ dies sufficient*. *Neque enim quilibet*, *qui perdius & pernox carbones manu versat*, *fornaces artificiosè exstruere novit*, *aut aquas destillare addidicit*, *illicò veri Chymici*, *& ab Hermete nobile nomen habere meretur*; *neutiquam sanè*, *sed is duntaxat*, *qui arcem hujus artis penitius pervasit*, *& jugiter ac indefessis laboribus in arcanis & multifariis ejus operationibus*, *se solertem dedit*. *Tantis me herclè* Chymia *sive* Spagyria *difficultatibus referta est*, *ut pauci admodum inter tot millia hominum*, *quorum alii nobilitate ejus*, *alii autem cupidine lucri allecti*, *à tot annis in illa indesinenter periculum fecêre*, *culmen ipsius attigerint*; *Nimirùm deludimur hinc inde*, *tot tamque variis plurium Chymicorum scriptis*, *mendis & mendaciis plenis*, *eorundem* (*uti vocant*,) *processibus ferè infinitis*, *nec tamen prius nos deceptos esse persentimus*, *quàm ubi oleum* (*quod dicitur*,) *& operam perdidimus*; *id est*, *ubi vanis nostris laboribus*, *nullâ ratione ducti*, *sed magnâ duntaxat quorundam authoritate suffulti*, *rem*, *quam præ manibus habuimus*, *pertractatam totaliter destruxerimus*; *quam tamen*, *si rectam rationem ducem secuti essemus*, *aut si*, *quid in re quaque reconditum*, *quidvè illi familiare vel adversum esset*, *satis nobis innotesceret*, *facilè servare potuissemus*. *Et si tantum* tria illa Regna, *circà quæ Chymia utplurimùm occupata est*, (*omissis elementis & eorum contentis*) *ac inter hæc maximè* Minerale *paululum percurramus*, *quanti*, DEUS *bone*! *non impenduntur labores*, *quanti sumptus*, *ad famosum illud* Aurum potabile *acquirendum*? *quot modis* Aurum *calcinatur*, *solvitur*, *extrahitur*, *coquitur*, *digeritur*, *& nescio quàm diversimodè exagitatur*; *ubi autem cunctis hisce laboribus impensis*, *tandem exactè* Aurum nostrum potabile *ad*

 examen

examen revocamus, quid quæso aliud impetravimus, quàm Aurum solutum, *vel in formam liquoris aut pulveris, exiguo temporis momento & levissima operâ ad pristinam suam formam crudam & metallicam reducibile, quale, & vel majoribus adhuc virtutibus præditum, unius diei decursu commodè perficere potuissemus, & longè minori labore, & paucioribus expensis.* Mineralia itidem, *postquam illa satis diu sub tortura detinemus, curiosis & argutis nostris laboribus pejora sæpenumerò efficimus, quàm extitêre cruda: Exemplo sit* Antimonium, *cujus, dum crudum est,* integra libra in aqua simplici *cocta & pota, nullam prorsus molestiam vel vomitum procreat; è contra verò, si in* Flores, Crocum, Mercurium vitæ, aut Vitrum *conversum fuerit, quantò cum stupore & violentia operatur? quàm dira sæpenumerò & atrocia excitat Symptomata? & sic de innumeris penè aliis. Neque in* Regno Animali & Vegetabili *aliter se res habet: dum enim ex ipsis modò* Salia, Tincturas, Aquas destillatas, Magisteria *& similia parare satagimus, quoties alienis menstruis permixta, Naturam sive virtutes eorum nativas invertimus? quoties ipsorum plurima artificiosis nostris calcinationibus, radicali humiditate expulsâ, totaliter destruimus, relictâ cadaverosâ terrâ? Proh! quantos, præter enumeratos, ubi ex diversis* Salibus, Spiritibus mineralibus, Essentiis, Oleis destillatis, *& similibus invicem maritatis artificiosas mixturas construere nobis præsumimus, non rarò committimus errores? Et hæc omnia sub prætextu artificii spagyrici. Cujus rei causa reverà nulla alia est, quàm quòd vel Naturam ignoremus, ipsamque in operationibus suis non imitemur, quæ simplicissima est, & propterea simpliciter vult tractari; vel etiam, quòd* universale illud solvens *nos lateat, quo omnia corpora naturalia in suum primigenium esse, servatâ seminum potestate, solvuntur: Hoc dum destituimur, ardunum & difficillimum est conjecturare, quid unaquæque res pati possit, quidque ferè recuset: Itaque quicunque inter veros Chymicos, & genuinos Hermetis filios nomen suum profiteri amat, necessum habet, ut minutissima quæque pervestiget, & ad singula curioso oculo attentus sit, si quid boni efficere, nec in cassum laborare velit. Hanc* Chymiæ *summam difficultatem ubi intimius considero, vix ac ne vix quidem animum meum eò disponere possum, ut* hanc Mantissam, *licet communissima saltem & officinalia, ubivis etiam in* tyrociniis Chymicis *obvia contineat, corrigendam ad manus sumam: Novi enim, quàm* vera Chymia *recondita literaturæ, acuti judicii, & in multifariis laboribus Hermeticis exercitatum virum & Philosophum requirat. Nihilominùs, cùm à quamplurimis solicitatus & quasi impulsus fuerim, ne & huic parti laborem meum derogarem, inter quos potissimus fuit Excellentissimus &* Experientissimus *Dn. Henricus Custerus M. D.* Celeberrimus, *qui in his* meis animadversionibus *elimandis ingenuè mihi adstitit, & ne commodum, quod forsitan ex* compositionum Chymicarum, *quæ has* Mantissa *complectitur, accuratâ ventilatione & emendatione, in plures Chymiæ amantes redundare posset, in me claudi paterer, quantum experientiâ & improbis laboribus comprobavi, neminem celabo. Pauca insuper duntaxat (non enim aliter in præsens fert mei instituti ratio;) adjiciam, eaque selectiora & experta. Plura qui desiderat, consulat Clarissimum Schroderum & Solertissimum Glauberum; Ast nec illos inconsideratè & illotis manibus ut adeat, suadeo, sed rectâ rationis & judicii lance trutinet omnia & expendat probè, quid Natura possibile sit, quidque ferre recuset! In quem finem* animadversiones subsequentes *adjungam, quæ veluti censores sint earum, quarum in* hac Mantissa *fit mentio præparationum, & ad altiora manuductores.*

SPI-

SPIRITUS SIMPLICES.

Spiritus Absinthii.

℞. Absinthii vulgaris, quantum placet, superinfunde Spiritûs vini tantundem, ut digiti unius latitudine supernatet, macerentur per octiduum, deinde per Balneum Mariæ, Spiritus lege artis evocetur.

Hoc etiam modo parantur:
Spiritus Cardui Benedicti,
Chamomillæ Romanæ,
Liliorum convallium,
Melissæ,
Veronicæ.

Spiritus Anisi.

℞. Sem. Anisi benè contusi lib. semis,
Spirit. vini simplicis mensuram unam.
Macerentur per octiduum, & per Balneum Mariæ Spiritus eliciatur.

Ita etiam fiunt:
Spiritus Carui,
Cerasorum Fœniculatus,
Fœniculi.

Spiritus Cerasorum Nigrorum.

℞. Cerasorum nigrorum quantum vis, contundantur, & ponantur in vase ligneo, in eoque maneant usque ad fermentationem, deinde per vesicam destillentur, & exibit Spiritus. Hac ratione destillantur:
Spiritus Cydoniorum,
Ebuli ex baccis,
Fragorum,
Juniperi ex baccis,
Sambuci ex baccis.

Omnes & singuli modò dicti Spiritus, simpliciorum sive Vegetabilium virtutes & qualitates in se continent, ex quibus destillati fuére.

Spiritus Rosarum.

℞. Rosarum fragrantium tempore sicco collectarum, quantum libet, contundantur, & in vase vitreo vel ligneo compressæ, reponantur in cellam, deinde cum sale vel pauculo fermenti fiat stratum super stratum, destillentur per vesicam, destillata aqua novis rosis fermentatis affundatur & destilletur, donec perfectum Spiritum habueris.

Proprietate suâ specificâ cor recreat, in omnibus ejus infirmitatibus singulare robur conciliat, odore & fragrantia vires reficit. Extra etiam ad virium debilitatem arteriis applicatur.

Spiritus Salis.

℞. Salis communis, quantum lubet, solve & coagula, solutum cum terræ figulinæ siccæ pondere æquali commisce, pastillos forma, exsiccatos retortæ inde, destilla usque dum nihil ampliùs egrediatur Spirituum.

Omni putredini resistit, hepatis & lienis obstructionibus prodest, renes & vesicam expurgat, hydropicis inprimis singulare remedium præbet.

Spiritus Salis Nitri.

℞. Salis Petræ sive Nitri libram unam,
Boli communis vel terræ figulinæ libras tres.
Destillentur per retortam igne reverberii, spatio duodecim horarum, & habebis Spiritum rubicundum.

Pro contemperando æstu febrili, restinguendâ siti, prohibendâ anginâ, & mitigandâ colicâ commodissimè usurpatur.

Spiritus Sulphuris.

Ponatur ſub campana vitrea vas aliquod terreum cum Sulphure, quod accendatur: ita verò vas ſubjectum ad campanam applicetur, ne fumi egredientes flammam ſuffocent, ſed ut liberè aſcendentes in liquores coagulentur, qui in ſcutellam appoſitam deſtillentur.

EAſdem ferè qualitates cum Spiritu Vitrioli obtinet, proinde iiſdem etiam affectibus curandis conducit.

Spiritus Tartari.

℞. Tartari albi puri libras quinque. Pone in retortam vitream, eique in ignem cinerum vel potiùs arenæ collocatæ, recipientem ſatis capacem adapta, & luta, dato igne per gradus, primò Spiritus egreditur, poſtea oleum fœtidum, quæ rectificari debent.

ESt egregium aperiens, unde in menſtruis recentis, paralyſi, ictero, pleuritide, hydrope, mira præſtat.

Spiritus Vitrioli.

℞. Vitrioli purificati libras ſex.

Injiciantur retortæ benè lutatæ, huic aptetur recipiens amplum, commiſſuris benè clauſis, accendatur ignis gradatim, & poſt tres ferè horas phlegma ſtillare incipit, hinc ignis paulatim augeatur, circiter horam ſeptimam albis ſpiritibus apparentibus iterum augeatur ignis, & ita continuetur per integrum diem: tandem detur maximus ignis, & continuetur labor in diem tertium, refrigeratis omnibus, rectificetur Spiritus, quod clarum eſt per cineres deſtilletur, & exibit Spiritus clarus & albus.

IN variis febrium generibus ſummæ utilitatis eſt Spiritus Vitrioli: humorum enim putredini reſiſtit, eorumque incendium prohibet, vitioſos corrigit, phlegma conſumit, per urinas & poros cutaneos operatur.

ANIMADVERSIONES Spiritus Simplices omnes concernentes.

LEgitimi & ſecundum *artem Spagyricam* præparati *Spiritus*, qui ab aliquo ſubjecto, ſive illud *Vegetabile* ſit, ſive *Minerale* aut *Animale*, denominationem ſortiuntur, ex eo ſolo & unico conſtare ſolent & debent, utpotè *Spiritus Abſinthii*, ex ſolo *Abſinthio*, *Liliorum convallium*, *ex Liliis convallium*, *&c.* Qui autem primùm præſcribitur in hac *Mantiſſa Abſinthii Spiritus*, non tàm *Abſinthii*, quàm *Spiritus vini Abſinthites* dici meretur; cui propterea ſimplicem *infuſionem Abſinthii Spiritu vini* factam haud iniquè præfero, utpotè quæ ipsâ *Eſſentiâ Abſinthii* imbuta eſt, nec minori, ſed majori potiùs efficaciâ pollet, quàm *Spiritus vini*, unà cum partibus *Abſinthii* ſubtilioribus duntaxat ac volatilioribus, per Alembicum prolectus, relictis in reſiduo virtutibus ejuſdem potioribus. Si quis autem nobiliores *Eſſentias ex Abſinthio, Chamomillâ, Meliſſâ* aliiſvè ſimilibus *herbis* conficere ſatagit, is rem paulò aliter aggrediatur ac procedat hunc in modum. Nimirùm,

Eſſentia Abſinthii.

℞. *Abſinthii recentis magnam quantitatem.*

Quod contuſum aut conciſum perfunde paucâ *aquâ ſimplici calenti*, addito *tantillo fermenti* vel *Sacchari*, fiatque maceratio loco tepido, quouſque *Spiritus* odore percipiatur, aut veluti nares feriat; Tum demùm deſtilletur in cucurbita vitrea vel veſica cuprea: *Prolecta aqua ſpirituoſa* aliquoties rectificetur, quouſque acquiratur *Spiritus Abſinthii fortis & ardens.*

Jam

℞. *Hujus Spiritus veri Abſinthii & fortis e. g. libram unam.*

Olei

Olei Absinthii destillati q. s. sive quantum prædictus Spiritus dissolvere potest, scil. drachmas duas plus minusvè.
Extracti Absinthii spissi, separatim Spiritu vini parati drachmas duas, vel drachmas tres aut unciam semis,
Salis ejusdem in aqua propria etiam s. q. saltem resoluti drachmas duas, drachmas tres, vel unciam semis.

Commixta digerantur aliquandiu donec probè uniantur, filtretur postea *Essentia*, usuique asservetur.

Qui alias ex *herbis similibus Essentias* exoptat, ipse imitari poterit modum, quem indigitat *Experient. Glauberus tract.* 1. *sui primi Furni philosophici.*

Spiritus Anisi, qui potius *Spiritus vini Anisatus* dici meretur, à præcedenti *Spiritu vini Absinthite*, quoad præparandi modum, nil quicquam differt, nec ullum in se continet artificium Hermeticum, quem ipsum itaque ut elegantiorem & efficaciorem tibi compares, cujusque *unica drachma plus* præstet, quàm *uncia integra* aut amplius præscripti & vulgari modo parati *Spiritus Anisati*, taliter procede.

Essentia Anisi.

℞. *Spiritus vini rectificati libras tres vel libras quatuor,*
Sem. Anisi libram semis,

Fiat infusio, & post digestionem unius alteriusvè diei instituatur destillatio, *Spiritui Anisato prolecto* adde

Olei Anisi destill. quantum is imbibere aut dissolvere potest,
Extracti Anisi recent. unciam semis vel unciam unam,
Salis Anisi puri seorsim in aqua Anisi s.q. saltem resol. unciam unam.

Misceantur & digerantur aliquandiu, donec cuncta benè unita sint, filtretur tandem *Essentia*, usuique asservetur. Idem processus esto *Spiritus vel Essentiæ Carui*, *Fœniculi* & similium seminum.

Ardentes Spiritus varii.

Ex *Cerasis*, *Fragis*, *Baccis Iuniperi*, *Sambuci & Ebuli*, *Spiritus ardentes*, mediante fermentatione & reiteratâ rectificatione, facilè parantur. Ita etiam ex *Rosis* aliisque *herbis & floribus*, per fermentationem reiteratamque destillationem & rectificationem *Spiritus ardentes* elici possunt. Observandum autem, quod *herbæ & flores* longè minorem præbeant *Spiritus* quantitatem, quàm fructus, utpotè *Cerasa*, *Iuniperi Baccæ*, *&c.* ideòque qui ex ipsis *Spiritus ardentes* elicere satagit, largam sibi *herbarum & florum* procuret copiam, ni in vanum laborare velit.

Flores & herbæ minorem Spirituum quantitatem præbent quam fructus.

Quantâ cum difficultate *Spiritus Salis* genuini aliqua copia vel quantitas acquiratur, de hoc non satis querelarum est, non modò apud Pharmacopœos, sed ipsos etiam Chymicos, eosque qui in ejusmodi *Spirituum destillationibus* ex professo & unicè occupati sunt: Hinc adeò fit, quod dictus Spiritus Salis, rarò purus, & aliis, (maximè verò *Spiritu Nitri*,) non adulteratus divendatur, ut ita nullus, nisi qui ipsus illum destillaverit, de legitimo & vero *Salis Spiritu* certus esse possit. Causam hujus mali, aut difficilis destillationis nemo adhùc detexit, aut assignare potuit, quam tamen ipsa natura nobis patefacit: Etenim quis non videt, si *Spiritus Salis*, *Vitrioli* aut similes *Spiritus acidi & corrosivi*, super *arenam*, *lateres* aut *terram figulinam siccam* vel *bolum* fundantur, (uti non rarò ex incuria, & eorum transvasatione contingit,) quod fermententur veluti & ebulliant, inque res prædictas agant, & agendo vicissim patiantur, imò totaliter destruantur, ac in aliud ens convertantur, non secus, ac si pro solutione rerum aliarum mineralium & metallicarum adhibiti essent? Si hoc evenit jam paratis aut *destillatis Spiritibus*, quid obstat dic amabo, quin etiam in ipsa destillatione *Spiritus salis egredientes & fervidi*, *terram figulinam* statim, cui impactum est *Sal*, aggrediantur, corrodant & ita se reciprocè destruant, ut exigua portio *Spiritus*, eaque tota phlegmatica vel aquosa transeat? Objiciet autem quispiam, quod *Spiritus Nitri* æquè acidus sit ac *Spiritus Salis*:

Spiritus Salis destillatio, cur difficilis.

Nitrum autem utplurimùm *terra figulina* etiam commisceatur, in globulos efformetur, aut *bolus* illi addatur *siccus* pro destillatione, nihilominus *Spiritum* emittat *acidissimum* & *corrosivum*; Ergò. Respondeo concedendo, quod *Spiritus Nitri* acidissimus sit; imò magis corrosivus quàm *Spiritus Salis*, multò etiam majorem copiam *Spirituum corrosivorum* suppeditet *Nitrum* quam *Sal*, hinc etiam fit, quod non tota quantitas *Spiritûs Nitri* in adjectam *terram figulinam* agere & se mutuo destruere valeat, sed tantùm secundum proportionem *adjectæ terræ* variat eorum actio & reactio; quò enim plus *terræ* illi addideris, eò minus etiam *Spiritûs Nitri* adipisceris; è contra si *Alumen ustum*, aut simile quid, in quod *Spritus dicti* agere non possint, illi debitè & dextrè adjunxeris, longè majorem copiam *Spirituum* prolicies, quàm si *terram figulinam* addidisses. Secundò non omnes res vel cuncta *Mineralia* aut *Metella* corrodit aut dissolvit *Nitri Spiritus*, utpotè *Aurum*, *Antimonium crudum*, *Sulphur*, *&c.* quæ tamen *Spiritus Salis*, licet mitior sit illo, attingit: Sic etiam *Bolum* aut *terram figulinam*, item *sigillatam*, quæ utplurimùm semine Auri prægnantia sunt, proprietate suâ *Spiritus Salis* citiùs aggreditur, quàm *Nitri*. Patet ergò, quod præpostere *argilla* vel *terra figulina Sali* & similibus rebus, *Nitro* etiam jungatur, pro destillatione ipsorum *Spirituum*. Ipsa quoque *sublimatio Mercurii aut Argenti vivi* peragenda cum *Sale* & *Vitriolo*, id luculentissimè demostrat, ubi *Spiritus omnes Salis & Vitrioli* in ipsa sublimatione *Mercurium* dissolvunt, & in duram ac solidam compagem (quod sine additione illorum fieri non posset,) transfigurant; de *Spiritibus* autem dictorum, *Vitrioli* & *Salis*, nequicquam transit aut prolicitur. Propterea hanc cantilenam, quam omnia *tyrocinia Chymica* in destillatione horum *Spirituum* modulantur, cum plurimis aliis indignis processibus & mendis, quibus illa utplurimum scatent, explodimus merito. Qualiter autem *hi Spiritus* destillandi, vel potiùs quibus rebus pro destillatione permiscendi sunt, jam dum paulò ante dictum est; qui verò *Experientissimi Glauberi*, hujus & aliorum similium *Spirituum* destillandi modos, quos indigitat *in tract. 1. & 2. primi & secundi sui Furni philosophici* amplecti velit, illi non repugno, quin insuper moneo, ut *Spirituum præfatorum* virtutes discrepantes ac debitos diversosque utendi modos, ex solido ejus discursu, lectione diligenti colligat.

Mercur. in duram ac solidam compagem sublimatur, beneficio Spirituum corrosivorum, Salis & Vitrioli vel Nitri.

De *Spiritu Tartari* hoc quod moneam habeo, ut pro ejus destillatione, *Tartarus unicâ solutione* (quæ commodè spatio unius diei in vesica cuprea, exiguo cum labore & dispendio fieri poterit,) *& crystallisatione* purificetur. Ita enim *defæcatus*, *& ab inhærentibus stipitibus liberatus Tartarus* destillationi commissus, non graveolentem, uti alias, sed fragrantem & insigniter penetrantem præbet *Spiritum*. Etenim *Tartarus crudus*, quàm purus etiam esse videatur, plurimis tamen rebus heterogeneis permixtus deprehenditur, à quibus demùm insignis ille fœtor oritur, propterea *vulgaris Spiritus Tartari*, ut in officinis prostat, quique à suo relicto *capite mortuo* non rectificatus, nec à suo abundante *phlegmate* liberatus fuerit, nullâ ratione pro puro puto *Tartari Spiritu*, sed mixto & inquinato haberi debet, ut inposterum non sit, quod miremur, ab eodem *Spiritu Tartari fœtido* sæpè contrarias operationes & pessimos quandoque suboriri effectus.

Spiritus Tartari genuinus.

Spiritus Sulphuris qualiter per campanam aut retortam, aliisque modis destillari possit, *vide Clariss. Schröderum* l. 3. c. 28. *nec non Doctiss. Glaub. Tr. 2. Furni philosoph. f.* 181.

Spiritus Sulph.

SPIRITUS COMPOSITI.

Spiritus Cephalicus.

℞. Flavedinis corticum Citrii pomi recentis,
Seminis Pæoniæ rec. excort. ana uncias quatuor,
Baccarum Juniperi maturarum,
Lauri decort. ana unc. duas,

Cina-

Cinamomi acutiſſimi uncias tres,
Ligni Aloës optimi,
Dictamni albi,
Caryophyllorum ana unciam unam,
Nucis Moſchatæ,
Macis,
Galangæ minoris,
Coſti albi aromatici ana unciam ſemis,
Santali citrini odoratiſſimi,
Cardamomi minoris,
Piperis albi ana drachmas tres,
Longi drachmam unam.

Macerentur cum libris quatuor Spiritûs vini optimè rectificati, ſtent in infuſione per decendium. Inſuper

℞. Menthæ criſpæ,
Lavendulæ,
Pulegii,
Nepetæ,
Salviæ nobilis,
Fœniculi,
Meliſſæ ana uncias tres.

Infundantur cum vini Malvatici optimi libris quinque, ſtent per ſex dies, poſtea deſtillentur, deſtillatum addatur priori ſpiritui colato, & ſimul mixtis diſſolve Sacchari Candi albiſſimi libram unam: colentur omnia iterum, additâ in fine Croci Orientalis drachmâ unâ, Ambræ electæ granis quindecim, & Moſchi finiſſimi ſcrupulo ſemis in ſindone tenui ligatorum: Servetur uſui.

Cerebrum & omnes ejus functiones mirè corroborat, catarrhos diſcutit, præſervat ab apoplexia, epilepſia, lethargo; utilis etiam eſt in ſyncope, cordis palpitatione, conſumit pituitam in ventriculo & inteſtinis: omnibus denique à frigiditate ortum ducentibus morbis magnoperè conducit.

Accuratam hanc Spiritûs Cephalici deſcriptionem, Diſpenſatorio noſtro adjungere placuit Viro Clariſſimo D. D. Andreæ Layo, Collegæ nobis plurimùm dilecto.

Spiritus Euphraſiæ Mindereri.

℞. Spiritus Ceraſor. nigrorum lib. unam,
Aquæ Hirundinum compoſitæ majoris uncias ſex,
Doronici veri,
Caſſiæ ligneæ veræ,
Amomi veri,
Radicis Valerianæ,
Chelidoniæ ana drachm. duas,
Mari veri,
Fol. Rutæ ana drachmam unam,
Florum Euphraſiæ ſelectiſſimorum ſiccorum unciam unam ſemis, vel recentium, quantum poteſt infundi.

Infundantur per noctem in liquoribus his, vaſe benè perlutato, manè per Balneum Mariæ deſtillentur leni igne, iſte Spiritus reſervetur in vitro.

Viſionem reparat hic Spiritus, cum Spiritus viſivos reficiat, cerebri frigiditatem corrigat, Spiritus in eo mundet & clarificet, in ſcotomia & vertigine optimè proficiens.

Spiritus Diatrion.

℞. Spiritus Theriacalis Camphorati uncias quinque,
Tartari rectificati uncias tres,
Vitrioli rectificati unc. unam.
Miſce:

Digerantur in Phiola hermeticè ſigillata per tres ſeptimanas.

Nobiliſſimum medicamentum ad plurimos morbos, ad omnes obſtructiones viſcerum reſerandas, ad pleuritidem, ad menſtrua, uterum calefaciendum, ad venena, & malignam materiam in febribus per ſudorem diſcutiendam exiſtit.

Spiritus Diapente.

℞. Elixir proprietatis Paracelſi unciam unam,
Spir. Theriacalis Camphorati drachm. unam ſemis,
Vitrioli rectificati drach. unam,
Tartari rectificati ſcrup. duos,
Salis rectificati, in quo folia auri n. x. ſoluta ſint, drach. unam.

Omnia ſimul miſceantur & digerantur per quatuordecim dies, & reſerventur uſui.

In

In affectibus ventriculi & capitis multum valet, humores ventriculi vitiosos educit; siccat & mundificat, urinam provocat, & per emunctoria cutis corporis habitum repurgat.

Spiritus Theriacalis Camphoratus.

℞. Spiritûs vini optimè rect. & ab omni phlegmate depurati uncias decem,
Theriacæ Andromachi veteris uncias quinque,
Myrrhæ rubræ uncias duas semis,
Croci Austriaci unciam semis.

Inditis omnibus cucurbitæ vitreæ, impositoque Alembico cœco & juncturis optimè clausis, ne quidpiam expiret, stent in infusione per octiduum in loco calido. Postea imposito Alembico rostrato, in cujus limbo vel rostro ponantur Camphoræ drachmæ duæ, fiat in balneo Mariæ lentissimo igne destillatio, ut vix trium vel quatuor dierum spatio totum extillet. Tandem, cessante destillatione calor augeatur ad ebullitionem aquæ in balneo Mariæ. Hac finitâ destillatione, destillatum fæcibus iterum affunde, juncturis clausis digere per triduum, postea in balneo Mariæ destilla, ut priùs. Denique destillatum iterum fæcibus redde, digere per triduum, & destilla per cineres lentissimo igne, usque ad siccitatem: juncturis semper exquisitè clausis.

Egregiè ad sudores eliciendos in peste, ictero, febribus lentis quartanâ & similibus confert, penetrat nervos, musculos, & quicquid noxium reperit, corrigit atque expellit.

Spiritus Vitrioli Cordialis Angeli Salæ.

℞. Ossis Cervini mense Junio recenter albissimè calcinati uncias sex.
Spiritus Vitrioli acidi uncias octo.

Immitte in calcinationem & arescet, ita ut in pulverem possis redigere, stent ita ad decem dies, deinde per retortam magnam destillentur, & liquor elicitus servetur.

Cordiale præstantissimum, febribus item omnibus salubre medicamentum, contra putredines inprimis salutare.

ANIMADVERSIONES

In Spiritus Compositos omnes.

Spiritus Cephalicus si debitè & dextrè paretur, inque *Essentiam* redigatur, non exiguas in confortando *cerebro* obtinebit virtutes; Proinde posthabito modo præscripto, utpotè qui ratione prioris infusionis & extractionis ex parte insufficiens est, sequenti ratione etiam præparationem instituamus.

Essentia Cephalica.

℞. *Flavedinis corticum Pomorum Citriorum recentium,*
Sem. Pæoniæ recent. excort. ana uncias quatuor.
Baccar. Iuniperi maturarum,
Lauri decorticatarum ana uncias duas,
Cinamomi acutissimi uncias tres,
Ligni Aloës opt.
Dictamni albi,
Caryophyllorum ana unciam unam,
Nucis Moschat.
Macis,
Galangæ minoris,
Costi albi aromatici ana unciam semis,
Santali citrini odoratiss.
Cardamomi,
Piperis albi ana drachmas tres,
longi drachmam unam,
Spiritus vini optimè rectificati libras quatuor.

Species omnes crassiusculè contusæ macerentur in dicto *Spiritu vini* per octiduum, postea in M. B. destillentur usque ad siccitatem *specierum*, rostro Alembici vel capitelli impositis nodulo inclusis,

Ambræ gryseæ gr. quindecim,
Moschi ℈ ß,
Croci Austriaci drachmâ unâ.

Spiritus fragrantissimus interim asservetur.

Ex residuis *speciebus* ope *Spiritus vini recentis s. q.* affusi fiat more communi *Extractum*, iteratâ *Spiritus vini* affusione, filtratione, ejusdemque abstractione in M. B. ad consistentiam debitam, quod superiori *spiritui destillato* jungatur.

Jam demùm

℞. *Menthæ crispæ,*
Lavendulæ florum,
Pulegii,
Nepetæ,
Salviæ Nobilis,
Fœniculi,
Melissæ ana recentium uncias tres,

Concisa infundantur in *vini Malvatici libris quatuor*, & peractâ unius septimanæ digestione, destillentur in M.B. ad siccitatem, immisso similiter rostro capitelli eodem sacculo, cui *Moschus*, *Ambra* & *Crocus* inclusa, & jam semel in superiori destillatione extracta sunt: *Aqua prolecta fragrans & spirituosa* superiori *Essentiæ* addatur, quæ simul aliquandiu lenissimo calore circulentur: Tandem *filtrata Essentia*, ceu nobilissima & efficacissima usui asservetur; Quam si libuerit acuere *Spiritu Vitrioli Sulphureo volatili*, vel *spiritu Veneris ex viridi Ære*, rem minimè pœnitendam efficies.

Spiritus sive Essentia Euphrasiæ.

Spiritus Euphrasiæ Mindereri juxta modum in antecedentis *Essentiæ cephalicæ animadversionibus* edoctum, etiam in *Essentiam* efficacem mutari potest, nimirùm

℞. *Doronici veri,*
Cassiæ ligneæ veræ,
Amomi veri,
Rad. Valerianæ,
Chelidoniæ,
Mari veri,
Foliorum Rutæ ana drachmas duas,
Florum vel summit. Euphrasiæ uncias duas,

Incisa & contusa crassiusculè infundantur in

Spiritus Cerasorum nigr. librâ unâ.

Et peractâ digestione aliquali, destillentur in M. B. ad siccitatem *specierum*. Ex *residuis speciebus* conficiatur beneficio *Spiritus vini Extractum spissum*, quod *superiori prolecto Spiritui* junctum, aliquandiu cum ipso digeratur, filtretur, & ultimò additis *aquæ vel Essentiæ Hirundinum compositæ*, in *animadversionibus nostris super aquam hanc edoctæ*, *unciis sex*, *Essentia* usui seponatur.

Mixtura de tribus.

Insignis Mixtura de tribus, seu *Spiritus Diatrion*, optimè etiam admixto *Spiritu Antimonii Tartarisato* (ex *cremore Tartari & Antimonio* parato,) confici poterit; Ac licet nonnihil de *Essentia Theriacali camphorata*, (quæ etiam ex *spiritu* in *Essentiam*, uti mox sequetur, elaboranda est, & meritò loco *Spiritus Theriacalis* huic *mixturæ* jungi potest;) præcipitetur, quod per filtrum separandum est, nullam tamen hæc mixtura singularem virium jacturam exindè patietur, cùm nihilominùs potiores rerum extractarum Essentiæ ipsi imprægnatæ remaneant.

maneant. Si qua etiam alicui alia, præſcriptæ non abſimilis, *compoſitio* arrideret, non inelegans foret ſequens.

Mixtura de tribus alia.

℞. *Spiritus Iuniperi libram unam,*
Cui immerge
Myrrhæ rubræ unciam unam,
Camphoræ drachmas duas,
Croci Auſtriaci drachmas tres,

Digerantur aliquandiu loco calido; poſtea filtrentur, addendo *Spiritus Antimonii Tartariſati* ſuperius denominati, vel etiam *Spiritûs ex Sulphure, Tartari cremore & Nitro uncias quatuor.* Quæ confuſa invicem digerantur, & *Eſſentia Alexipharmaca* à reſidentia filtrata ſtudiosè aſſervetur. Ad morbum verò comitialem ſive epilepſiam pro puerulis fiat ejuſmodi mixtura.

Mixtur. de tribus ex ſpiritibus mineralium.

℞. *Spiritûs Antimonii Tartariſati uncias duas,*
Veneris vel viridis Æris unciam unam,
Vitrioli volatilis ſulphurei uncias tres.
Miſceantur.

Spiritus Diapente.

In *Spiritu Diapente folia Auri* fruſtrà ſaltem adduntur, cum vix dimidium granum pondere adæquent, à quo hæc mixtura non ſingulares virtutes mutuari poterit; Addo, quod *Aurum* tàm craſsè hoc modo reſolutum pro uſu interno nimis crudum & ineptum ſit, ut hac ratione *folia Auri*, ſalvis hujus *Spiritûs* vel *mixturæ* viribus, commodè omitti poſſent. Cæterùm, *Spiritus Tartari*, ut antea monui, fit ex cremore vel Tartaro ſemel ſoluto colato & iterum cryſtallizato deſtillatus, & à ſuo cap. mortuo rectificatus & dephlegmatus. *Spiritum Theriacalem camphoratum* per infuſionem parare ſatiùs eſſe puto, quàm per deſtillationem; ratio eſt, quòd peractâ deſtillatione, ſi modo præſcripto conficiatur, potior pars in fundo remaneat, non ſolùm *Theriacæ* ſed etiam *Myrrhæ & Croci.* Si itaque libuerit, fiat ejus præparatio in hunc modum, videlicet

Eſſentia Theriacalis camphorata.

℞. *Myrrhæ optimæ uncias duas ſemis,*
Croci Auſtr. unciam ſemis,
Quibus inciſis & contuſis affunde
Spiritûs vini rectificati uncias ſex,

Digerantur aliquandiu: *Tinctura decantata* filtretur; poſtea ex reſiduo (*Myrrhâ* ſcil. & *Croco* jam ſemel extractis,) affuſo recenti *vini Spiritu* paretur *Extractum*, quod ad juſtam conſiſtentiam abſtractum, *ſuperiori Eſſentiæ* addatur. Tandem etiam

℞. *Theriacæ Andromachi uncias quinque,*
Cui ſuperinfundantur
Spiritûs vini (vel Spiritûs Iuniperi) unciæ quinque,

factâque digeſtione ſeparetur *liquor*, qui, ſi poſſibile eſt, filtretur, & ſuperiori *Eſſentiæ ex Myrrha & Croco* paratæ jungatur: Poſtea ſolvantur in *uncia una Spiritus vini rectificati*, *Camphoræ drachmæ duæ*, quæ ſimiliter cum prioribus mixtis *Eſſentiis* uniantur. *Vnitæ hæ Eſſentiæ omnes* leniſſimo ſaltem calore vel tepore in vaſe optimè clauſo & alto ſeptimanâ unâ vel alterâ digerantur, factâque colaturâ & iteratâ filtratione, *Eſſentia* denique uſui aſſervetur.

Spiritus Vitrioli cordialis Ang. Salæ.

Spiritus Vitrioli cordialem Angeli Salæ ſi penitiùs introſpicio, nil quicquam cordialis in eo reperio; neque enim *Spiritus Vitrioli* ullas virtutes cordiales à *Cornu Cervi uſto* contrahere poteſt, cùm illud (uti aliquoties in præcedentibus ſatis evidenter demonſtratum eſt,) omnibus ſuis viribus in calcinatione orbatum ſit; itaque quod ipſummet non habet, *Spiritui Vitrioli* communicare non poterit.

ELI-

ELIXIR.

Elixir purgans Panchymagogum.

℞. Rhabarbari electi unciam unam semis,
Spicæ Indicæ scrupulum unum semis,
Santalorum omnium ana drach. unam.
Infunde in Spiritûs baccarum Juniperi unciis octo, digere & cola: Deinde
℞. Agarici electi,
Cinamomi ana unciam unam,
Zingiberis scrupulos duos.
Infunde in Spiritûs Fœniculi unciis sex,
Juniperi unciis quatuor.
Misce, digere, cola. Ultimò recipe
Mechoacæ albæ uncias duas,
nigræ drachmas decem,
Turbith albi & gummosi unciam unam semis,
Hermodactylorum præparatorum unciam unam,
Rad. Polypodii quercini,
Ari præparati,
Asari ana drachmas tres,
Hellebori nigri præparati drachmas septem,
Cort. rad. Esulæ præparat. drach. sex,
Arantiorum,
Citri ana unciam semis,
Florum Violarum,
Borraginis,
Genistæ ana pugillum unum,
Foliorum Senæ sine stipitibus,
Semin. Carthami excorticati ana unciam unam semis,
Ebuli contusi drachmas tres,
Macis drachmam unam.
Incisis omnibus & contusis affunde Spiritûs Anisi libras quatuor: Digerantur aliquandiu & colentur. Tandem omnes hos tres liquores commisce, & asserva in vase vitreo optimè clauso ad usum.

Pro libitu dulcorari potest Julapio Rosarum, aut Sambucino & similibus.

Cum Pharmacopœia Augustana certo liquore purgante careat, eandem Spiritu hoc cathartico, cacochymiæ universali evacuandæ singulariter accommodato, multoque sibi usu probato, mactam voluit operis hujus Revisor.

Elixir Pestilentiale Crollii.

℞. Florum Sulphuris uncias tres,
Affunde olei Juniperini è báccis rectificati, ad eminentiam trium vel quatuor digitorum,
Succini ab odoris vehementia liberati, quartam partem ad oleum Juniperi: stent in arena sæpiùs movendo, ut flores lentè sine adustione solvantur. Postea
℞. Theriacæ electæ libram unam.
Extrahe cum Spiritu vini optimo tincturam, quam à Spiritu vini separatam seorsim serva;
Radicum Elenii,
Angelicæ,
Baccarum Juniperi contusarum ana uncias tres.
Cum eodem Spiritu vini extrahe tincturam, quam in balneo separatam, misce cum tinctura Theriacæ, ac affunde oleum Juniperinum & Succini floribus Sulphuris imprægnatum, & per chartam bibulam priùs filtratum, omniaque circula lentissimo calore per dies quatuordecim.

Præsentaneum est in peste præservativum, & curativum, si cum liquore appropriato maturè exhibeatur; morbis eodem modo epidemiis aliis certissimum præstat auxilium.

Elixir Proprietatis Paracelsi.

℞. Aloës,
Myrrhæ,
Croci ana quantum placet.
Pulverisatis omnibus affunde tantum Spiritûs vini, ut leviter madefiant: postea affun-

de Spiritûs Sulphuris per campanam facti quantum ad supereminentiam trium transversim positorum digitorum sufficit. Stent in digestione per octiduum, Spiritum tinctum decanta, & novum Spiritum affunde, iterum digere, donec Spiritus colorem saturatè rubentem acquirat. Hunc ultimum Spiritum infunde in phiolam vitream, & cum eo argillâ benè commistâ forma globulos, quos in aëre siccatos retortæ include firmæ, quam aptato simul vase recipiente, in quod primum Spiritum tinctum priùs infuderis, in arena colloca, & igni forti destilla: Sic accipies tincturam pulchrè rubentem, quæ simul cum tincto Spiritu in receptaculi contento, in unum conjungitur, quam mixturam serva ad usum.

Hoc nobile medicamentum à nobili Chymiatro D. D. Ioan Agricola hoc modo correctum, omnes infirmitates tàm calidas quàm frigidas occultâ quâdam proprietate curat. Sensus interiores & exteriores confortat, capitis infirmitatibus medetur, stomachum cum intestinis confortat, corroborat & exhilarat, catarrhosis & hecticis subvenit.

Elixir Uterinum Crollii.

℞. Castorei libram semis,
Croci uncias duas.

Extrahe tincturam cujusque seorsim cum Spiritu vini, & separa Spiritum ad remanentiam extractorum, quibus mixtis adde

Extracti Artemisiæ uncias quatuor,
Salis matris Perlarum unciam unam,
Ol. destillatorum Anisi,
Angelicæ,
Succini ana drach. duas.

Digerantur mixta omnia per octo dies.

Ad varios uteri morbos, suffocationem minitantes mirum & verum præstat remedium; etiam menstruorum vitia corrigit & emendat.

ANIMADVERSIONES

In Elixiria.

Elixir Panchymagogon purgans.

Elixireos Panchymagogi purgantis dosis, si illud juxta modum præscriptum conficiendum est, *ad uncias duas vel amplius* se extendet; si verò artificiosè & modo rationabili paretur, dosis ejus *unciam dimidiam vel drachmas sex* non transcendet. Igitur

℞. *Cinamomi optimi unciam unam,*
Zingiberis scrupulos duos,
Spicæ Indicæ drachmam semis,
Santalorum omnium ana drachmam unam,
Corticum Arantiorum,
Citri ana recent. unciam semis,
Macis drachmas duas,
Florum Violarum,
Borraginis,
Genistæ ana pugillum unum.

Quibus incisis & contusis superaffundantur

Spiritus Iuniperi rectif. unciæ sex,
Fœniculi rectif. unciæ tres,
Anisi rectif. libra una, unciæ tres,

& peractâ brevi digestione destillentur in M. B. ad siccitatem usque *Spiritus fragans destillatus* studiosè interim asservetur, *speciebus, quæ à destillatione residuæ sunt,* abjectis. Postea

℞. *Rhabarbari electi unciam unam semis,*
Agarici electi unciam unam,

Mechoacæ

Mechoacæ albæ uncias duas,
nigræ drachmas decem,
Turbith albi & gummos. unciam unam semis,
Hermodactylorum unciam unam,
Rad. Polypodii quercini,
Ari,
Asari ana drachmas tres,
Hellebori nigri drachmas septem,
Cort. rad. Esulæ præparat. drachmas sex,
Foliorum Senæ sine stip. unciam unam semis,
Semin. Ebuli drachmas tres.

Ex quibus omnibus incisis & grosso modo contusis, fiat *cum spiritu vini rectificato* iteratis affusionibus (donec species totaliter extractæ sint,) & abstractione per M. B. *liquidioris consistentiæ extractum*, cui *superior destillatus Spiritus* superaffundatur, & post unius alteriusvè diei digestionem & *extracti* solutionem *Essentia* filtretur; Si quid autem de *extracto* indissolutum remanserit, perfundatur illud de novo *Spiritus Iuniperi*, *Anisi & Fœniculi ana rectific. unciis duabus*, vel *Spiritûs vini simpl. unciis sex*, & post brevem digestionem, ac totalem extracti tenuioris dissolutionem ferè, fiat colatura, quæ *superiori Essentiæ* commisceatur: Quam, quotiescunque usus postulat, cum *Syrupo* aliquo appropriato (utplurimùm refrigerante, ad contemperandum *Spiritum vini*, præsertim, si in regionibus calidioribus ejus usus sit:) edulcoratam propinare convenit; plus enim ita operabitur, quàm si cum liquoribus aquosis permixta adhibeatur, ratione *Turbith*, *Agarici*, *Mechoac. albæ & nigræ*, quæ *resinosum* præbent *extractum*, quod facilè ab *aqua* præcipitatur & coagulatur, *resinæ* autem similes indissolutæ intra corpus sumptæ nil operantur.

Nota: Omisi *semin. Carthami* in hac *Essentia* vel *Elix.* ob unctuositatem suam, utpotè quâ duntaxat impediret, quò minus reliqua *Cathartica* exactè extrahi possent; unicuique tamen liberum erit illud vel addere vel omittere.

Elixir Pestilentiale Crollii examin.

Elixir Pestilentiale Crollii suis quoque non caret difficultatibus: Nam *extracta* à suis *Spiritibus vel menstruis*, (uti Author hic jubet,) separata, & *olea*, præsertim in majori paulò quantitate, se invicem non amplectuntur; itaque si quid boni ex hac mixtura efficere velimus, necessum est, ut duntaxat *Essentias rectificatissimo vini Spiritu ex Theriacâ* separatim, deinde etiam *ex radicibus Helenii*, *Angelicæ & baccis Iuniperi* junctim conficiamus, de quibus *Essentiis* postea superiori *Balsamo Sulphuris* tantum addatur, quantum ille dissolvere aut amplecti potest; Tùm fiat digestio & colatura; *Oleum Succini* autem ab odoris vehementia liberari nequit, nisi vires ejus, in *volatili Sale* consistentes simul aboleantur. Libet adhuc aliud *Elixir Pestilentiale* addere,

Elixir Pestilentiale aliud.

utpotè:

℞. *Spiritus Iuniperi opt. rectif. libram unam.*
In quo suffocentur immergendo
Corda viva & jecinora Viperarum vel Serpentum Germanicorum in locis sanis degentium numero xv.

adde

Croci Austriaci unciam semis;
Myrrhæ drachmas sex.

Fiatque digestio per unum aut alterum diem, & postea colatura, in qua dissolve

Camphoræ drachmam unam,
&
Balſami Sulphuris cum oleo Iuniperi & Succini optimè rectificatis facti, quantum capere poteſt;
vel ſi lubet, hujus loco
Salis Vrinæ volatilis drachmas duas vel drachmas tres.

Tùm demùm paratum *Elixir Peſtilentiale* præſtantiſſimum optimè reſerva.

Elixir Proprietatis examin.

Pro *Elixiris Proprietatis Paracelſi* dexteriori præparatione notandum, quòd plus *Spiritûs vini*, quàm ad levem madefactionem *ſpecierum* ſufficiat, affundi neceſſum ſit, ne *Spiritus Sulphuris*, præſertim ſi probè dephlegmatus fuerit, ſpecies nimiùm comburat; Alteram illam infuſionem *argillâ* benè commiſtam, & in globulos redactam, per retortam deſtillare, neque neceſſarium neque etiam conſultum eſſe arbitror: Præterquam enim, quod *Eſſentia* ex ſupradictis ſpeciebus extracta, ſi per retortam ex arena igne forti deſtilletur, ingratum empyreuma contrahat, inſuper etiam commiſtione illâ inſignem virium patiatur jacturam: Nam *Spiritus Sulphuris argillam* aggreditur eamque corrodit, & dum in ipſam agit, agendo repatitur, plurimumque infringitur, ac aliam naturam induit, imò in totum aliud ens transmutatur, ut adeò ſimplicem & antiquam illam hujus *Elixiris* præparationem, quæ fit per ſufficientem *ſpecierum extractionem Spiritu vini & Sulphuris*, & per aliqualem *Spiritûs vini* abſtractionem, artificioſæ huic tantoperè commendatæ, aſt planè ineptæ & cachino dignæ correctioni, in multis præferre neceſſe habeam; tùm quod in ea vires ingredientium nullatenus deſtruantur, (prout in deſtillatione etiam reliquæ ſpecies comburuntur, & ſalvis viribus per Alembicum non tranſeunt,) tùm etiam, quod nullum ingratum taliter paratum præ ſe ferat odorem.

Elixir uterinum Crollii præſtabit ceu nimis ſpiſſum, & ad uſus internos non admodum habile (nî priùs aliis liquoribus diſſolvatur,) in *Eſſentiam liquidam* redigere: ità enim & commodiùs propinatur, & virtutes *Caſtorei* omnes integræ conſervantur. Paretur igitur hoc modo:

Eſſentia uterina, ſive Elix. uterinum liquidum.

℞. *Caſtorei libram ſemis,*
Croci Auſtriaci uncias duas,
Spiritûs vini opt. & rectificatiſſ. libras duas.

Stent in digeſtione in vitro benè clauſo die unâ vel alterâ, poſtea in M. B. deſtillando evocetur *Spiritus* totus, cui ſtatim jungantur:

Ol. ſtillat. Aniſi,
Angelicæ,
Succini ana drachmæ duæ.

Quo facto, mixtura ſeorſim ſervetur. Deinde ex *reſiduo Caſtorio* & *Croco* fiat modo ſolito *Spiritu vini* repetitis affuſionibus & abſtractione in M. B. *extractum craſſum*, quod de novo prius *unciis ſex vel ſeptem Spiritûs vini rectificatiſſimi* (vel illius, qui in abſtractione *extracti* primò prodiit,) unà cum *unciis quatuor extracti Artemiſiæ* nonnihil dilutum, *ſuperiori Spiritui Oleis permixto* addatur, ſimiliter *Salis Matris Perlarum uncia una*, in ultimò à *Caſtorei extracto* abſtracti *Spiritûs phlegmatici ſ. q.* prius diſſoluta, addi debet. Quæ omnia artificioſè juncta, ſeptimanam unam vel alteram in tepore digerantur, tandem colata & filtrata *Eſſentia* uſui alſervetur.

ESSENTIÆ.

Essentia Ambræ Mindereri.

℞. Elixir vitæ Matthioli uncias duas,
Aquæ Epilepticæ Langii unc. unam,
Ambræ scrupulum unum,
Moschi Orientalis grana quatuor.
Fiat infusio per aliquot dies, deinde filtretur.

PRæstans hoc & illustre remedium animum & Spiritus animales reficit, in omnibus organis facultatis animalis, ita ut & in vertigine, scotomiâ, caligine oculorum, capitis frigidis affectibus excellentissimum sit.

Essentia Castorei Sennerti.

℞. Castorei libram unam: Seca id in minutissimas particulas, affunde acetum vini destillatum forte, & extrahe tincturam, per chartam filtra,& acetum per balneum destillando separa. Materiæ restanti Spiritum vini rectificatum affunde, & per quatuordecim dies digere, postea in vitrum purum Essentiam effunde, & serva.

Essentia Citri.

℞. Elæosacchari Citri unc.duas semis,
Succi oleosi ex recentibus corticibus Citri exterioribus expressi, quantum sufficit, ut fiat Essentia liquida.
Misce secundum artem.

DElicata admodum & præstans est hæc Essentia ad cordis & ventriculi imbecillitatem juvandam, venenis etiam adversatur, oris halitum commendat vino permixta, illud suavissimo suo odore & sapore magnificè commendat.

Essentia Croci Martis Crollii.

℞. Scoriam ferri cœruleam: tere in pulverem minutum, pone in vitro, affunde acetum vini destillatum acerrimum, stet in calore mediocri per quatuordecim dies, & tingetur colore rubro, filtra & abstrahe in balneo, remanet materia rubra, à qua ter vel quater aqua pluvialis abstrahitur, ut sapor aceti evanescat.

COnducit in sistendis fluxionibus, intempestivis menstruis, in dysenteriis, diarrhœis, hæmorrhagiis salubre.

Essentia Martis Liquida.

Ferrum limatum candefac igne valido, aut in crucibulo, aut ollâ, excandescens limatum ferrum extingue in sufficienti quantitate aceti acerrimi: reiteretur labor prædictus ter aut quinquies semper cum extinctione ferri in aceto,deinde acetum (Essentiâ Martis prægnans,) filtra per chartam, & impone cucurbitæ, abstrahe acetum in balneo, ad latitudinem trium digitorum; remanentiis verò affunde Spiritum vini in quantitate sufficiente pro extrahenda Essentia Martis, iterum Spiritum vini tinctum filtra, & in balneo abstrahe, usque ad Syrupi liquidioris consistentiam.

Essentia Saccharina Beguini.

℞. Sacchari albi grossè tusi unc. quatuor,
Spiritûs vini rectificati uncias octo.
Spiritum vini succende in scutella figulina vitreata, in quam Saccharum injice, continuè spatulâ agitando, donec flamma cesset. Adde si placet aquæ Rosaceæ uncias duas.
Misce.

ESt suavissimi saporis, corroborat, & tussi à materia lenta & crassa laborantibus certo experimento opitulatur, asthmati, raucedini, & pectoris affectibus medetur. Incidit enim istam materiam, absumit eam, lenit pectus, catarrhos nonnihil sistit, & ventriculi concoctionem promovet.

ANIMADVERSIONES
In Essentias.

Essentiæ Ambræ Mindereri ventilatur.

IN præparatione *Essentiæ Ambræ Mindereri* hoc difficultatis occurrit, quòd neque *Elixir vitæ Matthioli*, utpotè quod jam ante plurimis *speciebus oleaginosis & Saccharo* sufficienter imbutum est, multò minùs *aqua Epileptica Langii*, Essentiam ex *Ambra* & *Moscho* rectè elicere valeant, licet aliquali odore & sapore *Ambræ* & *Moschi* imbuantur, potioribus tamen eorundem partibus & virtutibus relictis; adeoque necesse est, si veram prædictarum rerum odoriferarum *Essentiam* exoptas, ut aliâ ratione rem aggrediaris. Nimirùm,

Essentia Ambræ liquida.

℞. *Spiritus Lilior. convallium vel Rosarum vel etiam Cerasorum nigrorum rectif. uncias tres.*

Indantur retortæ vitreæ, vel cucurbitæ parvæ cum suo capitello munitæ, cujus rostro inserantur nodulo inclusa:

Ambræ grys. scrupulus unus,
Moschi Orient. gr. v. plus minusvè.

Fiatque, probè circumlitis juncturis & recipiente præposito *Spiritus* destillatio vel abstractio, qui in transitu vires *Ambræ* & *Moschi* eliciet; hic *Spiritus Ambratus* postea cum *Elæosaccharis vel Cinamomi vel Citri aut Macis* edulcorari & asservari potest.

Essentia Ambræ sicca.

Si quispiam etiam *Essentiam Ambræ siccam* desideret, quæ & commodiùs circumferri possit, & meo judicio præcedentem viribus superet, licet *Ambra in substantia* ipsi commisceatur, confici illa potest modo sequenti.

℞. *Ambræ gryseæ drachmam unam,*
dissolvatur in
Olei destillat. Cinamomi,
vel si lubet
Olei Citri recenter & ex recentibus Cort. sine maceratione still. aut Macis, &c. drachmâ unâ,
in mortario vitreo, cui adde
Sacchari Candi pulveris. uncias duas, plus minusvè.

Misceantur benè, fiatque *Essentia Ambrata nobilissima*, quæ *vino* & quibuscunque liquoribus dissolvi & commisceri potest, delicatulis viribusque exhaustis ægrotantibus summoperè inserviens.

Essentia Castorei Sennerti emendata.

In confectione *Essentiæ Castorei Sennerti* ne odorem Castorei, ingratum licet, ad effectus uterinos tamen summè efficacem, in prima abstractione *aceti*, *Essentiâ Castorei impregnati* (si prima extractio necessariò *aceto* fieri debet,) eamus perditum, subjungam modum, quò *Essentia hæc* juxta modum præscriptum quidem elaborari possit, nil quicquam tamen de *Castoreo* pereat.

Itaque

℞. *Castorei optimi & recentis libram semis,*
Spiritus vini rectificati libras duas,

Fiat infusio *Castoreo* conciso, & post digestionem aliquot dierum *Spiritus vini affusi* abstractio per M. B. ad siccitatem *Castorei* pristinam, *Spiritus abstractus* interim reservetur: *Residuo Castoreo* affundatur *acetum destillatum*, & eo, repetitâ affusione extrahatur *Tinctura Castorei* tota, quodque denuò ad *extracti* spissitudinem per M. B. abstrahatur: Relictum *extractum Castorei* de novo perfundatur cum superiori, ab eo ante ipsius extractionem *abstracto vini Spiritu*, digerantur aliquot dies, filtretur postea *Essentia* usuique asservetur.

Essen-

Essentia Citri ad normam propositam parata, suas meretur laudes; efficacior autem existeret, si eidem de *succo Citri acido* simul nonnihil adjungeretur: hoc modo enim & delicatissima evadit, & ad cordis imbecillitatem ac ventriculum roborandum præstantissima; scilicet,

Essentia Citri liquida & subacida.

℞. *Sacchari Candi albissimi pulverisati libram unam,*
Succi oleosi ex recentibus Citri corticibus expressi unciam unam vel unciam unam semis,
Olei Citri recenter destill. ex recentibus & non putrefactis, aut diu maceratis corticibus, drachmam unam semis.

Misceantur & agitentur diu, ut probè uniantur, quibus addatur
Succi Citri depurati, libram semis,
Misce lenissimo calore, fiatque Essentia Syrupi ad instar subacida & delicatissima.

Vel si sicca, & non liquida nec acida expetatur, fiat modo sequenti.

Essentia Citri sicca.

℞. *Sacchari albi vel Candi pulverisati libram unam.*
Et supra ignem in patella cum *succo ex Citri corticibus extimis expresso*, nonnihil dissolvatur; ac si rotulæ confici deberent, cui demum refrigerato & exsiccato *Saccharo* adde
Olei Citri ex recentibus Citri cort. destill. drachmas tres vel unciam semis.
Fiat Essentia.

Essentiæ Croci Martis examinantur.

Essentias Croci Martis quod spectat, inter illas *Essentia Martis dicta Crollii*, (si tamen hæc *Essentia* dicenda est,) non differt à *Chalybe* cum *aceto* præparato, de quo in *classe præcedenti simplicium præparationum* sufficienter egimus.

Alteram Essentiam liquidam quod concernit, quam *Tincturam* communiter vocant, & illa nil artificiosi aut virtuosi continet; omnes enim tales *Metallorum extractiones* acidis & corrosivis liquoribus factæ, propriè *extractiones* non sunt, sed simplices duntaxat *solutiones*, pro diversitate affusi menstrui hâc vel illâ *Tincturâ* imbutæ, quæ tamen *Tinctura* tantùm abest, ut sit vera *Metalli Essentia*, quin utplurimùm ejus *Vitriolum*, sive *Metallum solutum*, fucato colore tinctum; sicuti videre est in *Vitrioli communi viridi*, quod parùm calcinatum & in rubedinem conversum, cum *aceto* in liquorem rubrum dissolvi potest; & iterum in *Vitriolum viride* crystallizari. Neque etiam *Essentia vel Tinctura* similes suum colorem retinent, prout in hac præscripta *Martis Essentia* (vel solutione potiùs,) experiundi habemus exemplum, ubi acetum, etiamsi ferrum candefactum in ipso non extinguatur, sed duntaxat *limatura vel scoria Martis* cum ejus s. q. superfusæ aliquandiu digerantur, rubicundo colore saturatè tingitur; Si quis autem illud ad tertias vel ad dimidias abstrahat & inspisset, in ipsa abstractione colore privari, & rubedinem exuere videbit, *Ferro soluto* instar *Croci flavi* petente fundum, quod *Spiritus vini* nullo modo solvit vel extrahit, & licet etiam ille rubedinem exiguam exinde eliceret, tamen in abstractione ipsius, quæ fieri debet ad Syrupi liquidioris consistentiam, illa denuò evanesceret, fundumque peteret *Ferrum*: Sunt igitur omnes hæ *Essentiæ & Tincturæ Martiales cum liquoribus acidis confectæ*, nihil aliud, quàm *Ferrum solutum* vel in *Vitriolum* redactum: Quod ipsum *Vitriolum Martis* ritè præparatum, haud indignè prædictarum *Essentiarum* vices supplere posset. Equidem tales *solutiones* quodammodo in effectu inter se differunt, non tamen hoc fit ob singularem aut artificiosam earundem elaborationem, sed propter *menstruum affusum*, cujus ratione magis vel minùs efficaces, magisque aut minùs resolventes aut adstringentes evadunt, nec non volatiliores aliæ, aliæ fixiores; v. gr. si vel *Spiritu Vitrioli, vel Spiritu Nitri* extrahatur aut solvatur *Ferrum*, magna in hisce solutionibus apparebit differentia: quippe ex illa (quæ scil. cum *Spiritu Vitrioli* fit) copiosum, ex hac verò (quæ cum *Spiritu Nitri* peragitur,) solutione, nullum ferè acquires *Vitriolum*, erit nihilominùs præstans medicamentum, tùm intra corpus, tùm externè adhibitum.

Vitriolum Martis Essentiarum Martis vices supplere potest.

Essentia Martis vera qualiter paranda.

Paratur alioquin *Tinctura Martis pulcherrima* ex solo *Vitriolo ipsius non calcinato* (ut sæpius in præsentiâ *Clariss. & Excellentiss. Viri D. Henrici Küesteri M. Doct. Celeberrimi*, qui mihi in hisce animadversionibus expoliendis fideliter suam operam impertitus est, perfeci;) beneficio *Salis cujusdam secretioris*, cujus plenariam confectionem lubens hîc addidissem, nisi illam unâ cum *Salis* dicti præparatione secreta & vera aliquandiu adhuc mihi reservare firmiter decrevissem: sufficiat hîc aperuisse, quæ qualesque aut quanti æstimandæ sint *Tinctura illa vel Solutiones*, quæ vulgò pro *Essentia Martis* venditantur, ex qua nostra de iis traditâ informatione probè intellectâ, quilibet de similibus *Tincturis*, quæ affatim apud Authores inveniuntur, facilè judicium ferre, sibique ex ipsis eligere poterit, quas maximè in rem suam esse arbitrabitur.

Tinctura Martis vulgares quales sint.

Essentia Saccharina Beguini examinatur.

Essentia Saccharina Beguini, ut ridicula est ejus præparatio, ita quoque nimis abusivè Essentiæ nomine venit: Quæ enim hæc erit *Sacchari Essentia?* Quandoquidem, si *Spiritus vini dephlegmatus & rectificatus Sacchaіо affusus* succendatur, conceptâ flamma totus deflagret, remanente *Saccharo* nihil immutato; si autem aquosus idem *Spiritus* fuerit & pluri *phlegmati* permixtus, tunc quidem cessante flammâ nonnihil de *phlegmate vini* cum *Saccharo* relinquitur, an autem *phlegma vini Saccharum* in Essentiam commutare possit, id sanè mihi non fit verisimile. Est igitur hæc *Essentia Saccharina* nihil aliud, quàm *solutio Sacchari cum phlegmate vini & aqua Rosarum* peracta, quæ longè efficacior evaderet, si *Saccharum* duntaxat in *Spiritu vini & aqua Rosarum* solveretur, ita tamen, ne is in scutella, uti jubent, succendatur vel conflagret, sed integer cum *Saccharo* remaneat. Si quis verò paulò magis artificiosam *Tincturam Sacchari* conficere velit, is aliquandiu *Saccharum aceto destillato q. s.* nonnihil dissolvat, digerat, donec rubicundissimo colore tingatur, iterumque cum eo ferè exsiccet lento igne, quod deinde *Saccharum Spiritu vini rectificato* extrahat, donec *Tinctura* omnis elicita sit, tùm denique *Spiritum vini* destillando ad *Syrupi consistentiam* evocet, servetque *Tincturam* vel *Syrupum*, in catarrhosis affectibus *tussi* & similibus efficacissimum, qui etiam cordialibus commixtus, (qualem describit *Martinus Schmuckius inter sua secreta Chymica numero* 30. *fol.* 31.) cor & ventriculum egregiè roborat & confortat.

Essentia Saccharina alia.

TINCTURÆ.

Tinctura Coralliorum.

℞. Coralliorum rubicundissimorum,
Salis Nitri purificati ana lib. semis.

In marmore simul trita misceantur, & calcinentur per horas sex, igne ita moderato, ut non liquescat nitrum. Nitrum postea separa à pulvere Coralliorum per aquam calidam: ex pulvere Coralliorum siccato, extrahe tincturam toties cum Spiritu vini rectificatissimo, donec nullus ampliùs color transfundi possit, ultimò superfluo Spiritu per destillationem ad medietatem evocato, tincturam aliquandiu circulatam usui reserva.

Mundificat & renovat plenissimè sanguinem in toto corpore, obstructiones viscerum reserat, in leucophlegmatia, cordis palpitatione, syncope, melancholia, hydrope, podagra, calculo, utero repurgando & vasis urinariis proficuum medicamentum.

Alia.

℞. Spiritum Mellis verum, funde super fragmenta Coralliorum rubicundissima per se priùs Spagyricè, & sine igne calcinata, ad extrahendum Tincturam, donec corpus album & quasi mortuum remanserit. Omnes extractiones mixtas, post debitam ablutionem & coagulationem in B. M. lentè abstrahe, & residuam essentiam denuò rectificatissimo vini Spiritu

ex-

extrahe, usque dum Tincturam rubicundissimam sanguinis instar acceperis, quam in forma olei, alcohole saltem ad medietatem abstracto, ad usum retinere poteris.

Tinctura Hyperici.

℞. Summitatum Hyperici florentis pulverisatarum, quantum vis. Macera octiduum in Spiritûs vini rectificati sufficienti quantitate, stent in loco tepido, postea filtrentur, & accipies Tincturam rubicundissimam instar Rubini, Saccharo edulcorandam, & ad usus suos asservandam.

IN contumacibus affectibus valdè utilis, imbecillitatem, hebetudinem, stupiditatem torporemque mentis, quantum per artem licet, corrigit & emendat, omnesque imaginationum affectus feliciter tollit. Morbis etiam renum & vesicæ prodest, urinam provocat, & menstrua pellit.

ANIMADVERSIONES.
In Tincturas.

NUllus ferè, qui vel à limine saltem Chymiam salutavit, est, qui non de singulari aliqua *Coralliorum Tinctura* præparatione glorietur, & insigniter se jactet: si autem paulò penitùs omnes illos processus *dictæ Tincturæ* præparandæ perlustro, invenio istos nullam planè prærogativam habere præ *Martis* (de qua paulò ante egimus,) aut aliorum *Metallorum Tincturis aut Essentiis vulgò dictis.* Nimirùm meræ *solutiones Coralliorum* sunt, non extractiones, facili negotio per præcipitationem beneficio *Salium* vel *Spirituum mineralium acidorum* in pulverem album, quem *Magisterium* vocant, vel per abstractionem menstrui, destillando vel evaporando, in *pulverem salinum* similiter album, & in quovis liquore (exceptis *Spiritibus ardentibus*,) resolubilem, quem *Salem vel solutionem Coralliorum* nuncupant, redigibiles. Consistit autem sola differentia *illarum Tincturarum* in diversitate *menstruorum vel liquorum*, quibus *Corallia* extrahuntur vel solvuntur, & prout *menstruum affusum* variat, ita etiam magis minusvè efficaces sunt putatitiæ illæ *Coralliorum Tincturæ*. Itaque si medicamina salubriora ex *Coralliis* conficere animus est, non tam ad rubedinem vel tincturam, utpotè quæ in illis valdè volatilis, inconstans & fraudulenta est, & sæpenumerò ex sola digestione affusi liquoris oritur, aut prior & propria vel nativa annihilatur, respiciendùm est, quàm ad *menstrua solventia*, quippe quæ per se efficacia pro conditione morbi & ægroti eligi & adhiberi debent. Quorum præcipua sunt, *Spiritus Veneris*, peculiari artificio ex *Venere essentificata* destillatus & rectificatus, cujus solutio longè diversa est ab alus *corrosivis aquis aut Spiritibus*, qui solvendo in quid alienum à sua natura transmutantur; quod in hoc *laudabili Spiritu* non evenit, sed integris viribus à re soluta abstrahi, & ad alios consimiles usus adaptari potest. Item *Spiritus ex Tartaro, Nitro & Antimonio, sive aqua Stimmi Tartarea Schröderi*: Nec non *menstruum*, quod plures in secretis habent, *ex Vitriolo & Tartaro* paratum, & similia alia, quorum non pauca collegit Clarissimus Schröderus *lib. 3. Pharm. med. Chym. cap. 6. p. 337. & seq.* In defectu autem similium solutionem, cum *enumeratis menstruis* confectarum consultum esset, ut vel *Coralliis ipsis* super Porphyrite subtilissimè tritis aut læviga- tis, vel *solutione* eorundem cum *aceto* vel *succo Berberum* paratâ contenti essemus, nec tàm ingentibus torturis, tamque fastidiosi laboribus, maximè verò tot variis violentisque calcinationibus, seu quibus ea destruimus potiùs, quàm ut boni tantillum ex ipsis eliciamus pro *Tinctura* (quæ tamen vera & genuina in hunc usque diem à me nec dum visa est, ut omnia examina sustineat;) extorquendâ, *Corallia* subjiceremus.

Tincturæ Coralliorum examinantur.

Tinctura Coralliorum inconstans.

Menstrua pro Corall. tinct. vel solutione varia.

Corallia super Porphyrite lævigata non spernenda.

Tinctura Hyperici paratu facilis est, cui adhuc majoris efficaciæ conciliandæ ergò de *Extracto Hyperici* separatim facto nonnihil addi posset, prout in *similium Essentiarum* præparationibus jam ante sæpiùs innuimus.

Tinctura Hyperici.

OLEA DESTILLATA.

Oleum Absinthii.

℞. Summitatum Absinthii ad maturitatem seminis accedentium, quantum vis. Macerentur aquâ fontanâ salsâ per dies quatuordecim, vel sine maceratione, additâ salis sufficiente quantitate, destillentur per vesicam, & exibit aqua cum Oleo, separetur Oleum per filtrum, aut chartam bibulam.

Usus hujus Olei idem est cum Vegetabili suo, sive simplici, ex quo extractum est: sicut etiam subsequentia naturam æmulantur eorum, è quibus prolecta sunt, vires tamen longè potentiores & in minima quantitate exerunt.

Hac ratione parantur
Oleum Menthæ,
Rutæ,
Salviæ.

Oleum Angelicæ.

℞. Seminis Angelicæ contusi lib. unam,
Aquæ fontanæ libras decem.
Stent in digestione per novem dies, adde manipulum Salis, vel Tartari, destilla per vesicam, & Oleum separetur ab aqua,
Eodem modo fiunt
Oleum Anisi,
Carui,
Coriandri,
Cumini,
Fœniculi.

Oleum Arantiorum.

℞. Pomorum Arantiorum copiam.
Separentur cortices usque ad album subtiliter incidantur & destillentur per vesicam, affusâ aquæ Rosarum & Buglossæ sufficienti quantitate.
Ita etiam fit
Oleum Citri.

Oleum Caryophyllorum.

℞. Caryophyllorum libram unam.
Contunde in pulverem grosso modo, ponantur in vase figulino, addendo Salis unciam unam, affunde aquam tepidam, stent in infusione per dies quinque, imponantur in vesicam & destillentur, separetur Oleum modo solito.
Modum conficiendi eundem habent
Oleum Cinamomi,
Macis,
Nucis Muschatæ,
Piperis,
Zedoariæ.

Oleum Chamomillæ ex Floribus.

℞. Flores Chamomillæ Romanæ siccos,
Contunde & impone in vas fictile, addito Sale, superinfunde aquam calidam, stent per quatuordecim dies, destillatis per vesicam abstrahatur Oleum.
Ita etiam parantur
Olea Florum Lavendulæ,
Rosarum,
Spicæ.

Oleum Juniperi ex Baccis.

℞. Baccarum Juniperi, quantum lubet.
Contundantur, immittantur in ollam affusâ aquâ calidâ, in fermentatione stent, postea destillentur, aqua ab Oleo separetur.

Oleum Camphoræ Sennerti.

℞. Camphoræ uncias duas,
Argillæ manipulum unum.
Misceantur diligentissimè, & ex massa illa formentur globuli siccati in Sole, indantur cucurbitæ, & destillentur, ascendit primò phlegma, secundò aqua, tertiò Oleum, quod cum Spiritu vini rectificandum est.

Oleum Ceræ.

℞. Ceræ elegantis libram unam,
Offium calcinatorum libras duas,

Miſce & deſtilla per retortam vel cucurbitam mediocrem, & exibit Oleum, quod bis tervè eſt rectificandum.

Oleum Galbani Sennerti.

℞. Gummi Galbani ſelecti libram unam,
Silicum calcinatorum lib. unam ſemis,
Salis communis uncias ſex.

Deſtillentur in arena per retortam vitream, exſtillabit liquor albus cum Oleo flavo, quo facto, recipiens mutetur, & aucto igni exibit Oleum rubrum, quod rectificandum, & exibit Oleum flavum.

Hoc modo fiunt
Oleum Benzoi,
Myrrhæ,
Maſtiches,
Succini.

Oleum Antimonii ejuſdem.

℞. Antimonii libram ſemis,
Sacchari Candi uncias ſex.

Pulveriſata miſceantur, & deſtillentur in arena.

Oleum Philoſophorum, ſive de Lateribus Meſuæ.

℞. Laterem aut tegulam ruſam antiquiſſimam, ex ruſo luto ductam, eam confringe in fruſta mediocria, & in prunis urito, donec tota excanduerit. Deinde è prunis exempta fragmenta reſtinguito Oleo claro veteri, ac dimittito quouſque ſe Oleo impleverint. Poſtea Oleo exempta in tenuiſſimum pulverem contundito, atque in retortam aut cucurbitam vitream indito, & ſecundum artem luto chymico juncturas vitrorum claudito, ac ſubtus accenſis prunis Oleum elicito, & prolectum reponito.

Eſſentiæ tenuitate in altum penetrat, digerit, materiam omnem excrementoſam conſumit. Aurium tinnitui à flatu craſſo, uſque verminantibus medetur, paralyſi, ſpaſmo cynico iſchiadi, gonagræ, podagræ, cæteriſque articulorum affectibus prodeſt, potum aut inunctum, ſplenis tumores ſolvit, comitiales naribus inunctum ſubitò excitat, cerebrum calefacit, memoriam firmat, dentium dolorem ſedat, injectum utero menſes provocat, fœtum vivum aut mortuum educit, ora venarum aperit, & ſanguinem concretum diſſolvit, pulmones purgat ab humoribus craſſis & viſcidis, oculorum ſuffuſiones delet, vermes interficit; venenis inſuper frigidis potenter reſiſtit, ſcorpionis morſum & noxas ab Opio aut Hyoſcyamo propellit, calculum veſicæ pellit, & mirificè commendatur ruptis è doloribus partus.

Oleum Salis compoſitum Hartmanni.

℞. Salis communis,
Nitri præparati ana partes æquales.

Commiſceantur luto figulino, formentur orbiculi, qui ſiccati per retortam deſtillentur igne fortiſſimo: Liquoris deſtillati libram unam cum unciis quatuor Salis permiſce, & per retortam deſtilla & rectifica.

Oleum Saturni.

Salem Saturni cryſtallinum tere, vaſi vitreo longi colli impone, affunde Spiritum Terebinthinæ, in cineribus calidis digere, tincturam extrahe, ut è floribus Sulphuris fieri ſolet: ſolvetur Sal in liquorem rubentiſſimum rubini inſtar, mox retortæ impoſita, deſtilla inſtar aquæ ſtygiæ, primò lento igne, quoad Spiritus Terebinthinæ exierit; deinde mutato recipiente auge ignem in horas, quoad totum Oleum exierit.

Habebis Oleum, quod viribus naturale balſamum excedit, malignis ulceribus, cancro, polypo, noli me tangere, egregiè ſolâ inunctione medetur. Hoc item Oleum in pulverem & lapidem coagulari poteſt.

Oleum Tartari Sennerti.

℞. Salis Tartari præparati, quantum vis. Abstrahe aliquoties acetum destillatum, novum semper recipiendo, donec de sua acredine nihil post se relinquat ampliùs: deinde solve hoc Sal aliquoties in Spiritu vini optimè rectificato, atque ipsum toties ab illo Sale abstrahe, donec massa alba relinquatur: hæc in loco frigido ponenda, ut solvatur in liquorem rubeum, quod duorum vel trium dierum spatio fiet.

Oleum Terebinthinæ.

℞. Terebinth. pellucidæ, quantum volueris. Destilletur lento igne, habebis primò Oleum, ad quod sequitur flavum, & ultimò rubrum, quod fortiori igne erit extrahendum: hæc olea separata reserva, rubrum est balsamum, quod in arena potest rectificari.

Oleum Vitrioli Rubrum.

℞. Vitrioli ad rubedinem calcinati libras tres.

Terantur in pulverem tenuissimum, cum Spiritu vini aspergantur, & per retortam vitream fortiter destillentur, postea rectificentur & reserventur.

ANIMADVERSIONES
In Olea Destillata.

Oleorum Essentialium destillandi modi.

MOdus destillandi *Olea essentialia odorifera* per vesicam vel Alembicum additâ aquâ omnibus Pharmacopœis jam innotescit, ut non opus sit plura de iis verba facere: Hoc saltem observandum, quòd nonnulla *Olea graviora*, utpote *Cinamomi & Caryophyllorum*, paulò intensiorem ignis gradum postulent, quàm quæ spirituosa & leviora sunt, uti *Olea destill. cort. Citri, Majoranæ, &c.* Cohobatio vel reiterata aquarum destillatio, præsertim *recentibus herbis* aut *Aromatibus*, ex quibus *Olea* destillanda, adjectis, *Oleis* autem prius & singulis vicibus separatis, non parùm adjumento esse potest, ad majorem copiam *Oleorum* acquirendam, quia aqua à primo v. g. *Cinamomo* aut aliâ re destillata, imbuta & impregnata, de recenti *Cinamomo* illi adjecto, ne quicquam ampliùs continere potest, sed necessum est, ut peractâ destillatione *Oleum à Cinamomo* fundum petat, vel ab alia re supernatet. Additio *Salis Tartari* vel aliarum similium rerum supervacanea est, modò in regimine ignis non peccetur, quem æqualem esse convenit; *Alembicus vel vesica cuprea* non sit nimis alta, *capitellum* ejus largum vel amplum esto efformatum ad formam *capitelli vitrei*: *Stanno* sint obducta singula, *vesica cuprea* scilicet, *capitellum & canalis.* Est & alius modus *Olea* similia absque affusione *aquæ* destillandi per retortam in M. B. vel segmentis ligneis collocatam, igne, quàm in tali destillatione fieri potest, intensiori, quem modum pauci indigitavi in *animadversionibus super aquas simplices* in fine.

Oleum Camphoræ Sennerti ventilatur.

Oleum Camphoræ Sennerti juxta modum præscriptum confici nequit, & miror, quòd in omnibus tyrociniis chymicis *hujus Olei* præparatio simili tenore toties descripta reperiatur, cùm tamen commendata destillatio naturæ *Camphoræ* ex toto adversa sit, hinc etiam fit, ut illa integra per Alembicum aut retortam transeat in excipulum, utplurimùm etiam retorta mvasque recipiens diffringat, Necessum igitur, ut aliâ viâ procedamus, & vel Experientissimi Glauberi modum amplectamur, vel in cucurbitâ metallica, argentea aut ferrea, aut etiam cuprea, quæ in parte superiori foramen habeat (per quod *Camphora*, dum cucurbita supra ignem collocata candet, injici possit;) cum suo convenienti & accommodato operculo, apposito etiam capitello destillationem instituamus; *Oleum* denique cum impetu prodiens rectificari potest.

Oleum Camphoræ aliud.

Olei Ceræ vera destillatio.

Cera admixtis *ossibus calcinatis vel cineribus* & similibus rebus destillando, difficulter in Oleum convertitur, sed saltem instar *Butyri crassi* transit: Itaque opus est, ut *liquefacta prius cera* à *carbonibus*, *lateribus* vel *globulis argillaceis ignitis* imbibatur & tùm demùm destillationi committatur.

Oleum

Oleum Salis compositum Hartmanni in secundo Furno Glauberi commodè destillari potest.

Oleum sive Balsamum Saturni juxta modum præscriptum, ad instar *Balsami Sulphuris*, paratu facillimum est.

In destillatione *Olei Terebinthinæ* ex cucurbita observandum, quòd ubi *Oleum album sive Spiritus* ejus per Alembicum prolectus est, qui leni igne & confestim transit, illicò *Terebinthinæ residuæ, liquidæ & calidæ adhuc existenti*, semoto capitello *sabulum* vel *cineres* sufficienter admisceri debeant ad siccitatem usque: ita namque commodè succedit *Oleorum flavi* scilicet & *rubri* destillatio, secùs si destillatio continuatur sine *cinerum* admixtione, *Oleum crassissimum* transit, & quasi *Terebinthina ipsa*. Insuper notandum, quòd destillatio *Spiritûs Terebinthinæ*, quæ cum additione *aquæ* in vesica quandoque perficitur, non usque adeò commendabilis ac proficua sit, cui tùm etiam prædictam destillationem per cucurbitam meritò præfero; Etenim *aqua* non exiguam quantitatem *Spirituum & virium Terebinthinæ* devorat, & arctè secum retinet, undè postea *Spiritus* in quantitate & qualitate diminuuntur.

Olei Vitrioli rubri legitimi parandi modum describit solertissimus Glauberus tract. 2. Furni philosophicis fol. 164.

Ol. Sal. com. Hart. quâ rad. destill.

Ol. sive Bals. Sat.

Olei Terebinth. vera destillatio.

Item Spiritus.

Olei Vitrioli rubri vera destillat.

BALSAMA EX OLEIS Destillatis simplicia.

Balsamum Angelicæ Sennerti.

℞. Extracti Angelicæ unciam unam,
Mannæ selectæ drachmas duas,
Misce super igne lento, adde
Olei Angelicæ drachm unam semis,
Fiat Balsamum.

Balsamum Caryophyllorum.

℞. Olei Caryophyllorum drachm. unam,
Tincturæ eorum scrupulum semis,
Salis Caryophyllorum grana sex,
Ceræ præparatæ, quantum satis.
Fiat Balsamum.

Idem modus est parandi seq. Balsama, utpotè

Arantiorum,
Cinamomi,
Citri,
Fœniculi,
Lavendulæ,
Macis,
Majoranæ,
Menthæ,
Nucis Moschatæ,
Rorismarini,
Rosarum,
Rutæ,
Succini,
Zedoariæ.

BALSAMA COMPOSITA.

Balsamum Apoplecticum.

℞. Olei Nucistæ drachmam unam,
Liliorum convallium guttas sex,
Succini albi guttas quatuor,
Zibethi optimi scrupulum semis,
Moschi Orientalis grana sex,
Ambræ gryseæ grana novem,
Granor. Styr. selectorum grana viginti.
Contusis benè omnibus & commistis, fiat Balsamum.

Balsa-

Balsamum Benzoinum Fragrantissimum Tenzelii.

℞. Styracis Cal. selectæ uncias quatuor,
Benzoi, seu Asæ dulcis uncias duas.

Tritis superfunde Spiritum vini rectificatum, ad quatuor vel sex digitorum eminentiam. Macera in Balneo per aliquot dies, postea cola & separa subtile à spisso. De colatura Spiritum per balneum destillando abstrahe, usque dum residuum Oleiforme appareat.

Asthmaticis, catarrhosis & lienosis utiliter exhibetur, urinasque promovet.

Balsamum Cordiale *Sennerti.*

℞. Olei Citri,
Caryophyllorum,
Cinamomi,
Rorismarini ana scrupulum sem.
Ambræ,
Moschi ana grana sex,
Extracti Croci grana septem,
Confectionis Alkermes scrupul. semis,
Olei nucis Moschatæ expressi, quantum satis,
Fiat Balsamum.

Balsamum Galbanetum Uterinum ejusdem.

℞. Galbani libram semis,
Olei Terebinthinæ claræ libras tres.
Digerantur in cucurbita vitrea lento calore per quatuordecim dies, postea destillentur, adde Olei Lavendulæ unciam unam.

Iterum destillentur, & prodibit Balsamum, quod si cum Spiritu vini circulaveris, penetrantissimum efficietur.

Balsamum Loimicum Henisianum.

℞. Oleor. Camphoræ,
Succini,
Citri debito suo modo præparatorum ana partes æquales.

Stent simul mixta in vitro optimè munito in lenissimo balnei calore, donec perfectissimè inter se unita sint, & Oleum aurei coloris evadat.

Hoc Balsamum in variis Germaniæ & Italiæ locis, grassantibus atrocissimæ pestis contagiis felicissimè usurpatum, & tricennali experientia comprobatum, Author bono Publico consecrare hic voluit, cujus virtutes in ejusdem historia expeditionis Italico Loimicæ fusiùs explicantur.

Balsamum Sulphuris Anisatum Mynsichti.

℞. Olei Anisi uncias sex,
Florum Sulphuris unciam unam.

Digerantur & circulentur, donec Oleum Anisi tincturam Sulphuris perfectissimè extraxerit, & habebis per inclinationem Oleum rubicundissimum, filtra & usui reserva.

Paratur & Balsamum Sulphuris cum Spiritu Terebinthinæ eodem modo, quo superius.

ANIMADVERSIONES

In Balsama simplicia & composita.

Balsamum Angelicæ interno usui destinatum.

Pro dextra *Balsamorum* confectione priùs distinguere oportet *Balsama*, quæ interno, quævè externo usui inservire debeant; Etenim hâc ratione plurimùm variat ipsorum conficiendi modus: Jam si

Balsamum Angelicæ usui interno duntaxat destinatum erit, illud ipsum juxta modum præscriptum, cum *Manna* & *Extracto proprio* paratum commendo; Si vero externæ inunctioni deservire debeat, (in quem usum talia *Balsama* utplurimùm parantur,) præscripta ejus præparatio non benè convenit, cùm propter tenacitatem admixti *Extracti*, tùm etiam quòd idem *Extractum* omni sua spirituositate spoliatum sit, ut adeò inutiliter saltem addatur. De aliis *Bal-*

samis consimilibus eadem ratio est; proindè si *hoc Balsamo* pro externa inunctione uti libet, præstat illud ex *solo Nucistæ Oleo*, secunda vice vel ultimò expresso (quod albicantis est coloris,) & odore suo per extractionem cum *Spiritu vini* & edulcorationem cum *aqua Rosarum* privato, addita *Olei Angelicæ destill. s. q.* confecisse; Similiter & reliqua *Balsama omnia* quæ externè inungenda sunt, ad hunc modum parari possunt. Si quis etiam eadem *Balsama* internè usurpare vellet, posset ipsis taliter præparatis *Extracti* proprii portiunculam addere, sed tum *nativus aut proprius Balsamorum color* destruitur: Nam ferè cuncta *Extracta* nigra sunt aut spadicei coloris, ob id etiam *Balsama*, quibus adduntur, nigredine aliquali imbuunt. Ast usu jam receptum est, unumquodque *Balsamum* cum nativo aut proprio suo colore conficere, utpotè *Rosarum*, rubro vel sanguineo; *Rutæ*, viridi; *Succini*, albicante; *Citri*, flavescente, &c. quod ipsum tamen non adeò facilè est, nec fieri potest, nisi additis *ipsarum herbarum aut florum*, quorum *Balsama* expetuntur, *Magisteriis*, quæ tali modo paranda sunt.

Balsama externo usui destinata.

℞. *Herbæ Rutæ vel florum Rosarum rubrarum*, nativis suis coloribus ditissim. quantum libuerit, coquantur in aqua, addendo *Olei Tartari q. s.* Decocto colato infunde *solutionem Aluminis*, & præcipitabitur materia pultis instar, *viridis*, si ex herbis viridibus, *rubra*, si ex *Rosis rubris*, & similibus floribus, quo facto supernatans aquositas per filtrum separetur, & remanenti materiæ in filtro toties *aqua s.* affundatur *vel propria*, donec omnem saporem & salsedinem ab *Olei Tartari & Alumine* contractam deposuerit: Hoc in filtro restante *Magisterio* ad crassam pultis formam leniter (non tamen omnimodè,) exsiccato, *corpus Balsamorum*, *) Oleum scilicet Nucistæ expressum*, & uti superiùs dixi præparatum, tingi potest, quod demùm vel in aëre iterùm exsiccetur, vel statim addito *Oleo destillato* in *balsamum* redigatur.

Magisteria Vegetabilium.

Notandum autem hîc, quòd si *Magisteria illa* totaliter exsiccarentur, nullatenus *corpus Balsamorum* colore suo proprio imbuerenr, itaque humida nonnihil intermiscenda sunt.

Sunt, qui *Ceram* vel etiam *Sevum ex omentis Agnorum* pro corpore *Balsamorum* recipiunt; Verùm quocunque modo etiam lota aut præparata fuerit *Cera*, planè inutiliter & perversè pro *corpore Balsamorum* adaptatur; similiter etiam *Sevum agninum*, *&c.* brevi enim rancescunt taliter parata *Balsama*, & tractu temporis exiguo, instar *Emplastri* tenacissima fiunt: E contrà verò nostro jam indigitato modo confecta *Balsama* ad decennium & diutiùs perdurare possunt, nisi quod diuturnitate temporis duriuscula evadant, quibus tamen pauculis duntaxat guttulis *Olei proprii destillati* additis, pristina forma, debitaque *Balsamorum consistentia* facillimè restitui potest. Ex hisce jam liquet, qualiter *Balsama* omnia dextrè conficienda sint, cùm quæ ad externos, tùm etiam internos destinantur usus.

Corpora Balsamorum quæ?

Progrediamur jam ulteriùs ad *Balsamum Apoplecticum*, cui minùs commodè *grana Styracis* adduntur, & his longè convenientiùs *Oleum Styracis destillatum fragrantissimum* substituitur. *Ambra*, cuicunque *Balsamo* separatim priùs in *Oleis convenientibus* dissoluta admisceri debet. Plura alia similia efficaciora *Balsama Apoplectica* reperiuntur apud *Mynsichtium*, *Crollium & alios.*

Balsami Apoplectici censura.

Ex Speciebus pro *Balsamo Benzoino Tenzelii* deputatis, si juxta præscriptum modum strictè instituatur præparatio, non *Balsamum*, sed *Resinam* conficies, prout in præparatione *Theriacæ* jam antè edocui, quæ ipsa nisi cum aliis rebus commisceatur aut dissolvatur, intrà corpus sumi nequit: Est enim instar *Terebinthinæ*, propterea necessum est, ut vel dicta *Resina* totaliter exsiccetur, quò in pulverem redigi queat, qui postea *Syrupus* commistus assumatur, vel ante abstractionem *Spiritus vini* extracta Essentia in usum trahatur, aut denique ex *Resina* jam confecta liquida, *vitello ovi* & *liquoribus appropriatis* additis, mistura lactea conficiatur, uti *Lac Terebinthinæ*, quæ sic datà occasione propinari posset.

Balsami Benzoini Tenzelii censura.

Balsamum cordiale Sennerti juxta præscriptum modum, additis *Olei Nuc. Mosch. expressi drachmis tribus vel quatuor*, facilè paratu est: quod ipsum licet eximiis virtutibus non destituatur, attamen *succos acidos* vel *aceta Aromatica* internè & externè usurpata longè citiùs cordi robur

Balsam. cordiale Sennerti ventilatur.

robur addere, & languidum corpus validiùs, quàm hoc & similia delicatissima & preciosissima *Balsama* refocillare & erigere posse, experientia frequens nos edocuit.

Balsamum Galbaneticum uterinum examinatur.

Balsamum Galbanetum uterinum ejusdem ad modum *Olei Terebinthinæ* in Alembico vel cucurbita vitrea destillari potest, adjectis cineribus, postquam *spirituosum Oleum*, quod leni calore inter initia exstillat, prolectum sit; *Oleum Lavendulæ* unà cum reliquis committatur, & ubi per digestionem probè invicem unita fuerint, cuncta simul destillentur: *Olea illa* in destillatione sigillatim prodeuntia, uti in destillatione *Terebinthinæ* seorsim colligi & deinceps vel uniri, aut singula separatim asservari possunt; Inter quæ primum satis spirituosum erit, nullâ propterea ulteriori circulatione cum *Spiritu vini* tantoperè indigens.

Balsamum Loimicum & Sulphuris.

Balsamum Loimicum, quod *Oleum compositum* potiùs, quàm *Balsamum* appellandum esset, & *Balsamum Sulphuris*, conficiantur juxta modos præscriptos.

Vel si lubet, paretur Balsamum Sulphuris modo sequenti

℞. *Sulphuris comm. pulverisati,*
Salis Tartari ana uncias tres.

Misce, & supra ignem lenissimum in vase plano terreo fiat hepar sive massa hepatis instar, quæ in pulverem iterum redacta immittatur Alembico vitreo parvo, cui superaffundatur *Oleum Juniperi destillatum* ad eminentiam quatuor vel quinque digitorum, stent in calore lenissimo, donec rubicundissimo colore imbuatur, quod effundendum, filtrandum, usuique asservandum.

Hoc *Balsamum* insignes habet virtutes, estque vulgari præstantius, nec graveolens, sed boni odoris; potest necnon cum *Spiritu Terebinthinæ* loco Olei Juniperi parari.

FECULÆ.

Fecula radicis Aronis

℞. Rasuræ radicis Aronis, quantum vis: Minutim incisam & contusam sacco lineo inditam sub prelo extrahas, & quàm fortissimè succum exprimas, quem in loco frigido detineas, & videbis fæces albissimas instar Amyli in fundo colligi, quibus aqua turbida supernatat, quam per inclinationem separes, Amylum verò in fundo residens exsiccetur in umbra, & paucis horis materia in forma Amyli exsiccata, erit Fecula Aronis.

Ad humores tartareos, gummosos ac tenacissimos dissolvendos, duritiem & obstructiones viscerum progenerantes, feliciter adhibetur.

Ita etiam habet præparatio
Feculæ Bryoniæ,
Iridis.

Gersa, seu Cerussa Serpentariæ.

Ex radicibus Serpentariæ majoris, ab extimo cortice nigro mundatis, ac in lapidea pila tusis, succus exprimitur, qui in vitreo catino probè tectus ad Solem siccetur, donec Cerussæ similis evaserit.

ANIMADVERSIONES
In Feculas.

Feculæ examinantur.

De *Feculis*, *Gersis* seu *Cerussis* non est, quod multus sim, quippe quæ nihil aliud sunt, quàm pulveres subtiles farinacei, *succo suo nativo* orbati, consequenter etiam omnis virtutis & efficaciæ expertes, quibus ego proindè *radicum ipsarum siccatarum*, ceu succo suo nativo (inspissato quidem vel concreto,) adhuc gaudentium, pulverem longè præferendum esse autumo.

MAGI-

MAGISTERIA.

Magisterium aluminis.

℞. Aluminis puriſſimi & pellucidi, quantum vis.

Compone aptè in veſicam bubulam, aut ſuillam, & ſic in aquam fervidam immerge, donec Alumen contentum liqueſcat, inque liquorem penitùs convertatur. Liquor filtro depuratus deſtillatur per Alembicum, cucurbitâ brevi in cineribus poſitâ, ad ſiccitatem uſque materiæ, ſeu remanentiam capitis mortui. Quod ipſum denuò prædicto modo in liquorem ſolvitur, deſtillaturque, idque eò uſque repetendo, donec tota Aluminis ſubſtantia ſaltem rejectis inquinamentis Alembicum tranſcenderit.

Stypticum præclarum in immodicis hæmorrhagiis, ipsâ ferri eſſentiâ, ſpermiolâ, aut quicquid hoc in genere præclari nominis eſt, non inferius.

Magisterium Coralliorum.

℞. Coralliorum quantitatem ſufficientem,

Aceti vini optimè deſtillati ad ſufficientem ſupereminentiam.

Stent per noctem in calore, ut fiat ſolutio, decanta, & filtra per chartam. Mox reliquis adde aliud acetum ad ſolvendum, eò uſque illud repetendo, donec penitùs quod reliquum eſt, non niſi fæcibus remanentibus, ſolvatur: Colaturæ inſtilla Oleum Tartari, ut pulvis dejiciatur. Hunc ſeorſim poſitum elue aquâ fontanâ aliquoties, poſtmodum exſicca, & ad uſum ſerva. Quod ſi ſolutionem abſque præcipitatione ad ſiccitatem evaporare animus ſit, poſt aliquot ablutiones & reiteratas coagulationes, eadem in cella ſupra marmor menſibus Junio, Julio, & Auguſto poſita in liquorem reſolvetur, quem addito Spiritu Roſarum optimo aliquandiu circulare, & ad uſus neceſſarios reſervare poteris.

Eadem ratione & modo fiunt ac parari ſolent Magiſteria & Solutiones
Granati,
Hyacinthi,
Margaritarum,
Matris perlarum,
Oculorum Cancri,
Smaragdi.

Magisterium Cornu Cervi.

℞. Limaturæ cornu Cervini ex apicibus juſto tempore cæſi uncias ſex.

Irroretur cum Spiritu Nitri, poſtmodum ſuperfunde acetum vini optimè deſtillatum: ſtent per aliquot dies in digeſtione; deinde filtrentur per chartam emporeticam, immitte Oleum Tartari, & præcipitabitur pulvis ad fundum, quem frequentioribus ablutionibus edulcora, & ad uſum reſerva.

Ita etiam fiunt Magiſteria,
Ungulæ Alcis,
Cranii humani,
Lapidis Lazuli.

Magisterium Jalappæ.

℞. Rad. Jalappæ ſelectæ uncias octo.

Pulveriſentur groſſo modo, ſuperfunde Spiritum vini optimè rectificatum, ut tres vel quatuor digitos ſupereminea t. Stent in infuſione in loco calido per aliquot dies, poſtea cola cum forti expreſſione, filtrato liquori ſuperfunde aquæ fontanæ, aut Roſarum aliquid, ſicque præcipitabitur pulvis, ſeu reſinoſa ſubſtantia Jalappæ ad fundum, adhuc ſemel abluenda, demùm exſiccanda, terenda, & ad uſum ſervanda.

Seroſos bilioſoſque humores commodè evacuat, delicatulis & cætera pharmaca averſantibus maximè accommodum.

Eodam modo paratur Magiſterium Scammonii, ſeu Pulvis Syrius dictus.

Magisterium Sulphuris seu Lac ejusdem.

℞. Florum Sulphuris unciam unam,
Salis Tartari uncias tres.

Misce: & superfunde aquæ communis libras tres. Digere in arena per diem naturalem, ita ut sub finem aqua ferè bulliat, & Sulphur penè omne solutum sit; postea filtra calidè per chartam emporeticam, & superfunde aceti destillati quantum sufficit, & præcipitabitur pulvis lacteus Sulphuris paulatim ad fundum, deple humorem, & reiteratis ablutionibus materiam edulcora. Ultimò ablue cum aqua cordiali & exsicca.

Magisterium Tartari Vitriolati.

℞. Olei Tartari ex Sale resoluti & purificati uncias quatuor,
Spiritûs Vitrioli unciam unam semis.

Hunc guttatim supra Oleum Tartari in vitrum capax instilla. Fiet coagulum albissimum, humiditas supernatans evocetur lento calore ad siccitatem Salis.

Generale ferè digestivum ad omnes obstructiones solvendas, in calculo, nephritide, ictero, mensium retentionibus, febribus, hydrope, splenis duritie multo cum fructu exhibetur.

ANIMADVERSIONES

In Magisteria.

Aluminis Magisterium.

A*Luminis Magisterium* longè citiùs & minori cum labore per retortam vitream, quam per Alembicum, ob ejus altitudinem, destillando parari potest, nec opus est in *vesica bubula sordida & fœtida* utplurimùm *Alumen* liquefacere, quin commodius *aquæ simplicis* tantum affundi potest, quantum pro dissolutione ejus in calore sufficiat; solius enim humiditatis per vesicam attractæ beneficio solvitur *Alumen*, non verò propter hunc singularem modum: *aqua superflua* ultimò, cùm *totum Alumen* ferè repetita affusione *aquæ* & destillatione per Alembicum transcenderit, in M. B. leniter abstrahatur, inque cucurbita oblongâ & altâ.

Magisteriorum vulgarium censura.

Cæterùm, quantis torturis, solutionibus scilicet, præcipitationibus, calcinationibus, coagulationibus & destillationibus *Corallia* & *Perlæ*, nec non *reliquæ Gemmæ* subjiciantur, & quàm *varia menstrua* pro ipsorum dissolutionibus inventa sint, abunde videre est apud *Clarissimum Schröderum lib. 3. cap. 6.* ast quàm perperam potissimæ superiùs enumeratæ operationis suscipiantur, illi soli patet, qui eas accuratè perpendit, maximè verò, qui ipsemet aliquoties illas tentavit. Si saltem *vulgaria Magisteria officinalia* (de quibus nobis propriè nunc sermo est,) e. g. *Coralliorum & Perlarum, &c.* examinemus, hæc sanè, quocunque etiam *acido menstruo* solvantur, & contrario eidem liquore præcipitentur, nihil aliud sunt, quàm *Perlæ & Corallia* in subtiles atomos & calces ferè insolubiles & inutiles conversa, quibus non exigua portio *menstruorum solventium* & *liquorum præcipitantium* tenaciter adhæret, ita ut difficulter imposterum *iisdem aquis corrosivis* solvi possint, ob adjunctam terram à contrarietate *aquarum*, aut *Spirituum*, vel *Salium* exortam, de eorum viribus autem non minimum menstruis post præcipitationem separatis relinquitur. Quod autem à menstruis solventibus & liquoribus præcipitantibus rebus solutis & præcipitatis nonnihil adhæreat, hujus experiundi evidens exemplum præbent *Magisteria Vegetabilium*, quæ beneficio *aquæ Aluminis* & *Olei Tartari* conficiuntur. Non semel enim hoc, sed pluries in præparatione *Laccæ Florentinæ* ex *granis Kermes* ipsus expertus sum, ubi ferè duplo plus *Laccæ Florentinæ* acquisivi, quàm fuêre *grana* ante præparationem, nullo penitùs addito corpore heterogeneo vel homogeneo. Hinc fit, ut *præcipitati hi pulveres* ad instar calcis sint etiam *corrosivis aquis* ægrè dissolubiles, ut hac ratione permotus, *ipsa Corallia cruda*, *Perlas* & similia trita duntaxat & in subtilissi-

tilissimum pulverem redacta, majoris æstimem, quàm *præcipitata eorum Magisteria*, utut levia hæc sint & aspectu pulcherrima, splendida etiam argenti ad instar, prout ipse sæpiùs illa paravi.

Quod verò *Magisteria* præfato modo parata solutu difficilia sint, & instar *calcis* se habeant mortuæ, manifeste demonstrat inter cætera etiam *Magisterium cornu Cervi*, hoc ipsum, cum ex *cornu Cervino crudo rasspato* confectum sit, ejus qualitates meritò aliqualiter saltem æmulari deberet, *in odore* nimirum exhalante, si destilletur, aut Vulcano tradatur, vel *in viscositate*, si coquatur: Ast nihil horum, si violento igni committatur, neque de *Spiritu* vel *Sale volatili* quicquam ex eo elicitur, sed fixum uti *cornu Cervi ustum* (licet fortiter etiam calcinatum,) remanet, nec si coquitur, *mucilaginem vel gelatinam* præbet, nec cum *aquis fortibus*, utpote *Spir. Nitri*, *&c.* si cum ipsis ejus solutio tentetur, denuò dissolvitur. Quibus probis ceu invictis rationibus suffultus assero, *cornu Cervi Magisterium* ab *usto cornu*, & huic similia *Magisteria* ex *ossibus & cornibus* confecta, ab ejusmodi *calcinatis*, *viribusque exutis ossibus & cornibus* parùm discrepare: Hinc & reliqua *Magisteria ex Corallis*, *Perlis & consimilibus Gemmis* parvipendo, imò penitùs rejicio.

Magisterium cornu Cervi ab usto cornu non discrepat.

Solutiones verò, quæ absque præcipitatione & per solam abstractionem *menstrui solventis* fiunt, in suo precio relinquo, quibuscunque etiam *menstruis* conficiantur, licet unum alteri in bonitate (uti in *animadversionibus Tincturæ Coralliorum* innui,) præferendum: Earum autem *ablutiones* & *edulcorationes*, quas omnia tyrocinia chymica tàm studiosè præcipiunt, supervacaneæ sunt, si solutio *aceto destillato*, vel *Spiritu Nitri* aut *Vitrioli philosophico* peracta sit, cùm nullo modo *aciditas* aut *vis corrosiva menstrui solventis*, (quæ jam tùm in aliud ens commutata est,) elui, aut solutiones edulcorari possint, etiamsi vel centies hæc operatio iteretur. Nam *aciditas* sive *Sal corrosivum menstrui* (si ita appellare licet,) nexu indissolubili rei solutæ copulatum est, eique tam firmiter cohæret, ut nec extremâ Vulcani violentiâ, sive per destillationem, sive aliâ quâvis torturâ ab ipsis divelli queat, itaque semel aut bis ad summum *solutiones* aut *Sales* (uti appellare mavis,) ejusmodi dissolvendo & filtrando ab adhærentibus impuritatibus liberasse suffecerit, quæ tandem *Spiritu quodam ardenti* aliquandiu circulari, & tandem destillando vel abstrahendo ab eodem liberari possunt.

Solutiones admittuntur.

Quod si verò secretum aliquod pro his *solutionibus & Magisteriis* conficiendis *menstruum* exoptas, quod, solutis illo *Perlis*, *Corallis*, *Oculis Cancrorum*, *&c.* per abstractionem totaliter separari, & ad alios consimiles usus, hocque sæpius accommodari queat, abluas *Venerem* ab impuritatibus *succo quodam Vegetabili*, & *Baccho* inebries, dabitque tibi destillando *Spiritum* miris virtutibus præditum, tùm ad medicinam, tùm multas alias operationes aptissimum,

Menstr. secretum pro Perlis Coralliis, &c.

Magisterii seu Resinæ Gialappæ præparatio cum manca sit, veriorem hîc subjiciam, utpotè

Magisterii Gialappæ vera præparatio.

℞. *Gialappæ crassiusculè contusæ libram unam,*
cui affundantur
Spiritus vini rectificati libras tres.

Stent in digestione calore leni uno vel altero die, *Spiritus vini tinctus* per filtrum separetur, aliusque reaffundatur, qui labor tamdiu continuetur, quoad *Spiritus vini* non amplius coloretur: *Tinctos Spiritus omnes conjunctos & filtratos* in cucurbita vitrea ad remanentiam pauci liquoris (*libræ unius* circiter,) abstrahe, & affuso *aquæ frigidæ* tantillo *residuo liquori* (nisi jam tum *Resina* fundum cucurbitæ petierit, aut residuo liquori innatet,) *præcipitatam resinosam substantiam* ab aquositate separa, ablue & exsicca, exsiccatam denique in pulverem redige. Tali modo *parata Resina* splendidior evadit & purior, nec tam graveolens, uti

alioquin esse solet, quando *Spiritus vini* non fuit abstractus, quæ graveolentia etiam nullo modo per ablutiones, quàm sæpissimè etiam fiant, tolli potest.

Resinæ Scammonii præpar.

Eodem modo *Resinæ Scammonii, Turbith*, aliarumque rerum resinosarum parari queunt: Ex *residuo liquore*, mediante abstractione superfluæ humiditatis, conficiatur *Extractum* justæ consistentiæ. Cæterùm, quæ circa dissolutionem *Resinarum* aut eorum exhibitionem notatu & observatione digna sunt, ex *animadversionibus nostris antecedentibus super Extracta* nonnulla, quorum compositionem res resinosæ ingrediuntur, luculenter patebunt.

Magist. sive Lac Sulphur. rejicitur.

Magisterium Sulphuris, ut ab aliorum *Magisteriorum* præparationibus parùm aut nihil differt: ita nullam præ iis singularem meretur laudem. Igitur *flores Sulphuris* aut ipsum crudum Sulphur in virtutibus ipsi longè præfero.

Magisterii Tartari, sive Tartari Vitriolati censura & vera præparatio.

Magisterium Tartari Vitriolati ex *Sale Tartari resoluto*, id est, *Oleo Tartari per deliquium facto*, vel etiam & commodiùs ex *sicco Sale* parari, &, si lubet, crystallizari potest; certum tamen *liquoris vel Olei Tartari & Spiritus Vitrioli* pondus determinari nequit, ob *Spiritum Vitrioli*; qui magis vel minùs purus vel aquosus esse potest: Discrepat & *Oleum Tartari* in tenuitate, *Sal* item in siccitate, quæ cuncta pondus cùm *Spiritus Vitrioli*, tùm *Olei Tartari* maximè variare possunt: sufficiet autem tamdiu *Spiritum Vitrioli dicto Oleo Tartari* vel *Sali* instillare, donec omnis cesset contrarietas.

Nolo hîc etiam silentio præterire inconsideratam quorundam assertionem, qui post peractam & sufficientem *Spiritus Vitrioli in Oleum Tartari* instillationem, à *residente & præcipitato pulvere albo*, *supernatantem liquorem ceu inutilem* separare, & qui ex *eodem scilicet liquore* per abstractionem aut evaporationem humiditatis paratur, *Tartarum Vitriolatum*, ceu nauseosum vomitumque concitantem, abjicere jubent. Falsa enim hæc est, & nata è re malè intellectâ assertio, quandoquidem *verus Tartarus Vitriolatus* in liquore quovis solubilis (qualem ipsum necessariò esse oportet, si quid boni præstare debet,) in *supernatante humiditate* delitescit, & ex eo cessante contrarietate sive ebullitione vel strepitu per inspissationem, uti dictum, vel exhalationem *humiditatis* colligitur; qui verò præcipitatur *pulvis albus* ad instar *Magisterii*, si (ex *Oleo vel liquore Tartari calcinati*, non *Sale ejus sicco* conficiatur,) tantùm abest, ut sit veræ & optimæ notæ *Tartarus Vitriolatus*, quin potiùs se habeat instar *calcis fixæ insipidæ & inutilis*, qui neque in liquore potulento resolubilis est, sed ita immutatus persistit, non secùs ut ex *Vegetabilibus nonnullis* beneficio *Olei Tartari & Alumine* confecta *Magisteria*, de quibus paulò ante egimus. Cùm autem *liquor* peractâ sufficienti instillatione *Spiritus Vitrioli*, subsidenti *Magisterio vel Calci potiùs inutili* supernatans, nihil aliud sit, quàm optimus & verus *Tartarus Vitriolatus resolutus & nondum coagulatus*, quæ esset dementia eundem abjicere, aut ceu damnosum detestari? & sanè, si qua ex usu *Tartari Vitriolati* dira quandoquidem suborirentur symptomata, utpotè *vomitus enormes*, *cardialgiæ*, & nescio quæ mala alia, culpa ob id non statim in *Tartarum Vitriolatum* derivanda esset, scilicet quà talem, sive quatenùs ex *liquore supradicto* constat, sed quatenus, uti communiter fit, ex *Sale Tartari*, quod è *Tartaro impuro*, plurimisque rebus fæculentis heterogeneis, & nescio quêis sordibus spurcissimis permixto, per calcinationem parato, confectus fuit. Ut itaque hæc mala evitarentur, summè necessarium esset (quod jam toties inculcavimus,) *Tartarum* semel in aqua, mediante cocturâ dissolvere, & per filtrationem colaturam ab inhærentibus sordibus liberare, iterumque in Crystallos redigere, atque hunc demùm ita aliquatenus *purificatum Tartarum* ad medicamenta usui interno destinata seligere: Quod si fieret, non esset, cur nobis à præfatis malis imposterùm metueremus, modò etiam in utendi modo & dosi, aliisque requisitis necessariis non delinqueretur.

SA-

SALIA.

Sal Absinthii.

℞. Absinthii ficci, quantum vis.

Uratur in cineres albos, Sal extrahe cum aqua ejusdem herbæ stillatitia, vel communi calida, digerendo per noctem. Postea aquam per inclinationem & filtrationem effunde, cavendo, ne fæces turbentur, aliam usque tertiò affunde, digerendo ut suprà, tandem omnes aquas filtra & coagula, sæpiùs id repetendo, donec coagulum evadat albissimum. Hoc rursus dissolve, filtra, & ad pelliculam evapora, frigido expone, & collige crystallos.

Usus hujus Salis, uti & reliquorum ad aperiendas obstructiones, humores crassos attenuandos, viscidos incidendos putredinem expugnandam multùm commendatur: hinc medicamentis attenuantibus, diureticis & diaphoreticis magna cum utilitate admiscetur.

Eodem modo parantur & reliqua Salia sequentia, utpote

Sal Angelicæ,
Artemisiæ,
Bardanæ,
Betonicæ,
Calendulæ,
Cardui Benedicti,
Centaurii minoris,
Cynosbati,
Ebuli,
Eupatorii Avicennæ,
Eupatorii Mesuæ,
Euphrasiæ,
Fraxini,
Fumariæ,
Genistæ,
Gentianæ,
Guaiaci ex ligno,
Hyperici,
Juniperi,
Melissæ,
Pimpinellæ,
Restæ bovis,
Rutæ,
Saxifragiæ,
Scolopendrii,
Scordii,
Tamarisci,
Valerianæ,
Veronicæ,
Vincetoxici,
Zingiberis.

Sal Coralliorum.

℞. Corallia post extractionem tincturæ residua, quod caput mortuum dicitur, calcina illud cum Sulphure aliquoties, donec scilicet in cineres planè vertatur. Ex his cineribus superfusâ aquâ urticæ minoris destillatâ, Sal extrahe, post hebdomadalem in balneo digestionem à fæcibus per filtrum separa, & usque ad cuticulam evapora, pone in frigido loco & concrescit eleganter,

Sal Prunellæ, seu Nitrum Depuratum.

℞. Salis Petræ, quantum placet. Solve in aqua communi, & per chartam emporeticam trajice, quò à sordibus omnibus expurgetur, deinde vase vitreato decoque, & crebrò despuma, coagula postmodum in frigido. Exficcatum tere, & sartagini impone, ut intra prunas accensas liquefieri possit. Liquati Nitri libræ injice florum Sulphuris unciam unam, non semel unâ vice, sed pluribus, donec omnis pinguedo sulphurea deflagrârit. Tandem Sal Nitri probè eliquatum, & purum in vas ferreum, vel æneam pelvim priùs probè excalefactam

lefactam effundatur, ut frigore concrescat.

ALii & fortè majori cum commodo solummodò. Nitrum depuratissimum reddunt, reiteratis multis solutionibus, filtrationibus & coagulationibus.

Sal, sive Saccharum Saturni.

℞. Cinerem Plumbi aperto igne sine alio adjecto præparatum, ex illo Salem cum aceto destillato extrahe, quem postea aquâ pluviali, solvendo, filtrando, & lenissimè in balneo evaporando septies edulcora.

EXtrinsecus usurpatum mira præstat in ulceribus cancrosis, malignis, corrosivis & similibus, contra ambusta, inflammationes, pustulas faciei rubras utilissimum esse judicatur.

Sal Tartari.

Sternitur Tartarum in vase terreo non vitreato plani fundi ad crassitudinem digiti; Reverberatur postea ad albedinem usque, spacio quinque vel sex horarum, igne ita moderato, propter fusionem, ut vas saltem candeat. Tùm perfunditur aquâ communi; filtratur & coagulatur. Ex hoc Sale per deliquium soluto fit oleum Tartari per deliquium vocatum, ad Medicos usus rarò expetitum, Hermeticis verò operationibus frequenter inserviens.

Sal Vitrioli Vomitorium Angeli Salæ.

℞. Vitrioli Ungarici cœrulei & optimi quantum vis, calcinetur in cribulo ad ignem rotæ, donec in pulverem bruneum, seu obscurè purpureum abeat. Huic Vitriolo prædicto modo calcinato, & in vase vitreo posito, superfundatur aquæ communis bona quantitas, sensim & sensim agitando, ne in fundo conglomeretur, donec aqua affusa refrixerit. Stent ita viginti quatuor horis, postea trajiciantur per chartam emporeticam, in patinam latam vitreatam, & fiat exhalatio super ignem lentum, donec Sal in fundo reperiatur siccum, & coloris quodammodo incarnati, qui pulverisando in albedinem convertitur.

AD purgandum superfluitates per vomitum circa præcordia hærentes, corruptosque humores ipsis ventriculi tunicis impactos educendos egregiè valet.

Spiritus Vitrioli Coagulatus.

℞. Salis Absinthii Crystallini, & summè depurati sufficientem quantitatem, huic affunde Spiritus Vitrioli tantum, ut cum eo secundum artem coagulari & uniri possit, cum exuperantia tamen Spiritus Vitrioli, coagulatum justo modo in vase vitreo conserva ad usum.

SUnt & quædam Salia composita nostris in usu, ut Sal Theriacale juxta Quercetani descriptionem in Pharmacopœia restituta p. 530. & Sal ex remanentiis aquæ Theriacalis Bezoardicæ nostri Dispensatorii præparatum.

ANIMADVERSIONES
In Salia.

Salium Vegetab. fixorum verus præparandi modus.

QUamvis *Salium Vegetabilium præparatio* res sit communissima & maximè vulgaris, novi tamen nonnullos, qui etiamsi Chymicos se professi sint, nihilominùs ne rectam quidem & competentem *calcinationem herbarum* pro *Salibus* ex ipsis eliciendis instituere scivêre. Quæ ipsa *Vegetabilium in cineres calcinatio* hoc peculiare habet, quod *herbæ*, *radices*, *&c.* nulli vasi inclusæ sive tecto, sive aperto, sed in aprico comburi velint, similem in modum, uti *ligna* aliàs

aliàs ſuper focum comburuntur; ſecus enim ſi in olla vel in alio vaſe fiat calcinatio, non
cineres, etiamſi diu crementur *herba*, ſed *carbones* pro *Sale* extrahendo inutiles acquires. Per-
actâ hâc incineratione ſolent non pauci, ut *Salem* acquirant *pulchriorem cryſtallinum*, nec
tàm facilè in frigore liquabilem, *cineres* adhuc ſemel additâ *Sulphuris æquali vel duplâ por-
tione* calcinare ad conflagrationem *Sulphuris*; quam *calcinationem* cum tanta *Sulphuris* quan-
titate probare nullo modo poſſum, licet aſſerant, *cineres* exindè magis reſerari, quò tan-
dem efficaciorem & copioſiorem Salem fundant; aſt perperam: Nam dum *Sulphur* deflagrat,
Spiritus ejus Salem in cineribus adhuc exiſtentem reddit vitriolatum, non aliter ac ſi *Spiritus
Sulphuris* vel *Vitrioli Sali* additus eſſet, quo ipſa ſalina ſubſtantia nativa, ſive *Sal Alkali*, nec
non vis & efficacia per diaphoreſin operandi deſtruitur, & *Salia magis diuretica* evadunt de-
perdito *Alkali*, imò à nativa ſua (ſi quæ in *Salibus hiſce fixis* diverſitas eſt,) proprieta-
te & indole in aliud eſſe peregrinum tranſmutantur. Nec magis dextrè & ingenioſè, ſed æquè
malè ac perversè ii laborant, qui jam *confectis Salibus aquam fortem* jungunt, quò mi-
nùs in frigore liqueſcant, & ad cryſtallinam diaphaneitatem perduci, vel in cryſtallos ma-
juſculos redigi queant: Hoc vitium in Chymia vulgari maximè commune eſt illis, qui dun-
taxat ad *formam & pulchritudinem medicamentorum*, non verò ad eorum *genuinas virtu-
tes & proprietates* (quæ contrariis rebus additis facilè immutantur & abolentur,) unicè re-
ſpiciunt. Sciendum igitur, (ut mediâ procedamus viâ,) quod *plurima Salia*, utpotè *Abſin-
thii*, *Centaurii*, *&c.* ſi benè parata ſunt ex *cineribus ritè calcinatis*, non tam facilè in frigo-
re liqueſcant, nec difficulter in cryſtallos redigantur, etiamſi *cineribus eorundem* nullum *Sul-
phur* addatur, ut adeò nec *Sulphure* nec *aquâ forti* hîc ſemper opus ſit: Quod ſi verò *non-
nullis cineribus*, ex quibus aliàs *Sales facilè liquabiles* eliciuntur, *Sulphur* admiſcere volupe
fuerit, non opus eſt *æquali*, multò minus *duplâ ejus portione* reſpectu *cinerum*, ſed *aliquali
ſaltem particulâ*, nimirùm *unciâ ſemis*, *vel ad ſummum drachmis ſex Sulphuris ad libram
unam cinerum.* Nunc ſecundâ hâc *calcinatione cinerum* ventilatâ, progredior immediatè ad
confectionem Salium: Coquantur igitur *cineres in ſ. q. aquæ*, ſæpiùs recenti reaffusâ, in vaſe
terreo vel ferreo, donec *omnis ſalſedo* extracta ſit, *lixivium* inſpiſſetur vel evaporet ad ſiccita-
tem *Salis*, qui impurus erit, lixivialem odorem, ſi ſine *Sulphure*, ſulphureum verò, ſi cum
Sulphure cineres calcinati fuerint, redolens; quem odorem ut ex parte *Sali* adimamus, eun-
demque puriorem reddamus, (quod aliàs innumeris filtrationibus & coagulationibus fieri ne-
quit,) neceſſum eſt, ut ipſum immiſſum crucibulo, igni fuſorio committamus, & quam-
primùm fluit, effundamus, *aquâ affusâ* iterum ſolvamus, filtremus & vel ad ſiccitatem coa-
gulemus, aut leniter & ſucceſſivè humiditatem abſtrahendo in cryſtallos redigamus: Quâ ratio-
ne autem *Salia* dextrè cryſtallizari poſſint, de hoc multa haberem, quæ in medium proferrem,
ſed hæc manualibus operationibus potiùs demonſtrari, quàm verbis exprimi poſſunt; hoc ſal-
tem aſſero, quòd *Salium quorumcunque Cryſtallorum Tartari*, & quarundam rerum aliarum
cryſtallizatio longè exactius in calore perficiatur, quàm in frigore: cauſa eſt, quod frigus im-
petu veluti liquorem cogat, ut inhærentem ſibi *Salem* præcipitanter deponat, quæ præceps cry-
ſtallizatio tàm exactè fieri nequit, ac ſi lentè, ſucceſſivè & cum mora aliqua in leni ſaltem calore
aut tepore fiat; hinc etiam in tectis & coopertis vaſis majores pellucidioreſque cryſtalli creſcunt,
quàm in apertis.

Cæterùm operæ precium eſſet inveſtigare, quam ob rem quædam *Vegetabilia* adeò exiguam
ſuppeditent portionem *Salis fixi*, utpotè *lignum Sanctum*, *Helleborus*, *&c.* Quâ de re non-
nulli ita ratiocinantur, quod nimirùm talia *Vegetabilia* ſint tenuium partium, & paucas
obtineant partes terreſtres, plures autem volatiles & ſulphureas, propterea etiam prædi-
cta majorem copiam ſuppeditare Spirituum & Oleorum, minorem verò *Salis fixi*: Aſt ra-
tionem hanc in ſufficientem eſſe exinde patet, quod *Vegetabilia*, quæ parùm *Salis fixi* præ-
bent, æquè uti reliqua partes craſſiores habeant & terreſtriores, cùm eandem ſuppeditent cine-

Vegetabilia quædam cur parùm Salis fixi præbeant.

rum copiam: Nec est, ut in spirituositatem causam referamus; *Vegetabilia* enim summè spirituosa magnam persæpè quantitatem *Salium fixorum* præbent, utpotè *Absinthium*, *Lilium convallium* & alia complura. Ego quantum experientiâ edoctus sum, hanc causam esse assero, quòd *Vegetabilia* illa modicum *Salis fixi* suppeditantia plurimo *Sale nitroso* sint impregnata, quod *Oleo eorum resinoso* firmiter adhæret; *idipsum Oleum* ubi in calcinatione *Vegetabilium* deflagrat, rapit unà secum *Salem suum homogeneum nitrosum*, quo absumpto exiguum quid relinquitur *Salis fixi*, non secus uti *Nitrum ipsum*, si resinâ aliquâ permixtum, ignique immediatè injectum, totaliter consumitur; fluit autem diu multumque in igne, si immediatè ab eo non tangatur. Pro confirmatione hujus assertionis, subsequentem pono *Salis ligni Sancti* præparationem, quæ talis esto.

Salis ligni Sancti præparatio.

℞. *Ligni Sancti s. q.*

Coquatur diu multumque, sæpiùs recenti aquâ reaffusâ, donec omnis essentia, quantum fieri potest, extracta sit, & aqua ultimò affusa nullum amplius saporem referat, *solutiones vel aquæ decoctæ* inspissentur ad siccitatem, *Extractum siccum spissumque* immittatur crucibulo, ignique tradatur: sic inter initia strepitum edet instar *Nitri* prunis injecti, postea fluet instar *Salis*, tùm effundatur & ulteriùs, prout superiùs edocui, per crebras solutiones, filtrationes & coagulationes ad puritatem reducatur. Et hæc quoad *Salia fixa ex Vegetabilibus*.

Sal Corall. sunt soluta Corallia.

Sal Coralliorum, quod ex calcinatis cum Sulphure Coralliis elicitur, se habet in modum solutionis eorundem, cum aliquo Spirituum corrosivorum confectæ: Nam *Spiritus Sulphuris*, dum Sulphur in calcinatione deflagrat, solvit & rodit *Corallia*, ut postmodum affusâ aquâ *Sal ipsorum* extrahi queat. De cæteris autem *Coralliorum* violentis calcinationibus non aliter sentio, quàm quod meræ destructoriæ sint eorum *Essentiæ* & virtutum. Insuper satis mirari nequeo, quod etiam inter Viros doctos, qui apicem Chymiæ digito tetigisse sibi imaginantur, reperiantur, qui asserere ausint, *Corallia* mediante violentâ calcinatione spatio aliquot dierum eò reduci posse, ut prius in albedinem, postea in flavedinem, tandem in rubedinem convertantur, ex quibus tandem *Tincturam* eorum elicere in facili sit: Quæ speciosa verba & aurea promissa me & alios plures illexere in dispendium, nec parùm defraudârunt, quippe qui nihil hac violentâ & diuturnâ calcinatione ex *Coralliis* adeptus sum, præter calcem vivam acerrimam, vix ullo signo ab alia calce viva discrepantem.

Corall. violentæ calcinationes destructoriæ sunt.

Corall. Tinctura falsa ex Corall. calcinat.

Sal Prunellæ est Nitrum clarificatum.

Sal Prunellæ, quod Nitrum est clarificatum, diversimodè parari potest, vel per injectionem Sulphuris, dum in igne & crucibulo fluit, vel per reiteratas solutiones, filtrationes & crystallisationes. Notandum hîc, quod ultima solutio pro diversitate affectuum, quibus adaptari debet, in succis depuratis herbarum, vel decoctis earundem clarificatis non incommodè fieri possit.

Sacchar. Saturni ex diversis rebus è Plumbo oriendis paratur.

Saccharum Saturni non solum ex *Plumbo* communiter calcinato, sed etiam ex eodem laminato saltem & granulato ac minerâ ejusdem, nec non *Cerussa*, *Lithargyro* & *Minio* purius tamen ex uno quàm ex alio, beneficio *aceti destillati* vel alterius liquoris acidi elici potest: Ex enumeratis autem pro *Saccharo Saturni* omnium optimo conficiendo *Plumbum* ipsum eligerem.

Sal Tartari ex Cremore ejusdem parari debet.

Salis Tartari item *Salis Vitrioli vomitivi* (quod etiam ex *Vitriolo albo* parari solet, de quo in præcedenti *classe* sub proprio titulo egimus:) præparationes artificiosi nihil continent. De *Sale Tartari* tamen hoc notare velim, ut potiùs *ex semel soluto & crystallisato*, *quàm crudo & impuro Tartaro* paretur, ob tonticas rationes superiùs in præparatione *Magisterii Tartari Vitriolati* & alibi etiam indigitatas.

Spiritus

Spiritus Vitrioli cum diversis *Salibus* coagulari potest, omnium tamen optimè cum *Sale Vitrioli* (ceu proprio,) quod ex *Vitriolo* summè calcinato in aëre relicto & astris impraegnato extrahitur; Similiter etiam cum *Nitro* eleganter succedit coagulatio. Totum autem hoc coagulationis opus in eo consistitut *Spiritui Vitrioli* corpus aliquod, quod ipsi non contrarietur, adjungatur; tale autem est *Sal proprium* & *Sal Nitri*, tanquam *Salia acidiora*: *Salia autem lixivialia*, utpotè *Absinthii*, *Tartari* & similia, *Spiritibus acidis* contraria sunt, idcircò necessum est, si cum *similibus Salibus Spiritus Vitrioli* aliorumvè *Spirituum acidorum* coagulatio instituatur, ut multum *Spiritus* inutiliter deperdatur, tantum scilicet quantum fuerit *Salis coagulantis*; tantum enim circiter in se recipiunt *Salia*, antequam aciditas *Spirituum acidorum* in destructa vel immutata sese manifestare possit, quod cum *Sale Nitri* vel *Vitrioli proprio*, tanquam *Salibus* magis cognatis & acidis non contingit.

Vitrioli Spiritus quomodo dextrè coagulandus.

De *Salibus Theriacalibus* egi in *animadversionibus super Appendicem classis decimæ quartæ*, ubi etiam *Salem Theriacalem Quercetani* tetigi, quidque de illo censendum sit aperui, quò Lectorem amicum relego.

FLORES.

Flores Antimonii.

℞. Antimonii selecti libram unam.

Tere in subtilem pulverem, & ex vase terreo in ollas artificiosè sibi incumbentes, applicato supernè Alembico rostrato, sublima secundum artem, dando ignem per gradus.

Flores Armoniaci Salis.

℞. Salis Armoniaci libram unam,
Squamæ Ferri uncias decem.

Misce diligenter, & ex cucurbita in arena sublima secundum artem. Vase refrigerato, separa quod sublimatum est, & misce cum quinque aut sex unciis Salis communis fusi repetendo istam ultimam sublimationem quinquies aut sexies, novum semper Salem addendo.

Insigne sudoriferum in febribus præsertim quartanis, & aliis morbis diaphoresin exigentibus.

Flores Benzoini.

℞. Benzoinum tere, & ollæ rotundæ impone, deinde claude duplici chartâ emporeticâ, convolutâ in modum manicæ Hippocratis: da postea ignem ad sublimationem idoneum, floresque niveos sæpiùs collige.

Flores Sulphuris.

℞. Sulphuris communis in frusta conquassati libram unam.

Immitte cucurbitæ vitreæ benè lutatæ, pone in arenam, & apposito Alembico vitreo sublima, igne primùm miti, postea fortiori: videbis paulò pòst elevari flores in Alembicum, qui repetitis sæpè alternis Alembicorum vicibus studiosè sunt colligendi. Hanc florum sublimationem semel atque iterum reitera.

Flores Sulphuris Compositi.

℞. Florum Sulphuris ter elevatorum uncias duas,
Aloës hepaticæ,
Myrrhæ selectæ ana unciam unam.
Croci scrupulum unum.

Terantur in pollinem subtilissimum, & serventur ad usum.

ANIMADVERSIONES

In Flores.

Antim. Florum vera præparatio.

F*Lorum Antimonii* exactam præparationem tradit *Glauberus in tract.* 1. *Furni philosophici fol.*71.ad cujus imitationem (licet furnum illum in promptu non habeamus,) eorum sublimationem diversimodè instituere possumus.

Flor. Salis Armoniaci cum Marte.

Eodem modo & *flores Salis Armoniaci* confici queunt; non autem opus est tot reiteratis sublimationibus, majoris enim efficaciæ erunt post primam *à Marte* sublimationem, quàm si quinquies vel sexies additione recentis *Salis simplicis* sublimati essent. Hoc insuper notandum, quod si *Essentiam Martis* prædictis *Floribus* imprimere velimus, ut *Martem vel Chalybem* aquis corrosivis, aceto aut similibus nonnihil priùs solutum, vel *Crocum Martis aperientem* non nimiùm calcinatum *Sali Armoniaco* commisceamus, & tandem sublimationem instituamus, tali modo *Salem flavescentem & Essentiâ Martis prægnantem* indipiscemur, ad denominatos affectus efficacissimum.

Flores Benzoini elegantes.

Flores Benzoini diversimodè parari consueverunt: præ cæteris autem modis is apprimè mihi placet, quem tradit *Clarissimus Schröderus in sua Pharmacopœia l.*4. *c.* 377. nimirùm destillando per retortam ejus butyrum, ex quo beneficio aquæ ferventis *Flores* extrahuntur, cùm in majori copia, tùm etiam majores & elegantiores.

Florum Sulphur. vera sublimatio. Colcothar perperam Sulphuri commiscetur, pro Flor. Sulph. sublimatione.

Florum Sulphuris sublimatio sine additione corporis cujusdam quod liquefactionem *Sulphuris* impediat, haud commodè perficitur; idcircò nonnulli *caput mortuum Vitrioli* addunt, ast non admodum prudenter, difficulter enim & pauci Flores hoc modo ascendunt, suis etiam de causis, nimirum quod *Sulphur* aciditate suâ rodendo *terram Vitrioli*, quam in pristinum *Vitriolum* vel esse fermè restituit, se destruat, & consequenter *Flores* præbere nequeat, id quod in plurimis operationibus, destillatione *Spiritûs Salis, Nitri, &c.* studiosè observandum est, ne res illis commisceantur, in quas hi *Spiritus* acidi agere, & necessariò se mutuò destruere debent, quæ unica causa est in hunc usque diem nec dum perpensa, quòd haud feliciter cedant hæ destillationes, *Salis* utplurimùm, cùm potior pars *Spiritus* rodendo & solvendo *argillam* vel *terram ipsi adjectam* annihiletur, & in aliud ens commutetur. Suadeo itaque, ut *Sulphuri Salem communem* duntaxat in duplo pondere adjiciant; hoc modo *pulcherrimi Flores* sublimantur ex cucurbita lutata igne aperto quidem sed moderato.

Florum Sulph. iteratæ sublimationes rejiciuntur.

Frequenter iteratas *Florum dictorum* sublimationes non usque commendo, & si mihi daretur optio, ego *crudum Sulphur*, imò *vivum*, si purum & candidum esset (prout etiam reperitur,) præ *Floribus aliquoties etiam sublimatis* amplecterer, & tutò traherem in usum; utpotè quod suo adhuc gaudeat *Sale centrali nativo*. Plura de *Floribus Sulphuris* variis modis præparatis & compositis, legantur apud *Clarissimum Schröderum in Pharmacop. Med. Chymica l.* 3. *c.* 27.

CRO-

CROCI, VITRUM,
Sublimati, præcipitati, aliique pulveres Chymicè præparati.

Crocus Martis.

℞. Limaturæ Martis, quantum sufficit.
Igne reverberii eousque examina, donec asperitate & pondere penitùs privetur, ac in florem rubicundissimum abeat cum aquis convenientibus ablue, & serva ad usum.

Crocus Martis ex Oleo Sulphuris.

℞. Limaturæ ferri unciam unam.
Dissolve in Spiritus Sulphuris acidi unciis octo. Digere per noctem, & destilla per Alembicum Spiritum Sulphuris ex arena. Reverbera leni igne per tres aut quatuor horas, serva ad usum.

Crocus Metallorum.

℞. Antimonii electi,
Salis communis,
Nitri ana partes æquales.

Minutissimè trita, & mixta cum catino, luto probè munito, foramine tamen parvulo in medio superficiei Spirituum arsenicalium exhalandorum gratia relicto, in furnum anemium collocentur, igne follium adhibito, donec omnia sufficienter fluant, tamdiu hoc continuando, quamdiu fumus per foramen illud perrumpere non desinit. Quando verò desinit, ignem probè ad quadrantem horæ adauge, deinde exime, ubi vase infrigidato, Antimonium in fundo à salibus supereminentibus instar Reguli à scoriis sequestratum sese malleo detrundandum, atque in pulverem terendum facilè dabit. Tritus pulvis instar cinnabaris rubicundissimus erit.

Emeticum hoc medicamentum, ubi mitiora locum non habent, multa cum utilitate exhiberi potest. Unde in doloribus capitis, ab impuritate ventriculi illud lancinantibus, in epilepsia, in vermibus cujuscunque generis usus ipsius insignis esse poterit.

Vitrum Antimonii Hyacinthinum.

℞. Antimonii Ungarici, quantum vis,
Tere; & pone cum olla non vitreata supra ignem lentum, & incipiet fumigare. Rutabulo in extremo reflexo agita sedulò, ne adhæreat. In nodos fortè si concrescat, iterum tere, & ad ignem denuò colloca, procedendo ut prius, donec fumum non ampliùs evomat, nec in nodos concrescat, sed maneat in forma pulveris. Refrixum in olla fusoria colloca ad furnum anemium, per tres circiter horas, ut penitùs fundatur, idque mox funde supra pelvim æneam, vel modulum pro libitu effigiatum.

Antimonium Diaphoreticum.

℞. Antimonii,
Salis Petræ ana libram unam.

Pulverisata simul misce, & pone in crucibulum inter accensas prunas ut candeat, tum injice uncias duas aut circiter hujus mixtionis, & statim detonabit. Postea novos pulveres injice, ita ad finem continuando. Vase refrigerato, materiam exime, ablue, & rursum tere miscendo, ut suprà, cum ana Salis Petræ, eodem modo calcinando, & elaborando, tertiâ etiam vice similiter peragendo. Tandem da ignem liquefactionis modicæ, ad horæ spatium. Ultimò totum illud, quod remansit tritum, coquatur in aqua fontana per aliquot horas, postea calens decoctum per filtrum transmittatur, & loco frigido relinquatur: sic ni-

mirum per ebullitionem id quod ſubtilius, in aqua ſolvitur, & tandem præcipitatur in pulverem admodum albicantem & tenuem, ſæpiùs abluendum & exſiccandum. Quod ſi acetum deſtillatum immittatur in idem decoctum filtratum, faciliùs & celeriùs pulvis iſte cadit majorum virtutum.

Valdè commendatur ad interiora apoſtemata, in lue venerea recenti, & vitioſis humoribus per habitum corporis ejiciendis.

Antimonium Præparatum ad pulverem Comitis Warwichii.

℞. Antimonii optimi unciam unam,
Salis Nitri uncias duas.

Simul negligenter triturentur, mox in vaſe teſtaceo ſupra corbones ignitos collocato, ponantur ad calcinandum igne non admodum vehementi. Hoc facto, iterum tantundem Salis Nitri addatur, & denuò comburantur. Tertiò denique rurſus tantundem Salis Nitri ſuperaddatur, & calcinentur, ferro continuò res dictas agitando, ut undequaque ex æquo penitùs combuſtæ ſint, id quod ex colore cognoſcitur, qui vel ſubalbus, vel ſubflavus eſſe cognoſcitur, & ſi ſuper ignitos carbones iterum ponantur, non amplius crepitum vel ſonum emittunt. Quin etiam idem Antimonii pondus, vel parùm excedens, quod ante calcinationem acceptum fuerat, poſt calcinationem remanere debet.

Mercurius Coſmeticus, vel Præcipitatus albus.

℞. Mercurii uncias quatuor.

Diſſolve in aquæ fortis ſufficienti quantitate, & affunde aquam ſalſam, præcipitabitur in album pulverem, diſſolvens per inclinationem effunde, & præcipitatum multis ablutionibus omni ſalſedine & acrimoniâ priva: Tandem exſicca, aquâ Roſaceâ ablue, & iterum exſicca.

Mercurius ſublimatus.

℞. Mercurii purificati,
Vitrioli calcinati,
Salis præparati ana libram unam.

Subigantur cum pauxillo aquæ fortis, aut modico aceto, exſiccata terantur & miſceantur ſimul in mortario lapideo tamdiu, donec Mercurius unà cum prædictis ſpeciebus in pulverem abeat. Tritam materiam inde cucurbitæ cum Alembico, dando in arena ignem per gradus ad octo vel decem horas.

Mercurius ſublimatus dulcis.

℞. Mercurii ſublimati præcedentis uncias ſex,
Argenti vivi & benè purgati uncias quatuor.

Miſce exactè, ut Mercurius vivus ampliùs non appareat, & ſublima ſecundum artem: ſublimationem hanc tertiò etiam reiterando. Pulvis rubeus in fundo, & albus in vitri collum ſublimatus ſemper rejiciatur, medium verò tene, exime, tere, & ad uſum repone.

Mercurius Præcipitatus rubeus.

℞. Mercurii libram ſemis.

Diſſolve in aquæ fortis ſufficienti quantitate, fiat evaporatio ad ſiccitatem, igne forti ad extremum adminiſtrato. In fundo hærebit pulvis rubeus præcipitatus.

Turpethum Minerale.

℞. Mercurii purificati uncias quatuor,
Olei Sulphuris rectificati uncias octo.

Miſce & digere per biduum in arena: deinde per retortam deſtilla cum tribus cohobiis, ultimò igne vehementi, ut retorta candeat. Maſſam albam exime, & tere, aquâ deſtillatâ calidâ ſæpiùs ablue, donec præcipitatum videas verſum in pulverem flaviſſimum, ſuper quem Spiritum vini ter accendas.

Aliud Mynſichti.

℞. Mercurii ſublimati quantum vis. Reſolve illum in aqua pluvia calida, ſolutionem aliquoties filtra, filtratum vitro immitte, & guttatim infunde tantum Olei ſalis Tartari, quantum putabis

putabis requiri, quoad in fundo appareat & subsistat pulvis rubens: Aquositatem profunde, & pulverem rubeum retine, aquâ communi edulcora, usquedum destituatur omni acredine, & salsedine, Cohoba denuò cum aqua Mellis rectificata sex vel septem vicibus, Cohobiis tot repetitis, tandem pulvis eximatur, & affunde alcohol vini, ut benè humectetur, incendatur, & ferreâ spatula move identidem, ut Spiritus comburii ardore consumatur. Servetur usui.

Gummi Gamandræ Vitriolatum Minderi.

℞. Gummi Gamandræ quantum volueris. Dissolve cum sufficiente quantitate Spiritûs Vitrioli in vase vitreato, postea per Alembicum humiditas omnis evocetur, & Gummi residens in vase exsiccetur, cavendo ne nigrescat, sed colorem suum nativum reservet luteum, semel atque iterum aquâ pluviali edulcora.

ANIMADVERSIONES

In Crocos, Vitra, Sublimatos, Præcipitatos, aliosque pulveres Chymice Præparatos.

CRoci Martis cùm *adstringentis* tùm *aperientis* tot tantique in tyrociniis Chymicis extant processus laboriosissimi nonnunquam, ut tædium afferant Lectori: Inter hos prior sive *adstringens* solâ reverberatione, nullâ re aliâ admixtâ exactissimè parari potest vel ex *Croco Martis aperiente*, vel *virgulis ipsis crassioribus Chalybis*, quæ furno & igni reverberii traduntur per aliquot dies, donec undique *Crocus leviusculus & pulcherrimus* illis adhæreat, qui separandus, *virgulæ* verò ulteriori calcinationi tradendæ, donec expetita quantitas collecta sit: Ego, ut unâ fideliâ duos, quod dicitur, dealbarem parietes, & unâ operâ plures absolverem labores, solitus sum, quoties *Spiritum Vitrioli* destillavi, *virgulas ferreas* furno, infra & supra retortam intrudere, sicque elegantem acquisivi *Crocum leviusculum & adstringentem*: Hunc *Crocum* autem affusâ aquâ edulcorare vel abluere ingentis est stupiditatis, licet (quod valdè miror,) plurimi Chymicorum studiosè id præcipiant; nullâ enim acrimoniâ, nullâ impuritate hic *Crocus* scatet: Quid igitur opus ablutione, utpotè quâ nihil efficimus ampliùs, quàm quòd datâ operâ omnem vim adstrictoriam eluamus? Quæ ipsa etiam optimè quadrant in *Crocum Martis aperientem*, quippè si is edulcoretur, uti non pauci Chymicorum etiam jubent, tota ejus vis & efficacia in *Sale vitriolato dulci* consistens penitûs aufertur. Consistit autem *Croci hujus aperitivi* præparatio in dextra *Martis* solutione, quâ, sive *Spiritu Vitrioli*, sive *Sulphuris*, *Salis*, *Nitri*, *aceti* aut quibuscunque *liquoribus acidis* peractâ, leni tandem calcinatione *Crocus aperiens rubicundus* efficitur, cujus virtutes in solo ejus *Vitriolo* fundatæ sunt, quod ipsum *Vitriolum Martis* quadrante unius horæ in *Crocum pulcherrimum aperitivum* converti potest. Patet itaque, quod *Vitriolum Martis* longè efficacius sit in operando, quàm *Crocus ille aperitivus*, in longè minori quantitate etiam adhibitum.

Croci Martis adstringentis legitimus parandi modus.

Crocorum Mart. edulcoratio stupida.

Croc. Mart. aperientis dext. præp.

Vitr. Mart. Croc. Mart. aperienti præfert.

Crocus Metallorum multis paratur modis, qui ipsus secundùm præscriptum processum commodè parari potest. Mihi alias in usu fuit ille, quem describit *Clariss. Schröderus l. 3. c. 17. f. 425. numero* 4. Non tamen in crucibulo clauso sed aperto detonationem sive calcinationem perficio, & quidem paulatim ac per vices, calcinatum postea in aqua coquo sæpiùs, quousque *Tinctura* extrahatur, quam decantatam per inclinationem *aceto* insperso præcipito, & *Crocum* per filtrum separatum usui asservo.

Croci Metallorum vera præp.

Vitri

Vitri Antim. legit. præpar. sine additione.

Vitri Antimonii sine additione Basilii Valentini exactam præparationem tradit etiam *Clariss. Schröd. lib. 3. cap. 18. numero* 1. secundùm quem modum non semel *Vitrum Antimonii Rubini instar* elaboravi; observavi tamen nonnulla circà ejusdem præparationem, quæ lubens communico: Primò *Antimonium* post perfectam calcinationem aliquandiu, imò per unum saltem vel alterum diem asservatum, ægrè postea perspicuitatem vel diapheneitatem acquirit, eò quod ab aëre attracto immutetur: Itaque postquam illud sufficienter calcinatum fuerit, diutiùs non asservandum, sed statim crucibulo immissum igni fusorio tradendum est, sic spatio quadrantis horæ perspicuitatem (quam subinde bacillo ferreo inserto explorare possumus,) nanciscetur, quâ apparente statim effundendum est. Secundò, *Antimonium Martem* avidè devorat, itaque dum *Antimonium* liquatum est in igne, quantum possibile, brevissimâ morâ *ferreis instrumentis* tractetur; Quod si etiam illud in *ferreo vase* calcinares, non *vitrum* sed *scoriam* & *Regulum* efficeres. Item si in *crucibulo ex scoriis ferri parato* funditur, undique eum terebrat, & in *scorias* convertitur *vitrum*. Tertiò, *Sulphur crudum Antimonium* egregiè purificat, itaque si (quod aliquando accidit,) ejus *vitrum* ad perspicuitatem reduci nequeat, injiciatur illi in crucibulo, dum fluit aut liquatum est, frustulatim aliquid *Sulphuris citrini crudi*, quod *Antimonium* illicò depurabit & perspicuum reddet *vitrum*.

Vitrum Antim. ut benè paretur, aliquot requisita.

Antim. Diaphoretici præpar. variant.

Antimonii Diaphoretici præparationes insigniter variant; quidam additâ s. q. *Nitri* unâ duntaxat calcinatione contenti sunt, nonnulli duabus, utplurimùm verò tribus calcinationibus rem absolvunt, semper addito *recenti Nitro:* Alii *Tartarum* commiscere solent, sed in pauca quantitate, ex gr.

Ejusdem dextra præparatio.

℞. *Antimonii crudi libram unam,*
Nitri puri libram semis,
Tartari albi uncias tres.

Mixta hæc & in pulverem redacta detonant, paulatim nimirùm & per vices, mixturam prunis ardentibus crucibulo injectis inspergendo; hanc detonationem ter reiterant, additâ semper *relicto Antimonio* eâdem quantitate *recentis Nitri & Tartari*; tandem edulcorant aqua simplici: Edulcoratum & exsiccatum pulverem albissimum crucibulo immissum, duabus vel tribus horis igni committunt, ad majorem fixitatem & vim adstrictivam ipsi conciliandam: Quem modum & ego mihi commendatum habui, & plurimum in peste aliisque morbis contagiosis *hoc ipso Diaphoretico* præstiti ad drachmam integram exhibito, quo & ipse in mediis luis pestiferæ flammis constitutus per DEI gratiam liberatus fui. Additionem *Tartari* non inutilem censeo, propterea quòd *ejusdem Sal* non parùm faciat ad exactiorem *Antimonii* resolutionem, licet tantillum de *cineribus Tartari* ipsi cohæreat. Si in tertia detonatione albedinem non acquisiverit (quod vitio *Antimonii* non admodùm bonæ notæ existentis contingit;) etiam quarta calcinatio repetenda est, sed tertia, & si opus est etiam quarta detonatio in crucibulo ignito vel candente fiat: *Sulphure* enim Antimonii inflammabili jam maxima ex parte consumpto & fixato, haud promptè postea accenditur mixtura, nec uti priùs detonat. In edulcoratione partes crassiores, quæ fundum citò petunt, relinquantur in residuo & abjiciantur, solo reservato pulvisculo illo, qui leviter commotus aquæ innatet.

Antim. Diaph. ex Reg. Antim.

Ex *Regulo Antimonii* juxta eundem modum *egregium Diaphoreticum*, & quidem faciliori negotio confici potest, iisdem rebus, scilicet *Nitro & Tartaro* admixtis.

Antim. Diaph. tractu temporis malign. induit qualitatem.

Observandum etiam, quòd *Antimonium Diaphoreticum* quocunque modo, sive cum *solo Nitro*, aut addito etiam *Tartaro* paratum sit, tractu temporis aëri expositum pravam & quasi malignam induat naturam, sumptumque intra corpus, cordis angustias, cardialgias, lypothymias, vomitusque & similia prava symptomata procreet, quæ facilè tamen evitabimus, si vel singulis duobus vel tribus mensibus recenter illud conficiamus, vel jam *paratum Antimonium Diaphoreticum vetustum* addita portiuncula *Nitri*, aut etiam absque *Nitro* per unam

vel

vel alteram horam Vulcano tradamus, penitusque igniamus; iterumque, si *Nitrum* additum fuerit, edulcoremus & parumper reverberemus. Filtratio autem, quæ in præscripta præparatione præcipitur, perperam instituitur; nam *verum Antimonium Diaphoreticum* per chartam non transit, unde neque illud, quod per chartam transmittitur, & uti alia *Magisteria* præcipitari potest, pro *vero Diaphoretico*, sed pro *calce* duntaxat vires *Antimonii Diaphoretici* non adæquante (quæ utplurimùm à contrarietate *præcipitantis Salis aut liquoris* ortum duxit,) habendum esse censeo.

Antim. præpar. ad Pulv. Com. de VVarw. non disc. ab Antih. Diaph.

Antimonium præparatum ad Pulverem Comitis Warwichii à præcedenti *Antimonio Diaphoretico* non discrepat, proindè neque aliis animadversionibus aut singulari præparatione indiget, nec tantâ, tamque excessivâ quantitate *Nitri* opus est, præsertim si *Nitrum* ablui non debet.

Mercur. Cosmet. quid præstat.

Mercurium Cosmeticum in perpolienda cute, more aliorum & similium pulverum albicantium, qui fucatâ quâdam albedine eandem imbuunt, quid præstare posse, non ibo inficias: Ast vereor, si frequenter adhibeatur, ne poris se insinuet, ac tractu temporis dentibus, aliisve partibus non leve damnum inferat; idcircò usus ejus inter Cosmetica mihi non probatur, prostant longè præstantiora Cosmetica, quibus innocenter uti possumus.

Mercurii sublimati corrosivi vera præparatio.

Mercurius sublimatus rectè quidem cum *Sale & Vitriolo* paratur, sed necessum est ut *Vitriolum*, quod ipsi additur, ità calcinetur, ne *suo corrosivo* aut *Spiritu acido* privetur: Quantitas item præscripta *Vitrioli & Salis* non sufficit, præsertim si corrosivus (uti ex sequenti dulci subl. apparet,) reddi debeat *Mercurius*; necessum igitur est, ut non solùm pondus eorum dupletur, sed & sublimatio *Mercurii*, additis semper recentibus speciebus, *Sale* scil. & *Vitriolo*, bis terve reiteretur, donec in cryстallinam compagem elevetur; commodiùs autem igne aperto, quàm in arena sublimatur, servatis ignis gradibus, in cucurbita lutata, aut in alio accommodato instrumento. Sciendum etiam, quòd *Mercurius* non ad capitellum usque elevetur, sed duntaxat ad latera cucurbitæ, ob id etam nisi rumpatur cucurbita, ab ea postquàm sublimatus, separari nequeat.

Mercurius corrosivus alius.

Qui citiùs, minori etiam labore *sublimatum corrosivum* conficere intendit, is solvat *Argentum vivum aquâ forti*, vel *Spiritu Vitrioli & Salis*, postea humiditatem omnem ab eo destillando evocet ad siccitatem *Mercurii* sive *Argenti vivi*, qui instar albicantis massæ in fundo cucurbitæ remanet; hanc *Mercurii massam* adhibito fortiori igne per gradus sursum pellat, donec tota ex fundo vasis ad latera ejus, Alembici scilic. sublimata fuerit, & si ignem debitè rexeris, in prima jam dicta sublimatione cryſtallinus apparet sublimatus, sin minùs, repetatur sublimatio nullâ re additâ alterâ vice.

Mercurii dulcis legitima præparatio vel sublimatio.

Ex *Mercurio corrosivo* jam parato, addito *Mercurio* sive *Argento vivo*, quantum scilic. is capere potest, (nam exacta *Argenti vivi* quantitas determinari nequit, quia, quò magis *corrosivus est Mercurius sublimatus*, eò plus requirit de *Argento vivo* pro sua edulcoratione, & viceversa:) sublimatur *Mercurius* sive *sublimatus dulcis* similiter igne aperto in cucurbita vitrea infrà lutatâ dextreque igni admotâ, ita tamen, ne ignis totam cucurbitam lambat, sed paulò ultrà, quàm quousque cucurbita *Mercurio* adimpleta est, ignis eam (scilicet cucurbitam) immediatè attingere aut circumdare possit: Claudatur igitur circa cucurbitam undiquefurnus, ita ut pars cucubitæ vacua extra clausuram emineat, relictis tamen à latere nonnullis spiraculis ad servandos gradus ignis; ac tali modo optimè succedit operatio, & *Mercurius* ad latera cucurbitæ prominentia elevatur crystallinus spatio quatuor, vel quinque aut sex horarum, prout gradus ignis observantur. Hic modus in omnibus *Mercurii sublimationibus* etiam prædicti corrosivi observari potest; hoc pacto enim pauciori igne, breviori tempore, minori labore & longè exactiùs magisque crystallinus *Mercurius* sublimatur, quàm si sublimatio in arena facta esset; sublimatur autem bis, ter, quaterve, quousque crystalli ad instar appareat.

Mercur. præcipit. & Turbith. miner. Gummi Gamandræ Vit. Mind. examinat.

Mercurius præcipitatus, *Turbith minerale flavum & rubrum* juxta modos præscriptos parari possunt. Si quis plures eorum processus desiderat, adeat tyrocinia Chymica.

Gummi Gamandræ Vitriolati Minderers præparatio potiùs in dedecus, quàm honorem Authoris huic Mantissæ pro corollario inserta est, utpotè quâ Author dictus summam suam inscitiam, in cognitione rerum naturalium & artis destillatoriæ prodit. Quis enim *Spiritum Vitrioli à Gummi Gamandræ* abstraxerit, *Gummi dicto* non combusto, ejusque colore nativo luteo non abolito? Quippe *Spiritus Vitrioli* violentiorem ignem desiderat pro sui abstractione (non quidem in Alembico, sed quod plus, in retorta vitrea humili perficiendâ;) quàm *Gummi Gamandræ* pro totali suâ combustione & destructione: Edulcoratio hujus *Gummi Gamandræ Vitriolati* æquè ridicula est, sive illa abluendo, sive abstrahendo fieri debet. Idcircò spretâ hâc ludicrâ præparatione, contenti simus *Gummi de Peru Rosato Mynsichti* juxta *animadversiones nostras* parato, ceu coloris graviâ viriumque nobilitate præscripto præstantiori.

Cremor & Crystalli Tartari.

℞. Tartari albi aquâ calidâ aliquoties ab impuritatibus abluti, & in pulverem subtilem contusi libras duas; Ebulliant in sufficiente quantitate aquæ fontanæ in vase figulino ad dissolutionem, amove ab igne, & fervens adhuc decoctum trajice per manicam Hippocratis in aliud vas firmum, ubi refrixerit, Cremorem supernâ parte sublimatum & parietibus vasis adhærentem collige, diligenter lava & exsicca. In frigido loco expositum decoctum, Crystallos edit, quos coagulatos aliquoties fontanâ aquâ abluito, lentè exsiccatos super Porphyrio lapide in pulverem albissimum conterito.

ANIMADVERSIONES

Tartari Cremoris verus parandi modus.

Et hic modus parandi *Cremorem vel Crystallum Tartari* planè insufficienter traditus est, quod ex sequenti nostra dexteriori præparatione clarè patebit.

℞. *Tartari albi integri*, vel si in majora frusta fuerit concretus, grosso modo confracti, neutiquam autem contusi vel pulverisati q. s. abluatur sæpiùs aquâ frigidâ, non calidâ, quousque nulla spurcities ampliùs ab ipso eluiqueat, & aqua affusa clara perstet. Hunc *lotum Tartarum* immitte vesicæ cupreæ stanno obductæ, vel vasi figulino superiùs aliqualiter clauso (intensior enim calor est in vase operto, quàm aperto, hinc etiam in vase clauso *Tartarus* citiùs dissolvitur;) & affusâ *aquæ simpl. s. q.* coque fortiter per horam unam, sub finem coctionis adjiciendo *aliquot albumina ovorum* cum aqua simplici conquassata, utpotè quæ impuritatem segregant & in se recipiunt; hinc coletur per pannum lineum, & si non totaliter solutus fuerit, (uti rarò fit, præsertim si multum fuerit *Tartari*;) reaffusa *aquæ recentis s. q.* horâ unâ denuò coquatur, iterumque coletur, qui labor coquendo & colando tamdiu continuandus totiesque reiterandus est, quousque *Tartarus* in universum solutus sit, ac nil præter arenosas ac lapidosas fæces reliquerit: Et tali pacto unicâ die pro magnitudine vasis, in quo coquitur, *sex, decem, duodecim vel sedecim aut plures libræ Tartari* dissolvi possunt. Hos colaturas omnes deinceps unitas vel confusas, & benè invicem agitatas, (ut *Tartarus*, qui instar boli vel pulveris fundum petit, solutioni vel aquæ commisceatur,) infunde rursus in idem vas, in quo *Tartarus* antea coctus vel dissolutus fuit, prius tamen elotum & mundatum, & per dimidiam horam adhuc fortiter coque, tum denique in calore sensim refrigerare & crystallisare sine, vase superiùs cooperto: Quo refrigerato aquam effunde (in qua parum vel nihil *Tartari* ampliùs hæret, licet aliqui existiment multum adhuc in ea delitescere, ast falsò:) *Tartarum* verò, qui partim lateribus vasis undique crystallinus adhæret, partim etiam in fundo jacet, multis recre-

mentis & fæcibus permixtus, aquâ frigidâ iterum lava, lotum & purificatum exsicca, ac tandem in pulverem redactum usui asserva.

Notandum etiam hîc, quod *unica Tartari dissolutio* sufficiat, licet indè non evadet adeò candidus vel crystallinus; nam quò frequentius ipsum coxeris, eò plus de viribus ipsis detrahes: Hinc non semper ad medicamenti pulchritudinem, sed potiùs ad ejusdem efficaciam respiciendum est: Multoties enim nimium curiosis & artificiosis nostris laboribus rem destruimus potiùs, quàm quod boni aliquid exindè efficiamus.

Tart. freq. sol. ejus. vires & virtutes diminuunt.

Quòd si libuerit *Tartarum hunc solutum & crystallizatum* peregrinis virtutibus imbuere, eidem vim vel catharticam vel magis diureticam imprimere, facilè illud effectum dare poterimus, mediantibus *decoctis rerum vel Catharticarum*, utpotè *Gialappæ, Hellebori, fol. Senæ, Hermodactylorum, &c.* vel *aperientium*, ut *radicum Cichorii, oculorum Cancrorum, Chalybis, &c* unà cum iisdem *Tartarum* dissolvendo, coquendo, iterumque crystallizando, qui licet colore alieno nonnihil tingatur, nihilominùs si in Porphyrio teratur, iterum albescit, atque tali modo paratus *Cremor Tartari* feliciter in medicina usurpari potest.

Tartarus peregrinis virtutibus imbui potest.

Cornu Cervi Philosophice sive absque Ustione Calcinatum.

℞. Cornu Cervi in majora frusta secti quantum placet. Suspendatur in collò vesicæ, aut cucurbitæ, in qua aqua destillanda est, aqua tantisper bulliat, aliam fervidam sæpiùs affundendo, donec cornu Cervi ad albedinem calcinatum sit, & ubi secatur, fragile, & friabile ferè redditum. Alii apices cornu Cervi decoquunt in aqua florum Tiliæ in cucurbita superposito Alembico cœco, donec mollescant.

Eodem modo calcinatur Ungula Alcis, & Cranium humanum.

ANIMADVERSIONES.

Quamvis *cornua & ossa* qualicunque calcinatione, quam philosophicam appellant, quæque per *vaporem aquæ ferventis* cujuscunque peragitur, tantopere non destruantur, suisque nativis viribus perinde spolientur, atque aliàs in violenta illa calcinatione sive præparatione, quæ per totalem combustionem perficitur; nihilominùs non parùm ipsis & hoc modo detrahitur: Et licet ex *cornibus vel ossibus* ita philosophicè calcinatis ac destillationi subjectis, de *Spiritu, Sale volatili, & Oleo ipsorum fœtido* nonnihil eliciatur, non tamen propterea existimandum, ipsa adhuc iisdem, quibus *crudum cornu*, pollere viribus, vel majoribus etiam (prout nonnulli sibi imaginantur & asserunt,) vel etiam, uti alii arbitrantur, hâc calcinatione nihil aliud peractum fuisse, quàm quod friabilia, ad pulverisandum aptiora & magis pura reddita sint: Neutiquam. Quippe qui *ambo cornua tùm crudum, tùm philosophicè calcinatum* examini ignis subjiciet, reipsa deprehendet, multum de nativa sua humiditate, *Sale volatile & Oleo, huic cornu philosophicè calcinato* detractum esse, & eorundem vix parte quartâ adhuc gaudere, ut propterea & *hanc calcinationem philosophicam*, licet totali exustione aliquantò meliorem, approbare nequeam: è contra verò *ipsum crudum Cervi cornu subtiliter & minutim raspatum* pluris æstimem, quod tamen diversimodè parari, inque virtutibus suis exaltari potest, ut vel in substantia, formâ nimirùm pulveris, vel in aqua decoctum, & in *mucilaginem* vel *gelatinam* conversum, tutò & sine nausea propinari queat, quorum aliquot exempla sub finem annectam.

Cornua & ossa philos. calcinata examinantur.

In præsens verò loco Corollarii proponam, *quale cornu Cervinum* ad usum medicum maximè eligi & adhiberi debeat. Notum est, quod *Cervis* ordinariâ naturæ lege annuatim, & quidem utplurimùm mense Februario *cornua* decidant, scilicet ob nimiam contractam duritiem, quippe quæ prohibet, quò minus pro alimento ipsorum modo consueto copiosè affluens

Quale cornu Cervi ad usum medic. eligi debet.

fluens ſanguis ulterius diſpergi queat; hinc demùm fit, ut idem ſanguis circa bregma ſe ſiſtat, & putredinem veluti concipiat, undè tractu temporis vermiculi generantur, qui radices cornuum continuò rodendo, ipſaque quodammodò à bregmate ſeparando pruritum excitant & titillationem, quâ *Cervi* concitati & ſuper hâc moleſtiâ indignati, *cornua* arboribus affricant, & continuo affrictu tandem decidere faciunt; Quibus ubi ſe privatos ſentiunt, illicò latebras quærunt & tanquam inermes ſe abſcondunt, donec ſuccedente tempore verno,

Cuncta ubi cæperunt fronde virere novâ,

recentes acquirant corneas excreſcentias ſive *typhas* (Germanis Hirſchkolben dictas,) & quidem circa feſtum Paſchatos.

Vera cornu Cervini præparatio.

Has ipſas tenellas adhuc molles, lanuginoſas ac ſanguine turgidas typhas jam unâ cum cruenta illa maſſa, ex qua enaſcuntur, mactato Cervo accipe, eaſque detractâ pelle lanuginoſâ fruſtulatim minutimque conciſas cucurbitæ vitreæ immitte, ac lentè deſtillando calore M. B. exſicca; aquam prolectam bis ter quatervè cohobando: Tandem materiam vel maſſam in fundo cucurbitæ relictam & exſiccatam rubeſcentem, ſi ex typhis admodum tenellis & ſanguine turgidis; albicantem verò, ſi ex iiſdem adultioribus parata fuerint, in pulverem ſubtiliſſimum redige, qui ſpreto *cornu Cervi tùm uſto, tùm philoſophicè calcinato vel præparato*, ſtudioſè ad ſingulares ſuos uſus aſſervandus eſt. Cui etiam varia pro diverſitate affectuum & intentione Medici admiſceri poſſunt, utpote primò pro ſudore excitando tempore infectionis, aut graſſantibus febribus malignis componetur tale.

Pulv. ex Typhis Cervi.

Bezoardicum Cervinum Alexipharmacum I.

℞. *Cornu ſive pulveris prædicti ex typhis Cervinis præſcripto modo parati v. gr. libram unam*,

cui adde

Salis Viperini vel Theriacalis, juxta modum ſecundum vel tertium ſuperiùs in fine animadverſionum ſuper appendicem de Salibus Theriacalibus edoctum libram ſemis,

Ol. ſtillat. cort. Citri recent.

Rutæ ana drachmas tres.

Miſce, fiat *pulvis Bezoardicus præſtantiſſimus*, cujus doſis à ſcrupulo uno ad drachmam ſemis & drachmam unam in vehiculo convenienti.

Bezoardicum Cervinum Alexipharmacum II.

℞. *Viperarum recentium vel Serpentum Germanicorum, in locis ſanis degentium numero x. vel xv.*

qui abſciſſis capite & caudâ, detractiſque exuviis & interaneis exemptis unà cum *hepatibus & cordibus*, dum vitâ integrâ & motu adhuc gaudent, immerſi in

Decoctum Scordii &

Rutæ,

additiſque

Salis Scordii &

Rutæ ana unciis duabus.

Ces

Coquantur donec mollescant, & quasi in gelatinam convertantur; coletur decoctum cum forti expressione, cui adde

Pulveris ex typhis Cervinis supra præscripti libram unam,

& in cucurbita vitrea junctim destillando ad omnimodam siccitatem iterum abstrahatur, tùm in pulverem subtilem priùs redactis admisce

Ol. stillat. cort. Citri recent.
Rutæ ana drachmas duas,
& si lubet
Elæosacchari Cinamomi uncias tres.

Misce, fiat *Bezoardicum* & *Alexipharmacum præstantissimum.* Dosis à scrupulo uno ad drachmam unam in omnibus morbis malignis.

Alexipharmacum seu Bezoardicum Cervinum III.

℞. *Herb. recent. Scordii nostrat.*
Rutæ hortens. ana uncias quatuor,
Rad. Angelicæ,
Scorzoneræ,
Zedoariæ ana uncias tres.

Fiat affusâ *aqua pluvialis* s. q. repetitis vicibus, decoctio ad totalem virtutum specierum extractionem: *Decoctum clarificatum, & ad libram unam circiter per cocturam inspissatum*, affundatur

Libra uni pulveris Cervini ex typhis parati,
nec non
Unciæ uni Croci Austriaci pulverisati,
&
Unciæ uni cum dimidia pulveris Myrrhæ electæ.

Quæ junctim cucurbitæ vitreæ immissa, in M. B. totaliter exsiccentur, quoad commodè iterùm in pulverem redigi queant, cui si lubet adde *Ol. destillat. vel Rutæ vel Citri unciam semis.* Fiat *Alexipharmacum nobile*, dosis drachma semis ad drachmam unam.

Antepilepticum Cervinum. I.

℞. *Flor. Tiliæ recent. uncias tres,*
Rad. Pæoniæ recent. deb. t. coll. uncias duas,
Semin. ejusdem excort. unciam unam.

Incisa & contusa coquantur in *aqua simplicis* s. q. repetitis vicibus affusæ & expressæ, quousque tota virtus prolecta sit: *Decoctiones expressæ* junctim optimè clarificentur, & *ad uncias sex* circiter evaporent; *Cui relicto decocto sive Extracto liquido* cucurbitæ vitreæ immisso adde

Pulv. Cervini simpl. ex typhis parati & superiùs edocti libram semis,
Margarit. Orient. præparat. sive earundem solutionis, menstruo nostro indigitato paratæ, unciam unam,
Corall. rubror. præparat. seu eorundem etiam solut. suprà indicato menstruo paratæ unciam unam semis.

Et lentâ destillatione per M. B. iterùm totaliter exsiccentur, ut in Alcohol redigi queant; cui pro aromatisatione addatur

Elæosacchari Cinamomi uncia una semis,
Olei Coriandri destill. drachma una.

M. F. Pulvis & *Epilepticum efficax*, cujus dosis à scrupulo uno ad scrupulos duos.

Antepilepticum Cervinum. II.

℞. *Pulveris Cervini simpl. ex typhis parati & suprà edocti uncias sex,*
Salis volatilis cornu Cervi, juxta modum Salis Viperini volatilis superiùs edoctum parati,
Salis succini volatilis ana unciam semis,
Sacchari Candi albi pulverisati uncias duas,
Ol. stillat. Coriandri,
Majoranæ,
Lavendulæ ana drachmam unam.

Misce fiat *pulvis Antepilepticus*, custodiatur in vitro cerâ optimè obturato, cujus dosis à scrupulo uno ad scrupulos duos.

Bezoardicum Cervinum Aureum.

℞. *Pulveris Cervini simpl. ex typhis parati supraque edocti uncias tres,*
Croci Solis modo sequenti parati drachmas tres & semis, plus minusvè,
Essentiæ Citri siccæ nostro modo paratæ unciam semis.

Misce fiat *pulvis delicatissimus* in vitro custodiendus, cujus dosis drachma semis ad drachmam unam.

Nota: posset, si cui voluntas esset, *Crocus Solis typhis* nondum exsiccatis addi, & unà cum ipsis exsiccari: vel etiam hisce duobus pulveribus commixtis nec non cucurbitæ vitreæ immissis affundi *Spiritus urinæ* & *Spiritus vini ana libra semis*, & ab iisdem cohobando tertiâ vice abstrahi, quo magis unirentur: tandemque exsiccatis, & de novo per cribrum trajectis pulveribus addi *Essentia Citri dicta.*

Croci Solis Præparatio.

Quamvis sub *hoc titulo cornu Cervi* minùs appositè *Aurum* intermisceatur, ast cùm nil quicquam ab Authoribus in *hac Mantissa de Auro* traditum fuerit, cui judicium meum aut quid simile annectere potuissem, *novam autem Mantissam* construere seu varios processus Chymicos addere animus in præsens nunquam fuerit, prout sæpius innui; idcircò non à re prorsus alienum fore existimavi, si per accidens *Croci Solis*, huic *pulveri & Bezoardico* necessariò addendi, præparationem hîc annecterem, quam ut boni consulat amicus Lector, nullus dubito.

Fiat itaque modo sequenti:

℞. *Auri finissimi per Antimonium purgati & subtilissimè laminati unciam sem.*

Salis

Salis Nitri opt. purificati uncias decem,
Aluminis uncias octo,
Salis communis uncias quinque.

Misceantur immittanturque cucurbitæ vitreæ, quibus super affundatur *aqua simpl.* pro dissolutione totali Salium dictorum, coquantur post in arena igne moderato ad spissitudinem vel siccitatem Salium pristinam, *Aurum* totaliter solvetur & *Salibus* permiscebitur, quibus denuò *aquæ simpl. s. q.* pro dissolutione dictorum *Salium & Auri* affundatur, filtretur *solutio Solis flava aureique coloris*, cui guttatim instilletur *Ol. Tartari per deliq. facti q. s.* quousque *Aurum* totaliter fundum petat, quod per filtrum ab *aqua salsa* separandum & *aquâ dulci recenti* optimè edulcorandum, tandemque exsiccandum, & si lubet igne lento per horæ quadrantem calcinandum est, erit *Crocus Solis pulcher purpureo violacei coloris*, sudoriferum & cordiale non infimum.

Bezoardicum Cervinum Corroborans.

℞. *Sacchari albissimi pulverisati uncias quatuor,*

Solvatur supra ignem cum s. q. *succi ex corticibus Citri extimis expressi*, sine ebullitione, ac si tabulæ ex succis acidis parari deberent, in quo remoto ab igne & nonnihil refrigerato liquefac.

Ambræ gryseæ unciam semis,
superaddendo
Pulveris Cervini simpl. ex typhis parati uncias sex,
Ol. stillat. Cinamomi,
Macis ana drachmam unam.

Misce, fiat pulvis confortans efficax.

Essentia Cervina Antepileptica.

℞. *Cornuum tenellorum Cervi, sive typhorum libras duas,*

Conscindantur in frustula minuta, & cucurbitæ vitreæ capitello muniendæ immittantur, cui superaffundantur

Spiritus Cerasorum ardentis,
Liliorum convall. ardent. ana libra una.

Factaque digestione die unâ vel alterâ abstrahatur in M. B. per Alembicum ℔ j. circiter, qui ipse tamen Spiritus reaffundendus, & simul post aliqualem adhuc digestionem colandus, filtrandus, interumque asservandus est. Ex *residuis cornibus* retortæ vitreæ & loricatæ immissis, destillentur servatis ignis gradibus, *Sal Volatile, Spiritus & Oleum,* quod ultimum à *Spiritu & Sale volatili* per tritorium separetur, aut per chartam emporeticam madefactam: *Sal volatile*, quod in *Spiritu* dissolutum erit, rectificetur, abstrahendo nimirùm destillatione *medietatem Spiritus*, cui totum *Sal volatile* inhærebit; *Hic rectificatus Spiritus Sale volatili prægnans* jungatur *superiori Essentiæ factæ*, circulentur adhuc aliquandiu, usuique tandem asservetur, cui pro aromatisatione *Elaosaccharum quoddam appropriatum* addi convenit.

Essentia Cervina Alexipharmaca.

ILla juxta modum præcedentem ex *tenellis Cervorum cornibus* parari potest, substituendo duntaxat pro *Spiritu Cerasorum & Liliorum convallium, Spiritum Iuniperi vel Rutæ*, ad libitum eorum, quibus hic vel ille odor magis gratus vel adversus est.

Habes

Habes hic Lector benevole selectissima medicamenta, ex *typhis vel tenellis cornibus Cervinis* parata, ad quorum imitationem plures compositiones addi possent, admixtis *Oleis & Spiritibus destillatis ardentibus ac Salibus volatilibus, ex Cervi sanguine, ossibus cordium Cervinorum, & ipso etiam cornu Cervi crudo* parandis, verùm illa brevitatis causâ cum hæc sufficiant, lubens omitto.

Nota: quod in defectu *typhorum vel novellorum cornuum*, etiam ex *cornu Cervino adultiori*, non tamen spontè delapso, sed à mactato Cervo circa festum Ægidii initio Septembris desumpto, ac subtiliter raspato, efficacia medicamenta ad imitationem præcedentium parari possint, quæ tùm pro diversitate affectuum & conditione ægrotantium cum *decoctis convenientibus*, aliquoties humectanda iterumque exsiccanda sunt. Item *cornu Cervi philosophicè calcinatum* similibus *decoctis* imprægnatum, non rarò in suis virtutibus exaltaretur, præsertim si *decoctum cornu Cervi crudi aut Cranii hominis* (quæ mucilaginem vel Gelatinam in coctura præbent,) vel etiam *Olea ipsorum destillata & rectificata*, nec non *Oleum Succini*, item *Salia eorum volatilia* ipsis juxta modos superiùs indigitatos, simul imprimerentur, quæ cuncta arbitrio prudentis Medici relinquo.

Atque hæc sunt LECTOR candide, *quæ tam studiosè in tuum & ægrotantium commodum meditatus sum; Plura quæ tempus & experientia suppeditabunt, in posterum, ubi per otia licebit, additurus. Tu interim, quisquis es, hæc omnia, licet non tantoperè elaborata, ex sincero tamen, tibique inserviendi promptissimo animo profecta, æqui bonique consule, & errores hinc inde in hoc opere festinanti adeò calamo conscripto, pro tuo candore, corrige.*

PHAR-

PHARMACOPOEIA REGIA,
SEU
DISPENSATORIUM
Novum Locupletatum & Abſolutum,

Annexâ etiam

MANTISSA SPAGYRICA:

In quibus

Vera & Accurata methodo Selectiſſimorum Medicamentorum Compoſitiones & Præparationes traduntur; quæ cùm ſervatis ſuorum Ingredientium virtutibus, tum iiſdem exaltatis, Medico, in profligandis humani corporis ægritudinibus, ad vota ſervituta ſunt.

Cui acceſſere

BINI DISCURSUS APOLOGETICI:

Authore

JOANNE ZWELFER,
PALATINO, M.D.

ANNO DOM. cIↃ IↃ c Lxxii.

Cenſura Inclytæ Facultatis Medicæ Viennenſis.

Animadverſiones in Pharmacopœiam Auguſtanam, & annexam ejus Mantiſſam, primùm reviſas; unà cum Appendice ad Animadverſiones: nec non Pharmacopœiam Regiam, ſeu Diſpenſatorium novum Locupletatum & abſolutum, cum annexa Mantiſſa Spagyrica, Dn. Ioannis Zwelfer, Med. Doctoris, propriis Obſervationibus & Experientiâ confirmatum, aliqua ex Collegio Medicorum Viennenſium membra ab initio uſque ad finem ſtudioſè perlegerunt, nihilque in his bonis Moribus, aut Fidei Catholicæ, contrarium vel repugnans; verùm multa non ſolùm Medicis Praxin exercentibus ſcitu ſummè neceſſaria, ſed & Ægris admodum profutura, invenerunt. Ideoque hæc Opera Typis digniſſima cenſemus. In quorum fidem haſce Patentes, Collegii noſtri Sigillo munitas, expediri, & manu Decani ſubſcribi, mandavimus.

Dab. Viennæ, 16. Junii 1666.

L. S.

Johann Ludwig, Phil. & M. D.
p. t. Decanus.

Potentiſsimo ac Inviˈctiſsimo,

ROMANORUM IMPERATORI,

LEOPOLDO

PERPETUO AUGUSTO,

Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, &c. Regi: Archiduci Auſtriæ: Duci Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, & Wirtembergæ, &c. Comiti Tirolis, &c.

IMPERATOR AUGUSTISSIME:

FOecunda Cæſarum Regnumque Parens, Auſtria, Invictiſſime LEOPOLDE, illicium eſt Orbis & Populorum, quos arcano nutrit ubere, ac inſatiabiles reddit, dum vel ſemel admiſit ad fluenta Gratiarum. Habet, Auguſtiſſime Cæſar, Gentilitia Auſtriorum Domus tacitum in omnes Imperium, dum ſuos Majeſtate allicit, Pietate conſervat, Juſtitiâ tutatur, Humanitate demulcet. Neminem proinde arceat Imperialis Auſtriacorum Aquila, quæ, licet Majeſtate & Juſtitia, Sceptro & Enſe, armata ſit; Pelicanus tamen amoris eſt, ſua confodiens viſcera, ut vel proprio cruore ſubditos foveat, ac in vitam animet. Meridiabar jam olim Ego ſub umbra hujus Aquilæ alarum magnarum, PIETATE ET JUSTITIA magni FERDINANDI TERTII PATRIS, ad cujus auguſta ſubſellia Animadverſiones in Auguſtanum Diſpenſatorium olim reclinavi. Protegebat me Majeſtas FERDINANDI QUARTI, ſeu fortis Clementia, ſeu clemens

Fortitudo, Pro Deo et Populo; ſub cujus Regio Paludamento Pharmacopœia Regia noſtra quondam protecta. Nunc arcano me trahit illicio, & benigno obtutu, ſceptrum inter & acinacem excubitor oculus Majeſtatis Veſtræ, Consilio et Industria Vigilantiſſimus, Hieroglyphico aut Myſtico ſenſu Cæſarearum virtutum Epitome, Ter Auguste Leopolde; cui jam olim totus militabat æther, & Coronas deſtinabat, ad Diademata nato ac educato. Conquieſcat igitur ſub umbra alarum tantæ Majeſtatis Veſtræ Consilio et Industria ſecundus hic fœtus meus, partuſque literarius (quem pedibus Majeſtatis Veſtræ reclivis ſubſterno) utpote, qui olim ſub his Alis feliciter fovebar; quando Regiæ m. Pharmacopœiæ Appendicem Auguſto Majeſtatis Veſtræ Nomini ſupplex dicavi. Perennet igitur non tam Solaris Imperii Aquila, quàm ſæculorum Phœnix, LEOPOLDUS, gentis noſtræ Pyropus, Paternarum virtutum Maximi Ferdinandi Tertii ex aſſe Hæres, in Sago & Toga ter Fœlix Imperator: Cui ut Regna accedant, bello & pace glorioſiſſimus perennet, ſupplicibus votis exoro. Nam ſic & Urbs, ſic Populus, ſic Univerſus Orbis, ardentibus votis ſupirat.

Sacræ Cæſareæ Majeſtatis

Veſtræ

Humillimus cliens

JOANNES ZWELFER.

PRO-

PROOEMIUM AD LECTOREM.

Quod olim, Gentilitio sibi symbolo, felicissimus ille Heroum, hieroglyphicâ brevitate innuit; quando super Scutum dimidiam Lunæ sphæram vivis coloribus pingi voluit, hoc superscripto Lemmate: Plenior redibo: hoc à me, non tam nominibus & symbolis, quàm reipsa, effectum vides, Lector benevole; dum Tibi, & universo literato Populo, Pharmacopœiam Regiam, juxta fidem, in præfixo Emblemate datam, pleniorem, auctam & perfectam, ut φιλιατρῶν expectationi satisfacerem, sisto & consecro. Ea enim est humanæ imbecillitatis, inter angustos limites comprehensæ, natura, ut parturiat semper; rarò tamen, aut nunquam, perfectum enitatur fœtum, embryonem duntaxat producens; cui tempus, ætas, & magistra rerum, Experientia, ultimam tandem imponit manum. Symbolizat enim humana mens cum totius Universi natura, quæ, in ipsis progignendis flosculis, suis utitur interstitiis, producendo jam eorum pericarpia, sinus, genicula, umbellas, nymphas, donec in calathos circinet, ex his, velut è proscenio, florem eductura. Sic pariter longâ serie procedentes anni, magna artibus fuerunt incrementa; suos habet gradûs sapientia; dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam, ad consummatam usque plenitudinem. Quindecim jam fluxêre anni, quòd Pharmacopœia Regia nostra primùm sustinuit prælum: hactenus verò assiduo semper studio in id incubui ac desudavi, ut fœderatis manibus, conjunctisque viribus, fœtum hunc meum perficerem, experientiâ & continuâ Praxi ampliarem, debitum denique nitorem & formam ei conciliarem; satis interim factum mihi autumans, si deplorandis mortalium affectibus citò, tutò, ac jucundè, subvenirem. Quanquam præproperè adeò prælum ac lucem hic noster partus non subiisset, remorante nos operosâ Praxi, & Ægrorum sollicitatione; nisi, inter alios Doctissimos Viros, assiduo etiam mihi stimulo fuisset, ac fidelem unà operam suam præstitisset, Excellentissimus Vir, Joannes Adamus Spenholtz, *Inclytæ Facultatis Medicæ Viennensis Doctor, Celebris Jaurinensium p.t. Physicus, & incomparabilis Philosophus, qui deploratum Medicinæ statum sæpe coràm, ac literis suis, nobis exposuit, & lucem, ac talentum nostrum, sub modium non esse abscondendum, commonefecit; nostris antehàc evulgatis scriptis addictissimus, ut ea (ad paucorum æmulationem) continuus tereret, meque adversus futuros maledicorum susurros iteratò erigeret, ut scilicet parùm adverterem, quid Zoilus in obscuris, quid nauci homunculi (festivâ hâc utar πρ...ονομασία) obganniant, quorum vita & labor est, sagacissimis & defæcatioribus etiam ingeniis imponere.*

Placuit autem hanc in me suscipere spartam, Regiamque nostram Pharmacopœiam denuò excudere, ac divulgare, ut improbos naturæ conatûs per omnia æmularer, que semper ad majora enititur, nihilque non numeris omnibus absolutum producere satagit: quò & collimavi ego, ut meliora nimirum charismata sectarer, Opus & Dispensatorium tale ederem, quod omnem

spiraret perfectionem, nihilque mancum aut superfluum in se continens; prout decet genuinum Artis & Naturæ sectatorem. Neque verò liberiùs hæc mihi excidisse putes, quasi qui solus Philosophici sacrarii penetralia, aut sacrum Æsculapii delubrum & abdita penetrassem, eque iis non nisi Panaceas, secreta remedia, & θεῶν χεῖρας deprompsissem. Absit à me fastus, gloriola, & φιλαυτία; qui apprimè novi, quàm arctis limitibus virtus & potestas nostra circumscribatur; quàm angusta res domi nostræ sit. Illud solùm scriptis hisce monumentis præstare volui, ut quàm proximè ad perfectionis apicem, in re Medica, collimarem, Tibique cornu copiæ, aut, si mavis, Armamentarium & Panopliam erigerem, è quibus arcana remedia depromere valeas, queîs deleterias morborum vomicas, abditasque humanorum languorum causas, velut totidem telis, profligare posses.

Quis enim tam bruto agrestique ingenio est, cui non pateat, quòd, labente paulatim ætate Mundi, vires totius orbis systematis labascant, magnisque passibus ad defectionem properent? Ipsa cæteroquin benefica sydera, & ecstatica elementorum commotio, in nos, seminali quâdam malignitate, virulenta effluvia derivant, mundumque epidemicis calamitatibus premunt. Ampliùs dicam; ipse Majoribus nostris saluberrima alimenta, primâ quasi statione dimissâ, intestino furore in nos debacchantur, disparatas geneses in corporibus moliuntur, vernaculos morbos, velut totidem sigilla, imprimunt, nosque arcanis insidiis ad interitum deducunt; adeò quidem, ut, præter morbi genus, quod Antiqui Σποραδικὸν vel ἐνδήμιον, seu Patrium dixére; meritò calamitoso hoc sæculo nos illud jungamus, quod Intestinum, Domesticum, & ex Nobis, appellemus. Intuentes igitur præsentium calamitatum seminarium, & fatale novæ Eridos pomum, hostilesque dissidias vitæ nostræ concentratas; & nos pariter novis accendamur ausibus, extra castra digrediamur, obviam procedamus arcano hosti; qui filii aut commilitones sumus magni Hippocratis; induamur fortitudine, & tanti Patris armaturâ, meditemur stratagemata, &, cum divino Sene, diviniora remedia. Sic fiet, ut Musea ac Lycea nostra humano generi sint Armamentarium; consilia nostra, invincibilis clypeus; & remedia nostra, certissima salus languentibus, in vitam & sanitatem. Huc proinde, pro mea tenuitate, hocce meo Dispensatorio collimavi ego, ut secretiora meditarer remedia, quibus frænum & habenas morbis imponeremus; ac veluti ærarium quoddam publicum erigerem, è quo languentium populus vitæ & sanitatis sibi ferat subsidium. Neque verò hæc iterum à me magnificè & grandiloque prolata censeas. Tu ipse Regiam hanc, scripta & lucubrationes nostras, cum reliquis ævi nostri Scriptoribus, velut purpuram purpuræ, & byssum, ut ajunt, bysso compara; & reperies, quòd mea causa triumphat; deprehendes, quòd plurimi Scriptores in propriis vitiis lippiant; quòd angustiùs, quàm pro dignitate Medicâ conveniebat, scripserint, posthumos denique errores retroagendis sæculis, quasi per traducem, commiserint, ævum, Lycea, & Athenæa nostra dedecorantes.

Et sanè quid Medicus est, debita remediorum penu destitutus? Idem quod inermis miles; quod Pilosophus inter Amusos; quod elinguis Orator. Non enim hîc syllogismis certatur. Praxi, & exercitio, selectisque remediis, quibus ægros fulcias, opus est. Neque enim, quàm assiduè Patientem invisas, quæritur; sed, quàm aptis remediis & medicamentis prostratos erigas, disquirendum. Ut proinde Cordubensis Philosophi sanè Christiano dogmati succensere nequeam,

queam, dum in Epistola sollicitè hortatur: Medicorum consilia devita, qui, parum docti; sed satis seduli; officiosè satis multos occidunt. *Neque immeritò: de vita deciditur, viduorum & orphanorum res agitur; ac ab uno Medentis ore nonnunquam regnorum momenta dependent. Quod & ipsi parum experti perpendunt: proinde, quas nec à doctrina, nec ab experientiâ, nec à secretis Chymiæ & Pharmaciæ laboribus habent, suppetias; ab humiditate, & verborum lenociniis, quandoque officiosè emendicant. Ut proinde certissimum sit, hoc solo & uno, quòd circa genuina medicamentorum inventa hallucinantur; fortunas, formam,* ἐγκώμιον *Medicorum naufragari. Contemplemur enim sine penicillo Apellem quempiam; sine incude Malleatorem; aut Architectum, quem regula & gnomon destituunt. Quid sunt? Truncus ficulnus, inutile lignum,* αὐτόματα, *& muta Trophæa. Talem tibi, sine debitis præsidiis, Medicum effingito; qui, ut inermis miles; sine remis & velo, nauta; sine oleo & ceromate, luctator, vento, arenæ, operi se accingat & committat. Ab hoc quid speres? Illud nimirum, ut in primo statim certaminis vestibulo resiliat, domesticæ egestatis memor, &, adstantis turbæ strepitu offensus, vix dimidiatas referat periodos; anceps curam & prognosin ordiatur; ægros declinet, donec suam ludat morbus tragœdiam. Primum igitur salutis fundamentum & basis est, talem sibi delegisse Medicum & Pharmacopœos, quos sana Theoria, improbus & assiduus labor Pharmaceuticus, quidvis aptè ordinare & dispensare erudiit, ne, relictis salutaribus remediis, quisquilias, & rerum inconcinnas farragines, & incompostibiles processûs imperent; qui Ægris nauseam & exitium; viris autem & Pharmacopœis exercitatis risum & cachinnos accelerent: testante hoc quotidianâ experientiâ.*

Consideremus iterum, quòd si peritissimis, & in arte consummatis, viris Pharmacopœis, præpostera talis medicamentorum ordinario negotium facessit; quid futurum sit, si munus hoc deferas incuriosis quibusdam, inexpertis, Misochymicis, & ad Pharmaciam ineptis; quorum scopus & meta non proximi salus, & charitatis lex est, sed, ut cum Aristophane loquar: πρὸς τὰ ἄλφιτα: *de pane lucrando, quæstus, & turpe lucrum? An non decumani errores inde prodibunt, in mortem usque, eamque præmaturam, deplorandis ægris luendi? Hinc, hinc illæ lachrymæ! quòd nonnunquam Officinæ quædam tam atro calculo notatæ sunt, populo ac urbi suspectæ, nec non invisæ, Patientibus exitiales, Medico probrosæ: eò, quòd non rarò ex illis Medeæ fraudes reproductæ, & Circææ pocula ægris prælibanda sunt allata. Piscator ictus sapit; &, quid fidi ejusmodi Achates, dolis & fraudibus inveterati, possint, expertus sum. Quod enim, inter quadrupedes, Lupus; inter altilia, Vultures; inter undas prædator Piscis: hoc sunt, inter homines, ejusmodi Artifices. Vicissitudines igitur humanas, & sortem calamitosam, mecum contemplatus, humano generi, divino illi simulacro & prototypo, quod* θαῦμα τῶν θαυμάτων, *animal adorandum, & Templum DEI, sacra Antiquitas suspexit, aliter parentare non potui, quàm obsequiosâ mente, & indefessis conatibus, ejus languoribus suppetias itum, Dispensatorium tale erigendo, quod, longâ Praxi, ac infallibili experimento, certissimum, in viam Regiam ac tutissimam Medentium normam assereret, ac ab interitu Ægros vindicaret. Enim verò, si quæ hactenus in Repubica Medica aut vicissitudo, aut remora fuit, quæ doctissimorum Medicorum conatûs improbos, & tentamina sæpe irrita fece-*

runt

runt ac deluserunt; aliud quid sub censum vocare, aut incusare, minimè possumus, quàm minùs dextrè, & manca ad nos transcripta Dispensatoria, quibus illi hactenus tributarios subjecerunt affectûs, ac, Veterum erroribus nimium creduli, subscripsére. Sic per traducem, & hæreditariâ labe, in nostram usque ætatem Veterum abusûs & errata transplantata sunt; quibus etiamnum hodie, proh nimium! detinemur. Sunt enim Dispensatoria nobis instar regulæ & amussis; quæ ubi à rectitudine & linea declinant; quid mirum, si & nos, qui medemur, hoc usi directorio, à vero tramite deviamus? Suscipiant igitur, & æqui bonique consulant, hoc, proximi ardore, & de omnibus bene merendi studio, inter verecundos modestiæ limites, à nobis nonnihil castigatius editum Opus & Dispensatorium, Inclyti Medicinæ Patres; quos solos ut demererer, majoraque hisce audendi, novos subjicerem igniculos, hanc in me lubens Provinciam suscepi. Et licet hæc seriùs, ac multùm declinante jam vitæ termino, peregerim, novissimâ quasi horâ in vineam aggregatus, meo tamen non defraudabor bravio & mercede, utpote qui ministerium Domini, juxta mensuram crediti talenti fidelissimè complevi. Neque diffido, quin super plura constituendus & elocandus sim, qui in paucis hisce DEO *& Proximo fidelem servum me exhibui. Hæc etenim sola & una est in humanis usura, non tantùm licita, sed & omnibus æmulanda: bene merendo, & charitatis vinculis proximum constringendo, Ipsum altissimum, qui est ignis consumens, totus charitas & amor, velut totidem arcanis vinculis sibi devincire ac reddere debitorem.*

Quàm verò arduum & salebrosum hoc iter meum & institutum fuerit, Tibi, L. B. *contemplandum offero, qui inter spinas & tribulos, furores & invidias, me jugiter conversantem à longè prospicis. Non enim dies una, & nox sola, hanc litem dirimere potuit. Menses, & complures annos consecravi; sanitatis (utinam non vitæ!) tam severam inter Praxin, & irrequietos labores, passus dispendium sum; somnum & quietem divendidi: optimè mihi conscius, hæc stertendo non evenire,* παρεγχείρησιν *& applicationem manuum requiri, laboribus denique omnia Superos elocare: quanquam molestiæ sensum & sudores ea non accersant, quæ ultrò, & publico emolumento, transiguntur. Neque verò deerunt, qui sudores meos* Λεπτολεσχίας, *& vaniloqua nugamenta, definituri sunt, cavillando dicentes; Obvii cujusque fore, ejusmodi Dispensatoria erigere; nec plus virium ac studii requiri, quàm si Genialem aliquem recenserem Apologum; cum Apuleio, laudarem Asinum; cum Favorino, Thersiten; cum Seneca quopiam, velim Claudii ludere* ἀποθέωσιν. *Quibus tria hæc ex Curia dicta sufficiant:* Dulce bellum inexpertis. *Constanter interim asseveraverim, munus hoc Philosophum Arte & Naturâ instructum requirere, Medicum, eumque Practicum, Chymicum & Spagyrum, nullius laboris pertæsum virum, serium & constantem. Quocunque n. horum deficiente, Ars claudicat, Pharmacia manca est, Officinæ nostræ prostituuntur. Communis igitur calamitas, & deplorandus nostrorum Dispensatoriorum status, stimulum & calcar mihi addidêre, ut, nullum pensiculando laborem, neque curarem, quonam calculo iniquissimi hujus ævi censores, qui propria solùm adorant, aliena verò, vel, cum Democrito, omnia rident, vel, cum Catone, reprehendunt, non videntes manticæ, quod à tergo est, quasi verò, superstitiosâ Poëtarum metempsychosi, emissa ex Elysiis voluptatibus Hippocratis anima in eos remigrasset, suffragentur.*

Ut

Ut autem ab Universalibus ad Particularia digrediar; hoc ipsum pluribus demonstrabo, quàm multa in eum conspirare oporteat, qui simili oneri, & concinnando Dispensatorio, sese accingere cupit: ex quibus, veluti notis characteristicis, B. L. inferre poterit, quòd Dispensatorium hoc nostrum genuinum sit norma & idea, ad quam alia conformari possint. Addiscet præterea Philiater, quâ ratione Compositiones medicamentorum propriæ, & juxta leges artis paratæ, à spuriis, mendosis, & apocryphis distingui debeant; ne & ipse deinceps à turpissimi lucri heluonibus, & Pseudo-Pharmacopœis, in eandem nassam & consortium trahatur: pro quo sequentia breviter animadverto:

Calleat inprimis ejusmodi Scriptor exactè Pharmaceuticam artem insimul, & Chymicam: sit instructus Physicis Prænotionibus; quibus naturalium, seu Medicinalium subjectorum, ac rerum naturas & crasim, quæ in tribus regnis latitant; exactè scrutetur & penetret; quid nimirum, & quantum, in quolibet ente lateat; ad quæ aptum sit: quæ sola est vera Philosophia, juxta mentem Basilii Valentini, quaque si quis destitutus est, circa inane punctum rotabitur, erroribus plenas medicinas præscribet, Dispensatorium inaniter meditabitur, absurda absurdis junget; sibi & Posteritati injurius.

Deinde habeat per modum infallibilis principii & theorematis; non quodlibet ex quolibet fieri, nec quodlibet cuilibet aptè uniri ac permisceri posse. Item: Omne recipiens recipere non ad quamvis, sed suæ saltem receptivitatis, rationem; nequaquam verò ad imprimentis modum.

Præterea novisse convenit, è quibus rebus & simplicibus Syrupi commodiùs parari valeant; & rursum, è quibus Aquæ præstantes elici & destillari; quæque ex toto ad destillandum apta vel inepta sint; quæ Decoctionibus, & Extractionibus, aptiora; quænam in Pulveres, Pilulas, Trochiscos, Electuaria, convenienter redigenda, ab unâ; quæque, ab altera parte, ad Emplastra, Olea cocta, & Unguenta, &c. conficienda magis idonea veniant: ne virtutes earum, dum ad illud, quod non conveniebat, neglecto eo, ad quod naturâ suâ ordinata erant, ex iis, præpostero ordine, parandum & exprimendum assumpta, destruantur; vi & energiâ suâ, sinistrè procedendo, priventur, aut frustra saltem accumulentur. Conandum enim apprimè est, ut subjecta, seu simplicia medicamenta, unione homogeneorum potiùs intendantur; quatenus virtus, juxta Philosophum, unita fortior, per congruas solutiones solubilium, & amplexum quorumcunque miscibilium.

Tertiò & hoc observandum, ut, quantum factu possibile, multum virtutis & virium pauciori, vel exiguæ quantitati cujusdam medicamenti, sive simplicis, sive compositi, imprimatur, & veluti concentretur; ac ne quicquam illorum in præparatione, vel coctione, destillatione, aut aliâ quâvis operatione, deperdatur; sed integra conserventur.

Necessum porrò est, Quartò, ut homogenea homogeneis, similia similibus; & quæ, ad producendum effectum, univocâ ratione concurrunt, jungantur; neutiquam verò talia, quæ contrariis qualitatibus sibi repugnant & dissident, agglomerentur. Taliter peccant ii, qui laxantia, adstringentia, diaphoretica, dispellentia & allicientia virus, narcotica, & stuporem inducentia, aut ea, quæ virtute alterante, calefaciente ac refrigerante simul, & consimili virtute gaudent, in unum cogunt, quæ suâ contrarietate, & ametriâ composita medicamenta nociva

& in efficacia reddunt, & disßitis qualitatibus unitatem & harmoniam compositi interturbant: ut proinde certißimum sit, Medicum suo fine inter curandum frustrari, irritaque reddi omnia.

Quintò, nosse oportet, quæ medicamenta, Composita atque Simplicia, è recentibus; quæque ex aridis & siccis, decenter paranda; & quo anni tempore id fieri expediat; utrum omnia simul & semel; an successivè colligenda: item quâ ratione conservanda, donec salvis viribus conjungantur.

Sextò; quod, velut Practicum documentum, accuratè observandum, ut nimirum in omnibus sensatum se exhibeat Medicus, & rationem consulat: quæ, cùm recta sit, omnem litem dirimit. Nimirum, non seduci se patiatur Authoritatibus, & abusu Veterum si quando ratio, experientiis fulcita, aliud, vel contrarium, suadeat. Si verò contrarium attentaverit, & non, quà eundem, sed quà itum, processurus sit, sibi imputet, si dolosi, & in Rempublicam Medicam injurii, seductoris notam incurrerit: utpote per quem malesana dogmata & errores vigent, palliantur, celantur, & in immensum propagantur; pœnas DEO & Posteritati meritas daturum. Consideret denique statûs & conditiones hominum, ut pro mensura fortunarum & loculi medicamenta designet; adeò, ut nemo sit, cui charitas debita, & manus Medica, subtrahatur, sed æquè pauperibus, ac divitibus, satisfieri queat. Tandem & hoc vel maximè expedit, ut præparationes tam simplicium, quàm compositorum, medicamentorum perspicuâ & intelligibili methodo ac stylo, conformiter, ad præcepta & leges artis, prout suprà deductum, Pharmacopœis præscribat. Nisi enim dilucidè illarum præparationes exprimantur; tum quilibet, peritus pariter ac imperitus, Pharmacopœus, pro captu & genio suo, quævis medicamenta præparabit: Exercitatus & Peritus, dextrè & legitimè; Rudis verò & Idiota in arte, perfunctoriè, ruditer, & perperam, pro sui intelligentia. Ut mirum proinde non sit, si medicamenta differentia, & toto cœlo discrepantia, ex tam anomalo dispensandi & præparandi modo resultent. Quemadmodum enim, apud Juris-Consultos, unicus quandoque Asteriscus, clausula, aut terminus, causam & casum ex toto variat: sic, in foro Medico, sinistra manipulatio, & illegitimus vel minimus procedendi modus, totum Compositum mutabit; & medicamentum differens, ac aliter operans, producet ut proinde satis non sit tritum illud & Laconicum: Fiat secundum artem: hoc, vel illud, compositum, vel ejus præparatio. Oportet claris terminis præparandi modum indigitare; cæteroquin è minimis etiam graves errores pullulabunt.

Ex his constabit, quàm arduum sit, medicamenta dicto modo legitimè concinnare compositiones dexteras, & artificiosas, deletis erroneis, substituere, processûs & formulas Authorum reducere, tritam denique ac Regiam viam, evitatis labyrinthis, calcare.

Qui labor tametsi Herculeus fere fuerit; eundem tamen, à minutißimis ad maxima procedendo, in Tui solius, Lector Amicißime, commodum, & futuræ Posteritatis emolumentum, suscepi ac finivi; in eoque exantlando nervis omnibus sensibusque intentis, benigno cœli Numine prælucente, viresque nobis gratiosè largiente, nulli tempori & operæ parcere volui. Tu interim vigilias meas, tanquam sincerum in Te observantiæ meæ τεκμήριον & monumentum suscipe, ac æqui bonique consule.

Unum adhuc, L.B. observare Te velim: quòd in singulis Claßibus, compositiones & medicamenta

camenta ad viscera principaliora, variosque particulares affectus, direxerim; adeò, ut in quavis ferè Classe, ad quemcunque morbum humanum, explicitè, vel implicitè, preciosa remedia descripta in venire liceat, quæ vulgaria non sunt, rationibus Physicis & Medicis, experientiaque ipsâ obfirmata. Omnium autem & singulorum causas, cur hoc vel illud additum, aut demptum, huic vel illi admiscendum, ubique graphicè describere non potui; cùm vastissima volumina his debeantur: quibus vita unius hominis, reliquis negotiis interdicens, tota absorberetur. Quidquid autem editum à me legeris, rationi & experientiæ conforme deprehendes; nihil perfunctoriè & tumultuosè adjectum. Conatus sum præterea, per omnia recto tramite incedere, Veterum errores cavendo, nec Recentium inventa omnia affectando; meliora tamen, pro viribus, sectando. Hæc commemoro, non, quòd, per contemptum aliorum, propria Trophæa firmare velim, aut ex proprio cerebro Palladem me genuisse credam. Quin palàm confiteor, me prima fundamenta, Componendi & Præparandi medicamenta, à Veteribus hausisse; quibus hanc ob rem, lubenti animo, & gratâ mente, originem uti debeo, ita tribuo. Verùm cùm hæc inventa Medico-Pharmaceutica accuratiùs lustrarem, magnaque ex parte manca & mutila, quandoque superflua & inconcinna, deprehenderem; usus sum delectu, & bona retinui, mala verò reprobavi; inutilia & ludicra segregavi; defectûs supplevi; meliora suggessi; ac optima quæque, propriâ experientiâ firmata, de meo substitui: nihil eorum subticendo, quæ secretâ manu & labore, tot annis, studii & Praxeos continuatione assequutus sum. Quanquam & meam hîc fatear imbecillitatem, quòd eodem labyrintho, mille circumactus anfractibus & Mæandris oberraverim, donec felicior Ananias obvenit, qui oculos meos tetigit, & caliginem, quâ cum Antiquis cœcutiebam, velut squammas, removit, ut deinceps, in lucem assertus, dux essem cæcorum, & Antesignanus proficientium. Hanc mihi proinde prærogativam, inter modestiæ limites, vendico; quòd primus Dispensatorii informem massam in vitam animaverim, ad sacram æmulorum invidiam Et de hoc Dispensatorio nostro, in quo non verborum lenocinia, sed remedia, esse voluimus, audacter assevero, quòd hinc inde compilatum, mutuatum, & corrasum non sit, aliorumque scriptis & fragmentis, quasi alienis corniculæ plumis, decorum; sed proprio Marte comparatum, novum, & Regium, Pharmaceutico Galenico-Chymicum. Si qui tamen temere hoc impugnare vellent (uti reipsa quidam attentarunt) ipsi se Græco illo arguant, decentes: cur turpiter ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα πηδῶ; extra limites salio? Cur ultra crepidam judicium fero: cùm rudis, & in arte inexpertus sim; vix in hac Chymicorum & Pharmacopœorum palæstra adhuc Tyro? Quod si tamen exercitatioris ingenii Vir quispiam rivales mecum habuit conatûs & ausûs, quem præmaturo hoc partu meo anteverti, hic ne Laurum, quæ inter sudores mihi accrevit, invideat: firmiter sibi persuadens, eandem patere semitam ad honoris vestibulum, ubi pari ausu in stadio decurrerit & certârit: quin imò ad majora enitentibus ampliora donaria, gloriam, & famam decreta esse. Virtutis *enim* pedissequa gloria. *Hortor etiam egregios, & inter Medicos eminentes. Viros jam dictos, ut, si defectûs quospiam (quod humanum est) inter fori strepitûs, & irrequietam Praxin, subintrasse deprehenderint: eosdem amicâ lenitate corrigant, obscura decidant, ac propria substituant; sibi & ægris consulturi. Interim me sequantur, quò facem prætuli, qui primus glaciem perrupi: accendantur meis, quos subjeci, igniculis, æmulentur vestigia, &,*

pro talenti concreditâ mensurâ, rem Medicam provehant & tueantur, humanum genus à morbis & morte vindicent, &, velut totidem Deucaliones feliciter reparent. Faxint Superi, ut bono omine hoc discordiæ pomum in palæstram Medico-Chymico-Pharmaceuticam primus jecerim, & multa præclara, & reconditæ sapientæ ingenia ævi nostri, ad paria, & majora, audenda concitarim: lubens palmam & herbam porrigam, meliora dogmata amplectar, qui addiscendi cupidißimus; nec non,

qui volet ingenio cedere, primus ero.

Ad vos proinde, genuini Aquilarum fœtûs, felicißimi Artis Filii, convertor, cum divino Sene Laconicum illud identidem vobis occinens: Ars longa est, sed Vita brevis. Eheu! brevis. Sisto vobis quoque Cordubensem Philosophum, Hippocratis Aphorismum limitantem : Non exiguum *inquit*, temporis habemus, sed multum perdimus: ita est, non accepimus brevem vitam, sed fecimus; nec inopes sumus, sed prodigi. Vitâ si scias uti, sat longa est. *Hæc ille. Vindicemus tempus, dum præsens est; futurum & præteritum nostram eludunt potestatem: præteritum stricta Nemesis exigit; futurum pro voto adjiciunt fata; de præsenti nos disponimus. Proinde manum aut tabulæ, aut stivæ, applicemus; curramus in stadio, donec bravium apprehendamus; luctemur, donec inter turbines & persecutiones eluctemur. Sic Majores nostri tentando ad Trojam pervenerunt, thesauros honoris & scientiæ nacti, vitam brevem cum æternâ commutarunt. Assumite vobis fidißimum Theseum, ac Ducem, DEUM; quo, sive in columna nubis vos præcedat, ac evitare offendicula doceat; sive in rotâ ignis anteambulet, meliora vobis semper suggerendo; comite & face omnia vobis prosperabuntur. Exemplo meo rem confirmate, qui procellosum hoc iter, & prolixos labores & conatûs meos, hoc auspice cœpi, & feliciter absolvi cujus unico nutui, quidquid terra & mare periculi minitantur, obsecundant. Finem facio, vosque denuo & hortor & obtestor; Inclyti Medicinæ Proceres; cùm ars longa sit, vita verò, præsertim mihi, residua & brevis & declinans; humeris & talentis vestris succollate, qui avertendo & exhauriendo tam vasto pelago, quale Medicina est, defessus succumbo. Inventis nostris addite, artem propagate, Medicinam excolite. Sic fiet, ut ætas nostra ævum Galeni & Hyppocratis non tantùm adæquet, sed & longißimè antevertat. Considerate obsecro, quòd jam ampla & lata meßis sit, meßores verò, & operarii, pauci. Ego stationem meam fideliter absolvi, manipulum, quem inter sudores & labores seminavi, fideliter meßui & reportavi. Ite & vos, sive in vineam, sive meßem; utrobique Vos Proximi charitas, Lex DEI, præstolatur, vocat, & invocat, ut vos, in paucis fideles, super multa constituat in Regno suo. Interim & Ego, quoad spiro, proximorum saluti me impendo, vitamque meam curriculum Philosophicum definire ausim; & cum sapientißimo Græcorum, Solone, hoc mihi posthumum inscribere elogium :* Senesco, semper plura addiscens. *Suscipe igitur, Amice Lector, hoc Regium Opus nostrum, quod aptiùs longè, quàm olim Aulus Gellius historias suas, quas Noctes Atticas intitulavit, Noctes Viennenses nuncupare possem. Faxint superi, ut hæ Noctes meæ olim tibi præbeant ansam, ut eas, cum Alexandro ab Alexandris, dies Geniales compelles, & experiaris. Vale. Dabam Viennæ, Anno M. DC. LXVII.*

PHAR-

PHARMACOPOEIÆ REGIÆ

CLASSIS PRIMA,

Syruporum Alterantium, Mellium, Juleporum, Mivarum & Rob, veram componendi rationem explanans.

Quandoquidem intendimus Apollineam rei Pharmaceuticæ ſpartam exornare, auctiorem, Artique & Naturæ ingredientium convenientiorem reddere: pro viribus deſuper gratioſè nobis conceſſis, conſtitutum eſt, poſt Animadverſiones in Auguſtanam Pharmacopœiam editas: poſt Pharmacopœiam Regiam Animadverſionibus adjunctam: & poſt Appendicem in Utramque ſuperadditam, in hoc ſtudiorum genere aliquid abſoluti in lucem dare, & quod experientiâ quotidianâ in laboratorio conſequi, priuſque præparare quàm ſcribere licuit, perfectum concinnare Diſpenſatorium, juxta Claſſes Diſpenſatorii D.D. Auguſtanorum *diſtributum. Cum verò conſuetudinis lex mihi præciperet, ut hederam & præconem, ſeu prolegomena quædam in primam præſertim Claſſem præmitterem, quid ſcil. nominis & Etymi Syrupus, quis Veterum & Recentium uſus Syruporum ſit, & plura his affinia: Verùm, ne acta agamus, ac his in præcedaneis Animadverſionibus ex aſſe ſatisfecerimus,* Lect. Ben. *eò dire ctum volumus, interim nos dexteris Syruporum Compoſitionibus accingentes.*

Syrupus de Abſinthio Stomachalis & Hepaticus.

℞. Herb. recent. Abſinthii uncias ſex,
Menthæ criſpæ unc. quatuor,
Roſarum recentium uncias tres,
Spicæ Indicæ unciam ſemis,
Rad. Calami aromatici recent. uncias duas,

Quæ minutim inciſa & contuſa immittantur Cucurbitæ vitreæ, ſuperaffundendo,

Vini opt. generoſi, vel Hiſpanici libras quatuor,

Stent in digeſtione loco calido die unâ, poſteà, appoſito capitello juncturiſque benè clauſis, fiat deſtellatio & abſtractio libræ unius circiter & unciarum decem: Reſiduæ in cucurbita ſpecies unà cum vappa vini (quæ exantlatâ ſpiritusâ parte totâ eſt nauſeoſi ſaporis, odoriſque ingrati, ventriculo, uti vidi, inſignem labefactationem afferens) abjiciantur. Abſtractæ verò Aquæ odoriferæ & ſpirituoſæ de novo immergantur ſequentia minutim inciſa.

Herb. recent. Abſinthii unc. quatuor,
Menthæ unciæ duæ,
Caryophyll. drachmæ duæ vel tres,
Nucum Moſchatarum uncia ſemis,
Maſtichis electæ conquaſſ. drach. duæ,

Factaque digeſtione per diem unum vel alterum in alembico vitreo benè clauſo, fiat colatura & expreſſio, liquor colatus & per reſidentiam depuratus filtretur, interimque aſſervetur. Tum

℞. Reſiduas ab infuſione præced. ſpecies, additis
Herb. recent. Abſinthii unciis quatuor,
Menthæ criſp. unc. duab.
Rad. Calami aromat. recent. unc. una,
Galangæ uncia ſemis,
Roſarum rub. uncia una,
Santali rubri uncia ſemis,

Inciſa, coquantur cum Aquæ ſimplicis libris tribus ad remanentiam lib. unius cum dimidia, colatura poſt expreſſa ac probè clarificata, additis

Sacchari albiſſ. libris tribus,

porrò ad conſiſtentiam ferè tabulati coquatur, tùm demùm jungatur

Aqua ſpirituoſa ſuperius aſſervata, ac recentibus ſpeciebus imprægnata, unciæ ſcil. decem,

Ac sola dissolutione fiat Syrupus præstantissimus: *Qui ventriculi, Hepatis & Lienis imbecillitati, à causa frigida oborta, succurrit, appetentiam excitat, flatus discutit, facultatem retentricem confirmat, adeoque in Cachexia & Diarrhæa à debilitate & frigida Ventriculi ac Hepatis intemperie suborta, præstans est remedium; sumptus quotidie in vini potu, vel alio vehiculo, morbo conveniente; utpotè Vino Cydoniorum aut alterantejusculo, ab uncia dimidia, ad unciam unam.*

Nota: Libuit præparationem hujus Syrupi, à priori in Pharmacopœia Regia præscripta, non abs re immutare, præsertim in abjectione *specierum à destillatione relictarum*, propter *Vappam vini illis adhærentem*, & ab iisdem minimè separabilem, additis tamen harum loco *recentibus herbis & speciebus*, quippe quæ precium Surupi tantoperè non augent, tanquam levi ære comparabilia, cum interim Syrupus, ademptâ vapposâ nauseâ evadat palato & stomacho gratior, acceptabiliorque Naturæ. Notetur præterea: quod præfatus Syrupus de Absinthio, pro abstemiis, *omisso vino* totaliter, substituto loco hujus *Vino Cydoniorum*, non minùs dextrè parari possit, vel etiam in modum sequentem confici: utpote

℞. Succi Absinthii nostrat. probè depurati libram semis,
Succi seu Vini Cydoniorum recentis libras duas semis,

Quibus immerge sequentia, incisa prius & contusa, nimirum:

Absinthii recentis uncias quatuor,
Menthæ crispæ recentis uncias tres,
Calami aromatici,
Galangæ ana unciam unam,
Rosarum rub. unc. unam semis,

Et factâ digestione duabus circiter diebus, coquantur ad remanentiam libræ unius semis, coletur, exprimanturque species, colaturæ expressæ, ac albumin. ovi probè clarificatæ adde

Sacchari albi Canarii libras duas,

Et denuò ad Syrupi consistentiam percoque, cui pro aromatisatione adde

Elæosacch. Cinamomi drach. sex,
Caryophyll. unc. semis,

Fiat Syrupus Stomachalis præstans, cujus usus & dosis ex superioribus patet.

Syrupus Acetositatis Citri cum Corticibus.

℞. Succi Citri (vel potiùs limoniorum sive citriorum pomorum succolentorum parvorum) recenter expressi & depurati libras quatuor,

Quibus immergantur

Corticum eorundem pomorum citr. recent. & extimorum unc. sex,

Factaque maceratione in vitreo vase, horis circiter XX, loco benè calente, denuò coletur, & additis,

Sacchari Canarii albiss. libris sex,

Fiat unâ saltem ebullitione, Syrupus præstans, ac gratus, *ad omnes morbos æstuantes ab intemperie calida, præsertim febrium, tùm malignarum, tùm ardentium, & periodicarum ortum ducentes: Cor & ventriculum, Hepar nec non calefactum recreat, & temperat, putridinique resistit. In dosi error facilè committi nequit; unciæ etenim aliquot de die sumptæ, mixtæ vehiculo cuidam appropriato sive aqua pura, sive destillata, aut simpliciter cum rebus gratis & convenientibus cocta sit, non exiguo emolumento cedent.*

Nota: Concentratio *succi Citri acidi*, sive illa fiat, uti in *Animadversionibus* insinuaveram, abstractione duarum tertiarum aquositatis elementaris, sive nudâ evaporatione ejusdem humiditatis superfluæ, hîc tantoperè non desideratur, tùm quia relicta in cucurbita seu fictili, aciditas, hâc abstractione non intenditur, id quod experientia rerum Magistra incredulo ob oculos ponere potest; tùm quia *succus Citri seu Limonii*, naturæ suæ genio acidus, fermentatione illâ, quæ vel cum tempore maturationis, uti acerba poma, demum mitescunt, vel in abstractione humiditatis talis emergit, potius infringitur & dulcescit, unde abit in aliam veluti naturam, nec non coloris diaphani perspicuitatem atque gratiam saporis deperdit. Et demum Pharmacopœios etiamnum amicè admonitos velim, *ne acidorum Syruporum* præparationes instituant in *vase æneo*, *cupreo*, vel *auricalcino*; fit enim, ut *succi acidi*, non minus ac *vinum* atque *acetum* eliciant acrimoniâ suâ

æru-

æruginem ex metallo, contrahantque pro confortativa, qualitatem emeticam, humanæ nostræ Naturæ violenter hostilem, & perquam nocivam; purior ergò & emendatior *acidorum* & *Vinosorum* præparatio succedit in *fictilibus debitè vitreatis*, aut etiam *planè vitreis instrumentis*. Consimili planè modo *Perlæ* in *mortario æneo* contritæ, quanquam pondus earum non augmentetur, prout super marmore attritis evenit, *soluta* tamen in *aqua forti*, virorem quendam induunt, quo solutionem imbuunt, cujus in promptu ratio dari potest; quòd dum in *mortario* & *æneo pistillo* conteruntur, ipsæ duriusculæ & acuminatæ particulæ *mortarium* atterant, & quasi reagant, è quibus *ramentis* virore quopiam tingitur *menstruum solvens*, & vitriolatum quid redolet, mutatisque nonnihil qualitatibus, dum vires restaurare opus foret, eas potius prosternunt, nauseam accersent, vitriolata qualitate stomachum evertunt, consimili planè modo ac fieri assolet, ubi *Aqua Cinamomi* per noctem *poculo aurichalcino* vel *argenteo* infunditur, ac *sale vitriolato* imprægnatur, virtutis emeticæ ac vomitum cientis, quod *Perlis* non accideret in *lapideo mortario* comminutis, si cæteroquin sint legitimæ.

Syrupi ex Succo Acetosæ, Acetosellæ, & de Agresta.

Parentur hi Syrupi simpliciter juxta Pharmacopœam Augustanam, vel super eandem factas *Animadversiones*, quorum virtutes etiam ibidem uberrimè exposita sunt.

Syrupus Acetosus Simplex.

℞. Aceti destillati libras duas,
quibus immergantur,
Cort. Limon. recent. & extim. unc. duæ,
Arant. recent. & extim. unc. una,
Et factâ maceratione die una, coletur, additisque
Sacchari Canarii albi libris tribus.
Coquantur paucis ebullitionibus ad consistentiam Syrupi, in terreo vase vitreato. *Saluberrimus est in affectibus calidis, biliosis & æstuantibus, imò in peste ipsa, & febribus malignis. Ex eo Iulapia parari possunt cum aquis, sive coctis ex Cornu Cervino, hordeo & similibus, sive destillatis, & appropriatis; ægrisque sic commodè propinari.*

Syrupus Acetosus Compositus.

℞. Rad. recent. Apii,
Cichorii sylv.
Fœniculi,
Petroselini,
Pimpinellæ ana unc. unam semis,
Cymarum Asparagi recent. unc. duas,
Herb. recent. Nasturtii hortensis,
Cochleariæ ana unciam unam semis,
Sem. Apii,
Fœnicnli,
Nasturtii ana unciam semis,
His incisis & contusis, ac vitreo vasi immissis, superaffundantur,
Aceti simpl. clari vel destillati lib. duæ,
Factâ digestione per diem naturalem, fiat colatura & specierum expressio, acetum hoc colatum & expressum per filtrum opt. clarificetur, interimque asservetur. Jam verò
℞. Species ab extractione relictas,
quibus porro adde,
Rad. recent. Apii,
Cichorii sylv.
Fœniculi,
Petroselini,
Pimpinellæ ana unciam unam,
Cymar. Asparagi recentium,
Herb. recent. Nasturtii hort.
Cochleariæ ana unciam unam semis,
Sem. Apii,
Nasturtii,
Urticæ,
Petroselini ana unciam semis,
Coquantur in s. q. Aq. simpl. ad remanentiam librarum duarum, colatura expressa, ac album. ovorum probè clarificata, cum
Sacchari albi Can. libris tribus

Co-

Coquatur denuò ad consistentiam ferè tabulati, cui tandem junge,

Acetum superius asservatum & essentificatum

Ac paucis ebullitionibus confice Syrupum. *Obstructionibus Hepatis, Lienis, Mesenterii & Pancreatis reserandis proficuum, præsertim ubi aliqua viscerum φλόγωσις & dyscrasia conjuncta est, urinas ut & menses potenter movet, calculum atterit, expellitque sumpta uncia una vel altera, in jusculo alterante appropriato, quotidie bis.*

Syrupus Aperitivus Spleneticus & Hepaticus.

℞. Succorum depuratorum ex totis, quibusdam, vegetabil. utpotè
- Pimpinellâ,
- Apio,
- Cichorio sylv.
- Petroselino,
- Fœniculo, ana ex toto, scilicet Rad. & herbis,
- Cymis Lupuli,
- Nasturtio hortensi ana libram sem.

Quibus succis immergantur incisarum & contusarum, (si fieri poterit) recentium omnium,
- Rad. Apii,
  - Enulæ,
  - Cichorii sylv.
  - Vincetoxici ana unc. una semis,
  - Chelidoniæ uncia una,
- Scillæ præparatæ uncia semis,
- Cymarum Asparagi,
- Herb. Nasturtii hort.
  - Cochleariæ,
  - Agrimoniæ,
  - Epaticæ nobilis,
  - Agerati seu Eupat. Mes.
  - Scolopendrii,
  - Matrisylvæ ana unc. una semis,
- Granor. Alkekengi,
  - Juniperi ana uncia una,

Factaque digestione duabus circiter diebus, fiat colatura & expressio specierum, succi expressi ac opt. clarificati interim asserventur, species verò à colatura & expressione relictæ, affusâ s. q. Aquæ simpl. coquantur leviter ad remanentiam librarum duarum, decoctum, colatum & albumin. ovorum probè clarificatum, additis

Sacchari Can. albi libris quatuor,

Coquantur ad consistentiam ferè tabulati, cui tandem jungantur

Succi superius asservati & essentificati,

ac paucis ebullitionibus Syrupus fiat justæ consistentiæ.

In Obstructionibus Hepatis, Lienis, Mesenterii, & Pancreatis, atque inde exortis morbis quamplurimis, Scorbuto præsertim, efficacissimus, qui ipse in exhibitionibus cum spiritu Salis simpl. vel spiritu Salis armeniaci acido chalybeato permisceri poterit, & in vehiculis appropriatis, ab uncia semis, ad unciam unam vel duas propinari.

Syrupus Aperitivus Chalybeatus pro Mulieribus & Cachecticis.

℞. Rad. recent. Apii,
- Pimpinellæ,
- Valerianæ,
- Pœoniæ ana unc. duas sem.

Herb. recent. Melissæ,
- Pulegii,
- Nasturtii hort.
- Rorismarini,
- Sabinæ ana uncias tres,

Baccar. Juniperi,
- Lauri ana unc. unam semis,

Sem. Fœniculi,
- Apii ana unciam unam,

Cinamomi acuti uncias duas,
Maceris drachmas sex,
Antophyllorum unciam semis,
Croci opt. drachmas duas,

Quibus omnibus conscissis & contusis, nec non cucurbitæ vitreæ immissis, superaffundantur,

Vini albi generosi libræ sex,

Factâ maceratione per unum atque alterum diem, appositoque capitello fiat in M. B. abstractio ad libras tres. Huic liquori prolecto, abjectis speciebus in alembico relictis, unà cum residua vini vappâ, immergantur sequentia incisa saltem, utpotè

Rad. recent. Apii,
Pimpinellæ,
Cichorii ſylv.
Petroſelini,
Fœniculi ana uncia una ſemis,
Herb. recent. Meliſſæ,
Roriſmarini,
Pulegii,
Sabinæ ana unc. una ſem.
Caſſiæ ligneæ veræ,
Cinamomi opt. ana uncia una,
Baccarum Lauri uncia ſemis,
Macis drachmæ tres,
Chalybis cum ſulphure liquati, & inſuper aliquoties cum ſulphure calcinati ſecundum Crollium, inque petia ligati, unciæ octo vel decem. Crem. Tartari vel ſaltem Tartari albi Veneti ſubtiliter triti & chalybi permixti unciæ duæ,

Macerentur loco calido per biduum, quotidie aliquoties agitando, & petiam vel ſacculum cum Chalybe & Tartaro exprimendo, factaque pòſt colatura cum expreſſione, colatus & expreſſus liquor per filtrum clarificetur, interimque aſſervetur.

Porrò.

℞. Species ab infuſione ex expreſſione relictas, unà cum Chalybe & Tartaro in ſacculo ligatis,

Quas cum Aquæ fontanæ, ſpiritu Sulphuris ad gratam aciditatem acuatæ libris tribus coque ad remanentiam libræ unius ſemis (ſed quod benè obſervetur in patella ferrea) decoctum coletur & perquam optimè clarificetur, quod cum

Sacchari albiſſ. libris quatuor,

denuò coquatur ad conſiſtentiam fere tabulati, cui tandem jungatur

Aqua ſuperius deſtillata & recentibus ſpeciebus eſſentificata in quantitate competenti (libræ duæ ſemis circiter)

Ut ſola diſſolutione, vel unica ſaltem ebullitione Syrupus juſtæ conſiſtentiæ emergat. *Qui in reſerandis menſibus obſtructis, egregiam non ſolum præſtabit operam, verùm etiam Cachecticis & Hypochondriacis auxilio erit. Commodè dabitur in juſculis alterantibus, vel etiam in vino, ab uncia una ad uncias duas, plùs minuſvè, juxta ſubjecti ac ægrotantis conſtitutionem.*

His, Lector benevole, quiſquis amicum animum ad horum Lectionem, aut ad obeundas medicaminum iſtorum præparationes diligentiam attuleris, paucis & humaniter te admonitum velim, ut mentem meam, quoque collimârit diligenter obſerves. Scias igitur me ſemper eò reſpexiſſe in omnibus medicamentorum tùm compoſitorum, tum ſimplicium præparationibus, ut non ſolum omnia ac ſingula ingredientia, ſartis tectiſque viribus ſuis conſervarem, in compoſito conſona conſonis ſociarem, nec diſſonis harmoniam medicamenti conturbarem, ſed & inſuper multum virtutis minori ejuſdem quantitati imprimerem, adeò ut exindè reſultet trias illa artis noſtræ, id eſt, ut morbi, verè citò, tutò ac jucundè curari poſſint; id quod in hujus Syrupi dextra compoſitione & præparatione manifeſtum fit. Etenim inprima *ſpecierum inter ſe conſonantium*, cum *vino* infuſarum, deſtillatione, ſubtiliores penetrantioreſque earundem partes, quæ coctionem ſine virium ſuarum jacturâ nullatenus ferre poſſunt, unà cum *aqua ſpirituoſa* proliciuntur: quæ *ipſa ſpirituoſa & penetrans aqua* porrò *recentium ſpecierum immergendarum* virtutibus magis roborantibus, ulterius intenditur: Quod autem ſuper eſt partium terreſtrium, quæ roborandi vi non exigua præditæ ſunt *in ſpeciebus ab infuſione relictis, aquâ ſpiritu Sulphuris prius acuatâ ſeu acida reddita*, (propter *Chalybem* quem *ſimplex Aqua* non attingit) coctione penitus penitiuſque eliciuntur, atque *Saccharo addendo* imprimuntur, cui tandem (*liquore illo vel decocto* prius vaporetenus cum *Saccharo* exhalato, eidem tamen relictis virtutibus roborantibus ſupradictis, coctione extractis) *ſpirituoſa illa deſtillata*, ac *virtutibus recentium ſpecierum impregnata aqua* juncta, Syrupus virtutibus ſpecierum ingredientium omnium egregiè imbutus, reſultat, in quem Medicus fiduciam ſuam firmiter collocare poteſt.

Syrupus Aperitivus Chalybeatus alter, Paratu Facilior.

℞. Chalybis cum Sulphure liquati ac sæpiùs pòst (ter quaterve ad minimum) cum eò calcinati, secundum Crollium, uncias octo,
Cremoris Tartari uncias tres,
His mixtis & subtiliter pulverisatis, ac vitro largo immissis, superaffunde
Vini albi generosi libras duas,
Macerentur loco calido, vitro probè clauso, sæpius de die agitando, per triduum, factâ pòst colatura & clarificatione, vinum hoc Chalybeatum interim asservetur. Tum verò.
℞. Rad. recentium cum toto,
Apii,
Fœniculi,
Cichorii sylv.
Pimpinellæ,
Petroselini ana uncias duas,
Herb. recent. Scolopendrii,
Cherefolii,
Ceterach, ana unc. duas,
Chamædryos,
Nasturtii hortensis ana uncias tres,
Rorismarini unc. unam,
Cassiæ ligneæ unciam unam semis,
Baccarum Lauri drachmas sex,
item:
Chalybem cum Tartaro superius ab infusione relictum, sacculo inclusum.
Coquantur incisa quæ incidenda sunt in s. q. Aquæ simpl. cum spiritu Sulphuris prius ad gratam aciditatem acuatæ (in sartagine ferrea, caveas igitur à cuprea vel ænea) ad remanentiam libræ unius semis, coletur, exprimanturque species, decoctum album. ovorum probè clarificatum, additis
Sacchari albissimi libris tribus,
porrò coquatur ad consistentiam fere tabulati, cui adde
Vini superius Chalybeati & asservati q. s.
Ut solâ sacchari dissolutione, aut unicâ saltem ebullitione Syrupi consistentia acquiratur, superaddendo sub finem
Elæosacchari Cinamomi unciam unam semis.
Servetur usui;

Ad menses mulierum reserandos præcedente haud inferior, Cachecticis præterea & Hypochondriacis opitulatur. Propinari potest ab uncia una ad uncias duas, in jusculis alterantibus aut laxantibus, vel in aliis vehiculis appropriatis.

Nota. Si cuipiam Medico volupe fuerit, *Vino* substituere *Aquam Cinamomi*, vel etiam *aliam aquam stillatitiam* pro extractione *Chalybis*, non aberrabit; verum necessum est, ut eam *spiritu Sulphuris* prius acidulam nonnihil reddat, secus enim inefficax foret in extrahendo *Chalybe*. Posset fortè nonnemo etiam hærere circa præparationem Chalybis secundum Crollium, en! addo ejus veram præparationem.

Accipe *Chalybis frustulum oblongum*, quod igne fortissimo, sufflante folle candefac, quoad scintillas uberrimè de se spargat, cui ab igne remoto citò admoveatur *Sulphur*, sic guttatim veluti solutus aut liquefactus in vas suppositum, *aquâ frigidâ* repletum stillat: *Chalybe verò* parum refrigerato, *eundem* denuò candefac, ut antea; *Sulphurque* ipse admove, donec totus *Chalybs Sulphure* liquatus fuerit, qui ab aqua separatus siccandus & in pulverem redigendus, inque patella ferrea vel terrea, super igne carbonum, in loco patulo, vel sub camino collocata, calcinandus porrò est, spatulâ ferreâ continuò agitando, ad omnimodam *Sulphuris* conflagrationem: *Chalybs relictus* denuò in pulverem redigendus, & *pro ejus libra una, Sulphuris triti uncia una* admiscenda, iterumque uti antea calcinandus, super igne carbonum, spatulâ continuò agitando ad conflagrationem *Sulphuris*; Et hæc calcinatio sive conflagratio cum *Sulphure*, ter quaterve aut sæpius repetatur, sic ad prædictos usus *Chalybs* legitimè erit præparatus.

Syrupus de Corticibus Arantiorum.

Syrupus hic efficacissime paratur juxta modum *in Animadversionibus Dispensatorii* refor-

reformati super ipsum factis indigitatum, quo Lectorem benevolum remitto. *Præstat tali modo præparatus ad Cordis & Ventriculi roborationem, & flatuum discussionem, adeoque etiam in Colica passione, nec non in morbis malignis emolumento est.*

Syrupus de Floribus Arantiorum.

℞. Florum Arantiorum recent. lib. unam semis, vel libras duas,
Destillentur in Balneo nostro vaporoso, suo loco edocendo, ad siccitatem usque; Aquæ huic destillatæ odoriferæ libræ uni immerge,
Florum dictorum recentium integrorum minimè contusorum uncias circiter tres,
Factâ maceratione lenissimo in calore per biduum. in vitro probè clauso, ne quid exspiret, fiat colatura, quæ filtranda, addendo tandem pro qualibet libra una liquoris vel aquæ prædictæ essentificatæ,
Sacchari Canarii albi uncias xx,
Ac sola ejusdem dissolutione fiat Syrupus, odore & sapore gratissimus: proinde
Cordi ac Cerebro roborando, recreando perquam utilis, Spiritus animales & vitales instaurat, Febribusque ardentibus, malignis & pestilentialibus salutaris existit.

Syrupus Asthmaticus.

℞. Rad.recent.Enulæ Camp. uncias duas,
Calami aromat unc. unam semis,
Ceparum recent. uncias quatuor,
Herb.recent. Hyssopi,
Anethi,
Melissæ,
Nasturtii hort.
Satureg.ana unc. quatuor semis,
Florum recent. Tunicæ uncias duas,
Cort. Arantiorum recent. extim.unc. unam semis,
Cinamomi acuti,
Granorum Juniperi ana unc. unam,
Macis unciam semis,
Sem. Anisi,
Fœniculi ana unc.unam semis,
Omnia incisa & contusa immittantur in cucurbitam vitream, quibus superaffunde
Vini generosi seu Malvat. lib.quatuor,
Factâ digestione unâ alterave die, fiat destillatio & abstractio duarum librarum: Cui aquæ spirituosæ prolectæ (abjectis speciebus à destillatione relictis cum residuâ vini vappâ) de novo immerge sequentia saltem incisa, utpote.
Scillæ præparatæ & siccatæ unc.sem.
Ceparum recentium drachmas sex,
Rad. recent. Enulæ Camp.unc.unam,
Ireos Florent.
Liquirit. rasæ ana drachm. sex,
Calami aromat. unciam semis,
Herb.recent.Hyssopi,
Anethi,
Melissæ,
Nasturtii hort.
Chærefolii ana unc.unam
Croci orientalis drachmam unam,
Digerantur per biduum, fiat pòst colatura & expressio, Essentiam interim prius purificatam asservando. Tum
℞. Species ab ultima infusione vel extractione relictas,
Quas cum s. q. Aquæ simplicis coque ad remanentiam circiter librarum duarum, colaturæ opt. clarificatæ adde
Sacchari albi Canar. libras tres semis,
Coquantur ad consistentiam ferè tabulati, cui junge Aquam superius destillatam & essentificatam,
Fiatque sola dissolutione Sacchari, debitæ consistentiæ Syrupus, qui
In Asthmate, Orthopnæa, Dyspnæa, & similibus pectoris affectibus Catharrosis, & Tussi antiqua, proficuè adhibendus. Per se sumptus ad instar lambitivi efficacior existet, quàm liquoribus aliis admixtus & potus; cochlear plenum sæpius de die paulatim deglutiendo & lambendo, quò magis asperæ arteriæ sese insinuare, & vel odoretenus bronchia pulmonum obstructa permeare, eorumque infarctos viscidosque humores incidere, attenuare, & ad rejiciendum aptos reddere possit.

Syrupus de Betonica.

℞. Herb. Betonicæ floreſcentis q. ſ.
Deſtilletur ex balneo r. vaporoſo ſine ulla additione ejus aqua, cui aquæ prolectæ libris duabur immerge.

Herb. ejuſdem Betonicæ recent. & floreſcent. inciſæ unc. octo circiter,

Factaque maceratione una alterave die, aqua per colaturam & expreſſionem ſeparetur, quâ per filtrum clarificatâ & aſſervatâ, accipe

Succi Betonicæ recenter expreſſi, ac probè depurati libram unam ſemis vel libras duas,

additiſque

Sacchari albi Canarii libris tribus,

Coquantur ad conſiſtentiam quaſi tabulati, cui demum adde

Superioris Aquæ deſtillatæ & recenti herbâ eſſentificatæ lib. unam ſemis, & uncias duas circiter,

Et ſola diſſolutione ſacchari, aut unica ſaltem ebullitione conficiatur Syrupus, *virtutibus Betonicæ uberrimè imbutus, nec paratu difficilis, modo Pharmacopœus qui hanc & ſimiles præparationes elegantiſſimas hilari fronte aggreſſurus eſt, paucis laboribus non pepercerit, nam hic & ſimiles alii Syrupi meritò Eſſentiæ nomine inſigniendi, tùm Pharmacopœis, tùm Medicis etiam laudem ac honorem procreaturi ſint; infirmis verò & indigentibus ſalutem & ſanitatem.*

Syrupus de Betonica Compoſitus ſeu Cephalicus Calidus.

℞. Rad. Cyperi rotund.
Pœoniæ recent. ana unc. unam,
Herb. recent. Betonicæ floreſc. uncias quatuor,
Salviæ uncias duas,
Majoranæ,
Roriſmarini,
Thymi ana unciam unam ſemis,
Flor. recent. Lavend. unciam unam,
Pœoniæ uncias tres,
Cheiri,
Paralyſeos,
Tunicæ,
Roſar. ana unc. unam ſemis,
Cardamomi,
Cubebarum ana unciam ſemis,
Nucum Moſchatarum,
Cinamomi opt.
Sem. Aniſi,
Fœniculi ana unciam unam,

Omnia ſucceſſivè, & tempore opportuno, collecta, quædam conſciſſa & contuſa, nonnulla verò integra, utpotè, flor. Cheiri, Paralyſ. & Pœoniæ, immergantur in

Vini albi generoſi vel Malvatici libris quatuor vel quinque,

Factâ maceratione quoad omnia unita ſint, fiat deſtillatio & abſtractio ad dimidias, vel duas libras cum dimidia: Aquæ huic deſtillatione prolectæ, fragrantis & ſpirituoſæ, denuò immergantur, (abjectis ſpeciebus in fundo alembici, cum vappa vini relictis,)

Rad. Doronici veri drachmæ ſex,
Pœoniæ recentis uncia ſemis,
Herb. recent. Betonicæ floreſc. unc. una ſemis,
Roriſmar. floreſcentis,
Flor. recent. Cheiri ana uncia una,
Salviæ drachmæ duæ,
Tunicæ uncia una,
Ligni aloës ponderoſi,
Nucum Moſchatarum,
Cardamomi minoris,
Cubebarum ana drachm. tres,
Cinamomi uncia ſemis,

Peractâ extractione ſuffic. loco calido, ac vitro benè clauſo, liquor ſpirituoſus à ſpeciebus infuſis, colaturâ & expreſſione ſeparetur, perque filtrum probè clarificetur, quò interim aſſervato, accipe porrò

Species ab infuſione ſuperiori & expreſſione relictas,

Quas cum Aquæ ſimpl. ſ. q. coque, ad remanentiam librarum duarum. decoctum colatum, & alb. ovorum debitè clarificatum, additis

Sacchari albi Can. libris tribus ſemis,

Coquatur ad conſiſtentiam quaſi tabulati, cui tandem junge

Aquam

Aquam superius asservatam, spirituosam & essentificatam in s. q. (libras duas circiter.)

Ac solâ ejusdem dissolutione, vel unicâ saltem ebullitione fiat Syrupus præstantissimus, *Qui in morbis Capitis & Cerebri frigidis saluberrimus, adeoque Apoplecticis, Epilepticis, Catarrhosis & Soporiferis affectibus propulsandis efficax est: propinandus cum aquis destillatis Cephalicis, vel cum Vino, aut alio vehiculo grato, ab uncia una, ad unam semis.*

Syrupus Cephalicus alter Temperatus.

℞. Aquar. Lilior convall. sine additione aq. simplicis ex baln. n. vaporo sostillatæ lib. unam,
Ceras. sine addit. still. unc. sex,
Flor. Cheiri,
Paralys. ana sine additione aq. simpl. still. unc. tres,

His aquis commixtis immergantur successu temporis

Rad. recent. Pœoniæ uncia una,
Herb. recent. Betonicæ florescent. unciæ sex,
Rorismarini unciæ duæ,
Flor. recent. Pœoniæ,
Cheiri,
Paralyseos,
Tunicæ,
Tiliæ,
Rosarum pallidarum ana unciæ tres,
Nuc. Moschatarum uncia semis,

Maceratione verò peractâ, quando nimirum omnia collecta sunt, destillentur ex baln. n. vaporoso ad omnimodam humiditatis prolectionem; Aquæ vero huic destillatæ fragranti libris circiter duabus denuò immergantur sequentia minutim incisa

Rad. Doronici veri drachmæ sex,
Pœoniæ recent. uncia semis,
Herb. recent. Betonicæ unciæ duæ,
Rorismarini florescentis,
Flor. recent. Cheiri,
Pœoniæ,
Tunicæ,
Tiliæ,
Ros. rub. ana unc. una semis,
Ligni Aloës ponder. drachmæ duæ,
Nuc. Moschatarum uncia semis,

Et cùm die una atque altera in digestione steterint, fiat colatura cum expressione, liquor expressus clarificetur per filtrum, interimque asservetur; Species verò expressæ cum s. q. Aquæ simpl. coquantur ad libras duas, cum decocto hoc colato & alb. ovorum debitè clarificato, solvantur

Sacchari Canarii albi libræ tres semis,

Et ad liquoris ferè totalem exhalationem coquantur, cui demum adde

Superioris Aquæ essentificatæ lib. duas,

Ac unica saltem ebullitione fiat Syrupus justæ consistentiæ. *Qui in affectibus Capitis & Cerebri, utpotè in Epilepsia, Vertigine, Hemicrania, Cephalæa & Cephalalgia salutaris existit, in aquis destill. & appropriatis exhibendus, ab uncia semis, ad unciam unam.*

Syrupus ex succo Berberum.

Conficiatur modo simplici per coctionem, terreo in vase, cum nil nisi humiditas quædam elementaris coquendo exhalet. *Refrigerat autem & contemperat bilem, febres earumque æstus & sitim immoderatam compescit, vel per se sumptus, vel cum aqua frigida, aut cocta, Iulapia ex eo parando.*

Syrupus ex succo Cardui Benedicti.

℞. Succi Cardui bened. depurati recenter expressi libras quatuor,
cui immergatur
Herb recentis Card. bened. lib. una,

Et post digestionem unius diei fiat denuò colatura & expressio herbarum, expressum debitè clarificatum cum

Sacchari albissimi libris duabus,

Coquatur ad Syrupi consistentiam. Servetur. *Confert Syrupus hic febribus tùm continuis tùm intermittentibus, præsertim quartanis, sudorem promovet, & vermes enecat. Dosis uncia semis ad unciam unam.*

Syrupus Cerasorum Acidorum.

℞. Cerasorum acidorum sufficientem quantitatem,

Conquassentur in mortario lapideo, nucleis omnibus confractis: His addantur plures Nuclei Cerasorum antea asservati, ac etiam conquassati, pro majori odoris impressione, qui nucleis saltem debetur, non succo, & postquam aliquandiu macerârint, exprimatur succus, qui probè depuretur.

Hujus succi odore nucleorum benè imprægnati & depurati accipe libras sex,

Sacchari albissimi libras quatuor,

Coquantur in vase terreo ad consistentiam ferè Rob, Syrupo nimirum ordinario multo crassiorem, cui demum adde pro majori odoris atque saporis cerasorum grati impressione

Sequentis Essentiæ vel aquæ destillatæ sufficientem quant.

Pro justa Syrupi consistentia sine ulteriori coctione adipiscenda, utpotè

℞. Nucleor. Cerasorum,
Persicorum ana uncias duas,
Cinamomi opt. acuti unc. unam semis,
Caryophyllorum unciam semis,

His minutim conquassatis affunde,

Aquæ Cerasorum sine additione still. libram unam semis,

Et post unius diei digestionem, denuò in alembico vitreo per arenam abstrahatur ad siccitatem, Aqua hæc prolecta Syrupo superiori in pondere comptenti admisceatur: *fiatque sic Syrupus gratissimus, sapore, odore, ac virtutibus cordialibus & confortantibus, qui in febribus tertianis, ardentibus, continuis, ac intermittentibus, item in Hungaricis, ubi caput præcipuè laborat, summo est emolumento, ex quo Iulapia confici, & infirmis salubriter exhiberi possunt.*

Nota: Si verò quisquam expeteret Syrupum eundem, proconficiendo Vino Cerasorum gratissimo, ex tempore, & quidem singulis anni temporibus, en, dabo modum sequentem. Nimirùm Syrupo supradicto ad consistentiam crassam ad instar quasi gelatinæ cocto, loco *aquosæ supra descriptæ essentiæ,* admisce *sequentem spirituosam & fragrantem Essentiam, roborando Ventriculo ac Cerebro præstantem.* Nempè,

℞. Vini Malvatici libram unam,
Spir. Vini rectificati uncias sex,
Cerasorum ardentis uncias tres,

His mixtis immergantur sequentia probè contusa & conquassata, utpotè,

Nucleor. Cerasorum unciæ quatuor,
Persicorum unciæ quinque,
Cinamomi opt. unciæ duæ,
Caryophyllorum uncia una,

Factâ maceratione per biduum, abstrahantur in alembico vitreo unciæ duodecim vel tredecim circiter, (ut species nimirum adhuc humidæ in residuo maneant, propter nauseosum phlegma quod ultimò ubi Vinum destillatur, transit) proboscidi autem alembici immissis,

Cinamomi acuti unciâ semis,
Caryophyllorum drachmis duabus
Nucl. Cerasor. conquass. uncia semis,

ac insuper si lubet pro ditioribus,

Ambræ gryseæ scrupulo uno,
Moschi opt. orient. scrupulo semis,

Quæ ipsa etiam sacculo inclusa, liquori egresso aliquandiu immergi possunt, pro exactiore eorundem extractione: Et hæc Essentia præstantissima Syrupo superiori & crassiori in consistentia, competenti pondere admiscenda, gratissimum illum efficiet & confortantem, cuicunque vino immiscendum, quod & odore & sapore Cerasorum gratissimum efficiet.

Syrupus de Cichorio simplex.

℞. Succi Cichorii sylvestris recenter expressi & depurati libras quatuor,

In quo succo ebulliant, & quidem ad consumptionem partis tertiæ

Radicum Cichorii sylvestrium recent. & mundat. unciæ duodecim vel quindecim,

Colaturâ pòst iterum clarificatâ, additis

Sacchari albi libris duabus semis,

Coquantur ad consistentiam Syrupi. Servetur. *Ad Hepatis & Ventriculi intemperiem calidam*

lidam contemperandam, eaque viscera roboranda perutilis Syrupus, febricitantibus auxiliatur, ac bilis acrimoniam compescit, porrectus in jusculis alterantibus, ab uncia una, ad unam semis.

Syrupus de Centaurio Min. Antifebrilis.

℞. Succi Centaurii min. recenter expressi & depurati libras tres,
cui immergantur,
Summit. seu florum Centaurii min. recentium unciæ decem minutim incisorum,

Digerantur duabus vel tribus diebus, in loco benè calente, exprimantur dein flores, succusque expressus debite iterum clarificetur, cui addantur

Sacchari albi Can libræ duæ,

Coquantur ad consistentiam Syrupi. Servetur. *Est præstans ad Febres tertianas & quartanas abigendas, roborat Ventriculum, & Viscerum obstructiones reserat. Dosis uncia semis ad unciam unam in vehiculo convenienti.*

Syrupus de Cinamomo.

HUjus Syrupi legitimam confectionem tradidi in *Animadversionibus* præmissis, nec non in *Appendice ad Animadversiones* p. 4. & 5. juxta cujus ductum laudabiliter parandus, si quis tamen modum aliquem paratu faciliorem desideraret, en, dabo sequentem.

℞. Cinam. longi acutissimi uncias sex,
Quod cum conscissum minutim & cucurbitæ vitreæ immissum fuerit, superaffunde,

Aquæ Cinamomi cum vino antea destillatæ libras duas,

Factâ digestione brevi, fiat aquæ affusæ destillatio & abstractio, cui abstractæ aquæ denuò immerge

Cinamomi acuti uncias tres,

Macerentur in vitro arctè clauso per triduum, facta pòst colaturâ, filtretur essentia, additisque

Sacchari Canar. alb. libris tribus semis,

Conficiatur solâ Sacchari dissolutione Syrupus, *nativis Cinamomi virtutibus ad ubertatem imbutus: Itaque ad Cordis & totius corporis vires fulciendas & restaurandas præstans est, Ventriculum languidum à frigore, reficit, spiritusque vitales recreat, vino si permiscetur, illud gratissimum reddit; In dosi error facilè committi nequit.*

Syrupus de Coralliis Rubris.

QUamvis Syrupus hic Corallinus in *Animadversionibus* n. clarè descriptus sit, quâ ratione nimirum dextrè & legitimè parandus, nec non in subsequente Appendice ad prædictas *Animadversiones* p. 5. & 6. plures modos illum artificiosè conficiendi superaddiderim, ut nemo in præparatione illius legitima hærere possit, modumque sibi eligere, quem è re sua fore existimat, nihilominus adstruam adhuc tres hujus Syrupi elegantes descriptiones, quæ tales.

Syrupus Corallinus Refrigerans.

℞. Succi Granatorum acidorum, seu acido dulcium recenter expressi & depurati libram unam,
Huic succo immergantur,
Cort. Limon. recent. & extim. uncia una semis,
Granor. Kermes integrorum, nequaquam contusorum drachmæ duæ,

Factâ maceratione die una atque altera, fiat colatura & colati succi filtratio vel clarificatio, in quo succo essentificato dissolve

Magist. n. solubilis Cor. rub. cum spiritu n. Veneris parati uncias duas,
additisque porrò

Sacchari albiss Canar. unciis viginti,

Fiat unicâ saltem ebullitione in patella terrea vitreata, vel solâ dissolutione sacchari Syrupus; *Qui in morbis calidis, ubi vires collapsæ sunt, efficax est. Confert præterea Hepatis vitiis & fluxibus sanandis, ac Dysentericis & Lientericis emolumento est, datus ab uncia semis, ad unam, & unam semis.*

Syrupus Corallinus Calidus.

℞. Vini Malvatici libram unam,
Cui injiciantur subsequentiam incisa, utpotè

Cort.

Cort. Arantiorum recent.extimorum,
Citri recent.extim.ana unc. una,
Cinamomi acuti drachmæ sex,
Granorum Kermes integrorum drach. duæ,
Ac post unius alteriusve diei digestionem, coletur vinum, ac per manicam Hippocr. puram, aliena re nondum imbutam, clarificetur. Hoc in vino, speciebus cordialibus supradictis imbuto, dissolve
Magist. n. solubilis Coralliorum cum spir. n. Veneris parati uncias duas,
additisque
Sacch. Can. albi unc. viginti circiter,
Conficiatur solâ ejusdem dissolutione, vel unicâ ebullitione Syrupus: *Cor & vitales spiritus egregiè roborans, ab uncia semis, ad unciam unam, in vehiculis convenientibus propinandus.*

Syrupus alius de Coralis.

℞. Magist. n. solubilis Coralliorum, cum spir. n. Veneris parat. uncias duas,
Quod solvatur in
Aquæ Cinamomi cum vino stillatæ libra una,
& additâ
Sacchari albiss. librâ unâ semis,
Fiat sola ejusdem sacchari dissolutione in calore leni sine ulla ebullitione Syrupus.

Nota: Quod Syrupus hic ad præscriptum modum paratus, situm nullatenus contrahat, licet liquidiorem, quam Syrupis alioquin conveniat, consistentiam adeptus fuerit. Ad eundem præterea modum ex *Margaritis orientalibus*, ut &, *ex aliis lapidibus & Gemmis pretiosis, in Magisteria solubilia prius conversis*, Syrupi, vel in momento dextrè confici possunt: *Liquor verò* quô cum *Magisteria* sunt dissolvenda variari potest pro conditione morbi & intentione Medici, cum illa in omnibus *succis*, *Aquis destillatis*, *vino & similibus liquoribus* sint solubilia.

Syrupus Cordialis Gemmatus Calefaciens.

℞. Cort. recent. Citri vel Limon. extim. uncias tres,
Arantiorum ex. unc. duas,
Flor. recent. Rosarum Damascen. uncias quatuor,
Tunicæ uncias duas,
Quibus minutim concisis & cucurbitæ vitreæ immissis superaffundantur
Vini veteris albi vel Malv. lib. quatuor,
Factaque brevi digestione, abstrahantur destillando per arenam, vel baln. n. vaporosum, libræ duæ, Aquæ verò huic prolectæ fragranti porrò immerge
Cort. Arant. recent. & extim. unciam unam,
Citri recent. ext. unciam unam semis,
Flor. recent. Tunicæ rubr. unc. unam,
& si in promptu sint, aut haberi possint,
Flor. recent. Arantiorum drachm. sex,
Sem. seu Gran. Kermes legit. & integrorum drachmas duas,
Macerentur una alterave die, tum fiat colatura, nunc accipe
Hujus aquæ odoriferæ rubræ & essentificatæ libras duas,
ac in ea dissolve,
Magist. n. solubilium, utpotè
Coralliorum rub. unciam unam.
Perlarum oriental. unciam semis,
Matris perlarum unciam unam,
His solutis superadde
Sacchari Canar. albiss. libras tres,
Ac solâ ejus dissolutione, sine ulla ebullitione Syrupus conficiatur, *Cor, vitales spiritus ac animales insigniter roborans & recreans.*

Syrupus Gemmatus cordialis Refrigerans.

℞. Succi Granatorum acidorum recenter expressi,
Succi pomorum redolent. recenter quoque expressi,
Succi Citri seu Limonior. jam etiam expressi ana uncias octo,
In his succis digerantur
Cort. Citri seu Limon. recent. ext. unciæ duæ,
Arant. recent. & ext. uncia una,
Flor. Tunicæ recent. rubr. uncia una semis,
Buglossi recent. uncia semis,
Gra-

Granor. Kermes legitim. integr. non contusor. drachmæ duæ,
Et factâ digestione die una vel altera in calore leni, vitro opt. clauso, coletur, in colatis & benè clarificatis succis dissolve
Magist. n. solubil. Corall. unc. unam,
Perlarum oriental. unciam semis,
Matris perlar. unc. unam,
His solutis superadde
Sacchari Canar. albi libras tres,
Ac solâ sacchari dissolutione sine coctione fiat Syrupus cordialis efficacissimus, *qui in Febribus ardentibus, malignis, pestilentialibus, imò in peste ipsa summè salutaris est, Cordisque palpitationi resistit; exhibendus per se, ob gratiam sui saporis, sive in vehiculis appropriatis, ab uncia semis ad unciam unam.*

Syrupus de Corticibus Citri.

QUantumvis & hujus Syrupi dexterrima præparatio in *Appendice* n. ad *Animadversiones* in *Pharm. Augustanam pag.* 5. sit perspicuè descripta; Verùm cum in morbis calidis & malignis, ubi usus ejus frequens & salutaris est, ob *Vinum* in dicta descriptione addendum & mihi ipsi suspectus sit, idcircò aliam hic addo ejusdem Syrupi descriptionem, non minus elegantem, *solo dempto vino*, quæ talis.

℞. Cort. Citri recent. & extim. libram unam,
Quibus conscissis & Cucurbitæ vitreæ immissis superaffunde
Aquæ Cort. Citri vel Limon. libram unam semis.
Rosar. fragrant. sine additione still. libram semis,
Et factâ brevi maceratione destillentur per baln. n. vaporosum ad siccitatem Corticum; Liquori egresso odorifero injiciantur
Eorundem Corticum Citri seu Limon. recent. & extim. unciæ sex,
Granorum Kermes legit. drach. tres,
Ac post brevem digestionem liquor ab iis colaturâ separetur, quo interim asservato, accipe Cortices ab infusione residuos, eosque s.q. aquæ simplicis affusâ, parumper coque, decoctum cola, clarifica, & cum
Sacchari Can. albi libris tribus semis,
ad consistentiam quasi tabulati percoque, cui tandem adde
Superioris asservati fragrantis liquoris libras duas circiter
Ac solâ sacchari dissolutione confice Syrupum præstantem. *Qui non solùm Cor & Ventriculum roborat, verùm etiam malignis ac pestilentialibus morbis resistit, & palpitationem Cordis avertit; sumptus ab uncia semis ad unciam unam, in vehiculis morbosis affectibus congruis.*

Syrupus Cydoniorum.

PAretur juxta modum in *Pharmacopœia Augustana* præscriptum, nimirum sumendo
Succi Cydoniorum recent. expressi & depurati libras quatuor,
Sacchari albi Canar. libras duas,
Ac solâ coctione in vase terreo, fiat Syrupus debitæ consistentiæ; Cujus vires in prædicta *Pharmacopœia* sufficienter adscriptæ sunt.

Syrupus contra Dysenteriam.

℞. Rad. Bistortæ,
Tormentillæ ana unciam unam,
Cichorii sylv. unç. unam semis,
Pimpinellæ,
Scorzoneræ,
Saniculæ,
Ireos Flor.
Liquiritiæ ana unciam unam,
Galangæ drachmas sex,
Herb. recent. Cousol. Saracenicæ,
Millefolii,
Sanguisorbæ,
Pyrolæ,
Hederæ terrestris ana uncias duas,
Flor. rosar. rub. siccat. unc. unam semis,
Balaust.
Papav. errat. ana unciam unam,
Fruct. Acaciæ unciam unam semis,

Capit. Papav. albi cum ſemin num. vj,
Baccar. Myrti unciam unam,
Santali rubri drachmas ſex,
Cort. Arantiorum,
Citri ana unciam unam,
Nuc. Moſchat. expreſſarum, ab Oleo relictarum drachmas ſex,

Inciſa & contuſa coquantur in ſ. q. aquæ ſimpl. repetitis vicibus affuſæ, quouſque tota ſpecierum virtus extracta ſit, colaturæ omnes alb. ovorum probè clarificatæ ad remanentiam circiter librarum duarum evaporent, quibus additis

Succi ſeu vini Cydon. librâ unâ ſemis,
Sacchari Canarii albi libris tribus,

Coquantur denuò ad conſiſtentiam Syrupi. Servetur. *Abſtergit & adſtringit leniter, inteſtina exulcerata conglutinat, malignitati, quæ utplurimum Dyſenteriis conjuncta eſt, reſiſtit: Roborat Ventriculum & Hepar: In omnibus porrò vulneribus internis & profundis, tanquam vulnerarium medicamentum præſtat, propinatus cum Cremore hordei, ſero Lactis caprini, aut aquis coctis appropriatis, ad unam vel alteram unciam, bis terve de die.*

Syrupus de Endivia.

Conficiatur Syrupus hic in modum planè Syrupi de Cichorio ſimplicis, paulò ante propoſiti, qui *iiſdem* etiam *affectibus* medetur.

Syrupus de Farfara.

Paretur & hic Syrupus *(qui calidis pectoris affectibus catarrhoſis, Phthiſi potiſſimum dicatus eſt)* juxta normam Syrupi de Cichorio ſimplicis legitimè deſcripti, & paulò ante traditi.

Syrupus de Fumaria.

Neque hic Syrupus quoad præparandi modum variat à Syrupo de Centaurio min. juxta illius igitur ductum is conficiatur. *Ejus uſus potiſſimum eſt in expellendis Morbillis, & Variolis, nec non in febribus malignis, ad ſudorem proliciendum. Doſ. unciæ ſemis ad unciam unam.*

Syrupus de Fragis.

Hujus, uti aliorum ex ſuccis ſimpliciter parandorum Syruporum, una eademque eſt conficiendi ratio: proinde ne diu in his moremur, ejus præparatio ex Syr. de Berberis, aut Cydoniis confectione petatur.

Convenit in Febribus calidis & æſtuantibus: Urinas movet, ac renum arenulas expellit.

Syrupus Granatorum.

Parandus ad normam aliorum Syruporum acidorum ſimplicium. *Refrigerat & humectat; nauſeam & vomitum bilioſum reprimit, febribuſque bilioſis auxiliatur.*

Nota: Obſervetur cautelâ de *ſucco Granatorum* exprimendo in *Appendice ad Animadverſiones Pharmacopœiæ Auguſtanæ pag. 5.* inculcata.

Syrupus de Glycyrriza Pectoralis.

℞. Rad. Liquiritiæ raſæ uncias duas,
Tuſſilaginis recentis,
Enulæ Campanæ,
Ireos Florent. ana unciam unam ſemis,
Herb. recent. Hyſſopi,
Hederæ terreſtris,
Millefolii,
Scabioſæ,
Veronicæ,
Pulmon. maculoſæ ana uncias duas,
Flor. Papav. errat. recent. unciam unam ſemis,
Dactylorum num. xv,
Jujubarum num. xxv,

Quæ cuncta inciſa & contuſa coquantur in ſ. q. aquæ ſimpl. repetitis vicibus affuſæ, ad omnem virtutum prolectionem, colaturæ junctim clarificatæ, & ad libras duas circiter coquendo abſtractæ, additiſque

Sacchari albiſſ. Can. libris tribus, vel loco hujus ſi lubet,
Mellis opt. puriſſimi libris quatuor,

(quia

(quia majorem vim abstergendi mel obtinet, adeoque in exulcerationibus pectoris, sive Vomica pulmonum, sive Phthisis ipsa sit, mel pro saccharo eligendum foret.)

Coquantur porrò ad debitam Syrupi consistentiam, cui

Essent. vel spiritus Anisi uncia una vel altera admiscenda,

Praestat in affectibus pectoris, sive ex Catarrho, sive exulceratione aliqua ortum duxerint, adeoque in Phthisi ipsa, Vomica pulmonum, Tussi, sputo etiam cruento cum emolumento adhibetur.

Syr. de Hedera Terrestri,

℞. Aquae Hederae terrestris sine additione ex baln.n.vaporoso still. libras duas,

Huic immerge

Herb. recent. Hederae terrest. conscissae minutim uncias octo vel decem,

Peractâ digestione duarum dierum circiter fiat colatura cum expressione, expressum probè clarificetur, interimque asservetur. Conduceret tamen ut hae Essentiae aut Aquae essentificatae similes Syrupis destinandae, in alembico vitreo clarificentur, apposito capitello, quò id, quod summè spirituosum est, & levi ignis pulsu praeprimis exhalat, excipiatur, licet verò, paucis pro clarificatione cum album. ovorum opus sit ebullitionibus, nihilominus ne quicquam virtutis inaniter ad auras pellatur, huic labori non erit parcendum.

Jam verò.

℞. Succi Hederae terrestris recenter expressi & depurati libras duas,

Sacchari albiss. Canar. libras tres,

Coquantur ad consistentiam quasi tabulati, addendo tandem

Essentiae superius asservatae q. s.

Pro Syrupi consistentia adipiscenda debita, solâ veluti sacchari dissolutione, aut unica saltem ebullitione.

Commendatur ad affectus pectoris, cruenta & saniosa sputa, Phthisin & apostemata purulenta, menses & Urinas movet, sive per se sumptus sive in jusculis gratis & appropriatis, ab uncia una ad unam semis.

Syr. de Hyssopo simplex.

Paretur ad normam Syrupi praecedentis de Hedera terrestri, cujus virtutes etiam aemulatur, adeoque *in affectibus pectoris, ex frigida causa, viscida & crassa materia enatis utiliter exhibetur.*

Syr. Hydragogus.

℞. Succi rad. Iridis nostr. caerul. depurati libras quatuor,

Radicum Sambuci vel decocti ejus

Radicis fortis libram unam semis,

Quibus mixtis immerge sequentia incisa & contusa, nimirum

Rad. recent. Ebuli uncias quatuor.

Enulae uncias duas,

Calami aromat. unciam unam semis,

Cort. medii Sambuci recent. unc. duas,

Medullae Sambuci unciam unam,

Bacc. Juniperi unciam unam semis,

Alkekengi,

Sem. Bardanae maj.

Nasturtii,

Urticae ana unciam unam,

Factâ digestione brevi, coquantur ad remanentiam librae unius semis, coletur, & exprimantur species, colaturae clarificatae adde:

Sacchari albissimi libras tres,

Et denuò coquendo ad justam consistentiam Syrupus efficiatur. *Qui praestans est in Hydropica dispositione & Cachexia, educit serosam humiditatem per urinam, ut & quandoque per alvum, sumptus ab uncia una, ad uncias duas.*

Syrupus Hydragogus alius Hepaticus.

℞. Succ. Absinthii nostrat. libram unam,

Epaticae nobilis,

Agrimoniae ana uncias decem,

Iridis nostr. caerul. libram unam,

Quibus succis commixtis immerge sequentia, incisa & contusa, utpotè

Rad. recent. Ebuli uncias sex,

Calami aromat. unciam unam semis.

Galangae unciam unam,

Medullæ Sambuci drachmas sex,
Rosarum rub. recent. uncias tres,
Santali rubri unciam semis,
Bacc. Juniperi unciam unam,

Factaque maceratione die una, coquantur ad consumptionem libræ unius semis, colaturæ expressæ & alb. ovorum clarificatæ adde

Sacchari albi Can. libras duas,

Et denuò ad Syrupi consistentiam decoquantur, addendo ultimo pro aromatisatione

Elæosacchari Cinamomi,
Caryophyll. ana unciam semis,
Fiat Syrupus.

Cachecticis & Hydropicis emolumento est, Hepar roborat insigniter ut & Lienem, uncia una vel altera pro dosi frequenter exhibita.

Syrupus Mastichinus Stomachalis.

℞. Aquæ Mastichinæ stomachicæ nostr. in Classe XV. descriptæ libram unam, cui adde
Sacchari albi Can. uncias viginti,

Ac solâ ejusdem dissolutione, lenissimo in calore fiat Syrupus gratissimus, *Ventriculo ut & Cerebro roborando in affectibus eorum frigidis efficax. Dosis uncia semis ad unciam unam semis.*

Syrupus de Melissa.

ET hic Syrupus ad normam præcedentium Syruporum de Hedera terrestri, & de Hyssopo, parandus venit, quemadmodum Planta hæc odore fragranti, adeoque spiritu subtili sulphureo quoque prædita, coctionem diuturnam ferre nequit, ni subtiliores ejus partes vaporetenus coctione in auras pellere velimus, terrestrioribus saltem nos saturaturi: Igitur diligentia in similium Syruporum præparationibus adhibenda est. *Inservit autem Syrupus hic ad vires Cordis restaurandas, Uteri insuper affectibus opitulatur, menses mulierum promovet, & malignitatibus febribusque exinde subortis adversatur. Dosis uncia una ad unam semis.*

Syrupus de Mentha Stomachalis.

AD præcedentium Syruporum conficiendi modum, & hic pariter parandus simpliciter, nimirùm ex aqua ejus sine additione destillata & essentificata, succo porrò cum saccharo ad consistentiam quasi tabulati cocto, &c. Verum cum fortè non nemo illum magis stomachalem desideret, en! sequentem præparationem subdo.

℞. Menthæ recentis odorif. libras quatuor vel quinque,
Cinamomi acuti unciam unam semis,
Nuc. Moschatar. drachmas sex,
Macis drachmas duas,

Destillentur sine ulla alia additione, aut liquoris cujusdam affusione, in baln. n. vaporoso, ad omnem humiditatis prolectionem, siccitatemque specierum; Liquori egresso denuò immerge sequentia saltem incisa, utpotè

Cinamami acuti unciam unam,
Nucum Moschatarum unciam semis,
Galangæ,
Calami aromatici ana drach. tres,
Mastichis electæ drachmas duas,

Triduana maceratione circiter peractâ, fiat colatura, Essentia colata purificetur vel per filtrum, aut clarificatione in alembico institutâ, quâ Essentia interim asservatâ accipe.

Sacchari albi libras tres,
solvatur cum
Succi Menthæ recenter expressi & depurati libra una semis,

Coquantur ad consistentiam fere tabulati, cui junge

Aquam superiorem essentificatam fragrantem in quantitate competenti respectu Sacchari,

Ac solâ dissolutione veluti Sacchari conficiatur justæ consistentiæ Syrupus. *Qui præstans est, in roborando stomacho, Nauseam Vomitusque spontaneos compescit, aliisque morbis Ventriculi, à causa frigida natis medetur, porrectus in vehiculis convenientibus, utpotè Vino Cydoniorum vel Granatorum, ab uncia una, ad unam semis.*

Syru-

Syrupus Nephriticus aut contra Calculum primus.

℞. Rad.recent. Apii unciam unam,
Petrosel.uncias tres,
Ononidis,
Pimpinellæ ana unc.unam semis,
Calami aromat.
Liquirit.ana unc. unam,
Bulb. Asparagi recent. unc. quatuor,
Herb.recent.Nasturtii hortens.
Petroselini,
Rutæ murar.ana unc.tres,
Bacc. Juniperi unciam unam semis,
Alkekengi unciam unam,
Sem. Nasturtii,
Urticæ ana unciam semis,
Saxifragiæ,
Dauci,
Thlaspios,
Carui, ana drachmas sex,

Incisa & contusa coquantur in s.q. Aquæ simplicis, (vel in Aqua Betulæ, si haberi possit, scil. quæ tempore Veris ex arbore Betulæ sauciata sponte effluxit) ad remanentiam librarum duarum, colatura cum expressione facta probè clarificetur, cui adde

Succi Raphani hortensis, radulâ comminuti, recenter expr. & deupurati libram unam,
Sacchari Canarii albi lib. tres,

Et ad consistentiam debitam Syrupi denuo coquantur. *Vires habet eximias in cienda Vrina, exturbando Calculo & sabulo, cùm renum, tùm vesicæ, Renes, meatus urinarios, tùm etiam vesicam mundificat, Calculi propagines, ipsas arenulas exturbando, velut in herba seminium præcidit: supposito quod ejus usus continuato vigeat, exhibendo pro dosi unciam unam, ad unam semis, in decocto Cicerum & Petroselini.*

Syrupus Nephriticus Alter.

℞. Limon. pomorum recent. succulentorum minutim conscissorum cum toto, exceptis seminibus Num.xij,
Raphanorum hort. & hyemal. grand. ad instar raparum radula comminutor. lib. duas semis,
Ceparum recent. contusarum libram unam.

Ex his omnibus mixtis & contusis in mortario lapideo, ac per biduum maceratis, exprimatur tandem succus, qui probè depurandus & quocunque modo clarificandus sine violenta coctura. Hujus succi accipe circiter libras duas, cui adde

Sacchari albi Can. libras tres semis,

Ac unicâ saltem ebullitione confice Syrupum debitæ consistentiæ. *Qui easdem cum priori Syrupo, imò potentiores in remorante Vrina cienda, ac pellendo sabulo virtutes obtinet; Conterit proprietate substantiæ suæ Calculos in renibus, eosque extrudit, si ejus usus frequens sit. Eodem quoque modò; quo prior Syrupus in decoctis Cicerum & Petroselini, eorum jusculis, & aquis sequentibus destillatis Nephriticis commodè propinandus, ab uncia semis ad unam.*

Syrupus Nephriticus Tertius.

℞. Succi Chærefolii recenter expressi & depurati libram unam,
Rhaphani hortensis maj.hyemalis recenter expr. & purificati libram semis,
Vini albi Rhenani libram semis,
in quo autem prius
Bacc. Juniperi conquassat. unc. una, maceratæ fuerint.
In his Succis & Vino unitis solvatur,
Magist. n. solubilis Ocul. Cancrorum cum spir. Veneris par. unc. una semis,
Omnibus porrò probè filtratis adde
Sacchari albi Can. q. s.

Nimirum ad libram unam liquoris uncias circiter viginti Sacchari, ut sola ejus dissolutione leni calore, & in vase terreo, Syrupi durabilis consistentia emergat, qui aromatizandus
Elæosacchari Cinamomi uncia una vel altera.
Fiat Syrupus.

Cujus virtutes ex superioribus elucescunt; Hydropicis Ascite & Anasarca laborantibus salutaris est, pro dosi uncia semis ad unciam unam sumptus.

Syrupus de Nymphæa.

Destilletur ex floribus Nymphææ albis aqua sine ulla additione, in baln. n. vaporoso

Hujus aquæ stillatæ lib. duabus semis, immerge

Flor. recent. Nymphææ lib. semis,

Factâ digestione per biduum, aqua à floribus colaturâ separetur, ac probè clarificetur, quâ interim asservatâ, fiat è

Florum Nymphææ recent. librâ unâ, &

Aquæ commun. ferventis lib. quatuor,

Infusio, ac unius diei circiter maceratio, quâ peractâ, colatura etiam & florum expressio. Huic porrò aquæ fervefactæ prius denuò immergatur

Florum Nymphææ recent. lib. semis, vel una,

Peractâque digestione denuò brevi, aqua iterum à floribus per expressionem separetur, ac alb. ovorum optime clarificetur, cui adde

Sacchari albi Can. libras quatuor,

Coquantur ad omnem ferè aquositatis exhalationem & ad tabulati ferè consistentiam, cui tandem jungantur,

Superioris aquæ destillatæ & impraegnatæ libræ duæ semis,

Et unicâ saltem ebullitione conficiatur Syrupus debitæ consistentiæ. *Qui insignes obtinet virtutes refrigerandi & humectandi, Viscerum æstus mitigat, sitim temperat, ac ardores febrium compescit, somnum conciliat, atque dolores omnes lenit, Dosis uncia semis ad unciam unam.*

Nota: Si priori Aquæ Nymphææ destillationi, nonnihil de *Rosis recentibus* adderetur, pro grato odore conciliando, haud inconsultum illud fore arbitror.

Syrupus de Papavere errat.

Ad eundem planè, quò præcedens Syrupus de Nymphæa modum, & hic de Papavere erratico artificiosè parandus est: *Qui suas ita dextrè paratus, insignes obtinet virtutes, ad ardentium febrium vehementes æstus extinguendos; Dolores mitigat, somnum conciliat, præ cæteris autem omnibus pectoris malis, & acrioribus à capite destillationibus faucium inflammationibus, Pleuritidi, Peripneumoniæ, & Empyematibus salutaris existit; dandus ab uncia semis, ad unciam unam semis, in vehiculis ac Iulapiis gratis.*

Syrupus de Papavere Simplex.

Præstat hunc Syrupum solâ coctura parasse, id unicè cavendo, ne mucilagineum evadat decoctum, quale papaveris capita etiam præbere solent, si diu nimis coquantur: accipias igitur

Capitum Papav. albi & nigri ana recent. unà cum semin. unc. octo,

Conscissa capita, semina autem parum conquassata coquantur in s. q. aq. simplicis, ad remanentiam trium circiter librarum, decoctum colatum, & debitè alb. ovorum clarificatum, additis

Sacchari albiss. libris duabus,

Coquantur ad competentem Syrupi consistentiam. *Hic somnum conciliat, præsertim Infantibus, Caloris febrilis incendium mitigat, humectat & refrigerat, defluxiones à capite tenues & acres ad pectus & asperam arteriam ruentes sistit, à drachma una, duabus vel uncia semis Infantibus & Pueris, adultioribus verò ad unciam unam datus.*

Syrupus de Pœonia.

Destillentur ex recentibus floribus Pœoniæ per baln. n. vaporosum, sine ulla alia additione, Aquæ libræ duæ

Huic Aquæ destillatæ immergantur

Dictorum florum Pœoniæ recentium unciæ sex vel octo,

Rad. Pœoniæ recent. consciss. tessellatim uncia una semis,

Digerantur in calore per diem unum atque alterum, in vase clauso, fiat pòst colatura & lenis expressio, essentiâ interim clarificatâ & asservatâ, fiat ex

Flo-

Florum eorundem recent.lib.unâ ſem.
Rad. etiam Pœoniæ mar.recent.ſiccat. uncia una ſemis cum ſuffic.quant.
Aquæ ſimplicis ferventis
Infuſio per biduum, & demum colatura & expreſſio, colatura alb. ovorum probè clarificata, additis
Sacchari Canarii albi libris tribus,
Coquantur ad omnem ferè humiditatis exhalationem, & conſiſtentiam quaſi tabulati, addendo ultimò
Aquæ ſuperioris deſtillatæ ex recentibus floribus eſſentificatæ ſuff. quant. (libras circiter duas)
Fiatque unâ aut paucis ebullitionibus Syrupus antepilepticus, *qui Comitialibus morbis, ac Uterinis affectibus opitulatur, ab uncia ſemis ad unciam unam.*

Syrupus de Pomis Cordialis.

℞. Gran.Kermes legitim.drachm.duas,
Cort. Arant. recent. extimor.
Citri recent. & extim. ana unc. unam,
Flor.Tunic.recent.rub.unc.unam ſem.
Quæ cuncta immergantur, in
Succi Pomorum redolent.recenter expreſſi & depurati libram unam,
Et peractâ digeſtione biduanâ, fiat colatura, ſpeciebus verò reſiduis adhuc affunde
Succi pomorum acidodulc. & redolent. recenter expr. lib. ſemis,
Reiterataque digeſtione aliquali, fiat denuò colatura, quæ ambæ colaturæ depurandæ & clarificandæ, addendo tandem
Sacchari Can.albi libras duas,
Fiat unâ vel alterâ ſaltem ebullitione, terreo in vaſe, Syrupus debitæ conſiſtentiæ. *Is in roborando Corde, viribuſque deperditis reſtaurando eſt eximius: Refrigerat, humectat, & malignitati reſiſtit, adeoque in febribus ardentibus, malignis cum fructu exhiberi poteſt, ab uncia ſemis ad unciam unam.*

Syrupus Antiphthiſicus & Vulnerarius.

℞. Aquæ oculorum populi arboris, Aquæ Sumitat. Abietis ſeu Laricis arboris (vulgò Fehrerne Gipffel/) ana tempore veris ſine additione ullius rei, ex Balneo n. vapor. deſtillat. lib. duas,
In his mixtis aquis macerentur ſequentia ſaltem inciſa, utpote
Rad.recent.Enulæ camp.
Saniculæ ana unc.una ſem.
Tormentillæ uncia una,
Cichorii ſylv.unciæ duæ,
Pimpinellæ uncia una,
Symphyti maj. drach. ſex,
Herb.recent.Veronicæ unciæ tres,
Hederæ terreſtr.
Millefolii,
Conſolidæ Sarac.
Flor.recent.Papav. errat.
Roſar.rub.ana unciæ duæ,
Maceratione ſufficienti peractâ, in vaſe bene clauſo, & moderato calore, fiat colatura cum forti expreſſione, expreſſum alb. ovorum in alembico vitreo, ſuo capitello munito, probè clarificetur, interimque aſſervetur. Jam verò
℞. Species ab infuſione relictas,
quibus porrò adde,
Rad.recent.Enulæ Camp. unc. unam ſemis,
Saniculæ,
Cichorii Sylv. ana uncias duas,
Pimpinellæ,
Symphyti maj.
Tormentillæ ana unciam unam,
Herb.recent.Veronicæ,
Hederæ terreſtr.
Millefolii,
Pulmonar. maculoſæ,
Conſol. Saracen.
Flor.recent.Papav.errat.
Roſarum rub. an.unc.tres.
Inciſa coquantur in ſ. q. aq.ſimpl.repetitis vicibus, quouſque omnis virtus extracta ſit, colaturæ omnes junctim clarificatæ, additis
Sacchari Can. albi libris ſex,
Ad conſiſtentiam quaſi tabulati denuò coquantur, addendo tandem
Aquam ſuperius aſſervatam & eſſentificatam in tanta quantitate,

Ut

Ut una vel altera ebullitione Syrupi consistentia emergat. Fiatque Syrupus. Qui, *In omnibus exulcerationibus internis, Phthisi, Vomica pulmonum, Empiematibus, Vulneribus profundis præsertim pectoris salutariter exhibendus, sive per se, sive in vehiculis appropriatis, utpote Aquis Vulnerariis, sero Lactis caprini, imò in Lacte caprino ipso, ab uncia una ad unam semis.*

Nota: Summo vere destillentur *supradictæ aquæ ex oculis populi*, & *summitat. Abietis*, asserventurque donec *reliqua herbæ, flores & radices recentes* iis infundendæ erumpant, sic minus difficilis Syrupi hujus erit præparatio.

Syrupus de Ribes.

PAretur juxta modum aliorum Syruporum acidorum ex succis confectorum: *Qui iisdem ferè cum illis viribus gaudet, humectandi, refrigerandi, sitimque febrilem extinguendi, nec non Cor roborandi.*

Syrupus Rosatus Simplex.

℞. Aquæ Rosarum sine ulla additione ex baln. n. vaporoso still. lib. duas,
Cui Aquæ fragr. immergantur,
Rosarum rub. recentium unc. octo,
super inspergendo
Spiritus Vitrioli drachmam semis,

Fiat per biduum circiter digestio in vitro bene clauso, quâ peractâ digestione fiat colatura & rosarum expressio; expressa & colata aqua per filtrum probè clarificetur, interimque asservetur. Tum accipe

Rosarum rub. recentium unc. octo,

Eaque leniter coquantur in s. q. Aquæ simplicis ad remanentiam circiter lib. duarum, factâ pòst colaturâ cum forti expressione rosarum, clarificetur decoctum alb. ovorum, cui adde

Sacchari albi Can. lib. tres semis,

Denuò coquantur ad totam ferè decocti exhalationem, & consistentiam quasi tabulati, cui tandem

Aquæ superius asservatæ odoriferæ essentificatæ & subacidæ libræ duæ circiter

addantur, ac una saltem ebullitione factâ (sed cuncta in vase terreo vitreato peragenda) Syrupus efficietur gratus & efficax, *In Hepate & Ventriculo roborando; Refrigerat insuper, humectat, caloremque febrilem extinguit, quo cum etiam ex tempore Tinctura Rosarum, aquis appropriatis, vel etiam simplicibus, aut decoctis commixtis, confici potest: Hoc autem denuò observetur, ut in terreis, vitreisque vasis ejus præparatio instituatur.*

Syrupus de Rosis Siccis.

COnficiatur hic Syrupus ad modum in *Pharmacopœia Augustana* expressum, cùm sola virtus stiptica in ea expetatur, videantur ibidem ejusdem virtutes.

Syrupus de Rubo Idæo.

AD normam pariter aliorum Syruporum ex succis acidis confectorum & hujus instituatur præparatio, accipiendo nimirum

Succi de Rubo Idæo sponte per pannum effluxi lib. quatuor,
Sacchari albi lib. duas,

Et coquendo in vase terreo vitreato fiat Syrupus. *Qui defectionibus Cordis & Lipothymiis succurrit, æstus febrium contemperat, Cor roborat, Urinamque movet, ab uncia semis ad unciam unam vel per se vel cum Iulapiis propinandus.*

Syrupus Antiscorbuticus.

℞. Herb. recent. Beccabungæ,
Cochleariæ,
Nasturtii hort.
Nasturtii aquat. ana q. s.

Ex his mixtis herbis concisis, destilletur sine alia additione ex baln. n. vaporoso Aqua præstans.

Hujus aquæ destillatæ lib. duabus,

immergantur sequentia minutim incisa, nimirùm.

Herb. recent. Cochleariæ,
Nasturtii aquat.
Nasturtii hort. ana unc. quatuor.

Peractâ aliquali digestione in vitro bene clauso fiat colatura cum expressione leni, quâ interim asservatâ aquâ, accipe porrò.

Succor. recenter expressorum & depurat. utpotè
Cochleariæ,
Nasturtii hortens.
Nasturtii aquat. ana lib. unam,
& additis
Sacchari albi Can. lib. tribus semis,

Coquantur ad omnem ferè humiditatis, succorum exhalationem, & tabulati quasi consistentiam, cui tandem jungantur

Aquæ superius destillatæ & impraegnatæ libræ duæ circiter,

Ac una vel altera ebullitione in terreo vase fiat Syrupus *præstans in Scorbuto. Lienis & Mesenterii obstructiones aperit, ac erosionibus Oris & Gingivarum, sanguinem continuo fundentibus, admixto modico Cremoris Tartari mirifice prodest: In aquis appropriatis ab uncia semis ad unciam unam porrigendus.*

Syrupus de Scordio Simplex.

Similiter & hic Syrupus juxta modum in Syrupi de Betonica, vel Hederæ terrestris dextra descriptione indigitatum, conficiendus est: Idcircò eorundem præparationes studiosè observentur, ut secundum illarum ductum & hujus præparatio dextrè instituatur. *Præsens cæterum est medicamentum hic Syrupus in morbis malignis, & febribus pestilentialibus, resistit internæ putredini, & proprietate substantiæ suæ Pesti & malignitati cuicunque adversatur: Lumbricos etiam enecare ac menses ciere perhibetur.*

Syrupus de Scordio Compositus Antipestilentialis.

℞. Herb. recent. Scordii nostrat. lib. sex,
Rutæ hortens. lib. tres,
Cort. Arantiorum,
Citri ana recent. & extim. unc. tres vel quatuor.

Mixta & incisa minutim destillentur per se sine ulla additione ex balneo n. vaporoso ad siccitatem herbarum & Corticum.

Aquæ hujus prolectæ lib. duabus sem. immergantur,
Herb. recent. Scordii nostr. unc. quat.
Rutæ hortensis unc. duæ,
Sem. Citri conquassati uncia semis,

Et factâ digestione spatio unius alteriusve diei, fiat colatura cum expressione, quâ interim asservatâ Essentiâ prius clarificatâ, accipe

Species ab extractione relictas,

Quas coque cum s. q. Aquæ simpl. ad remanent. circiter libræ unius, colaturæ expressæ & clarificatæ adde

Succi Scordii recenter expressi & probè depurati lib. duas,
Sacchari albiss. lib. quatuor,

Coquantur ad exhalationem humiditatis, & tabulati ferè consistentiam, addendo demùm

Aquæ superius asservatæ & impraegnatæ lib. duas semis circiter,

Ac unâ saltem ebullitione factâ confice Syrupum debitæ consistentiæ. *Qui efficax est in Febribus malignis & peste ipsa expellenda: Roborat insuper Cor & vitales spiritus, materiam malignam ad ambitum corporis per sudorem propellens, datus ab uncia semis, ad unam & unam semis.*

Syrupus Spleneticus.

℞. Oculorum Cancrorum in pulverem saltem redactorum uncias tres,
Cremoris Tartari subtiliter triti unc. duas,

His mixtis superaffundantur in alembico vitreo

Vini albi Rhenani lib. duæ,
Spiritus salis veri drachmæ duæ,

Bulliant parum in alembico vitreo, suo capitello munito juncturisque benè clausis, ut id quod bulliendo transit, excipi, & residuo, cum refrixerit, reaffundi possit; fiat pòst omnibus refrigeratis colatura, quâ interim asservatâ porrò accipe

Rad. recent. Apii,
Cichorii sylv.
Fœniculi,
Pimpinellæ,
Petroselini ana unc. duas,
Calami aromat.

Galangæ ana drachmas ſex,
Herb. recent. Scolopendrii,
Chærefolii,
Cochleariæ,
Naſturtii hort.
Aſplenii,
Matriſylvæ ana unc. duas,
Sem. Urticæ,
Naſturtii ana unciam unam,
Apii unciam ſemis,
Bacc. Juniperi drachmas ſex,

Inciſa & conquaſſata, coquantur in ſ. q. Aquæ ſimplicis ad remanentiam circiter librarum trium, colaturæ expreſſæ & probè prius clarificatæ adde

Sacchari Canarii albi lib. tres ſemis,

Ac porrò ad humiditatis ſuperfluæ exhalationem, ſeu tabulati ferè conſiſtentiam coquantur, addendo tandem

Vini ſuperius parati & aſſervati ſuffic. quantitatem, ſeu lib. duas circiter,

Et una vel altera ebullitione, in terreo vaſe vitreato, fiat Syrupus. *Qui ad Obſtructiones Lienis & Meſenterii reſerendas, ac menſtrua mulierum pellenda efficaciter concurrit. Doſis uncia una ad unam ſemis.*

Nota: Quod *Oculi Cancrorum reſidui*, nondumque totaliter diſſoluti, aliis uſibus adaptari poſſint.

Syrupus Flor. Tunicæ.

NObilis Syrupi de Floribus Tunicæ præparatio inſtituatur juxta normam præparandi Syrupum florum arantiorum; *ita enim efficax exiſtet in virtutibus ipſi tributis, in roborando nimirùm Corde, tollenda Lipothymia & Syncope, adeoque in omnibus infirmitatibus, ubi Cor & facultas vitalis patitur, imò in Peſte ipſa & Febribus malignis opem præſtabit.*

Syrupus ex Succo Tuſſilaginis.

NOn variat à præparatione Syrupi de Cichorio Sylveſtri, coquendo nimirum radices cum proprio ſucco, & addito Sacchairo, ad conſiſtentiam Syrupi. *Præſtat in affectibus Pectoris calidis, Tuſſi ſicca, Peripneumonia, Pleuritide, & aliis catarrhoſis, acribus & ſalſis defluxionibus, quæ in pectus ruunt, ſalutaris eſt.*

Syrupus Violarum Martialium.

℞. Florum Violarum Martialium recent. à virid. calicul. repurgatorum & excerptorum libram unam,

Cui ſuperaffunde

Aquæ ferventis libras duas, vel duas ſemis,

Cooperiatur infuſio (quæ commodè fieri poteſt in vaſe ſtanneo,) relinquaturque in calore leni per aliquot horas, fiat poſt colatura & fortis florum expreſſio. Expreſſæ & colatæ infuſioni de novo adde aliquot uncias florum dictorum Violarum in mortario contuſorum, reponantur in locum tepidum aliquot horis, iterumque exprimantur. Expreſſo hoc ſucco purpureo adde

Sacchari ſubtiliter triti q. ſ. nimirùm ad uncias quindecim ſucci vel infuſionis circiter, admiſcendo Sacchari libras duas,

Ac ſolà diſſolutione Sacchari in patina ſtannea, ſupra ahenum, aquâ fervente repletum, collocata, fiat Syrupus elegantiſſimus purpureo violaceus durabilis.

Ex floribus à bina infuſione ſuperius adhuc reſiduis, utpotè qui multum adhuc tincturæ & virtutis in ſe continent; altera porrò fiat infuſio, cum aqua ferventi, ex colatura demùm cum Saccharo ad ſufficientiam addito, fiat ſine coctione vel ebullitione Syrupus uti ſuperius per M. B. minus quidem elegans & efficax, qui vel pauperibus leviori pretio divendi, vel pro Julapio proſtare poteſt. Aliàs etiam Syrupus hic Violarum unica ebullitione parabilis eſt, & quidem ſequenti modò

℞. Infuſi Violarum purpurei uncias quindecim circiter,
Sacchari albi Can. contuſi libras duas,

Et in aheno ſtanneo obducto, igne ardenti vel recenti carbonum, confeſtim una vel altera fiat ebullitio, poſtea ab igne remotis, ac ſupernatante ſpumâ cochleari perforato remotâ, Syrupum per ſetaceum cola & uſui ſerva.

Ab-

Abſolvimus alterantes Syrupos, nunc velùti manuducimur ad præparationes *diverſorum mellium* auſpicandas: Verum deflectimus in ipſo ſtatim veſtibulo à communi, tritâ & erroneâ veterum methodo ac viâ, juxta quam violentis & intempeſtivis coctionibus & elixationibus ſuis, vires, naturam & energiam *Florum*, *Herbarum*, & *Radicum* hebetant àc peſſundant, partes ſpirituoſas fugant & exhalare faciunt, nihilque quibuſdam mellibus conſignant, niſi terreum quoddam craſſamentum, effœtum & exſuccum coagulum. Nos è contrà oculos & aciem illùc defigimus, ut teneriores, aëreas & ſpirituoſas partes ſartas & inviolatas tueamur, quibus tandem efficaciſſima quæque ad nos Compoſita, & Mel redundet. Quanquam hoc noſtrum dogma aperuerimus, dum *Animadverſiones* ſuper *Mel Anthoſatum* meditaremur; ubi ſimplicem & naturæ per omnia conſimilem *Renodæi, Rondeletii & aliorum ſimplicitate gaudentium Authorum* præparationes commendavimus, quæ citra artem artificioſiſſimæ, ſuperciliolis Pharmacopœorum quorundam inventis plerumque anteponendæ. De præſenti autem conſultum ac neceſſarium duxi, enucleatiùs & diſertè magis ſuper hæc commentari, ut Medicos principiantes, Pharmacopœos ambiguos & devios, Ariadnæâ quâdam regulâ & filo è labyrintheis plexibus in regiam viam & libertatem vindicarem; jacto fundamento de *Mellis* natura uſu & accidentibus.

Obvium eſt ipſis etiam ruriculis, quânam ratione Mellis favos irrequietæ apiculæ ſerenâ æſtate congregent, & inter ſuſurros, velut totidem feſtivos ſibilos, non ſibi ſed nobis mellificent. Provida ſane in omnibus natura, brevi velut Epitome in viliſſimis hiſce inſectis & animalculis Apibus, Monarchias Regnorum, aut Reſpublicas ſi mavis, ideali quodam compendio delineavit, quibus *Sacra pagina* improbi laboris luculentum dant teſtimonium, utpotè ad quos veluti pædagogos, pigros & deſides ablegant: *Magnus* tamen *Ariſtoteles*, & *oculatus Plinius*, Monarchiæ jus ac regimen tribuunt, dum eos Regem eligere inter ſe aſſerunt, hamo ſeu aculeo deſtitutum, ſolâ Majeſtate armatum. Ut ut ſit. Conficit interim laborioſa & circumſpecta mater Apis, inter alveolos ex delectu optimorum florum ac vegetabilium primo vere & ſuccedente æſtate, quintam veluti Eſſentiam, ſuccum perdulcem, & debitæ ac durabilis conſiſtentiæ, eumque in alveario recondit, diſpoſitis ad eum (mirè Architectonicæ gnara) totidem Capſulis, in quibus Mel digerit, elaborat, heterogenea (quæ & ipſa inutilia non ſunt) ſeparat, hæc propolis, Germanis Wifft/ appellantur. Nectar hoc & Ambroſia, balſamicam tenacitatem & naturalem quandam incorruptibilitatem obtinet, ut in multos annos perdurare poſſit, ob inſignes inſuper dotes, quibus nutrit, laxat, abſtergit, confortat, conſolidat, ac reliqua (ſive eſculenta, ſive ſint medicinalia aut bellaria) à corruptione & interitu vindicat ac tuetur, ſumme nobis deſiderabile: quas tamen virtutes jam dicto modo tantò efficaciùs & cum energiâ exeret, quantò exactiùs lege artis ab heterogeneis (Cerâ nimirùm & propoli) liberabitur. Subintravit tamen hactenùs maleſana conſuetudo, quam neſcio, an craſſior ignorantia, an turpis lucri cupiditas fulciat, ut dum Agricolæ aut Mulſarii favos Mellis apiculis ſubtrahunt, nullo habito rerum diſcrimine, ipſis animalibus & apibus ſtupidiores, ea, quæ naturæ ductu hæc inſecta ſuis ſcriniis & alveolis diſtinguunt, Mel ſcilicet, Ceram & propolim, re, uſu, & viribus diſtincta, in unum tamen conjiciunt cumulum, confundunt utilia cum fæcibus, liquant, fermentare faciunt, affuſo inſuper liquore diluunt, unum efficiendo Chaos: adeò quidem, ut nulla poſt ſuperſit ars ac dexteritas, quæ ſimilia confuſa verè ac integrè ſeparare poſſit: interim Mellis natura ac virtus obtunditur, tot obruta heterogeneis, nec amplius ſibi conſtans, arrepto fermento in aliud veluti ens tranſit, alterius dein efficaciæ ac informe coagulum. Subintrant tamen alii emunctioris genii, quibus commune ac tritum eſt, talia in prima veluti principia denuò redigere & ſubdividere, coquunt aucto gradu ignis Mel & hoc Chaos deſpumant iterato, aſt quo conſilio? partes æthereas & volatiles mellis ſublimant & exhalare faciunt, craſſa terreſtria & heterogenea melli admixta inſpiſſant ampliùs, nobiſque pro

Mannâ & Melle, vapposa liquamina divendunt & relinquunt, liquatâ nimirum Cerâ & propoli unitâ per minima: ut proindè mirari amplius non subeat animum, cur nos prærogativas & dotes Mellis, nequaquam in Melle deprehendamus, quas ad nos citra allegorias fida ac Veneranda Antiquitas transcripsit: hæc est infida magistrorum nostrorum traditio, & Erronum malesana doctrina, qui posthabitis majorum sacris traditionibus, propria exosculantes, violentas cocturas in pharmacopolia invehunt, quas prætextato nomine, & novato etymo, despumationem vocant, ac nobis imponunt, dum nobis effæta liquamina tradunt, substantia rei in bullas evanescente. Hos lubens mecum ad culinas & laboratoria abriperem, ut totis diebus despumationibus Mellis intenti, si non viderent, palparent saltem, totam Mellis substantiam in bullas & nihilum tandem abire posse, præcipuè superinfusâ sæpius aquâ, si immoderatè & sæpius decoquatur. Et ratio hoc suadet: nam exhalatâ potiore parte spirituum Mellis in violenta illa ignis torturâ & cocturâ, si qui maneant reliqui, ii non sufficiunt, majorem relictæ partis molem crassiorem & terrestriorem regere & coërcere, unde bullarum instar in spumam abeunt partes Mellis crassiores, sufficiente spiritu & æthere orbatæ. Et sic se res habet, gaudet enim Mel non minùs ac alia quamplurima vegetabilia partibus volatilibus, quæ velut fermentatæ violentiore coctione efferuntur, relictis partibus crassioribus & terrestrioribus in forma spumæ, quæ sub dominio relictorum spirituum, Mellis videlicet remanentis coërceri nequeunt, à compage & unione naturali penitus solutæ. Graphice hæc descripsimus in Appendice de Aquis in genere destillandis, ubi spirituosa non coctioni apertæ, sed destillationi solum subjecimus, experientiâ docti, in iis quæ balsamicæ & spirituosæ substantiæ sunt, nihil inter decoquendum superesse, quàm morticinia, exsuccas & crassas remanentias: Quid ni & in Melle hoc eveniat, quod Magisterii instar & quintæ Essentiæ, sublimes atomos & partes subtiles florum continet? Proinde si luci, quam accendo, & rationibus non obsequeris, lingua ac gustus litem dirimat, queîs deprehendes, aliter longè sapere Mel purum & genuinum, aliter mixtum, adulteratum, seu propoli & Cerâ confusum, ac decies despumatum: Ut proindè apud viros doctos & sapientes nullum supersit dubium, Mel virtutibus suis constans, simplex, legitimè ac dextrè sine magno calore, & intimâ confusione partium heterogenearum Cerâ & propoli, separatum, adeoque nec semel etiam despumatum, sed viribus detergentibus, consolidantibus, laxantibus, abstergentibus & nutritivis adhuc integrè gaudens, quale denique in subsequentibus docebimus, effœto illi & totidem coctionibus ac despumationibus castrato Melli, esse longè præhabendum.

Qua ratione verò, quoque artificio Mel de Cera aliisque partibus terrestrioribus heterogeneis legitimè & dextre sit separandum, (neque tamen partibus suis tenuioribus castrandum) ut illa quæ natura ipsa separata voluit non confundamus, & confusum Chaos, idque inseparabile efficiamus, en! modum sequentem suppedito.

Accipe favos cum Melle in ipsis contento, quamprimum ex alveario exscissi, & à partibus crassioribus prius separati fuerint, vasi cuidam vel Ollæ intrusos, in locum moderatissimè calidum colloca; dico in locum moderatè calidum, etenim à leni etiam calore Mel liquidius efficitur, ut ita per colatorium vel saccum linteum transeat, ac effluat; Quamobrem ab intensiore calore cavendum, ne & adhærens Cera colliquescat, atque adeò hoc pacto adjuncta heterogenea, scil. Cera & propolis Melli intimius permisceantur, nunquam post à Melle amplius ex toto separabilia, quin impuritas maxima ingratusque sapor & odor, Melli impressa maneant tenaciter, decies licet clarificetur. Proindè quamprimum Mel paulatim & retro fornacem veluti, leniter calefactum fuerit, illud sacco linteo in cuspidem desinente instar manicæ Hippocr. infundito, ac in illo ipso loco moderatè calido, alligato sacco, tamdiu relinquito, donec Mel ferè omne, & quidem purissimum per saccum vel manicam in subtus collocatum vas permearit, & transcolatum fuerit, quod sine omni despumatione, aut ulteriori coctione, suo inesse naturali durabi-

le,

le, propriis, eximiisque virtutibus prægnans, nec partibus suis subtilioribus castratum, asservandum est. Relicta in manica vel sacco à Melle transcolato, Cerâ & propoli, quibus de Melle nonnihil adhuc adhæret, illa ab invicem demum separanda sunt, aquâ simplici affusâ: Hoc verò Mel ultimò elotum, ac coquendo ad debitam consistentiam redactum, separatim, tanquam priori longè inferius, ad usus culinarios cedat. Præmissa hac de Melle necessaria informatione, transitum paro ad singulares Mellium Medicinalium præparationes, quæ ordine sequentur.

Mel Anthosatum seu Rorismarini.

℞. Mellis purissimi translucidi, juxta modum præmissum ab heterogeneis partibus probè separati lib. duas,

Cui immergantur

Florum recent. Rorismarini conscissorum minutim uncia una semis,

Fol. Rorismarini recent. & conscissorum unciæ quatuor,

Immissa alembico, vel alicui alii vitro, cerâ & vesicâ probè clauso, relinquantur diu in digestione, loco tamen moderatè calido, tandem adhuc calente Melle fiat colatura cum forti expressione. Mel colatum usui asservetur. Cui tamen, si volupe fuerit, idem pondus uti suprà florum & foliorum Rorismarini recent. infundi, digeri, & tandem ab ipsis colatum Mel, reponi potest. Verum nec quicquam deperditum eat, ac præfatum Mel præstantius efficiatur, virtutibusque Rorismarini amplius imprægnetur, accipe residuum ab infusionibus expressum Rosmarinum, illumque affusâ aq. simplicis suffic. q. coque, decoctum colatum leniter evaporare finito ad ipsam Mellis spissitudinem, quod priori colato Melli Rorismarini junctum, illud præstantius in virtutibus, quamvis paulò terrestrioribus, haud tamen inutilibus, efficiet. *Hoc nativis Rorismarini virtutibus imbutum Mel, præstans est, Cerebro, Cordi & Ventriculo roborando, flatusque discutiendo, Colicos pariter ac Uterinos dolores, gutturi inferiori cum enematibus immissum, mitigando.*

Mel Menthæ.

℞. Aquæ Menthæ odoriferæ sine additione ex balneo n. vaporoso still. libram unam,

cui denuò

Menthæ recentis odoratæ librâ unâ additâ

Ex balneo n. vaporoso aqua destillando prolicitur, quâ interim asservatâ odoriferâ & spirituosâ aquâ accipe

Mellis purissimi satis crassi, & legitime uti supra edoctum extracti libras quatuor,

Cui immergantur

Menthæ recentis minutim conscissæ unciæ decem, vel libra una,

Factaque maceratione loco calido, vase probè clauso, septimana una circiter, fiat colatura cum forti expressione Mel expressum interim asservetur.

Jam verò

Ex residua Mentha expressa additis adhuc

Menthæ recentis librâ unâ

&

Succi Menthæ recenter expressi & depurati libra una semis,

Fiat cum suffic. q. aquæ simplicis affusâ, decoctum forte, quod colatum & purificatum leniter evaporet, ad consistentiam & spissitudinem satis crassam, instar Electuarii. Hoc porrò cum superioris aquæ spirituosæ suffic. quant. nonnihil diluatur, ac superiori Melli Menthæ, quantum ad debitam suam consistentiam sufficere videbitur, jungatur.

Efficax est in affectibus Ventriculi & Intestinorum, doloribus Colicis & Hystericis, tùm per os assumptum, tùm etiam gutturi inferiori immissum opitulatur.

Mel Mercuriale.

℞. Mellis simplicis lib. quatuor,

Herb. Mercurialis minutim conscissæ lib. duas,

Succi Mercurialis lib. tres,

Coquantur aliquandiu, postea colaturâ factâ, evaporent leniter ad consistentiam Mellis. *Abstergit, alvum laxat, Clysteribus immixtum.*

Mel Rosatum.

℞. Aquæ Rosarum fragrantissimæ sine additione ex baln. n. vaporoso still. libras quatuor,

Quæ ipsa aqua, denuo à libris quatuor Rosarum recentium pallidarum, destillando abstrahatur. Aquæ huic prolectæ fragranti immergantur

Rosarum rubearum recent. libræ duæ,

Factaque maceratione per triduum in vitro probè clauso, fiat colatura cum forti Rosarum expressione; quâ interim asservatâ essentiâ seu aquâ essentificatâ, accipe porrò

Mellis purissimi legitimè depurati uti supra edoctum libras duodecim vel sedecim,

cui immergantur

Rosarum rubearum recent. libræ duæ,

Digerantur in calore leni per triduum, post, Melle adhuc calente, colentur, exprimanturque Rosæ: Melli colato porrò immerge, servatis interim Rosis prioribus expressis,

Earundem Rosarum rubearum recentium libras duas,

Et porrò in calore per triduum circiter relictis, fiat iterum colatura cum expressione, calente adhuc Melle. Jam verò accipe

Rosas à tribus præmissis infusionibus relictas, scil. ab infusione prima cum aqua rosarum, & duabus infusionibus cum Melle.

Eæque suffic. quant. Aquæ affusâ, coquantur ad remanentiam sex vel octo librarum, factâ pôst colaturâ cum expressione Rosarum, Decoctum prius clarificatum ad spissitudinem Mellis crassi, seu Electuarii formam, leniter evaporet, quod inspissatum decoctum rosarum, cum superiori asservata spirituosa, Rosisque rubris imprægnata aqua dilutum, Melli rosato superiori per solam & binam infusionem parato, jungatur, & desuper de dicta imprægnata aqua Rosarum tantum addatur, quantum pro debita ac durabili Mellis Rosati consistentia, experto Pharmacopœo sufficere videbitur, & vel sine ulla, aut unica tantum ebullitione Mel præstans Rosarum usui reponi & asservari poterit. *Virtutes Mellis Rosati peculiari loco in Animadversionibus descriptas, supervacaneum arbitror prolixis verbis hic inserere; illud solum addo, ac B. L. solor, quod plus virium & energiæ in Syrupi hujus aut Mellis uncia una sibi accedere visurus sit, quàm in pluribus aliis vulgata methodo decoctis Mellibus.*

Nota: Si qui *Mel Rosatum Citratum* desiderent, ut opus hoc magis coarctem, nec scripta levi de causa rescribam, hi adeant *Animadversiones* nostras in Pharmac. August. super illud idem *Mel Rosatum Citratum* adjectas, & juxta illarum ductum istud conficiant: aut in hac dextra Mellis Rosati descripta præparatione, singulis destillationibus & infusionibus, Cortices Citri vel Limoniorum recentes, in competenti quantitate addant.

Tandem etiam ponat sibi Lector Benevolus ob oculos, & sagaciore mentis trutinâ ponderet tritum illud & sæpius in *Animaudversionibus* n. proclamatum axioma: Quod omne recipiens recipiat saltem ad modum suæ receptivitatis, non ultra, nec juxta totalem energiam imprimentis; quamobrem ubi, quod pluribus in locis erit obvium, incideris in literas s.q. id est, suffic. quantitate v. gr. coquatus hoc vel illud simplex, aut infundatur vel extrahatur, memineris opus esse peritiâ Pharmacopœi, ut qui novit Aquam v. gr. aut Vini Spiritum habere se in decoctione, extractione & infusione velut Menstruum extrahens & solvens; nôrit etiam quantæ sint vires in re coquenda, solvenda, aut infundenda, & probè dignoscat, an una coctione vel infusione, vires rei solvendæ vel extrahendæ elici queant; an alterâ & tertiâ, reiterato scilicet opere totaliter demum eliciantur: Nullum namque Menstruum solvens & extrahens infinitam habet solvendi & extrahendi latitudinem, sed limitatam potestatem, inque sphæra suæ receptivitatis circumscriptam: Quîs enim libra una aquæ Regiæ, solvat Auri mediam? aut quîs Spiritus vini uncia extrahat resinam ex media uncia Gialappæ? simili prorsus modo parva aquæ seu crudæ seu destillatæ quantitas, nequit virtutem omnem rei extrahendæ in se reci-

recipere ex magna ejus mole, sed reiteratâ sufficienteque quantitate aquæ opus est, dum omnimodam virium prolectionem ex concre to solvendo consequâris, ne ipsum majore suarum facultatum & dotis medicæ parte refertum, tanquam effœtum esset cadaver, abjiciatur, cum damno non tàm Pharmacopœi, quàm ægri, qui quod inutiliter abjicitur, non rarò, cogitur lucroso precio redimere & veluti luere, sed ut integra vis medica ex re solvenda aut decoquenda exhauriatur, & in menstruum seu liquorem solventem aut extrahentem transferatur.

Mel Violatum.

Fiat ad normam præcedentis Mellis Rosati, & naucisceris Mel præstantissimum Violatum, suis propriis virtutibus uberrimè prægnans, cujus utendi modus etiam notissimus.

Oxymel simplex.

℞. Mellis purissimi satis crassi, ad mentem nostram extracti, & vetusti libras duas,
Aceti vini optimi, si lubet aliqua re gratâ & congruâ, utpotè Rosis, Floribus Tunicæ &c. imbuti lib. duas,
Paucis ebullitionibus fiat Mellis consistentia paulò liquidior, ne illud diu coquere opus sit, cum illud facilè in liquidiore consistentia conservetur diu. *Hujus vires, annexis cautelis, uberrimè describuntur à D. D. Augustanis, quas in eorum Pharmacopœia consule.*

Oxymel Diureticum.

℞. Rad. recent. Apii,
Petroselini,
Pimpinellæ,
Raphani hortensis,
Restæ bovis ana uncias duas,
Herb. recent. Cochleariæ,
Nasturtii hortensis,
Chærefolii,
Rutæ murariæ,
Cymar. Asparagi recent. ana uncias duas semis,
Seminum Nasturtii,
Fœniculi,
Thlaspios,
Urticæ ana unciam unam,
Radices & herbæ incisæ, semina vero conquassata immittantur vitro, quibus superaffundantur
Aceti vini destillati libræ tres,
Serventur in digestione loco calido per triduum circiter, factâ pòst colaturâ cum forti expressione, acetum expressum filtratione clarificetur, interimque asservetur, Jam verò accipe
Species ab extractione relictas,
Quas affusâ s. q. aquæ s. repetitâ vice coque, decoctum colatum & probè clarificatum (cuncta in vase terreo peragenda) evaporet ad consistentiam extracti, seu Mellis spissioris, quod denuò cum superiori aceto asservato & imprægnato diluatur, &
Mellis purissimi crassioris consistentiæ & vetusti, dextrè ex favis suis, uti supra edoctum, extracti, libris quatuor addatur,
Ac unâ vel alterâ ebullitione fiat Syrupus seu Mel diureticum, quod aromatizetur,
Elæosacchari Cinamomi unciâ unâ,
Movet hoc Oxymel Urinam impeditam potenter, renumque Calculos & vesica atterit, mensesque mulierum propellit: ab uncia ad unam semis, pro dosi exhibendum.

Oxymel Scilliticum.

℞. Aceti Scillitici cum aceto destillato parati libras duas,
Mellis crassissimi antiqui solidioris libras duas semis,
Paucis ebullitionibus conficiatur Mel debitæ consistentiæ.
In Affectibus Pectoris & Asthmaticis à crassa pituita, & viscosa humiditate provenientibus, Ventriculo etiam tali humore obsesso, maximè conducibile est: Hydropicos nec non Anasarca laborantes juvat: unum vel duo cochlearia pro dosi sumenda.

Oxyſaccharum ſimplex.

℞. Succi Granatorum acidorum recenter expreſſi lib. ſemis,
Aceti Vini Roſati vel Viol. unc. octo,
Sacchari albiſſ. Can. lib. unam ſemis,
Coquantur in vaſe terreo ad conſiſtentiam Syrupi, cui pro grato odore & ſapore conciliando adde
Eſſent. Citri Saccharinæ ex recentibus Cort. paratæ unciam unam ſemis,
Fiat Oxyſaccharum.

Refrigerat & humectat, craſſos humores incidit, ſitiſ ſedandæ, nec non Viſcerum inflammationi mitigandæ conducibile eſt, ab uncia ſemis ad unciam unam, in aquis vel vehiculis convenientibus.

Julapium Roſatum.

℞. Aquæ Roſarum ſine additione ex baln. n. vaporoſo deſtill. lib. duas ſemis,
cui adde
Roſarum recentium, vel ſale conditarum lib. duas,
Ac porrò ex balneo n. vaporoſo libræ duæ ſemis Aquæ deſtillando proliciantur, quibus adde,
Sacchari albi Can. lib. quatuor,
Ac ſolâ ejuſdem diſſolutione paretur Julapium, *pro Cordialibus & refrigerantibus Iulapiis dilutioribus conficiendis, aptum.*

Julapium ex Vino.

Quamvis dexterrima hujus Julapii præparatio in *Animadverſionibus* n. ſuper ipſum factis luculenter deſcripta, ac juxta ejus normam etiam Julapium hoc paratu facillimum ſit, nihilominus aliam illi addam deſcriptionem compendioſiorem, magiſque cordialem & roborantem, ut utra arrideat, L. B. deligere habeat. Itaque

℞. Vini Malvatici, vel
Si illud propter valorem non arrideat,
Vini albi Rhenani lib. quatuor,
cui immergantur
Roſarum recent. ſale condit. unciæ quatuor,
Flor. Tunicæ recent. unciæ duæ,
Cort. Arantiorum
Citri ana recent. ext. unc. una,
Cinamomi acuti uncia una ſemis,
Factâ brevi maceratione, abſtrahantur in balneo n. vaporoſo deſtillando libræ tres. Liquori huic ſpirituoſo & fragranti, abjectis ſpeciebus cum vini vappa quæ in reſiduo remanſit, porrò adde
Vini Malvatici, vel
Vini albi potentis lib. duas,
Roſarum recent. ſale condit. uncias quatuor,
Flor. Tunicæ recent. uncias duas,
Cort. Arantiorum,
Citri ana recentium,
Cinamomi acuti ana unciam unam,
Ac porrò brevi factâ maceratione, abſtrahantur deſtillando in eodem baln. vapor. libræ duæ ſemis, vel tres, quibus adde
Sacchari Can. albiſſ. lib. quatuor
Et ſolâ ejuſdem diſſolutione ſine ulla coctione aut ebullitione paretur Julapium *multis encomiis extollendum, ob ejus virtutes cordiales & roborantes quas habet in morbis frigidis, Apoplexia, Epilepſia, Lethargo, Comate Vigili, Paralyſi & Hydrope, Senum peculiare eſt reſtaurativum, ſpiritus eorum vitales excitando, roborando: aſſumendum in vino quod gratiſſimum reddit, vel etiam alio in vehiculo grato.*

Nota: *Aqua ſpirituoſa* bina vice *à Roſis aliiſvè ſpeciebus ſuperius* abſtracta, in virtutibus ſuis magis intendi poſſet, ſi in eâdem *Corticum Arantiorum & Citri ana recent. & extim. uncia una, Cinamomi tantundem, Ligni Aloës drachmæ duæ*, nec non *Ambræ ac Moſchi, pro ditioribus, ana grana aliquot*, aliquandiu ſaltem macerentur. *Roſæ* verò quandoque planè omitti poſſent, propter odorem fœmineo ſexui adverſantem.

Miva Cydoniorum.

℞. Succi Cydoniorum maturorum recenter expreſſi, & per reſidentiam depurati lib. duodecim,
Muſti Vini clari recentis lib. ſex,

Co-

Coquantur leniter terreo in vase ad remanentiam circiter librarum quinque, quibus adde,

Sacchari albissimi lib. sex,

Ac porrò ad consistentiam Mivæ seu Syrupi paulò crassioris percoque.

Gratissimus Syrupus est adversus alvi profluvia, confortat Ventriculum & vomitiones spontaneas sedat, sumptus ab uncia una, ad unam semis.

Nota: Cùm non in omnibus Regionibus, præsertim Septentrionalibus plagis, *Vini aut Uvarum* sit proventus, ideoque & *Mustum Vini* ibidem locorum haberi nequeat; proinde suasor sum, ut dicto *Vini musto*, *Succus Cydoniorum* eodem pondere atque mensura substituatur. Ob quas prægnantes verò causas, *Vinum album potens*, antiquitùs addi solitum, rejecerim, ad *Animadversiones* n. in Julapium de Vino, & Mivam Cydoniorum scriptæ, lectu ni fallor dignæ, luculenter commonstrant, quas consulat Lector amicus.

Miva Cydoniorum Aromatica.

℞. Succi Cydoniorum recentis depurati lib. duodecim,

Musti Vini clari recent. lib. sex,

(Observentur autem quæ de Musti defectu in præcedente Miva Cydoniorum simplici admonui)

Coquantur vel evaporent per se leniter in vase terreo, ad consistentiam Syrupi crassioris.

Jam verò

℞. Cinamomi acuti uncias duas,
Caryophyllorum drachmas quinque,
Cardamomi min. drachmas sex,
Macis,
Nucum Moschatarum,
Calami aromat. ana unciam semis,
Mastichis el. drachmas duas,

Quibus incisis & conquassatis, cucurbitæque vitreæ immissis superaffundantur

Vini albi veteris generosi, vel
Vini Hispanici libræ tres,

Et post brevem digestionem, fiat dicto in alembico, calore arenæ, una atque altera ebullitio; verum apposito capitello vitreo, juncturisque clausis, ut id quod ebullitione qualicunque transit, residuo tandem vino reaffundi possit; cum autem omnia refrixerint, fiat colatura, & specierum levis expressio, Vinum verò colatum & aromaticum filtro clarificetur, cui addantur

Sacchari Can. albi libræ sex,

Et sola ejus, scil. Sacchari, dissolutione leni calore fiat Syrupus, adjiciendo tandem

Succum Cydoniorum unà cum Musto inspissatum & superius asservatum,

Fiat Miva Cydoniorum aromatica præstantissima. *Quæ Ventriculum frigidum & humidum roborat, vomitiones spontaneas compescit, Lienteriam cohibet, & facultatem concoctricem juvat, ab uncia semis ad unciam unam sumendo sæpius.*

Rob de Berberis, Cerasorum, de Cornis, Cydoniorum, Cynosbati, de Ribes, Diamoron, Ebulinum, Nucum, Sambucinum, Juniperinum.

HÆc omnia admodum trita sunt, & paratu facillima, ut vel quælibet anicula & rustica, dexteriori modo illa conficere nôrit, quàm olim descripta fuerint: Revolvantur super ea *Animadversiones* n. præsertim super Rob de Cornis & Juniperi, è quibus non solum antiquorum errores, verùm etiam dexteriores eorundem præparationes elucescent, idcircò non abs re illis in præsens supersedeo, ne crambem biscoctam apponam, sed brevitati studeam.

Rob de Spina Cervina.

℞. Baccarum Spinæ Cervinæ q. s.
Immittantur ollæ Vitreatæ, quibus super affundatur Vini boni q. s.

ad supereminentiam unius vel duorum digitorum transversorum, facta maceratione die una vel altera, coquantur parum, & per linteum tandem exprimantur. Succi hujus expressi libris tribus vel quatuor adde

Sacchari albi lib. unam

Et junctim ad consistentiam Electuarii, sive Rob decoquantur, adjungendo ultimò

Pul. Cinamomi unciam semis,
Caryophyllorum drach. duas,

Zingiberis drachm. tres,

Fiat Rob debitæ consistentiæ, *præsens in Hydrope Ascite & Anasarca remedium.*

Cæterum, traditâ & ad calcem perducta Syruporum alterantium, Mellium, & hujus Classis medicamentorum Theoriâ, ad dexteram purgantium Syruporum dispensationem iter paro: Humanitatem autem Tuam Lector benevole exoratam volo, ut, sicut ad hoc medicamenti genus penitius describendum, dexterius conficiendum & integrius conservandum, multas & majores ferè, quam circa alias Compositiones restant exantlandæ vires, multam operam & vigilias promptus aliorum juvandorum studio contuli, quatenus nimirum prostent, & tanquam ex pharmaceutico condo depromi possint medicamenta consistentiæ syrupalis, contra qualvis humani corporis affectiones valitura, tempore præsertim verno & æstivo ex recentibus Vegetabilibus, juxta genuinam, atque ex ipsa rerum natura petitam præparandi methodum conficienda, ægris assumptu jucunda, Medentibus honorem & gratiam conciliatura, & omnino talia quæ Regiæ Pharmacopœiæ honoris augmenta creare valent; ita dum hæc legis, non gravatus ad labores, paulò accuratiore impassionatæ mentis trutina perpendere, quem intentioni meæ scopum præfixerim, ad multorum commodum directæ: Totius enim mei propositi cardo in hoc versatur, ut conjungerem homogenea consonis, conformia non dissonis sociarem, nec confusâ simplicium viribus & materiâ ab invicem dissentientium coacervatione harmonicum medicamenti concentum perturbarem, sed omninò sarta, tecta, & integritate sui accepta conservarem; tum etiam ut vires in magna liquoris mole palentes & dispersas in multo minorem quantitatem concentrarem, atque uti Veteranus Belli Dux, omni, etiam minimæ occasioni intentior, nihil omittit eorum, quæ quovis modo ad victoriam cum honore & emolumento consequendam faciunt, ita & ego non recens è scholis ad praxin descendens, sed plurium hactenus annorum absque veri jactantia, practicus, posui mihi ante oculos morbos hinc inde in vitas hominum intempestivâ morte extinguendas grassabundos, non minus, quàm vitæ arces & propugnacula, membra principalia corporis intelligo, consideravi, ut justum cuique auxilium, subsidium aptum, & tanquam ex armamentario inculpatæ defensionis arma laborantibus porrigerem & conferrem; sic feci, sic, ut feciliter eveniant, exoptavi. Quod si verò prædicta syrupalis consistentiæ medicamenta, numero haud quaquam absoluta, nec viribus sufffectura, contra tot ac tantas hostilitatis morbosæ machinationes accusaveris, differ paulum congrediendi cum inimica morborum phalange animum, donec novo sequentium Classium & medicamentorum robore, mox subsidio auctus, fortior in hostem movere valeas, ad quod sanè permultum etiam facere possunt *Animadversiones* n. cum *Appendice*, ut tandem viribus & numeris omnibus absoluto & instructo, liceat in campo Medico comparere.

PHAR-

PHARMACOPOEIÆ REGIÆ

CLASSIS SECUNDA,

Syruporum Purgantium, Structuram complectens.

Qvamvis minus difficilè mihi foret plurimas Syruporum purgantium Compositiones heîc apponere, quia tamen Syrupi purgantes raro absque commixtione rerum aliarum liquidarum adhibentur, & Cathartica propter diuturnam coctionem, quam in Syruporum confectionibus ferre debent, in viribus suis haud parum diminuantur; Igitur longè consultius esse arbitror, ad exemplum Infusi purgantis (quod hodierno die plurimi Clarissimorum Medicorum Viennensium in usu habent) Magnifici & Excellentissimi D. D. Mannagettæ, Medici Cæsarei, ex iisdem infusa parare; dicti autem infusi purgantis, seu Aquæ laxativæ formula ita se habet.

℞. Fol. Senæ el. unciam unam,
Passularum min. drachmas sex,
Coriandri drachmas duas,
Cremoris Tartari drach. duas semis,
Incisa & in petia seu sacculo ligata superfundantur, Aquæ fontanæ ferventis unciis sedecim,

Factâ maceratione per noctem, mane fiat colatura & expressio, colato adde
Mannæ el. Calabr. uncias quinque,
Cremoris Tartari drachmas tres,

Et cum alb. ovorum junctim clarificentur, factâ unicâ tantum ebullitione. Servetur usui. *Cujus unciæ tres vel quatuor dentur pro dosi.*

Ex hoc jam manifestum fit, quod toties antea inculcavimus, aquam simplicem, vel aliam quamcunque, aut quodvis aliud menstruum ultra modum suæ receptivitatis recipere non posse: Etenim ex hac Infusione, cui de Catharticis tantum *uncia una Folior. Senæ, & aliquot unciæ Mannæ, cum unciis sedecim aquæ simplicis* infundendæ destinantur, quatuor ad minimum potiones purgantes efficiuntur, quæ nunquam non cum felici successu exhibentur, cum è contra (ast haud bene) vel *uncia una cum dimidia dictorum foliorum*, cum diversis *aliis purgantibus, Rhabarbaro, Gialappa, Agarico &c.* pro unica potione nonnunquam à quibusdam præscribantur, qui tamen vix eundem effectum assequuntur. Non minus prudenter huic Infusioni *species Catharticæ multum resinosæ* adjectæ non sunt, utpotè quorum vis purgatrix in resinosa substantia consistens *ab aqua simplici* extrahi nequit, sed pro ejusdem extractione *spiritu aliquo ardenti* opus est. Ex horum numero sunt *Ialappa, Mechoacanna, Turbith, Agaricus, &c.* Quæ cum scitu necessaria sint, perquam raró autem in præscriptionibus Medicamentorum observentur, non potui, quin datâ occasione paucis hæc attingerem. Proindè ad normam prædictæ Aquæ laxativæ, alia complurima Infusa loco Syruporum purgantium, ex tempore efformari possent, ne tot tamque inutilibus ex tanta omnis generis tùm Catharticarum, tùm alterantium & confortantium (quæ non solum superfluè, sed insuper etiam perperàm planè purgantibus adduntur, & nil ampliùs præstare possunt, quàm quod prohibeant, quò minus rerum Catharticarum virtus debito modo extrahi queat) specierum farragine conglomeratis compositionibus Officinæ gravarentur. Si nihilominus plures & diversi Syrupi purgantes à nonnullis desiderentur, & hi fortè quos huic Classi inserui non sufficerent illis, idcircò ad Syrupos purgantes præcedentis Pharmacopœiæ plurimos recurrant, observatis n. *Animadversionibus*, juxta quas instituant ipsorum præparationes, omissis tamen rebus illis plurimis non purgantibus, aliisque quæ impedimento sunt, quò minus reliqua Cathartica vim suam in affusum menstruum exactè deponere queant, aut subsequentes consulat formulas.

Syrupus Domesticus seu de Spina Cervina.

℞. Succi baccarum fruticis illius quam Spinam Cervinam appellant, circa finem Septembris, vel initium Octobris collecti, & probè depurati libras octo,

Huic succo immergantur

Rad. Ebuli unciæ duæ semis, vel tres,
Ireos nostr. recent. unc. quatuor.
Semin. Ebuli uncia una semis,
Zingiberis drachmæ duæ
Mastichis elect. drachma una,

Maceratione factâ per biduum coquantur ad consumptionem medietatis, colatur pòst, exprimanturque species, expressum decoctum alb. ovorum probè clarificatum, additis

Sacchari Canar. albi libris tribus, vel quatuor,

Coquantur denuò donec Syrupi consistentia debita acquiratur, adjiciendo in fine

Elæosacchari Cinamomi vel Caryophyll. drachmas sex,

Fiat Syrupus, domesticus olim dictus, verùm cum valde invalidus sit ex solo succo paratus, idcircò quædam stimulantia Cathartica, ejusdem cum hoc succo naturæ, & virtutis, quæ tamen sine evidenti sapore & odore sunt, addidi, quò major vis & efficacia in Syrupum redundet, qui sane priori & vulgariter parato præstantior erit *in educenda pituita, & serosis humoribus: Vnde præcipuè in Cachexia, Hydrope, ac Arthritide emolumento erit, ab uncia una ad uncias duas sumptus.*

Syrupus Emeticus Correctus.

℞. Pul. n. Antimonii correcti in Mantissa edocti unciam unam,
Extrahatur ejus Essentia seu vis emetica cum Vini albi boni ferventis librâ unâ semis,

Nam aqua simplex, sive etiam destillata per se vim emeticam ex hoc pulvere nequaquam elicit, filtratione pòst, aut residentiâ potius Vino à pulvere separato, adde

Sacchari albi libram unam,

Et in Syrupum liquidioris consistentiæ decoque, cui, pro odore & sapore grato ipsi conciliando, porrò adde

Elæosacchari Cinamomi uncias duas,
Fiat Syrupus.

Dosis uncia una, vel unciæ duæ adultis hominibus; at Iunioribus, pueris & Infantibus drachma semis, drachma una ad drachmas tres, pro ratione ætatis securè propinari possunt.

Nota: Si qui *Pulvere hoc Antimonii correcto* destituti, *Flores Antimonii albos* ritè paratos substituere vellent, ii conficiant Syrupum hunc emeticum ad modum sequentem.

Syrupus Emeticus alius.

℞. Vini Malvatici lib. duas,
cui immergantur,

Florum Antimonii ritè parat.
aut etiam
Mercurii vitæ dextrè parati uncia una semis,
(vel etiam loco horum
Vitri Antimonii dextre sine additione parati & subtiliter triti uncia una accipiatur)
Cremoris Tartari drachmæ sex,

Factâ maceratione loco benè calente per triduum circiter, factâ post colaturâ, vino colato adde

Sacchari albissimi lib. tres,

Ac sola ejus dissolutione fiat Syrupus, addendo pro grato sapore & odore conciliando

Elæosacchari Cinamomi,
Essent. Citri Sacchar. ana unciam unam,
Fiat Syrupus gratus.

Medicamentum efficax est in suis operationibus, proindè non nisi fortioribus naturâ hominibus propinandum, ad expellendos biliosos, atros Melancholicos & quoscunque abundantes humores excrementitios, profundè radicatos & impactos; Igitur in febribus quartanis alisque diuturnis & Chronicis auxilio est. Dosis drachmæ duæ, uncia semis, ad unciam unam.

Nota: Pro abstemiis qui *Vinum* abhorrent, Syru-

Syrupus dictus *ex succo vel Vino Cydoniorum*, quod æquè ac *Vinum* vim emeticam ex *pulveribus dictis Antimoniatis* elicit, parari poterit, qui gustui magis gratus, licet vel nullis *Elæosaccharis* aromatizetur.

Syrupus Emeticus Purgans ex Vegetabilibus.

℞. Rad. Asari recent. unc. tres,
Esulæ Cortic. unc. duas,
Hellebori nigri unc. duas semis,
Conscindantur & contundantur parum, quibus superaffundatur
Aceti destillati & Rosati lib. semis,
Ac iterum in Vitreo vase exsiccentur, post coquantur in vase etiam terreo, vel saltem sartagine ferreâ, cum aquæ simplicis s. q. repetitis vicibus affusæ, quousque tota virtus extrahatur, colaturæ omnes alb. ovorum probè clarificatæ, additâ
Sacchari albiss. libra una semis,
Denuò coquendo ad Syrupi consistentiam redigantur, cui pro sapore & odore grato conciliando,
Elæosacchari Cinamomi uncia semis, vel uncia una,
admisceri potest.

Vel fiat modo sequenti.

℞. Supradictas Radices aceto præparatas, E quibus cum suffic. quant. spiritus Vini, repetitis vicibus affusi extrahatur essentia, quousque tota virtus extracta sit, Extractiones omnes in alembicum vitreum suo capitello munitum ponantur, à quibus superfluus spiritus ad Extracti liquidioris consistentiam, scil. Mellis, abstrahatur: Hoc Extractum denuò dissolve cum succi Cydoniorum simplicis recentis, vel etiam Pomorum redolent. libris duabus; & addita
Sacchari Can. albi lib. una semis,
Coquantur ad Syrupi consistentiam. *Qui æquè ac Antimoniati Syrupi, humores excrementitios ex corpore potenter educant, & sic habebunt ii, qui nauseant Antimonium, quò confugere possint.*

Syrupus ex Helleboro.

℞. Fol. Hellebori nigri recent. s. q.
Ex quibus incisis & contusis destilletur aqua per baln. n. vaporosum, sine additione ulla.
Hujus Aquæ prolectæ lib. duabus, immerge ulterius
Folior. recent. Helleb. nigri incisor. & contusorum lib. duas,
Atque iterum peractâ prius maceratione per quatriduum circiter, aquositas per baln. n. vaporosum penitus penitusque ad siccitatem foliorum proliciatur.
Aquæ hujus destillatæ lib. duabus sem. denuò immerge
Fol. recent. Hellebori nigri conscissor. lib. unam,
Macerentur per biduum circiter, post fiat colatura cum forti expressione, colaturæ probè clarificatæ aut filtratæ adde
Sacchari albissimi lib. tres,
Ac una vel altera ebullitione confice Syrupum.

De viribus *Hellebori*, non tantum Botanici eximii, sed etiam Viri in Medica palæstra exercitati, multa sanè & egregia assignant encomia. *Hippocrates* divini Vir ingenii & aliquot adeptorum particeps ablegat ad Anticyras Helleboro purgandos. *Paracelsus* deprædicat Essentiam ejus Vino parandam. *Helmontius* ad amentias ex sordibus in Hypochondrio dementificis oriundas valere & capiti peculiariter sic prodesse admittit. *Sala ex Dioscoride* nodulum pessi instar, ad affectus graviores è suppressione menstrui muliebris adhibitum, licet cum mirabili totius contractura, sine tamen noxa agat, summè proficuum asserit. *Alii* ad absumptionem omnis causæ occasionalis seu materialis morborum plurium internæ, impetum in vitalem œconomiam noxium facturæ, atque ita ad vitam in sanitate perplures & longos annos conservandam, valere statuunt. *Alii* alia addunt, sive vera, sive hyperbolica, inter quæ probè notandum, alibi Helleborum vehementer & cum convulsione, alibi non fortius Rhabarbaro, imò alicubi omninò nihil purgare; non tamen

nisi in contumaci materia, & benè correctum esse exhibendum. Cernimus certè exsurgere nunc temporis nova morborum monstra, ad præcepta veteris methodi medendi nequicquam auscultantia, & non rarò stupemus ad complicationem affectuum sub mitis febriculæ & cordolii larvâ melociter in vitam debacchantium, ut propter hanc rem consultum sit, nova indagare præsidia, & revolvere Venerandæ Antiquitatis monumenta, quorum ope prævaleat Medicus morbo, & indubiam ægro victoriam polliceri ausit: sed desidiâ partim, partim quod omnia jam dicta esse, nec restare nobis aliquid indagandum, putemus, impunè grassantur morbi; atque etiam viduas faciunt & pupillos intempestiva enectione Parentum. *Paracelsi* quidem essentia cum vino ad literam præparata durabilis non est, adeò ut Syrupus hic attactus meritò præstet; sed cum *Paracelsus*, an pravo an justo consilio, non determinem ego, salem suum circulatum, quo medicamenta ipsius præparata faciunt, quod promittunt, in plerisque locis supprimat, vel nunc vinum, nunc originem saltem, nunc Spiritum Vini, saponem, lixivium, aquam solventem, & multis aliis larvis occultando nominet, fit ut medicamenta ad literam ex *Paracelso*, elaborata, nil præstent eorum, ad quæ præparata sunt, undè meritò à pure *Galenicis* contemnuntur. Aliorum experientias sicut protervus non exsibilo, imò intra modesti præconii cancellos limitatas amplector, ita hyperbolicas laudes aliorum potius quàm meâ experientiâ cognoscere præsto sum. Nunc non nisi quomodo durabilia & toto anno in promptu, seu ex Helleboro seu ex Asaro, Gratiola, Soldanella, & similibus Catharticis construenda sint medicamina sollicitus vivo, majora & hyperbolica quæ iis assignantur non recensurus.

Nota: Si efficaciorem desideres ex *Helleboro* Syrupum, consequeris id haud dubiè additis *radicibus ejusdem*, scil. ut præscriptam præparationem ex *foliis Hellebori foliis*, cum *toto Helleboro*, scil. *foliis & radicibus simul* instituas, perficiasque. Sed ut tibi experientiam haud exiguam, in commodum ægri Christiani communicem, adverte; quantumvis *pleraque vegetabilia* in cineres legitimè per ignem redacta, *salem lixivialem* præbeant saltem *fixum*, sunt tamen quædam, quæ *Spiritu salino* sunt referta, quædam etiam *sale nitroso*: Sic *Guajacum*, *China Radix*, *Sarsaparilla* parum *salis fixi* præbent, verum *nitrosum*, quod ipsum tamen verè volatile non pronunciandum: Noster autem *hic Helleborus niger*, tametsi integrum ejus plaustrum comburas, vix *unciam* acquires *ejus Salis fixi*; cum enim aqua ab ipso destillatione abstracta acredinem linguæ veluti mordacem impertiat, signo est manifesto, in hac acredine *spiritum Salinum Hellebori*, ita virium bonam partem subjectam esse & latere, quare consulto integras *Melampodii* vires in hoc Syrupo conservare adnixus sum, ut examinanti ad oculum patebit, in quod nemo ex simplici decocto sibi polliceri ausit, aut sperare. At desiderabis etiam *correctionem Hellebori?* Cautè sanè circa *Hellebori* exhibitionem extitêre Hippocratici veteres; quia non rarò violenter purgat, vomitum excitat: ast satis ipsâ præparatione corrigitur, si de *succo vel Vino Cydoniorum* ipsi nonnihil adjiciatur, & sic in ipsa exhibitione *Helleborati medicamenti*; *Cydoniis* namque cicurari, minusque nocere venenatam vim *Hellebori*, imò innoxium reddi medicamentum, pluries animadversum est. Age verò, quisquis, manibus non post terga revinctis, sed ad impigros labores expansis; meo labori ob artem longam, brevem vitam, ob multitudinem rerum in scrinio Naturæ abditarum, & plurima impedimenta, ut minimè uni homini detur cognoscere omnia, experiri non valenti, gestis animosè succedere, insta vestigiis, respice exemplum prælucentis & facem præferentis, & certè tandem in secretiores Naturæ thalamos penetrabis, ut artium difficillimam Medicinam ampliorem, quàm ab ipsis Hippocratis & Galeni temporibus præstitum sit, indefesso paucorum annorum studio, unà cum Pharmaceuticæ cognitionis thesauro amplissimo tibi feliciter obtigisse gaudere possis & gratulari.

Sy-

Syrupus Hydragogus.

℞. Rad. Levistici recent. unc. duas semis,
Mechoacæ albæ,
Jalappæ,
Ebuli recentis ana unc. duas,
Turbith albi,
Hermodact. ana unc. unam,
Cort. med. Sambuci unciam unam,
Medullæ Sambuci unciam semis,
Gummi Gamandræ pulverisf. & in petia ligati drachm. unam,
Cremoris Tartari unciam semis,
Tartari Vitriolati drach. tres,
Ol. Tartari per deliq. drachmas duas,
Incisis & conquassatis crassiusculè superaffundantur
Vini, ad dimidias, *ex* genoroso destillati, libræ tres semis,
(sumendo nimirum vini albi generosi libras septem, & libras tres semis ab illo destillatione abstrahendo, vappâ vini residuâ abjectâ.)
Locentur in digestionem loco calido, & vase probe clauso, per quatriduum, post fiat colatura cum forti expressione, quâ colaturâ probè clarificatâ, & interim asservatâ, accipe
Species ab infusione relictas,
quibus porrò adde,
Rad. rec. Levistici unc. tres semis,
Cichorii sylv.
Apii,
Vicetoxici,
Petroselini ana rec. unc. tres,
Cimarum asparagi recent. unc. quatuor,
Herb. Hepat. nobilis,
Scolopendrii,
Cichorii sylv.
Agrimoniæ,
Nasturtii hort. ana recent. unc. duas,
Sem. Nasturtii,
Urticæ ana drachmas sex,
Ebuli unciam unam semis,
Incisa coquantur cum s.q. Aquæ simplicis repetitis vicibus, quousque virtus omnis extracta sit, colaturæ omnes cum expressione factæ junctim clarificentur, & ad libram unam circiter evaporent, addendo tandem
Superiorem asservatam infusionem catharticam, &
Sacchari Can. albi libras quatuor,
Ac leni unâ vel alterâ ebullitione factâ, fiat Syrupus debitæ consistentiæ, qui aromatizandus
Elæosacchari Cinamomi,
Caryophyll. ana uncia semis,
Ejus usus præcipuè est in affectibus Cachecticis & Hydropicis, cum non solum serosam humiditatem in corpore fluctuantem per alvum & urinam evacuet, verum etiam per sudorem & insensibilem transpirationem. Obstructiones præterea viscerum naturalium reserat, illaque roborat. Dosis uncia una, ad unam semis & duas.

Syrupus Magistralis primus.

℞. Foliorum Senæ elect. uncias tres,
Rhabarbari opt. unc. unam semis,
Rhapontici veri unciam unam,
Mechoacæ albæ uncias duas,
Hermodactylor. unciam unam,
Agarici Trochiscati unc. unam semis,
Cremoris Tartari drachmas sex,
Tartari Vitriolati drachmas tres,
Ol. Tartari per deliq. drachm. unam,
Incisis incidendis superaffundantur
Aquæ ferventis libræ tres semis,
vel
Si Medico cuipiam placuerit, simpl. aquæ Vinum album substituat.
Et factâ maceratione per biduum vel triduum circiter fiat colatura cum forti expressione, quâ interim clarificatâ essentia & asservata, accipe
Species ab expressione residuas, quæ additis sequentibus, utpotè
Rad. recent. Cichorii sylv.
Pimpinellæ,
Petroselini,
Fœniculi,
Asparagi ana unc. duabus,
Herb.

Herb.recent.Hepaticæ nobilis,
Scolopendrii,
Agrimoniæ,
Endiviæ,
Cichorii ſylv.
Naſturt.ana unc.unâ ſem.
Sem. Naſturtii,
Urticæ ana drachmis ſex,
Ebuli unciâ unâ,
Cremoris Tartari drachmis tribus,
Coquantur, inciſa prius, cum ſ.q. aquæ ſimplicis repetitis vicibus, quouſque tota virtus extracta ſit, colaturæ omnes cum expreſſione factæ, probè prius clarificatæ leniter evaporent, ad remanentiam libræ unius circiter, vel unciarum octo, & additis ulterius,
Superiore Eſſentiâ Catharticâ aſſervatâ, &
Sacchari Can. albi lib. tribus ſemis,
Denuò perpaucis ebullitionibus redigantur ad conſiſtentiam Syrupi durabilis, qui aromatizandus
Eſſentiæ n. liquidæ Citri unc. tribus.
Vtrique ſexui in educendis humoribus bilioſis, viſcoſis, pituitoſis, ut & Hypochondriacis, conducibilis eſt, quapropter in morbis chronicis, Hypochondriorum obſtructionibus, Menſium ſuppreſſionibus cum ſucceſſu adhibetur, ab uncia una ad uncias duas, & tres.

Syrupus Magiſtralis ſecundus.

℞. Rhabarbari opt. uncias tres,
Rhapontici veri uncias duas,
Myrob. Chebulorum,
Belliric. ana unc. unam,
Cremoris Tartari drach. duas,
Inciſis ſaltem ſuperfundantur libræ tres Aquæ ferventis, & relinquantur in digeſtione per biduum, factâ poſt colaturâ cum expreſſione, Eſſentia colata clarificetur, interimque aſſervetur.
Jam verò accipe
Species ab infuſione & expreſſione relictas,
& his adde
Rad. Cichorii ſylveſtr.recent.
Fœniculi recent.
Rubiæ tinctorum ana unc.duas,
Ireos Flor.
Liquiritiæ ana unc. ſemis,
Herb. Cichorii,
Endiviæ,
Hepat. nobilis ana unc. uniam ſemis,
Maſtichis electæ drach. unam ſemis,
Coquantur inciſa cum ſ. q. Aquæ ſimplicis repetitis vicibus, novâ ſemper affuſâ aquâ, quouſque omnis color & virtus extracta ſit, colaturæ poſtea omnes cum expreſſione factæ, junctim clarificentur, & ad remanentiam circiter libræ unius leniter evaporent, cui addantur
Superior aſſervata Eſſentia qualiſcunque Cathartica, &
Sacchari albi lib. tres,
Quæ leni ebullitione ad conſiſtentiam Syrupi debitam redigantur.
Præſtat in morbis bilioſis, & ut aliqui volunt in Dyſenteriis, & Diarrhæis immoderatis, ubi cum virtute Cathartica & abſterſiva, vim adſtrictivam ſecum trahere ſibi perſuaſum habent: Cæteroquin roborat hepar, & reliqua viſcera naturalia, inteſtina ab humoribus acrioribus liberat, eorumque dolores mitigat. Doſis uncia una, ad uncias duas & tres.

Syrupus Magiſtralis pro Infantibus & pueris, vermibuſque expellendis.

℞. Rhabarbari opt. unc. duas ſemis,
Rad. Apii,
Graminis,
Vincetoxici ana recent. unciam unam ſemis,
Cardopatiæ unciam ſemis,
Liquiritiæ drachm. ſex,
Fol. Senæ ſine ſtipit. uncias duas ſemis, vel uncias tres,
Herb. Abrotani,
Centaurii min.
Tanaceti ana recent. unc.unam ſemis,
Corallinæ veræ unc. duas,
Semin. Cynæ unciam unam ſemis,
Urticæ,
Thlaſpios ana unciam ſemis,
Inciſa

Incisa & conquassata coquantur in s. q. aquæ simplicis repetitis vicibus, novâ semper affusâ aquâ, quousque tota virtus extracta sit, quod ex colore & sapore decocti clari ultimò percipitur, colaturæ omnes albumin. ovorum clarificatæ ad libras duas circiter evaporent, tunc demum adde

Sacchari albissimi lib. tres,

Et ad Syrupi debitam consistentiam denuò coquantur, addendo sub finem,

Mannæ el. Calabr. unc. octo,
solutæ cum
Aq. Cinamomi,
Cerasor. nigr.
Rosarum opt. fragr. ana unc. duabus,

Servetur ad usus, puerorum & Infantium enecat enim vermes, eorumve sentinam atque alios etiam vitiosos humores extrudit, juxta ætatem dari potest, à drachmis duabus, ad unciam unam.

Syrupus Magistralis Chalybeatus Anticachecticus.

℞. Rad. Rhabarb. selecti unc. duas,
Asari unc. unam,
Hermodactyl.
Mechoacæ alb. ana unc. unam semis;
Fol. Senæ elect. unc. duas semis,
Cremoris Tartari drachm. sex,
Tartari Vitriolati drachm. duas,

His incisis saltem, quæ incidenda sunt superfundantur,

Vini albi boni lib. tres,

Relinquantur in digestione per triduum, factâ post colaturâ cum expressione, clarificetur Essentia Cathartica interimque asservetur.

Jam verò accipe
Species ab infusione & expressione residuas,
quibus adde
Rad. Asparagi,
Apii,
Cichorii sylv.
Petroselini,
Pimpinellæ ana recent. unc. duas,
Liquiritiæ drachm. sex,
Herb. Arthemisiæ,
Chærefolii,
Melissæ,
Nasturtii hort.
Rorismar. ana recent. unc. duas,
Sem. Urticæ,
Nasturtii,
Thlaspios ana drachm. sex,
Cremoris Tartari unc. unam,

Incisa quæ incidenda sunt, seminibus conquassatis coquantur in s. q. Aquæ simpl. Chalybeatæ, repetitis vicibus, quousque omnis virtus & efficacia extracta sit, colaturæ omnes & junctim album. ovorum probè clarificentur, cui clarificato decocto adde

Spir. Vitrioli q. s. pro bona aciditate.

Quo facto in hoc ipso decocto acidulo extinguatur,

Chalybis integri in frustula saltem confracti & candefacti lib. una,

Quatuor vicibus circiter, post leniter ad libram unam coquendo, decoctum hoc evaporet, cui tandem addantur

Superior asservata Essentia Cathartica cum vino facta, &
Sacchari albi Can. lib. tres semis,

Quæ juncta, paucis ebullitionibus ad consistentiam Syrupi competentem reducantur, qui aromatizandus

Elæosacch. Cinamomi unc. una, vel unc. una semis,

Efficax est in morbis chronicis, Cachexia, Obstructionibus mensium muliebr. pellit insuper urinam, & viscera naturalia roborat. Dosis uncia una ad duas & tres.

Syrupus Mercurialis Purgans.

℞. Succi herbæ Mercurialis recenter expressi & depurati lib. quatuor,

Cui immerge sequentia crassiusculè incisa & contusa, utpotè

Fol. Senæ sine stipit. unc. quatuor,
Rad. Asari unc. unam semis,

Peractâ maceratione suffic. coquantur ad dimidias, colaturæ dein clarificatæ adde

Sacchari lib. duas,

Ac denuò coquendo ad Syrupi consistentiam redigantur, cui pro aromatisatione adde

Elæosacch. Cinamomi vel Caryophyll. unciam unam,

Fiat Syrupus.

Syrupus Mercurialis alius.

℞. Succi herbæ Mercurialis recenter expressi & depurati lib. quatuor, cui immergantur

Rad. Asari recent conscisſ. unc. tres,

Hellebori nigri præparat. aceto rosaceo unc. una semis,

Factâ brevi maceratione coquantur ad dimidias, colaturæ dein clarificatæ adde

Sacchari Can. albi lib. duas,

Et ad Syrupi consistentiam coquendo redigantur; cui odoris & saporis gratia addatur

Elæosacch. Caryophyll. unc. una,

Fiat Syrupus gratus.

Purgat leniter sumptus ab uncia una ad duas, Clysteribus pariter haud ineptè admiscetur, propterea non inconsultum etiam foret, si Sacchari Mel simplex & purum substitueretur.

Syrupus Florum Persicorum.

Confici potest ad normam in *Pharmacopœa Augustana* monstratam, trina vel quaterna infusione & coctione cum Saccharo ad Syrupi consistentiam, vix enim & odor & virtus Cathartica salva simul in ejusdem præparatione conservari poterunt. Usus ejus qui per se notus ibidem patet.

Syrupus de Rhabarbaro.

℞. Rhabarbari electi uncias sex,

Tartari albi Ven. puri drach. sex,

Tartari Vitriolati drach. duas,

Cui minutim inciso Rhabarbaro Tartaro mixto superaffundantur,

Aquæ simplicis ferventis lib. duæ sem.

Et peractâ unius diei maceratione fiat colatura, cum expressione, colatum opt. per filtrum clarificetur, quò interim asservato, accipe

Rhabarbarum ab infusione & expressione relictum, quod

Coquatur cum s. q. aquæ simplicis, repetitis vicibus, quousque tota virtus prolecta sit, colaturæ omnes & junctim optimè clarificentur alb. ovor. & ad uncias novem vel decem circiter evaporent, cui relicto adde

Superiorem asservatam essentiam vel infusionem Rhabarbari

&

Sacchari Can. albi lib. tres semis,

Quæ paucissimis ebullitionibus redigantur in Syrupum debitæ consistentiæ.

Præstans est in morbis Cholericis, educendo bilem, pellit menstrua mulierum suppressa, & ubicunque eductione humoris biliosi opus est, non sine successu exhibetur.

Syrupus Rosatus Solutivus ex Mucharo.

Quæ de frequentibus & sæpius justo repetitis *Rosarum infusionibus*, ne dicam profusionibus, in n. *Animadversionibus* super ipsum factis inculcavimus, ea omnia huc referenda esse censeo, non immemor triti axiomatis, quod omne recipiens recipiat saltem ad modum suæ receptivitatis, non imprimentis, ita etiam Aqua ter quaterve virtutibus Rosarum per infusionem sufficienter impregnata, juxta mentem Mesuæ, vix plures à Rosis quæ desuper illi infundentur, vires extrahere potis erit: Quapropter ut laboribus pariter ac sumptibus parceremus inutilibus, præstaret juxta descriptionem *Syrupi Rosati simplicis Pharmacopœiæ Augustanæ*, & quidem primæ Classis, vel ad modum infra mox describendum, Muchari & Syrupi Rosati solutivi præparationem instituere. Qui Syrupus eâ ratione paratus, easdem laxandi virtutes obtinebit, ac si tot & tantis repetitis infusionibus & Rosarum profusionibus confectus esset: Esto tamen cuique suum hac super re salvum arbitrium, dummodo Rosæ sint verè laxativæ.

Nota: Quod infusio Rosarum rubearum, ad instar Muchari facta, in pertinaci illa & truculenta Colica, quam Austriacam vocant, præsens extet remedium: Non igitur præter rem fore judico, si jussu Medicorum in Officinis Pharmaceuticis prostaret, verum sufficerent quatuor circiter infusiones: Exempli gratia accipiendo

℞. Aquæ

℞. Aquæ ſimplicis ferventis libras quindecim,
Quibus prima vice immergendæ
Roſarum rub. recent. lib. quinque,
Peractâ digeſtione per biduum circiter, fiat colatura cum forti expreſſione Roſarum infuſarum, beneficio torcularis facta: Liquori expreſſo denuò
Roſarum rub. recent. lib. quatuor,
Infundendæ, ac poſt ſufficientem in loco calido macerationem, Roſæ porrò fortiter exprimendæ, quæ infuſio tertia & quarta vice repetenda, cum libris quatuor, vel ſaltem tribus Roſarum recentium rubearum, tandemque colatum & per reſidentiam depuratum Mucharum, aut per ſe in vitris ſtrictioris orificii aſſervandum Oleo Amygdalino ſuperaffuſo, quò minus aër penetret, & Mucharum corrumpat. Vel ex eo confeſtim Syrupus durabilis conſiſtentiæ conficiendus, ſumendo
Muchari dicti Roſarum lib. quatuor
&
Sacchari albi Can. lib. duas,
Coctione leni in Syrupum redigantur, qui ad uſus præfatos āſſervandus. *Cujus doſis unciæ duæ ad uncias tres & quatuor.*

Nota: Quod, etiamſi *libra una Aquæ*, æquè *libram integram Roſarum recentium* ſufficienter extrahere nequeat, defectum tamen nonnihil ſuppleturam, fortem illam expreſſionem repetitam beneficio torcularis vel preli factam, quâ etiam *ſuccus proprius Roſarum* unà exprimitur. Quæque *Roſæ* adhuc remanent, & quidquid virtutis in iis reſiduum, id ad *Spiritum Roſarum* conficiendum, conferendum eſt, ne quicquam inutiliter deperdatur, neque cautela ſæpius inculcatâ velut culpa in me retorqueatur.

Syrupus de Foliis Senæ.

℞. Fol. Senæ elect. unc. octo vel decem,
Tartari albiſſ. Veneti unc. unam,
Ol. Tartari per deliq. drachm. duas,
Inciſis Foliis ac Tartaro mixtis ſuperaffundantur Aquæ ſimplicis ferventis libræ tres, factaque maceratione loco calido vel tepido per biduum circiter, fiat dein colatura cum forti foliorum expreſſione, colatura probè clarificata interim aſſervetur. Porrò accipe
Folia Senæ ab infuſione & expreſſione relicta,
Quæ coquantur cum ſ.q. aquæ ſimplicis; repetitis vicibus, quouſque omnis virtus Cathartica extracta ſit: Colaturæ & expreſſiones junctim clarificatæ, ad remanentiam libræ unius, vel ſaltem unciarum novem leniter evaporent, in vaſe quidem terreo, & additis
Superiore Eſſentiâ aſſervatâ,
nec non
Sacchari Can. albi lib. quatuor,
paucis vel ſaltem unicâ ebullitione fiat Syrupus, qui
Elæoſacchari Cinamomi uncia una
aromatizandus.
Celebre Catharticum eſt, in morbis ubicunque purgatione opus; educit pituitam craſſam, bilem flavam & atram, ab uncia una ad uncias duas pro doſi exhibendo.

Syrupus de Tribus Solutivis.

℞. Fol. Senæ electorum uncias ſex,
Rhabarbari opt. uncias tres,
Agarici trochiſcati uncias duas,
Tartari albi Ven. ſubt. triti unc. unam,
Ol. Tartari per deliq. drach. duas,
Inciſis ſaltem incidendis ſuperaffundantur libræ quatuor Aquæ ſ. ferventis, factaque maceratione loco tepido per biduum circiter, fiat dein colatura cum expreſſione, expreſſum probè clarificetur, interimque aſſervetur, Species verò expreſſæ & relictæ, affuſâ ſ. q. aquæ ſimpl. repetitè coquantur, quouſque omnes virtutes Catharticæ extractæ ſint, colaturæ & expreſſiones junctim alb. ovorum clarificentur, & ad libram unam leniter in vaſe terreo evaporent, cui tandem jungatur
Superior aſſervata infuſio, & additis
nec non
Sacchari albi Can. lib. tribus ſemis,
Paucis denuò ebullitionibus redigantur ad debitam Syrupi conſiſtentiam, qui
Eſſentiæ Citri liquidæ n. unc. duabus,
aromatizetur.
Et in omnibus morbis ubi purgatione opus eſt, fructuosè adhibetur, ab uncia una ad duas.

Claretum Laxativum.

℞. Vini albi boni libras quinque,
cui immergantur,
Cinamomi opt. uncia una,
Caryoph. drachmæ tres,
Nuc. Moschatarum unc. semis,
Fœniculi drachmæ duæ,

Destillentur ex alembico vitreo, vel per baln. n. vaporosum ad prolectionem librarum duarum semis, aquæ prolectæ odoriferæ & spirituosæ porrò infundantur

Rad. Mechoacæ albæ unc. una semis,
Galappæ,
Turbith ana unc. una,
Cremoris Tartari drachmæ tres,
Cort. Arantiorum,
Citri ana recent. extim. drachmæ duæ,

Factâ extractione & digestione per biduum circiter loco tepido, vitro autem probè clauso, fiat colatura cum expressione, quæ filtranda, ut fiat essentia clara, ac tandem

Sacchari Can. albi unc. tribus,

edulcoranda, usuique asservanda est, *tanquam Claretum sex Vinum Hippocraticum laxativum. Cujus dosis uncia una, ad uncias duas.*

Pro abstemiis etiam Claretum hoc facere potest, ob saporem ac odorem gratum, non redolens purgantia, quemadmodum ejus ingredientia Cathartica prorsus inodora sunt, proinde delicatioribus Medicinam cæteroquin omnem aversantibus, offerendum.

Nota: Præscripto modo ex diversis *Catharticis* Clareta confici possunt, utpote è *Rhabarbaro*, *Foliis Senæ*, *Gummi Gamandræ*, *atque similibus*, & quidem sine ulla coctione violenta, vel alio calore magno digestionis, quemadmodum multoties expertus sum, *Cathartica* plurima haud parum de virtutibus, vi & energiâ suâ perdere, coctionibus violentioribus commissa, fierique insuper & odore & sapore ingratâ, prout alibi etiam in nostris *Animadversionibus* edoctum est. Licet porrò *harum specierum* vis tota Cathartica una tantum simili extractione vel affusione Menstrui, quodcunque etiam illud fuerit, non proliciatur, possunt tamen, ne quidquam pereat, *residua à prima extractione species Cathartica* ulterioribus extractionibus aut coctionibus subjici, atque pro vilioris conditionis hominibus medicinem non aversantibus, purgantia Medicamenta ex iisdem parari. Quo modo verò & subtiliores, & paulò crassiores partes *rerum Catharticarum* omnes uni eidemque Medicamento imprimendæ, & coarctandæ sint, in plurimis jam præmissis Syruporum Compositionibus, annexisque earum præparationibus luculenter commonstratum est.

Notetur præterea: Quod non abs re *Vinum destillatum ad dimidias* pro extractione *harum specierum Catharticarum* contulerim, sed factum est, ob resinosam earum substantiam, in quâ tota ferè eorum vix purgatrix consistit, & proin spirituosa & homogenea desiderat Menstrua pro sui extractione aut dissolutione, aquosa verò respuit. Qui verò è *vino crudo & claro*, clareta similia, laxativa conficere intenderint, ii æquè minus imprudenter sibi consuluerint, ut è sequentibus videre est.

Claretum Hydragogum.

℞. Vini albi boni Mens. duas Viennenses, seu libras octo.

Cui immergantur

Cinamomi acuti unc. una semis,
Caryoph. unc. semis,
Maceris,
Nuc. Moschatarum,
Cardamomi cum suis capsulis ana uncia semis,
Cort. Arantiorum,
Citri ana recent. extim. drachm. sex,

Et brevi factâ maceratione abstrahantur in alembico vitreo, vel in balneo n. vaporoso libræ tres,

Huic Vino destillato infundantur
Rad. Mechoacæ albæ,
Galappæ ana uncia una semis,
Sem. Ebuli recent. drachmæ decem,
Medullæ Sambuci Ligni uncia semis, vel uncia una,
Gummi Gamandræ in petia ligati & triti drachmæ duæ,

Cort.

Cort. Arantiorum,
Citri ana recent. ext. unc. ſemis,
Cremoris Tartari drachmæ ſex,
Tartari Vitriolati unc. ſemis,
Factâ porrò maceratione per dibuum, fiat colatura cum expreſſione, quæ clarificanda, & additis
Sacchari albi Can. unciis quinque,
Pro edulcoratione, fiat Claretum, *quod in affectibus Hydropicis & Cachecticis non ſine emolumento exhibetur, educit ſerum ſuperfluum ex Vniverſo corpore, Obſtructioneſque reſerat. Doſis uncia una, dua, ad tres.*

Vinum Hippocraticum Laxativum.

℞. Vini albi boni lib. quatuor,
Collocetur in olla terrea ſupra ignem carbonum, ollâ nonnihil tectâ, quamprimum autem incipit ferveſieri injiciantur ſequentia ſaltem inciſa, utpote
Rad. Mechoacæ albæ,
Galappæ ana unc. una,
Rhabarb. opt. drachmæ ſex,
Aſari unc. ſemis,
Cinamomi acuti drachmæ ſex,
Cardamomi min. drachm. una ſemis,
Caryophyll. drach. ſemis,
Cort. Arantiorum
Citri ana recent. extim. drach. una ſemis,
Cremoris Tartari un. ſemis,
His omnibus Vino ferventi immerſis, ſtatim deſuper etiam ſuperinfundantur
Sacchari Can. albi unciæ quinque
&
Album. ovorum numero ij. conquaſſatorum ſcopulâ deſpumatoria, addita nec non particula aquæ Cinamomi.
Atque unicâ ebullitione factâ, ſtatim removeantur ab igne, & manicæ Hippocratis, ſacculo ſcil. in cuſpidem deſinente, infundantur, & vinum hoc ſæpius trajiciatur, donec clarificatum & purum defluat, ad inſtar Vini Hippocratici boni ſaporis & odoris, *delicatulis propinandum repetitis vicibus, quibus per Epicraſin materia morbifica educenda. Doſis uncia dua ad uncias tres.*

Aqua Laxativa pro uſu Quotidiano.

℞. Aquæ ferventis lib. quatuor,
Cui, dum jam ebulliri aut ferveſcere incipit, injiciantur,
Fol. Senæ electorum & parum ſaltem inciſorum unciæ tres ſemis,
Cinamomi opt. acuti unc. ſemis,
Cort. Arantiorum
Citri ana recent. extim. drachmæ duæ,
Poſthæc in ordine jam dum mixta adſint ſubſequentia, ſcilicet,
Mannæ el. Calabr. unciæ octo,
Album. ovorum num. iij. conquaſſatorum ſcopulâ deſpumatoriâ, additâ particulâ aquæ Cinamomi,
Cremoris Tartari drachmæ ſex,
Et protinus etiam ſuperinfundantur, factâ ſic junctim poſt unicâ vel ad ſummum duabus ebullitionibus, removeantur ſtatim ab igne, & per manicam Hippocratis dum adhuc calet tranſcoletur aqua laxativa, donec clara & limpida fiat, boni odoris, nec ingrati ſaporis, *qua in omnibus morbis ubi purgatione opus, exhiberi, & tanquam familiare Medicamentum in Officinis Pharmaceuticis pro uſu quotidiano ſemper in promptu aſſervari poſſet. Cujus doſis uncia dua, tres ad quatuor.*
Si forſan nonnemo etiam Infuſum aliquod Catharticum expeteret, quod in minori doſi efficaciter operetur, en! addo ſequens.

Infuſum Purgans ſeu aqua Laxativa efficax.

℞. Fol. Senæ electorum unc. ſex,
Rhabarbari opt. unc. duas,
Agarici trochiſcati unc. unam ſemis,
Cremoris Tartari unc. ſemis,
Tartari Vitriolati drachm. duas,
Cinamomi unc. ſemis,
Quibus inciſis & contuſis ſuperaffundantur
Aquæ ſimplicis ferventis libræ tres,
Relinquantur in digeſtione loco calido per noctem, fiat poſt colatura cum expreſſione, quæ interim aſſervanda. Jam vero
℞. Species Catharticæ reſiduæ & expreſſæ,

Porrò affusâ s. q. aquæ simplicis coquantur, & quidem repetitis vicibus, quoad omnis virtus Cathartica extracta sit, Colaturæ & expressiones omnes, alb. ovorum probè prius clarificatæ ad remanentiam libræ unius evaporent, quæ remanens libra superiori infusioni asservatæ juncta additisque præterea sequentibus, nimirum

Mannæ el. Calabr. unciis octo,
Album. ovorum num. iij. cum particula aquæ Cinamomi vel Rosarum conquassatarum, item
Cremoris Tartari drachmæ sex,

Et sic junctim, unicâ saltem ebullitione factâ, clarificentur, per manicam Hippocratis transcolando.

Purgat leniter & sine molestia vitiosos quoscunque humores extrudendo, ab uncia una ad uncias duas propinatum.

Atque hactenus in Classem Syruporum purgantium satis dictum sit: prima enim acie constituti sunt Syrupi tùm simplices, tùm Magistrales ex Catharticis benignioribus, atque toti Scholæ Medicæ familiaribus, longoque usu ubique terrarum receptis, compositi, ut quandocunque affectus humanæ vitæ hostilis sæva symptomatum à causa occasionali seu à materia, sive vitio, sive errore digestionis depravata oriundorum tyrannide in provinciam aut œconomiam vitalem irrumpere audent, Tibi illi mox in subsidium præsto esse valeant. Succedunt Infusa purgantia, Aquæ laxativæ, Vina, & Clareta solutiva, justis omnia armis, id est, dextris illisque genuinæ præparationis descriptionibus instructa, ut cuique medenti in aciem contra hostilitatem morborum prodituro sat esse queant. At forsan desideras Mella, Oxymella & Syrupos Violatos solutivos? Verum sicut sæpè copia militum; Ducem belli impedit, & victoria non tàm à multitudine, quàm alacritate Veteranorum dependet, ita prædictis verè ubique suffecturis, plura addere, esse potius superfluitatis quàm necessitatis; qualia nihilominus si ita fuerit ad lubitum, licebit evocare ex prægressa *Pharmacopœia* & n. *Animadversionibus*, secundum quarum informationem præparationes Mellium & Oxymellium purgantium institui possunt, & concinnari.

PHARMACOPOEIÆ REGIÆ

CLASSIS TERTIA,

Electuariorum Lenientium, Parandi normam exponens.

Absolutis duabus Classibus de Syrupis alterantibus & purgantibus, ordine instituto ducimur ad Electuariorum Compositiones & præparationes, quod Medicamenti genus necessariò etiam in officinis Pharmaceuticis prostare debet, suas pariter habens species, quarum aliæ Lenientes aliæ Purgantes, aliæ verò Opiatæ, Antidotales & Confortantes sunt.

Tertia hæc Classis quam aggredimur de Lenientibus agit Electuariis, quæ cum aliis Electuariorum speciebus parem, non plane solidam vel siccam, nec etiam fluidam, uti Syrupi, sed mediam inter utrumque ad modum pulmenti consistentiam requirunt. Inventum est, tùm pro diuturniore rerum simplicium conservatione, tùm etiam ut ægrotantibus, quibus hac Medicamentorum forma magis arridet, prospiceretur. Duplex autem est Electuarium, Unum simplex, quale est, quod ex unica duntaxat re, utpotè Cassia, Tamarindis, Passulis, Prunis, &c. constat, & Pulpæ nomine venit: Alterum Compositum, quod ex pluribus speciebus, iisque vel resolventibus, purgantibus, alexipharmacis, &c. constat & confectum est: Nunc non solum simpliciora, quæ ex

unico veluti fructu, sed & Composita quadam quæ è diversis constant rebus, utplurimum Catharticis, describenda in me suscipiam, ast brevioribus quàm in Syruporum confectionibus, quæ vix paucioribus absolvi poterant, factum est. Etenim sicuti in secunda statim Classe Syruporum purgantium brevior fui in multiplicibus eorum Compositionibus & præparationibus describendis, similiter in binis sequentibus Classibus, expediam me paucioribus: Cui enim utilitati esset, tot & tam multiplices purgantium medicamentorum Compositiones heic adstruere, quæ unam eandemque redoleant prosapiam. Nam non cuilibet membro aut visceri principaliori, neque morbo cuivis peculiare destinatur purgans, sed ad quatuor tantum humores excrementitios sive superfluos exturbandos utplurimum pharmaca diriguntur: Licet non diffitear antiquam esse doctrinam, quâ Sena & Agaricus magis Capiti, Rhabarbarum Epati, Helleborus Spleni addicitur, quod tamen contingit non tam ratione viscerum, quam humorum præternaturalium in ipsis visceribus, sive præsentiâ sive consensu peccantium. Quemadmodum igitur in Syruporum purgantium Classe, particulariter æquè ac Universaliter Purgantia pharmaca, Syrupi nimirum Magistrales & simplices sunt ritè depicta, quibus Medici omnibus suis Indicationibus in affectibus morbosis ubi exturbatione humorum excrementitiorum opus est, satisfacere possunt, ita nec minus etiam in his duabus subsequentibus Classibus eandem Observaturus Methodum, nihil quod defectum quendam redolere possit, observatâ tamen brevitate, relinquam intactum.

Flos seu Pulpa Cassiæ.

HÆc legitimè paratur juxta normam in *Pharmacopœia Augustana* ostensam, annexo similiter utendi illa modo quæ Lector Benevolus revolvat. Ex hac perfectè Extracta Cassia ulterius diversa Electuaria composita tùm lenientia tùm solutiva confici possunt, vel in forma boli adhibenda, vel etiam potiunculis commiscenda, utpote.

Cassia solutiva prima.

℞. Fol. Senæ elect. unciam unam semis,
Rad. Mechoacæ albæ,
Rhabarbari opt. ana unc. unam,
Asari unciam semis,
Cremoris Tartari drachmas quinque,
Incisis incidendis superfundantur libræ quatuor Aquæ ferventis, & factâ maceratione brevi coquantur parum, decoctum coletur & exprimantur species, quæ denuo novâ aquâ affusâ, & quidem repetitis vicibus, quousque omnis tinctura seu virtus Cathartica extracta sit, coquendæ sunt: Post omnes decoctiones simul junctæ albuminibus ovorum clarificentur, & ad spissitudinem Mellis in diplomate seu vase duplici abstrahantur, cui Extracto tandem junge
Florum seu Pulpæ Cassiæ ritè paratæ libram unam semis,
Sacchari Can. albi uncias sex,
Essent. Citri Sacchar. n. ex recentibus Corticibus uncias duas,
Cremoris Tartari unciam semis,
Misceantur exactè fiat Electuarium seu Cassia solutiva, *quæ leniter operabitur in morbis calidioribus, & calida hepatis constitutione. Dosis uncia semis ad drachmas sex.*

Cassia Laxativa alia seu secunda.

℞. Rhapontici veri uncias duas,
Rhabarbari optimi unciam unam,
Myrobal. Chebulorum,
Belliricorum,
Indorum ana unciam semis,
Incisis & conquassatis superaffundantur aquæ simplicis ferventis libræ quatuor, & factâ digestione brevi coquantur parum, decoctum coletur, species denuò novâ affusâ aquâ, repetitis vicibus ad omnem virtutis & Tincturæ extractionem coquantur; Decoctiones dein omnes & junctim album ovorum clarificatæ ad Mellis spissitudinem leniter evaporent. Cui Extracto liquido tandem junge
Florum seu Pulpæ Cassiæ legit. extractæ libram unam semis,
Sacchari Canarii albi uncias sex,
Essent. Citri Sacchar. n. unciam unam,
Fiat Electuarium.

Præstat in fluxibus alvi biliosis, Lienteriâ, Diarrhœâ Dysenteriâ, & diuturna Gonorrhœâ, ubi virtute laxativâ adstrictoriâ pariter opus est. Dosis uncia semis ad unciam unam.

Diacassia cum Manna.

℞. Fol. Senæ sine stipit. unc. unam semis,
Rhabarb. opt.
Mechoacæ albæ,
Hermodactyl. ana unc. unam,
Rad. Asari unc. semis,
Cichorii sylv. recent.
Petrosel. recent. ana unc. duas,
Semin. Ebuli drach. sex,
Cremoris Tartari unciam semis,
Tartari Vitriolati drach. duas,

Incisa & conquassata coquantur in l. q. aquæ simpl. repetitis vicibus, quoad omnes vires extractæ sint, colaturæ omnes conjunctæ, & alb. ovorum clarificatæ ad spissitudinem Mellis leniter in diplomate evaporent, Cui Extracto liquidiori tandem junge

Flor. seu Pulpæ Cassiæ lib. unam semis,
Mannæ colatæ prius unc. sex,
Sacchari Can. albi unc. tres,
Citrati n. unc. unam,

Misceantur & vel unicâ ebullitione in vase terreo factâ, fiat Electuarium debitæ consistentiæ. *Est Medicamentum suaviter purgans, aquosas præsertim & serosas educit humiditates, proinde in Hydrope Anasarca & Ascite cum emolumento propinari potest, ab uncia semis ad drachmas sex.*

Diacassia Refrigerans & Anodyna.

℞. Infusionis fortis Florum Papaveris errat. recent. factæ lib. unam,
Sacchari Can. albi unc. sex

Coquantur leni calore ad consistentiam ferè tabulati, cui adde

Pulpæ seu Florum Cassiæ recenter extractæ uncias octo,
Sem. Papav. albi unc. semis,
quatuor frigid. majorum excort. ana drach. tres,

ad pultis formam in mortario contusorum & per cribrum setaceum transmissorum, additâ s. q. Muchari Rosarum rub.

item

Essent. Citri Sacch. n. ex. recent. Cort. unc. unam semis,

Fiat Electuarium anodynum.

Præstat in Dysenteria, Diarrhœa diuturna, Vlceribus Intestinorum & Mesenterii, Colica passione, & Gonorrhœa maligna inveterata, lenit, refrigerat, & insuper abstergit. Dosis uncia semis ad unciam unam.

Cassia Extracta pro Clysteribus.

℞. Rad. Asari,
Cyclaminis,
Bryoniæ,
Lilior. alb. ana unc. unam semis,
Ireos Flor.
Liquiritiæ ana unc. unam,
Herb. Malvæ,
Anethi,
Origani,
Parietariæ,
Mercurialis,
Menthæ ana recent. Man. duos,
Flor. Chamomillæ,
Rosarum pallidarum,
Violarum ana Man. duos semis,

Incisa coquantur in s. q. aquæ simpl. ad reman. librarum quatuor vel quinque, hâc colaturâ cum expressione factâ & clarificatâ, additâ nec non

Succi herbæ Mercurialis depurati librâ unâ,

Extrahatur ex Cassiæ fistulis, Pulpæ ejus libra una semis,

Huic Cassiæ extractæ & ad competentem consistentiam red. porrò adde
Sacchari Thomæi lib. unam, vel etiam loco sacchari
Mellis simplicis boni lib. unam semis,

Ac paucis ebullitionibus fiat Electuarium debitæ consistentiæ, *Clysteribus solutivis & lenientibus, ac etiam Carminativis, admiscendum, ab uncia semis ad unciam unam.*

Cassia extracta Laxativa.

℞. Fol. Senæ sine stipit. unciam unam semis,

Rad.

Rad. Mechoacæ albæ,
Hermodactyl. ana unc. unam,
Rhabarb. electi drachm. sex,
Asari unciam semis,
Petroselini,
Cichorii ana unciam unam,
Agarici trochiscati unciam semis,
Cremoris Tartari drachmas ses,

Ex his speciebus incisis & conquassatis, fiat repetitâ coctione cum aqua simplici, virtutum omnium extractio; decoctorum verò colatorum & expressorum clarificatio, ac ad spissitudinem extracti seu Mellis, tandem lenis in diplomate exhalatio. Huic extracto adde

Cassiæ recenter extractæ simpliciter libram unam semis,
Sacchari albi Can. uncias octo,
Mannæ el. Calabr. colatæ prius unc. quinque,
Elæosacchari Anisi unciam unam,

Fiat leni calore pro dissolutione Sacchari & Mannæ Electuarium debitæ consistentiæ.

Cum superioribus Electuariis ex Pulpa Cassia paratis quoad vires ejus coincidit. Purgat bilem flavam, pituitam, & fæculentum melancholicum humorem; quapropter in omnibus infirmitatibus ubi purgatione opus, viscerumque calida intemperies conjuncta est, utiliter exhibetur, ab uncia semis ad drachmas sex.

Electuarium Lenitivum pro Clysteribus Anodynis & Carminativis.

℞. Summit. Anethi,
Absinthii
Menthæ
Origani
Parietariæ
Florum Chamomillæ
Verbasci ana rec. Man. duos,
Rad. Liliorum alborum,
Bryoniæ ana unciam unam,
Liquiritiæ,
Ireos Flor. ana unciam semis,
Sem. Staphisagriæ
Dauci,
Fœniculi,
Sem. Carui ana drachmas tres,
Baccar. Lauri drachmas sex,

Incisa & contusa coquantur in s. q. aquæ simplicis ad remanentiam librarum quatuor circiter, colaturæ adde

Pulpæ prunorum lib. unam semis,
Mellis simplicis uncias decem,
Sacchari Thomæi unc. sex,

Ad denuò ad Pulpæ seu Electuarii consistentiam decoquantur, superaddendo

Pul. Baccarum Lauri unc. unam,
Sem. Carui
Cumini
Anisi ana unc. semis,
Opii Thebaici per exhalationem narcotici sui Spiritus parati & nonnihil soluti ad pultis formam drach. duas vel tres,
Gummi Sagapeni in Vino ad pultis formam soluti drach. decem,
Olei Anethi destill. drach. unam,

Miscendo exactè fiat Electuarium, *quod usui servetur pro Clysteribus anodynis & carminativis.*

Pulpa Prunorum.

Pulpa hæc communi modo extrahitur coctione Prunorum cum aqua simplici ad mollitiem, & transmissione per cribrum setaceum, quæ præparatio vulgo, discipulisque Pharmacopœorum notissima, quippe quæ etiam in *Pharmacopœia Augustana* sat clare descripta est. Atqui cum Pulpa hæc Prunorum ita simpliciter extracta & confecta, valde inefficax sit in purgando corpore, nisi quod in largâ etiam quantitate assumpta, vix alvum semel moveat, & æquè benè vel singulis horis in culinis conficiatur, ex ordinatione Medicorum à Mulierculis, cum nausea quoque longè minori ab infirmis similia, quæ domi fiunt alimenta assumantur, quàm quæ ex Officinis pharmaceuticis, ad quorum nomen solùm miseri infirmi exhorrescunt, allata sunt alimenta medicamentosa, necessarium vix judico, Pulpam Prunorum Officinis prostare debere. Si verò nihilominus ad lubitum sit, ut hæc pulpa in Officinis pharmaceuticis prostet, præstat illam ita conficere, ut in operando aut subducen-

dâ alvo, minori in dosi assumpta efficacior existat, idcircò addo sequentem modum.

℞. Rad. Cyclaminis uncias duas,
Hermodactyl. unciam unam,
Mechoacæ albæ unc. unam semis,
Asari unciam unam,
Cremor. Tartari drachmas sex,
Incisa coquantur in s. q. aquæ simpl. ad remanentiam librarum trium circiter, coletur, in colaturâ hâc clarificatâ, additâ porrò
Succi herbæ Mercurialis depurati librâ unâ
coquantur
Prunorum Hungaricorum exemptis nucleis libræ duæ,
ad mollitiem & consumptionem ferè decocti & succi, cogatur dein pulpa per setaceum, cui addenda
Sacchari albi lib. una,
Quæ cuncta leni ebullitione ad consistentiam Electuarii redigantur, addendo ultimò
Elæosacchari Anisi unciam unam,
Fiat Electuarium seu Pulpa.

Valet in subducenda alvo, vel per os assumpta, vel unà cum Clysteribus gutturi inferiori injecta. Internè verò si assumenda, conducet unciam unam vel amplius, pulticulæ prunorum in culina paratæ, admiscere, ad fallendos infirmos, qui à Medicamentis ex Officina allatis abhorrent.

Pulpa Tamarindorum.

Communiter extrahitur uti pulpa Cassiæ vel Prunorum, quæ & ipsa cum lenientibus aut fortioribus Catharticis commisceri & in virtutibus exaltari potest, prout in præcedenti Pulpa Cassiæ adductum est; Ne quis autem hæreat, en! modum subdo talem.

Pulpa Tamarindorum Purgans.

℞. Fol. Senæ elect. uncias duas,
Rad. Mechoacæ albæ unciam unam,
Rhabarb. opt. drachmas sex,
Asari,
Hermodact. ana unciam unam,
Fœniculi,
Petroselini ana recent. unciam unam semis,
Crem. Tartari drachmas sex,
Crassiusculè incisis superaffundantur libræ quatuor aquæ ferventis, & facta brevissima maceratione coquantur parùm, decoctum coletur, exprimanturque species, quæ denuò novâ aquâ affusâ, & repetitis vicibus, quoad tota virtus Cathartica extracta sit, coquendæ sunt: Decoctiones dein omnes conjunctim albuminibus ovorum clarificatæ, ad spissitudinem Extracti seu Mellis evaporent leniter. Huic Extracto adde
Pulpæ Tamarindorum simpliciter extractæ lib. unam semis,
Cremoris Tartari unciam unam,
Magisterii Galappæ Amygdalis probe subacti drachmas tres,
Sacchari Canar. albi lib. unam,
Elæosacchari Cinamomi unc. unam,
Et lenissimo calore fiat Electuarium seu Pulpa debitæ consistentiæ.

Est Medicamentum præcedentibus simile Catharticum & purgans universale, præcipuè in affectibus calidis biliosis, quibus Viscerum φλόγωσις conjuncta est, utiliter exhibetur, ab uncia semis ad drachmas sex.

Nota: Observetur cautela sæpius inculcata, nimirùm hæc & similia acida in terreis vasis esse paranda, omniaque vasa ex ære & aurichalco facta abarcenda.

Passulæ Laxativæ.

℞. Folior. Senæ elect. uncias duas,
Rad. Mechoac. albæ unc. unam semis,
Asari drachmas sex,
Cremoris Tartari unciam semis,
Incisa coquantur in s. q. Aquæ simpl. repetitis vicibus affusæ, ad omnem virtutum Catharticarum extractionem, decoctiones omnes album. ovorum clarificatæ additis
Sacchari albissimi unciis octo
Redigantur coquendo ad consistentiam ferè Tabulati, cui, dum adhuc fervet, injiciatur
Passularum min. opt. repurgat. & in particula aquæ Cinamomi atque Rosarum fragrant. per diem unum macerat. libra una,
Factaque adhuc unâ vel altera ebullitione, Passulæ

ſulæ ita dextrè conditæ aſſervandæ ſunt, addendo tamen pro aromatiſatione ſi lubet

Elæoſacchari Caryophyllorum unciam unam,

Adſtrictam leniunt alvum, dantur utplurimum puerulis, & qui Medicinas purgantes averſantur, à drachmis duabus ad unciam ſemis, & unciam unam.

Ad eundem modum & Zibebæ, exemptis prius acinis, & Pruna etiam laxativa parari poſſunt.

Paſſulæ Purgantes ſiccæ.

℞. Paſſularum probè repurgat. libram unam ſemis,

Macerentur unâ alterave die in Aqua Cinamomi, vel Roſarum fragr. unciis quatuor circiter, quò totam abſorbeant aquam, propterea ſæpiùs commovendæ, poſtquam verò leniſſimo in calore parumper ſiccatæ fuerint, conſpergantur pulvere ſequenti, utpotè

Diagridii Sulphurati, amygdalis dulcibus probè ſubacti, unciâ unâ ſemis,
Cremoris Tartari drachmis ſex,
Sacchari Roſati vel Citrati n. unciis tribus,

His mixtis pulveribus Paſſulæ obvolutæ & conſperſæ leniter & ferè totaliter exſiccentur, ſerventurque uſui.

Validè operantur hæ Paſſulæ, neque ingratæ ſunt palato, cavendum tamen, ne iis in affectibus adhibeantur quibus Diagridium vel Scammonium obeſſe & tormina excitare poteſt. Doſis uncia ſemis ad drachmas ſex.

Paſſulæ Purgantes aliæ.

℞. Fol. Senæ elect. uncias duas,
Rad. Mechoacæ albæ unciam unam ſemis,
Rhabarbari electi,
Turbith. opt. ana unciam unam,
Aſari unciam ſemis,
Cremoris Tartari drachmas quinque,

Conciſis omnibus cum ſ. q. aquæ ſimpl. vicibus repetitis affuſæ fiat decoctio: Decoctiones autem album. ovorum clarificatæ ad remanentiam circiter libræ unius evaporent, cui reſiduo adde,

Sacchari albiſſimi uncias ſex,

Ac ad Syrupi conſiſtentiam competentem coquantur, cui Syrupo tandem admiſceantur, in calore

Paſſularum min. mundat. unciæ octo,

Et denuò junctim ad debitam redigantur conſiſtentiam, adjiciendo ultimo ſine ulteriore ebullitione

Elæoſacchari Cinamomi unc. ſemis,

Fiant Paſſulæ laxativæ ſeu purgantes, *quarum Doſis drachmæ duæ, uncia ſemis ad unciam unam.*

Paſſulæ aliæ Purgantes.

℞. Sacchari albiſſimi uncias ſex,
ſolvantur in
Aquæ ſimplicis unciis octo,
quibus adde
Paſſularum min. probè mundat. uncias ſex,

Coquantur junctim ad ſatis craſſam ſacchari conſiſtentiam, antequam autem ab igne removeantur, ſuperinfundantur

Magiſt. Galappæ,
Scammonii ana drachmæ duæ ſemis,
ſolut. autem prius
Spiritus Vini rectificatiſſimi unciis duabus vel tribus,

Quibus infuſis, removeantur illicò ab igne, nam Spiritus Vini rectificatus protinus aëra petit, & relinquit Magiſteria Paſſulis per minima immixta: quæ addita tandem

Elæoſacchari Aniſi unciâ unâ,

aromatizandæ. *Earum doſis erunt drachmæ duæ ad unciam ſemis.*

Electuarium Paſſulatum.

℞. Foliorum Senæ uncias tres ſemis,
Rhabarbari electi unciam unam,
Aſari Radicum drachmas ſex,
Crem. Tartari unciam ſemis,

Inciſa & conquaſſata coquantur in ſ. q. aquæ ſimpl. ad remanentiam librarum quatuor, decoctum coletur & clarificetur, in quo ebulliant

Paſſul. min. mundat. libræ duæ,

Fiat ex iis Pulpa per ſetaceum tranſmittenda, cui adde

Sacchari albi lib. unam,
Et ad consistentiam Electuarii coquendo redigantur, adjiciendo ultimò
Magist. Scommonii vel
Galap. amygdalis probè subacti unciam unam,
Pul. Anisi
Nuc. Mosch. ana drachm. duas,
Fiat Electuarium purgans.

Atque ita pro hâc etiam Classe satis, numero pauca, efficaciâ verò sufficientia, dicta sunto: Sufficit inquam non desore quibus intentioni Medici satisfdetur, inutile verò tanta Electuariorum in unam ferè & consimilem operationem conspirantium diversitate & multitudine pharmacopolia aggravare: Nam utut excusetur, ea oportere prostare ne quid elegantiarum & æstimationis videatur deesse, quia tamen verè contingit, ut dum per biennium aut triennium ex dolio cujusdam Electuarii vix uncia præscribitur, tota massa vetustate corrumpatur; inutile inquam est materialia deperdi, noxiasque impensas fieri. Si quis tamen desideret plura ejusdem virtutis & consistentiæ Electuaria, is adeat *Animadversiones* n.in *Pharmacopœiam Augustanam*, ubi quæ in suam rem facere arbitrabitur inveniet, & quod vult ex pluribus seligere valebit.

PHARMACOPOEIÆ REGIÆ

CLASSIS QUARTA,

Electuariorum Solutivorum Mollium structuram complectens.

QUartam Classem dum auspicor, Amice Lector, quæ Catharticis & propriè Compositis Electuariis destinata est, consultum duxi in ipso limine demonstrare, quam importunæ farragines Electuariorum permultis Dispensatoriis insertæ hactenus fuerint, non nisi numerum præposterè multiplicantium, aut si quæ tamen nonnihil à se discrepant, in concinnâ tamen atque inutili ingredientium forma in tantum deformium, ut potius ejusmodi quisquiliis sanitati deroges, quàm deploratos ægros fulcias, dosin ac quantitatem adaugeas, ac peculium emulgeas adeò quidem ut si virtutes simplicium multorum Compositorum probè scruteris, toto cælo à proposito scopo & etymo aberrare deprehendas. Quid etenim obsecro præstat semen Psyllii Electuario de Psyllio? Quid prunum Diaprunis Nicolai? Quid Sebesten Diasebesten Montagnanæ? nisi quod numerum augeat, vim verò Catharticam non intendat, neque malignitatem corrigat, ingratum ac nauseâ plenum nobis relinquat medicamentum, imò prout in Animadversionibus declaratum est, quæ superfunt vires Catharticæ, viscositate sua obruat ac præpediat, ut proindè quam avidè atque libenter ad ejusmodi pulmenta devoranda ægroti inclinent atque rapiantur, arbiter Medicus esse possit, qui indies molestis Patientum quærimoniis auscultare cogitur, quantitate nimirum & dosi medicaminum eos obrui lamentantium, adeò ut si ipse veritati parentare in hoc puncto velim, aliud fateri non possim, quam quod talia persæpè sint maximo ære & precio ægris oblata, quæ non hominibus, sed saginandis porcis destinanda fuissent, è quibus non tam æger, quàm Pharmacopæorum loculi melius habuêre. Ne proindè in eandem nassam recidam, sed inutilem hanc Compositionum farraginem devitem, ac detracto cortice nucleum solummodo exhibeam, solutiva talia & Electuaria Cathartica de præsenti proponam, quæ numero ingredientium non terreant, Pharmacopolia & ægros non aggravent, indicationes & circumstantias morborum respiciant, grata & amica sint patientibus, ac omnibus expetenda, uno absolvam diverbio; pauca, ast bona: Sit igitur primum.

Ele-

Electuarium Magistrale Purgans.

℞. Rad. Polypodii q.
Cichorii sylv.
Fœniculi,
Petroselini ana recent. unc. unam semis,
Asari,
Hermodactyl.
Hellebori nigri ana unc. unam,
Mechoacæ albæ unc. duas,
Rhabarbari el.
Turbith albi ana unc. unam,
Agarici Trochiscati drachm. sex,
Fol. Senæ elect. uncias duas semis,
Sem. Ebuli conquassati unc. semis,
Cremoris Tartari drachm. sex,

Incisa & contusa coquantur in s. q. Aquæ simplicis repetitis vicibus, quoad omnis virtus extracta sit, decoctiones omnes colatæ, & album. ovorum clarificatæ, in diplomate leniter evaporent ad consistentiam Mellis, seu Extracti liquidioris, quod per linteum denuò colatum & expressum, additis

Essent. Citri Sacchar. n.
Elæosacch. Cinamomi ana unc. una,

Interim asservetur. Jam verò accipe,

Succi de Rubo Idæo recenter expressi prælo, & non spontè per colatorium effluxi lib. duas,
Sacchari Can. albi tantundem,

Coquantur leniter ad consistentiam satis crassam ad instar veluti gelatinæ seu Rob, cui sub finem dum adhuc parum calet, adde

Superius asservatum Extractum,
nec non
Magist. seu Resinæ Galappæ drach. sex,
cum
Amygd. dulc. decort. drach. quatuor vel quinque,
probè subactæ,

Fiatque Electuarium justæ consistentiæ, resolubile in omnibus liquoribus. *Quod ipsum vices supplebit multorum Electuariorum Catharticorum, quæ immensis extolluntur laudibus; purgabit leniter exturbando omnes excrementitios humores, sanguinem idcircò purificat, adeoque à multis morbis hominem liberat ac præservat. Promptè dissolvi potest, & verè misceri cum quibuscunque liquoribus aquosis & Syrupis, ut nec quicquam de illo fundum petat, quo sumentibus nausea concitetur, uti fieri solet ab Electuariis, quibus plurimi pulveres, protinus fundum petentes, immixti sunt. Dosis sunt drachmæ duæ ad unciam semis.*

Nota: Quod *succus de Rubo Idæo* si protinus prælo exprimatur, & non spontè, uti in pharmacopoliis fieri solet, per colatorium effluxerit, in coctione *cum saccharo* gelatinam veluti præbeat, proindè in crassiorem quàm Syrupi consistentiam, hic summopere necessariam, facilè redigibilis, constantem tamen, ut situm nempè nec contrahat, neque in crystallos saccharinos tandem concrescat, quod Syrupis aliàs ultra ordinariam consistentiam coctis commune est, & accidit; Eapropter *succum protinus prælo expressum è fructu recenti de Rubo Idæo* ad hoc Electuarium pro basi ponendum præcepi, ut justa simul ac durabilis Electuarii consistentia emergat. Porrò notetur, quod si fortè alio tempore anni, quàm vere & æstate Electuarium hoc foret parandum, quo *succus prædictus recenter expressus* in promptu esse nequeat, hujus in locum surrogari possit, *succus pomorum redolent. recenter quoque expressus*, qui ipse *cum saccharo* coctus, æqualem præbet consistentiam crassam seu gelatinam, ad Electuariorum consimilium basin conducibilem: Verum majorem saporis gratiam *Succus de Rubo Idæo* Electuario huic conciliabit; idcircò si vel sæpius ex hoc, & non alio succo, dictum foret parandum Electuarium, author sum, ut *Rob sive Gelatina de Rubo Idæo* (prout in Officinis appellare consuevêre) tempore veris consueto sufficienti quantitate paretur, & ad posteros usus asservetur, quo prostante, sæpe dictum Electuarium quovis anni tempore est parabile.

Electuar. Hydragogum primum, ex ebulo.

℞. Rad. recent. Levistici unc. tres,
Apii,
Cichorii sylv.
Chelidoniæ,
Cucumeris asinini,
Petroselini,
Pimpinellæ ana unc. duas,

Ebuli uncias tres,
Asari unciam unam,
Cort.recent.Med. Sambuci unc.unam semis,
Medullæ ligni Sambuci unc.unam,
Herb. Gratiolæ,
Soldanellæ,
Hepat.nob. ana unc.unam sem.
Rosarum rub.recent.uncias duas,
Sem. Ebuli unciam unam semis,
Nasturtii,
Urticæ ana drachmas sex,
Cremoris Tartari unciam unam,
Ol.Tartari per deliq.facti drach.duas,

Incisa & contusa coquantur in suffic. quantitate Aquæ simplicis, repetitis vicibus, quoad virtutes omnes extractæ sint: Colaturæ omnes junctim alb. ovorum clarificentur, & ad remanentiam libræ circiter unius leniter evaporent, cui residuo adde

Succi baccarum Ebuli recenter expressi lib. duas semis,
Sacchari Can. albi lib. duas,

Denuò leni coctione redigantur ad consistentiam Rob seu Electuarii, addendo dum adhuc parum calet,

Magist. Gialap. drachmas sex,
prius cum
Amygd. dulc. decort. uncia semis,
probè subacti
Essent.Citri saccharinæ n. unc.unam,
Elæosacch.Caryoph. drachmas sex,
Fiat Electuarium.

Præstat in Cachexia & Hydrope, ubi evacuatione humoris aquosi & pituitosi opus est, quos feliciter tùm per Inferiora, tùm etiam per vias urinarias educit: Dandum ab uncia semis ad drachmas sex.

Electuarium Hydragogum secundum, de Spina Cervina.

℞. Rad.recent.Levistici unc.tres,
Apii,
Cichori sylv.
Chelidoniæ,
Pimpinellæ,
Petroselini ana unc. duas,
Asari unc. unam semis,
Ebuli uncias tres,
Mechoacæ albæ,
Hermodactyl. an. unciam unam,
Herb.recent.Gratiolæ,
Hepaticæ nobil. ana unc. duas semis,
Flor. rosar. recent. rubr. unc. duas,
Sem. Ebuli unciam unam semis,
Nasturtii,
Urticæ ana drachmas sex,
Cort. recent. Arantior. unc. semis,
Cremoris Tartari drachmas sex,
Ol. Tartari per deliq. facti drach.duas.

Incisis & contusis superaffunde libras quatuor vini albi, seu quod melius, musti vini clari; factaque maceratione per diem, ac unâ vel alterâ ebullitione prægressâ, fiat Colatura cum expressione: species expressæ porrò cum s.q.aquæ simpl. repetitâ vice coquantur; Colaturæ tandem omnes alb. ovor probè clarificatæ ad remanentiam libræ unius leniter in vase terreo exhalent: Cui residuo liquori denuò adde

Succi de Spina Cervina recenter expressi lib. tres,
Sacchari Canarii albi lib. duas,

Et ad consistentiam Electuarii seu Rob leni coctione redigantur, addendo sub finem, dum adhuc parùm calet

Magist. Gialapp. drachmas quinque
prius cum
Amygd. dulc. decortic. uncia semis
probè subacti,
Elæosacchari Anisi uncias duas,
Fiat Electuarium.

In virtutibus & dosi cum priori simile.

Electuarium Lenitivum & Mitigativum.

℞. Rad. Rhapontici veri,
Rhabarb. optimi, ana unc. duas,
Mechoac. alb. unciam unam,
Acetosæ unciam unam semis,
Cichorii sylv. uncias duas,
Fœniculi unciam unam,
Herb.recent.Hepaticæ nobilis,
Hederæ terrestr. ana unc. unam semis,
Flor.rosar.rubr.recent.unc.duas,

My-

Myrobal. Chebulorum,
Citrinorum an. unc. unam,
Cort. Arantiorum recent.
Citri ana extim. unciam semis,
Cremoris Tartari unciam semis.
Incisa coquantur cum s. q. aq. simpl. repetitis vicibus affusæ, colatæ & expressæ, ad omnem tincturam & virium extractionem: Colaturæ omnes junctim. alb. ovorum clarificatæ ad remanentiam libræ unius circiter evaporent; Cui residuo liquori adde
Infusionis seu Mucchari Ros. ex rosis rubris parati, lib. unam semis,
Succi pomorum dulcium recenter expressi, lib. unam,
Sacchari Can. albi, lib. duas.
Denuò coquendo leni igne redigantur ad consistentiam Rob, seu Gelatinæ; cui tandem jungantur,
Sem. quatuor frigid. major. excort. ana uncia semis,
Papav. alb. drach. sex contus.
ad pultis formam & per cribrum setaceum transmissorum instar pulpæ addita particula
Aquæ Florum Arantior.
Essent. Citri,
Arantior. ana ex recent. Cort. parat. uncia una,
Fiat Electuarium.

Quod in diuturna Diarrhœa, Dysenteria, fluxu hepatico, similibusque affectibus cum fructu adhibetur: lenit, leniterque abstergit, quod læsum, modica adstrictione resarcit; dolores mitigat, & calorem viscerum ac Intestinorum contemperat. Dosis uncia semis ad unciam unam.

Electuarium Panchymagogum.

℞. Rad. Hellebor. nigr. unc. unam semis,
Polypodii uncias tres,
Rhabarbari optimi,
Asari,
Turbith, ana unc. unam semis,
Cortic. rad. Esulæ unc. unam,
Agaric. Trochiscati unc. unam semis,
Fol. Senæ electæ sine stipitibus uncias duas semis,
Cremoris Tartari unc. unam,
Cort. Arant. recent. ext. unc. semis,
Incisa & contusa coquantur in s. q. aq. simpl. repetitis vicibus affusæ & colatæ usque dum omnis sit extracta virtus. Decoctiones colatæ conjunctim album. ovorum probè clarificentur, & in diplomate leniter ad remanentiam unius circiter libræ evaporent. Huic liquori vel extracto liquido adde
Succi pomorum dulc. recent. expressi lib. unam,
Sacchari albissimi lib. tres,
Coquantur denuò ad consistentiam Gelatinæ seu Electuarii, cui parum refrigerato adde.
Magist. s. Resinæ Galapp.
Sammon. ana unc. unam,
priùs cum
Amygd. dulc. decort. unc. una semis, probè subactorum,
Elæosacch. Anisi vel Cinamomi unc. unam semis,
Fiat Electuarium.

Quod omnia ea præstabit quæ cuncta Holagoga, Panchymagoga, Cholagoga, &c. qualibuscunque etiam aliis & quibus ingredientibus sint ornata, & quot pretiosis unquam gemmis atque lapidibus, Moscho item & Ambra ditata sint. Dosis drachmæ duæ ad tres, & unciam semis.

Electuarium Rosatum Purgans.

℞. Mucchari Rosarum recenter parati & nondum depurati lib. tres,
Succi pomorum dulc. recent. expressi lib. unam.
quibus immergantur
Conserv. Ros. rubr. recent.
violar. rec. an. unc. quatuor,
Factâ maceratione loco calido per biduum, coletur cum expressione, liquori colato adde
Sacchari Can. albiss. lib. duas,
Coquantur ad consistentiam Gelatinæ seu Electuarii, cui adhuc parum calenti immisceantur
Magisterii seu Resinæ Scammoneæ uncia una semis,
priùs cùm
Amygd. dulc. decort. unciâ unâ probè subacti: item
Extracti Rhabarbari uncia una,
Fol. Senæ unc. una semis,
Helle-

Hellebori nigri ana unc. una,
Elæosacchari Rosati vel ex
Oleo Rosarum vero, vel
Ligni Rhodii parati unc. duæ.
Fiat Electuarium.

Catharticum pariter hoc est Electuarium & ad omnes humores excrementitios tam biliosos quàm pituitosos, atros itidem & melancholicos educendos remedium præstans: Contemperans quoque Calorem viscerum potius, quàm quod ab acrimonia rerum Catharticarum, quam retundit, inflammari possint. Dosis drachma tres ad unciam semis.

Rob Ribium Purgans.

℞. Rad. Galapp.
Mechoacannæ ana unc. sex,
Turbith gummosi unc. quatuor,
Asari unc. duas,
Fol. Senæ elect. unc. sex.

Ex omnibus incisis atque contusis extrahatur cum s. q. Spirit. vini, rectificati repetitis vicibus affusi, omnis tinctura & efficacia, quosque Spirit. vini tingatur; Colaturæ aut depletiones omnes in M. B. ad lib. duas circiter abstrahantur, (qui spiritus abstractus ad alios similes usus asservandus est,) residuo vero liquori in Alembico seu extracto liquido resina innatabit, quæ studiosè separanda & in scutella vitrea leni calore exsiccanda, ut in pulverem redigi possit. Extractum verò residuum liquidum adhuc ad Extracti spissitudinem leniter in diplomate evaporet. Quod Extractum inspissatum (ut eò melius Rob Ribium post addendo uniri possit) cum particula Anisi spiritus diluatur & per colatorium linteum cogatur; ac

Rob Ribium cum s.q. Sacch. ad durabilem consistentiam parati lib. trib.

in leni calore uniatur, quibus benè unitis jungatur etiam

Resina supra dicta exsiccata & in pulverem redacta, prius a. cum
Amygd. dulc excort. unc. una vel unc. una semis probè subacta, item addantur
Elæosacch. Anisi, vel Cinamomi unc. una, vel uncia una semis,
Fiat Electuarium justæ consistentiæ.

Egregium atque præstans hoc Electuarium Catharticum est, quod non solum omnes humores superfluos pituitosos, Melancholicos & putridos educit: verùm & febribus compositis & Chronicis conducibile. Dosis drach. dua ad unc. semis.

Rob Cerasorum Purgans.

℞. Rob Cerasorum cum s. q. Sacchari parati libram unam,
cui adhuc calenti adde
Magist. Galapp. vel Scamm. drach. sex, soluti a. in spir. vini rectificatissimi unc. duabus vel tribus.

Et factâ adhuc vix unicâ ebullitione pro Spirit. vini saltem exhalatione, qui protinus leni calore aëra petit, fiat Electuarium sive Rob, quod nulla aromatizat. indiget, cum cerasa per se grati sunt saporis, si nuclei eorum ante expressionem succi probè fuerint conquassati: cum proprio itaque sapore grato contenti, labores ideò, aliaque impensa ulteriora ad alios reservare volumus usus.

Nota: Eandem ob rationem, saporis nimirum gratitudinem, in præparatione præcedentis Rob Ribium purgantis, *Cerasorum Rob simplex* illo *Ribium* surrogari commodè potest. Quod autem *Resinam* quam in antea dicta Rob Ribium compositione *Mechoacanna, Galappa, Turbith*, copiosè præbent extrahendo illa cum *Spir. vini* à reliquo extracto separare, exsiccare, atque in pulverem redigere, ac tandem *Amygdalis dulc. subigere* jusserim, ideo factum est, quia *Amygd. utpote oleaginosæ* omnes *Resinas* cum illis subactas quasi dissolvant, earumque acrimoniam contemperent, ut eò facilius postea in *liquoribus aquosis* dilui possint, ne denuò, prout aliàs solent, in suam *resinosam substantiam* redeant, ac intra corpus sumptæ vel parum aut nihil operentur. Verùm (quod pessimum) Ventriculo ipsis quoque intestinis *tenacitate sua resinosa*, præsertim si parum frigida superbibantur, præcipitatæ adhæreant; atque inde Tormina, Passiones colicas, ipsam etiam diarrhœâm, imò lethalem quandoque hypercatharsin causent atque inducant. Etenim nullam hucusque fide digniorem causam invenire potui, quæ similes immoderatos alvi fluxus, Tormina atque lethales hypercatharses aliaq; incommoda post sumpta purgantia, si frigida præcipuè superbibantur,

tur, induxerit, *quàm Scammoneata ista Medicamenta, vel Resinas similes, sive Scammonea, sive Galappa Turbith*, aut alterius purgantis sint, cùm, prout sæpè dictum, si non legitimè & dextrè dissolutæ & veluti unctuositate Amygdalarum contemperatæ sint, intra corpus sumptæ, facilè contingere possit ut si frigida & aquosa superbibantur, intra ventriculum & Intestina veluti coagulentur, & præcipitentur, illisque tenacitate sua resinosa post adhærentes acrimoniaque ac venenatâ qualitate suâ, ea lancinantes, totum nervosum genus in consensum trahere, ac infinita mala inducere valeant. Non enim memini unquam, ab alio quàm *Scammoneato, aut simili resinoso medicamento*, si frigida aqua superbibita fuerit, similes immoderatos fluxus fuisse excitatos. Sint igitur hæc Experimenta de Medicamentis resinosis purgantibus pro cautela imposterum, quæ lubenti animo Lectori Benevolo communicare volui.

Electuarium Commune.

℞. Rad. Asari,
Hellebori nigri,
Ebuli,
Polypodii ana unc. unam semis,
Cichorii unc. duas,
Chelidonii unc. unam semis,
Fol. Senæ elect. unc. duas,
Herb. Gratiolæ,
Hepat. nobil. ana unc. unam sem.
Sem. Ebuli unc. unam,
Incisa coquantur in s.q. aquæ simplic. ad remanentiam librarum circiter quatuor: colaturæ expressæ & clarificatæ adde
Succi Mercurialis herb. depurati lib. unam semis,
Pomor. dulc. recenter express. lib. unam,
Sacchari albissimi lib. duas,
Coquantur ulterius ad consistentiam crassam Electuarii seu Gelatinæ, cui dum adhuc parum calet, adjiciantur
Pulv. Diagridii Sulph. unc. una semis, prius cum
Amygd. dulc. excort. unc. semis,
probè subacti. Item
Pulv. Rad. Galapp. unc. una,
Mechoacæ drachm. sex,
Cremoris Tartari unc. una,
Nuc. Moschatar. unc. semis,
Caryoph. drachmæ duæ,
Fiat Electuarium.

Et hoc egregium quoque est Electuarium Catharticum, omnes in corpore humano latentes humores putridos expellens. Commune licet appelletur, nihilominus tamen nulli Antiquorum Electuariorum Catharticorum secundum est. Dosis, drachmæ duæ ad unciam semis.

Nota: Quod ad quorundam Electuariorum confectionem *succum pomorum dulcium* accipiam, si petis rationem, en hanc & satis commodam adfero; quoniam *succus hic recenter expressus*, & cum *saccharo* coctus, exoptatam conficiendis Electuariis accommodat Gelatinæ instar consistentiam non tantum, sed etiam non parvam vim habet retundendi purgantis medicamenti acrimoniam, & nihilominus virtutem hujus Cathartici promovendi, & temperandi caloris excessum possidet.

Cæterùm omissis Infusionibus & Decoctionibus Catharticis huic Classi à *D. D. Augustanis* aliàs annexis, quæ & ipsæ suum tandem locum competentem invenient, pro hâc Classe, perpauca licet Electuaria, etiam sufficiant ob rationes crebrò allatas. Possent equidem quædam ex illis fortasse superflua videri, verum, cùm quot capita, tot quoque sensus reperiantur, idcircò ut quisque eligere habeat, quod in rem suam facere visum fuerit, illorum numerum nonnihil adauxi. E contra verò, si qui sint, qui pluralitate gaudeant, illis liberum erit *Pharmacopœiam Augustanam* ipsam, ejusque adire *Animadversiones*, ubi procul dubio voti reddentur compotes. Mihi difficilè quidem non esset, & his locis alias, imò plurimas Electuariorum ordinare compositiones, sed cui, quæso, commodo? Nulli certò alii, nisi quod numerus saltem fuisset auctus, & Pharmacopolia, uti olim, nimioperè gravata. Idcircò ad alia progredi satius esse duxi.

PHARMACOPOEIÆ REGIÆ CLASSIS QUINTA,

Confectionum Solutivarum solidâ in formâ parandi modum proponens.

Confectiones Solutivas in forma solida tractaturo, conducit earum præmittere definitionem, videlicet, quod & quale Medicamenti Genus sit Confectio solida, quemque in usum aut finem sit inventum, atque excogitatum.

Confectio solida à Medici dicitur Medicamentum siccum ex saccharo, in forma orbiculari, quæ Rotulæ aut Tabulæ; vel oblonga aut quadrata, quæ Morselli nomine insigniuntur: Vulgariter autem vel communi more loquendo, est Confectio solida omnis res saccharo obducta, sive ea Cinamomum sit, sive Cortices Citri, sive Anisum, Fœniculum, Coriandrum, &c.

Confectiones solidæ Medicæ conficiuntur ex saccharo, prius aliquo liquore conveniente dissoluto, iterumque ad omnimodam aquositatis sive liquoris exhalationem, pristinamque veluti consistentiam ejus cocto, cui demum dum adhuc liquidum ex calore saccharum, aut anteq. pristinam suam duritiem (quod fit saccharo per totum refrigerato) prorsus adipiscetur, species sive purgantes, sive Aromaticæ, vel etiam conservæ, condita, fructus, vel olea destillata, Confectiones aut aliæ res in debita convenientique quantitate aut pondere commisceantur.

Confectiones verò Vulgares communes, pariter ex saccharo & rebus variis supradictis, scil. Cinamomo Aniso, &c. sed longè alio modo quàm supradictæ Rotulæ aut Morselli, conficiuntur: nimirum saccharum ad Confectiones illas conficiendas destinatum, probè prius aqua simplic. & albumine ovorum clarificatum, ad consistentiam saltem Syrupi, paulo tamen crassiorem, coquendo redigitur. His factis, species vel res conficiendæ, aut saccharo obducendæ, sive sit Cinamomum, Amygdalæ, Anisum, &c. aheno largo sed planiori, non profundo, ex cupro, immittantur, quæ, aheno super igne lenissimo suspenso, ac modicè cum re illi inhærente (sc. è supradictis) calefacta, de saccharo liquido prædicto, calido nonnihil, pro modica saltem humectatione rei immissæ inspergitur, atque hinc inde subito commovendo & concutiendo, manibus fricando, artificiosâ jectigatione aheni, ne conglomerentur semina, vel quidquid sit: Denuo totaliter exsiccantur, (leni, uti dictum, calore carbonum infra ahenum collocato) quo facto ulterius sacchari liquidi tantum inspergitur rei conficiendæ, ut iterum madefiat modicè, & uti prius continuâ jectigatione, commotione, & fricatione manibus factâ, exsiccatur, quod toties repetendum, humectando & exsiccando, usque dum res conficienda sufficienter saccharo obducta sit.

Et hic est conficiendi modus ex puro saccharo, sine adulteratione aut dolo factus, qui multum laboris facessit confectariis, me teste experto. cùm ipse multas centenas libras harum Confectionum propriis manibus, dum adhuc operam Pharmaceuticæ arti navarem, confecerim. Verùm ut minori cum difficultate & labore Confectiones parari, nec non viliori pretio, majori cum lucro à Confectariis divendi possint, quàm maximè Confectiones illæ adulterantur, additione scil. Amyli pulveris (vulgò Stärckmehl*) quem unà cum saccharo liquido quando res conficiendæ in aheno, uti dictum, saccharo humectatur, largiter aspergunt, sic enim faciliùs atque citiùs rem saccharo obducendam & madefactam exsiccant, ac unâ mox ad sufficientem quantitatem perducunt. Et hic est modus conficiendi Confectiones simplices saccharinas, quem quidem haud præter rem ad amussim describendum esse operæ pretium duxi, cùm illum ad subsequentes Confectiones Medicas*

Medicas describendas necessarium fore experieris. Inventæ autem sunt & primò quidem Medicæ illæ Confectiones supra dictæ, ut beneficio sacchari species, quæcunque demum illæ sint, ad tempus diuturnum integris viribus conservari possint, & ut varia Pharmacorum formæ ad cujuscunque delectum & gustum accommodatæ in Pharmacopoliis prostent. Hæ verò scilicet vulgares Confectiones saccharinæ ad delicias hominum conviviales unicè parantur: quibus igitur præmissis, transeo nunc ad speciales Confectionum præparationes.

Confectio Anisi Solutiva solida.

℞. Sem. Anisi benè mundati à suis stipitibus lib. semis,

Immittatur aheno Confectorio supra ignem collocato (prout jamjam præmissa huic Classi Prolegomena satis edocuere,) humectetur post saccharo clarificato & ad consistentiam Syrupi paulo crassiorem cocto, cui statim super inspergatur nonnihil de pulvere sequente jam describendo (loco quasi Amyli pulveris, quo uti superius innui Confectarii suas Confectiones adulterare solent,) utpotè

℞. Pulv. Diagridii Sulphurati & Amygd. dulc. probè subacti unc. unam semis,
Galapp. subtiliss. unc. duas,
Mechoacæ albæ unc. unam sem.
Cremoris Tartari unc. unam,
Cinamomi opt. acuti, unc. semis,
Nuc. Moschatarum drach. tres,
Fiat omnium Pulvis subtilissimus.

Hæ igitur operationes, scilicet humectando semina Anisi cum dicto saccharo liquido, & inspergendo de pulvere jam præscripto, exsiccandoque denuò, toties fiant, quousque totus pulvis præscriptus semini Anisi conficiendo vel saccharo obducendo, agglutinatus fuerit: Et sic corpus hujus Confectionis (prout Confectarii loquuntur) erit confectum. Hoc peracto, denuò cum puro & solo saccharo clarificato liquido hoc corpus Anisi solutivi aliquoties humectandum, & exsiccandum, usque dum competentem magnitudinem albedinemque à saccharo solo & puro, sine aspersione pulveris amplius, nacta fuerit, (obliterato nimirum corpore cineritio, è pulvere facto.) Quæ Confectio vel glabra relinquenda, prout loquuntur, vel crispanda est, ut termino Confectariorum denuo utar. Et sic probè ac dextrè erit parata Confectio Anisi solutiva, quâ ipsa multi, præsertim Infantes, ob gratitudinem ejus saporis, & alii, qui à Pharmacis omnibus abhorrent, decipi veluti possint, loco Confectionis puræ delicatulis istis porrigenda.

Dosin quod attinet, illa tàm exactè determinari nequit, donec ex pondere hujus Confectionis jam paratæ computum instituamus, quantum sacchari ad prædictam dimidiam libram seminis Anisi & pulveris Cathartici aspersi, agglutinatum fuerit: verbi gratiâ, sine totius paratæ Confectionis libræ quatuor (nam minus non poterit esse in pondere) erit legitima dosis uncia semis pro homine ætatis consistentis. Pharmacum certè non aspernandum in diversis morborum speciebus; ubi purgatione opus est, utpotè in febribus putridis, diuturnis & Intermittentibus. Aquam Hydropicorum educit, Podagricis nec non, frequentius sumpta, salutaris est.

Porrò, sicuti sunt *Pharmacopœi* hujus Artis, Confectoriæ scil. gnari, præsertim in Germania & Saxonia inferiore; ita qui exercitio aut arte huc non pertigerunt, possunt me Consule, (si tamen alienâ fide standum est,) pulveres juxta intentionem Medici præparare, & Confectariis dein probis concredere, ut elaborentur Confecta, non palato magis, quàm ægro juvando, cum gratia tamen palati, propter quod parantur accommoda; præcavendo summa diligentia & attentione, ne Amyli admistione puritas sacchari confusionem patiatur, quod adstando suâ præsentia evitari potest, quâ etiam præsentes horum laborum arbitri efficiant, ut Confecta fiant minima quantitate sacchari, quam ars indulget, ne dosis Medicamenti assumenti, auctâ quantitate nauseam pariat, cum Pharmacum potissimum ad subsidium ægrorum (habito tamen respectu Methodi ac legitimæ curationis) qui prudenti dolo circumveniri exoptant, non verò ostentationem bellariorum adinventum sit.

Nota: Juxta hanc præmonstratam normam, & Cinamomum, Coriandrum, Cortices Aran-

tiorum vel Citri, aut aliæ res aptæ, item Rhabarbarum ipsum minutim, crassiusculè tamen, ad magnitudinem lentium cultro conscissum, confici facile est, secundum appetitum nimirum cujusvis, & Medicorum ordinationes. Imò si quispiam similes Confectiones Emetica virtute imprægnare voluerit, hoc ipsum additione pulveris cujusdam Emetici aut Vomitorii de facili assequetur. Ut autem sit modus, aut norma certa quam sequi possis, en! sequentem suggero.

Confectio Anisi Solutiva Emetica.

℞. Sacch. albiss. lib. duas,
solvantur cum s. quant.
Aquæ Rosarum fragrantis,
ad consistentiam Syrupi crassiorem, interea paretur pulvis Catharticus, utpote

℞. Pulv. Rad. Mechoacæ albæ unc. unam,
Asari drachm. quinque,
Cremoris Tartari unc. unam,
Cinamomi unc. semis,
Nuc. Moschat. drachm. duas,
Mercurii Vitæ ritè & dextrè parati drach. tres vel unc. semis,
Misceantur, fiat Pulvis, servetur,
jam vero:

℞. Sem. Anisi selecti & à stipitibus probè liberati lib. semis,
Immittantur aheno cupreo super igne leni collocato, suspenso, & cum supradicto saccharo humectetur, inspersoque pulvere Cathartico suprascripto iterum exsiccetur, (prout superius ad amussim omnia edocta sunt.) Et hoc (videlicet saccharum affundendo & pulverem inspergendo totumque semper exsiccando) toties & tamdiu faciendum, donec supradictum saccharum, nec non Pulvis Catharticus & Emeticus descriptus Aniso juncta, in unum corpus coaluerint. Huic porro corpori Anisi Cathartico, tantum sacchari liquidi rosati, repetitis vicibus affundito, & semper exsiccato, quoad Confectio competentem magnitudinem & candorem acquisiverit; servetur tandem usui, *cujus dosis erit uncia semis, vel drachmæ quinque, si integræ confectionis compositum in pondere quatuor libras non excesserit.*

Est Medicamentum & Confectio Cathartico Emetica, pro hominibus robustis, è quibus per Emesin saburra vitiosorum humorum exturbanda videtur, Unde in Morbis Chronicis, Febre quartana, Tertianis intermittentibus Melancholia Hypochondriaca, Ictericia, ac ubicunque humor biliosus & Melancholicus infixus prædominatur; auxilio est.

Anisum Solutivum Solidum.

℞. Sacch. Can. albi unc. octo,
Solvatur & coquatur cum aq. Anisi s.q. ad consistentiam Tabulati, cui dum parumper refrixerit, adde
Pulv. Sem. Anisi unc. semis,
Nuc. Moschatæ drach. duas,
Diagridii Sulphurati Amygdalis probè subacti unc. semis,
Galapp. Rad. drach. quinque,
Cremoris Tartari drach. duas.
Fiat Confectio in Morsellis vel Tabulis.
In operationibus coincidunt hæ Rotulæ vel Morselli cum superiore Confectione Anisi solutiva. Dosis sunt drachmæ duæ ad unciam semis.

Diacitrum Solidum Solutivum.

℞. Sacch. albiss. pulverisati lib. semis,
Solvatur s. a. in s.q. Succi Citri recenter & jamjam expressi, sine ebullitione tamen in patella ferreâ; cui ab igne remoto & à nimio fervore nonnihil dum remiserit, adde
Magisterii Galap. Amygdalis dulcibus decort. probè subacti drachmas tres vel unc. semis.
priùs autem cum
Cort. Citri recent. extimorum, & in mortario lapideo subtiliter contusorum ad formam pultis drachmis tribus, vel unc. semis; item
Essentiæ Citri n. saccharinæ unc. semis, vel una, permixti.
Fiat l. a. Confectio solida, sive in forma Rotularum sive Morsellorum delicatissima. *Dosis drachmæ tres ad unciam semis.*

Confectio Emetica Citrata.

℞. Sacch. albi pulverisati unc. quatuor,
Solvatur s. a. in s. q. Succi Citri recenter & jamjam expressi, sine ebullitione in patellâ ferreâ,

igne

igne tamen carbonum recenti; Cui adde ab igne prius remoto, & nonnihil à fervore dum remiserit.

Corticum Citri recenter extimorum & subtilissimè contusorum ad pultis formam unc. semis,

Tartari mei purgantis Antimoniati in prægressa *Appendice Animadversionum* edocti drach. sex,

Fiat l. a. Confectio, sive in forma Rotularum, sive Morsellorum: *Dosis drachmæ tres ad unciam semis.*

Confectio adversus Lumbricos.

℞. Semin. Cynæ probè mundati & à stipitibus liberati uncias tres,

Obducantur sacchara juxta artem Confectoriam, insperso paulatim, & per vices, quotiescunque semen inter initia saccharo humectatur, uti moris, pulvere subsequente, donec totus is semini cum saccharo sensim & per vices agglutinatus sit: tandem pulvere omni insperso, & semini Cynæ juncto, solo saccharo puro ad competentem magnitudinem & candorem Confectio reducatur, uti superius satis clarè in Confectione Anisi solutivi omnes manipulationes ostensæ sunt. *Erit Confectio non injucunda adversus Lumbricos efficax, data à drachmis duabus ad unciam semis.*

Pulvis pro dicta Confectione Inspergenda sit talis.

℞. Turbith albi gummosi unciam unam semis,

Mechoacæ albæ unciam unam,

Corallinæ unciam unam,

Cinamomi optimi unc. semis,

Mercurii dulcis ritè parati & bis aq. calidâ loti, drach. sex.

Fiat Pulvis omnium subtilissimus.

Nota: Quòd Mercurius dulcis eo quo diximus modo lotus, nemini obesse, quin potiùs ad hunc affectum vel Infantibus etiam exhibitus prodesse possit. Qui tamen hanc Confectionem sine Mercurio dulci prostare voluerit, is suo fruatur genio.

Rotulæ contra Vermes seu Lumbricos.

℞. Sacchari Canarii albi in aq. Rosarum soluti, ac denuò ad consistentiam Tabulati cocti uncias quatuor,

cui ab igne remoto adde

Pulv. semin. Cynæ drachm. tres,

Turbith. albi drach. duas semis,

Corallinæ drachmas duas,

Cinamomi optim. drachmam unam semis,

Mercurii dulcis ritè parati, drach. duas,

Fiant Morselli vel Rotulæ,

Efficacissimæ ad Vermes enecandos & expellendos, tum Infantibus, tùm adultis exhibendæ. Dosis drachmæ duæ ad unciam semis.

Rotulæ adversus Lumbricos aliæ.

℞. Sacchari albiss. aq. Rosarum soluti, ac denuò ad consistentiam Tabulati cocti unc. quatuor.

Cui, ab igne remoto, & nonnihil refrigerato adde:

Pul. Mercurii dulcis dextrè juxta & l. a. parati, ac semel tantum aq. calida loti, drachm. tres vel unc. semis,

Mechoacæ albæ unciam semis,

Fiant s. a. Rotulæ albissimæ ad formam Man. Christi, serventur usui, *ad expellendo Vermes, non minus Adultorum quam Infantium; nec non ad alios humores excrementitios exturbandos; præsertim in Febribus diuturnis, Podagra, Lue item Venereâ, efficacissimæ, & citra omne fastidium assumendæ; à drachma una ad unciam semis.*

Rotulæ aliæ Purgantes & Emeticæ.

℞. Sacchar. albiss. in aq. Rosar. soluti ac denuò ad consistentiam Tabulati cocti uncias tres,

Cui, ab igne remoto & nonnihil refrigerato adde:

Mercurii vitæ ritè dextrevè parati & probè edulcorati drachmam unam,

Pulv. Mechoacæ albæ drach. tres,

Ireos Flor. Rad. drach. unam,

 Fiant

Fiant f. a. Rotulæ albæ boni saporis, bonique odoris.

Qui per superiora crassorum ac vitiosorum humorum saburram exturbare nititur, in corporibus robustis, præstans hic habet remedium, modo in dosi non nimium excedat. In morbis diuturnis, Chronicis, Febre quartana Melancholia Hypochondriaca præsens sunt remedium. Dosis à drachma una ad drach. duas ad summum.

Rotulæ ex Mercurio vitæ correcto.

℞. Mercurii Vitæ ritè & dextrè parati drachmas duas,
Salis communis unciam unam,
Nitri purissimi drachmas sex,

Mixta hæc conterantur & levigentur diu, multumque (horis circiter quatuor) super porphyrite lapide; pòst aquâ calidâ abluantur salia, ut Mercurius Vitæ liber ab illis tandem remaneat: & tali pacto demitur ipsi vis violenta Emetica, mitiorque evadit ut potius per inferiora operetur. Jam verò

℞. Sacchari albissimi uncias tres,

Solvatur in f.q. aquæ Rosarum, ac ad consistentiam Tabulati coquatur, cui ab igne remoto ac nonnihil refrigerato, adde

Merc. Vitæ correcti drach. unam semis,

Fiant f. a. Rotulæ *purgantes per inferiora, & nonnihil per superiora omnes humores excrementitios. Dosis drachma una ad duas.*

Diacydonium solutivum.

℞. Rhabarbari electi unc. unam semis,
Rad. Mechoacæ albæ uncias duas,
Fol. Senæ sine stipitib. uncias tres,

Incisa coquantur in f. q. aq. simplicis, repetitis vicibus, ad omnem virtutum prolectionem; Colaturæ omnes junctim alb. ovorum probè clarificentur: In hoc clarificato decocto Cathartico bulliant terreo in vase

Cydoniorum maturorum & in frustula dissectorum, abjectis seminibus libræ quatuor,

ad mollitiem; factâ postea colaturâ cum expressione, abjectis Cydoniis, adde colaturæ mucilagineæ

Sacchari Canarii albi libras tres,

Porrò coquantur in vase terreo ad consistentiam Gelatinæ, cui demum dum adhuc calet, superadde

Magisterii Scammoneæ,
Galappæ ana drachm. sex,

priùs autem solutorum in

Spiritus Vini ractificatissimi f.q. unciis tribus vel quatuor circiter,

Fiat adhuc leni tantummodò exhalatione Spiritus Vini Diacydonium purgans instar Gelatinæ seu Electuarii, addendo sub finem, ubi quasi refrixerit, odoris saporisvè gratiâ

Elæosacch. Cinam. unc. unam semis,
Caryophyll. unc. unam.

Est Gelatina seu Electuarium veluti solidum Catharticum præstans, quod in omnibus etiam infirmitatibus cum similibus aliis Catharticis, quibus humorum excrementitiorum extrusione opus, utiliter adhiberi potest; Vt igitur nemo non ubertatem habeat, juxta ac varietatem Catharticorum in quâvis consistentia formâque promptam, quæ vel excogitari possit. Dosis drachmæ duæ, ad unciam semis.

Diacydonium Pellucidum Purgans.

℞. Cydoniorum maturorum & mundatorum & in aliquot frusta majuscula conscissorum num. xxx. vel xl.

Coquantur cum aq. simpl. f.q in vase terreo, vel alio stanno obducto, quousque nonnihil mucilaginosum ast clarum reddatur d coctum, cui colato & aliquantulum expresso adde, nimirum libris quatuor hujus mucilaginosi decocti

Sacchari Canarii albiss. lib duas,

& ad consistentiam Gelatinæ percoque: Huic, jam ab igne remoto admisce

Ref. Scammoneæ &
Galappæ ana in spiritu vini rectificatissimo prius solutorum unciam unam drach. duas,

Et postquam probè mixta fuerint, spiritusque Vini maximâ ex parte vel totaliter exhalârit, effunde Gelatinam in exsculptas figuras plumbeas, prius nonnihil madefactas: & ex his deinde immitte in scatulas oleo quodam grato fragranti inunctas.

Educit Bilem & Pituitam, pro delicatis, & iis, qui Pharmaca aversantur & respuunt, concinnatum. Dosis drach. duæ ad unc. dimidiam.

Nota:

Nota: Quod si *Spiritus Vini* non sit purus, sed vulgari modo *ex facibus vini*, licet cum paucissimo empyreumate factus, imò etiam sine adustione, si, ut sæpe solet, odore non omninò grato præditus sit, fit, ut, dum evaporat *ex Gelatina*, relinquat odorem vapposum, non tàm naribus quàm stomacho & utero ingratum, tantoperè, ut ex levi & parvâ hujus Diacydonii Dosi observaverim, & non ægros, ægrasque fœminas concitari ad Hysteralgiam, exsolutiones Animi, & Stomachicas; quæ contrà omnia, si *purus sit Spiritus Vini*, evitantur, & sic Medicamentum efficitur gratum ac praxi modernæ aptissimum.

Passulæ Majores seu Zibebæ vel Prunelli Purgantes.

℞. Succi Pomorum recenter expressi lib. quatuor,

In hoc succo macerentur sequentia, incisa saltem, non contusa, utpotè

℞. Rad. Mechoacæ albæ unc. una semis,
Galapp. unc. una,
Asari drachmæ sex,
Hellebori nigri uncia semis,
Tornæ Solis rubic. drach. duæ vel tres,

Factâ maceratione per diem, ac unâ vel alterâ ebullitione prægressâ, coletur succus cum expressione, in quo denuò macerentur per biduum
Passularum majorum ab arillis purgatar. lib. una,
vel harum loco,
Zibebæ aut Prunelli accipiantur.

Peractâ bidui maceratione, fiat etiam una atque altera ebullitio; hinc Passulæ separentur à succo, ac juxta fornacem, vel alio loco tepido leniter exsiccentur; Succo vero residuo adde
Sacchari albissimi lib. unam semis,

Coquantur leniter ad consistentiam Gelatinæ satis crassam, instar Diacydonii Lucidi, cui ultimo adde:
Pulv. Syrii seu Resinæ Scamm. in s. q.
Spiritus Vini rectificati sine omni phlegmate soluti unc. unam semis,
item:
Passulas supradictas in succo jam tùm maceratas & coctas,

Ac postquàm benè unita, Spiritusque Vini maximâ ex parte exhalarit, additis etiam
Elæosacch. Cinamomi,
Caryophyll. ana unciâ unâ,
effundantur & immittantur scatulis rotundis & largis pro usu.

Viribus affines sunt aliis Catharticis quamplurimis: evacuant enim bilem & pituitam, atque aquâ Intercute laborantibus conducunt. Dosis uncia semis ad drachmas sex, unà cum Gelatina sumpta.

Morselli de Rhabarbaro Purgantes.

℞. Sacch. Can. albi in aq. Cinamom. particula soluti, ac denuò ad consistentiam Tabulati cocti unc. sex,

Cui ab igne remoto, adde pulverem subsequentem mixtum, utpote
Pulv. Rhab. opt. drachm. sex,
Mechoacæ albæ,
Galap. ana drachm. duas,
Syrii, seu Resinæ aut Magisterii Galap. Amygd. prius probè subacti drachm. unam semis,
Cinamomi Elæosacchari,
Essent. Arantiorum sacch. n. ana drachm. duas,
Cremoris Tartari drachm. tres,
Croci optimi scrupulum unum.

Fiant s. a. Morselli purgantes, usui servandi. *Evacuant flavam bilem atque pituitam; sic & vermes enecant, eosque expellant: Dosis drachma dua ad unciam semis.*

His non exiguis neque perpaucis huic etiam Classi finem impono, in quâ pulcherrima Cathartica continentur, forma æque atquè sapore odorevè grata, jucundaquè, ut, qui latentis Cathartici inscius, illa pro Confectionibus potius ad delicias epulasvè factis, quam Pharmacis habebit, quocircà & hæc Benevolus Lector boni consulat.

PHARMACOPOEIÆ REGIÆ
CLASSIS SEXTA.
Pilularum Compositiones exhibens.

Catapotia seu Pilulæ à parvæ pilæ similitudine dictæ; sunt Medicamenta in formam globulorum redacta, ex diversis simplicibus, utplurimum verò Catharticis, nonnunquam Anodynis, Narcoticis aut etiam Alexipharmacis composita & efformata; eum præcipuè ob finem inventa, ut insuavitas & amaritudo saporis quorundam simplicium (Aloës præsertim, quæ tanquam corpus & basis omnium ferè existit Pilularum Purgantium) minus gustu percipiatur, & ut plurima simplicia ad diuturnum tempus, propter Aloën illis admixtam ceu verum à putredine præservativum, sub hâc formâ, scilicet Pilularum, vel earundem massæ commodè asservari possint. Innumeræ verò adsunt Pilularum in plurimis Dispensatoriis Descriptiones vel Compositiones, quas tamen, si quis exactius paulò perlustret, inutilia ingredientia resecet, impertinentia dimittat, & abjiciat dissona, mehercle reperiet is mecum, omnes illas compositiones ad sex forsan reduci posse: Quid enim Choas ex tot impertinentium, dissonorum, superfluorum ne dicam noxiorum ingredientium farragine confusa, non ratione sed opinionibus conflatum & congestum, proderit, tùm ægro, tùm Pharmacopolæ, multis sæpè annis in pyxide sepultum antequàm semel in usum assumatur: præstaret reverà scripsisse: Accipe de omnibus aliquid. Vnde in describendis Pilularum Compositionibus eum modum tenebo, ut in superfluis haudquaquam abundans sim, nec tamen in necessariis deficiam: Qui plura desiderat, adeat, quod facilè concessero, alia Dispensatoria, in quorum vero defectu sufficiat Augustanum Animadversionibus illustratum, & quæ sibi ipsi commoda, utiliaque videntur seligat.

Pilulæ Aloëphanginæ Capitales & Stomachales.

Pilularum harum exacta præparatio duplici modo superius in *Pharmacopœia Augustana* & ipsarummet harum Pilularum *Animadversionibus* edocta & exhibita est, quæ & ibidem videri poterit. Si quis etiam Massam harum Pilularum Carthartico aliquo validiore, sive Galappæ Magisterio, aut Scammoneæ, vel etiam decocto quodam ex Helleboro, Rhabarbaro, Foliis Senæ (quo Aloës prius imbuenda iterumque exsiccanda esse) vellet acuere, Pilulas efficeret, quæ loco multarum esse possent: utpote

℞. Rad. Hellebori nigri uncias tres,
Fiat, affusâ s. q. aq. simpl. repetitis vicibus decoctum, quo in dissolve
Aloës succotrinæ libram unam,
Colata cum decocto Aloë, postea leniter iterum exsiccetur. Cui adde postmodum cætera harum Pilularum ingredientia, Myrrham scil. Mastichen; Olea item destillata, aut horum loco etiam Aromatum partem dimidiam; prout in secunda præparatione earundem superius tradidi: fiatque Massa, *Capitis & Hypochondriorum Affectibus proficua.*

Pilulæ de Aloë Rosata.

℞. Aloës succotrinæ libram unam,
Solvatur in libris tribus Muchari seu Infusionis Rosarum solutivi, factâ postea colaturâ per cribrum setaceum, leni calore cinerum exsiccando ad competentem Massæ Pilularum consistentiam reducantur, addendo sub finem
Diagridii Sulphurati unciam unam,
vel hujus loco

Re-

Resinæ Scammoneæ Amygdal. dulc. probè subactæ drachmas sex:
Item
Olei Rosarum veri scrupulum unum, vel si hoc desit
Olei Ligni Rhodii drach. unam semis,
Fiatque Massa Pilularum.

Leniter purgant, Hepar roborant, adstrictam alvum in parva etiam quantitate sumptæ, solvunt, ac humorum putredinem arcent; Loco Pilularum Angelicarum meritò esse possunt. Dosis scrupulus semis usque ad scrupulum unum.

Pilulæ de Aloë violata.

℞. Aloës succotrinæ, vel si mavis ut validius operentur
Aloës hepaticæ libram unam,
solvatur in
Infusionis violar. solut. lib. tribus,
Colaturâ factâ per cribrum setaceum leniter calore cinerum exsiccetur, & ad consistentiam massæ Pilularum reducatur, addendo ultimò
Resinæ Scammoneæ Amygd. dulc. probè subactæ drachmas sex,
vel loco hujus
Diagridii Sulphurati unciam unam,
item odoris gratia:
Olei Fœniculi drachmam unam,
Fiat Massa Pilularum.

Blandissimam promovent evacuationem, & viscera naturalia corroborant; Datæ à granis octo ad scrupulum semis.

Pilulæ Cordiales & Cephalicæ.

℞. Ambræ Grys. opt. drachmam unam,
solvatur in
Olei Cinamomi scrupulo uno,
Caryophyllor. scrupulo semis,
Nuc. Mosch. expr. drach. una,
Quibus invicem benè mixtis adde
Pulv. Cardamoni,
Nuc. Mosch. ana drach. tres,
Croci Austriac. drachm. unam semis,
Sem. Carui,
Anisi ana drach. unam sem.
Extracti Ligni Aloës n.
Resinæ Stor. cal. ana drach. duas,
Misceantur exactè ac cum s. q. Mellis nostri citrati, vel Anthos, fiat Massa, ex qua Pilulæ efformandæ, vel in alia aliqua Medicamenti forma propinanda. *Caput, Cerebrum, sensusque omnes, Ventriculum insuper & totum corpus roborans, Anhelitum putridum & fœtidum emendat, spiritusque Animales & Vitales recreat.*

Pilulæ de Cynoglosso Anodinæ.

℞. Rad. Herbarum & Florum
Cynoglossi uncias decem, vel libram unam,
Flor. Papaveris erratici recent. uncias septem vel octo,
Nymphææ albæ recent. uncias sex vel septem,
Fiat ex illis affusâ s. q. aquæ simplicis repetitis vicibus decoctum, quod optimè clarificetur, & cum illo dissolvantur
Opii per evaporationem Sulphur. Narcotici, præparati ut suo loco monitum est, unciæ tres.
Factâ solutione, coletur per cribrum angustum setaceum; colatura iterum leni calore cinerum ad consistentiam crassam extracti inspissetur vel evaporet, cui tandem adde
Resinæ Storacis Calamitæ, unc. unam,
Balsami Indici de Peru drach. quinque,
Ol. Nucis Mosch. expressi unc. semis,
Still. ligni Rhodii drach. unam,
Pulv. Gummi Ladani opt.
Animæ,
Olibani ana drach. sex,
Succini albi unc. unam,
Corallorum rubrorum. præpar.
Oculorum Cancror. præparat.
Matris perl. præp. ana drach. sex,
Croci Austriac. unciam semis,
Fiat massa competens ad pilulas efformandas.

Est Medicamentum præstantissimum ad omnes Catarrhos tenues sistendos; destillationibus quoque & defluxionibus confert; somnum conciliat, ac omnis generis dolores placat: Dysenteriam, diuturnas Diarrhœas, & immodera-

tum Menſium fluxum ſedat. Doſis grana viij. *Scrupulus ſemis ad ſcrupulum unum, & drachmam ſemis.*

Nota: Hæc præſtantiſſima Pilularum maſſa merito ſuo *vices Laudani cujuſcunque* ſupplere poteſt, ne dicam ſuperare, eâ enim in quantitate ac pondere competenti *reliqua, præter opium, Ingredientia* addita ſunt, quæ & ipſa virtutes ſuas, *Cor, Cerebrum, atque Ventriculum roborandi, confortandi, Hæmorrhagias, defluxioneſque alias ſiſtendi, læſa inteſtina conglutinandi, venularum eroſiones adſtringendi, exſerere valeant*, quibus utplurimum ac omnia ferè Laudana, quotquot etiam proſtent, deſtituta ſunt, cùm *præter opium vix ulla ingredientia* illis adjecta reperiantur, propter pondus illorum exiguum & minus proportionatum, *reſpectu ſcil. Opii*, quæ effectum aliquem edere, aut quicquam operari poſſint. De cætero quod *Caſtoreum* huic maſſæ (aliàs ferè omnibus Laudanis ordinarium Ingrediens) non adjunxerim, id minime ſine prægnanti ratione factum eſſe putes: Non enim unius, aut Hyſtericorum duntaxat, ſed multo plurium aliorum quibus *Caſtoreum* adverſatur Affe-ctuum gratia, *fluoris nempè immoderati & diuturni Mulierum, ut & Dyſenteriarum, &c.* hanc maſſam conſtruximus, utpote quibus Affectibus & ægrotis adverſum potius eſt *Caſtoreum*, quàm ut auxilium illis afferre poſſit. Nam ipſa teſtatur Experientia, quod *Caſtoreum* odoretenus quidem Hyſtericis proſit Mulieribus, at intra corpus ſumptum illud magis ſit nocumento: *Moſchus vero ipſiſſimus* in periculo etiam ſuffocationis *Hyſtericis Mulieribus* intro propinatus (ne tamen nares illarum feriat, ſed ſubitò deglutitus) ſummo eſt emolumento. Ratio in promptu eſt: Quemadmodum Caſtoreum intra corpus ſumptum, vi loco movendi, deprimendi vero aut rectius fugandi Matricem odoretenus tantummodo perceptum præditum eſt virtute: Ergò contrarium morbo moliuntur ii, qui *Caſtoreum Hyſtericis Mulieribus* infundunt, aut etiam infernè ſeu partibus Inferioribus femoribus ſcilicet alligant, cujus facinoris felicem ſucceſſum videre mihi nondum licuit.

Pilulæ Hepaticæ de Eupatorio.

℞. Succ. Eupatorii Meſuæ,
Agrimoniæ,
Hepatic. nobilis,
Abſinthii,
Cichorii ſylveſtris,
Endiv. ana depurat. lib. unam,
Quibus cum ſolvatur
Aloës ſuccotrinæ libra una,
Quæ iterum leniter cum ipſis, factâ prius colatura per ſetaceum, mediante calore cinerum evaporet; Cui, antequam prorſus ad conſiſtentiam maſſæ redacta ſit, adde
Pulv. Rhabarb. opt. unc. unam ſemis,
Rhapontici veri, unc. unam,
Gummi Ammoniaci cum Vino ad conſiſtentiam pultis ſoluti unc. unam,
Croci Orient. ſeu Auſtr. unc. ſemis,
Salis Armoniaci cum Chalybe ſublimati drachm. ſex,
Extracti Hellebori nigri n. m. parati unciam unam ſemis,
Fiatque maſſa pilularum juſtæ conſiſtentiæ.

Hæc maſſa Affectibus Hepaticis & Hypochondriacis dicata, non exiguis pollet virtutibus, modò in recta doſi adhibeatur: In Cachexia, Hydrope, Obſtructionibus Meſenterii & Hypochondriorum conducibilis eſt; è qua Maſſa pilulæ magnitudine piſorum formandæ, quæque repetitis vicibus bihorio poſt Cœnam uſurpandæ. Doſis ſcrupulus unus ad drachmam ſemis.

Pilulæ Hydragogæ.

Earum deſcriptio petatur ex *Appendice* n. ad *Animadverſiones* in *Pharmacopœia Auguſtana pag.* 11. cum annexa doſi & virtutibus, quas quidem Titulus prodit.

Pilulæ Hyſtericæ ſeu Matricales.

℞. Rad. Valerianæ,
Imperatoriæ ana unc. unam,
Herb. recent. Artemiſiæ,
Matricariæ,
Meliſſæ,
Mentæ criſpæ,
Roriſmarini,
Salviæ,

Cort. Arantiorum recent. & extim. ana unciam unam ſemis,
Opii per exhalationem ſpiritus Narcotici parati drachmas ſex,
Croci Auſtriaci unciam unam,
Inciſa & contuſa craſſiuſcule, ac Cucurbitæ vitreæ immiſſa, extrahantur cum ſ. q. Spiritus Vini, repetitis vicibus affuſi, quouſque Spiritus non amplius tingatur; Spiritus tincti omnes in B.M. ad extracti conſiſtentiam abſtrahantur: Cui extracto reſiduo ſpiſſo adde
Olei ſtillat. Succini,
Salviæ,
Roriſmarini,
Menthæ criſpæ,
Cort. Arantior. ex recent.
Cort. ſtill. ana drach. ſemis,
Coriandri ſcrupul. ſemis,
Pulv. Succini alb. præp. drachm. ſex,
Rad. Valerianæ,
Doronici veri,
Cort. Arantiorum ext. rec. ſiccat.
Myrrhæ rubræ,
Nuc. Moſch. ana unciam ſemis,
Macis drachm. unam ſemis,
Mixtis omnibus fiat maſſa Pilularum, *in Affectibus Hyſtericis & Uterinis, à ſcrupulo ſemis ad ſcrupulum unum porrigenda.*

Pilulæ Anti-Hypochondriacæ familiares.

℞. Pulv. Maſtichis electæ,
Myrrhæ translucidæ,
Olibani in granis,
Succini albi ana drachm. duas,
Croci opt. drachm. unam ſemis,
Rhabarbari unciam ſemis,
Agarici Trochiſcati drach. duas,
Magiſterii Gialap. Amygd. dulc. probè ſubacti unc. ſemis.
Miſceantur exactè, ſingulis tamen ſeparatim in pulverem priùs redactis: poſtea ſolvantur in mortario lapideo calido, ad pultis formam
Pulv. Aloës ſuccotrin. unciæ quatuor, cum ſuffic. quantit.
Elixyr. Proprietatis Paracelſi, addendo ſtatim
Extracti Hellebori nigri n. m. parati unc. unam ſemis, &
Pulveres ſuperiores, item
Ol. ſtill. Ligni Rhodii ſcrupul. duos.
Fiat. ſ. a. Maſſa Pilularum, *ex qua formentur Pilulæ mediocres, piſorum inſtar, quarum quatuor vel quinque bihorium à Cœnâ ſumendæ: In Obſtructionibus Hypochondriorum dolore Capitis, aliiſque Affectibus, quibus evacuatione opus eſt, quoties quoties in ſexu utroque feliciſſimè operantur.*

Pilulæ Anti-Hypochondriacæ aliæ.

℞. Rad. Hellebori nigri unc. quatuor,
Aſari unciam unam ſemis,
Hermodactylor. unc. unam,
Roſarum rubr. unciam ſemis,
Cremoris Tartari drachm. ſex,
Inciſa & contuſa coquantur in aq. ſimpl. ſ. q. repetitis vicibus affuſæ, quouſque virtus dictarum rerum totaliter prolecta ſit; decoctum colatum probè clarificetur, & ad libram unam ſemis circiter, in vaſe terreo leniter evaporet, quo cum reſiduo ſolvatur
Aloës ſuccotrinæ libra ſemis,
Quæ ſi impura ſit, per cribrum ſetaceum coletur, ac iterum leniter leni calore cinerum exſiccetur, aliquali tamen mollitie ſervatâ, cui adde,
Pulv. Maſtichis elect.
Myrrhæ,
Olibani,
Succini albi ana drach. tres,
Gummi Ammoniaci in modico Vini ad pultis formam ſoluti drachm. ſex,
Salis Armeniaci cum Chal. ſublimati,
Vitrioli Martis cum Spir.
Vitrioli facti ana unc. ſemis,
Fiat Maſſa Pilularum quæ aromatizetur
Ol. Stillat. Ligni Rhodii,
Macis ana drachm. una.
Uſus, ut horis duabus vel tribus à Cœna aſſumantur, ſed in parva quantitate, ut alvum ſaltem die ſequente bis vel ter laxent, ac inſuper etiam Obſtructiones reſerent, à granis XV, *ad ſcrupul. unum.*

Pilulæ Magiſtrales ſeu Panchymagogæ.

℞. Agarici albiſſimi,
Rhabarb. ſelecti ana unc. unam ſemis,

Rad. Hellebori nigri uncias duas,
Asari unciam unam,
Mechoacæ albæ,
Hermod. ana unc. unam semis,
Fol. Senæ el. sine stipit. uncias tres,
Pulpæ Colocynthid. unciam unam,
Sem. Ebuli unciam unam semis,

Incisa & contusa coquantur in aq. simpl. s. q. ad totalem dictarum rerum virtutum extractionem, ter quaterque aquam recentem affundendo; Decoctiones colatæ & expressæ album. ovorum clarificentur, & ad libras duas circiter evaporent, cui adde, & in eo residuo dissolve calidè

Aloës Hepaticæ libram unam,

Factâ colaturâ per cribrum setaceum, reducantur leni calore cinerum ad Extracti spissioris consistentiam, in fine superaddendo

Magisterii Gialappæ,
Scammoneæ ana Amygdal. dulcibus probè subactor. unciam semis,
Pulv. Mastich. electæ drachmas sex,
Ol. Nuc. Mosch. expr. drachm. unam semis,

Fiat Massa Pilularum, *è qua Pilulæ paratæ omnes humores purgant; Vertigini, Hemicraniæ, ac Capitis dolori succurrunt; pro universali igitur Cathartico meritò habendæ, dosis scrupulus semis, scrupulus unus, ad drachmam semis.*

Pilulæ Mastichinæ.

℞. Agarici albissimi uncias duas,
Rad. Asari unciam unam,

Infunde in Vini opt. & spirituosi libram unam, per diem & noctem; factâ postea colaturâ & expressione sed calidè adde expresso Vino etiam adhuc calenti

Aloës succotrinæ uncias tres,

Iterumque leniter evaporare sine, ad formam Extracti spissioris, cui admisce dum adhuc calet

Mastichis electæ pulverisatæ unciam unam,

Fiatque leniter exsiccando Massa *in affectibus Ventriculi & Capitis utilissima. Dosis scrupulus unus, drachma semis, ad scrupul. duos.*

Pilulæ Odontalgicæ.

℞. Opii Thebaici per exhalationem lenem Sulphuris Narcotici parati drachmas duas,
solvatur in
Spiritus n. Veneris drachmis sex,

Et per cribrum saltem setaceum cogatur, cui adde

Pulv. Rad. Pyrethri,
Mandragoræ ana drachm. unam semis,
Sem. Hyosciami,
Staphisagriæ,
Urticæ minoris,
Coriandri ana drach. sem.
Caryoph. drachmam unam,
Resinæ Abietis drachmas tres,
Gummi Animæ drachmas duas,
Camphoræ drachmam unam,

Misceantur, fiatque Massa, *ex qua postea formentur pilulæ oblongæ, alterutra sui parte in acumen nonnihil desinentes, cavernis dentium imponendæ.*

Pilulæ Antipestilentiales.

℞. Rad. Angelicæ,
Contrajervæ,
Zedoariæ ana unc. unam semis,
Herb. recent. Scordii nostr. unc. quat.
Rutæ hort. unc. tres,
Baccarum juniperi uncias duas,
Cort. recent. Citri extim. unc. unam semis,

Incisa & contusa coquantur in aq. simplici, sæpius affusa, quousque omnis prædictorum vis sit extracta: Decoctiones album. ovorum junctim clarificatæ ad libram unam semis circiter evaporent, cui residuo adde

Succi Scordii nostr. recent. expressi & depurati uncias octo,
in his solvatur
Aloës succotrinæ uncia una,

Factâ solutione & colaturâ per setaceum leni calore cinerum redigantur ad consistentiam Extracti spissioris, superaddendo

Pulv. Myrrhæ opt. uncias tres,
Croci. Or. s. Austr. unc. unam,

cum

cum modico Vini parumper diluta ad pultis formam,
Quæ, ubi jam debitam Massæ consistentiam acquisiverint, admisce vel instilla
Ol.stillat. Juniperi,
Rutæ,
Succini,an.drachm.unam,
Et malaxando fiat Massa *ad præservationem Pestis utilissima, à scrupulo semis ad scrupulum unum, in formam Pilularum redacta.*

Pilulæ de Rhabarbaro.

℞. Rhabarbari electi unc.duas,
Rhapontici veri unc. unam semis,
Rad. Cichorii sylvest.recent.unc.duas,
Apii,
Fœniculi an.recent.unc.unam,
Myrob. Chebulorum,
Citrinorum,an.unc. semis,
Cremoris Tartari drachm.quinque,
Incisa & contusa coquantur in aq. simpl. s.q.repetitis vicibus,ad omnimodam virtutum extractionem. Decoctiones colatæ, expressæ & alb. ovorum probè clarificatæ,ad libram unam circiter evaporent, cui residuo addantur
Succi Absinthii nostr.
Agrimoniæ,
Endiviæ,
Hepat.nobil.
Cichor.sylvestr.an.depurat.unc. tres,
In his mixtis solvantur
Aloës succotrinæ optim. unc. sex,
Factâ solutione & colaturâ per setaceum, in calore leni evaporent, & exsiccentur & consistentiam Extracto spissiorem, ultimò superinjiciendo
Pulv. Mastichis electæ drachm.sex,
Croci optim.drachm.tres,
Olei Ligni Rhodii drachm. unam,
Fiatque Massa Pilularum Epatica.
In Diarrhœis diuturnis, Lienteriis Fluxibus Hepaticis cruentis perquàm utilis. Dosis scrupulus unus ad drachmam semis.

Pilulæ Splenetica.

℞. Succorum Cichorii sylvestr.
Endiviæ,
Cochleariæ,
Nasturtii,
Absinthii an.depurat.unc.sex,
Decocti ex recenti Scolopendrio unc. octo,
In his macerentur per biduum,
Agarici Trochiscati,
Rhabarbari selecti,
Rhapontici veri ana unc. una semis,
Rad. Hellebori nigri unc.quatuor,
Factâ pòst unâ atque alterâ ebullitione, fiat colatura cum expressione, in colato hoc liquore dissolve
Aloës succotrinæ unc.octo,
Quâ solutâ & per cribrum setaceum colatâ,leni calore cinerum, aquositates ad consistentiam spissioris Extracti evaporent,addendo tandem
Pulv. Gummi Ammoniaci in modico Vini ad pultis formam soluti unc. unam,
Guttæ Gamandr.unc.semis,
Myrrhæ translucid.drachm.sex,
Vitrioli Martis ritè parati cum Spiritu Vitrioli unc. semis.
Misceantur: fiat leni calore Massa Pilularum debitæ consistentiæ, quæ
Olei stillat. Anisi drachma unâ semis aromatizanda.
Præstans in morbis Hypochondriacis, Spleneticis, Obstructionibus Mesenterii ac Pancreatis Remedium existit, & suppressa menstrua solvit. Dosis scrupulus unus ad drachmam semis, in forma Pilularum.

Pilulæ Stomachicæ.

℞. Pulv.Aloës Epaticæ unc.sex,
Solvatur in mortario calido ad pultis formam cum s. q.
Elixyr.Proprietatis cum Spir.Sulphur. ritè parati,
His adde
Succi inspissati Absinthii,
Extract.Centaurii min. ana drach.sex,
Hellebori nigri unciam unam semis,
Pulv. Diagridii Sulphurati unc. unam semis.

Myrrhæ rubræ,
Olibani,
Maſtichis electi,
Succini albi præp.
Baccarum Lauri ana drach. duas,
Croci Or. vel Auſtr. drach. unam ſem.

Fiat ſ. a. Maſſa Pilularum juſtæ conſiſtentiæ, ex qua formentur Pilulæ piſorum magnitudine, quarum quinque vel ſeptem pro doſi ſumendæ, bihorio poſt cœnam ante ſomnum, vel etiam horis matutinis.

Ventriculum vitioſis humoribus aggravatum expurgant, ac conſecutione quadam repetitis vicibus ſumptæ, à Capite & Hypochondriis humores ſuperfluos excrementitios trahunt, atque exturbant.

Pilulæ Balſamicæ & Stomachicæ.

℞. Pulv. Succin. albi præp. drach. unam,
Olibani,
Maſtichis,
Myrrhæ,
Gummi Animæ,
Ligni Aloës pond.
Nucis Moſchat. an. Scrup. duos,
Croci Auſtr. drach. ſemis,
Rad. Doronici veri drachmam unam ſemis,
Reſinæ Storacis Calamitæ, drachmam unam,
Balſami Indici de Peru,
Olei Nuc. Moſch. expreſſi. an. ſcr. duos,
Opobalſami veri Orient. q. ſ. pro maſſa juſtæ conſiſtentiæ efformanda, addendo ultimò
Ol. ſtillat. Cinamomi ſcrup. unum,
Fiat Maſſa.

Eſt ſaluberrimum Medicamentum Confortativum Cerebri atque Ventriculi: In Diarrhœa, Lienteria, Fluxu Hepatico Gonorrhœa virulenta, Fluore albo muliebri, Colica paſſione, & Nephritico dolore emolumento eſt. Doſis, quinque vel ſex Pilulæ juſtæ magnitudinis, ad inſtar piſorum ante vel poſt cœnam ſumendæ.

Pilulæ Stomachicæ aliæ Regiæ.

℞. Ambræ gryſeæ drachm. unam, ſolvatur in
Ol. ſtillat. Cinamomi,
Caryoph. an. ſcrup. uno,
Nucis Moſchat. expr. drach. una.
His adde:
Reſinæ Storacis Calam. drachm. duas,
Extracti Ligni Aloës n. reſin. drachm. duas ſemis,
Pulv. Maſtichis electæ,
Olibani,
Gummi Animæ,
Succini albi an. drachm. duas,
Macis drachm. unam ſemis,
Rad. Doronic. veri drachm. duas ſemis,
Croci Auſtriac. drachm. duas,

Miſceantur ac cum Melle Roriſmarini efficiatur Maſſa, è qua Pilulæ, quotieſcunque uſus poſtulat, formandæ: *Ventriculum, Cerebrum, & totum Nervoſum genus inſigniter roborantes.*

Pilulæ de Terebinthina ad Gonorrhœam Virulentam.

℞. Pulv. Antimonii Diaphoretici ritè ac recenter jamjam parati unc. ſemis,
Cinnabaris Nativi rubicundi,
Terræ Sigillatæ Sileſ.
Rad. Liquiritiæ raſæ,
Ireos Flor.
Succini albi an. drachm. tres,
Oculorum Cancrorum præpar. unc. ſemis,
Maſtichis electæ,
Olibani,
Myrrhæ rubræ,
Croci Auſtr. ana drachm. duas,

Miſceantur, ac cum ſ. q. Terebinthinæ claræ, efficiatur Maſſa, *ex qua Pilulæ mediocres efformandæ, quarum quatuor, quinque, vel plures pro doſi una exhibeantur.*

Habes hîc Amice Lector & in hâc Medicamenti formâ locupletiſſimam penum, è quâ fidiſſima remedia ad quoſcunque Languores, ac Morbos depromere valeas, tuo idipſum ſignaturus teſtimonio, dum vel ipſe verecundè conticeſco. Serviant igitur noſtri labores Tibi inſtar

ſtar

ſtar Cornu Copiæ, repudiatis tot inconcinnis & ſiniſtris Pilularum inventis, de quibus meritò ambigas, pluranè contineant Ingredientia, an vitia, verba an ſophiſmata; ut meritò quiſque demirari poſſit, quò inſaniæ aliqui proceſſerint, ut ſe proſtituto adeò modo riſui & oſtentui omnibus expoſuerint, dum ejuſmodi abortivas compoſitiones meditarentur ſine ſole & ſale. Quod, ut factis demonſtrem, unicam adjiciam Pilularum compoſitionem, quæ ſecreti loco ad nos directa olim fuerat; ex qua omnibus pronum erit deducere, vel iis, qui primis, ut ajunt, labris ſcientiæ fontes prælibarunt, taceo Viros in Arte conſummatos, quàm indecentia & ridicula in unam Maſſam conflata ſint. Ut nulla ſit abſurditas aut error, qui huc citatus non commigrarit, quot verba tot errata. Eſt igitur talis deſcriptio quam formalibus ac nudis verbis prout primitus conſignata fuit, delineo.

Compoſitio ipſa & Præparatio Harum Pilularum univerſalium hæc eſt.

℞. *Herb. Agrimoniæ,*
Centaurii min.
Hyſſopi,
Cardui bened.
Scolopendrii,
Fragariæ,
Veronicæ,
Meliſſophilli,
Salviæ,
Abſinthii,
Lupuli ana Man. unum,
Ceraſorum nigror. exſiccator,
Baccarum juniperi ana unc. quatuor,
Raſuræ Ligni Sancti unc. duas,

M. omnia groſſo modo inciſa, ſignentur
Herbæ pro deſtillatione.

A.

℞. *Rad. Tormentillæ,*
Pimpinellæ,
Fœniculi,
Apii,
Caryophyllatæ,
Enulæ,
Cichorii, ana drachmas duas,
Zedoariæ unciam unam,
Herb. Majoranæ,
Chamæpithyos,
Fumariæ,
Epaticæ,
Serpilli an. Man. ſemis,
Flor. Bugloſſi,
Borraginis,
Betonicæ,
Anthos,
Lilior. Convallium ana Pug. duos,
Sem. Coriandri præpar.
Napi,
Aniſi,
Pæoniæ,
Baſilicon. an. drachmam unam,
Rhabarbari optimi, uncias duas,
Agarici Trochiſcati unciam ſemis,
Cort. exterior. Citri,
Arantiorum,
Fraxini,
Guajaci,
Cinamomi ana drachmas duas,
Croci Oriental. drachm. tres,
Ligni Aloës veri drachm. duas,

Incidantur & contundantur. Signentur
Pro Infuſione.

B.

℞. *Aloës ſuccotrinæ uncias octo,*
Succi Roſarum uncias tredecim,
Limoniorum uncias decem,
Cydoniorum uncias ſex,

Miſceantur. Signentur Succi

C.

℞. *Myrrhæ electæ unciam ſemis,*
Ammoniaci,
Thymiamatis an. unc. unam,

Miſceantur. Signentur
Gummi in aceto diſſolv.

D.

℞. *Rad. Vincetoxici,*
Biſtortæ,
Carlinæ,
Diptamni albi,

Angelicæ,

Angelicæ,
Tormentillæ,
Scorzoneræ,
Gentianæ,
Petasitid. an. drachmas duas,
Herb. Scordii,
Rutæ ana Man. unum,
Hederæ terrestris,
Acetosellæ,
Chelidonii,
Scabiosæ,
Bardanæ ana Man. semis,
Flor. Calendulæ,
Quatuor Cordialium,
Centaurii,
Genistæ,
Hypericon. ana Pug. duos,
Sem. Plantaginis,
Levistici,
Chermes,
Acetosæ,
Aquilegiæ ana drach. unam,
Rasuræ Corn. Cervi crudi,
Eboris. an. drachm. duas,
Terræ Sigillatæ,
Boli Armenæ ana unc. semis,
Succini albi drachmas tres,
Camphoræ scrup. quatuor,
Corallorum rubeorum,
alborum ana drach. unam semis,

Misceantur. Signentur

Medicamento pro Aceto Bezoardico.

E.

℞. *Aceti Vini purissimi lib. unam semis,*
Rubi Idæi,
Sambuci,
Florum Tunicæ,
Scillitici ana uncias quatuor,

Misceantur. Signentur,

Acetum pro Aceto Bezoardico.

F.

Jam verò.

Litera *A. notata Herba*, in *Aqua pluviali destillata*, vel *sero Lactis destill.* biduum macerentur, deinde destillentur, & rectificentur.

Litera *B. signata*, aspergantur *aqua destillata litera A.* & tandem in loco calido macerentur, donec omnis virtus extracta sit, & postmodum extractio coletur & exprimatur.

Litera C. *succi nominati*, cum supra dicta *B. extractione* permisceantur.

Gummi Litera D. in s. q. *Aceti Bezoardici* dissolvantur & colentur; & cum *succis* C. misceantur.

Materiæ hæ conjunctæ indantur vitro, ita ut mediam partem impleant, cooperiatur vitrum vitro alio imposito, ac octo diebus ac noctibus in cineribus vel M. B. digerantur, interim tamen crebrius agitentur, probeque confundantur; tum demum ut resideat, permittendum; Quod clarum est, sensim decantetur, & servetur. *Fæcibus relictis Aq. litera A.* affundantur, & fiat digestio ut prius, donec omnis vis extracta sit, tum omnia conjungantur & benè clausa in B. M. lento calore digerantur; Purum & clarum decantetur, & in M. B. ad dimidiam partem abstrahatur; postea, abjecto Alembico ad Syrupi consistentiam evaporet, & lento tandem igne ad Extracti formam coquatur.

Omnes remanentiæ calcinentur, sal cum aqua stillata extrahatur, & cum Extracto permisceatur.

Destillatum efficax est sudoriferum ad unciam datum. (sed si credere fas est.) Ex drachma una Exrracti fiant pilulæ xxx. dosis tres ad septem, pro ratione ægri & Morbi ante Cœnam.

Hæc est pro Coronide hujus Classis speciosa, tanto autem Viro Authore indigna Pilularum Compositio, annexaque ejus præparatio. Ambæ vix cassa nuce dignæ, quas quilibet qui vel hirquis emissitiis illas inspexerit, primo intuitu absurditates utrobique deprehendet.

PHAR-

PHARMACOPOEIÆ REGIÆ

CLASSIS SEPTIMA,

Extractorum Genuinum Conficiendi modum tradens.

DE Extractis in hac Classe ex professo acturo, operæ pretium est, de illis universaliter nonnulla præmisisse, è quibus tamen omnium Extractorum dextrè componendorum parandorumque ratio & modus facilè patebit.

Nomen quod attinet, Extracti in Medicina, ea res subtilis quæ ex crasso & simplici aliquo corpore, sive ex iisdem pluribus mixtis, beneficio cujusdam Menstrui vel liquoris extrahentis prolecta est, meretur: in qua verò tota virtus vel essentia rei, sive rerum extractarum resideat, mortuo quasi vel inefficaci corpore crasso in residuo remanente.

Distinguitur Extractum ab Essentia, solâ ferè consistentiâ suâ crassâ, cùm Essentiæ verè proprieque liquida sint Extracta. Consistentia vero Extracti propriè & medicè sumpti, semper quidem crassa, non tamen una eademque est: quandoque enim Mellis instar seu liquidi Electuarii esse convenit pro Potionibus; vel etiam Bolis conficiendis; aliquando magis crassa instar massæ cujusdam, ut Pilulæ protinus ex illa efformari queant.

Sunt inventa & excogitata Extracta à Medicis, ut non solum in minori quantitate & pondere, quam res ipsa è quibus elicitæ sint, intra corpus sumptæ, operentur; verùm etiam, ut propter subtilitatem & separationem puri ab impuro benignius & sine molestia vires suas operationesve exserant, penitius penetrent, in liquoribus solubilia sint, & ob id minus nauseabunda, ac liquoribus soluta, haud uti pulveres atque res crassæ fundum petant, tædiumve concilient assumenti. Menstrua vel liquores quibus mediantibus Extracta proliciendа, varia existunt; quæ & ipsa pro diversitate rerum extrahendarum variari debent, ut unicuique subjecto extrahendo, suæ naturæ congruum homogeneumvè Menstruum vel liquor extrahens adaptetur, quo cum aptè atque debitè tùm è Mineralibus, tùm Vegetabilibus inter se maximè discrepantibus & ipsis etiam Animalibus, Essentiæ, Virtutes aut quocunque nomine appellare libet, elici possint, relictis inutilibus ac viribus exhaustis terrestribus reliquiis. Et quidem pro Extractione Vegetabilium, cum quibus nobis præcipuè in hac Classe res est, apta dantur Menstrua; Inprimis Spiritus Vini pro resinosis omnibus, spiritus ipsorummet Vegetabilium aliorum ardentes, Acetum destillatum & crudum, nec non aquæ etiam destillatæ ipsaque simplex aqua. E quibus jam pro cujus vis intentione eligi possunt, quæ maximè proposito inservire videbuntur, nec minus Menstrua cuique accommodata parari.

De cætero scitu summoperè necessarium est; Non omnes res sive Vegetabilia, indiscriminatim Extractionibus esse idonea, ut Extracta ex illis consistentiâ crassâ conficiantur; sed ea saltem, quæ Spiritu Sulphureo facilè in auras avolante non sunt prædita, secus enim spirituosiores & subtiliores eorundem partes in abstractione ad debitam consistentiam æthera peterent, relictis partibus crassioribus, sive Extracto potioribus destituto viribus.

Exemplum in hoc genere sit nobis Lignum Aloës, odoriferum & resinosum subjectum, ex quo frequenter Extractum elicere student, sed non admodum benè. Nam, quamvis Lignum Aloës ejusmodi subjectum sit, cujus essentia resinosaque substantia de facili cum Spiritu Vini eliciatur, nihilominus si illa extracta essentia ad spissitudinem Mellis (quæ nonnisi Resina erit) abstrahenda est, reverà potiores subtilioresque ac magis odoriferæ earum partes, unà cum spiritu suo vel Menstruo abstrahente evolabunt, resinâ post se relictâ, fragranti suo odore

potiori privata. Idem de aliis dicendum multò notioribus, utpote Cinamomo, Caryophyllis, Aniso, &c è quibus & aliis similibus Aromatibus & subjectis, etiam Celeberrimi alias Viri Extracta conficere praeceperint, quod quàm indignum autem, ne dicam absurdum conamen sit, vix est effatu possibile.

Quæ porrò de Gummatibus atque aliis subjectis extrahendis, in specie praemittenda forent, ea fusè, ac perspicuè satis ni fallor, in Appendice nostra super Classem de Extractis pag. 14, 15, 16. *nec non in Animadversionibus nostris super Balsamum Aloes factis, praefati sumus, & discussimus, adjectis legitimis quibusdam modis extrahendi, quodque Menstruum rebus Catharticis extrahendis aptissimum sit, ostenso; sententiis insuper contrariis discussis, quorsum L. B. ablego, ad speciales Extractorum compositiones praeparationesque progressurus. Non autem opus erit tantâ prolixitate, aut tot, & tàm diversas Extractorum compositiones efformare, titulisque peregrinis exornare; Hoc unicum monendum duxi, ut Extracta simplicia dextrè & legitimè conficiantur, videlicet de Agarico, Asaro, Rhabarbaro, Gialappa Mechoacanna, Foliis Senæ, Helleboro, Colocynthide, &c. E quorum competenti mixtura, si tantoperè composita expetantur, Cholagoga, Phlegmagoga, Melanagoga, Panchymagoga, &c. ex tempore parari possunt.*

Extractum Agarici.

QUâ ratione Extractum hoc ritè parandum sit, *Animadversiones* nostræ in praecedente *Pharmacopœia Augustana* luculenter docent, ubi etiam ratione sui Menstrui pulchra quædam, scituque necessaria addita sunt, quæ L. B. consulat.

Extractum Rad. Asari.

QUamvis Radix hæc resinosa non sit, adeoque cum quodam liquore vel menstruo aquoso, aut simplici etiam aqua extrahi possit, repetita saltem coctione, nihilominus cum Spiritus Vini essentiam rerum Catharticarum subtilius eliciat, partibus crassioribus relictis, & quia Asarum primâ in aqua ebullitione ex Emetico in Diureticum transit, non ita vero in Vino ac in aqua radix incocta mitescit, suasor sum, ut hujus radicis Extractio cum Spiritu Vini peragatur, quæ simpliciter sequenti modo instituenda.

℞. Rad. Asari mundat. lib. unam,

Ex quibus grosso modo contusis ac vitreo Alembico immissis, affusa suffic. quantit. Spiritus Vini simplicis, repetitis vicibus (semper ad supereminentiam sex vel octo digitorum transversorum) extrahe essentiam, quousque spiritus affusus non amplius tingatur: Tincturæ seu essentiæ aut Extractiones omnes junctim filtratæ in Alembico apposito capitello, leniter ad libram unam circiter abstrahantur: Residuus tandem liquor in vase duplici terreo, diplomate dicto, ad spissitudinem vel crassitiem pultis seu Electuarii leniter tandem evaporet, cui pro aromatizatione adde

Olei stillatitii Ligni Rhodii,
Nucis Mosch. expressi an. drach. semis,
prius cum
Pulv. Sacchari albiss. unc. una permistorum.
Fiatque Extractum.

Evacuat Pituitam, ut & flavam Bilem, consecutione quadam ex capite superfluas easque viscosas allicit humiditates, quod si in paulo largiori quantitate vel dosi assumatur, per Vomitum viscidos crassosque humores, Febrium causam exturbat; in minori autem quantitate usurpatum, per inferiora tantum operatur. Dosis scrupulus semis, ad scrupulum unum & drachmam semis.

Extractum Colocynthidos.

PRo hac violenti hujus Cathartici extractione hoc antea monendum, quòd, quamvis raro Extractum hoc in usum veniat Medicum intellige per se solum, nihilominus tamen non planè carebit usu, praesertim si accuratè paratum, correctumque fuerit, multis parasangis Trochiscos Alhandal antecellet, ut, qui è cruda prorsus Colocynthide confecti, haud exiguam naturæ vim, uberiori aliquanto dosi exhibiti, inferunt; quam ob rem suaderem, ut ex hoc Ex-

Extracto demum Trochisci conficerentur, addito corpore quodam congruo, quod & facilius & citius in effectum deduci potest, quam de cruda Colocynthide Trochiscos confecisse: Nam tantâ cum difficultate in pulverem redigenda Colocynthis, (quod tamen necessarium est, si Trochiscos ex illa conficere animus sit) ut propemodum impossibile videatur, dum vim pistilli omnem respuat, nisi Mucilagine Tragacanthi, vel Gummi Arabici permixta & denuò exsiccata fuerit. Sit itaque extracti hujus præparatio talis:

℞. Pulpæ Colocynthidos à seminibus liberatæ lib. unam,

Coquatur in aq. simplici repetitis vicibus affusa & colata usque dum omnis efficacia & virtus Cathartica extracta sit, Colaturæ omnes leniter evaporent ad consistentiam vel spissitudinem Mellis: Quod Extractum vel ita crudè asservandum, vel ex eo, addito pane triticeo, in dupla vel minore quantitate Trochisci sunt efformandi, qui aromatizandi, pro odore duntaxat grato conciliando, olei Nucistæ expressi particulâ. Si vero idipsum Extractum mitius in operando, & penetrantius esse velis, extrahatur hoc crassum & simpliciter cum aqua simplici factum Extractum, denuò cum suffic. quantitate Vini Spiritus boni, & videbis magnam prioris Extracti partem, ab hac secunda extractione intactam relinqui, & in residuo manere, quâ crassitie abjectâ, spiritus colatus leniter per Alembicum abstrahendus, quoad Extractum justam consistentiam fuerit nactum, quod asservandum.

In virtute haude dubiè crudæ Colocynthidi, vel ex ea confectis Trochiscis præferendum, & præcipuè massis Pilularum acuendis Extractum hoc aptissimum erit. Dosis gr. v. vel vj.

Nota: Verùm & insuper sciendum, quod *Colocynthis*, licet res sit siccissima, in extractione tamen cum *Spiritu Vini* peracta, *Resinam* quandam præbeat, uti *Galappa Mechoacanna, &c.* Igitur ne & illam perditum eamus, & Spiritui Vini parcere quis nolit, poterit equidem ex illa *Colocynthide* Extractum cum Spiritu Vini solo conficere, ad normam Extracti Galappæ, quod legitimè etiam paratum ad usus debitè accommodandum est.

Extractum Hellebori Nigri.

Radicis hujus Extractum dexterius conficiendum *Animadversionibus* nostris quidem inseruimus, annexis simul notis nonnullis; Verùm ut luculentius pateat, non parcam operæ, quin præparationem ejus denuò hîc annectam.

℞. Rad. Hellebori nigri mundatar. lib. duas,

Conquassatæ coquantur cum s. q. aquæ simplicis, repetitis vicibus affusæ & colatæ (verùm in terreo, aut etiam ferreo, non autem cupreo, vase) usque dum vires omnes sint evocatæ: Colaturæ omnes pòst leniter in terreo vase evaporent ad Mellis vel Electuarii spissitudinem: Quo facto, ut præstantius & subtilius efficiatur, illud de novo cum s. q. Spiritus Vini boni extrahatur, quousque Spiritus Vini affusus colore rubeo tingatur; proinde repetita etiam spiritus affusione opus est; videbis enim magnam prioris Extracti partem fœculentam à Spiritu Vini intactam relinqui; quâ ergo abjectâ, spiritus tincti omnes in B.M. abstrahendo redigantur ad consistentiam Extracti justæ consistentiæ.

Nota: Accurata autem opus est lustratione atque inspectione in coëmptione Radicum Hellebori nigri, ne Aconitum, Germanicè Wolffswurtz / quod summum est deleterium, pro Hellebori radice, (cum hæ duæ radices quoad externam formam si folia sint detracta, à se invicem vix dignosci queant,) emendo apprehendas, quod jam binis vicibus contigisse memini.

Deinde ulteriùs notandum, quòd prædictum Extractum modo ostenso dextrè paratum, mitissimum & haud violentum sit pharmacum, nec multum purgando per Inferiora, minus per superiora operetur; Idcircò hanc apprehendi sententiam, quod, cum radices hæ in coctione, aquâ affusa, vel potius in destillatione, aquam præbeant, acrimoniâ manifestâ imbutam (cujus usus quidem me adhuc latet) illam fortè vim potiorem Vomitoriam & purgantem, forti cocturâ aut destillatione secum rapuisse, quæ in spiritu quodam volatili salino atque acri consistere debet, eò quod salis fixi exiguam Helleborus præbeat particulam, si, uti alia ferè omnia

Vegetabilia, per ignem in Cineres redigatur. Nec tamen negandum prius cum aqua simplici, simplici coctura paratum Extractum multò potentius & violentius operari, sed & crassius illo cum Spiritu Vini denuò parato Extracto existere.

Et quæ superius in sæpius citatis n. *Animadversionibus* de Radicum harum essentia monuimus, ea curiosa mente & diligenter pensitentur. Insuper & hoc est scitu necessarium, differentiam quandam inter has radices esse ratione loci, ubi effossæ sunt, & illam quidem quoad Vires Catharticas; nam illæ quæ ex Styria apportantur, virtutibus suis reliquas antecellunt.

Cæterum, inter Vegetabilia Melampodium præ aliis mirâ trahendi vi præditum est, de quo Sala: at hoc Extractum Hellebori nigri præsertim cum Spiritu Vini Tartarisato, per salem Tartari essentificatum, præparatum, laudatur in iis Dementiæ & Melancholiæ Hypochondriacæ speciebus quæ non simpliciter ab internæ Imaginationis thimosi inceperunt, sed vel à sordibus Hypochondriacis ortum ducunt, vel humoribus corporis transmutatione erroneâ vitia imprimunt; unde Amentiæ Hypochondriacæ exonerato Liene & Febres Chronicæ superantur & mitescunt.

Extractum Castorei.

℞. Castorei ab omnibus Membranis pinguedineque separati, non vetusti, unc. quatuor vel q. pl.

Cui subtilissimè inciso & Cucurbitæ vitreæ immisso superaffunde

Spiritus Cerasorum ardentis unc. duas,

Factâ maceratione unius diei, abstrahatur fortiter destillando, per M.B. totus spiritus affusus, ad siccitatem Castorei: Spiritus abstractus studiosè asservetur. E residuo in Alembico Castoreo, affusâ s. q. Spiritus Vini, repetitis vicibus, extrahatur essentia, quousque spiritus affusus colore inficiatur; tandem spiritus tincti omnes filtrati in Alembico vitreo leni balnei calore abstrahantur ad consistentiam ferè Syrupi vel liquidiorem, residuum ex cucurbita effusum in fictile seu potius in vitream patinam aquæ diplomatis debitè immersam; adhuc evaporet ulterius, ad satis densam Extracti consistentiam & spissitudinem, cui demum jungatur & restituatur destillatus ab eo spiritus suprà asservatus, additâque

Essentiæ Arantiorum saccharinæ ex recent. Cort. paratæ unc. semis,

Fiat Extractum justæ consistentiæ,

Ad Affectus Cerebri, Apoplexiam, Epilepsiam, Lethargum, nec non ad Variolas expellendas, aliaque Exanthemata protrudenda, proficuum: Utrum vero in Affectibus etiam Uterinis salubre esse possit, cuilibet opinionem suam liberam relinquimus; Mihi quidem res ob rationes paulo ante apud Pilulas do Cynoglosso allatas, suspecta videtur. Dosis erunt paucula grana.

Extractum Croci.

AD eundem plane modum præcedentis Extracti de Castoreo etiam hoc legitimè parari potest: Quamvis etiam cum Aqua aliqua Cordiali Extractio, tanquam è re non resinosa, quæque in quemlibet liquorem aquosam suam liberè deponit Essentiam atque Tincturam, facili negotio perfici possit. *Est Cordiale Medicamentum, mitigativum, affectibus quoque Cerebri, Uterinis, item Epilepticis atque Hystericis proficuum. Lætitiam excitat, Cordique robur confert. Dosis aliquot grana in vehiculo convenienti sunto.*

Extractum Antifebrile.

℞. Corticis Chinæ Chinæ paucis ab hinc annis ex India Orientali ad nos translatæ unc. duas,

Rad. Calami Aromatici unc. unam,

Gentianæ,

Flor. Centaurii minoris an. unc. duas,

Ex incisis & crassiusculè contusis, eliciatur cum suff. quant. Spiritus Vini repetitis vicibus affusi, virtus tota, quousque Spiritus Vini colore rubro inficiatur; Spiritus tincti omnes filtrati in Alembico vitreo per M. B. ad Extracti spissioris consistentiam destillando leniter abstrahantur. Servetur Extractum residuum ad usum: *quod præsentaneum est remedium in Febribus Tertianis & Quartanis, cum Intermittentibus tùm Continuis, instante Paroxysmo, vel hora una aut altera antea exhibitum.*

Dosis

Dosis scrupulus unus aut drachma semis, sive in forma Pilularum, sive in liquore appropriato solutum.

Nota: Ex solâ coctione Chinæ Chinæ (quæ Romæ & Venetiis venalis prostat) Extractum simpliciter confectum, easdem obtinet virtutes, *Paroxysmos, fermentumque febrile extinguendi, dissipandi, quò certè præsentius Remedium aut Febrifugum hucusque non fit inventum, vel raro vel nunquam fallens Medicum aut agrum modò debito tempore, opportunè ac præmissis præmittendis exhibeatur.*

Extractum Hydragogum.

℞. Rad. Asari,
Ebuli ana uncias tres,
Calami Aromatici,
Enulæ ana unciam unam,
Gialappæ,
Mechoacannæ,
Vincetoxici ana uncias quatuor,
Rhabarb. optimi unciam unam semis,
Herb. Soldanellæ,
Gratiolæ,
Scolopendr. ana uncias duas,
Agrimon. uncias duas semis,
Sem. Apii,
Bardanæ majoris,
Nasturtii,
Ebuli,
Urticæ,
Thlaspios nostr. ana unciam unam,

Incisa & contusa immittantur Cucurbitæ Vitreæ, ac cum s. q. Spiritus Vini, repetitis vicibus affusi, extrahantur virtutes omnes, quousque nimirum Spiritus Vini tingatur; Extractiones omnes in Alembico Vitreo ad libram unam circiter abstrahantur; Resina, quæ residuo liquori innatabit studiosè separetur, exsicceturque leniter, &, ut sæpius monui, vel Amygdal. dulc. benè subacta, & in pulverem conversa, vel Spiritu Vini recenti rectificatissimo denuò soluta; ultimò tandem Extracto jam sufficienter & ad consistentiam debitam abstracto admisceatur.

Porrò
℞. Succ. depur. Rad. Bryoniæ,
Iridis nostr. ana unc. decem, Hep. nob.
Matrisylv.
Mercurial. ana unc. octo,

Ac cum superiori jam Extracto liquido, à quo innatans sua resina separata est, in leni calore, vel supra lenem ignem in vase duplici, ad competentem Extracti consistentiam unita evaporent, cui Extracto ultimò jungantur,
Superior separata & asservata Resina, Amygdalis probè subacta, vel Spiritus Vini particulâ denuò soluta,
Item
Magisterii seu Resinæ Scammoneæ Amygdalis pariter probè subacti drachmæ duæ,
Extracti Gummi Guttæ uncia semis,
Et usui reponatur. *Hydropicis proficuum. Dosis drachma semis ad drachmam unam in vehiculo convenienti.*

Extractum Mechoacæ.

Harum Radicum resinosarum extractiones in *Appendice nostra ad Animadversiones in Pharmacop. August. p. 16.* non obscurè indigitatæ, nec non earum Magisteria dextrè conficienda, in *Animadversionibus* iisdem *pag. 452.* exposita reperies. Verumenimverò, ne quidquam mancum opusculo videatur, sequentes superpondii loco addo præparationes.

℞. Rad. Mechoacæ albæ
vel
Rad. Gialapp. libram unam,

Quamcunque harum volueris: ex his incisis & contusis, nec non cucurbitæ vitreæ immissis, extrahatur cum sufficiente quantitate *Spiritus Vini rectificati*, repetitis vicibus affusi, & depleti, tota earum essentia, virtus ac resinosa substantia, usque dum *Spiritus* non amplius colore imbuatur; *Spiritus tincti omnes* prius filtrati per Alembicum destillando leniter abstrahantur, ad pauci liquoris remanentiam (libræ unius circiter) *residuo in Alembico liquori* aliquot unciæ *Aqua Rosarum* affundantur, pro exactiori *resina* præcipitatione, relicto à de-

ſtillatione liquori innatantis, quam deinceps à liquore reſtante exactè ſeparatam, *& Aqua Rosarum fragrante* ſæpius lotam, in ſcutellâ leniter retrò fornacem, vel in cineribus; & quidem ſi ex *Galappa* fuerit, totaliter exſicca, ut in pulverem queat redigi, & *Gialappæ Magiſterii ſeu Reſinæ* nomen mereatur. Sin verò à *Mechoacanna* extracta fuerit *Reſina*, eandem non ad ſiccitatem totaliter, ſed ad ſolidam ſatis, nec tamen planè *ſiccam Reſinam*, mediante leni calore ſimiliter redige, idque in ſcutellâ pariter vitreâ vel terreâ. Jam verò *reſiduum liquorem ſeu liquidum Extractum*, à quo *Reſina* ſeparata fuit, in diplomate, vaſe nimirum duplicato, ad conſiſtentiam Extracti ſpiſſiorem, ſive Electuarii, evaporare ſine, cui Extracto ſpiſſo dum adhuc calet, uniatur jam legitimè *ſua reſina ſuperius ab eo ſeparata & exſiccata,* ut ſolubile Extractum ex ambobus efficiatur. Sed cum hæ Radices, ſcil *Galappæ & Mechoacæ*, copioſam in extractione præbeant *Reſinam,* pauxillum verò Extracti in aqua ſolubilis (prout hîc loci Extractum accipimus) idcircò ambæ totaliter, quemadmodum extractæ ſunt, uniri verè nequeunt, ita ut in quolibet liquore poſtea ſint ſolubilia, & veri Extracti nomen mereri poſſint; Neceſſum igitur eſt, ut unio ſive mixtura horum duorum, abſtracti videlicet Extracti & Reſinæ, competenti quantitate ac pondere hujus atque alterius inſtituatur. Verbi gratia ſint

Extracti abſtracti unciæ quatuor,
vel Gialapp. vel Mechoacæ,

admiſceantur vel aduniantur his quatuor unc.

Reſinæ vel Gialapp. vel
Mechoacæ unciæ duæ,

ſequenti modo: nimirum,

Pro Extracto *Gialappæ*, ejus *Reſinam* totaliter exſiccatam, & in pulverem redactam ſubtilem, pondere ſupradicto, prius cum

Amygdal. dulc. decort. unciâ unâ vel unâ ſemis,

probè ſubactam, Extracto, jam tùm ad juſtam conſiſtentiam abſtracto, ſtudioſè commiſce, addita nec non

Eſſent. Arant. ſaccharinæ è recent.
Cort. parat. uncia una,

Fiat Extractum Gialappæ,

Pro Extracto verò Mechoacæ albæ hunc ſequere modum videlicet.

Reſ. Mechoacæ aliqualiter & quantum fieri poteſt ſiccatæ unc. duæ,
ſolvantur denuò in
Spiritus Vini rectificatiſſimi, ut ſine omni phlegmate aquoſo ſit, unciis tribus vel quatuor,
ac tandem
Extracti ad ſatis craſſam ſpiſſitudinem abſtracti unciis quatuor.
commiſce.

Fiatque Extractum Mechoacæ albæ,

De *Spiritu* nonnihil leni calore exhalando, cum promptè leni caloris pulſu æthera petat, ut juſta Extracti conſiſtentia emergat, addatur ultimò

Eſſent. Arantiorum ſacccarinæ ex rec.
Cort. uncia una,

Hæc dextrè deſcripta Extracta ferè unius ejuſdemque ſunt virtutis, quamvis *Gialappæ Extractum* quodammodo efficacius ſit altero: *ambo evacuant aquoſas ac ſuperfluas totius corporis humiditates, unà cum flava bile. In Cachexia, Hydrope Aſcite & Anaſarca aliiſque Morbis, in quibus purgatione opus, feliciter adhibentur, à ſcrupulo ſemis, ſcrupulo uno, & drachma ſemis, prius quidem Syrupis ſolvenda, tandem etiam liquoribus permiſcenda.*

Extractum Rhabarbari, & Extractum Foliorum Senæ.

HÆc Extracta ut debitè conficiantur, præcedentes modi ſimplicium Extractorum obſervandi & imitandi ſunt: Et cum *Rhabarbarum* Radix ſit, cujus eſſentia cum aqua aliqua ſimpliciter deſtillata elici quoque poſſit, poterit illa, ſi *Spiritus Vini* ſuſpectus, & nimis calidum exinde futurum Extractum quiſpiam præſumeret, cum *Aqua Cichorii vel Endiviæ* extrahi, & uſui ſuo accommodari.

Par ratio eſt & idem modus in extractione *Foliorum Senæ* obſervandus: hoc tamen certò certius quod extractiones cum *Spiritu Vini* peractæ, multò ſubtiliores & penetrantiores ſint, quam illæ quæ cum aquis peraguntur. Exemplo nobis ſint præmiſſa *Hellebori atque Aſari* Ex-

Extracta: quarum *Radicum Essentia & Tinctura* etsi primum cum *Aq. simplici* prolectæ & evocatæ sint coquendo, posteà tamen cum *Spiritu Vini* institutâ repetitâque extractione, apparet crassities prioris fœculenti extracti *cum Aqua* facti: Sic, si mihi res tota committeretur, hæc duo Extracta duplici modo parata in Pharmacopoliis prostare præciperem, *cum Aqua* scilicet simpliciter parata, & *cum Spiritu Vini*; quorum illa nonnihil efficaciora, hæc verò blandiora in operationibus futura.

Et si Pharmacopœi, laboribus, tempori, ut & *Spiritui Vini* parcere vellent, cujus non exigua copia desideratur, præsertim *ad Folia Sena* extrahenda, præstaret modum imitari in extractione *Radicum Hellebori nigri* edoctum, ita faciliori negotio, minorevè pretio hæc ipsa Extracta conficerent. Quorum usus & doses patent: superfluum igitur esset multa de his addere.

Extractum Panchymagogum, seu magistrale, ad potiones.

℞. Rhabarbari optimi uncias duas,
Rad. Gialappæ uncias tres,
Hermodactylorum,
Hellebori nigri,
Turbith albi Gum. ana unc. duas,
Fol. Senæ elect. sine stipit. unc. tres,
Sem. Ebuli, unciam unam semis,

Incisa & contusa extrahantur cum *Spiritu Vini*, repetitis vicibus affuso, quousque tota vis Cathartica extracta sit; Extractiones autem filtratæ omnes in Cucurbita vitrea per B. M. abstrahantur ad remanentiam libræ unius circiter, postea à liquore sive extracto liquido *innatans resina* separetur; quo facto, liquor dictus leniter in diplomate ad consistentiam Extracti debitam, evaporet, cui demum admisceatur *Resina ab ipso separata*, prius *rectificatissimi Vini Spiritus s. q.* soluta, fiatque Extractum debitæ consistentiæ.

Est universale purgans, omnes humores excrementitios educens; ideoque, ubicunque purgatione opus, Extractum hoc loco plurimorum aliorum servire potest. Dosis scrupulus unus ad drachmam semis vel scrupulos duos.

Extractum Panchymagogum seu Magistrale pro Pilulis.

℞. Rhabarbari optimi unciam unam,
Agarici albi uncias duas,
Gialappæ uncias tres,
Turbith gummosi uncias duas,
Colocynthid. unciam unam semis,
Hellebori nigri uncias duas,
Fol. Senæ electæ uncias quatuor,
Sem. Ebuli,
Scammonii electi ana unciam unam,

Incisa & contusa extrahantur cum *s. q. Spiritus Vini*, quousque tota vis Cathartica sit extracta. Colaturæ & extractiones omnes in M. B. ad reman. libræ unius circiter abstrahantur, à quo residuo liquore *innatans Resina* separetur, & interim asservetur; Liquor verò sive Extractum liquidum fundatur super

Aloës Rosatæ uncias sex,

Et in calore leni simul exsiccentur, admiscendo ultimò *Resinam separatam, & recentis Spiritus Vini rectificati s. q.* solutam: atque ita fiat Extractum satis spissum, in forma Massæ Pilularum.

Hoc Extractum ob saporis amaritudinem utplurimum Pilulis destinandum: Purgat cæterum omnes humores excrementitios, in universum ex corpore. Ad universalem igitur Purgationem, si hâc nimirum opus, conferet hoc Extractum; Cujus dosis scrupulus semis ad scrupulum unum esse poterit.

Extractum Magistrale lenitivum.

℞. Rhabarbari electi uncias tres,
Rhapontici veri uncias duas,
Myrob. Chebulorum
Citrinorum ana drach. sex,
Flor. Rosar. rubrar.
Santali rubri ana unciam semis,
Rad. Acetosæ,
Cichorii sylv. ana drachm. sex,
Cort. Arantior. recent. unciam unam,

Ex incisis & contusis fiat cum s.q. Spiritus Vini, repetitis vicibus affusi, colati, filtrati, & ejusdem denuò leni in balnei abstractione, Extractum justæ consistentiæ.

Mi-

Mitissimum est Laxativum in plurimis Affectibus Hepatis, Lienis & Mesenterii, fluxu Alvi diuturno ac cruento, salutariter exhibendum à drachma una, ad unam semis.

Extractum Antepilepticum.

℞. Rad. Pœoniæ debito temp. coll.
Doronici veri ana uncias duas,
Zedoariæ unciam unam,
Ligni Visci Quercini, unciam unam semis,
Aloës ponderosi,
Rhodii,
Santali citrini ana unc. unam,
Croci Austriaci unciam semis,
Flor. Paralyseos,
Pœoniæ,
Tiliæ ana drachmas sex,
Sem. Pœoniæ, unciam unam,
Bardanæ major. unc. semis,
Citri drachmas sex,
Succini albi unciam unam,
Cort. Arantiorum extim.
Rasuræ Ungulæ alcis ana unc. semis,
Cranii Humani unc. unam,

Incisa crassiusculè & contusa immittantur Cucurbitæ vitreæ, super quæ fundatur *Spirit. Vini rectificati libra semis*, ut species parum saltem humectentur: Factâ autem maceratione per diem unum atque alterum, abstrahantur destillando in balneo *uncia tres circiter, spiritus fragrantis*: quo interim curiosè asservato in vitro satis clauso, fiat *specierum residuarum cum s.q. Spiritus vini rectificati* extractio & quidem repetitis vicibus, ad virtutum earum plenariam extractionem; *Colatura seu spiritus omnes tincti & filtrati* in M. B. abstrahantur, ad remanentiam circiter libræ unius, vel unciarum decem. Hic liquor cui pauxillum *Resina* inhærebit, coletur per linteum. *Resina in colatorio residua* leni calore nonnihil exsiccetur, quâ interim servatâ, *liquor colatus* in diplomate seu vase duplicato ad consistentiam spissam Extracti evaporet, cui Extracto tandem jungatur *sua Resina*, cum *superiori primitus destillato & asservato spiritu* soluta, additisque porrò subsequentibus, utpote

Ol. Nuc. Mosch. expressi drachm. semis,
Stillat. Cinamomi,
Ligni Rhod. ana scrup. uno,
Lavendulæ,
Coriandri,
Succini ana scrupulo semis,
prius cum
Pulv. Sacchari albissimi unc. una semis,
in Elæosaccharum conversorum.
Item
Magist. solub. Matris perlarum cum Spiritu a. Veneris parat. drachmis tribus,
Magister. solub. Carpion. lapid. sublunar. itidem cum Spir. Veneris parat. drachmis duabus,

Fiat Extractum justæ consistentiæ. *Præstans est in Affectibus Cerebri remedium; ut sunt Apoplexia, Epilepsia; item in Morbis Uterinis & Hystericis, Vertigine, maximè si hi sint complicati Morbi, fructuosè usurpabitur; à scrupulo uno ad drachmam semis. Castoreum ab hoc Extracto studiosè abesse volui, ne fortè fœmineo sexui intra corpus sumptum plus obsit quam prosit, quemadmodum in Pilulis de Cynoglosso monui: Cui tamen libuerit, Castorei Extractum huic jungere, ejus intentioni facilè indulgeo, eo ipso enim nomine istud separatim juxta leges Artis conficere docui, ut per se in Pharmacopoliis prostet, & in promptu sit.*

Extractum Antipestilentiale,

℞. Rad. Zedoariæ,
Contrajervæ ana uncias duas,
Angelicæ,
Imperatoriæ,
Succisæ, ana uncias duas semis,
Herb. Scordii nostr. uncias tres,
Rutæ hortensis unc. duas,
Baccar. Juniper. uncias duas semis,
Cort. Arantior. recent. unc. unam,
Citri recent. extim. unc. duas,
Croci optimi drachmas sex,
Sem. Citri unciam unam,
Aquilegiæ,
Napi ana drach. sex,

Myr-

Myrrhæ rubræ electæ uncias duas,
Succini albi unciam unam ſemis,
Inciſa & contuſa immittantur Cucurbitæ Vitreæ, quibus ſuperaffundantur
Spiritus Vini rectif. unciæ ſex, vel octo, ut ſaltem nonnihil ſpecies humectentur: Factâ maceratione unius diei, abſtrahantur in M. B. unciæ tres circiter *ſpiritus affuſi*, quo interim aſſervato, *ſpecies prænominata* cum ſ.q. *Spiritus Vini* extrahantur, & quidem repetitis affuſionibus & decantationibus ad totalem virtutum prolectionem. Colaturæ poſtea omnes filtratæ deſtillando in M. B. abſtrahantur, ad libram unam circiter: *Qui liquor*, cui nonnihil *Reſinæ* iuhærebit, coletur per linteum, & in diplomate vel vaſe duplicato ad Extracti ſpiſſitudinem evaporet, huic tandem *ſuperior ſeparata Reſina*, parumper prius in vitro largo exſiccata & denuò *cum ſuperiori primitus abſtracto ſpiritu à ſpeciebus* ſoluta, adjungatur & probè commiſceatur, ſuperadditis quoque ſequentibus; utpote
Ol. Still. Rutæ,
Baccar. Juniperi ana drachma ſemis,
Cinamomi,
Cit. ex rec. Cort. an. ſcrup. uno,
Nuc. Moſch. expr. drach. una, prius cum
Pulv. Sacchari Citrati unciis duabus permiſtor.
Fiatque Extractum juſtæ conſiſtentiæ.
Præſtans in Peſte & Febribus malignis, ad ſudores proliciendos, malignitatemque ſuperandam; Cor roborat, ac à vaporibus malignis præſervat; Doſis ſcrupul. ad drachmam ſemis.

Extractum Antipeſtilentiale aliud.

℞. Rad. Angelicæ,
Contrajervæ,
Enulæ Campanæ,
Imperatoriæ,
Leviſtici,
Morſus diaboli,
Scorzoneræ,
Zedoariæ ana uncias duas,
Herb. Scordii noſtr.
Rutæ hort. ana recent. unc. tres,
Flor. Calendulæ,
Croci Auſtriaci ana unciam unam,
Cort. Citri recent. ext. unc. duas,
Baccar. Juniperi unc. tres,
Herbæ Paridis, unc. unam,
Sem. Citri.
Rutæ, ana unciam ſemis,
Myrrhæ rubræ unciam unam ſemis,
Inciſa & contuſa craſſiuſculè ac Cucurbitæ Vitreæ immiſſa, extrahantur *cum ſ.q. Spiritus Vini*, repetitis vicibus affuſi, quouſque omnes virtutes evocatæ ſint, *nec Spiritus Vini* Tincturam amplius eliciat: Extractiones omnes filtratæ per Alembicum, ad Extracti conſiſtentiam deſtillando abſtrahantur: cui adde
Olei ſtillat. Rutæ hortenſ.
Succini ana drach. unam, prius cum
Sacchari Citrati unciis duabus permixtor.
Fiatque Extractum, uſui aſſervandum.
Nota: *Reſinoſa ſubſtantia* uti in aliis ſuperioribus Extractis, ſtudioſè ſeparanda, nonnihil exſiccanda, *cum particula Spiritus Vini* primitus abſtracti, denuò ſolvenda, & jam ſpiſſo Extracto dextrè unienda eſt.
Uſus & doſis cum ſuperiori coincidit, exindeque patet.

Laudanum Opiatum.

℞. Extracti Opii priùs correcti per exhalationem ſui Narcotici Sulphuris unciam unam,
Extracti Croci drachmas ſex,
Sulphuris Vitrioli Narcotici rubicundi per præcipitationem, edulcorationem & calcinationem dextrè parati unciam unam,
Pulv. Succini albi præpar.
Ligni Aloës pond. ana drach. ſex,
Sem. Citri excortic. drach. duas,
Magiſt. ſolub. Perlarum Orientalium,
Matris Perlarum,
Corallior. rubrorum, ana drach. tres,
Ol. Nuc. Moſch. expreſſi drachmam unam ſemis,

Ol.Still.Cinamomi,
Ligni Rhodii ana scrup.unum,
prius cum
Essentiæ Citri Sacchar. n. unciâ unâ
permixtor.

Misceantur & cum modico Mellis Anthosati redigantur in massam bonæ consistentiæ; Cui, si placuerit, Ambra & Moschus admisceri possunt.

Est singulare Remediorum Genus in mitigandis doloribus acutissimis totius corporis Microcosmici: Cor roborat, Cerebrum confortat, & sudorem promovet. Dosis scrupulus semis in forma Pilularum vel cum liquore quodam solutum.

Nota: Hyosciamus tanquam violentissimum Narcoticum mihi semper fuit suspectus, ob pessimos, quos in usu ejus animadverti effectus; qua de re Laudanum hoc, Hyosciamo carere consultum esse duxi.

Laudanum Cæsareum sine Opio.

℞. Auri sclopetici ritè per præcipitationem parati, vel ejus loco
Croci nostri Solis uncia semis,

Cui Cucurbitæ parvæ immisso superaffundatur,
Tincturæ n. Antimonii in *Appendice* n. ad *Animadversiones pag.* 49. edoctæ uncia una,

Fiat Digestio aliquot dierum spatio in cineribus, ac tandem fixatio humiditate apposito capitello parvo leniter prius abstracta: residuo pulveri porrò tantundem
Tincturæ Antimonii

superaffundatur & uti antea in cineribus digerendo, & tandem hmiditatem leniter abstrahendo, nonnihil figatur.
Huic Auro essentificato
instilla
Olei Cinamomi optimi & non adulterati drachmas duas.

Diù multumque in mortario vitreo subigendo & terendo, anteq. reliqua adjiciantur & immisceantur ingredientia, utpote
Extracti Ligni Aloës seu Resinæ ejus juxta n.descript. parati uncia semis,
prius cum
Sem. Citri excort. drachmis tribus,
probè subacti,
Extracti Croci Austriaci drach. duæ,
Ambræ gryseæ opt. drach. una semis, vel duæ,
prius cum
Sem. Citri etiam excort. drach. semis,
probè subactæ
Mosch. opt. Oriental. drach. semis
cum suff. q.
Aquæ Flor. Arantiorum ad pultis formam soluti &
Essentiæ Citri Sacchar. n. uncia una,
permistorum,
Ol. Nucis Moschat. expressi, drach. una semis,
cum
Essentia Arant. Sacch. n. drach. sex,
etiam permisti.
Magist. solub. n. Perlarum Orient.
Coralliorum ana
drach. tres,
Mellis nostr. Citrati quant. suffic. pro
Massa efformanda.

Fiatque Laudanum non satis laudandum: nec diffido, quin omnes qui arte componendi ac præparandi Medicamenta imbuti, suum huic Medicamento sint contributuri calculum. *In omnibus Infirmitatibus Cordis & Cerebri, ubi confortationis necessitas id postulat longè saluberrimum.*

Nota: Si quis particulam Laudani hujus opiatam reddere voluerit, addito nempè *Opii Extracto* pondere proportionevè competente, illi liberum erit. Ego quidem *sine Opio* istud prostare consultius esse duxi, ut & in iis, utplurimum soporiferis Affectibus, quibus *Opium* inimicum, adhiberi, usuique esse possit. Similem ferè huic Laudano nostro Medicinam Regiam in *Appendice* ad *Pharmacopœiam Regiam* priorem apposui, quæ, licet non multum discrepet ab hoc præmisso Laudano Cæsareo, nihilo tamen minus, ne legitima ejus eaque pulcherrima descriptio unà cum illa *Appendice*, quæ majori sui parte huic *Pharmacopœiæ Regiæ* locupletatæ inserta est, pessum eat & pereat, hîc loci denuò adscribere haud piguit.

Essentia opii liquida Anodyna.

℞. Opii Thebaici opt. unciam unam,
Quod tessellatim conscissum solvatur in calore leni
Aquæ Cinamom. cum Vino stillat. librâ unâ semis,
Solutio filtretur per Chartam, & cum
Salis Tartari albi unciâ unâ,
pedetentim injectâ præcipitetur, ac die unâ vel alterâ post digerantur, & porrò filtrentur, Essentiæ filtratæ denuò adde
Salis Armen. cum Chalybe sublimati drachmas duas semis,
Extracti Croci opt. drachmam semis,
Essentiæ liquid. Cort. Arantiorum,
Citri ana unc. semis,
Digerantur in vitro benè clauso lenissimo calore, per triduum, filtretur denuò essentia, & usui servetur.

Hanc Opii Essentiam Anodynam & Antifebrilem inter secretiora habui: Nullam enim reperies exactiorem hucusque Opii præparationem, aut correctionem, quâ narcosis Opii violenta & maligna verè temperetur, ut exinde benignum & celebre evadat medicamen, plurimis morbis securè opponendum, quod occasione præmissorum Laudanorum heîc pro Coronide hujus Classis, Tibi L. B. sincerè communicare volui, quo fruere, & ad sanitatem proximi Tui adhibe, cum summâ tamen semper prudentiâ, quemadmodum expertum decet Medicum, omni temeritate liberum.

Præstat in Febribus Tertianis & Quartanis hora una vel altera ante Paroxysmum propinanda: Item in Epilepsia tùm Infantium tùm adultorum, doloribus Colicis, Dysenteria & fluxibus alvi immoderatis, cum emolumento exhibetur, a drachma una ad drachmas duas & tres, in vehiculis convenientibus.

Cæterum, plura addere huic Classi Extracta superfluum existimavi: Accepisti enim L. B. hîc profectò ea, quibus ni fallor abundè Tibi satisfactum ipsemet confiteberis: si tamen ex simplicium ordine adhuc necessaria quædam putes, eorum præparationes ex præmissis facillimum erit colligere, quam ob rem huic quoque Septimæ Classi manum imponens ultimam, ad ipsam octavam cum DEO progredior.

PHARMACOPOEIÆ REGIÆ

CLASSIS OCTAVA,

Decoctorum Structuram exponens.

Decocta in Pharmacopoliis, & praxi Medica in frequenti sunt usu: eò autem nomine in hac Classe varia occurrunt: Et primò quidem species diversæ grosso modo incisæ Decocta appellantur, ex Radicibus, Herbis, Floribus, Fructibus, &c. quæ species jam tum paratæ ad Decoctiones futuras in promptu prostare solent, è quibus ex tempore illæ parari queant. Deinde Decocta propriè, ex præfatis speciebus, cum Aqua, Vino, Sero Lactis, &c. jam tum parata: Item Apozemata, Infusiones, Vina Medicata, Clareta & similia sub hoc titulo comprehenduntur, quæ sola vel per se, usui Medico inserviunt, vel saltem vehiculi loco ad pharmaca alia dextrè dissolvenda & propinanda adsunt. Quòd autem locum in Medicina & Officinis Pharmaceuticis invenerint, id ideò factum est, ut virtutes & ipsæ quasi Essentiæ è rebus crudis atque crassis per Menstrua extrahentia, sive Aqua simplex, aut destillata, sive Vinum, sive Serum Lactis sit, vel aliqui alii Liquores, eliciantur & evocentur, ne cruda planè infirmis infundantur simplicia, in largâ insuper dosi, ingrata, ac tarda prorsus in Operationibus suis Ventri-

culum potius aggravent, quam ut subigi facilè vel in actum ipsa deduci possint: per Decoctiones verò illa veluti extracta ac præparata, tandemque debiliori stomacho immissa, facilius subigi, & ad effectum promoveri possunt. Quod autem compositiones eorum ac præparationes concernit, in iis, etiamsi paratu facillima videantur, observandum tamen est, atque sedulò curandum, ut ea saltem simplicia Decoctionibus ejusmodi destinentur, quæ sine virium suarum jacturâ aut exhalatione, coctionem sustinere valeant, aut paulò artificiosiori quam communi modo (in Alembico scilicet vitreo suo capitello munito, ut spirituosum illud, quod ebulliendo transit, excipi, residuoque tandem affundi, & reduniri possit:) Decoctiones nonnullas aggrediantur, tritumque illud Axioma pro norma semper sit, non quodlibet ex quolibet fieri; adeoque nec quævis simplicia simplici Decoctioni apta esse. Quare pro majori dilucidatione hâc, facient ea, quæ in Animadversionibus n. ad Decoctum Carminativum & super alia adhuc studiosè annotavimus; unde, quæ hîc fusius exponenda essent, ex illis satis clarè elucescent. De reliquo plura in ipsis subsequentium Decoctionum compositionibus & præparationibus studiosus Lector animadvertet, quorum describendorum copiam in me suscipiam, eo, qui sequitur, ordine.

Decoctum Aperitivum Tempore Verno & Æstivo.

℞. Olei Tartari per deliquium facti lib. duas,
à quo destillando abstrahantur
Vini albi boni libræ sex; vel ejus loco
(si vinum ob phlogosin Viscerum suspectum foret)
Aquæ Cherefolii sine addit. stillat. tantundem,
Ad totalem siccitatem Salis Tartari (quod Sal Tartari denuò calcinandum & ad alios usus aptandum est) liquori vero prolecto immergantur
Rad. recent. Apii uncia semis,
Chichorii sylv. unc. duæ,
Acetosæ,
Fœniculi,
Pimpinellæ ana uncia una semis,
Rubiæ Tinctor. unc. una,
Herb. recent. Hepaticæ nobilis,
Agrimoniæ,
Chamædryos,
Cichorii sylvestr.
Endiviæ,
Scolopendrii
Nasturtii hort.
Cheref. ana unc. una semis,
Flor. Rosarum rubr. recent. unc. duæ,
Sem. Nasturtii,
Urticæ,
Fœniculi, ana uncia semis,
Cremoris Tartari, uncia una,
Santali rubri,
Cinamomi opt. acuti ana unc. semis,

Factâ maceratione brevi, fiat in Alembico vitreo, suo capitello munito, (ut id, quod bulliendo transit, licet tantillum sit, liquori colato reaffundi possit) una vel altera ebullitio, dùm refrixerint, colentur, exprimanturque species fortiter; Decoctum hoc colatum additis
Sacchari Canarii albi unciis sex,
cum alb. ovorum probè clarificetur, super addendo
Spiritus Vitrioli vel Salis q. s. pro grato sapore,
Fiatque Decoctum & potus jucundus, *ad Hepatis, aliorumque Viscerum obstructorum reserationem efficax: Dosis unciæ tres vel quatuor, bis, tervè de die sumendæ.*

Species pro Decocto Aperitivo Hepatico & Splenetico Tempore Hyemali.

℞. Rad. Apii unciam unam semis,
Acetosæ unciam unam,
Cichorii sylv. uncias duas,
Fœniculi,
Rubiæ Tinctorum,
Pimpinellæ,
Caryoph. ana unciam unam semis,
Asari drach. sex, vel unc. unam,
Herb.

Herb. Agrimoniæ,
Cichorii ſylveſtr.
Cherefolii,
Hederæ terreſtris,
Scolopendr.
Ceterach,
Naſturt.hort. ana unc.unam,
Flor.Roſarum rub.unc.unam ſemis,
Santali rubri,
Sem. Naſturtii,
Fœniculi ana drachm.ſex,
Cremoris Tartari,ſeu Tartari albi Veneti, unc.unam ſemis,

Inciſa & contuſa craſſiuſculè uſui reponantur, è quibus tempore hyberno, urgente neceſſitate Decoctiones parandæ, ſaccharo edulcorandæ, nec non Spiritibus Salis vel Vitrioli acuendæ ſunt. Vires & doſis ex ſuperiori patet.

Decoctum ſeu Galreda aut Gelatina Caponis, pro Phthiſicis & Maraſmo conſumptis.

℞. Caponem recentem more ſolito mactatum,

(non crudeliter, ne, juxta Scripturam, creaturæ innocentes hominum crudelitatem gemebundè deteſtari neceſſum habeant: Exiſtimo enim, majores virtutes ab animali innocente ſimpliciter & repente mactato ſperari poſſe, quàm in iram & odium ac quaſi in rabiem prius concitato) quem à plumis & interaneis repurgatum & eviſceratum conſcinde in fruſtula minutiſſima oſſiculis omnibus etiam conquaſſatis, cui poſtmodum adde

Cancros fluviatiles recent. conquaſſatos Numero xx.
Pulmonis vituli recenter mactati dimidiam partem,
item,
Perdicem etiam recenter mactatam & in fruſtula parva diſſectam & conquaſſatam, unam.

Cuncta hæc immittantur in lagenam ſtanneam amplam, ut tertia vel dimidia pars vacua maneat. Hiſce autem carnibus dictis ſtratum veluti ſuperſtratum immiſceantur ſequentia non minus conciſa, ſcilicet

Rad. Ireos Florent.drachmæ ſex,
Enulæ campanæ recentis,
Symphyti majoris recent. ana unc. una ſemis,
Maceris drachmæ tres,
Croc.opt.Orient. vel Auſtr.drach.una,

Porrò hic omnibus, lagenæ immiſſis, ſuperinfundantur,

Succi Tuſſilaginis recenter expreſſi & depurati unc. octo,

vel ſi conſultius videtur, loco *ſucci Tuſſilaginis, ſuccus Sempervivi, Hyſſopi, Veronicæ, vel alius aliquis conveniens liquor*; aut *Vinum Cydoniorum* ſubſtituatur; claudatur poſteà lagena proprio ſuo operculo cochleato, ac inſuper etiam veſicâ, deinde immergatur illa ultra medietatem ſui in Balneum Mariæ, vel aquam, coquendo continuò ad horas ſex; abſolutâ Decoctione, aperiatur lagena, contentaque excutiantur, ad ſacculum linteum, & prælo ſubjiciantur; *expreſſus liquor ſale* nonnihil condiendus, & in frigidum collocetur locum, qui, *in gelatinam concretus delicatiſſimam ægrotantibus Phthiſicis ſummo cum ſucceſſu propinari poteſt, in juſculis hordeaceis, Panatellis, Pulpis Amygdalinis, aliiſque ſimilibus ferculis.* Hæc *Gelatina* majores ſanè habebit virtutes, quàm *Aqua Caponis*, vel etiam *Aqua ex hepate & pulmonibus Vituli deſtillata*, cùm virtutes omnes illorum in reſiduo maneant, ac parum, quod operæ pretium eſſet aſſervare vaporetenus, deſtillando illa per Alembicum tranſeat. Conſulantur *Animadverſiones* noſtræ ſuper *Aquam Caponis & Balſamum Embryonum*, ubi plura hâc de re reperientur.

Species Decocti Carminativi.

℞. Rad. Liquiritiæ raſæ unc.unam,
Cichorii ſylv.unc.unam ſemis,
Enulæ Campanæ,
Calami aromat.ana drach.ſex,
Galangæ,
Ireos Florent.an.unc. ſemis,
Herb. Meliſſæ,
Menthæ,
Roriſmarini ana manip.duos,
Flor. Chamomillæ Romanæ manip. duos ſemis,

Genistæ manipulum unum,
Sem. Anisi,
Fœniculi,
Dauci,
Carui,
Coriandri,
Anethii ana unc. semis,
Baccarum Lauri unc. unam,
Cort. Arantiorum,
Citri ana rec. siccat. drach. sex,

Crassiusculè contusa & conscissa, reponantur usui, tùm pro interno, Decoctiones ex iis conficiendo, easque ultimò aromatizando Cinamomo, Aniso, Fœniculo, ac Syrupo quodam appropriato; vel Saccharo Citrato edulcorando, tùm pro Clysteribus Gutturi inferiori injiciendis.

Porrò, in quemcunque finem ex hisce speciebus Decoctiones sint conficiendæ, suadeo, ne in aperto fiant vase, nisi velis virtutes earum Carminativas inter initia statim Coctionis in auras inutiliter pellere, relictis partibus terrestrioribus virtute carminativa maximâ ex parte destitutis: quare vel in Alembico vitreo & arena, aut balneo n. vaporoso instituantur, ut ea, quæ paucis etiam ebullitionibus sursùm petit aquositas, virtute carminativa specierum uberrimè imbuta Alembico & præposito recipiente vitro excepta, residuo decocto restitui possit. Quod si verò juscula Carminativa ex iis conficere animus sit, illa similiter non sunt coquenda, sed species dictæ illis saltem per noctem infundendæ. Vires & dosis cuicunque Medico experto patebunt.

Decoctum vel vinum Carminativum contra Flatus.

℞. Vini albi boni lib. sex,

Fervefiat in olla benè cooperta, cui quamprimum incipit bullire injiciantur

Cortic. Arantiorum recent. & extim. duorum vel trium pomor.
Limon. recent. & extim. unius pomi,
Rad. Cichor. Sylvestr. unc. tres,
Cinamomi opt. saltem incisi drachm. sex,

Factâ unicâ ebullitione superinjiciantur etiam
Sacch. Can. albi unc. quatuor vel quinque,

Et statim removeantur ab igne, cùm verò refrixerint, vase probè tecto & clauso, coletur vinum per linteolum aut pannum purum, alieno odore vel sapore non infectum. *Fiatque potus jucundus. Cujus usus est, ut ii, qui flatibus torquentur, tum in prandio, tùm etiam in cœna primum de illo haustum accipiant: Confortat nimirum Ventriculum & Hepar, Intestina ita roborat, ut seipsa juvare flatusque expellere queant.*

Decoctum contra Calculum Nephriticum.

℞. Ligni Nephritici unc. semis,
Rad. Petroselini recent. cum toto unc. tres vel quatuor,
Cicerum rubeorum parùm confractorum unc. tres,
Granorum Alkekengi unc. semis,
Tartari albi Veneti, vel Cremoris Tartari unc. semis,

Incisa nonnihil quæ incidenda sunt, coquantur terreo in vase cum Aq. simpl. libris septem, ad remanentiam librarum sex, sub finem decoctionis injiciendo

Cinamomi acuti unc. semis,
Sacch. Can. albi unc. quatuor,
Succi Limoniorum quatuor pomorum recenter expressi,

Ab igne protinus remoto, cum refrixerit coletur sæpius, fiatque potus jucundus, *in expellendo sabulo & calculo præstans.*

Species decocti contra Calculum.

℞. Rad. Liquiritiæ rasæ,
Ireos Flor. an. unc. unam semis,
Asparagi,
Apii ana unc. unam,
Ononidis unc. duas,
Petroselini unc. tres,
Herb. Rutæ murariæ manip. tres,
Anethi manip. unum,
Baccar. Juniperi unc. duas,
Alkekengi unc. unam semis,

Sem. Dauci,
Nasturtii,
Thlaspios,
Urticæ,
Fœniculi ana unc. unam,
Milii Solis drachm. sex,
Cicerum rubeor.confract.unc.tres,
Ligni Nephritici unc. unam,
Tartari albi Venet.seu Cremoris Tartari unc. unam semis.

Incisa & contusa crassiusculè serventur pro usu. Ex illis vel Decocta, saccharo ultimò edulcoranda & aromatizanda, vel juscula veluti alterantia ex tempore confici possunt. *Pellunt calculum & sabulosam materiam in renibus & vesica contentam? Menses retentos promovent, & multa heterogenea unà cum urina educunt.*

Decoctum contra Dysenteriam.

℞. Conserv. Ros. rubr. antiquæ unc. tres,
Papaveris errat.unc. duas,
Santali rubri,
Rad. Tormentillæ ana unc. semis,
Cort. Arantiorum recent.extim.
Limonior. recent. & extim. ana drach. tres,
Granorum Mastichis drach.semis,

His incisis quæ incidenda sunt, ac ollæ vitreatæ immissis, superaffundantur
Aq. ferventis & bullientis lib. octo,
Vase benè cooperto refrigerari permittito, fiat post colatura sæpius repetita pro Potu. *In Dysenteria, Diarrhœa immoderata, Lienteria, Fluxu hepatico & similibus Affectibus summo cum fructu offerendo.*

Species Decocti ad Dysenteriam.

℞. Rad. Liquiritiæ unc.unam,
Ireos Flor.unc.unam semis,
Cichor.Sylvestr.unc.duas,
Tormentillæ,
Bistortæ ana drachm. sex,
Acori unc. unam,
Flor. Ros. rubear. unc. unam semis,
Balaustior.unc.unam,
Papaver. erratic. unciam unam semis,
Capit.Papav. albi cum sem.num.v.
Baccarum Myrtillorum unc.duas,
Santali rubri unc. unam semis,
Ligni Sassafras unc. unam,
Cort. recent. Arantiorum extim.
Citri recent.& extim.an. drach. sex,
Nuc. Mosch. unc. unam,

Incisa & contusa crassiusculè serventur ad usum. *Præstantes in Affectibus supradictis Dysentericis, Fluxu hepatico, Diarrhœa immoderata, ex quibus vel decocta vel juscula parari possunt, infirmisque salutariter propinari.*

Decoctum Hepaticum.

℞. Seri lactis caprini recenter facti & depurati lib.quatuor vel quinque,
cui immergantur,
Tamarindor. recent.
Rad.recent.Cichor.sylvestr.
Herb.recent.Cichor.sylvestr.
Endiviæ,
Hepaticæ nobil. ana unc. una,
Flor. Ros. recent. unc. una semis,
Santali rubri drachm. tres,
Cremoris Tartari unc.semis.

Factâ maceratione horis aliquot, ac unica saltem ebullitione (omnia tamen in vase terreo) fiat Colatura cum expressione, expressum probè clarificetur, superaddendo
Syrup.de Papav.errat.unc.quatuor,
Spirit. Vitrioli q. s. pro gratissimo sapore,
Essent. Citri Sacchar. ex recent. Cortic. paratæ drachm. sex,

Fiat Decoctum aut Tinctura hepatica rubicunda & jucunda sapore ac odore: *Quæ insignes obtinet vires Hepar calidum refrigerandi, obstructum reserandi, & debilitatum confortandi, singulis matutinis ac vespertinis horis, unciæ tres vel quatuor sumendæ.*

Nota: Quòd cum tempore Autumnali & Hyemali *recentes Herbæ & Radices* in promptu haberi nequeant, idcircò aliud Decoctum hepaticum quocunque tempore paratu facile addo, nimirum:

℞. Seri

℞. Seri lactis caprini recenter facti & depurati lib. quatuor vel quinque.
cui immergantur, dum adhuc fervet
Tamarindorum recent. unc. una semis,
Conf. Rosar. rubr. recent. unciæ tres,
Cichorii sylvestris,
Hepaticæ nobilis,
Acredinis Citri,
Papaveris Erratici an. unc. duæ, vel saltem unc. una semis,
Factâ digestione per diem vel noctem loco calido, coletur: Colaturæ filtratæ adde
Spir. Vitrioli q. s. pro grato sapore,
Fiat potus gratus & præstans *pro Hepate refrigerando & confortando.*

Species pro Decocto Foresti Correcta.

℞. Rad. Liquiritiæ unc. unam semis,
Petroselini,
Fœniculi ana unc. duas,
Ireos Florent. unc. unam semis,
Flor. Malvæ,
Bismalvæ ana drachm. sex,
Sem. quatuor frigid. majorum excortic. an. drachm. quinque,
Fœniculi,
Saxifragiæ an. drachm. sex,
Cicerum rubr. confractor. unc. sex,
Sebesten,
Ficuum ana Num. xxx.
Hordei mund. & prius loti unc. tres,
Incisa & contusa crassiusculè serventur pro usu, *ad dolores ex Calculo leniendos; decocta ex iis paranda, quæ abstergunt, leniunt, calculumque pellunt, ac urinam promovent.*

Species Decocti Florum & Fructuum Pectoralis.

℞. Rad. Liquiritiæ unc. unam semis,
Enulæ Campanæ,
Ireos Florent.
Pimpinellæ ana unc. duas,
Symphyti major. unc. unam,
Herb. Hyssopi,
Hederæ terrestris,
Consolid. Saracen.
Veronicæ,
Pulmonariæ maculosæ ana manip. duos,
Flor. Rosar. rubrar.
Papaveris erratici,
Borraginis,
Buglossæ,
Violarum Martial. an. manip. unum semis,
Dactylorum,
Ficuum pingu. ana numero XX.
Jujubarum num. xxx.
Passular. major. exacinat. unc. quatuor,
Siliquarum dulcium unc. tres,
Sem. Anisi,
Fœniculi ana unc. unam,
Crassiusculè incisa & contusa serventur pro usu, è quibus vel Decocta vel juscula pectoralia confici possunt.

Decoctum Hydragogum.

℞. Olei Tartari per deliquium facti lib. duas,
Vini albi generosi lib. quatuor,
Abstrahatur destillando in Alembico vitreo tota humiditas ad siccitatem Salis Tartari proboscidi Alembici immissis
Cinamomi acuti,
Cortic. Arantiorum recent. ana uncia semis,
Huic vino jam destillato lixiviali immergantur
Rad. recent. Levistici in taleolos conscissarum unc. octo,
Cichorii sylvestr. unc. una semis,
Factâ maceratione in Alembico vitreo capitello suo munito per diem unum, deinde ebulliant ad horam circiter mediam, excipiendo humiditatem, quæ bulliendo transit, in vitrum præpositum recipiens, ut tandem residuo colato reaffundi possit; refrigeratis postea omnibus, fiat colatura & filtratio, filtrato adde
Essent. Arantiorum Sacchar.
Citri Sacchar. ana ex rec. Cort. paratæ unc. duas,
Fiat potus gratus.

Praestantissimus in omnibus Hydropis specie-bus, praesertim in Tympanite, de quo infirmus, praemissis tamen praemittendis, singulis diebus ter quaterve uncias duas circiter bibat.

Species Decocti, ad Mens. Muliebr. Obstru-ctiones.

℞. Rad. Asparagii,
Apii,
Graminis,
Pimpinellae ana unc. duas,
Calami Aromat.
Ononidis,
Liquiritiae ana unc. unam semis,
Petroselini unc. duas,
Raphani sylvestr. unc. unam,
Herb. Rorismarini,
Artemisiae,
Melissae,
Pulegii,
Sabinae, ana manip. duos,
Flor. Malvae hortens. rub. manip. duos semis,
Boleti Cervini unc. unam,
Flavedinis ex Liliis albis, anthorae dictae drachm. sex,
Cassiae lign. verae unc. duas sem.
Cinamomi acuti unc. duas,
Maceris unc. unam,
Croci optimi drachm. duas,
Borracis Venetae unciam unam semis,

Incisa & contusa crassiusculè reponantur pro usu. Ex his speciebus juscula vel vina resolventia solâ infusione in vase benè tecto conficere praestat; si verò illa per coctionem conficere animus sit, illa in Alembico vitreo suo capitello munito paretur, ut ea quae bulliendo transit magis spirituosa humiditas, relicto reaffundi possit.

Praestantes caeterum sunt species in reserandis Mensibus retentis, pellendo faetu, urina & calculo.

Decoctum Antiphthisicum.

℞. Rad. recent. Cichorii sylv. unc. duas,
Enulae unc. unam semis,
Symphyt. major. unciam unam,
Pimpinellae,
Saniculae an. unc. unam semis,
Ireos Flor.
Liquirit. ana unc. unam,
Herb. recent. Consolidae Sarac.
Veronicae,
Hederae terrestr.
Millefolii,
Nasturtii aquat.
Farfarae,
Pulmonar. macul. ana manip. unum semis,
Flor. recent. Papaveris erratic.
Ros. rub. an. manip. duos.

Incisa coquantur in libris decem Seri Lactis Caprini, vel Vaccini, recenter facti, & probè depurati, ad remanentiam librarum octo, fiat pòst colatura cum forti expressione, colatum cum alb. ovi optimè clarificetur: clarificato vero Decocto adhuc ferventi injiciantur

Cons. Rosarum rubr.
Papav. errat. ana unc. duae,
Violar. Matial. unc. quatuor,

Cum refrixerint, denuò colentur, addanturque

Mellis puri virginei nunq. cocti libra una,
Spiritus Sulphuris scrup. semis,
M. Fiat Potus gratus.

In affectibus Pectoris, Exulcerationibus Pulmonum, eorumque Vulneribus & Vomica, nec non in Sputo sanguinis salutare remedium est; Cujus singulis horis matutinis & vespertinis unciae sex calidè & interdiu tantundem potandae.

Decoctum aliud Antiphthisicum.

℞. Seri Lactis Caprini depurati lib. tres,
in hoc ebulliant parum
Limacum recent. sale benè lotor. & parumper confractor. num. XX.
Rad. Enulae,
Ireos Flor. ana unc. una,
Herb. recent. Rorismar. manip. duo,

Factâ unâ atque alterâ ebullitione fiat colatura, cui adhuc ferventi injiciantur
Conf. Rosar. rubrarum,
Papaveris erratici,
Veronicæ,
Farfaræ,
Violar. Martial. ana unc. duæ,
Factâ digestione per noctem, coletur & clarificetur, addanturque aliquot guttulæ saltem Spiritus Sulphuris. Fiatque Decoctum Pectorale & Anti-Phthisicum præstans.

Aliud ad idem.

℞. Aquæ Oculorum Populi arboris
Summitat. Abietis arboris ana tempore veris ex balneo n. vaporoso sine addit. still. lib. duas,
Quibus immergantur
Conf. Rosar. rub.
Veronicæ,
Farfaræ,
Violar. Martial.
Papav. erratic. an. unc. tres,
Factâ maceratione calido in loco per diem, fiat colatura repetita, ut fiat liquor clarus rubicundus, ad usus supradictos efficax.

Decoctum Spleneticum & Antiscorbuticum.

℞. Seri Lactis caprini recenter facti & probè depur. lib. quinque,
Cui immergantur
Rad. Cichorii sylvestr. recent. unciæ duæ,
Pimpinellæ recent. unc. una semis,
Herb. recent. Cochleariæ,
Nasturtii hortensis,
Chærefolii ana unc. duæ,
Capparum aceto conditor. unciæ duæ semis,
Tamarindor. recent. unc. una.
Cremoris Tartari drachmæ duæ,
Factâ digestione & unicâ ebullitione fiat colatura & clarificatio, addendo
Sacchari albissimi Canarii unc. quatuor,
Spir. Salis Armen. acidi Chalybeati q. s. pro grato sapore
Fiat Decoctum clarum.
Quod in Affectibus Hypochondriacis & Scorbuticis emolumento est: reserat obstructiones Lienis, & Scorbuto medetur.

Decoctum contra Sputum Sanguinis.

℞. Rad. Acetosæ,
Bardanæ maj.
Papav. erratic.
Pentaphylli,
Plantagin. min.
Tormentillæ ana unc. unam,
Cichorii sylvestr. unc. unam semis,
Herb. Hederæ terrestris,
Equiseti,
Plantaginis min.
Portulacæ,
Sanguisorbæ,
Virgæ aureæ ana manip. unum semis,
Flor. Rosarum rubearum,
Verbasci ana manip. unum,
Papaveris erratici manip. unum semis,
Baccar. Myrtillorum, unc. semis,
Capit. Papav. alb. cum seminibus numero v.
Ligni Santali rubri drachm. sex,
Mastichis el.
Olibani ana drachmas duas,
Incisa & contusa crassiusculè coquantur in Aq. simpl. s. q. ad remanentiam librarum sex; Colaturæ clarificatæ dum adhuc servet injiciantur
Conf. Rosar. rubr. unc. tres,
Papav. erratic. unc. duæ,
Flor. Cichorii unc. una,
Spiritus Vitrioli gutt. xv. vel xx.
Factaque digestione horis aliquot, denuò coletur, colaturæ adde
Syr. Corallini nostr. uncias duas vel tres,
Misceantur pro Potu *sanguinem Spuentibus & Dysenteria laborantibus.*

Epithema ad Eryſipelata & alias Inflammationes.

℞. Flor. Sambuci recenter ſiccatorum,
Roſar.albar. ana manip. tres,
Fol. Tuſſilaginis, manip. duos,
Pul. Lithargyri,
Ceruſſæ ana unc. quatuor,
Olibani,
Maſtichis ana ſubtiliſſ.trit. drachmas ſex,
Coquantur in Vini albi & Aceti ex Vino ana libris duabus, Aquæ ſimplicis libra una, ad conſumptionem quartæ partis,coletur per linteum rarum,ut potior pars pulverum transfluat, fiatque inſtar Lactis virginis.

Eſt Epithema egregium, cunctis Inflammationibus externis, ad Gangrænam etiam inclinantibus, proficuum, quod linteolis duplicatis vel triplicatis in eo calidè madefactis ſæpius citò, tutò & ſecurè applicari poteſt.

Serum Lactis Laxativum.

℞. Seri Lactis recenter facti & depurati lib. quatuor,
Huic ferventi adhuc immergantur
Fol. Senæ elect. unc. una,
Rhabarbari electi drachmæ ſex,
ambobus parùm conſciſſis & in ſacculo ligatis.
Tamarindorum recent.unc.una ſem.
Roſarum rubearum drachmæ duæ,
Santali rubri drachma una ſemis,
Cinamomi optimi, drachmæ tres,
Cremoris Tartari ſeu Tartari Veneti albi unc. ſemis.
Factâ maceratione per noctem loco moderatè calido, manè, fiat colatura & filtratio, addendo
Sacch. Canarii albi unc. duas, vel unc. tres,
Aq. Flor. Arantiorum drachm. ſex,
Fiat Serum Laxativum gratum.

Cujus unciæ tres pro doſi leniter alvum laxant, Phlogoſin Hepatis ac Dyſcraſian viſcerum contemperant ac corrigunt.

Tinctura Roſarum.

℞. Seri lactis recenter facti & depurati lib. ſex,
huic ferventi & quaſi bullienti immergantur
Flor. Roſar. rubr. drachmæ ſex,
Tamarindor. recent. unc. una ſemis,
Spiritus Vitrioli ſcrup. unus,
His, dum parumper à fervore remiſerint,adhuc tamen calida ſint, ſuperinjiciantur:
Conſ. Roſ. rubr. recent. unc. tres,
Papav. erratic.
Violarum Mart. unc. ſemis,
Factâ maceratione in loco calido per aliquot horas, & cum refrixerint coletur, & filtretur ſuperaddendo
Aq.Roſar.fragr. ſine addit.ſtill. uncias tres,
Fiatque Serum gratum & rubicundum; *In Inflammationibus internis, Hepatis intemperie corrigenda, & Pleuritide ſiſtenda perutile.*

Nota: Quod Tinctura hæc & ſine *Sero Lactis*, cum *Aqua ſimpl. vel deſtillata appropriata* confici poſſit: *Tamarindi* pariter juxta ægrotantis vel ſumentis conſtitutionem & intentionem Medici, aut addi aut omitti poſſunt.

Hydromel Purgans.

℞. Fol.Senæ el. & ſine ſtipitib. unc.unam ſemis,
in petia ligatorum vel ſacculo incluſorum,
Tartari albi puri Venet. unc. ſemis,
Rad. Aſari drachm. duas,
Caryoph. ſcrup.unum,
Cinamomi opt. & acuti drachm.duas,
Coriandri drachm. ſemis.
Inciſa infundantur cum
Hydromellis ferventis lib. una ſemis, addendo
Liquoris ſeu olei Tart. per deliquium drachm. unam ſemis,
Fiat digeſtio per diem, ſacculum cum foliis Senæ quandoque exprimendo, poſtea coletur ſaltem ſæpius, aut filtretur, & ſervetur uſui. *Ejus Doſis unciæ tres circiter ſunto.*

Vinum Hippocraticum.

℞. Cinamomi acuti unc. unam,
Cardamomi min. drachm. duas,
Caryoph. drachm. unam,
Santali rubri drachm. duas.

His crassiusculè saltem conscissis, quibusdam parumper conquassatis, atque interea asservatis, accipe

Vini albi lib. decem,
Sacch. Can. albi unc. xij.
item album. ovorum num. ij.
Conquassata cum particula
Aquæ Cinamomi.

Collocenter super ignem Carbonum recentem, in vase terreo, vel sartagine stanno obducta, & quamprimum incipit fervefieri, injiciantur species superiores Aromaticæ; factâque unicâ ebullitione tantum, statim removeantur ab igne, & per Manicam Hippocratis aliquoties coletur Vinum.

Claretum seu Vinum Hippocraticum aliud.

℞. Cinamomi acuti unc. unam semis,
Nuc. Mosch. drachm. duas semis,
Caryoph. drachm. nnam semis,
Cardamomi min. drachm. duas,
Galangæ drachm. unam semis,
Cort. Arantiorum,
Citri ana recent. extimorumque drachm. duas,

His incisis & conquassatis interimque asservatis, accipe

Vini albi boni lib. decem,
Sacchari albi libram unam vel uncias xv.
Album. Ovorum cum pauca Aq. Rosarum conquassat. num. duo.

Collocentur in sartagine stanno obducta supra ignem recentem carbonum; ne diu super illo hæreant, & quamprimum incipit fervefieri, superinjiciantur

Species superiores Aromaticæ,

Factaque protinus unâ atque altera ebullitione, statim removeantur ab igne, & per Manicam Hippocratis puram, alieno odore non infectam, sæpius colentur, ut fiat Vinum clarum, tàm gustu quàm odore gratum. *Hæc vina Ventriculum (moderatè sumpta) pariter ac Cerebrum confortant, facultates vitales fulciunt, & debili concoctioni opem ferunt.*

Clareta & potus Hippocatici Purgantes præscripti sunt in Classe secunda, Syruporum Purgantium, quorsum ideoque Lectorem Benevolum ablego atque remitto, & finem huic quoque Classi impono.

PHARMACOPOEIÆ REGIÆ

CLASSIS NONA,

Pulverum Medicatorum Compositiones exhibens.

Classem de Pulveribus meritò quædam ad dilucidandam eorum Theoriam præcedere dignum & æquum foret, non solum præcautionis loco, ne tanta rerum farrago ad pulverum compositionem admitteretur, sed etiam ut animo sibi soli reddito & attento, talia in unam Compositionem unirentur, quæ homogenea ac symbolica virtute ad unum eundemque scopum ac Indicationem collimarent, cujus contrarium magnam in Medicina Aphoniam suscitat. Verum cum hæc quoad eorum componendi modum nimirum, sæpius inculcata sint, peritus vero Pharmacopœus in præparatione aut trituratione illorum, me etiam neque Duce, nec Consule facilè dispicere possit, quid expediat,

expediat, an simul, an seorsim ingredientia comminuenda sint; Vulgaria ac nota non tracto sed propria solertia committo: si quæ tamen forent abdita, illa notis illustrabo.

Pulvis Senæ solutivus Grossus.

℞. Fol. Senæ el. sine stipit. unc. unam,
Conscindantur saltem forcipe crassiuscule, quibus addantur
Cremoris Tartari drachmæ duæ semis
Pulv. Rad. Bryoniæ, drachm. duæ
Maceris grosso modo conquass. drach. una,
Misceantur, fiat pulvis grossus.

Hic Pulvis in substantia cum jusculo vel panatella assumi, aut quotiescunque volueris cum Vino sive Aqua infundi potest, Infusum postmodum colatum usurpari in plurimis infirmitatibus, quibus purgatione aut saltem alvi apertione opus: sufficiet a. pro dosi scrupulus unus in substantia sumptus, vel drachma semis; pro Infusione verò, drachma una, drachma una semis, vel drachmæ duæ, si unciæ tres vel quatuor Vini vel Aquæ, additis nonnullis guttulis Olei seu liquoris Tartari, affuderis.

Pulvis solutivus Tartarisatus.

℞. Tartari Vitriolati Crystallizati unc. unam,
Cremoris Tartari unc. semis,
Magisterii Gialappæ Amygdalis probè subacti scrupul. quatuor,
Pulv. Gialappæ Rad. unc. semis,
Maceris drachm. unam.
Misceantur. Fiat Pulvis omnium subtilis servetur.

Est Catharticum celebre ad omnes ferè humores excrementitios expellendos, præsertim biliosos, pituitosos aut aquosos, à quorum copia hypochondria & universum nonnunquam corpus gravatum est; viscerum Obstructiones pariter solvit. Mirum cæterum, quàm parva dosi operetur, cum Catharticorum minima huic pulveri insit quantitas; nihilominus in pondere pro una dosi, vix ultra drachmam semis vel scrupulos duos ascendere liceat. Hoc tamen etiam expertus sum, quòd recenter paratus, sive mixtus, multò validius operetur, quàm si diutius asservetur. Qui igitur hoc pulvere uti voluerit, dosin quamlibet separatim commisceri curet, quæ sequens esse potest.

℞. Tartari Vitriolati scrupul. unum,
Cremoris Tartari scrupul. semis,
Magister. Gialapp. Amygd. probè subacti gr. tria vel quatuor,
Pulv. R. Gialapp. grana octo,
Maceris gr. tria vel quatuor.

Pulvis solutivus de Tribus.

℞. Fol. Senæ el. sine stipit. unc. unam,
Rhabarb. optimi
Rad. Gialapp. ana unc. semis,
Maceris drach. unam semis,
Cremoris Tartari drach. tres,
Fiat omnium Pulvis.

Purgat pariter pituitam & bilem; succumque Melancholicum, à drachma semis ad drachmam unam.

Pulvis alius de Tribus.

℞. Rhabarb. el. drachm. sex,
Mechoacæ albæ,
Turbith gummosi ana unc. semis,
Cremoris Tartari drach. tres,
Macis drachm. unam semis,
Fiat omnium Pulvis purgans.

Pulvis solutivus Magistralis.

℞. Rhabarb. el. drachmas sex,
Rad. Mechoacæ albæ,
Gialappæ,
Asari,
Turbith, ana unc. semis,
Cremoris Tartari drach. sex,
Cinamomi acuti,
Macis ana drachm. unam semis,
Fiat Pulvis subtilis.

Adustos & retorridos humores cum serosa eorum colluvie expurgat, à drachma semis ad drachmam unam exhibitus. Poterit tamen qualibet dosis, si volupe fuerit, nonnihil acui; accipiendo v. g. hujus Pulveris drachmam semis, Tartari Vitriolati gr. vj & Magisterii Gialapp. gr. iij, vel loco hujus Mag. Gummi de Peru.

Pulvis Hydragogus.

℞. Cremoris Tartari unciam unam,
Mechoacæ albæ,
Gialapp. ana drachmas ſex,
Sem. Ebuli unciam ſemis,
Gummi Gamandræ drachm. unam ſemis,
Nucis Moſchat. drachm. duas,
Fiat omnium Pulvis.

Hydropicis ac Veteri Ictero fœdatis opitulatur; namque Pituitam, bilem & aquoſas educit humiditates à drachm. ſemis, ad drachmam unam.

Pulvis Hydragogus alius.

℞. Rad. Aſari,
Mechoacæ albæ,
Gialappæ,
Hermodactyl.
Calami aromat. ana drach. duas,
Herb. Gratiolæ,
Soldanellæ ana drach. duas ſem.
Sem. Ebuli unciam ſemis,
Elaterii ſcrupulos duos,
Diagridii Roſati n. ſeu ſcammon. Roſati n. drach. unam ſemis,
Millepedum n. m. præparat. drachm. unam ſemis,
Gummi Gamandræ drach. unam,
Caryophyllorum,
Macis ana drachmam unam ſemis,
Fiat ex omnibus pulvis ſubtiliſſimus, *cujus doſis drachma ſemis ad drachmam unam, ſingulis quaternis diebus in Hydrope exhibendus.*

Pulvis Comitis de Warwich, ſeu Cornachinus dictus.

Hujus pulveris præparationem ſuperius in *Pharmacopœia Augustana pag.* 159. ejuſdemque *Animadverſiones pag.* 169. reperies. In cujus præparatione porrò de Antimonio *præparato notandum*, quod præparatio ejuſdem non ſolum ritè & dextrè inſtituenda, ſed & *præparatum ac Diaphoreticum Antimonium* non ad longum tempus ſit aſſervandum: Tametſi enim per repetitam *Nitri* admixtionem & detonationem, uti loquuntur Chymici, *Antimonii Sulphur crudum & Emeticum violentum* potiori ex parte figatur, aut expellatur, redit tamen *Antimonium hoc* ad Genium ac feroces magis induit qualitates ubi aëri commiſſum & expoſitum fuerit, aut diu aſſervatum: adeò quidem, ut parvâ doſi exhibitum, pro diaphoreſi concilianda Cor potius afficiat, Cardialgias, Vomitus exceſſivos ac immites accerſet, præſertim in malignis Febribus propinatum, quorum non paucæ extant Tragœdiæ & funeſta Cataſtrophe, me vel arbitro vel nonnunquam ſpectatore. Hortor proinde omnes, quibus Medicinam facere indultum eſt, ut, cum eis talia diſpenſare proprio Marte conceſſum non ſit, ſimiles tamen eligant Magiſtros, quos ſcientia & conſcientia inſtituit, ne ſibi maculam & infamiam inurant, Artem verò, quæ omnium telis expoſita eſt, proſtituant, cum nemo ſit, qui Chymicos impetere non ſtudeat, nihil tam inviſum multis, quam audire Spagyros.

Quod ſi tamen L. B. Pulveres alios hunc Cornachinum æmulantes magis tamen quoad componendi rationem concinnos, exoptares, (cum Diagridium in illo ipſo pulvere Cornachino ſuperet duo reliqua Ingredientia in pondere, adeoque etiam in virtute operandi, ut omnes ejuſdem operationes Diagridio, nequaquam vero Antimonio adſcribendæ aut Tartaro) en! Tibi communico ſequentes.

Pulvis Catharticus Antimonialis primus.

℞. Scammonii Sulphurati & poſtea cum Tinctura Roſarum per Spir. Vini & Spirit. Sulphuris paratâ, aliquoties inſuccati ſeu impprægnati, tandemque Amygdalis dulcibus probè ſubacti uncias duas,
Antimonii per trinam detonationem, cum tertia ſemper parte Nitri parati, & non edulcorati uncias tres,
Cremoris Tartari, cum Decocto Rad. Mechoacæ alb ultimò ſoluti & cryſtalliſati unciam unam ſemis,

Miſce

Misce fiat Pulvis *Catharticus præstans in operationibus. Cujus Dosis scrupulus unus, drachma semis, ad scrupul. duos.*

Pulvis Catharticus Antimonialis secundus.

℞. Tartari Antimoniati & Vitriolati in Mantissa Spagyrica edocti unciam unam,
Magisterii Scammonii Amygd. probè subacti unciam semis,
Cremoris Tartari drachmas sex,
Misceantur in pulverem: *Cujus Dosis scrupulus semis, unus, ad drachmam semis, pro saburra humorum vitiosorum etiam per superiora exturbanda.*

Pulvis contra Vermes seu Lumbricos.

℞. Sem. Sancti seu Cynæ unciam unam,
Corallinæ,
Mechoacæ albæ ana drach. duas,
Mercurii dulcis ritè & dextrè parati drachmas duas semis,
Magisterii Galappæ Amygdalis probè subacti drachmam unam,
Sem. Anisi drachmam unam semis,
Sacchari albissimi unciam semis,
Fiat ex omnibus Pulvis.

In Vermibus & Lumbricis expellendis tùm puerorum tùm adultorum efficax, mediante dosi scrupuli unius, drachma semis, ad drachmam unam, in Lacte vel Mulso exhibendus.

Pulvis alius contra Vermes.

℞. Sem. Cynæ unciam unam,
Corallinæ unciam semis,
Myrrhæ rubræ drach. unam,
Mercurii dulcis legitimè parati unc. semis,
Rasuræ Cornu Cervi,
Turbith albi ana drachmas duas,
Sacchari albi unciam unam,
Macis drachmam unam,
Fiat Pulvis.

Cujus dosis drachma semis ad drachm. unam, in vermibus expellendis.

Pulvis ad Suppositoria.

℞. Trochiscorum Alhandal. drach. duas,
Aloës Epaticæ drach. tres,
Salis Gemmæ unciam semis vel drach. sex,
Ol. Ceræ stillat. drachmam semis,
Misce, Fiat Pulvis.

Alius sine Aloë.

℞. Fellis Tauri exsiccati drach. sex,
Trochiscor. Alhandal. drach. tres,
Croci Metallorum drachmas duas,
Salis Gemmæ unciam unam,
Fiat omnium pulvis.

Ex hoc pulvere, additis Farinæ hordei uncia circiter una, vitell ovor. num.ij.& Fellis Tauri recentis q. s. ac Ol. still. Ceræ drachmâ unâ, Suppositoria sicca formari possunt s. a.

Finitis Purgantibus & Catharticis Pulveribus, sequuntur hos pulveres etiam Bezoardici, cum aliis ad diversas & varias humani corporis Affectiones morbosas directis; Et sunt tales:

Pulvis contra Abortum.

℞. Granor. Kermes legitim. unc. semis,
Margaritar. Orient. drach. duas,
Coralliorum rubr. præpar.
Lapid. Corneoli præpar. ana drachm. tres,
Ligni Aloës gum. unc. semis,
Nucis Moschatæ drach. sex,
Santali rubri,
Rad. Tormentillæ, ana drach. tres,
Ireos Florent.
Cyperi rotundi,
Succini albi præpar. ana drachm. duas,
Essentiæ Citri Saccharinæ
Arantior. sacchar. ana ex recentibus Cort. par. unc. unam,
Ol. Nuc. Mosch. express. drachmam unam,
Fiat omnium Pulvis.

Datur gravidis sæpius, ubi Abortus timendus, in jusculo horis matutinis & vespertinis à drachma semis ad drachmam unam.

Pulvis Alexipharmacus seu Antipestilentialis.

℞. Rad. Contrajervæ drach. sex,
Zedoariæ unc. unam,
Doronici veri drach. sex,
Sem. Citri excorticati,
Rutæ,
Aquilegiæ ana drachm. duas,
Cort. Arantiorum,
Citri ana extim. & recenter siccat. unc. semis,
Myrrhæ translucidæ,
Succini albi ana drach. tres,
Croci Austriaci drach. duas,
Maceris drach. unam semis,

Fiat omnium Pulvis subtilis: *adversus pestifera luis insultus efficax, & contagiosis quibuslibet morbis adversatur. Dosis drachma semis ad drachmam unam.*

Pulvis Alexipharmacus secundus.

℞. Sulphuris crudi sed puri unciam unam,
Nitri cum succo Scordii soluti, & denuò crystallisati unc. unam semis,
Terræ Sigillatæ vel boli Armenæ n. m. paratæ unc. unam semis,
Myrrhæ rubræ translucidæ,
Succini albi præp. ana unc. semis,
Croci Austriaci drachm duas,
Nuc. Mosch. unc. semis,

Misceantur, fiatque pulvis omnium subtilis: *in Febribus malignis & peste ipsa validus; à drachma semis ad drachmam unam, pro sudore eliciendo.*

Pulvis Alexipharmacus tertius, Communis.

℞. Rad. Angelicæ,
Imperatoriæ,
Contrajervæ,
Zedoariæ ana unc. semis,
Sem. Citri excorticati,
Aquilegiæ ana drachmas duas,
Myrrhæ rubræ drachm. tres,
Terræ sigillatæ n. m. paratæ,
Nitri cum succo Scordii soluti ac denuò crystallizati ana unc. semis,
Croci optim. drachm. unam semis,
Nucis Moschatæ drachm. duas,

Fiat ex his omnibus Pulvis subtilis, cui imprimatur succus oleaginosus Corticum trium pomorum Limoniorum: servetur usui.

Non minoribus cæteris hic pulvis pollet virtutibus Alexipharmacis. Febribus enim malignis, pestiferis & contagiosis resistit, earumque insultus reprimit.

Pulvis Asthmaticus.

℞. Rad. Aaronis cum vino exsiccat, & n. m. præparat. unciam unam semis,
Cremoris Tartari unc. semis,
Essentiæ Arantior. saccharinæ ex recent. Cort. parat. drach. sex,

Fiat ex omnibus pulvis, pro usu quotidiano.

Pulvis Bezoardicus primus.

℞. Bezoar. Occidental. drach. tres,
Unicornu veri Marini,
Unicornu fossilis albiss. ana drach sex,
Boli Armeni seu Terræ Sigill. n. m. par. unciam unam,
Croci Austriaci drachm. duas,
Sem. Citri excorticati drachm. unam semis,
Nuc. Mosch. drachm. duas,

His omnibus mixtis & in Pulverem redactis imprimatur succus oleaginosus quatuor Pomorum Limoniorum Corticum; & denuò per se in aëre exsiccentur: fiatque Pulvis Bezoardicus *præstans in Febribus malignis & pestilentialibus, à drachma semis, ad drachmam unam.*

Pulvis Bezoardicus secundus Solaris & Cordialis.

℞. Croci nostri Solis in Mantissa edocti drachm. duas,
Bezoardici mineralis n. m. legitimè & recenter parati unc. unam,

His mixtis & leniter invicem sub tegula (vulgo

go Muffel) per horam unam calcinatis & spatula continuò commotis, adde, cùm refrixerint,

Ol. Still. Cinamomi drach. semis,

Levigentur denuò hora una super porphyrite lapide, tandem superadde

Boli Armenæ n. m. parat. drach. sex,
Croci opt. Austr. drach. unam semis,

Quibus omnibus probè mixtis imprimatur succus oleaginosus Corticum trium vel quatuor pomorum Limoniorum, & leniter tandem siccata serventur pro usu in vitro probè clauso, *tanq. saluberrimum Alexipharmacum & Cordiale Medicamentum, cujus dosis scrupulus unus ad drachm. semis, pro sudore eliciendo.*

Pulvis Bezoardicus Aureus.

Primò paretur Bezoardicum solare hoc pacto:

℞. Auri puri per Antimonium purgati unc. semis,
solvatur in
Spiritus salis optimi vel aq. Regis s. q.
porrò accipe
Butyri Antimonii unc. unam semis,
cui superaffundatur in Alembico
parvo
Spiritus Nitri legit. destill. q. s.

pro dissolutione, quousque nimirum nulla ebullitio vel strepitus amplius percipiatur; quo facto, conjungantur & commisceantur hæ duæ solutiones Auri & Butyri Antimonii, ac in arena igne leni abstrahantur spiritus ad siccitatem: Materia flava in fundo Cucurbitæ relicta excipiatur, inque mortario vitreo teratur, cui porrò cucurbitulæ vitreæ immissæ

Recent. Spir. Nitri unc. tres, vel quatuor,

superaffundantur, factaque aliquali digestione, rursus per arenam fortiter abstrahantur. Hæc operatio, nimirùm recentis Spiritus Nitri affusio, ejusdemque abstractio bis terve repetatur, materia relicta calcinetur leniter ad horas duas sub tegula (unter der Muffel) usuique reponatur.

Jam

℞. Bezoardici hujus aurei,
Unicornu fossilis albissimi,
Bezoar occident. ana unc. semis,

Fiatque omnium pulvis subtilissimus, *cujus dosis drach. semis in peste, morbisque contagiosis.*

Nota: Plures pulveres Bezoardici præstantes descripti sunt in *Animadversionibus* n. super *Cornu Cervi philosophicum pag.* 467, 468. Item pulveres Alexipharmaci Viperarum simplices & compositi *pag.* 216, 217, 218. *Animadvers.* quæ cuncta huc referri possunt.

Pulvis Cachecticus.

℞. Vitrioli Martis seu Chalybis dextrè parati cum Spiritu Sulph. & nonnihil supra fornacem ad albedinem calcinati unc. unam semis,
Magist. nostr. solub. Corallior. rubr.
Matris perlarum,
Oculor. Cancror.
ana unc. sem.
Cremoris Tartari unc. unam semis,
Elæosacchari Cinamomi unc. unam,
Croci Austr. drachm. unam semis,

Fiat omnium Pulvis in vitro custodiendus.

In reseratione Hypochondriorum Obstructorum, in curanda Cachexia & depravatorum humorum colluvie præparanda, præsens est remedium; Leucophlegmatiam & morbum virgineum curat, pallorem & vitiosum colorem tollit; sumendus in vehiculis appropriatis à drachma semis ad scrupulos duos.

Pulvis contra Calculum.

℞. Rad. Liquiritiæ rasæ,
Doron. veri ana drachm. sex,
Sem. Dauci,
Nasturtii,
Petroselini,
Thlaspios,
Urticæ,
Fœniculi ana drach. duas,
Succini albi præparati,
Ocul. Cancror. præp. ana drach. sex,
Ligni Nephritici drachm. duas,

His omnibus mixtis, & in pulverem redactis imprimatur succus oleaginosus Corticum trium pomorum Arantiorum: servetur usui.

Nephriticis & Calculosis ad renum arenulas exturbandas præstat, à drachma semis ad drach m unam.

Pulvis alius ad Calculum.

℞. Oculor. Cancror. præparatorum,
Succini albi præparati,
Cremoris Tartari ana unc. ſemis,
Lapid. Nephritici præp. drachm. tres,
Millepedum præpar. drachm. unam ſemis,
Nucum Moſch. drachm. duas,
Fiat omnium pulvis.

Calculum tum Renum tum Veſicæ unica ſua proprietate atterit & propellit, urinam movet, ac Ventriculi nauſeam compeſcit. Doſis ſcrupulus, drachma ſemis, ad ſcrupulos duos.

Pulvis alius contra Calculum.

℞. Oculor. Cancror. præp.
Matris perlarum præp. ana unciam ſemis,
Clauſularum Limacum drachm. duas,
Millepedum præp. drachm. unam,
Salis ſuccini volatilis drachm. unam ſemis,
Nuc. Moſch. drachm. duas.

Fiat pulvis ex omnibus: *cujus Virtutes ex ſuperioribus eluceſcunt; Hydropicis inſuper in educendo ſero per urinam, & Mulieribus, in pellendis Menſtruis ſalutaris eſt. Doſis drachma ſemis ad ſcrupulos duos.*

Pulvis Cephalicus ſeu Antapoplecticus.

℞. Rad. Doronici veri recent. coll. & ſiccat. unc. unam,
Coſti dulcis,
Ligni Aloës ponder.
Cardamom. min. ana drachm. tres,
Cubebarum,
Coriandri,
Aniſi ana drachmas duas,
Nucis Moſchatæ,
Succini albi ana unc. ſemis,
Caryoph. drachm. unam ſemis,
Ambræ gryſeæ drach. ſemis,
prius cum
Sem. Citri excort. ſcrupulo uno ſubactæ,
Ol. Still. Cinamom. ſcrup. unum,
Fiat ex omnibus pulvis.

Mira ejus eſt in Affectibus Cerebri & Capitis efficacia; Intemperiem enim ejus humidam corrigit, ideoque Apoplecticis, Epilepticis & Vertiginoſis eſt emolumento. Detur à ſcrupulo uno ad drachm. ſemis & ſcrupul. duos.

Pulvis Cephalicus alius Pretioſus contra Vertiginem.

℞. Ambræ gryſeæ opt. drachm. unam,
ſubigatur opt. cum
Sem. Pœoniæ excort. drach. una,
Citri excort. drach. ſemis,
Moſchi optimi Orient. ſcrup. unum, cum
Spirit. Roſar. particula ad pultis formam, contundendo in mortario, redacti:
His adde
Pulv. Ligni Aloës ponder. unc. ſemis,
Rad. Doronici veri unc. unam,
Cardamomi min.
Nuc. Moſch. ana unc. ſemis,
Eſſent. Roſar. ſaccharinæ n. unc. tres,
cui inſtillentur prius
Ol. Stillat. Cinamom. drachm. ſemis,
Caryoph. ſcrup. ſemis,
Majoranæ,
Ligni Rhodii ana ſcrupul. unus.

Fiat pulvis præſtantiſſimus, imò Regius, *ſalutaris ad omnes frigidas Cerebri affectiones, Vertiginem præcipuè, Apoplexiam, & Epilepſiam juvans; Doſis à ſcrupulo uno ad drachmam ſemis.*

Pulvis ad Caſum.

℞. Sanguinis Draconis opt. unc. ſemis,
Hirci modo ſupra edocto parati,
Oculorum Cancrorum præp.
Terræ ſigillatæ ſeu Boli Armenæ ana drachm. ſex,
Myrrhæ rubræ unc. ſemis,
Nuc. Moſch. drachm. tres,
Fiat Pulvis.

Prodest præcipitatis ab alto, & quibus sanguis in corpore coagulatus hæret; ruptis item, contusis, fractis: vel in vino, vel jusculo aut aqua Cherefolii vel Card. Mariæ propinatus. Dosis, drachma semis ad drachmam unam.

Pulvis Cyprius Pretiosus.

℞. Musci vel Usneæ quercinæ electæ & ab omnibus impuritatibus lignosis mundatæ lib. duas,

Immittatur sacculo & per horæ quadrantem baculo discutiatur, ut ab omni pulvere & sordibus adhærentibus penitus liberetur: Hinc ollæ immittatur, sæpius aquâ simplici superfusa lavetur, per duos dies, donec aqua limpida & pura, prout affusa fuit, effundatur; siccetur deinde in Sole supra linteum collocata, ut eo magis suo colore, odore & sapore, vi nimirum attractrice, Solis privetur. Porrò hæc eadem usnea suo colore viridi & omni odore jam privata, ac probè siccata, cum floribus Rosarum & Jasmini (vel floribus Arantiorum & Citri, ubi illorum est proventus) recentibus & integris sexies vel octies stratificetur, & junctim pondere aliquo in cribro comprimantur, singulis diebus floribus ad usnea separatis, & recentibus substitutis, donec fragrantissimo imbuatur odore. Post, leniter exsiccata usnea, & in pulverem subtilissimum redacta, denuò, (si forte odorem in leni exsiccatione, quæ tamen nunc in sole fieri non debet, sed alio in loco tepido) linteo subtili vel sacculo largo imposita, infra supraque floribus supradictis recentibus conspergatur, ac pondere aliquo in cribro nonnihil aggravetur. Huic pulveri tandem fragrantissimo pro quavis libra una adde

Moschi scrupulum vel drachm. semis, soluti in
Spirit. Rosar. fragr. s. q. ad pulticulæ formam,
Ambræ gryseæ itidem drachm. semis, solutæ in
Ol. Still. Rosar. veri scrupulo; vel in
Ol. Jasmini aut Arantiorum, prout ex Italia affertur, drachm. semis, item, sit lubet,
Pulv. Rad. Ireos Flor. albiss. unciam unam semis,
Cyperi rotund. unc. unam semis,

Fiat pulvis fragrantissimus Regius, *qui quando capiti inspergitur, odore suo grato insigniter illud roborat, suaque adstrictione, siccitate atque vi attractrice omnes ejus sordes exsiccat: & cum nulla viscositate polleat, nec cuti, neque capillis firmiter adhæreat, facilè à capite & ejus capillis avelli poterit.*

Pulvis ad Dentifricia.

℞. Cremoris Tartari s. Tartari albissimi Veneti unc. duas,
Rad. Ireos Florent. unc. semis,
Alumin. usti,
Nuc. Mosch. ana drachm. duas,

Fiat omnium Pulvis non admodum subtilis, Cui adde

Moschi opt. scrupulum unum, cum
Spiritu Rosarum vel Aq. Arantiorum nonnihil soluti.
Servetur Pulvis ad usum.

Dentes mucosos & Tartaro veluti obductos à sordibus purgat, eosque dealbat, mundificat, & gingivas adstringit, & sic vacillantes firmos reddit.

Nota: Quod Dentifricia è *Lapidibus duris & asperis*, utpote *silicibus*, *pumice & Corallis* aliisque parari solita, uti etiam est farina Virginea Mynsichto laudata, dentes quidem abstergant, sordibusve liberent, verùm quia unà gingivas cum dentibus abradunt & quam maximè suâ asperitate afficiunt, carneque quasi denudant, vim è contra nullam habent dentes roborandi, carnem augendi, aut vacillantes firmandi; Tartarus verò utrumque præstare est aptus, eò quod non solum adhærentem ac agglutinatum tenaciter mucorem induratum abstergat sed sua etiam acrimonia & vi adstringente vacillantes dentes firmet, gingivas roboret, confortet, & augeat: sit hactenus, ut *Tartaro* præstantius nihil ad hos pulveres accommodari possit.

Pulvis Dysentericus.

℞. Flor. ferri præp. unc. unam,
Oculorum Cancror. præp.

Nuc. Moſch.
Rad. Tormentill. ana unc. ſemis,
Flor. Roſar. rubr.
Balauſtior.
Croci Auſtr. ana drach. duas,
Fiat omnium Pulvis.

Ad omnes Alviſluxus immoderatos, Diarrhœam, Lienteriam, præcipue vero Dyſenteriam, ſiſtendos, præſentaneum eſt remedium, atque virtutis efficaciſſimæ. Doſis, drachma ſemis ad drachmam unam.

Alius ad idem.

℞. Boli Armenæ n. m. præp. drachm. ſex,
Lapid. Bezoar. occid. drachm. duas,
Rad. Tormentillæ, drach. ſex,
Contrajervæ,
Nuc. Moſch. ana drach. tres,
Croci Auſtr. drachm. duas,
Cort. Arantiorum.
Citri ana extim. & recenter ſiccat. drachm. duas,
Fiat Pulvis ex omnibus.

Vſus ejus eſt in Dyſenteriis & Diarrhœis malignis, uti ſuperioris.

Pulvis Antepilepticus.

℞. Pulv. ex Typhis Cervi ritè juxta n. deſcript. in *Animadv. pag.* 467, 468. *parati* unciam ſemis,
Unicornu veri marini,
Cranii hominis ſuſpenſi raſpati,
Bezoar. occidental.
Lapid. Carpion. ſublun. ſupra eorum oculos repertibil. ana drachm. duas,
Vermicul. in Spongiis Cynosbat. inventorum drachm. ſemis,
Ol. Still. Cinamom. ſcrupul. unum,
Caryoph. ſcr. ſemis,
Magiſt. ſolub. Matris perlarum unc. ſemis,
Fiat omnium pulvis ſubtilis.

Prodeſt Epilepticis & Apoplecticis. Doſis ſcrupulus unus, ad drachm. ſemis.

Pulvis Antepilepticus alius.

℞. Nucl. Ceraſ. nigror. unciam ſemis,
Sem. Pœoniæ excort. drachmas duas,
Citri excort.
Bardanæ ana drach. unam ſemis,
Contundantur ſubtiliſſimè in mortario addita ſemper particula Aquæ flor. Arantiorum, ad pultis formam, ut per ſetaceum tranſmitti poſſit: Cui adde parum etiam conquaſſata ſequentia: nempe
Rad. Pœoniæ d. t. collect.
Doron. veri ana drachm. tres,
Viſci Quercini,
Nuc. Moſchat.
Cardamom. min.
Croci Auſtr. ana drach. duas,
Succini albi præp. drach. tres,
Magiſt. ſolub. Corall. rub. drachm. duas,
Cranii humani raſpati drach. tres,
Ol. Stillatit. Cinamomi ſcr. unum,
Ligni Rhodii ſcrupulum unum,
Fiat omnium Pulvis ſubtilis.

Efficax in Epilepſia & aliis Cerebri affectibus. Datur à drach. ſemis ad ſcrupulos duos.

Pulvis alius Epilepticus Aureus ſeu Solaris.

℞. Croci Auri cum Tinctura Antimonii fermentati drachm. duas,
Unicornu foſſilis albiſſimi,
Unicornu Marini ſcil. quod pro vero Unicornu habitum fuit, nunc vero levi pretio venale proſtat tanquam Maris ſoboles, ana unciam ſemis,
Cranii hominis ſtrangulati raſpati drachm. duas,
Pulv. ex Typhis vel ſaltem junioribus lanuginoſis & mollibus adhuc Cervorum Cornubus, n. m. edocto parati unciam ſemis,
Magiſt. ſolub. n. Perlarum Oriental.
Matris perlarum,
Corall. rub. ana drach. unam ſemis,

Nuc. Moſch. unc. ſemis,
Ol. Cinamomi ſtillat. ſcrupul. unum vel drachm. ſemis,
Fiat omnium pulv. ſubtilis.

Remedium contra Inſultus Epilepticos præſtans eſt, reſiſtit enim Malignitati & Cor inſigniter roborat. Doſis ſcrupulus ad drachmam ſemis & ſcrupulos duos.

Plures invenies præſtantes Pulveres Antepilepticos in *Animadverſionibus* n. p. 468. & ibi delectum Elegantiſſimarum Deſcriptionum quoque habebis.

Pulvis Groſſus ad Sacculos pro Epithemate Cordis, & Pulſibus.

℞. Herb. recent. Roriſmarini,
Majoranæ,
Baſilici,
Meliſſæ citratæ ana unc. unam,
Flor. recent. Arantiorum,
Roſar. pallid. ana unc. unam ſemis,
Cheiri,
Tunicæ an. unc. unam,
Lavendulæ unciam unam ſemis,
Cort. recent. Arantiorum,
Citri ana extim. flav. unc. unam ſemis,
Croci Auſtr. vel Or. drachm. ſex,
Cinamomi optimi unc. unam ſemis,
Macis,
Nuc. Moſch. ana unc. unam,
Ligni Rhodii,
Aloës ana unc. ſemis,

Omnia ac ſingula probè commixta, tàm herbæ recentes, Flores, ac Cortices, quàm deſiccata Aromata & Ligna (quæ tamen prius incidi ſeparatim ſuaſerim) minutim inciſa, exſiccentur in umbra cum cautela & charta deſuper operta: *Ex quibus ſic paratis ſpeciebus ſacculi poterunt formari, formâ ac magnitudine competenti, ac filo ſerico interſui; qui poſtmodum Cordis regioni ac pulſibus ſuperligantur, prius tamen aquâ Cordiali, quæ arriſerit illi humectandi: idque toties repetendum, quoties etiam calor exæſtuans eos exſiccaverit.* Perelegans ſanè atque efficax modus hic eſt Cor & tuendi, & Spiritus vitales inſtaurandi. Namque, dum ſpeciebus ſiccis, flores recentes, & fragrantiſſimos addimus, ſupinos quaſi ac latentes ſiccorum ſpiritus excitamus, acceſſione novæ fragrantiæ intendimus, & multò efficacius temperamentum ac compoſitum ſuſcitamus, cum alioquin pronum eſſet, leviſſima exſiccatione etiam ſolutas haſce Atomos ſpiritu & odore turgidas exhalare. Ulterius ſacculi ex Zendalo conſuti, groſſioribus hiſce ſpeciebus oppleti ac cordiali quodam liquore imbuti inſigne robur Cardiacum addere poſſunt, cum hîc virtus unita fortior, ſpecies etiam proximius cordi adſtent, vireſque earum diutius perdurent, neque protinus, uti aliàs pulveres vel ſpecies Cordiales aquâ aliqua dilutæ ſolent, diffluant & diſſipentur, ſed diutius viribus collectis conſerventur & integris, ſæpius etiam, ſi deficcentur, madefactis ſacculis. Unde demirari ſatis non poſſum Amethodum eorum, qui regioni cordis & pulſificis partibus, lapides & gemmas, Corallia & Margaritas, ut ab his naturæ ſubſidium feratur, ridiculè applicant; an ignorent, quod ejuſmodi ad Cordis & Corporis penetralia & abdita nequaquam admittantur, niſi ab acidulo noſtrate fermento actuentur & veluti ſolvantur: quid deforis amabo præſtabunt, dura & cruda, inodora, & omnibus oſſibus aridiora.

Pulvis contra Hæmorrhagiam, & Sputum Cruentum.

℞. Rad. Tormentill. drachm. ſex,
Papaveris erratici,
Terræ ſigillatæ ſeu Boli Armen.
Lapidis Ætitis nuclei interioris,
Hæmatitis præpar.
Corneoli præparati,
Magiſt. ſolub. Coralliorum,
Nuc. Moſchat. ana drachm. duas,
Sangu. Draconis,
Olibani in granis an. drachm. tres,
Nitri puriſſimi cryſtall. drachm. ſex,
Fiat Pulvis.

Valet ad Sputum cruentum & fluxus ſangui-

 nis

nis Narium sistendos, & ad Menstruorum Mulierum superfluum, Fluxum, Dysenteriam, Diarrhœam, Alvi ac Uteri profluvia alba & cruenta curanda singularis est efficaciæ.

Pulvis Hepaticus Rubeus.

℞. Cremoris Tartari unc. duas,
Tartari Vitriolati sed crystallisati, ne in humido liquefiat, unc. unam semis,
Fæculæ seu salis essentialis acetosellæ unc. unam,

Hæc mixta & in pulverem redacta humectentur ter quaterve cum Tinctura ex rosis siccis rubris & santalo rubro, beneficio aquæ Rosarum & Spiritus Vitrioli parata, & toties leni in calore exsiccentur. Quibus tandem in pulverem denuò conversis superadde

Sacch. n. Citrati unc. unam semis,
Fiat Pulvis: servetur in Vitro benè clauso.

Simpliciori modo sic parari poterit.

℞. Cremoris Tartari unc. duas,
Tartari Vitriolati crystallisati unciam unam semis,
Fæculæ seu salis essentialis Acetosellæ unc. unam,
Pulv. Rof. rubrar. unc. semis,
Santali rubri drachm. duas,
Sacchari citrati n. unc. unam,
M. Fiat Pulvis.

In calida Hepatis Intemperie ejusdemque obstructione & labefactatione perutile est remedium.

Pulvis Hystericus.

℞. Rad. Pœoniæ l. decr. collectæ unciam semis,
Doronici veri,
Zedoariæ ana drachm. duas,
Cardopatiæ drachm. una semis,
Antophyllorum,
Croc. Austr. vel Oriental.
Cort. Arantiorum,
Citri ana extim. recent.
Sem. Citri excortic. ana drach. duas,
Salis Jovis seu Stanni Anglici unciam semis,
Magist. solub. Coralliorum,
Matris Perlarum, ana drachm. duas,
Ol. stillat. Cinamomi,
Melissæ an. scrup. semis,
Fiat Pulvis.

Placat hic pulvis dolores uterinos, atque vapores ab utero ascendentes reprimit, imò Matris suffocationem abigit. Dosis drachma semis ad scrupul. duos.

Pulvis ad Generandum Lac.

℞. Carnis Uberis Vaccæ juvenculæ unc. sex,
Rad. recent. Rapunculorum,
Cardui lactei,
Barbæ hirci an. unc. unam,
Ireos Flor. unc. unam sem.
Liquiritiæ drachm. sex,
Sem. Lactucæ,
Pœoniæ excort. ana drach. sex,
Lapid. Lactei præparati, (est lapis mollis instar Saponis tactu,) unc. unam semis,
Corallior. alb. præpar.
Oculor. Cancror. præpar. ana drachm. sex,
Magist. solub. Matris Perlarum unc. semis,

Caro mammillarum, radices etiam recentes conscindantur tessellatim, ac cum reliquis pulveribus & præparatis conspersa, immittantur Alembico vitreo, quibus superaffundantur

Succi Cydoniorum recenter expressi unc. quatuor,

ac illicò in M.B. totaliter exsiccentur, (baculo quandoque illa in Alembico commovendo) ut in pulverem subtilem redigi possint, cui pulveri adde

Pulv. Sem. Erucæ,
Fœniculi ana drachm. sex,
Cardamomi min.
Macis ana unc. semis,
Piperis longi unc. unam,
Misceantur exactè, fiatque Pulvis subtilissimus.

Hujus detur pro dosi drachma una vel duæ in jusculo Gallinæ, sæpius in die.

Pulvis ad Nasalia.

Videatur in prægressa *Pharmacopæia Augustana.*

Pulvis Partum Provocans.

℞. Pulv. Glaciei Mariæ fixæ, quæ est species Talci, unc. semis,
Cassiæ ligneæ veræ,
Boracis Venetæ ana drach. duas,
Croci Austriaci,
Pilæ capræ sylv.
Macis ana drachm. unam,
Ol. Cinamom. gutt. xij.
Fiat Pulvis.

Item Iecur & fel anguillæ siccata & pulverisata expertum remedium est, nec fallit, nisi pinguedo quadam vel frustum carnis aut Mola, experientia teste, impedimento exituro fœtui fuerit.

Cæterum pulvis hic ad partum facilitandum, ut & fœtum mortuum excludendum, salubriter exhibetur; pellit nec non potenter secundinas, à drachma semis ad drachmam unam & unam semis.

Pulvis Pleuriticus.

℞. Sanguinis Hirci juxta mod. edoct. parati unc. unam,
Rasuræ dentium Apri unc. semis,
Oculorum Cancror. præp. drach. duas,
Rad. Papav. errat. drach. unam semis,
Croci Austriac. vel Oriental. drachm. unam,
Fiat omnium Pulvis.

Confert omnibus laterum puncturis atque doloribus, adeoque Pleuritidi tàm veræ & legitimæ, quàm spuriæ & nothæ medetur. Dosis drachma semis ad drachmam unam.

Pulvis Sternutatorius Cephalicus.

℞. Rad. Doronici veri,
Pyrethri,
Hellebori alb. ana drach. unam,
Herb. Majoranæ,
Thymi,
Rorismarini,
Flor Liliorum convallium, ana drach. unam semis.
Sem. Anisi,
Coriandri,
Nigellæ,
Cardamomi,
Macis ana drachm. semis,
Caryoph. scrupul. unum,
Ambræ gryseæ scrup. semis,
Moschi Oriental. grana octo,
Ol. Ligni Rhodii scrup. unum,
Fiat ex omnibus Pulvis subtilis.

Pulvis contra Tussim seu Catarrhalis.

℞. Sem. Papaveris albi unc. unam,
Melonum excort. unc. semis,
Pœoniæ excort. drachm. duas,
Pinearum mundatarum,
Pistach. decort. ana unc. semis,
Benzoes pulv. drachm. semis,
Contundantur probè in mortario ad pultis formam, cum s. q. aquæ Rosarum. Hinc pulpæ adde
Pulv. Rad. Ireos Flor. unc. unam semis,
Pœoniæ unc. semis,
Croci Orient. vel Austriaci drach. duas,
Florum Sulphuris drachm. unam Semis,
Sacchari penidii unc. sex,
Exsiccentur in leni calore, fiatque omnium denuò Pulvis subtilis: adde
Olei still. Anisi drach. unam vel drach. unam semis,

Præstans in Tussi & Defluxionibus à capite ad pectus tenuioribus incrassandis & maturandis remedium, sæpius lambendo usitatum.

Pulvis alius Catarrhalis Antiphthisicus.

℞. Sulphuris vivi translucidi & splendidi vel, si hoc desit,
Florum Sulphuris unc. unam,
Sacchari Saturni resolubilis ex Minio vel ipso Plumbo facti drachmas sex,
Croci Austriaci drachm. duas,

Rad. Ireos Florent.
Liquiritiæ,
Fungorum arbori salicis adnascentium ana drachm. sex,
Thuris in granis,
Gummi Animæ ana unc. semis,
Sacch. Can. albi unc. duas.

Fiat s. a. Pulvis subtilis, *in decocto quodam pectorali, vel in ovo sorbili, manè & vesperi à drachma semis ad drachmam unam propinandus.*

Pulvis Stomachalis.

℞. Rad. Calami Aromatici,
Galangæ,
Pimpinellæ,
Liquiritiæ,
Zingiberis,
Piperis longi,
Caryoph. ana unc. semis,
Rad. Doronici veri unc. unam,
Nuc. Moschatarum,
Cardamom. min. ana drachm. sex,
Macis drachm. duas,
Sem. Anisi,
Carui,
Fœniculi, ana unc. semis,
Cort. Arantiorum,
Citri ana extim. & recent. siccat. drachm. tres,
Ol. Cinamomi still. drachm. semis,
Sacch. Can. albi ad pondus omnium.
M. Fiat Pulvis.

Præstans ad varia Stomachi & Cerebri vitia emendanda, Vomitum, Nauseam, Cardialgiam & Concoctionem læsam; Ventriculo item refrigerato cum emolumento exhibetur.

Pulvis ad Strumas.

Videatur ejus Compositio in Pharmacopœia Augustana.

Pulveres Viperar. Simplices & Compositi.

Eorum Confectiones legitimas, unà cum usu & dosibus, Animadversiones nostræ super Classem de Trochiscis factæ luculenter edocent pag. 215. & seq. quas Lector Benevolus evolvat.

Pulvis Vulnerarius.

℞. Mastichis electæ,
Myrrhæ,
Olibani,
Sangu. Draconis,
Oculor. Cancror. præparat.
Nuc. Mosch. ana drachm. duas,
Boli Armenæ n. m. parat.
Rad. Tormentill. ana unc. semis,
Croci Austr. drachm. unam semis,
Fiat omnium Pulvis.

In vulneribus Internis & Externis, nervorum, præcipuè ubi Meliceria (vulgò das Gliedwasser*) è vulneribus stillat, opem præstat, à drachma semis ad drachmam unam.*

Vides, Amice Lector, quam amplam & divitem penum Medicatorum Pulverum & Specierum longa serie in hac Classe in Tui solius emolumentum solertissimo studio adduxerim, adeò, ut vix morbi cujusdam species ac Typus supersit, cui non objicias Medicamentum quodpiam dextera parandi ratione, viribus & efficacia elegantissimum ac unicè expetendum, queîs feliciter utere, Tuo & Proximorum subsidio.

PHAR-

PHARMACOPOEIÆ REGIÆ

CLASSIS DECIMA,

Eclegmatum, Diacodiorum, & Lohoch Formulas comprehendens.

Barbaro ac peregrino etymo hæc proferuntur, mutuato à Græcis & Arabibus Idiomate, quo varia notantur medicamina, unius tamen consistentiæ, Electuarii formam propemodum æmulantia, paulò tamen liquidiora, crassiora & viscida magis ipsis Syrupis; quanquam nonnunquam accidat, ut solidam formam nanciscantur, id vel usu, ægrorum affectu, & gratiâ, quâ patientibus illicio sint, nos hortante. Parantur utplurimum ex Decoctis, Succis nonnihil mucilaginosis, ex instituto, ut materiam peccantem, quæ de consueto acris, salsa, cum impetu asperam arteriam, pectus ac pulmones feriens, nonnihil inhibeant, solident, condensent, ac ad expectorandum facilius disponant. Ex quorum censu sequentia habeto:

Diacodion Simplex Galeni.

Paretur ad normam, ac juxta exactam n. descriptionem in *Appendice ad Animadversiones pag.* 17. propositam. *Usus ejus est in destillationibus tenuibus è capite in asperam arteriam labentibus, abstergit potenter, & somnum moderatè conciliat; cavendum tamen, ne, lambendo de illo sæpius totaque die somnus nimiopere, præsertim Infantibus, concilietur.*

Diacodion Jo. Baptistæ Montani.

Paretur & illud juxta normam in *Appendice* n. ad *Animadversiones* præscriptam. *Utuntur illo in tenuibus & acribus rheumatismis, pulmones & asperam arteriam fluxione tentantibus, & continua tussi somnum prohibentibus.*

Diacodion Asthmaticum contra Tussim Diuturnam.

℞. Rad. Aronis,
Helenii,
Glycyrrhizæ,
Ireos Flor.
Pimpinellæ ana recent. unciam unam,
Herb. Hyssopi,
Hederæ terrest.
Veronicæ,
Porr: seu Cæpar. cann. vulgò Lauch. ana recent. unc. unam semis,
Scillæ præparatæ drachm. sex,

Incisa coquantur in s. q. Aquæ simpl. repetitis vicibus affusæ, ad omnium virtutem prolectionem: colaturæ omnes clarificatæ ad libram unam semis circiter evaporent, in vase terreo vitreato, interimque asservetur.

Jam verò

℞. Sem. Erucæ,
Nasturtii,
Urticæ ana drachm. sex,
Gummi Ammoniaci,
Animæ ana drachm. unam semis,
Masticis drachm. duas,
Camphoræ drachm. semis,
Amygdal. dulcium,
amarar. ana drach. sex,

Contundantur probè in mortario, affusâ portiunculâ Aquæ Flor. Arantiorum, ad formam pultis mollioris, quæ per setaceum transmissa, quantum fieri potest, interim etiam servetur.

Porrò

℞. Superius asservatum & abstractum decoctum,

additaque

Sacch. Can. albi lib. una semis,

Redigantur leniter coquendo in Syrupi crassam seu mucilaginosam consistentiam, cui statim immittatur,

Asservata Pulpa ex seminibus superius & Gum. facta.

item addendo

Pulv. Cardamomi min.
Nuc. Mosch. ana drach. tres,
Macis drachm. unam,
Sem. Anisi unc. semis,
Croci opt. drachm. unam semis,
Elæosacch. Cinamomi unc. sem.
Fœniculi unc. semis,

Fiatque omnibus exactè mixtis Diacodion. *In Asthmate & difficili respiratione cum successu exhibentur.*

Diacodion Actuarii Correctum.

Parari poterit & illud, juxta præscriptam normam in *Appendice ad Animadversiones pag.* 18. *Et egregiis pollebit virtutibus in Hæmorrhagia quacunque, & Dysenteriis sistendis. Cujus dosis uncia semis, ad unam.*

Diacodion Dysentericum.

℞. Rad. Tormentillæ unc. unam,
Bistortæ unc. semis,
Flor. Ros. rub. siccat. drachm. sex,
Balaustiorum unc. semis,
Succi Hypocystid. drachm. duas,

Coquantur in s. q. Aquæ simplicis ad duarum librarum remanentiam; Decoctum colatum & probè clarificatum interim asservetur.

Tum

℞. Sem. Papaveris albi unc. unam sem.
Melonum,
Cucurbitæ,
Amygd. dulcium ana decortic. unc. unam.

Contundantur diu multumque in mortario; additâ pedetentim portiunculâ superioris asservati Decocti, ad formam pulticulæ, ut per setaceum trajici possit, quæ interim asservetur.

Jam verò accipe

Decoctum superius asservatum,
& additâ
Sacch. Can. albi lib. unâ semis,

Percoquantur ad Consistentiam ferè tabulati, cui ab igne remoto addantur

Emulsio superius facta & asservata,
deinde
Reliqui subsequentes Pulveres, utpotè,
Croci Austriaci drachm. una semis,
Oculorum Cancror. præparat.
Corall. rub. præparat.
Rad. Liquiritiæ rasæ,
Ireos Florent.
Nucum Moschatarum ana unc. semis,
M. Fiat Diacodion.

In Dysenteriis & Diarrhæis, Exulcerationibus intestinorum & Mesenterii utiliter exhibetur.

Diacodion seu Eclegma Pectorale Papaverinum.

℞. Siliquarum dulcium unc. tres,
Glycyrrhizæ rasæ unc. unam,
Capitum Papav. albi cum sem. num. v.

Incisa coquantur in s. q. Aquæ simplicis ad remanentiam librarum duarum: Decoctum clarificetur & interim asservetur. Postea

℞. Hujus Decocti jam facti lib. semis,
& cum
Sem. Papav. albi unc. duabus,
Melonum,
Cucurbitæ,
Amygd. dulc. decort. ana unc. una,

Diu in mortario contusorum fiat Emulsio crassa, per pannum linteum rarum colanda & exprimenda: Hac pariter & paulisper asservatâ, accipiatur

Reliqua asservati decocti lib. una sem.
& additis
Sacch. Can. albi unc. xx.

Coquantur ad consistentiam quasi tabulati, cui junge Emulsionem crassam superius factam, & sine ulteriore coctione repone.

Valet in Tussi diuturna, ubi humores tenues & acres

& acres à capite ad pectus & asperam arteriam delabentes, periculum læsionis & erosionis venularum causare possent; Somnum insuper conciliat, & pectus lenit.

Diacodion Pectorale Solidum.

℞. Rad. Ireos Florent. drachm. sex,
Tussilaginis unc. semis,
Incisa coquantur in s. q. Aquæ simpl. ad libræ unius remanentiam, decoctum coletur & debitè clarificetur, quo interim servato, accipe
Sem. Papav. albi,
Melon. excort. ana drach. sex,
Pœoniæ excort. drach. duas,
Pinearum mundat. drachm. sex,
Contundantur minutissimè in mortario ad formam pultis, additâ portiunculâ Aquæ Rosarum fragr. & per cribrum setaceum trajiciantur, quâ interim etiam asservatâ, solvatur in superiori decocto radicum
Sacch. Can. albi lib. una,
Coquanturque ad consistentiam Tabulati paulò solidiorem, addendo, ab igne remotis
Pulpam superiorem Seminum & Pinearum,
item
Pulv. Rad. Ireos Flor. drachm. sex,
Amyli albi unc. unam,
Et, si lubet, pro roborando Corde Margarit. Oriental. præpar. vel loco harum,
Matris perlarum præp. drach. duas,
Fiat Diacodion solidum, in forma Rotularum aut Morsellorum.

Valet in omnibus pectoris affectibus morbosis, Tussi diuturnâ & recenti, asthmate difficili respiratione, & Phthisi ipsa; in Pleuritide pro expectoratione præsens est remedium.

Diacodion contra Sputum Sanguinis.

℞. Rad. recent. Acetosæ unc. unam,
Cichorii sylv. unc. unam semis,
Lapathi acuti,
Papav. erratici,
Pentaphylli,
Plantag. min.
Tormentillæ ana unciam unam,
Herb. recent. Auriculæ muris,
Bursæ pastoris,
Cichorii sylvestris,
Equiseti,
Plantag. min.
Virgæ aureæ,
Vincæ pervincæ, ana manip. duos,
Flor. recent. Rosarum rub. unc. duas,
Papav. errat. unc. unam semis,
Santali rubri drachm. sex,
Incisa coquantur in s. q. Aq. simplicis, repetitis vicibus affusæ, quoad tota eorum virtus extracta sit, colaturæ omnes album. ovorum clarificatæ ad libram unam circiter evaporent, &, additis succis sequentibus, utpotè
Succor. Cichorii sylv.
Millefolii,
Plantag. minoris,
Sempervivi majoris, ana depurator. unc. sex,
Interim asserventur. Tum
℞. Sem. Papav. albi,
Melonum excort. ana unciam unam,
Pœoniæ excort.
Portulacæ ana unc. semis,
Contundantur minutissimè in mortario ad formam pulticulæ, additâ portiuncula superioris Decocti, vel Aquæ Rosarum, & per setaceum transmittantur ad instar pulpæ, quâ interim etiam servatâ, accipe Decoctum superius cum succis expressis, asservatum, ac cum
Sacch. Can. albi lib. duabus,
ad Syrupi consistentiam, paulo tamen crassiorem, percoque, cui Syrupo tandem immisce,
Pulpam seminum superius asservatam,
item
Pulv. Boli Armen. præp.
Corall. rub. præp.
Lapid. Hæmatit.
Sanguin. Draconis,
Olibani ana unc. semis,

Pulv. Lapid.Corneol.præpar.drachm. duas,
Croci opt. Auftr. drachm. unam femis,
Elæofacch.Nucum Mofch. cum Ol.expr. facti unc. duas,
Fiat omnibus probè mixtis f. a. Diacodion, *præftans in Sputo fanguinis, à quacunque caufa ortum duxerit, abftergit, conglutinat, & ofcula venarum claudit. Dofis drachmæ duæ ad unciam femis.*

Lahoch Pectorale.

℞. Rad. Ireos Florent. unciam unam fefemis,
Liquiritiæ unc. unam,
Paffularum majorum unç. duas,
Dactylorum num. xij,
Jujubarum num. xxx,
Siliquarum dulc. uncias duas,
Coquantur minutim incifa in f. q. Aquæ fimplicis ad remanentiam librarum duarum: Decoctum coletur & probe clarificetur; cujus accipe lib. femis,
Item
Nucleor.Pinear. mundat.
Amygd. dulc. decort. ana unc. unam femis,
Sem. Melon.excortic.
Papav. albi ana drachm. fex,
Fiat ex iis f. a. Emulfio craffiffima per cribrum fetaceum cogenda & transmittenda, quâ interim fervatâ, accipiatur reſidum decoctum, & cum
Sacch.Can. albi lib. una femis,
Coquantur ad confiftentiam ferè tabulati, cui tandem ab igne remoto adde
Emulfionem fuperius factam,
item
Pulv.Rad.Ireos unc. unam femis,
Liquiritiæ unc.femis,
Amyli drachm. fex,
Fiatque Lohoch.
Salubre Medicamentum eft in Tuffi recenti & antiqua, nec minus etiam in Phthifi fructuosè exhibendum.

Lohoch de Pulmone Vulpis.

℞. Rad. Liquiritiæ,
Ireos Florent. ana drach. fex,
Herb. Capill. Veneris,
Pulmon. maculofæ ana manip. duos,
Coquantur incifa in Aquæ fimpl. fuffic. quantitate ad remanentiam circiter duarum librarum: Decoctum coletur & clarificetur, additaque
Sacch. Can. albi librâ unâ,
porrò ad Syrupi confiftentiam coquantur, addendo tandem
Pulv. Pulmon. Vulpis ficcat. & n. m. præparat.unc.unam femis,
Rad.Ireos Flor. unc. unam,
Liquiritiæ,
Sem. Anifi,
Fœniculi ana unc. femis,
Mifce fiat Lohoch.
Ad eafdem pectoris affectiones catarrhofas, & Phthifin ipfam, longo ufu receptum Medicamentum.

Lohoch Sanum & Expertum.

℞. Rad. Ireos Florent.unc.unam,
Liquiritiæ rafæ,
Tuffilaginis ana unc. femis,
Herb. Hyffopi,
Millefolii,
Hederæ terreft.
Pulmonar. macul.
Tuffilaginis,
Veronicæ ana recent. manip. duos,
Paffularum majorum,
Dactylorum,
Ficuum ana unc. unam femis,
Jujubarum num.xx.
Confcindantur & coquantur in f. q. Aquæ fimplicis ad remanentiam librarum duarum circiter: Decoctum coletur, ac album. ovorum probè clarificetur. Hinc ex
Pinearum mundat. unc. duabus,
Amygd.dulc.decort.unc.unâ,

Sem.

Sem. Melonum,
Cucurb. ana excort. unciâ ſemis,
In mortario ſubtiliſſimè contuſorum, affusâ paulatim ſ.q. aquæ Roſarum fragr. confice pulpam, per cribrum ſetaceum tranſmittendam, quâ factâ & interim pauliſper aſſervatâ, cum ſuperiori & reſiduo Decocto clarificato, diſſolve
Sacchari albiſſimi libram unam ſemis,
Et ad ſpiſſitudinem Mellis craſſioris coque, cui, dum adhuc calet, commiſceantur.
Pulpa Seminum, Amygd. & Pinearum ſuperius parata & aſſervata:
Item
Pulveres ſubſequentes, nimirum
Liquiritiæ raſæ uncia ſemis,
Ireos Florent. drachmæ ſex,
Amyli albiſſ. uncia una ſemis,
Elæoſacchari Aniſi,
Fœniculi ana drach. ſex,
Cinamomi uncia ſemis,
Fiat Eclegma præſtans.

Pectorale Medicamentum eſt, ſalubre in affectibus etiam pectoris Catarrhoſis, Tuſſi, Sputo purulento, & Pleuritide.

Nota. Aliud & ſimile Lohoch ſanum, deſcriptum eſt in *Appendice n. ad Animadverſiones pag.* 18. unà cum notis neceſſariis, quæ revolvendæ.

Lohoch de Scilla.

℞. Scillæ præp. unciam unam ſemis,
Cæparum noſtr. recent. unc. unam,
Hæc immergantur in
Aceti florum Tunicæ,
Samb. ana unc. quatuor,
Factâ per biduum maceratione colentur: colaturæ adde
Sacchari albi Can. lib. unam ſemis,
Ac unicâ ebullitione confice Syrupum ſpiſſioris conſiſtentiæ, addendo
Mellis puriſſimi nunquam cocti aut deſpumati uncias tres,
Elæoſacchari Cinamomi unc. unam,
Fiat Lohoch.

Incidit & attenuat materiam craſſam, quæ in thorace atque pulmonibus continetur, aſthmaticis ac difficulter ſpirantibus, magnaque puris & lentæ pituitæ copiâ excernenda emolumento eſt.

Cæterùm cum hæc Claſſis utplurimum Pectoralia tantum contineat Medicamenta, in eorundem autem Compoſitionibus reliquorum viſcerum principaliorum habita quoque fuerit ratio, eapropter ſuperfluum arbitrati ſumus, plura, eaque tam numeroſa addere hujus farinæ & conſiſtentiæ Compoſita, quippe quod præcedentium & ſubſequentium Claſſium præſcripta Medicamina abundè ſufficiant, quibus non ſolùm cunctis morbis, ſigillatim verò internis viſceribus, quocunque affectu morboſo obſeſſa ſint, conſuli queat.

Tandem, ne Officinas noſtras Pharmaceuticas, adaucto in infinitum propemodum numero Compoſitorum medicaminum, velut inutili ſarcinâ gravarem, expenſas & peculium in apparandis ejuſmodi emulgerem, quæ labentibus annis effæta & pervetuſta, aliud nobis intereſſe non pendant, quàm ut foras mittantur, pedibus viatorum atterenda: Quamobrem eò hactenus cogitatûs & mentem intendi, ut talem eorum parandi & dextrè diſpenſande Methodum dictarem, quæ omni tempore anni, neceſſitate expoſtulante, nullo habito diſcrimine, vernûm æſtas, inſtet, in uſum & praxin duci poſſet: Et hæc apprimè neceſſaria commonenda duxi.

PHARMACOPOEIÆ REGIÆ

CLASSIS UNDECIMA,

Specierum ſeu Pulverum Aromaticorum dextram Conficiendi Normam Demoſtrans.

QUantumvis in ſuperiori Claſſe nona, ubi de Pulveribus medicatis actum eſt, contra plurimos humani corporis affectus, non pauci Pulveres Compoſiti traditi ſint, ut tantoperè neceſſum non foret, plures Pulveres, ſive Species Aromaticas compoſitas addere, nihilominus paucas adjiciam Compoſitiones, ſed ſelectiores, quas abundè ſufficere exiſtimo: Conſulantur tamen Animadverſiones noſtræ ſuper eandem citatam Claſſem, in quibus veritatis partes ſtrenuè tuitus ſum, ac multarum Compoſitionum ineptias in ſcenam dedi, &, his deinceps reprobatis, ſequentes, ceu illis in operando efficaciores; guſtu & effectu ſuperiores commendavi. At verò non ſolas Species, ſeu Pulveres aromaticos hæc Claſſis proponit, ſed & quamplurima alia formâ & conſiſtentiâ diſparia, ut puta; Morſellos oblongâ partim, partim quadratâ figurâ, Rotulas aut Tabulas in orbem ductas, quæ omnia & ſingula multo & crebro uſu familiaria & domeſtica nobis facta, guſtum ægrotantium & appetitum mirè demulcent, quoniam Species ſic ſaccharo incorporare manu ducunt, ut ex omnibus ſpeciebus, ſeu pulveribus, adjecto ſaccharo in convenienti quantitate (libra videlicet Sacchari una, ad uncias duas, vel plures dictarum ſpecierum) confici poſſint: Uti etiam Electuaria, ſi Mellis, vel ſacchari ad debitam Syrupi conſiſtentiam appropriatâ quapiam aquâ cocti, proportione duplum vel triplum addas: Paſtas præterea Regias, Paſtillos, Species inciſas tantum & groſſas, Trageas ſcilicet aromaticas, ac ultimò demum Confectiones propriè dictas, Seminum, Fructuum, Radicum, Corticum, ac Aromatum, ſaccharo obductas, quæ alio fine adinventa non ſunt, quàm ut proſtratam ægrorum appetentiam hoc velut illicio revocantes, factâ tam Medico quàm Patientibus copiâ, quidvis eorum pro arbitrio & guſtu deligendi, morbo detentis paremus.

Species contra Apoplexiam.

℞. Rad. Doronici veri unc. unam,
Pœoniæ mund. Mar. deb. t. coll. drachm. ſex,
Cyperi rotundi unc. ſemis,
Coſti veri drachm. duas,
Flor. Paralyſeos,
Tiliæ,
Tunicæ ana recent. (ſi tempore verno parentur) drachm. ſex,
Piperis longi drachm. duas,
Sem. Erucæ,
Sileris montani ana unc. ſemis,

Craſſiuſculè inciſa & conquaſſata coquantur in ſ. q. Aquæ ſimplicis ad remanentiam circiter unciarum ſex, decoctum coletur & alb. ovi probè clarificetur, quo cum ſolvantur

Sacchari Canarii unciæ tres,

Iterum ad conſiſtentiam tabulati leniter coquantur, ac retro fornacem tandem, chartæ incluſum, leni calore penitus hoc ſaccharum exſiccetur, ut in pulverem redigi queat, Huic in pulverem redacto adde

Ambræ gryſeæ drachm. ſemis, vel unam,
prius cum,
Sem. Citri excort. drachmâ ſemis, probè ſubactæ,
Pul. Bezoard. Cervini, ſeu Pulv. ex Typhis Cervi *pag. 469. Animadv. n.* edocti drachm. ſex,
Ligni Aloës opt. ponder.
Rad. Doronici veri,
Cardamomi minoris ana unc. ſemis,

Sem. Coriandri,
Pœoniæ excort. ana drachm. duas,
Caryoph. drachm. tres,
Nucum Moschatarum,
Succini albi præp. ana unciam semis,
Ol. Still. Cinamomi,
Ligni Rhodii, ana scrupulum unum,
Misceantur exactè, fiatque Pulvis subtilissimus in vitro custodiendus.

Præstans in Apoplexia & Hæmiplexia, diuturnis capitis affectibus aliis frigidis opitulatur, Spiritus vitales & animales reficit, Apoplecticos & Epilepticos Paroxysmos antevertit. Dosis drachma semis, ad unam.

Species contra Apoplexiam aliæ Simpliciores.

℞. Rad. Doronici veri unciam semis.
Pœoniæ Mar. d.t. coll. drachm. duas,
Costi veri dulcis,
Flor. Anthos seu Rorismarini,
Lavendulæ ana drachm. unam semis,
Sem. Sileris montani,
Ocymi Caryop. ana drach. unam,
Pœoniæ excort.
Anisi,
Coriandri ana drachmam unam semis,
Cardamomi min.
Cinamomi acuti,
Nuc. Mosch. ana drachm. duas,
Caryophyllorum,
Cubebarum,
Ligni Aloës pond. opt. ana drachm. unam semis,
Succini albi præp. drachm. duas,
Ol. Still. Ligni Rhodii scrup. unum,
Fiat omnium Pulvis subtilis.

Qui cum prioribus speciebus antapoplecticis in effectu & operationibus coincidit, adeoque omnibus Cerebri affectibus frigidis opitulatur. Dosis drachma semis ad unam.

Species Carminativa.

℞. Rad. Pimpinellæ,
Enulæ Camp.
Zedoariæ ana drachmam unam semis,
Galangæ drachm. unam,
Cort. Arantiorum,
Citri ana extim. & recent. sicc. drachm. unam semis,
Florum Chamomillæ Rom.
Cinamomi acuti ana drachm. duas,
Caryophyllorum,
Macis,
Croci Austriaci ana drachm. unam,
Nuc. Moschatarum,
Cardamomi minoris,
Sem. Anisi,
Apii,
Carui,
Fœniculi,
Cumini ana drach. unam semis,
Fiant Species seu Pulvis subtilis.

Ventriculi inflationi, ructibus acidis, flatibus & inflationibus auxiliatur, concoctionemque promovet. Dosis drachma semis, ad unam.

Species Cephalicæ.

℞. Ambræ gryseæ drachm. unam,
subigatur probè cum
Sem. Citri excort.
Pœoniæ excort. ana drachmâ semis,
Moschi opt. Orient. scrupulum unum,
soluti ad pulticulam cum
Aquæ florum Arantiorum particula,
in mortario subigendo,
Ol. Stillat. Cinamomi scrup. unum,
Caryoph. scrup. semis,
Ligni Rhodii scrup. unum,
prius cum
Sacchari albiss. pulv. unciâ unâ commixtorum,
Pulv. Ligni Aloës opt. gum.
Rad. Doronici veri,
Nuc. Moschatarum,
Cardamomi min.
Succ. albi præp. ana unc. semis,

Fiat

Fiat Pulvis subtilis, in vitro probè clauso custodiendus.

In virtute & dosi cum aliis speciebus Apoplecticis & Cephalicis coincidit.

Species Cordiales Temperatæ Pretiosæ.

℞. Sacchari albi Canar. unc. duas,
solvantur super igne leni cum s. q.
Succi ex Corticibus Citri extimis radulâ comminutis expressi,
sine ebullitione, ac si tabulæ ex succis acidis confici deberent; cui ab igne remoto adde, ut in eo liquescant,
Ambræ gryseæ drachmam semis vel unam,
prius cum
Seminis Citri excort. drachma semis probè subactam,
Resinæ Storacis calamitæ drachmam semis,
Et cum nonnihil refrixerint, sequentes pulveres superaddantur, utpotè
Pulv. Ligni Aloës gum. uncia semis,
Rad. Doronici veri,
Croci Austr. ana drach. duæ,
Nuc. Moschatarum,
Macis ana drachma una semis,
Sem. Chermes legitim. drach. duæ,
Magist. solub. Perlar. Orient. drachma semis,
Corallorum rubr.
Matris perlarum ana scrupula duo,
Ol. Stillat. Cinamomi scrupul. unus,
Rosarum veri gutt. xij,
prius cum
Essentiæ Citri Sacchar. n. uncia semis permixtorum,
Fiat Pulvis subtilis in vitro probè clauso custodiendus.

Præstantes sunt Species, ad omnes corporis imbecillitates, Spiritus cùm vitales tùm animales adaugent, recreant, concoctionem adjuvant, & vertiginem abolent, salubre senibus medicamentum. Dosis scrupulus unus ad drachmam semis.

Species Cordiales solares, & Alexipharmacæ.

℞. Bezoardici aurei nostri, supra *in Classe de Pulveribus* trad. unciam semis,
Lapid. Bezoar. Orient. veri non factitii,
Occid. ana drach. duas,
Unicornu mineralis seu fossilis,
Unicornu veri Marini,
Cort. Arantiorum,
Citri ana extim. & recenter siccatorum drach. duas,
Ligni Aloës gum. drachm. tres,
Granorum Chermes legitim.
Cinamomi acuti ana drach. duas,
Croci Austr. drach. unam semis,
Sem. Citri excort. drach. duas,
Magist. solub. Margarit. Oriental.
Corall. rub. ana drachm. unam semis,
His omnibus in pulverem redactis & probè mixtis imprimatur manibus saltem
Succus Oleaginosus fragr. & subtilis
Corticum quatuor pomorum Limoniorum.
Servetur pòst usui in Vitro arctè clauso.

Sunt Species præstantissimæ in Peste & Febribus malignis, Cor insigniter roborantes, spiritusque vitales in omnibus infirmitatibus egregiè reficientes. Dosis scrupulus ad drachm. semis.

Species Antepilepticæ.

℞. Sem. Pœoniæ excort. unciam semis,
Bardanæ drachm. duas,
Contundantur minutissimè in mortario ad pultis formam, additâ s. q. Aquæ florum & radicum Pœoniæ sine addit. stillatæ, ac per cribrum setaceum cogantur: Huic Pulpæ adde
Bezoard. n. Cervini simpl. *pag.* 467. *Animadversion. n. descr.* unciam semis,
Rad. Pœoniæ d. t. coll.
Doronici veri,
Nucum Mosch. ana drach. duas,
Cranii humani subtiliter raspati,
Succini albi præp. ana drach. tres,
Margarit. præp. drach. unam semis,

Visci

Visci quercini,
Cardamomi ana drachmas duas,
Quæ omnia leni calore denuò exsiccentur,& in Pulverem tandem subtilem redigantur: *Qui ad insultus Epilepticos inhibendos efficax est, à scrupulo uno ad drachmam semis.*

Species Antepileptica alia.

℞. Bezoard. Cervini simpl. seu Pulv. ex Typhis Cervi *pag.* 467. *Animadv. n.* descripti drachmas sex,
Cranii humani subtiliter raspati unciam semis,
Rasuræ Ungulæ Alcis drachm. duas,
Rad. Pœoniæ Mar. d. t. coll.
Doronici veri ana unc. semis,
Sem. Pœoniæ excort.
Bardanæ,
Nuc. Moschat. ana drachmas duas,
Mag. sol. Margarit. Orient.
Corall. rub. ana drach. unam,
Fiat ex omnibus Pulvis subtilis,
Ad supra dictos insultus Epilepticos inhibendos efficax. Dosis scrupulus unus, ad drachmam semis.

Nota: Quod huic intentioni, aut contra hunc affectum, diversæ Compositiones, vel Pulveres antepileptici, ex rebus, quas Authores passim commendant, concinnari possent; Utpotè, ex Cinnabari nativa, vel Antimonii; Magisterio & Bezoardico Lunari; Jecinoribus Ranarum viridium palustrium; Secundinis exsiccatis mulieris primiparæ filium enixæ; item ex Mercurio dulci, si Vermium suspicio subesset: Verùm hæc sunt penes arbitrium cujusque Medici Practici. Si quem verò amica rerum & naturæ unitas alliciat, ut solam quampiam ex appropriatis, ac jam recensitis Compositis rebus deligat; hujus conatum probo & suffragabor.

Sub titulo Cornu Cervi Philosophici *in fine Mantissæ præcedentis Pharmacopœiæ reform.* plura Antepileptica Medicamenta extant, quæ huc referenda.

Species de Gemmis Calidæ Alexipharmacæ.

℞. Bezoar Orient. veri non factitii Lusitanici drachm. unam,
Occident. drachmas duas,
Boli Armenæ cum succo Scordii n. modo præpar. & sæpius insuccatæ unciam semis,
Unicornu fossilis albiss.
veri Marini,
Rad. Contrajervæ,
Zedoariæ,
Cort. Limon. extim. recenter siccatorum,
Nucum Moschatarum,
Cinamomi acuti ana drachmas duas,
Croci Austr. vel Oriental. drachm. unam semis,
Magist. solub. n. Margarit Or.
Corall. rub. ana drach. semis,
Fiant, omnibus dextrè commixtis, quibusdam per se, nonnullis verò junctim pulverisatis, Species Compositæ pretiosæ & confortantes: *quæ Epidemicis & Contagiosis morbis, Cor præcipuè à labe venenata tuendo, opitulantur. In dosi harum & similium specierum error facilè non committitur, etiamsi à drachma semis, ad drachmas duas, tempore necessitatis, dosis extendatur.*

Species de Gemmis Frigidæ, Alexipharmacæ Usuales.

℞. Pulv. ex Typhis Cervi ritè parati unciam unam,
Bezoar Occidentalis,
Unicorn. veri Marini,
fossil. albiss. an. unc. sem.
Cort. Citri extim. & recenter siccatorum unciam unam,
Rad. Contrajervæ drachm. sex,
Sem. Citri excorticat.
Aquilegiæ,
Rapar. alb. ana drach. duas,
Croci Austr. vel Orient. drachmam unam semis,
Macis drachmas duas,
Mag. sol. n. Margar. orient. drach. unam semis,
Coral. rub. drach. duas,
Nitri crystrall. puriss. unc. unam,

Cuncta in pulverem redacta misceantur exactè, fiantque Species pretiosæ, *Febribus malignis, Variolis, Morbillis, & Exanthematibus aliis expellendis, efficacissima. Dosis scrupulus unus, ad drachmam semis & scrup. duos.*

Species de Gemmis Frigidæ, Alexipharmacæ Viliores.

℞. Margaritarum Orient. præpar. drachmas duas,
Corall. rub. præp. drachm. tres,
Bezoar Occident. drach. duas,
Rad. Contrajervæ,
Zedoariæ,
Scorzoneræ,
Sem. Citri excort.
Aquilegiæ ana drach. duas semis,
Cort. Limon. extim. recenter siccat.
Pulv. ex Typhis Cervi ana unc. semis,
Fiat pulvis subtilis.

Præstans est in subitaneis alterationibus Infantum & Senum, Febribus porrò Malignis, Exanthematibus, Variolis & Morbillis expellendis non minus efficax. Dosis scrupulus ad drachmam semis.

Species Hepaticæ.

℞. Succ. concretorum seu inspissatorum
Agrimoniæ,
Cichorii sylv. ex toto,
Hepaticæ nobilis,
Absinthii nostr. ana drach. tres,

His succis concretis imprægnentur & commisceantur,

Pulv. Rosarum rub. uncia una semis,
Croci Austr. drachmæ duæ,
Rad. Pimpinellæ uncia semis,
Calami Aromat.
Doronici veri,
Galangæ ana drach. duæ,
Ligni Aloës opt.
Santali citrini,
Santali rubri ana drachmæ duæ semis,
Nuc. Moschatarum,
Cinamoni ana uncia semis,

Exsiccentur leni calore, chartæ inclusa, ac denuò in pulverem subtilem conterendo redigantur, quibus adde

Fœculæ Acetosellæ, seu Salis essentialis, prout appellare malueris, drachmas tres,
Cremoris Tartari unc. semis,

Fiat ex omnibus Pulvis subtilissimus, usui asservandus.

Hepar & Ventriculum roborat: proindè in Cachexia, Hydrope, Icteritia salutariter exhibetur, à scrupulo uno, drachmâ semis, ad unam.

Species Imperatoris Grossæ.

℞. Cinamomi acuti unc. unam semis,
Caryophyllorum,
Zingiberis,
Nuc. Mosch. ana drachmas sex,
Macis,
Galangæ ana drach. tres,

Conscindantur singula seorsum crassiusculè & quadratè, pro Morsellis Stomachicis & Cephalicis conficiendis; quibus tamen Amygdalæ, Pineæ, Pistachiæ, & Nuces Indicæ, conditæ, pariter quadrato vel oblongo modo incisæ, addi possunt.

Species Diaireos.

℞. Rad. Ireos Florent. drach. sex,
Liquiritiæ rasæ drach. duas,

Incisæ parum coquantur in s.q. Aquæ simplicis, decoctum colatum & probè clarificatum ad uncias duas circiter evaporet: Cum decocti hujus suffic. quantitate, &

Sem. Melonum,
Cucurbitæ ana excort. unc. sem.
Papav. albi drachmis quinque,
Pœoniæ excort. drach. duabus,
Pinearum mundat. drachmis sex,

Fiat, probè contundendo in mortario, Pulpa, per setaceum cogenda & transmittenda, cui pulticulæ adde

Pulv. Sacchari Can. alb. uncias tres,

Exsiccentur leni calore, chartæ inclusa, quibus exsiccatis & in pulverem denuò conversis sequentia superinjiciantur, utpotè

Pulv.

Pulv. Rad.Ireos Flor. albiss. unc. duæ,
Amyli albi uncia una semis,
Liquiritiæ rasæ uncia una,
Camphoræ scrupulus unus,
Ol. Fœniculi still. drach. semis,
Fiant Species, & Pulvis subtilis.

Præstant in destillationibus ad fauces & asperam arteriam ruentibus, expectorationem promovent, nec non acrimoniam humorum contemperant.

Species Antipestilentiales.

Licet plurimæ Compositiones Pulverum Alexipharmacorum in hoc Opere præmissæ sint, *In fine* item *Mantissæ prægressæ Pharmacopœiæ* ubi de Cornu Cervi Philosophico, nec non in *Animadversionibus Classis duodecimæ* Trochiscorum, ubi de Viperis, & medicamentis ex iis parandis, actum est, Pulveres egregios alexipharmacos & antipestilentiales adstruxerim; addam nihilominus Auctarii loco unicam Compositionem haud spernendam, quæ talis:

℞. Succi Scordii recenter expressi, depurati, & ad consistentiam Mellis inspissati, drach. sex,
Decocti ex partibus æqual.
Rad. Angelicæ,
Morsus Diaboli,
Scorzoneræ,
Imperatoriæ, parati, atque
ad Extracti spissitudinem leniter exhalando abstracti, drachmas sex,
His mixtis imprægnentur sequentes
Pulveres, nimirum,
Pulv. Boli Armenæ cum succo Scordii paratæ uncia una,
ex Typhis Cervi ritè parati,
Rad. Contrajervæ,
Zedoariæ ana uncia semis,
Bezoar Occidentalis,
Croci Austriaci vel Orient.
Sem. Citri excorticat.
Rutæ hort. ana drach. duæ semis,
Cort. Citri recenter siccator. & ext.
Nuc. Moschatarum,
Myrrhæ rubræ translucidæ ana uncia semis,
Et lenissimo calore, chartæ inclusa, exsiccentur, ut in Pulverem subtilissimum denuò conteri queant; qui asservetur.

Præstant hæ Species in Febribus malignis, contagiosis, ipsaque Peste, & à Pestilentis luis contagione præservant. Dosis drachma semis, ad unam.

Species de Oppilativæ Splenetica.

℞. Gum. Ammoniaci in granis,
Myrrhæ rubræ translucidæ,
Rad. Pimpinellæ,
Enulæ,
Galangæ,
Cinamomi acuti,
Nuc. Moschatarum ana drach. duas,
Sem. Apii,
Fœniculi,
Nasturtii,
Petroselini,
Urticæ ana drach. unam semis,
Crem. Tartari,
Tartari Vitriolati crystallisati,
Salis essentialis Nasturtii ex succo rite parati,
Magist. n solub. Ocul. Cancrorum ana drachm. duas semis,
Fiant Species, s. Pulvis subtilis.

Valent ad Lienis affectiones morbosas: in hypochondriaca igitur affectione diuturna, Obstructionibus Hypochondriorum & Mesenterii emolumento sunt, Mensesque Mulierum recentos promovent. Dosis drachma semis, ad unam.

Species Stomachicæ.

℞. Cremoris Tartari unciam unam,
Salis Acetosellæ essentialis acidi, quem fœculam appellant, rite in terreis seu vitreatis vasis parati unciam semis,
Nucum Moschatarum,
Cinamomi acuti ana drach. quinque,
Cardamomi min.
Caryophyllorum,
Calami Aromatici,
Galangæ,
Zedoariæ ana drachmas duas,
Piperis longi drachmam unam,

Mixta & in pulverem redacta reponantur usui.

Valent hæ Species in Ventriculi debilitatibus, depravatam ejus concoctionem emendant, crudos viscososque humores incidendo, attenuando, & robur illi addendo, efficaces sunt. Dosis scrupulus unus ad drachmam semis, & ultra.

Nota: In Medicamentis stomachalibus, calidioribus nonnihil, dispensandis & conficiendis, Regiones, Plagæ & Climata vel maximè sunt observanda, ut in Aquilonaribus plus de calidioribus aromatibus, utpotè *Pipere, Zingibere & Caryophyllis* illis adstruatur, quàm in Australibus: Quod Medicorum prudentiæ & observationi committimus.

Saccharum Citratum seu Essentia Citri Saccharina.

EX Corticibus Citriorum seu Limoniorum extimis, radulâ comminutis, exprimatur succus prælo; cum hoc succo solvatur super igne leni

Pul. Sacchari Canar. albiss. libra una,

ac si tabulæ sine ebullitione (cum succo alias acido solitæ,) fieri deberent, & totaliter iterum exsiccetur, chartâ inclusum: Hoc exsiccatum saccharum, cum illo priori succo expresso denuò humectetur aut saltem irroretur, atque iterum charta inclusum exsiccetur: Tandem eidem Saccharo citrato, ex decem vel duodecim pomorum Limoniorum Corticibus recentibus, imprimatur succus eorum Oleaginosus, digitis saltem, & efficietur fragrantissimum odore, & virtute efficacissimum Saccharum Citratum, quod in vitro probe clauso usui asservandum.

Cordiale & Alexipharmacum est nobile, plurimis aliis medicamentis, pro odore & sapore grato conciliando, admiscendum.

Essentia Arantiorum Saccharina.

PAretur ad eandem normam, quâ præcedens Saccharum Citratum, seu Essentia Citri Saccharina dextre descripta est: Servetur que in vitro etiam clauso.

Cordiale pariter est & Carminativum, variis usibus celebre & aptum medicamentum.

Saccharum Rosatum seu Essentia Rosata Saccharina.

AQua Rosarum fragrantissima, sine additione, ex balneo n. vaporoso destillata denuò bis, terve, à Rosis recentibus rectificetur, vel abstrahatur: Huic Aquæ fragranti spirituosæ Rosæ recentes rubræ largiter immergantur, & in ea aliquandiu macerentur, vase vel vitro per quam opt. clauso, factâ pòst colaturâ cum expressione Rosarum, solvatur hâc ipsâ Rosarum aquâ spirituosâ & essentificatâ

Sacchari Canarii albi libra una

sine ebullitione, ac si tabulæ ex succis acidis confici deberent, ab igne pòst protinus remotum Saccharum totaliter iterum exsiccetur, chartâ, inclusum, lenissimo, ac tepido calore: Hoc semel exsiccatum Saccharum porrò bis, ter, quaterve, cùm eâdem aquâ Rosarum essentificatâ & tinctâ nonnihil irroretur, ac toties chartâ albâ inclusum leni in calore exsiccetur. Servetur in vitro probè clauso, tanquam summè Cordiale & fragrantissimum Saccharum, variis usibus accommodandum. Quod si verò Oleum Rosarum verum destillatum in promptu foret, posset ejusdem scrupulus, vel drachma semis, eidem Saccharo Rosato adhuc immisceri, quò multò præstantius efficeretur.

Saccharum Citratum Tabulatum.

℞. Sacchari Can. albi uncias sex,

Solvantur in s. q. succi Citri seu Limon. recenter expressi (cui tamen Cortices Citri vel Limon. recentes & extimi prius infusi aliquandiu fuerint) sine ebullitione, in patellâ ferreâ vel terrea, cui ab igne remoto adde

Corticum Citri seu Limon. recent. & extimorum radula prius comminutorum, ac subtilissimè in lapideo mortario contusorum unc. unam, vel unam semis,

item

Essentiæ Citri Saccharinæ paulò ante edoctæ unciam unam.

Fiant

Fiant lege artis Tabulæ vel Morselli, *Cor & vitales spiritus insigniter roborantes.*

Nota: Quòd si fortè nonnemo *Essentiæ Citri saccharinæ superius edoctæ, Elæosaccharum Citri*, ex *recentium horum Corticum Oleo stillato* paratum, surrogari vellet, cum eodem non pugnabo, sed necessum est, hoc, de eodem *Oleo stillato Citri* notatu ac scitu dignum, observet. Nimirum, si illud ex *recentissimis, & nullo modo, nec unica die, putrefactis aut fermentatis Corticibus*, solâ aquâ affusâ, illicò destillatum fuerit, illud odore summè fragranti & naturali Citrio gaudere, neque, in multos annos asservatum, rancorem aut viscositatem contrahere, verùm incorruptum prostare semper. Si verò id ipsum ex *fermentatis & vel leviter putrefactis Corticibus* destilletur, odorem ingratum, à Citrio naturali planè alienum, contrahere, nec non tractu temporis ad instar Therebinthinæ vel spiritus Therebinthinæ olere, quandoque etiam viscidum crassumque evadere, certissimum ac experientia confirmatum est. Hinc Pharmacopolis suadeo, ut potius pauco Oleo, eoque fragranti & odore naturali Citrio gaudente, contenti sint, quàm ejus paulò largiori quantitate, odorem verò ingratum & Therebinthinatum spirante, eò magis si illud in longum tempus asservandum sit. Etenim guttula una, nostro suasu ex recentissimis Corticibus legitimè stillati Olei Citri tantum efficiet, cùm odore tùm operatione naturali, quàm plures ejusdem guttulæ ex fermentatis aut putrefactis Corticibus destillatæ, cujus Olei quò plus medicamento cuidam immisceas, eò ingratiore & magis Therebinthinato odore illud inquinatur: proindè non abs re, quotiescunque *Oleum Citri* præscribo, illud quod *ex recentibus eorundem Corticibus*, sine prægressa fermentatione aut putrefactione, destillatum fuerit, surrogandum esse præcipio, quamvis surdis, quia levia hæc habent, & nauci pendunt has admonitiones, fabulam narrare videar. Non equidem me latet, quod uberius *prædictum Oleum ex Corticibus fermentatis & putrefactis* proliciatur, quàm ex *recentibus illicò, sine præmissa fermentatione*, destillationi commissis, verùm præstantia Olei illius legitimè stillati, effectu propriò & naturali Citriò omnia insigniter compensabit. Etenim sicuti ex *fermentatis quibusdam, frigidioribus natura suâ, Plantis, & vegetabilibus*, utpotè *Rosis, Liliis convallium, &c. Spiritus* eliciuntur *ardentes*, qui reverà non refrigerante Rosarum, vel adstringente aut laxante virtute, sed potiùs calefaciente & inflammante pollent, à natura rosarum primæva alieni; pari ratione & hoc *Oleum Citri*, de quo nobis in præsentia sermo est, si ex *fermentatis aut putrefactis Citriorum Corticibus* destillatum fuerit, longè alias & peregrinas fortè edet operationes, ac si ex *recentibus, sine prægressa fermentatione aut putrefactione*, prolectum sit; quippe quod odor & sapor, qualitatum primarum & secundarum Ideæ confirmant. Indies proindè magis perspicio, quàm arduum sit, Medicinam facere illi, qui insignes medicaminum differentias & virtutes, solâ sæpius sinistra & differenti præparatione emergentes, non perspexerit, sed cuncta fidei alienæ & peregrinæ committere necessum habet.

Notetur præterea: Quod ex *Corticibus Citriorum recentibus præstantissimum Oleum, odore & virtute Citrio naturali ac proprio* efficacissimum, per balneum nostrum vaporosum, *in Classe XV. de Aquis destillandis ari incisâ figurâ* expressum, destillando, sine ulla liquoris aut aquæ s. affusione, elici possit, exiguâ licet in copiâ, quam tamen effectus & præstantia, prout superius dictum, insigniter supplebit. Cum enim hoc *Oleum nullo Corticibus affuso liquore*, sed per se, absque ullo additamento, destillatum sit, procul dubio etiam majoribus præ reliquis, simpliciter largâ copia aquæ simplicis affusâ, *destillatis Oleis*, virtutibus pollebit, siquidem *Aqua, quâ Citrii aut Limoniorum Cortices* ad veterum normam & institutum prius macerati, destillantur, magnam virium portionem, fragrantiæ pariter & energiæ partem *Oleo Citri destillatione* parando ut subtrahat, necessum est. Nisi enim sic usu veniret, unde suam fragrantiam, & Citrium odorem, quò pollet, hæc larga aquæ destillatæ copia mutuaret, nisi sulphureo ac subtilissimo Citri Spiritui, qui per minima illi uniri potest, sociata, eique indissolubili nexu colligata, secum arriperet, *ac Oleo* eundem suffuraretur? Quippe quod ma-

manifestè, repetita similium *Oleorum essentialium* destillatione, aut rectificatione, beneficio *novæ aquæ* affusione peragendæ, comprobari potest, ubi patebit, quod vix dimidia pars *Olei rectificandi, in Oleaginosa sua substantia vel forma* transitura sit, reliqua verò pars dimidia, *aquæ*, cum qua destillatur, in rapinam cedat; quam etiam odore & fragrantia imbuit. Notent hanc quam fidelissimè suggero Theorematis loco cautelam Pharmacopœi, ac juxta hanc normam & Idæam alia quædam ex recentibus rebus destillent Olea, præsertim Terebinthinæ, cujus Spiritus Oleaginosus efficacissimus & æthereus futurus, si nullam affundant aquam, sed solâ & leni destillatione per alembicum, absque ullo additamento, propellant. Cum enim aqua per destillationem exstillans, Terebinthinam odore & fragrantiâ per omnia æmuletur, consentaneum est, illam à spirituali portione & subtiliore Terebinhinæ indole imbui ac prægnari, facto notabili dispendio Oleaginositatis.

Saccharum Rosatum Tabulatum.

℞. Pulv. Florum Rosar. rubicundiss. unc. duas vel amplius
quibus superaffundatur
Succi Citri vel Berberum q. s. ut fiat instar pulmenti.
Jam
℞. Sacch. Can. albi pulv. lib. unam,
Quod in patella supra ignem cum prædicti Rosarum pulmenti suffic. quant. liquefac & dissolve, in modum, ac si Tabulæ ex succo aliquo acido efformari animus esset; remoto post ab igne, nullâ factâ ebullitione aut coctione, fiant Morsuli vel Rotulæ; cavendo tamen ne, nimium succi Citri Pulveri Rosarum affundatur, quo ambæ unciæ Rosarum Saccharo destinato imprimi queant: pro odore tamen grato eidem Saccharo conciliando, præstaret; nonnihil de Essentia Rosata Saccharina, *paulò ante edocta*, ultimò ipsi ante fusionem adjecisse.

Manus Christi, sive Tabulæ Perlatæ Confortantes.

℞. Magist. Perlarum n. solub. Oriental. & si lubet etiam,
Magist. solub. n. Coralliorum rub. &
Matris Perlarum ana drachm. duas,
Dissolvantur cum suffic. quant. Succi Citri recenter & jam jam expressi ad formam pulticulæ, quâ pulticulâ porrò
Sacch. Can. alb. pul. lib. una
solvatur in patella ferrea, ut moris est in confectione tabularum cum succis acidis parandarum, sine ebullitione nimirum, addendo
Essentiæ Citri saccharinæ paulò supra edoctæ unc. unam,
vel, si odor Rosarum magis delectet,
Essentiæ Rosarum supra etiam edoctæ tantundem substituatur.
Fiant Rotulæ Perlatæ præstantes, *in omnibus animi defectionibus salutariter exhibendæ.*

Nota: In defectu *Succi Citri aut Limoniorum* recenter expressi, *succus Berberum aut Ribium* surrogatur.

Saccharum Gemmatum seu Perlatum.

℞. Magist. n. solub. Perlarum Oriental. drachm. duas,
Coralliorum,
Matris perlarum,
Oculorum Cancror. ana drach. tres,
Solvantur in
Succi Citri aut Limon. recenter & jamjam expressi unc. circiter tribus:
porrò cum hac solutione
Sacch. Can. albi pulv. unc. octo
liquefiant super igne recenti carbon. in patella ferrea, sine ebullitione, aut coctione s. a. cui ultimo adde
Essentiæ Citri Saccharinæ unc. unam semis,
Fiantque l. a. Morselli vel Tabulæ, leniter exsiccandæ.

Morselli Cephalici Regii.

℞. Sacch. Can. albi lib. semis vel unc. octo:
solvantur in portiuncula aquæ Cinamomi vel Arantiorum florum, & ad consistentiam tabulati coquatur, in quo ab igne remoto liquefac

Ambræ gryſeæ drachmam ſemis, vel, pro ditioribus, drachm. unam, prius tamen cum
Sem. Citri excort. drachm. ſemis probè ſubactæ:
ſuperaddendo ſtatim
Moſchi Orientalis opt. ſcrup. unum, cum
Aquæ Flor. Arantiorum exigua port. in pultem redacti,
Nucum Indicar. condit. & craſſiuſcule inciſarum unc. unam,
Conſ. Flor Arantiorum,
Tunicæ ana drachm. ſex,
Piſtach decort. & conciſorum unciam unam,
Elæoſacchari Cinamomi drachm. ſex, ſumendo drachmam ſemis Olei pro unc. una Sacchari,
Eſſentiæ Roſatæ Sacch. antea edoctæ unc. unam.

Fiant Morſelli confortantes & Cephalici, Caput, Cerebrum, ac univerſum Nervoſum genus inſigniter roborantes.

Morſelli Cephalici alii.

℞. Sacch. albi Can. lib. unam, ſolvatur in portiuncula Aquæ Cinamomi, vel Florum Arantiorum, & ad conſiſtentiam Tabulati denuò, coquendo parum, redigatur, cui ab igne remoto adde, ac in eo liquefac
Ambræ gryſeæ drachmam ſemis, prius cum
Sem. Citri excort. ſcrupulo uno probè ſubactæ,
Reſinæ Storacis Cal. drachm. unam,
Extr. Ligni Aloës n. m. dextrè parati drachm. unam ſemis,
ſuperaddendo ſtatim his liquefactis
Nuc. Indicarum condit. & conſciſſar. unc. unam,
Conſ. Flor. Anthos,
Betonicæ,
Tunicæ ana n. m. paratarum, ex anatica nimirum portione Florum & Sacchari, drachmas ſex,
Piſtach. decort. & craſſ. inciſorum unc. unam,
Pul. Rad. Doronici veri,
Cardamomi min.
Nucum Moſch. ana unc. unam ſemis,
Elæoſacch. Cinamomi unc. unam,
Eſſentiæ Roſarum Saccharinæ drach. ſex.

Fiant Morſelli præſtantiſſimi: *Cerebrum ac univerſum nervoſum genus ut & Ventriculum frigidum inſigniter roborantes.*

Morſelli Confortantes Viriles.

℞. Sacch. Can. alb. lib. unam, ſolvatur in ſ. q. Aquæ Cinamomi, in qua Radices Satyrionis aliquandiu maceratæ fuerint, & denuò ad Tabulati conſiſtentiam percoquatur, in quo ab igne remoto diſſolvatur
Ambræ gryſeæ drach. una, vel drach. ſemis, plùs minuſvè pro fortuna & conditione Patientis.
addendo ſtatim
Rad. Satyrionis condit. & conſciſſ. unc. unam ſemis,
Nuc. Indic. cond. drachm. ſex,
Zingiberis Indici cond. unc. unam,
Cort. Arantiorum cond. unc. ſemis,
Carnis Scinci Marini,
Veratri Cervi raſpati ana drachm. tres,
Piſtach. decortic.
Pinearum mund. ana inciſ. drach. ſex,
Cardamomi min.
Sem. Erucæ,
Linguæ avis,
Macis,
Piperis longi ana drachm. tres,
Ol. Cinamomi opt. ſtill. ſcrup. unum,
Caryoph. ſcrup. ſemis,
prius cum
Eſſentiæ Citri Saccharinæ unc. una permixtorum.

Fiant Morſelli *egregiè confortantes, ac ſemen inſuper augentes.*

Morſelli Confortantes.

℞. Sacch. albi Can. in aq. Roſarum ſoluti lib. unam,

Per-

Percoque ad consistentiam Tabulati, in quo ab igne remoto, & nonnihil à fervore remittente, dissolve

Ambræ gryseæ scrupulum unum vel drachm. semis,
Resinæ Ladani scrupul. semis,
superaddendo
Pistach. excorticat.
Pinearum mundat.
Amygd. dulc. excort. ana drachm. sex,
Nuc. Indicarum cond. unciam unam semis,
Ol. Cinamomi scrup. unum semis,
Caryoph. scrup. sem.
Nuc. Moschatar. expr. drachmam semis,
prius cum
Essentiæ Citri vel Rosarum Sacchari-næ unc. una semis
permixtorum.
Fiant l. a. Morselli.

Vel

℞. Sacch. Can. alb. lib. unam,

Quam subtilissime tritam cum suffic. quant. Succi Citri aut Limoniorum acidi, recenter & jam expressi, supra ignem recentem sine coctura, in patella ferrea, solve s. a. Huic adde crassiusculè incisa sequentia:

Pinearum mundat.
Pistachior.
Amygd. dulc. ana decort. unc. unam,
Nuc. Indic. condit. unc. unam semis,
item, si lubet,
Ambræ gryseæ scrup. vel drach. semis,
Olei still. Cinamomi scrup unum,
Caryoph. scrup. semis,
Nucum Mosch. expr. scrup. unum,
prius tamen
Essentiæ Citri vel Rosarum Sacchari-næ unc. una semis immixtorum.
Fiant Morselli pretiosi & confortantes.

Morselli Hepatici.

℞. Rad. Cichorii sylv. recent. unc. tres,
Flor. Rosarum rub. recent. unciam unam,
Ligni Santali rubri drachm. duas,

Fiat cum suffic. quantit. Aquæ simplicis decoctio ad uncias decem circiter: cum decocto hoc colato & probè clarificato dissolve

Sacch. Can. albi lib. unam,

ac denuò coquendo ad consistentiam Tabulati redigatur, cui ab igne remoto adde

Cons. Rosarum rub. ex anatica quantitate Rosarum & Sacch. paratæ unc. duas,
Hepat. nobil. itidem ex anatica quant. Florum & Sacch. factæ unc. unam semis,
Flor. Tunicæ n. uti supra unc. unam,
Cort. Arantiorum,
Citri ana recent. & radulâ subtiliss. comminut. unc. semis,
Nuc. Mosch. consciss. unc. semis,
Magist. n. solub. Corall. rub. drach. tres,
Fiant Morselli s. a.

Valent ad Hepar roborandum, ejusdemque obstructionibus reserandis, Cachecticis, & Hydropicis succurrunt.

Morselli alii Hepatici.

℞. Succi Limon. recenter expressi uncias circiter quinque,
in quo macerentur
Rad. rec. Cichorii sylv. unc. una semis,
Flor. Rosarum rub. recent. uncia una, vel siccat. unc. semis,

Factâ maceratione per diem & noctem, fiat colatura cum expressione forti: Hoc succo expresso dissolve,

Sacch. Can. albi triti lib. unam,

supra ignem recentem, sine coctura s. a. cui ab igne remoto adde

Cons. Rosarum rub. recent. ex quantitate æquali Rosarum & Sacch. paratæ unc. duas,
Hepat. nobil. n. uti supra unc. unam semis,
Flor. Tunicæ n. unc. unam,
Nuc. Indicar. cond. & consciss. drachm. sex,
Cort. Arantiorum,
Citri ana recent. radulâ comminut. & incisor. drach. duas,
Essen-

Essentiæ Citri, vel potius Rosarum Saccharinæ unc.unam, vel unam semis,

Fiant l.a. Morselli, *Hepati & Ventriculo debilitato succurrentes.*

Oedipus non sum: Nonnullos tamen Pharmacopœos futuros auguror, qui hos Morsellos ac consimiles Confectiones,(paratu quidem faciles,plus tamen artis requirentes)dexterè conficere ignorent: Hi mihi nequaquam succenseant, quod communem Stylum ac Methodum declinans, quæ unciam unam specierum, vel ad summum unciam unam semis, libræ uni Sacchari,pro Morsellis vel Rotulis conficiendis designat, aliud amplexer dogma, sed propriam potius suggillent imperitiam, hoc sibi firmissimè persuadentes, me talia longa arte, annis & Methodo tractasse, ac apprimè nosse, quid Ratio & Experientia consulat,quid inhibeat. Non enim rationi contrariatur; cum non sacchari gratiâ hæ & similes Confectiones dispensentur, ægrisque porrigantur, sed intuitu specierum quas saccharo investimus, quæ solæ medicatæ sunt, & opem languentibus ferunt: Saccharum interim familiare tantum ægris vehiculum est, aut, si mavis, basis ac materia, è qua in hoc vel illud Medicamenti genus ac formam, velut durabile corpus, hæ species coalescunt, ægrisque propinantur, ut proindè quo plures Species aut medicatos Pulveres, Condita, Conservas, aliasque Confectiones beneficio Sacchari, quod unionis ac glutinis instar se habet, in unum corpus colligaveris, consistentiæ interim debitæ, ac gustui nil derogando, tantò conformius rationi & experientiæ operaberis, sensatus Medicus audies, ægrisque consulturus: Quod si verò contrarium secteris, non nisi dispendium æris & sanitatis exindè præstoleris. Neque hæc etiam ipsi Experientiæ refragantur, me arbitro, & aliis peritioribus Pharmacopœis, qui multoties hanc spartam subivimus, difficiliores hasce Rotulas & Morsellos præparando. Etenim Conservæ, Fructus, Condita, Cortices recentes contusi, Saccharum ad consistentiam Tabulati coctum, amplius non exsiccant, sed potius humiditatem conciliant, quò facilius deindè sicciores Species Saccharo dicto uniri permisceri valeant. Proindè habenda ratio cumprimis specierum saccharo miscendarum, & non pondus solum respiciendo, sed consistentiam, qualitates, siccitatem & humiditatem potius specierum plerumque contemplando: quibus exploratis, consistentiam, quam competere videbis, solidiorem aut liquidiorem, saccharo coquendo attribues, & errorem nunquam committes.

Morselli vel Rotulæ Pectorales.

℞. Sacch. albi Can. lib. unam,
solvatur vel in
Succi sempervivi major.depur.lib.sem.
in quo prius
Rad. Enulæ incisæ uncia semis,
Ireos Florent.drachmæ duæ,
parum ebullierint,
vel etiam in
Aquæ Rosarum fragrant. sine ad. still. lib. semis,
in qua prius
Rad. Enulæ uncia semis,
Ireos Florent.drachmæ tres,
aliquandiu tantum infusæ & maceratæ fuerint,

Coquantur ad consistentiam Tabulati, cui ab igne remoto injice
Resinæ Storacis calam.drachm.duas,
Specier. Diaireos n. superius paulò descriptarum unc. unam semis,
Pul.Rad.Enulæ drachm.duas,
& si lubet
Pul. Croci opt.drachm.unam,
Essentiæ Rosatæ Saccharinæ,
Elæosacchari Anisi ana unc.semis,

Fiant s. a. Rotulæ vel Morselli, *in affectibus Pectoris Catarrhosis, Tussi diuturna, Pleuritide & Phthisi ipsa perutiles.*

Morselli Stomachici.

℞. Rad. Acori,
Calami Aromat.
Galangæ ana drachm. tres,
Zingiberis drach. unam semis,

Incisæ coquantur parum in s. q. Aquæ simplicis ad libram semis circiter: cum colatura solvatur
Sacch. albi Can. lib. una,
ac denuò ad consistentiam Tabulati coquendo redigatur, cui remoto ab igne adde

Nuc Indic.condit. & conſciſſ. unciam unam ſemis,
Zingiberis Indici cond.& conſciſſi unciam unam,
Calami Aromatici condit.
Cort. Arantiorum,
Citri ana cond. & conſciſſ. unc. ſemis,
Amygd. dulc. decorticat.
Piſtach.decort. ana inciſorum unciam unam,
Nuc. Moſch. conquaſſ unc. ſemis,
Cardamomi minoris drachmas tres,
Macis,
Piperis longi,
Caryoph. ana drachm. unam ſemis,
Cinamomi acuti inciſi unc. ſemis,

Fiant, ſ. a. *qui* Morſelli, *Stomachum & reliqua viſcera infrigidata confortant, appetitumque excitant, & flatus comprimunt.*

Paſta pro Placentulis Stomachalibus.

℞. Amygd. dulc. decort. unc. duas,
Piſtach.decort. unc.unam ſemis,

Contundantur probè & minutiſſimè in mortario ad pultis formam, affundendo paulatim portiunculam aquæ Roſarum fragrantiſſ. vel Cinamomi, poſt adde
Sacch. pulv. albi unc. octo,
Cort. Arantiorum,
Citri ana cond. unc. unam,
Farinæ triticeæ unc. tres,
Pulv. Cinamomi acuti drachm. ſex,
Caryophyllorum,
Nuc. Moſch. ana unc. ſemis,
Piperis longi,
Zingiberis ana drachm. tres,

Fiat paſta ex qua formentur Placentulæ parvæ ad lubitum, & in fornace vel ſartagine occlusâ, moderato calore pinſentur.

Cinamomum Coctum.

℞. Amygd. dulc. decort. unc. tres,
Piſtach. decort. unc. ſemis,

Contundantur minutiſſimè in mortario ad pultis formam, addita paulatim ſ. q. aq. Cinamomi opt. quibus adde
Sacch. Can. albi pulv. unc. octo,
Pulv. Cinamomi acuti unc. tres,
Boli Armenæ Orient. præparat. drachm. ſex vel unc. unam,
Cardamomi,
Piperis longi,
Zingiberis ana drachm. duas,
Ol. Still. Cinamomi ſcrupulum unum, vel drachm. ſemis.

Cum ſuffic. quant. Mucilag. Tragacanthi, aquâ Cinamomi extracti, fiat Maſſa, ex qua formentur Cannulæ inſtar Cinamomi, ſiccentur leniter.

Aliud.

℞. Pulv. Cinamomi acuti unc. duas,
Zingiberis albi unc. ſemis,
Caryophyllorum,
Nuc. Moſch. ana drachm. duas ſemis,
Boli Armenæ drachm. ſex,
Ol. Cinamomi ſtill. ſcrupulum unum, vel drachm. ſemis,
Sacch. Can. albi lib. unam:

E quibus mixtis, inque pulverem redactis, additâ ſ. q. Mucilaginis Tragacanthi, aquâ Cinamomi extracti fiat Paſta, è qua formentur Cannulæ inſtar Cinamomi convolutæ.

Roborant Ventriculum & Cerebrum, facultatem concoctricem labefactatam confortant, & anhelitum gratum efficiunt.

Tragea Aromatica communis.

℞. Pulv. Cinamomi acutiſſimi unc. unam ſemis,
Nuc. Moſch. drachm. ſex,
Macis drachm. duas,
Galangæ,
Caryoph. ana drach. tres,
Piperis longi,
Zingiberis ana drachm. duas,
Sem. Carui unc. ſemis,
Sacch. albiſſimi lib. duas,

Miſc. fiat Tragea *pro roborando Ventriculo infrigidato.*

Tragea Grossa Cephalica Pretiosa.

℞. Flor. recent. Anthos,
Betonicæ,
Tunicæ rub. ana unciam unam,
Arantiorum drachm. sex,
Incidantur prius, contundanturque dein in mortario lapideo minutissimè, quibus adde
Pulv. Rad. Doronici veri drachm. sex,
Nuc. Mosch. unc. unam,
Macis,
Cardamomi,
Caryoph. ana unc. semis,
Cubebarum drachm. duas,
Ligni Aloës gum. unc. semis,
Ambræ gryseæ drachm. unam, solutæ in
Ol. Cinamomi drachma semis, vel scrupul. duobus,
Moschi Oriental. scrupulum unum, soluti in
Aquæ Flor. Arantiorum portiuncula,
Pul. Sacch. Can. albi lib. unam.
Misceantur exactè, & additâ suffic. quant. Mucilaginis Tragacanthi aquâ Rosarum extractæ fiat, contundendo in mortario Massa tenax, ex qua formentur Globuli parvi, ad instar pilularum Francofurt. ac in lenissimo calore exsiccentur. Hi Globuli ut gratiores gustui, & Confectioni cuidam Coriandri vel Cubebarum similes appareant, saccharo albissimo clarificato, & ad debitam Syrupi crassioris consistentiam cocto (Confectariis notam) obducantur, ut artis est. Sic verè Regia efficietur Confectio, æque usui ac gustui grata & efficax.

Pro iis, qui *Ambram & Moschum* ferre nequeunt, vel æri parcere volunt, sine his conficiatur.

Tragea Grossa Cephalica Vilior.

℞. Pulv. Cardamomi min.
Cinamomi acuti ana unc. unam,
Nuc. Mosch. unc. unam semis,
Macis drachm. sex,
Caryoph. unc. semis,
Cubebarum,
Anisi,
Pulv. Fœniculi,
Carui,
Coriandri ana unc. semis,
Rad. Doronici veri drachm. sex,
Resinæ Storacis drachm. tres,
Ladani drachm. unam semis,
Conterenda in pulverem redigantur, & additâ
Sacch. albi & triti lib. unâ
efficiatur cum s. q. Mucilaginis Tragacanthi Pasta, ex qua formentur Globuli ad instar pilularum parvarum, Saccharo porrò candido, vel crispaturâ saccharinâ apud Confectarios (si Pharmacopœi in Confectionibus similibus parandis versati non sint) obducendi.

Tragea Grossa Communis.

℞. Cinamomi acutiss. unc. unam semis,
Nucum Mosch. drachm. sex,
Caryophyllorum,
Cardamomi,
Galangæ,
Calami Aromatici ana unc. semis,
Fiat omnium Pulvis, & addita
Sacch. albi Can. pulv. lib. unâ,
efficiatur Massa tenax cum s. q. Mucilaginis Tragacanthi, ex qua formentur Globuli parvi, qui leviter prius exsiccati, obducantur Saccharo, prout in præcedentibus monstratum, quibus tandem jungantur
Confect. Anisi,
Fœniculi,
Carui,
Coriandri ana legit. & sine farina parat. unc. tres.
Fiat Tragea grossa, *Ventriculo & Capiti proficua.*

Tragea Grossa alia Stomachalis.

℞. Pulv. Cinamomi acutissimi unc. unam semis,
Cardamomi min.
Nucum Moschatarum ana unc. unam,
Calami Aromatici,
Caryophyllorum,
Macis,
Galangæ ana drachm. quinque,

Piperis longi,
Zingiberis ana drachm. duas,
Sem. Erucæ drachm. sex,
Granor. Mastichis unc. semis,
Resinæ Storacis Calam. drachm. sex,
Misceantur exactè, & additâ
Pul. Sacch. Can. albi lib. unâ semis,
fiat cum suffic. q. Mucilag. Tragacanthi Pasta tenax, ex qua formentur Globuli parvi, qui porrò, prius leniter siccati, Sacharo supradicto modo obducantur, & efficietur Confectio *præstans, Ventriculo refrigerato & debilitato proficua.*

Hisce, & huic Classi, quæ præstantes Medicatos Pulveres ac Species, nec non plurimarum Confectionum Typum ac Idæas expressit, ad morborum Centurias expugnandas, Coronidem impono: Neque enim artis & industriæ fore autumo, ad multorum æmulationem, ingrata prolixitate sine fine & numero diversas Specierum formas & Compositiones coacervare, ut merito dubius aut anxius hæreas, quo nam noto etymo ejusmodi Compositorum farragines discrimines. Verum cum exercitatissimi Medici non numero sed delectu Medicamenta appretient, illis me conformare volui, ac inutilem medicamentorum turbam, quâ reliqua Dispensatoria invisa sunt, non re aut ingredientibus diversa, peregrino solum nomine insignita, ab hac Classe nostrâ arcere. Boni consulat L.B. amicâ brevitate selectissimas, arte & energia plenas sibi concreditas in hac Classe Species. Frustra enim citra necessitatem entia multiplicantur.

PHARMACOPOEIÆ REGIÆ

CLASSIS DUODECIMA,

Trochiscorum Rite Parandorum Rationem veram indicans.

De Trochiscis in hac Classe acturus, velim ut huc pariter referantur, quæ superius in Animadversionibus super propriam ipsorum Classem *disseruimus, nimirùm quale Medicamenti genus sint, & quam inutilia quædam illorum Medicamenta, inhabilia planè, quæ in sua propria forma usui Medico inservire queant, sed opus habeant, ut in pulverem denuò redigantur: hoc autem aptè fieri non posse, neque etiam consultum esse*, ibidem *demonstravimus. Ne tamen Officinæ pharmaceuticæ Trochiscis omninò destituantur, addam aliquot formulas, congruasque Compositiones, Medico in diversis morborum generibus profligandis, suâ propriâ formâ, abundè sufficientes; juxta quorum normam & alia Medicamenta conformari possunt.*

Agaricus Trochiscatus.

Agaricus, qui levissimus fungorum est, ac proindè in propria substantia volatilis, ac trituræ ineptus, quod in floccos facilè abeat, ac operantem Pharmacopœum remoretur, novam veluti ut induat formam, necesse habet: Quâ autem dexteritate id præstari possit, superius *in Animadversionibus* dictæ *Classis de Trochiscis*, pag. 219. aperui. quo B.L. directum cupio.

Trochisci Alhandali.

Propter eandem causam, ob quam Agaricus, summam nimirum levitatem, & difficillimam triturationem, etiam Colocynthis in Trochiscos cogitur, qui Alhandal dicuntur, quorum præparatio pariter ex superioribus n. *Animadversionibus Classis propriæ p. 219, 220.* patebit.

Tro-

Trochisci Alipta Moschata.

Horum Trochiscorum legitimæ præparationes, cùm interno usui, tùm suffumigiis destinatorum, videantur pariter *in Animadversionibus n. super propriam Trochiscorum Classem factis p.220.* quas Amicus Lector adeat.

Trochisci Bechici Albi.

℞. Sem. quatuor frig. major. excort. unciam unam semis,
Papàveris albi,
Pinearum mundat. ana unciam unam,
Contundantur minutissimè ad formam pultis, affusâ paulatim Aquæ Rosarum suff. quant. ut per cribrum setaceum angustum ferè totaliter transmitti queant, quâ asservatâ pulticulâ, accipe
Pulv. Sacchari Can. albi unc. sedecim,
Rad. Ireos Flor. albissimæ,
Amyli ana uncias tres,
Et cum superiori seminum pulpâ (si verò illa non suffecerit, Mucilaginis Tragacanthi, s.q. additâ) fiat Massa tenax, addendo, si, libet, aliquid Olei Anisi, aut etiam Moschi, formenturque ex illa Trochisci *Pectori dicati, ad Tussim, & Catarrhos tenues incrassandos proficui.*

Trochisci Bechici Nigri.

℞. Sem. quatuor frig. maj. excort. uncias duas,
Papav. albi unciam unam,
Ex his minutissimè contusis, affusâ paulatim s. q. Succi Liquiritiæ in Aqua Rosarum diluti, efficiatur pulpa, per cribrum setaceum angustum transmittenda, quâ interim servatâ, dissolve seorsim
Succi Liquiritiæ nigri concreti uncias quatuor vel quinque,
in suffic. quant.
Aquæ Rosarum fragrantis,
ad pultis formam,
Quibus pulpis, in mortario commixtis, adde
Resinæ Storacis Calam. unc. unam,
Pulv. Rad. Ireos Flor. uncias tres,
Anisi,
Fœniculi ana unciam unam,
Sacch. Can. albi lib. duas semis,
Et fiat (si superiores Pulpæ non suffecerint) additâ suff quant. Mucilag. Tragacanthi, Massa seu Pasta, ex quâ formentur Trochisci pectorales, *Tussientibus & Catarrhosis dicati.*

Trochisci Bechici rubri, Antipleuritici & Pectorales.

℞. Species omnes Trochisc. Bechic. albos ingredientes,
quibus adde
Extracti Flor. Papav. errat. vel Rhæad. uncias duas,
Rad. Enulæ drachmas duas,
Pulv. Boli Armenæ præp. unc. unam semis,
Croci optimi drachmas duas,
Ex omnibus probè unitis fiat, beneficio Mucilaginis Tragacanthi (si Pulpæ Seminum & Pinearum non suffecerint) cum infusione Flor. Papav. Rhæad. factæ Massa seu Pasta s.a. ex qua formentur Trochisci: *Qui in omnibus Pectoris affectibus, Tussi antiqua, Pleuritide, Sputo cruento, imò in Phthisi ipsa, cum emolumento exhibentur.*

Trochisci de Benzoë ad usum Internum.

℞. Sacchari Can. albi libram unam, solutum in s. q. Aquæ Rosarum fragr. ad consistentiam Tabulati coquendo redigatur, in quo ab igne remoto dissolve,
Resinæ Storacis Calam. per expressionem factæ unciam unam,
item ubi parum refrixerint,
Pulv. Benzoës el. in granis drach. sex,
Ligni Aloës opt. gum. unc. sem.
Rad. Ireos Flor. unc. unam,
Moschi Orient. in nonnullis guttulis
Aq. Rosarum ad pultic. soluti, scrupulum unum,
& si in promptu sit,
Olei Benzoës still. fragr. drach. unam;
E quibus omnibus mixtis, addita suff. quant. Mucilaginis Tragacanthi, cum Aq. Flor. Arant. facti, efformetur Pasta, ex quâ tandem formentur Trochisci laudatissimi *pro usu interno, in affectibus Pectoris & Asthmaticis utiliter adhibendi.*

Trochisci de Benzoë ad Suffitus Pretiosos.

℞. Resinæ Stor. Calam. per expressionem factæ, supra edoctæ, unc. unam,
Liquefiat leniter in patella, cui impastentur sequentia
Pul. Benzoës electæ unciæ tres,
Moschi scrupulus unus, &, si lubet,
Ambræ gryseæ scrupulus unus,
Pul. Carbonum Tiliæ q. s.
Pro Massa durissima calore leni efficienda, ex qua vel Trochisci vel pastilli instar Ceræ Hispanicæ formentur, qui omni jure pro pastillis Hispanicis habendi, & præponendi.

Trochisci Cephalici seu Capitales.

℞. Sacchari Canar. albi uncias sex,
solvatur in s.q. Aq. Rosarum ac denuò ad consistentiam Tabulati parum coquatur, in quo ab igne remoto dissolve
Ambræ gryseæ scrupulum unum, vel drachmam semis,
prius tamen cum
Sem. Citri excort. scrupulo uno probè subactæ,
Resinæ Storacis Calam. drach. unam,
His benè mixtis & dissolutis superadde statim
Conf. Flor. Betonicæ,
Arantiorum ana ex anatica quantit. Flor. & Sacch. parat. unc. unam,
Pul. Rad. Doronici veri,
Ligni Aloës ana drachmas duas semis,
Nuc. Moschatarum drach. duas,
Macis,
Cardamomi,
Cubebarum ana drachm. unam semis,
Elæosacchari Cinamomi drachm. sex,
Caryoph. unciam semis,
sumendo drachmam semis Oleorum, pro unciâ unâ pul. Sacchari,
Sacchari rosati superius edocti unciam unam,
Et cum suffic. quantit. Mucilag. Tragacanthi, cum Aq. Rosarum fragr. extractæ fiat Pasta seu Massa tenax, ex qua Trochisci formandi, *Cerebrum & totum Caput, ut & Ventriculum, insigniter roborantes.*

Trochisci Cordiales Regii.

℞. Sacchari Can. Albi uncias sex,
Cui in pulverem redacto
adde
Ambræ gryseæ drachmam semis,
prius cum
Sem. Citri excort. scrupulo uno
probè subactæ:
item
Moschi Orient. opt. scrupulum unum,
cum
nonnullis guttulis Aq. Flor. Arantiorum in pulticulam redacti,
Cort. Arantiorum,
Citri ana recent. extim. & radulâ comminutor & contusorum subtiliter drachmas sex,
Magist. solub. n. Margarit. Oriental. drachm. semis,
Coralliorum rub.
Matris perlarum ana drachm. duas,
Elæosacchari Cinamomi unc. unam,
Sacch. Rosati supra edocti unc. unam,
Misceantur exactè, ac cum suff. quant. Tragacanthi in Aqua Rosarum soluti fiat Pasta, ex qua Trochisci efformandi.
Qui Vires collapsas reficiunt, Spiritus vitales & animales recreant, & gratum Anhelitum efficiunt.

Trochisci Hepatici Refrigerantes.

℞. Cremoris Tartari unciam unam,
Fœculæ seu potius Salis Essentialis Acetosellæ unciam semis,
Nitri crystallini cum Papav. errat. vel potius cum Rosis, essentificati drachmas duas,
Essent. Citri Saccharinæ,
Rosatæ Sacch. ana unc. unam,
Pulv. Sacchari Cani albi uncias duas,
Rosarum rub. unciam semis,
Santali rubri drachm duas.
Ex his omnibus probè mixtis, additâ s. q. Mucilaginis Tragacanthi, cum Tinctura Rosarum extractæ, fiat Pasta, ex qua formentur Trochisci, qui custodiantur. *Refrigerant & humectant, visce-*

viscerum intemperiem calidam contemperant, & sitim inexhaustam extinguunt.

Trochisci Ambrati & Moschati, sive de Gallia Moschata.

HI Trachisci, juxta Authoris Mesuæ descriptionem parati, in sua forma & consistentia usurpari nequeunt, & ferè nulli usui sunt, nisi denuò in pulverem redigantur: proindè suasor sum, ut modo sequenti cum Saccharo conficiantur, qui tandem in forma non solum Trochiscali pro Magnatibus prostabunt, verum etiam cunctis aliis medicamentis commodè admisceri poterunt, utpotè

℞.* Ambræ gryseæ drachmas duas,
subigantur in mortario cum
Sem. Citri excort. vel Amygd. dulc. decort. drachma una semis,
& cum
Sacchari n. Citrati unciis duabus
permisceantur.
porrò:
℞. Moschi Orient. opt. drachm. unam,
solve in partiuncula Aq. rosar.
ad pultic. atque cum
Essentiæ Citri seu Sacchari Rosati uncia una semis,
permisce.
Hisque superadde
Pulv. Ligni Aloës ponder. unc unam,
Ex omnibus exactè mixtis, additá s.q. Mucilaginis Tragacanthi, aquâ Rosarum extractæ, fiat Pasta, ex quâ formentur Trochisci.

Præstantissimi sunt in Cerebro & Corde roborando, ut & totam naturam restaurando, proindè Senibus valdè proficui. Sacchari tamen pondus nonnunquam ad lubitum augeri potest.

Pastilli Pectorales Antiphthisici.

℞. Rad. Enulæ Camp. drachmas sex,
Ireos Florent. unciam unam,
Liquiritiæ drachmas sex,
Flor. Papav. errat.
Violar. Martial. ana unc. semis,
Incisa coquantur in Aquæ simpl. suff quantit. ad remanentiam circiter libræ unius: coletur decoctum, & ad uncias quatuor evaporet, quod interim asservetur. Jam verò

℞. Sem. Melonum,
Cucurbitæ ana excort. drach. sex,
Papav. albi,
Amygd. dulc. decort. ana unc. unam,
Benzoës opt. unciam semis,
Contundantur junctim in mortario ad Pultis formam cum superioris Decocti asservati suff. quant. ac per setaceum transmittantur: huic pulpæ adde
Pulv. Sacchari Can. albi uncias octo,
Croci Austriaci drachmas tres,
Ireos Florent. unciam unam,
Florum Sulphuris drachm. sex,
Liquiritiæ unciam semis,
Elæosacchari Anisi unciam unam,
Et contundendo in mortario lapideo efficiatur Pasta, ex qua formentur Pastilli oblongi, vel etiam Trochisci.

Pastilli Pectorales alii.

℞. Specier. n. Diaireos simpl. superius edoct. uncias tres,
Pulv. Liquiritiæ rasæ drachmas tres,
Ireos albiss. unciam semis,
Essentiæ n. Rosatæ Sacch. uncias duas,
Pul. Sacchari Canar. uncias quatuor,
Moschi Orientalis opt. scrupulum semis, vel unum,
Ex omnibus mixtis, additâ suffic. quantit. Mucilaginis Tragacanthi, Aqua Rosarum extractæ fiat Massa, ex quâ formentur Pastilli, vel, si magis arrideant, Trochisci, qui ipsi etiam sine Moscho confici possunt.

Præstant in Affectibus Pectoris Catarrhosis, Tussi antiqua, & ipsa Phthisi, ac insuper Anhelitum gratum efficiunt.

Trochisci Antipestilentiales & Sublinguales.

℞. Sacchari albiss. lib. semis, vel unc. sex,
solvantur in
Succi Scordii recenter expressi & depurati unciis circiter quatuor,
Et ad consistentiam Tabulati satis solidam coquendo redigatur, in quo ab igne remoto dissolve
Extr. Zedoariæ,

Succi

Succi Scordii inspissati ana drach. duas,
Cort. Citri recent. extim. radulâ prius comminut. & subtiliss. contusorum drachm. sex,
Ambræ gryseæ scrupulum unum, prius cum
Sem. Citri excort. scrupulo uno probè subactæ,
Moschi Orient. scrupulum semis,
Ol. Still. Cinamomi,
Rutæ ana scrupulum unum,
Nuc. Mosch. expr. drachm. semis.

Quæ omnia ac singula l. a. probè adunita, superaddita sufficiente quant. Mucilaginis Tragacanti, redigantur in Massam, è qua formentur Trochisci.

Hi in Peste, desævientibus morbis malignis, ac contagio, cum emolumento adhibentur, singulis auroris aliquot eorum assumendo, & si penetralia aut domos arcano contagio suspectas invisas, sub lingua nonnullos occultando.

Nota: Quod si tempore hyberno, deficiente *succo Scordii recenti*, Trochisci hi forent parandi, conducet loco *succi Scordii*, *Syrupum Scordii* præfato *Saccharo* addidisse, quæ ambo etiam, additâ portiunculâ Aquæ Rosarum, ad prædictam Tabulati consistentiam concoquenda.

Trochisci Sublinguales Antipestilentiales Viliores.

℞. Sacchari Can. albi uncias sex, solvantur in
Succi Rutæ recenter expr. & depurati unciis tribus,

Et ad consistentiam Tabulati coquantur, in quo ab igne remoto dissolve
Extr. Zedoariæ,
Angelicæ,
Enulæ ana drachm. unam semis, addendo porrò,
Pulv. Succini albi præp. drachm. tres,
Myrrhæ rubræ drachm. duas,
Ol. Still. Rutæ scrupulum unum,
Nuc. Mosch. expressi scrupulum unum semis,

Ex omnibus probè unitis efformentur Trochisci l. a. *Qui in Contagiosis & Pestilentialibus morbis prosunt, cum horis matutinis manducati, tum etiam sub lingua detenti, si loca suspecta & contagio infecta, visitanda veniant.*

Trochisci Sublinguales alii Citrati.

℞. Cort. Limoniorum recent. & extimorum, radulâ prius comminut. & subtiliss. in mortario lapideo contusorum unciam unam semis,
Cort. Arantior. itidem extim. recent. & uti supra contus. unc. semis,
Essent. Citri Saccharinæ ex recentibus Citri Cort. uti supra, paratæ unciam unam semis,
Ambræ gryseæ scrupulum unum, prius cum
Sem. Citri excort. drachma semis probè subactæ,
Moschi Oriental. scrupulum semis,
Pulv. Sacchari albiss. uncias tres,

Fiat ex omnibus mixtis, suffic. quant. Mucilaginis Tragacanthi additâ, Pasta seu Massa tenax, ex qua formentur Trochisci sublinguales parvi, *pro delicatioribus qui ingrata medicamenta aversantur.*

Trochisci de Viperis vel Serpentibus.

℞. Pulveris Viperarum fideliter & dextrè juxta modum n. *in Animadversionibus præmissis, pag.* 215, 216. edoctum, parati lib. unam,
Panis è farina tritici, cum succo Scordii vel Rutæ (loco Aquæ simplicis) facti, pisti & biscocti, ut in pulverem conteri queat, uncias quatuor vel quinque,
Ol. Caryoph. still. drachmam semis vel scrupulos duos,
Succi Oleaginosi ex recentibus Limoniorum Cort. radulâ comminutis expressi unc. unam semis vel duas,

Et cum suffic. quant. Decoct. Cortic. Limoniorum fiat contundendo in mortario Pasta seu Massa tenax, ex quâ formentur Trochisci, figura Viperarum aut serpentum signandi: Sigillum verò sæpius Oleo Nucistæ expresso inungatur, ne Pasta illi adhæreat.

Nota: Horum Trochiscorum non minùs legi-

legitimam quàm elegantem structuram, si quis accuratioris rationis trutinâ perpendere dignabitur, facere non poterit, quin hanc ipsam reliquis illis antiquo, at illegitimo prorsus modo, paratis Trochiscis præferat, adeoque album experientiæ nostræ adjiciat Calculum. Revolvantur, quæ in *Animadversionibus* n. locis diversis,de Viperis,earum;Naturâ,Veneno & Præparatione, quæque de adulterina Trochiscorum videlicet ex illis confectione, imò de fraude & impostura revelavimus; è contra verò in parando ex illis verò Pulvere fundamentaliter atque ad oculum fideliter ostendimus. Lugendi proindè sunt ii,ne dicam detestandi,qui eò vesaniæ & pertinaciæ procedunt, ut potius livore ac invidiæ tabe consumi se sinant, propria sectantes ac cum turba & grege aberrantes, quàm ut nostro & paucorum melioris notæ Authorum nutu ad meliora se sinant manuduci. Præclari sanè naturæ æmulatores, sibi ultrò, quæ aliis revelare tenentur peplum & tenebras, pervicaciter inducentes, qui, licet, convicti, meliora probent, sequi tamen detrectant, quod vel maximè in Theriaces Dispensatione elucet, cujus licet elegans & maximæ energiæ ac virium prostet Compositio, superciliosè tamen negligunt, veterem cantilenam ac tonum resonantes. Quanquam (cæteris, qui languent & periclitantur,ex animo condoleo)optandum sit,ut, dum ipsi morbo succumbunt, hanc sibi etiam, cum meliorem cæteris invideant, cramben apparent. Tandem hisce Trochiscis de Viperis, qui velut agmen claudunt, huic quoque Classi finem facio: palam interim confiteor, quod ipsi hi Trochisci in veteri hac formâ ac consistentiâ ad integrandam Theriacam, sive quibuscunque usibus destinentur planè inepti sint, nisi repetito labore denuò in pulverem terantur:nihilominus tamen, cum usus Trochiscorum de Viperis ad apparandam Theriacam in tantum prævaluerit, ut potius clavam Herculi manu extorqueas, quàm ut animo eximas inviolabile eorum judicium & fiduciam, quam dura ejusmodi ingenia sancivere: facere tamen, quod probi viri est, volui, & nova methodo genuinum Trochiscorum de Viperis, uti & reliquorum, parandi modum edocere, cum, insistendo veterum modo, citra dolos & mille fraudes dispensari aut præparari nequeant. Faxint superi; ut in nocte hâc densa, & Ægyptiacâ caligine, facem iis præferam, qui olim ad meridianum, terra caligine detenti, oberrarunt,ut saniora dogmata sectantes, legitimè ac cum ægrorum proventu Viperinos hosce Trochiscos apparent. Priusquam tamen Classem hanc absolvam, hoc Te L. B. denuò monere volui, quod (uti in *Animadversionibus* etiam assertum) Pulveris Viperini Trochiscatio ad Theriacæ Confectionem strictè adeò necessaria non sit, quin Pulvis Viperinus, nostro nutu paratus, legitimè succedere possit. Nam Panis biscoctus, quem etiam ipse pro Massa faciliùs cum pulvere Viperino efformanda, è qua deinde Trochisci parandi, non simpliciter, nec magna quantitate superaddidi, aliam Viperino pulveri naturam, aut virtutem, non tribuit, nec corrigit, nisi quod instar basis aut corporis pro Massa acquirenda substernatur, verum non simpliciter, sed virtute alexiteria prius imbutus; quod succus Rutæ præstat, & succus Cortic. Citri oleaginosus cum eorundem Decocto: quæ omnia ac singula ut æquo judicio tractes, amicè pervelim.

PHARMACOPOEIÆ REGIÆ
CLASSIS DECIMA TERTIA.
Pastarum Odoratarum & Suffituum Parandi modos Edocens.

Diversæ formæ atque speciei Medicamenta, sed usui externo tantummodo destinata, hac Classe continentur: E quorum fideli accurataque descriptione omnia ac singula patebunt, omissis planè Collyriis sive Sieff Arabibus dictis, cum prorsus inutilia sint medicamina, æquè ac non pauci Trochiscorum, quos Pharmacopœia reformata superior exhibet, quorum etiam usus propemodum omnis jam eviluit, quantumvis adhuc in officinis prostent. Fit enim ad apparatum id potius, quàm ipsam utilitatem; Itaque ad altiora & necessaria magis delineanda nos ultra progrediamur.

Candelæ pro Suffitu Pretiosæ.

℞. Resinæ Storacis Calam. expressæ uncias tres,
cui imprimantur, & addantur,
Pulv. Benzoës unciæ quinque,
Olibani unciæ duæ,
Ladani opt. uncia una semis,
Carbonum Tiliæ libra una vel unciæ quind.
& additâ porrò s. q.
Mucilag. Tragacanthi cum Aq. Rosarum factæ,
Fiat Massa, ex qua formentur Candelæ. Notetur: Qui has Candelas fragrantiores desiderat, præfatæ Compositioni admisceat Ambræ gryseæ vel etiam nigræ drachmam unam, & Gummi Rosarum noviter ex India allati q. pl. Verum saltem in Magnatum gratiam.

Candelæ pro Suffitu Viliores.

℞. Pul. Asæ dulcis seu Benzoi,
Styracis Calam. ana unc. quatuor,
Olibani albi uncias decem,
Ladani opt. uncias sex,
Ligni Juniperi ex rad. subtiliter raspati uncias quinque,
Carbonum Tiliæ lib. duas semis,
Ex his pulveribus mixtis, addita suffic. quantit. Mucilaginis Tragacanthi, fiat contundendo in mortario Massa seu Pasta, ex qua formentur Candelæ, *quæ omni tempore & loco Suffitus vice fragrantis, ut & contra morbos cum Contagio grassantes fructuosè accenduntur.*

Pastilli Pretiosi ad Suffitum.

℞. Resinæ Styr. Cal. expressæ unc. duas,
qua imprægnentur sequentia:
Pulv. Benzoës seu Asæ dulcis unciæ duæ semis,
Gummi Rosarum uncia una,
Ambræ gryseæ drachma una,
solutæ prius cum
Ol. Cinamomi,
Caryophyllorum,
Ligni Rhodii ana still. scrupulo semis vel gr. xv,
item,
Moschi Orient. scrupulos duos,
solut. ad pultis formam cum port.
aquæ Rosarum,
Pul. Carbonum Tiliæ q. s. pro
Massa in calido mortario efformanda, ut, si refrixerit, durissima fiat, ad instar Ceræ Hispanicæ. Circa eorum usum tamen hoc observandum, quod igni seu prunis immediatè non injiciendi sint, sed supra laminam argenteam, ferream, aut cupream, vel ipsum vitrum, substratis vivis carbonibus, collocari oporteat.

Pomum Ambræ pretiosum.

℞. Resinæ Styracis Calam. expressæ
Ladani in præpar. Theriacæ prægressæ Pharm. edoctæ
ana unciam unam,

Qui-

Quibus parumper in mortario calido liquatis admisce, & in iis dissolve,

Ambræ gryseæ drachmam unam semis vel duas,

superaddendo

Moschi Orientalis drachmam unam semis vel duas,

in portiuncula Aq. Rosarum soluti,

Zibethi opt. drachmam unam,

Ol Still. Cinamomi,

Caryophyllorum,

Ligni Rhodii ana drachmam semis,

Pulv. Ligni Aloës opt.

Rhodii ana unciam semis,

Cinamomi,

Caryophyllorum ana drachmas quinque,

Misceantur exactè, & fiat Pomum Ambræ seu Pasta odorata & fragrantissima, *ad Bullas replendas, pro ditioribus & Magnatibus.*

Pasta Odorata Vilior pro Sexu Fœmineo absque Ambra & Moscho.

℞. Resinæ Ladani,

Styracis Calam. ana drachm. sex,

Quibus in mortario calido nonnihil liquatis adde

Pul. Gum. Benzoës,

Animæ ana unciam semis,

Pulv. Caryophyllorum drachm. sex,

Macis,

Nuc. Mosch. ana unciam semis,

Ligni Aloës opt. odor.

Cinamomi,

Rad. Ireos Flor. ana drach. tres,

Ol.Still. Cinamomi,

Caryoph. ana drach. semis,

Nuc. Mosch. expressi drach. unam,

Misceantur exactè fiatque Pasta odorara, bullis replendis.

Pasta Odorata tempere Pestis.

℞. Cort. Arantiorum recent. & extim. radulâ comminut. unciam unam,

Cort. Citri recent. & extim. radulâ pariter comminut. unc. unam semis,

Rutæ recentis herbæ,

Bacc. Juniperi,

Ligni seu Rad. Juniperi subtiliter raspati, ana unciam unam,

Conscindantur & contundantur minutissimè in mortario ad pultis formam; quibus porrò adde

Resinæ Styracis Calam.

Ladani ana unciam unam,

Balf. Indici de Peru drachmas tres,

Camphoræ drachmas duas,

Ol.Still. Rutæ drachmam semis,

Caryoph. scrup. duos,

Ligni Rhodii,

Succini albi ana drachmam semis,

Nuc. Moschat. expressi drachmam unam semis:

Pulv. Asæ dulcis unciam semis,

Ligni Cupressi,

Aloës,

Rhodii,

Santali Citrini ana drachmas duas,

Misceantur in mortario calido, & contundendo fiat Pasta odoris grati.

Pasta Odorata Antiloimica Vilior.

℞. Camphoræ unciam semis,

solvatur in

Ol.Still. Angelicæ,

Rutæ,

Succini,

Caryoph. ana drachma una,

addendo

Pul. Benzoës,

Ladani,

Ligni Juniperi raspati,

Cupressi,

Rhodii ana drachm. tres,

Salis Urinæ volatilis drach. quinque,

Misceantur, & fiat Pasta seu Pomum Antipestilentiale odoriferum.

Nota: Cum verissimè Pestilens contagium ac virus, cùm exhalationis fracedine, quæ Symbolum continet maligni fermenti ac miasmatis,

matis, tùm etiam animatis effluviis ac atomis virulentis, cuilibet naturali corpori (uno excempto Sulphure) ipsi proinde Moscho & Ambræ, cæterisque multum fragrantibus, ac pro pomo Ambræ vulgò usitatis, viscositate sua adhærere ac commigrare soleat, adeò, ut, unde sibi panacæas homines compromittant, arcanas insidias ac deleterium virus experiantur; consultum judico ejusmodi amuleta, non tam genio & odoris illecebris grata deligere, quàm securioribus, minus licet arridentibus qualitatibus dotata, certo vitæ adminiculo procurare. Hinc Nodulum tornatilem è Juniperino ligno, requisitis per circuitum foraminulis affabre paratum gestent, cujus una pars gossypium seu spongiam sale urinæ imbutum capiat, toties renovandam, quoties odorem spirare desierit. Tale quid exhalant Cloacæ, quando statis temporibus ad motum aëris, acutissimum Salis volatilis urinæ reddunt odorem; Altera verò parte recludatur, spongiæ aceto alexiterio imbutæ particulâ, naribus iterato admovenda, sive domo egredi opus habeas, sive domestica munia obire velis, adeò ut, si mane simul assumatur cochlear Aceti boni alexipharmaci, plus inde subsidii ac præservandi virium præstolari pateris, quàm ex Moschatis, Ambratis, delicatioribus inventis, non nisi speciosos titulos alexipharmacos mentientibus, plus palato, quadris aut bellariis, quàm cordi in malignis tuendo, uti cætera antiloimica assolent, dedicatis. Et sanè dispar longè ratio est, odoris fragrantia & rebus balsamicis, vitales spiritus demulcere, aliud verò, pestilens miasma è corpore proscribere, aut arcere. Odor bonus Spiritus allicit, atque reficit; Pestilens autem Contagium, & virulenta effluvia, sive aporrhææ, quæ vel in pestiferis corporibus, aut corruptissimis exhalationibus animantur, adeò ut instar minimarum atomorum in vitam suscitatæ, infinito propemodum numero undique oberrent, inspiratione hauriuntur, poros penetrant, nosque inficiunt ac contaminant, licet sub sensus & visum non cadant, sicut olim Platonis Ideæ, nisi microscopio utaris, quod objecta centies & ultra auget, tunc in aciem incurrunt millena vermiculorum corpuscula, ac virulentæ atomi; hæc inquam effluvia odoris fragrantiâ allicere opus non habemus, nolentibus ac spontè ingruunt, sed potius appropriatis ac specificis odoribus fugare ac interimere competit.

Suffitus Cephalicus in forma Pulveris grossi.

℞. Asæ dulcis seu Benzoës,
Styracis Calam. puræ,
Olibani ana uncias tres,
Gummi Animæ unciam unam,
Ligni Juniperi odorati è radicibus crass. raspati unciam unam semis,
Misceantur, fiat Pulvis grossus.

Suffitus alius communis.

℞. Olibani uncias sex,
Mastichis,
Styracis Calam. ana uncias tres,
Ladani opt. uncias duas,
Ligni Juniperi odorati ex radicibus uncias quinque,
Fiat ex omnibus Pulvis grossus.

Suffitus Antipestilentialis.

℞. Succini Citrini uncias quatuor,
Styracis calamitæ,
Olibani ana uncias duas,
Myrrhæ rubræ uncias tres,
Ligni Juniperi odorati ex radicibus subtil. tornati uncias quatuor,
Misceantur, fiat Pulvis grossus. Qui verò Sulphur huic pulveri addere voluerit, illi liberum erit: conducibilius tamen videtur, solo sulphure sæpius accenso loca suspecta suffumigare.

Sapo Odoratus.

℞. Saponis Veneti libras duas semis,
Conscindatur aut radatur subtiliter, solique exponatur, sæpius tamen illum Aquâ Rosarum vel Florum Arantiorum humectando, donec albescat, ultimò autem benè exsiccetur. Huic saponi albicanti adde

Amygd. dulc. decort. & ad pultis subt. formam, additâ s. q. Aquæ Flor. Arantior. contus. & per setaceum transmissarum uncias sex,

Pulv.

Pulv. Gum. Afæ dulcis feu Benzoës drachm. fex,
Magift. Marcafitæ, per aquam fortem & præcipitationem parati unc. duas,
Contundantur junctim diu multumque in mortario, donec per intima & minima commixta fint, addendo
Pul. Rad. Ireos Flor. unc. tres,
Mofchi Orient. drachm. femis,
Zibethi opt. drachm. femis,
Ol. Ligni Rhodii fcrupul. duos,
Olei feu Liquoris Tartari per deliq. facti unc. unam femis,
vel ejus loco
Salis Tartari unc. unam,
Mifceantur exactè, formenturque Globuli fragrantes, *qui, præter odorem & fragrantiam, hoc virtutis habent, ut afperitatem cutis leniant, glabram, fubtilem & albicantem illam reddant.*

Cum in hac Claffe circa externa eaque Odorata defcribenda fimus occupati, præftat & alias Species odoratas, præfertim contra graffantes morbos contagiofos, adftruere, è quibus Sacculi cordiales de collo fufpendendi, ut & pulfibus alligandi, efformari poffint, & fint tales.

Sacculi Cordiales Pretiofi.

℞. Styracis Calam.
Afæ dulcis ana drachm. fex,
Ladani opt. unc. femis,
Ligni Aloës opt.
Rhodii,
Cupreffi ana drachm. quinque,
Cort. Arantior. recent.
Citri recent. extim. ana unciam unam femis,
Flor. Arantiorum recent.
Rofarum pallid. recent.
Lavendulæ,
Tunicæ rub. ana recent. unciam unam,
Caryoph. drachm. fex,
Cinamomi opt. unc. unam femis,
Nuc. Mofch. unc. unam,
Croci Auftr. drachm. fex,
Mofchi Orient. fi lubet, fcrupul. unum vel drachm. femis,

Incidantur & contundantur minutim, fiantque Species groffæ, *quibus repleantur Sacculi Cordis figura, ex Zendalo rubro, & nonnihil interpaffentur, quippe qui vel collo fufpendi ad regionem cordis, vel cum aqua aliquâ cordiali, aut cum aceto alexipharmaco fæpius humectati, cordi admoveri poffunt, ut & pulfibus, vitales fpiritus egregiè roborantes. Convenit pariter eafdem Species groffas Nodulis includere ad magnitudinem nucis juglandis, qui Aceto Rofarum aut alio madefacti, naribus infirmorum in Lipothymiis, aliifque cordis defectionibus admovendi verum; pro Epilepticis, Apoplecticis & Hyftericis nonnihil de Caftoreo, dempto Mofcho, admifceatur.*

Nota: Quod *recentes Arantiorum & Citri Cortices, Flores item recentes,* facillimè cum *reliquis fpeciebus ficcioribus* commixti, exficcentur, & mutuo fragrantiam fuam fibi invicem communicent, ut adeò peculiari exficcatione opus non fit, quâ fragrantia eorum fpiritufque fubtiles & fulphurei magis exhalarent. Huc pariter referantur Species feu Pulvis groffus pro roborando corde, fimili forma Sacculis pro corde & pulfibus includendus, & in *Claffe præcedenti de Pulveribus* præfcriptus.

Species Groffæ pro Sacculis contra Peftem.

℞. Rad. Leviftici,
Angelicæ,
Zedoariæ ana unc. unam,
Herb. Bafilicon,
Majoranæ,
Meliffæ,
Rorifmarini,
Rutæ ana drachm. fex,
Cort. Arantiorum,
Citri ana recent. extim. unciam unam femis,
Myrrhæ rubræ,
Caryophyllorum,
Nuc. Mofchatar.
Granorum Juniperi ana drachm. fex,
Camphoræ unc. femis,
Ol. Still. Ligni Rhodii drachm. unam,
Rutæ fcrupulum unum,
& fi lubet,
Salis volatilis urinæ unc. femis,

Incidantur contundanturque crassiusculè, fiant Sacculi de Zendalo rubro, collo appendendi.

Numerantur inter externa Medicamenta & Pessi uterini: ut ergò formulæ quædam adsint, sequentes subdo.

Pessi Uterini ad Cienda Menstrua.

℞. Pulv. Myrrhæ rubræ,
Gum. Ammoniaci ana unciam semis,
solvantur in s. q. Vini albi ad pulticulam, cui adde,
Camphoræ drachm. unam semis,
Pulv. Rad. Helleb. nigri,
Pyrethri,
Galangæ,
Herb. Majoranæ,
Sem. Cæparum,
Urticæ ana drachm. duas,
Fiat s. a. Massa, è qua formentur Pessi, Zendalo rubro obducendi.

Alii.

℞. Pulv. Helleb. nigri,
Calami Aromatici,
Galangæ ana drachm. duas,
Pyrethri drachm. unam,
Herb. Majoranæ drachm. duas,
Cantharidum scrupulos duos,
Camphoræ drachm. unam,
Fiat ex omnibus Pulvis, ex quo cum Zendalo rubro fiant Pessaria competentis magnitudinis.

Solvunt Menstrua mulierum obstructa, extrahendo è matrice humores ac semen corruptum, & quicquid vapores sursum elevare potest.

Nota Helleborus niger apud Salam mirabili præ aliis Vegetabilibus trahendi virtute pollet, adeò, ut si linteolo, vel sacculo acuminato, pessi instar, ejus pulvis imponatur, propendente ad retractionem filo, & locis muliebribus intrudatur, primò quidem miram faciat artuum veluti contracturam, paulò post vero retentum menstruum, aliasque uteri impuritates, cum alleviatione & conferentia protrahat.

Pessaria ad Hæmorrhagiam Uteri.

Parantur ex Pulvere Stercoris asinini exsiccati & Pulvere Bursæ pastoris, &c. Zendalo rubro exceptis.

Amuleta contra Pestem.

℞. Pulv. Bufonum exsiccat. unc. duas,
Serpentum drachm. sex,
Succini Citrini,
Ladani ana unc. semis,
Pulpæ panis triticei unc. unam semis,
Moschi Orientalis,
Zibethi ana scrupulum unum,
Misceantur & cum suffic. quant. Aquæ Rosarum fiat Pasta, ex qua formentur Placentulæ ad magnitudinem unius aurei, vel medii etiam Imperialis, quibus imprimatur signum Scorpii & Viperæ, obducantur Zendalo rubro, *de collo ad regionem Cordis appendendi, præservationis gratia: attrahunt enim advenientia ab extra Venena, tanquam Veneni animalis receptaculum proprium; cum in symbolum habentibus facilis sit transitus.*

Nota: Si Bufones ad mentem subtilissimi Philosophi Helmontii ad hæc Zenexta sive Amuleta dextrè dispensanda pararentur, præstantiora multò inde efficerentur. Legantur super hac re quæ præfatus Doctissimus Helmontius in suo Tumulo de Peste scripta nobis reliquit. Hujus etenim rei veritatem comprobat Doctissimus ac Celeberrimus Medicus & Philosophus D. Joannes Chrysostomus Irmbler, Statuum Moraviæ Marchionatus Protomedicus, his verbis ad me scribens: Et revera paravi Ego Anno M DC LV, quo tempore inter Infectos versabar quotidie, Trochiscos Bufonios, eosque ut cætera Helmontii indefessi veritatis indagandæ & ex puteo opinionum Veterum nostram credulitatem excæcantium eruendæ nati Philosophi, experimenta suas laudes sustinere comperi: Inter viginti autem Bufones vix unum quidem jucundo sanè spectaculo vidi vermiculos per nares & oculos egressuros manu repellere quamdiu poterat, donec elanguerit Bufo: sed Trochiscos ex vermiculis unà cum pulvere emortui bufonis & materia per anum (nondum vidi per vomitum) scilicet alis, pedibus,

bus, capitibus, ventribus Scarabæorum viridibus, auratisve & nigris, quos bufo cum terra in escam venatur, ejecta, cerea patinâ exceptis, cum Tragacantho rosato formatos, pluribus personis super anthraces apponi feci, atque nullum eorum mortuum esse dicere possum, sed & meorum domesticorum, ut & aliorum, quibus dedi, amicorum nullus, quod scio, infectus est. Sic comperi non tantum hisce Trochiscis enervari virus pestilens in Carbunculo jam admissum, ut dein vulgaribus chirurgicis remediis ulcus facili negotio fuerit curatum, sed etiam ad sinistram mammam ligatos mihi meisque accursui & occursui infectorum expositis, animositatem quandam indicibilem conferre, atque ita miasmata & effluvia pestilentialia abarcere. *Hucusque Excell. Medicus Moravia.*

Verum liceat mihi pace tua L. B. laxatis nonnihil discursui habenis, ad arcanam illam totius Physices quæstionem digredi, quânam actione ejusmodi amuleta, (Paracelso & Helmontio Zenexton dicta) Venenis adversentur, seu quid actio illa sit, quàm à tota substantia, occultisque qualitatibus tàm Venena, quàm alexiteria & pentacula utrinque exercent. Manifestum siquidem est, majores nostros uti & venerandam Antiquitatem, Zenexto ac amuletis è collo gestatis, uti ipsis Venenis τὸ θεῖον dictis, multum tribuisse, & divini quidpiam subesse suspicatos; ita habet Paracelsus, Helmontius de Tum. Pest. item de Spir. vitæ, Libavius, Quercetanus in Tetra: Athanasius Kircherus lib. de Peste, & Mund. subterr. Hartmannus, quos ut recentiores allego, subticendo Fracastor. Veronensem Fernelium, Sennertum, Cornel. Gemmam, Levin. Lemnium, & compluris doctissimos commentatores, adeò quidem, ut sicut humani fert lubricitas ingenii, & inconstans velut Euripi semper reflui indoles, ab ejusmodi pentaculis ac Zenextis, ad incantamenta & uti perhibebant, medicatas voces & sonos superstitiosâ levitate processum sit. Sic Horatius amico, morbo devicto, aggratulatur: Ah Ah solutus ambulat Veneficæ scientioris Carmine. Sic se Carminibus fugasse Cretensem pestem, sibi Thales arrogat: Homerus sanguinis profluvium, Serenus Hemitrit: M. Varro Podagram, ac Ischiadicos suo murmure Paracelsus, forsan ad normam divini Psaltis, sono restituentis Saulem, qui 1 Reg. 16. levius habuit à spiritu præsente citharædo, aut ut nunc assolet à morsu Tarantulæ (Phalangii genus est in Apuliâ) cujus venenum reprimit harmonicus & sonus assymbolus, teste Amato Lusitano, & Kirchero in Musurg. Quæramus nos, quid juxta probam Philosophiam sit hæc actio totius substantiæ, seu occultarum qualitatum? Communis omnium consensus est, quod sit qualitas vehementer activa, quæ sub sensum non cadit, sed solo effectu innotescit: verum consideranti patebit rigorosè qualitates has non definiri, sed descriptivè solùm, cum hæc ratio ipsis etiam potentiis vitalibus, quæ sub sensum non cadunt, aut qualitatibus, quas habitus vocamus, à primis qualitatibus distinctis competat. Fortunatus Plempius; ex varia commixtione & combinatione qualitatum primarum, ac nonnullarum secundarum, ut debitas tali temperamento, ait resultare; ac ubi acrius eum impugnaveris: quod occulte qualitates toto cœlo differant à manifestis ac ipso tali temperamento, quas nec formaliter, nec eminenter continet, respondet; non produci qualitates has à temperamento nisi instrumentaliter, efficienter autem ab agente principali, quod forma dicitur. Forsan cum Sennerto lib. 6. prax. concurrens, qui occultas qualitates à formis subordinatis dependere resultoriè, tenet, quod improbabile teneo, formas partiales omnino negando. Helmontius acris ingenii Vir, titulo: Natur. contrar. nesc. à proprietate specifica formæ oriri talia, uti periapta, amuleta, Zenexton Paracelsi perhibet, arguens ibidem Theophrastum & asseclas, qui talia in Salem Sulphur & Mercurium rejiciunt: & tit. de Spir. Vitæ, qualitates has, Spiritum Vital. Æthereum, Lumen specificum ac individuans, quod nec urit, nec inflammat, suis tamen concentratis radiis, conspicuum, quod ab ultima Salium materiâ mutuatus est. Helmontius. tit. de actione Regiminis: qualitates potestativas vocat, habentes dotes in naturâ agentes solo nutu potestativo, instituto, directione, ac destinatione à DEO in natura, ad id quod jussæ sunt, vi tamen efficaciori quàm influentiali: pulchrè & argutè,

ut

ut assolet Helmontius. Vicinior ævo nostro Athanasius Kircherus Societ. Presbyter, sympathiâ & antipathiâ, consensu & dissensu, lite & amicitia, (cui è diametro Helmontius dissentit. tit. natur. contrar. nesc.) omnes qualitates occultas absolvit. Lib. enim de Mund. subterr. 9. Natura, ait, mundi hujus universitatem variis dissidiorum generibus quasi seminibus conspersit; & fusius multis ibidem: nec suo contentus theoremate, assignat radicem similitudinis & dissimilitudinis, ac continuo per qualitates duellantis naturæ cujus actio actiones fundat, primo in communi dissidio, in effluviis, & subtili vapore à corporibus insensibiliter emanante, à dissimilitudine & similitud. formæ ac sudstantiæ, in varietate Climatum, & Zonarum, in spiritu phantastico & imaginativâ, in sono varie reflexo, pororum dispari conditione, in corradiatione denique & actu nobilissimo corporum, quæ cum se immediatione suppositi complecti semper nequeant, his quasi arcanis manibus & radiis fæderantur. Neque satis fuit Helmontium in multis expressisse, ad Paracelsi dogma delabitur, venena & horum qualitates occultas à quadruplici Salium combinatione resultare satagit, præmissis tamen oblongis hypothesibus; dari scil. in naturâ & subterraneis visceribus πανσπερμίαν seu universalem matricem omnium mixtorum, & superesse quoque ignem subterraneum, naturæ Archeum παντωρηόν, nova metamorphosi omnia transmutantem. Denique: quod tota substantia quædam nobis familiaria uti alimenta, quædam quod tota substantia infensa sint, hæc totam rerum antipathiam & sympathiam fundant, quæ tamen nec est temperamenti, nec materiarum, sed vel formarum duntaxat, vel horum certè omnium, quam totius substantiæ appellamus. Sed paralogismus est, & adhuc inquirimus modum ac nexum amborum, quo pacto scilicet ac medio effectus à causa procedat. Hæc difficultas quem non hactenus exercuit Philosophum? Quæ tamen hactenùs à viris exercitatis in censum hâc super re devenêre, jam à nobis sunt recensita. Judico ego qualitates occultas, actiones venenorum & alexiteriorum, ut Zenexti & pentaculorum sic esse intelligendas, salvo meliori judicio in rebus additis atque causis: actio veneni est qualitas, dependens à tota simul substantiâ in esse, produci, & conservari, vitalitati ex toto adversans: actio autem qua alexiteria ac amuleta agunt, est qualitas à totâ simul substantia in esse, produci & conservari dependens, ex intrinsecis principiis vitalitati relativa. Unde venenum est ens substantiale ab intrinseco connotans vitalitati adversari, vice versa uti alexiterium ens tale, quod in esse suo totum ad vitalitatem refertur. Hinc sequitur ultimum gradum malignitatis, uti & activitatis in alexiteriis, adæquate dependere à toto concreto: maximæ proindè est energiæ & reconditi effectus. Sic explicamus ea quæ in causis abdita videntur, & per effectus suos innotescunt, ac à tota substantia agere passim in scholis perhibentur. Minor autem est difficultas de iis, quæ uti mineralia, alterando primas ac secundas in temperamento qualitates, erodendo, corrumpendo, unitatem solvendo, ac distemperando agunt, quorum actio & effectus manifestior est, in natura: quid autem sit vitalitas, ac in quonam ratio formalis vitæ fundetur, an sit qualitas à nullo ente nisi à spiritibus producibilis mediante qua materia, forma ac unio perdurant, litem non dirimo, sit problema, temporis brevitate præventus. Modum autem & influxum omnium venenorum & alexiteriorum pensiculatius & univocâ ratione definire, impossibile mihi videtur, cum sint agentia quæ influunt in genere causæ æquivoce, ac omne venenum requirat, aliud alexiterium: impossibile proindè judico, unum amuletum omnibus venenis ita adversari, ut rigorosâ contrarietate distet, juxta illud Philosophi, unum uni contrariorum est; alioquin omnia venena & alexiteria, periapta & amuleta in particulari ac individuo definire opus haberem, ac sic in infinitum. Sit nobis idea ac prototypon solus homo, an non in amentia hypochondriaca venenum furiosum emicat, in syncope anodynum, in vertigine rotans, in cantharide exulcerans, & inflammans, in opio narcoticum, in Cicuta gelans, in apii esu convellens ac ad risum sollicitans, in morsu phalangii rotans, ac in gyrum circumagens, & sic de innumeris? ut taceam ea quæ sub larva & blanditiis enecant, nihil hostilitatis minitantia, uti in malignissimis constat, ubi appropria-tis

tis ſuccurrere quandoque non licet, niſi actâ jam tragædiâ innoteſcant: Plura iterum hic non attingo, quânam ratione ſcilicet venena in ipſis animalibus toxicoſis vitalitati eorum non adverſentur, cur uni venenum alimentum, alteri virus: an actio à tota ſubſtantia ſit potentia realiter diſtincta à forma ſubſtantiali, an amuleta, alexiteria, venena relatione, ſeu nexu quodam intrinſeco ac reſpectu ad invicem ferantur, an amuleta, alexipharmaca utplurimum roborando vitales ſpiritus, eos concentrando, generando, poros adaptando, ut venenata miaſmata peſtiferi ſeminarii, quæ funeſta μεταστάσει & translatione ad principalia viſcera deferuntur, ad ignobiliora, & ambitum corporis exturbantur, num verò determinatè producta cauſalitate id accidat, hæc pertranſeo, ac Theoricis relinquo ſpeculanda, qui excurſionis loco ad hæc devolutus ſum: vela contraho proindè, ne in immenſum excreſcat opus, hoc ſolum aſſero: materiam hanc, eſſe illud veterum τοῦ θείου, argumentum paucis tractandum, quo olim Cabaliſtæ, Angelos potius ac ſuperas lationes ſubaudiêre, à quibus arcanos hoſce morbos fieri cenſebant, non qualitatibus perfici, & Hippocrat. lib. prænot. plus ſpeculari ac ſcrutari perhibuit, quam limitato ingenio comprehendi.

Notandum tamen, quod dictis Amuletis magna agyrtarum impoſtura vigeat, quæ temeritas ſuos quandoque magni nominis patronos & authores numerat, qui conficere docent Amuleta ex Arſenico, Auripigmento, Mercurio, additis cordialibus, vegetabilibus, alexipharmacis, ac ſic parata eſſe genuina ac ſpecifica contra peſtis introitum obſtacula. Verum magis à vero hæc ſibi diſtant, quam Lupinus à Lupulo, præterquam enim quod indies experimur, gallinas, columbas, canes, ac nonnulla alia animantia, exhibito arſenico, realgari, ſublimato intoxicata, nequaquam in vitam reſtaurari propinato Bezoar, Unicornu, Orvietano, Theriaca, &c. quin decedant; experimur præterea, Gallinas venari araneas, eaſque devorare impunè, licet homini ſint exitio; unum proindè venenum huic ſpeciei eſſe alimentum, alteri deleterium; Similia etiam curari ſimilibus, ut Scorpii ictum, ipſo ſuper vulnus attrito ſcorpio, veſpam veſpâ, viperam viperâ, rabidi morſum, ejuſdem exuviis & pilis, muſtelæ denique virulentum halitum ac morſum, muſtelæ pelliculis perſanari: nunquam tamen comperimus, venenum minerale ab alexiterio vegetabili per ſe ſuperari; cum toto genere diſtent, nec ſuæ activitatis excedant orbitas. Quod ſi enim accidat, ut cor & vitales ſpiritus, facto ſibi per cardiaca vegetabilia ſubſidio, ſtationem ſuam retineat, venenum arceat, peregrinum hoſpitem ac deleterium characterem ſibi imprimi non patiatur; non hoc fit ſpecificâ quadam oppoſitione & dualitate, quâ vegetabile alexipharmacum minerali virulentiæ reſiſtit, ſed quod in hoc ſubjecto & homine Spiritus enormonticus ſuâ ſubſtantiâ ſuperior, nonnihil virium etiam à cordiali vegetante participans, eludat applicationem veneni mineralis; cum viceverſa in ſubjecto debiliori, venenum pariter ſpreto & poſthabito agente vegetabili, rabiem ſuam cum pernicie & certo interitu exerceat: nam nulla eſt proportio aut analogia veneni mineralis, ad alexiterium vegetabile: Nam quocunque modo ſibi opponerentur, aut antipathia excogitabili, nulla tamen inter illa fieret actio, ſuppoſito, quod prophylacticè iis utamur, niſi calor innatus hominis actuet vim alterius. Mineralis veneni vim ſentit quidem, verum quia hoc eſt potentius, ſuccumbit ſpiritus vitalis, nec remedium invenit in cordiali vegetabili, quia contrariorum eadem eſt ratio, ut eodem genere concludantur. At verò veneni mineralis, longè alia eſt indoles, prout funeſta experientia multos docuit; non enim agit qualitate ad ſpiritualem referendâ, ſed corroſivâ, manifeſtâ, acri ac cauſticâ, quam vim utpotè eſcharoticam ac Tyrannidem, cum compages noſtra corporis, ferendo non ſit, quin ſolutio continui ac unionis ſubſequatur, quare reſolutis organis, quid mirum, ſi vitalis ſpiritus velut everſo habitaculo tranſmigret, & mors ingruat, cujus ratio in eo fundatur, quod alexipharmacum vegetabile ſpiritus & vitalia directè reſpiciat, minerale autem venenum non tam ſpiritum in corpore inquilinum, quam organa & ejus immediatum ſubjectum, quo everſo, ex conſequenti ſpiritus diſſipantur, compages ſolvitur,

cum nulla denique sit proportio inter vegetabilem antidotum & virus minerale. Nam ut hominem arsenico aut spiritu aquæ fortis incuriè epoto à veneno redimas, quid agas? Si administrato emetico haustu, substantia veneni assumpti revomatur, cessat quidem ejus actio, ita etiam si vim veneni sumpti, quod abdita corporis in tantum jam penetravit, ut revocare nequeas, aquâ tamen multa diluas, prout acrimonia salis, affuso copioso liquore diffluit, ut commodè in usum veniat, si oleo, lacte, butyro liquato (talia Agyrtæ super abacos & theatra venena se assumere ostentantes, magna prius copia exhauriunt) vim mineralis corrosivam obtundas, si hordeo, orizâ coctâ, & multo butyro diffluâ ac oleata minerale virus demulceas ac velut emplastices; hoc sanè non est venenum contrariis & alexipharmacis aggredi aut expugnare, quasi talia sibi antipathico dissensu adversentur, aut per sympathiam ac symbolum vegetabilis, attrahere & allicere virus minerale, nos objicem tantum ponimus, ne virulenta hæc caustica ad intima corporis se insinuent, sed fluctuando in corpore restagnent, donec natura ea possit segregare. His positis; cum venenum pestilens alterius sit naturæ, alterius etiam minerale, ac proindè hoc ab illo dissymbolum attrahi & recipi nequeat, diffident enim inter se hæ Monarchiæ, & hactenus quamdiu Pestilentis Contagii naturam ac indolem non penetramus, nulla salus superest, in specificâ antidoto decernendâ, quare periculosum opus, erroneum ac temerarium est, venena mineralia, utpotè amuleta, cordi applicare. Concesserim ultrò, non dari nec extare de præsenti ullum venenum, cui suum non opposuerit Herculem monstro, aut specificum & antipathicum remedium inexhausta Dei misericordia, sed hic hallucinamur ac in sicco navigamus, quod horum omnium scientiam nobis arrogemus, quæ fato & injuriâ temporum, devastatis Salomonis posthumis scriptis & naturæ Apocalypsi, desiit. Cui dubium, quod arcana naturæ, plebs, agricolæ, venatores & ejusmodi, facta sibi per traditionem à Majoribus copiâ, ad Medicorum invidiam, ne dicam ruborem, possideant, ut cum Augustino illud exclamare liceat! Surgunt indocti, & non tam cœlum quam sapientiam rapiunt, & nos ubi volutamur in cæno, & effætis remediis? Quorum quidem ratio est, quod spiritus scientiæ & sapientiæ à supercilioso Philosopho aut Medico remigret, ac super humilem & pauperem requiescat, qui licet à privato homine talia & genuina remedia possideat, contemnit, castrat, naturam mancam arguit, propria addit, contrariis præpedit, donec se risui ac ostentui exponat, illud audiens: ne ultra crepidam, Amice. E contra alii quod non capiunt carpunt, ad Cabalam, Nigromantiam, & pactum implicitum Cacodæmonis detorquent, quibus tamen majores nostri minimè deterriti, in Deum, Sanctos, & religionem avitam æquè atque Catholicam religiosissimi. Quare ut ad nostra revertar, unde digressus sum, ad dicta nimirum amuleta & Zenexton, quæ ratione Symboli, venenum virulentis effluviis, quæ plerumque aëri adunitis, contagiosis expirationibus, contactu & similibus nobis contagiosum, ad se allicere & attrahere debent, necessum est ut talibus constent, quæ veneno sint veluti analoga, & homogenea, minimè verò ejusmodi contineant, quæ contraria qualitate constent, vel impediendo vel removendo, vel impugnando, aut si hoc non, sint absolutè talia, quæ venenum solum antipathiâ quadam propellant, minimè alliciant aut trahant, quod vel maximè Sacculi nostri hac Classe delineati in Peste præstabunt. Plura ejusmodi amuleta afferre possem, sed abundè actum puto, cum fusius theoriam dederim, qua ad plura talia adstruenda, quemvis posse manuduci, arbitror.

PHAR-

PHARMACOPOEIÆ REGIÆ

CLASSIS DECIMA QUARTA,

Confectionum Antidotalium, Narcoticarum, ſeu opiatarum, Cordialium, & conſimilium, dexterrimas Compoſitiones ſtudiosè conſcriptas, continens.

DEcimam quartam nunc aggreſſurus Claſſem, tanquam maximè conſiderandam, ob præſtantiſſima Medicamenta Compoſita in eâ contenta, præſertim Theriacam, quam omnium Medicamentorum Reginam ſemper dixêre, expedit, ut non ſolùm in Antidotorum Medicamentorum & Confectionum Cordialium Compoſitionibus accuratè deſcribendis affidui ſimus, verùm etiam, nulli Magiſtro mancipati, Theriacam ipſam penſiculatius examinemus. At Miſantropus multis dicar, & cum Timæo Philoſopho æquori & fluctibus objectus, ad ultimam relegandus Thulem, quod effero & immiti planè genio in laudatiſſimam hanc omnibus ſæculis Panacæam & θεῶν χεῖρας dictam, quæ una & ſola hactenùs ſecreta toxicorum antidotus viſa ſemper fuit, ſeveriori cenſurâ animadvertam. Sed leve quid mihi viſum fuit, ab humano die judicari: memor vetuſtiſſimæ illius paræmiæ: Timidos nunquam ſtatuiſſe trophæa; & identidem quod ulceroſum hoc ſæculum noſtrum plenis buccis reſonat: Placere nequit, qui aſſentiri ac vitia palpare neſcit. At verò (ſuus tamen ſit honos & gloria Majoribus noſtris, qui Magiſtrale hoc alexipharmacum ad nos tranſcripsêre,) quis non deprehendit, quod Theriaca noſtra hactenus uſitata, ſuo diſpar etymo, nil minus agat, quàm ut cor roboret, deleterias qualitates oppugnet, venena propellat; ſacra denique ſit nobis anchora & antidotus, ut potius queri cogamur, nos ab illâ in morbis ſæpè deludi, deſtitui, & diffidentibus tot inter ſe qualitatibus in unam Theriacam concentratis, clanculum impugnari. Hoc ut graphicè & demonſtrativè pateat, repetantur ea priùs, ne remoram patiamur, quæ de Theriaca (cujus deſcriptio & ingredientia in Auguſt. Diſpenſ. ad literam habentur) *in præmiſſis Animadverſionibus noſtris*, & ultra *in annexâ earum Appendice pag.* 20. præfati ſumus, quæ hic repetere animus non eſt. Nunc ſingula hujus Compoſitionis ingredientia ordine analytico perſcrutabor.

Primum, quod Theriacam conſtituit, reperio *Trochiſcos Scilliticos*, qui reliquis ingredientibus facilè, uti ſtationem, ſic palmam etiam, quoad pondus, præripiunt; de quorum præparatione, uſu, & materia, *loco citato* ubertim egeram, iteratò demonſtrando, quam inconveniens & abſonum ſit, tot ſibi diſtantia in unam cogere antidotum. Quia tamen doctrina numeris Platonicis obſcurior nonnullis viſa ſit, nec facilè credant, quod manibus non contrectant, idcircò hanc eis *Trochiſcorum Scilliticorum* exactiſſimam anatomen & reſolutionem ad ultima proponam. Inprimis notandum venit, neminem hactenus Scriptorum, qui de re Herbaria benè meriti fuêre, unquam extitiſſe, (niſi eos excipias, qui, obſequendo tempori, & aſſentando veterum erroribus, poſtpoſitâ verioris rationis & experientiæ parte, non tam Claſſici quàm Apocryphi habendi) qui, inquam, ſimpliciter *Scillæ* virtutes cardiacas & alexipharmacas attribuerint, & finxerint; quin palàm fateantur; *Scillas minimè tutè uſibus internis* deſtinari, quoniam *mordaces, acres, inflammatoria, ſtrangulantes deleteria denique & virulenta* iis quibus intrà corpus obveniunt, dum cardialgias, peripneumoniam, viſcerum lethales inflammationes ſuſcitant; & vel deforis manibus contritæ epidermida uſtulent, ut proindè nulli exhibeant, niſi in clibano ſæpè mul-

tumque torreant ac enervent, sic venena cicurantes. Communis interim de *Scillâ* doctrina datur, quod pituitam naturâ & indole crassiorem & viscidam incidat, attenuet, obstructiones hepatis reseret, cachecticis & hydropicis suppetias ferat, si nimirùm dicto jam modo, pani scilicet inclusa, in clibano exassetur: cruda verò & sibi relicta, acris, mordax, & effera est, nudis manibus tractata, easdem vesicans, metalla, ac præcipuè armorum genera, squallido humore tingens, quæ tam pravis qualitatibus imbuit, ut si quem cultro, aut ense, *succo scillitico* illito sauciari contingat, vulnus ferè immedicabile efficiat, quale olim Telephi Mysorum Regis superstitiosa antiquitas fuisse credit; quod ut præcaveant, & *Scillæ* malignantes indoles & acrimoniam tollant, ignis torturæ providissimi naturæ Mystæ, in clibano subjiciunt. Nec refert, quod ipse Galenus ex *crudâ Scillâ ejusque Succo* medicamina quædam dispensârit; suspicor tamen, cum fundamento in re, cum *Scillam montanam* subaudiisse, quæ mitioris naturæ ac indolis est, quam illæ marinæ, quæ de consuetudine ad nos deferuntur, ac ob dictam acrimoniam ignis examini subjiciuntur & castrantur. Mihi quasi evidens ac certum videtur, quod, si *Scilla* deforis, ut cruda ac sibi reddita est, pestifero cuidam buboni, cum pane incorporata, applicetur, magnos præstituram effectus, attrahendo scilicet venenum ad corporis ambitum, malumque à centro ad peripheriam exturbando; quod Practicanti innotescet; sicut è contra alteram contradictionis partem infero & demonstro, *Scillam* intra corpus assumptam, venenum à circumferentiâ ad centrum & cordis regionem validissimè revocare, cum contrariorum sit eadem ratio, minimè vero per διαφόρησιν propulsare. Sed dato, & non concesso, quod *Scilla* eximium sit Cardiacum, & Venenatas qualitates subigat, uti nobis perhibere videtur auctior ejus dosis & quantitas, quâ veluti Theriacæ basis & fundamentum addenda venit; nihilominus tamen jam dicta Theriaca virtutibus *Scillæ* planè privatur, ob rationes in n. *Animadversionib.* recensitas, dum de Trochiscis scilliticis commentati sumus, ac omnibus experiri licebit, qui crudam *Scillam* exsiccârint penitus, ut in pulverem redigi valeat, dum nihil reliquum à desiccatione reperient, quam *effœtas ac exsuccas quasdam membranulas*, à virtute *Scillæ* degeneres; aut si, *pulveribus Orobi*, vel *dictamni albi*, additis, in Trochiscos efformaverint, post eorum exsiccationem, præter pondus, naturam & vires dictorum pulverum, ne *Scillæ* vestigium ferè, præter amaritudinem, apparebit; quod invanum non jactito; ipsi hoc mecum melioris notæ & experientiæ Pharmacopœi asserent, ac deinceps dicturi sunt, dum, in præparatione horum Trochiscorum, pondus Scillæ ac jam dictorum pulverum exactiùs investigârint. Neque obstat Quercetani, de præparandâ, corrigendâ, & in pastillos efformandâ, *Scillâ*, prolixior theoria, quæ cùm rationum pondere & momentis, nec non experientiæ fulcris, destituatur, levis ac ridicula habenda, ac tanto viro indigna.

His veluti firmissimis jactis fundamentis, suam quisque, cui mens æqua, & sana ratio est, proferat sententiam & calculum, an non deinceps *Scillam* à speciosa Theriaces compositione arcere competat; minimè verò, erroribus aut fascinis incuriæ Antiquitatis irretiti, sine hac Theriacam consistere aut valere non posse, decidamus, & credamus: quanquam indubitatum sit, si *Scilla* viribus suis non mutila & effœta Theriacæ substitueretur, eam illi virtutem & qualitates consignaturam, quâ juxta crasim & naturam suam pollet, adiophoro modo, sive bona & conferens illa sit toti, sive detrimento; nunc, viceversa, nullum ferè Theriacæ effectum aut virtutes *Scilla* communicabit, tot, inter clibani angustias, torturis exposita, & *pulveribus Orobi ac Dictamni* in pastillos efformata, cùm, peractâ illa *Scillæ* desiccatione, aliud virtutis & energiæ nihil deprehendes, quam, sub prioris radicum ponderis quantitate, extraneum quendam amarorem, disparentibus acrimoniâ & mordacitate *Scillæ*, quæ illam de ordinario, tanquam proprietas in quarto modo, concomitari solent, & in quibus veluti vestigiis *spiritum & salem volatilem scillæ* investigare solemus; ut proindè eadem ratio foret, pro *Trochiscis scilliticis*, ipsum *Dictamni vel Orobi pulverem* substituere; cum omne cæparum genus, & hoc marinum,

num, antonomasticè volatile & aquosum sit, per indebitas autem desiccationes in totum exhalet & enervetur, nullâ ipsi reliquâ virtute, & primigeniis qualitatibus, nisi retorridas quasdam, & exsuccas pelliculas & exuvias in censum adducas. His dictis *de Scillâ*, primo & amplissimo Theriaces constitutivo, ad reliqua digredior.

Subsequuntur jam ordine *Trochisci Viperini*; de quibus, undè suum ducant ortum, materiam ex quâ, præparandi modum & circumstantias (& quod pro potiori parte ex *biscocto pane* resultent) quod indigni sint hac Compositione, ac adulterini; quæ, aut qualia, his eliminatis, substituere ratio suadeat, omnia ac singula dextrè & concinnè descripta sunt in *præcedaneis n. Animadversionibus super Aug. à pag.* 212. *usque ad pag.* 220. quò L.B. directum cupio: quanquam, huic labori meo nil derogando, *in præmissâ Classe de Trochiscis*, multum desudarim, ut genuinam, facilem, & perspicuam methodum edocerem, *Trochiscos è viperis* efformandi; cum viderim, hanc Trochiscorum formam omnibus decantatam & propriam esse; quanquam exoptarem, ut non tam suis desideriis & fallaci judicio sese manciparent, quàm rectæ rationi & experientiæ conformarent, seri nepotes.

Sed hîc loci non inutilis quæstio tractanda venit, num *Trochisci Viperini*, pro completanda Theriacâ, juxta Galeni mentem, ex *solis viperis iisque famellis*, *carne illarum* solummodo ad id assumptâ, *Ossibus*, *Cordibus*, *ac hepatibus* rejectis; num æquè etiam ex *masculis*, *carne*, *Ossibus & supradictis interaneis*, *hepatibus nimirum & cordibus*, dispensari debeant? Vel an ipsi etiam *Serpentes in montanis*, *maximè ad Orientalem plagam*, *nati & enutriti*, pari effectu & energiâ Theriacam, aut Trochiscos constituere valeant? Nobis enim non satisfacit nuda & angustior Galeni authoritas, qui impar tanto oneri ferendo, quale totius Medicinæ systema & amplitudo est, suis & ipse præpeditus tædiis, limitatus terminis, viribus & ætate attritus, morte denique præventus, priusquam artem, quæ longissima, brevi & præproperâ vitâ commensurasset: Non, inquam, fas erat, Galeno (cujus manibus, tanquam Medicorum Principi, posthumas laudes & elogium minimè invideo) inter angustos vitæ terminos circumscripto, pro Medicæ rei dignitate & exigentiâ, exactas omnium rationes speculari, naturas & complexiones, sympathias & contrarietates, abditas denique, ac in ipsâ naturæ abysso demersas rerum causas definire & rimari, ipsâ denique praxi & experientiâ firmare, quin multa nostræ culturæ, studio, & laboribus, succedentibus, & labentibus annis commiserit, quæ nos Posteris veluti per traducem transscribemus. Nobis igitur hæc Provincia aut Sparta demandata est, ut talentum, & scientiam Medicam, nobis concreditam; pro viribus ampliemus: quod & felici augurio hactenùs præstitum esse, illi soli patebit, qui inexcultum Coi & Galeni Medicum sæculum, cum sapientissimo ævo nostro æquiparârit: ut meritò, Pergamensis ætate, sua habuerit medicina incunabula, quæ posterorum conatibûs felici metamorphosi in virum nunc adolevit. Quis igitur ambigat, & hanc Medicinæ partem, quæ genuinas medicaminum Dispensationes edocet, sua habuisse incrementa; cum diem dies, casum casus, observatio experientiam erudiat, ad perfectum usque sapientiæ diem: ut proindè nos multa debeamus Veterum laudabili inventioni, sed plura illi conatibus nostris, & artis incremento.

Ut autem ad propositam quæstionem recurram, unde digressus sum; num scilicet *solæ famellæ è Viperarum ac Serpentum genere* deligendæ sint ad *Trochiscorum* confectionem; non tam curiosa hæc quæstio & problema dicenda, quam rudis, & parum sapiens; cum & vulgus non ignoret, in omni genere animantum plus virium & vigoris masculis inesse; quidni & in viperarum & serpentum specie? vel maximè *si famellæ Viperæ*, primo vere, & quidem maturè, non capiantur, illicò oviparæ sunt, & plura à conceptu excrementa in se abdunt & concludunt. Teneo igitur, quod ad efformandos *Trochiscos Viperinos*, *tàm masculi*, *quàm fæminæ*, *ex Viperis* assumi possint, illud probè attendendo, ne ex locis paludibus, mineralibus ac metallicis exhalationibus infestis, à quibus Viperæ & Serpentes pravas qualitates derivare possent, sed è montanis, optimis

& selectis vegetabilibus luxuriantibus, repetantur; & (quod magis notandum) ne exercitati Pharmacopœi excessu nimio *panis biscocti* vires *Viperarum* obtundant, & inefficaces Trochiscos nobis dispensent.

Quæritur secundo: num *sola Caro Viperina*, repudiatis *Ossibus*, *spinis dorsi*, *& reliquis supradictis interaneis*, ad efformandos Trochiscos deligenda sit? Pro parte Affirmativa stat Galenus: Ego verò Negativè respondeo, & judico, Viperam cum toto (scil. *carne, ossibus, hepate, & corde*) salubrius nobis præbere medicamentum; quod probatur: *Ossa* sunt partes similares, spermaticæ, ex pinguiore seminis parte, à facultate formatrice, quæ idæa quædam ac simulacrum generantis est, producta, teste magno Stagiritâ, qui materiam primam ossium σπερματικὸν περίττωμα, hoc est, seminale crassamentum, definit; ergò ex primigenio & substantifico humido & pinguedine multum illis inest. Non ergo sunt rejicienda. Confirmatur primo. Deducto ad marasmum, & extremam maciem, animali, juxta tritum adagium (ut vix Ossibus hæreat) reliquis omnibus dissipatis, adhuc Ossium substantia, vigor, & oleaginosa portio perdurat, ab hac convalescentes restaurari incipiunt, hoc vivifico rore vires reassumunt, hic quasi efficienter concurrit ad regenerandam musculosam substantiam, carnes, & laudabilem corporis habitum recuperandum; quæ prærogativa in viventibus nulli alteri parti tribuitur. Hoc enim nec sanguis, nec caro, nec spirituum familia præstare poterit, ut in genere causæ materialis concurrant. Confirmatur secundo sequentibus instantiis: caro sine *Ossibus* elixata, insipida & sine substantia plerumque juscula præbet; juncta verò *Ossibus*, non parum roboris juri communicat; ergò substantificum quid *poris Ossium* (quod cum communiori Philosophia teneo) inest, quod in liquorem possint imprimere. Patet hoc ulterius in Gelatina Caponum, quæ ingratissima, & planè inefficax, nisi *Ossa*, diu ac multum cum carnibus ad minutias conquassata, cocta fuerint, ut efficaciam suam illis communicent: quod ipsum natura brutis animantibus, & specialiter canibus, impressit, quos æquè, imò magis, ad *Ossa* comminuenda, quàm carnes devorandas, instigavit; adeò, ut & ipsi homines ad id descendant, cum in multis partibus spectabilis magnitudinis Ossa ex animantibus recondunt, ut belli aut famis tempore ea elixare possint, ac aliquam indè substantiam præstolari. Demum ipsa natura nos instituit, quæ *Ossibus* largiorem medullam undique pro alimento substituit, substantiam pinguem, ac minus difflabilem per calorem, ut unctuoso humido maciem ac marasmos persanet, ipsam denique senectutem fuget, quæ, juxta Philosophum, in summa siccitate peragitur. Quod si jam dictæ rationes ad salivam cuidam non sint, mecum ad Pyrotechniam confugiat, mediante quâ vera rerum analysis haberi potest, ac manifeste deprehendi, quod *Ossa* majorem *Salis volatilis, ac Olei* (è quibus animalia constant, insimul cum aquâ fœtidâ) copiam exsudent, quam ipsa caro & sanguis, quippè quæ majore sui parte in aquam quasi elementarem, principio destillationis, resolvuntur, exigui prorsus emolumenti, donec humiditas nimia prolecta, ac caro desiccata fuerit: tunc quoque, adaucto igne, *Sal volatilis* ac *Oleum* elicitur; ast minore quantitate, quàm ex ipsis *Ossibus*, modo antè dicto. Ergò falsum est, quod *Ossa Viperarum* Trochiscis ejusdem vires non conferant, & venenata aut inefficacia sint: quod erat demonstrandum.

His ita decisis, rationes illæ eventilandæ sunt, ob quas *Viperarum Corda*, in quibus operationum functiones, in animalibus, vel maximè emicant, *Jecinora* αἱματώσεως Officinæ, non tantum à Trochiscis prohibentur, sed etiam deleteriæ qualitatis arguuntur; cum hoc naturæ, rationi & experientiæ contrarietur, nec ulli parti insit virtus alexipharmaca potior, quàm hisce partibus, utpotè quæ generandis spiritibus, aut recipiendis, à natura destinatæ sunt, vitali semper robore vigentes; adeò quidem, ut multi Viri Principes ac Magnates (à quibus sub Rosâ hæc sum mutuatus) *corda viva, è Serpentibus recenter enectis excerpta*, devoraverint, ut subsequente vitæ tempore venenorum essent certa antidotus, philtrorum quoque & incantamenti, & quicquid fascini Orcus habet, expertissimum amuletum: quod nec ipse reprobo, dum aquas pretiosas, quæ è vivis animalibus,

bus, destillationis beneficio eliciuntur, mecum rumino, utpotè quæ spiritu & energia plenissimæ sunt, magnæque efficaciæ. Manet igitur certum, non solùm *Carneam Viperarum* substantiam, sed *& Ossa*, ac reliqua in eis contenta, *Hepar & Cor* nimirum, apta nata esse, ut Trochiscos Viperinos constituant, virtute alexiteriâ eminentes.

Sed requiret alius, quid de Serpentibus aliis, quas Italia, Germania, Pannoniæ montes, alunt, sit concludendum? Respondeo breviter, & dico, rationi & experientiæ nos conformando, haud longè à Viperarum Carnibus abesse, modò in locis montanis, aëri salubriori perviis, non verò cloacis, & paludosis regionibus enascantur. Sola illa cavenda sunt Insecta, quæ, nimio æstu retorrida, nigricant; sicut illa seligenda, quæ de nigro & albo variegata, aut viride, cum cineritio maculosa, repræsentant. Probationis loco hûc ea referantur, quæ de virulentiâ Viperarum, ac Serpentum, in *præmissis nostris Animadversionibus*, adduximus, causam ac rationem reddentes, cur morsus Viperarum reliquis perniciosior sit serpentibus, non ex ratione, & quantitate aut qualitate veneni, quod virulento fomite transplantatur, sed in solâ imagine iræ, ex qua venenum, quod dentibus longioribus, quàm in reliquis serpentibus, sigillant ac imprimunt, consistit, quod mediantibus venis & arteriis ad habitum corporis, ipsamque cordis substantiam, rapitur, suam ibidem ludens catastrophen. Cæterum nullas differentias reperire licuit, quibus *Serpentes nostri à Viperis* diffideant, licet primas ac secundas eorum qualitates, modum ac rationem agendi, curiosus indagârim. Roborant enim æquè naturam, Veneri ac impotentibus subsidio sunt, turgentes ac luxuriantes in corporibus humores desiccant, malignos corrigunt, leprâ contaminatos mundant, virtutem denique alexiteriam sibi vendicant. Quoad medicamenta ex illis apparanda, æquè provisi sumus, ac ex ipsissimet Viperis. *Pulveres* enim elegantes & durabiles, *Trochisci*, *Sal volatilis*, & quidquid in censum medicum venire potest, ex Serpentibus confici ac dispensari potest. Ea enim est incomprehensibilis DEI benignitas clementia, ut sese à creaturis participari sinat, totus in omnibus, & admirabilis in operibus suis, qui terminos mari posuit, abysso repagula, totum denique in mensura & pondere libravit universum. Hic, inquam, cui de passeribus cura, qui lilia ad Salomonis invidiam exornat; orbem in populos ac gentes dispergens. Sic unicuique Regioni ac Climati provisum voluit, ut, dum Epidemicis calamitatibus premeret, domesticis interim auxiliis refocillaret. Quis igitur ambigat, Germaniæ quoque sua innasci alexiteria, nec opus esse ad extera confugere remedia, quæ in medio nostrûm Altissimus collocavit. Ipsâ ego Praxi rem ulteriùs confirmare possum, qui eo planè modo, quo *Viperis Capones* saginari solent, *Serpentibus substitutis salubrioribus*, id feliciter præstiti, ad multorum invidiam, Virorum autem Principum ac Magnatum satisfactionem; quorum seniles artûs fovebam, languentem virilitatem expergefeci, adeò quidem, ut non tantum iis in fercula designârim *Capones* saginatos, sed etiam *Pulveres*, *Essentias*, & *Salem ex Serpentibus* diversimodè paratum, imò etiam *Vina* ipsa, virtutibus eorum artificiosè imbuta, felici successu epotanda præbuerim; cujus tibi schema, & exemplar (nisi ingratus accidam, L. B.) *Vini* scilicet ex *Serpentibus* infusis, subjungam: Accipiebam xx. *aut complures Serpentes*, *resectis capitibus*, *caudis*, *& inutilibus*, quos, priùs mundatos, jungendo *corda & jecinora*, vivos adhuc immergebam *Vini mensuris* x. circiter, ac in eo sinebam emori; factâ postmodum unâ ebullitione, aut diariâ infusione, in vase vitreo, *colatum & filtratum Vinum*, in *urnam alteram Vini boni* infundebam; de quo singulis quibusvis pastibus cyathum unum ebibere licuit, magno emolumento. Et hæc de *Viperis* affatim dicta velim, illud iteratò inculcans; satiùs esse, ad dispensandam ritè Theriacam, *Trochiscos n. modo parare*, aut ipsos, *ex Serpentibus dextrè confectos*, *pulveres* substituere, quàm peregrinos illos *Trochiscos*, fuco ac fraudibus plenos, *Biscoctum* potiùs, quàm *Viperarum* substantiam, redolentes, magnis expensis allicere. Nobis, cum gratia DEI, ampla est penus in Germania, & Pane abundamus; suum sibi *Biscoctum* vendicent illi, quos in triremibus fames exercet. Multas oblar-

vant

vant fraudes emendicata diplomata, quibus hos Trochiſcos ad nos amandant.

Tertium ingrediens eſt, *Piper longum*, quod & ipſum eventilandum. Fateor: complures Authores conſului, neminem ſane hactenùs offendere licuit, qui *Piper longum* virtute cardiacâ & alexiteriâ reliquis eminere dixerit: nec ullius Medici exemplar videre contigit, qui in morbis naturæ malignantis, quales febres Purpuratæ, Ungaricæ & Malignæ, quæ corpora colliquant, ac Catalepſes inducunt, denique iis, qui virulento fomite in plures tranſplantantur & Epidemici ſunt, *Piper longum* vel ordinaſſet, vel cum *διφοεία* propinaſſet. Sint, qui Theriacam (quam omnes tres Piperis ſpecies in larga quantitate ingrediuntur) cuidam maligno morbo laboranti præſcripſerint: hoc tamen rarò contingere videbis, & exiguâ ſaltem doſi, rarò ad drachmam unam, idque, ut mea quidem fert opinio, haud abs re, non ſolum propter *Piper*, *tanquam calidiſſimum exurenſque ingrediens*, ſed etiam ob alia incongrua ſimplicia Theriacam conſtituentia, quæ tantum abeſt, ut profligandis morbis malignis & peſtilentibus ullo modo apta ſint, ut obſint potius atque noceant. Conſulat L.B. de re Herbaria multum conſpicuos & meritos Authores, Dioſcor. Matthiol. Tabernemont. Quercet. Renodæum, Schröderum, & alios complureîs; & ne unum reperiet, qui *Piper* alexipharmacâ qualitate dotatum aſſerere auſit; ad Theriacam opplendam, velut inutilis ſarcina, ab aliis ſuaderi, memorant, nihil interim decidentes, quo nam id modo ac ordine accidat, præpoſterè ne, an verò rationi conſentaneo, piaculum, aut grande nefas ſibi ducentes, pro veritate litare, mundoque Veterum errores revelare. At verò delinquunt jam dicti Authores, ſacræ Antiquitati quidvis derogari, aut nos illi injurios eſſe, dum illis inventionem, nobis autem elaborationem vendicamus: & ſi Majores noſtri hoc velum ac triſte ſyrma prius removiſſent, perſpicaciores fuiſſent in ampliando talento Medico, remediis exaltandis, Pyrotechniâ excolenda. Cùm nobis igitur, velut ex aſſe hæredibus, quaſi per teſtamentum legitima obvenerit induſtria & labor, ne, quæſo, ſtertamus in Muſæis deſides, nè vereamur veritatis partes agere, nec eamus, quâ itum, & à Majoribus aberratum, regiam teneamus ſemitam, medico honeſtati pallio & lauro, virtutes ſapientis æmulemur. Nam publicæ rapinæ genus eſt, eorum geſtare inſignia, quorum geſta factis non expreſſeris. At replicabis, minimè requiri ut omnia conſtitutiva Theriaces alexiteria ſint, quædam etiam deſiderari, quæ cor ac reliquas partes principes reſtaurent ac confortent, & tale quid eſſe *omnia piperum genera:* ad quod reſpondeo illud, quod in Moralibus communiter adſtrui ſolet: non oportet facere mala, ut eveniant bona. Roborantia talia ſint, quæ ſpiritus non accendant, nec inflammationem augeant, aut periculoſas phlegmonas ſuſcitent; apyrexias, cordis exæſtuationes, & deliria non accerſent, humores non exagitent, nè peſtilentis contagii ſemina commota, citato gradu in penitiores aditus rapiantur, ſuam impunè luſura tragædiam. Elenchus hic eſt, ac vitium Myſochymicorum, turmatim omnia congerere in unam antidotum, nullo habito delectu, proſit nè, num v. obſit: an non ſtupenda eſt *Piperum quantitas*, quâ, veluti baſis, Theriacam conſtituunt; cum acrimoniâ ſuâ reliqua omnia conſtitutiva ſuperent, linguam & palatum feriant, ac veluti inflamment. Ex quo fonte indicationum calidiſſimis morbis *Pipera* medicantur? Tædioſum mihi eſt tam abſona ulterius refellere. Concedamus tibi, & reliquis Theriacariis, quod toti Europæ ex theatris & abaco millies decantata & promulgata Theriaca non ſolum alexiterium, ſed omnes corporis affectiones quaſi Chironis Myrothecium, ac Panacæa, deturbans amuletum ſit, quemadmodum longâ ſerie inſcripti tituli & encomia id teſtantur; quò ergò errore ac inſaniâ actum eſt, quod, cum Theriaca adverſus venena, venenatoſque morbos omnes, unicè & præcipuè commendetur, nihilominus tamen ejuſmodi ſimplex ingrediens, quod nullâ virtute alexipharmacâ pollet, pro fundamento & baſi veluti molis tantæ, tantæque rei conſtitutum ſit? Cum de congruo & per bonas regulas, ejuſmodi remedia alexiteria iis maximè conſtare debeant, ad quod naturâ & arte juſſa ſunt & ordinata; cum interim *Piper, cujuſcunque generis* ſit, nihil eorum præſtare aptum ſit, ad quod aſſum-

ptum

ptum esse perhibetur; adeò quidem, ut tantum absit, quod venenis contrarietur, malignis resistat morbis; ut etiam contrariis qualitatibus suis invisum sit, & conscientioso Medico suspectum, ut in quotidianos usus sibi deligat. Si quid igitur mea potest sententia ac suffragium, firmis rationibus fulcitum, judico vel hoc ipso, *prædicta tria piperum genera* in superabundanti nimis dosi & pondere Theriacæ adjecta esse, quibus prohibetur, quò minus, in contagiosis morbis calidis, securè liceat uti ipsâ, præsertim eâ dosi, eoque pondere & quantitate, quâ par esset, diris & ferocibus istiusmodi morbis opponere remedia, spe victoriæ, & superioritatis, qua hostem suum debellatura.

Transeo *ad Opium*, quartum ingrediens, de cujus naturâ, crasi, & proprietatibus, uti magna humani ingenii fert lubricitas, in dissentanea abitum est judicia, adeò quidem, ut, si unquam Poëta ad rem cecinit; *Mille hominum sensus, capitum discrimina mille*; illud in nostram huc possit detorqueri sententiam. Nonnulli enim in sicco piscantes, ad mensuram limitati ingenii sui, in puris & materialibus qualitatibus, velut limo, defixi, totam Philosophiam, discursum & demonstrationem suam arbitrio externorum sensuum, gustus & palati, definivêre, dum *Meconium* aut si mavis, *Opium* (in binas diversi sectas) amaritudinem ejus consulentes, sulphureum calidumque dixêre, alii frigidioris genii, & cerebri, considerantes stuporem, difficultatem anhelandi, ac nonnunquam suffocationes, quas, spiritûs densando, invehit; *Opium in summo gradu frigidum* censuêre, ad hoc placitum inducti speciosâ illâ mutuæ actionis & reactionis analogia, quod quasi *noxius Opii spiritus* insito nostro spiritui commissus, duellent, ac impetum faciant, & ex mutuâ illâ spirituum collisione & dispendio frigus tale, parum à morte dissidens, suâ spontè inducatur. Hoc placitum & dogma mordicus sancivit & tuitus est Riolanus, *in sua contra Quercetanum invectiva*, ubi ideo inter Narcotica *Opium* locavit, quod quasi cum Cicutâ symmetriam habere crediderit, ob stuporem, & animalis facultatis omnimodam interceptionem. Docuit, substantiæ infrigidantis esse *Opium*, Pereira, *Method.* 14. quem Doctissimus Hispanorum Petrus Michael de Heredia *in Syntagmate suo, quod Anno* 1665. *edidit, Comment. in Avicennam cap.* 67. *de Quintana*, acerrimè impugnavit: *decipitur, inquit, putans, Opium frigidum esse, & frigore somnum conciliare; quod falsum est. Est enim virtus narcotica à frigore diversissima, quæ virtus unica causa est, ob quam paroxysmos abigit, quia sensum molestiæ expultricis obtundit:* hæc de Heredia. Verum pace tantorum Virorum, sive qui frigoris, seu qui caloris qualitatum *in Opio* partes tutantur, ad secreta & naturæ penetralia, abditasque rerum causas, proximius accedendum. Non enim exoticus hic influendi modus, agendi & deleteriè sæviendi rabies, inermibus, & purè materialiter concurrentibus qualitatibus imputanda venit. Sunt actiones à totâ substantiâ emanantes, à formis resultoriè determinatæ, quibus exindè vel nulla, vel sera, & imbecillis cura & antidotus prostat; quod substantiis contrarium nihil sit, & remedia à tota substantia resistentia, & deleterias causalitates infringentia, aut ignoremus, aut careamus. Hoc principium operativum, formas sequens, à quibus dimanat, seu modum à totâ substantiâ agendi in ænigmate prævidit & hariolatus est noster Galenus variis in locis, uti *lib.* 5. *simpl. cap.* 1. *cap.* 17. *& cap.* 18. *lib.* 6. *de Abrotano, In Epid. Sect.* 6. *Comm.* 5. Et Avenzoar 1. *Theis. cap.* 1. *de Theriacâ*. A Galeno vicinioribus nobis temporibus feliciter hoc expediêre Fracastorius, Cornelius Gemma, Tholosanus, Fernelius, Sennertus, Trophimus, Sorier, & recentissimè Bravo & de Herediâ, Hispanicæ subtilitatis Prototypon, quos consulere L. B. suaserim. Mihi hæc, per transennam dicta, excursionis loco sufficiunt. Illud solum exinde eruo; sive *Opium* calidissimum sive frigidissimum esse, evincas, multa te manent absurda solvenda, dum tibi ab exemplo plura in calore & frigore *Opio* æquipollentia sistemus; strangulare tamen, narcosin inducere, & Morphei Tragædiam ludere non deprehendemus, ut proindè ad ignorantiæ asylum, qualitates nimirum occultas, aut ad formas à tota substantia, & per se, operantes, de quibus ex professo *in Classe XII.*

titulo de Zinexto egimus, (quæ altioris ſcrutinii eſt) neceſſe erit confugere. Et verò hinc illud indiſcriminatum Chaos, & tenebræ plus quam Cimmeriæ in Medicinam invectæ ſunt, quod ea ſaltem, quæ palpavimus, & ſenſibus tractavimus, nudas ac materiales qualitates nimirùm, rudi Minerva, aut ut canis ad Nilum, contemplati ſimus, guſtui ac ſalivæ noſtræ myſteria naturæ revelanda & decernenda credamus; unde mille errores, ſophiſmi & fraudes pullulârunt. Præceſſere Majores noſtri; eos aberrantes nos ad præcipitia comitati ſumus, humilia & inefficacia pharmaca tractantes, ſolas ſenſibiles qualitates aſpectantes: cum tamen & alia poſſimus terere veſtigia, queîs non multi ex venerandâ Antiquitate quoque anteceſsêre, qui non ſemper calida frigidis, humida ſiccis, &c. ſed calida calidis quandoque medicati ſunt, ibi ſcilicet, ubi malignitatem, cauſam à totâ ſubſtantiâ agentem, ſubodorati ſunt, optimè callentes, quod calida calidis reſiſtant, non ut calida ſunt, & reduplicativè ſumpta, ſed ut à tota ſubſtantiâ reagunt. Alexiteria ſunt altioris ordinis, quam puræ effætæ qualitates, & accidentia purè materialia, calor & frigus, &c. Quanquam, ſi ſcholis ſine gloſsâ auſcultemus, contraria eſſent contrariis curanda, contra quod diſertiſſimè (omnibus ad æmulationem) vir rari talenti (niſi defodiſſet) Helmontius, multis acriter diſſeruit; ſed ſpe interim lactatos nos, velut piſces in ſicco dereliquit, multa percontatus, pauca revelavit, forſan mærore abſorptus, quod lagenam (ut ait *tractatu de Poteſtate medicaminum*) ſemel poſſeſſam amiſerit, DEO tamen id adſcribens, qui, ut ait ipſe: novit cur capræ caudam tam brevem dederit, & talenti ſui cohæredes non inſtituerit. Enimverò ad hæreſes iſtas qualitatum & ſaporum, ex quibus rerum naturas, ſubſtantiam & activitates colligere, hactenus aberratum eſt, multorum Botanicorum rudis ſpeculatio & vitioſus palatus induxit. Hi enim Plantam, quam amaram, ponticam, ac linguam ferire, ſensêre, ſuis aſſignatis gradibus & ſtatione, calidam dixêre: Si quam inodoram, ſuccoſam, acidam, uti lactuca, ſempervivum, acetoſa, hanc frigidis accenſebant; in aliis verò, ubi ratio ejus vel deficiebat, vel arguebat, verbis nos paſcebant, terminis ludentes, & quædam, non formaliter, ſed virtualiter vel eminenter calere, frigere, & agere perhibenres, ut: ajunt; *Piper gradus multos caloris eminenter habet, calefacit virtualiter, uſtulat non formaliter.* Hæc illi. Colores porrò, & qualitates etiam aſpectabiles, eis anſam, hariolandi multa, dedêre. Sic nix Camphoræ & albedo frigiditatem eis depingit; cum tamen inflammabilis ſit, inter undas exardeſcat, & veterum Naphtam æmuletur. Hæc, velut Ideas, propoſui, ut elucelcat divini Senis ſtabilis diſſertatio, quando nos non tam calida, frigida, humida, ſicca, quam acida, ſalſa, pontica, amara, ſubſtantias & concreta vult contemplari, in iis enim latent rerum ſemina & formæ, ex his dualitates, ſympathiæ, & contrarietates emanant, nobilque lumen communicant, ut citò tutò ac jucundè, ſpecificis auxiliis morbos profligemus, & deleteriis inſultibus, agentia ex tota ſubſtantia opponamus. Cur autem hactenus præſtitum non ſit, communis error, & primarum qualitatum nudus aſpectus, nos avocavit. *Opium* igitur, ſi penitius contempleris narcoſin ejus, & virus, quo animali facultati inſidiatur; non à qualitatibus primis, quæ calore aut frigore aſpectabiles, & notæ fiunt, non ab amaro etiam ſulphureoque miaſmate, quod exhalat, illud ſortiri deprehendes, ſed à ſeminali virtute, à formâ ſubſtantiam induta, ejuſque influxu, ad quem à Patre luminum juſſa fuit, ut ſic ageret, ut ſic noceret volentibus, juxta illud ſacri textûs: *Germinet terra herbam virentem, facientem ſemen juxta genus & ſpeciem ſuam.* Sed hæc ad Theoriam magis conformantur.

Quæramus nunc in praxi: num *Opium*, inter reliquas ſuas ſpecificas dotes, præditum ſit virtute alexiteria? Si aliorum placita, & ſanctiones, meis præferam, reperio ex Dioſcoride, *nullam* ei *virtutem alexipharmacam* ineſſe, qui pro ſe Diagoram, Eraſiſtratum, Andream Mneſidemum allegat, qui & ipſi pariter ſuffragantur: imò *uſum Opii* in genere vetat, &, exitioſum eſſe, decidit. Sequutus Tabernæmontanus ait: *Opium à Diagorâ repudiatum eſſe, quod apertum venenum ſit*, in ſuam authoritatem Fernelii locum, *lib.6. Method. Med.*

c. 1.

c. 1. trahens, quo ait: *si in corpus assumatur, (opium) enecare hominem, &c. & quoquo modo in usum trahatur, membrorum sensum tollere, extingere calidum innatum ac influens, hominemque dormientem vitâ privare.* Hæc ille ex Fernelio. Quam ob rem, *nunquam exhibendum Opium*, suadet Tabernæmontanus, *nisi in summa necessitate, utporè perpetuis vigiliis, doloribus acutissimis, ac ubi reliqua medicina inefficaces deprehenduntur, & quidem tunc, cum grano, ut ajunt, salis, moderatè, ac cum cautela, in usum esse vocandum.* Cumque veteres Medici, uti Melues, Aëtius, Æginera, Oribasius, imò Galenus ipse, temerè satis, in Compositionibus suis, quasi placenta foret, abusi sint *Opio*, hortatur Posteritatem, *ne audacius eorum Composita & Electuaria ægris ingerant, ea vel maximè, quæ Meconio* (quod cum *Opio* confunditur, illoque deterius est, si quis tamen inter rabidos mitior) *constiterint.*

Matthiolus, *lib.* 4. *Herb. c.* 64. *Cum formidine Opium esse tractandum*, præcipit, *tanquam inimicum vitæ insidiantem.* Interim ejus *usum* vel *nullum*, vel *cum summâ vigilantiâ, ac minima dosi*, suadet, *nisi desperata id urgeat necessitas; tum demum adhiberi posse: sed tamen singulari iterum cum prudentia & salis grano; aliud videlicet pharmacum Opio addendum, vel ipsummet corrigendum; cæteroquin istud calorem naturalem enecare, sensum omnem tollere, & hominem interimere dormientem.*

Ruellius, *de Natura Stirpium. lib.* 3. *c.* 105. *Audivimus*, inquit, *quosdam, cùm valetudo impatibilis odium vitæ fecisset, hoc papaveris scilicet succo sibi mortem consciviße.*

Rhodius, vir ævi nostri rari talenti, *in Analectis super Ludovici Septalii cautiones Med. in lib.* 3. *Opium non præbendum, nisi vires constent*, è Guainer. Tr. 14. c. 8. notavit. Idem Rhodius, *extremè periculosum esse*, in Zacut. Hist. Med. lib. 1. testimonium reperit.

Renodæus, *de Materiâ Medicâ, lib. sect. X. Opium mixtæ caliditati* annumerat, *sed hanc leviorem & fugacem frigiditatem è contra validiorem & contumaciorem*, judicat. Observavit pariter, *si indiscriminatim exhibeatur, tremorem & paralysin non tantum inducere, sed prorsus ad perpetuum somnum, ac vitæ interitum, deducere.*

Schröderus, *in Pharmacopœiâ suâ, lib.* 4. *Class.* 2. *p.* 394. *Malignitatem quoque Opio* attribuit, *præterquam enim, quòd urinam supprimat, alvum claudat; inducit livorem artuum, frigidos sudores elicit, respirationes parvas, ac ipsam mentis alienationem, accersit;* quod ipso Scribonii testimonio comprobare videtur. Observavit Idem, quod de qualitatibus Opii, calidumnè, an verò frigidum sit, lis sub judice sit, & ab Authoribus controvertatur. *Nil enim incommodi metuendum* censet *ex Opio, cujuscunque facultatis sit, in Theriaca, cum in pauca copia usurpetur. Calidum tamen potius, quàm frigidum, esse*, philosophatur, *vim autem ejus narcoticam*, ait, *non à frigiditate, sed ab occultâ qualitate resultare; hac persuasus ratione, quòd similem narcosim observare liceat, in nonnullis peste correptis, febribusque malignis & ardentibus.*

Quercetanus, *Pharmacop. Phytol. cap. XI. adeò sulphureum* statuit *Opium, ut à sulphure, suo facilè flammam concipiat ipsum, & ardeat, odoremque narcoticum retineat, etiam post ignis examen integrum. Hinc fieri non posse, nisi interveniente alia præparatione*, (meliore videlicet, quàm vulgaris illa sit, quâ suam vult intellectam) *quin cerebro mirum in modum infensum sit, & perniciosa lathiferaque inducat symptomata; qualia ipsi rectè tribuit* Scribonius, *de Compositione Medic. cap.* 48. juxta cujus sententiam *Opium gravedinem, gelationem, & livorem artuum, frigidosque sudores manare facit, spirationem præpedit, mentem sopit, sensusque abalienat: sed corrigi illud, si sulphur ejus abominabile arte penitus secernatur; quo facto utilissimum evadere medicamentum. Cap. eodem XI.* amplius censet, *idem (Opium) ante sui usum, in quintam essentiam redigendum, atque ita eò redactum, longè aliam, eamque meliorem præparationem quàm in Theriaca, obtinere; solum enim Opium in causa esse, quoniam crudum incorrectumque, & sine ulla præparatione, Theriacæ misceatur, quod hæc ad fermentationem sui aliquot menses, imò annos, requirat, priusquam evadat tuta. Nam*

ipſum prius fermentare debere, coqui & depurari, & noxio ſuo ſulphure ſpoliari; ad quod negotium XII. menſes requirantur utplurimum: deplorandum inſuper errorem eſſe (pergit Quercetanus) *quod trium unciarum doſi tantum venenum* (putà Opium) *addatur,* (ſcilicet Theriacæ) *quod tamen paucorum granorum pondere, vitæ ſpiritum ſuffocet, & perpetuum ſomnum inducat.*

Bauhinus, *part. 2. Hiſt. Plant. lib.* 30. *pag.* 395. negat, *Quercetani deſcriptam novam Opii correctionem, antiquâ veriorem eſſe, & primò venenatam qualitatem malignitatemque ineſſe Opio*, affirmat, *quæ per digeſtiones nequaquam minuatur, aut ſuperetur, nec acceſſione aliorum medicamentorum tollatur, ſed tantùm corrigatur:* deinde cenſet in ſpecie: *per Hyacinthos, Corallia, Terram Sigillatam, Pul. Benz. & Vnicornu, nihil minui Officinarum Opii malignam iſtam qualitatem.*

Ex his adductis Authoribus collegeris, L.B. quàm ſit concors tot Scriptorum philoſophandi ratio, in deſignandâ *Opii* naturâ, qualitatibus, & virulenta indole, ut vix ullum reperias, qui inter illos ſæpè dicto *Opio* virtutem alexiteriam, ac benignum in nos influxum, accenſeat; quin potius omnibus viribus repudient, ab ejus conſuetudine & uſu dehortentur; peſtilens, narcoticum, & inviſum ægris, claris terminis pronuncient. Quorum Anteſignanus fuit *Schröderus* noſter, qui ipſe contagioſis & deleteriis morbis, febribuſque pernicioſis, tale, aut homogeneum, virus, naturâ ſuâ ineſſe, palàm confitetur, neque tamen à Theriaca illud arcere audet, eò, quòd in parva doſi eam conſtituat. Sed hallucinatur optimus *Schröderus*, cùm jam dictum *Opium* ſit inter prima Theriaces conſtitutiva, ad uncias tres eidem decretum; quæ quidem quantitas haud exigua eſt, præſertim, ſi crudum, atque incorrectum, mihi quidem, ac D. D. Quercetano ſatis ſuſpectum, noxium, & in jam dictis malignis affectibus planè exitioſum. Nam venena pleraque ſic à naturâ comparata ſunt, ut, ſimul ac in corporum noſtrorum penetralia admittuntur, & caloris noſtri beneficio actuantur, à vinculis, quibus hactenus compedita videbantur, expedita, virus ſuum aperto Marte in nos derivent aut jaculentur, vitale robur adoriantur, ſenſûs hebetent, ſpiritûs omnium facultatum diſſipent, calorem inſitum ſupprimant, &, expugnato Corde, vitæ habitaculo, certam nobis mortem, pro veneni qualitate & pondere, ſine induciis, quandoque accelerent. Pernicioſi etiam morbi ac peſtilentes, conſimilem nobiſcum ludunt Tragœdiam ac Cataſtrophen: Cor primariò expugnare attentant, debilitant, anguſtias accerſunt, exæſtuantes facultatum ſpiritûs rotant & circumagunt, ſenſûs ligant & ſopiunt, ſpirituales virtutes dementant, præviam phantaſiam & ſenſationes perturbant; totam denique noſtram corporis œconomiam peſſundant, viruſque ſuum virulento fomite dilatant, ac totam ſanguineam maſſam malignis ichoribus fermentant intimius penetrantia, donec penitus de vita conclamatum ſit, niſi præmaturiùs ſuccurreris. His igitur peſtibus, & generis humani ſicariis, ut maturo conſilio obviam eatur, nihil cunctando & hærendo, remedia certè paria, illiſque proportionata, deſiderantur, talia nimirum, quæ alexiteria ſint, quæ à tota ſubſtantia agant, nobis rivalia, cordi dicata, vivifico noſtro humido & ſubſtantiæ amica, virus diſſipantia, cor denique validiſſimè propugnantia; quod plerunque diaphoreſi abſolvunt, ſanguinem rarefaciendo, mundando, & reſtituendo. Nunc in *Opio* noſtro hæc omnia ad amuſſim delineata ſunt, velut potius contrariâ qualitate & craſi nobis inviſum ſit, inteſtinus hoſtis, præclarus, ut ajunt, *cuſtos ovium, lupus.* Quis enim non videt, ſive de foris in uſum veniat *Opium*, ſive intra corpus admittatur maleſanus hoſpes, in contagioſis & virulentis affectibus, quòd eadem ſemper bellua in nos ſæviat; utut corrigas, redit ad genium & indolem, vitalia lædit, quatenus ſenſûs noſtros ligat, torporem inducit, cerebrum narcotico miaſmate ac Mephyti exhalante opplet, ſpiritûs influos ac refluos præpedit, quorum functiones intercipit, omnia denique pervertit & turbat, etiam in parva doſi, trium aut quatuor granorum, adminiſtratum. Prætereà nullas habet à natura qualitates venenis reſiſtendi, cor tuendi, virus propellendi, hominem à tam ſævo hoſte vindicandi.

di. Accedit his, quod in morbis malignis, febribus Hungaricis, *Opii & Opiatorum* medela, vel in parva dosi lethalis sit; cujus rei testis & arbiter, qui talia vidi spectacula, sæpè fui. Quare ab horum usu sibi temperent Medentes in iis, qui similibus morbis tentantur, author sum, ne sibi maculam inurant, ægris verò certam necem ac perniciem accersant; cùm benigniora remedia prostent, quæ somnum in his morbis fugatum reducant, aut, si tuti esse volunt, sua sponte revertentem longanimiter præstolentur.

Ne tamen arbitrêre, me velle omnem *Opiatorum* usum abrogare, ac eo interdicere, quod tantum abest, ut potius eximias dotes ac prærogativas eis accenseam, & ob illud ipsum *Opium* Theriacæ attribuam, diversis in affectibus, multas dotes, utpotè in doloribus non malignantibus, & ubi suspicio deest affectus suporiferi; in coërcendis fluxibus, sive spontaneis aut symptomaticis, sive hypercatharsi & superpurgatione excitatis; id est, in fluxu Synthetico, Dysenteriâ, Lienteriâ, nimio & prolixo fluxu Muliebri, Hæmorrhagiâ Uteri, &c. in quibus, atque similibus casibus *Opium*, ac Theriaca, magno successu porriguntur, adeò, ut *Opium* habeat Typum Romphææ, aut ensis bifidi, quem si incauta, furiosa, aut delirantis manus tractaverit, jugulum petit, herumque confodit: viceversa; qui dextrè eum versare noverit, huic amicum subsidium, certa defensio, ac patrocinium futurus. Sic *Opium* improvidè propinatum vitæ & necis solet esse libamen. Sed replicabunt alii, in mixtis, & adunitis pluribus ingredientibus, & compositis, non remanere crasim, & dotes, miscibilium rerum, sed resultare tertiam quandam formam, quam, cum Philosopho, *formam mixti* appellant, quæ beneficio fermentationis ex omnibus partibus emergat ac producatur, & differat à quovis ingrediente seorsim sumpto. Unde Theriacæ recenter dispensatæ vires anodynas & soporiferas adscribunt; antiquam verò ab his immunem esse, contra omnem & manifestam experientiam asserunt. Sed reverà nihil hic mysterii latet, aut efficaciæ in proposito argumento, cui irrefragabilis veritas, & experientia contrariatur; cùm indies nos experiamur, quòd Theriaca vetus, annorum etiam decem, vel ultra, æquè vires anodynas aut somniferas habeat, ac recentissima; & viceversa. Quod si tamen, labentibus annis, Theriaca exolescat, non solæ virtutes aut vires *Opii* labascunt, sed totum Compositum, & Theriaca, juxta omnes qualitates, fatiscit & enervatur; prout omnibus Compositis accidit, quorum vis & energia vetustate temporum atteritur: è quorum censu sunt omnia Electuaria, sicut & Theriaca, quæ præ reliquis Compositis nullam habet, ab interitu, prærogativam. Ut proindè non satis mirari quandoque licuerit, quo fascino & philtro alienati nonnulli fuerint, quòd, cùm, de more & lege Collegii Medici, in consuetis Officinarum nostrarum Inventariis, aut Visitationibus, semper cura habeatur, ut talia extent Composita, quæ ex recentibus nuper confecta, vetustis, tanquam inefficacibus, repudiatis; solam tamen, & unam Theriacam, à vetustate & annis commendant. Neque enim mihi persuadeo, quòd longævitas illa, & incorruptio Theriacæ, à fermentatione peractâ dimanet; cùm hoc jure reliqua etiam Electuaria, quæ Melle, disparatis Succis, Liquoribus, Pulvisculis constant, à corruptela servari & eximi deberent; refragante tamen experientiâ. Neque ab *Opio* hoc illi accedit (prout Quercetanus somniavit,) sed potius à Succis concretis, ac acidis, Gummatibus, Chalcitide, & Terrâ Lemniâ, vino dissolutis oritur. Quippè dicta sibi invicem permixta, sola, haud leve fermentum conceptura essent, quantò magis Melli juncta; quibus nimirum dissolutis Gummatibus, Terrâ Lemniâ, uti & Croco, Succisque concretis, Vino dilutis, Mel liquidius, quàm par est, in præparatione Theriacæ efficitur; ex quo potissimum illa fermentatio excitatur; quandoquidem etiam Mel simplex, affusione tantùm aquæ simplicis, à consistentia sua crassâ & naturali nonnihil declinans, protinus fermentari solet; quantò evidentiùs è tot diversissimis concretis Succis, Gummatibus, Vino etiam dissolutis, aliisque Pulveribus, acribus nec non superingestis, utpotè Chalcitide, fermen-

tabitur: quod si verò accidat, ut Mel nimium fermentetur, illud revera è dulci liquore degenerat in acerrimum & corrosivum stagma, aceto ferè symbolum, & homogeneum. Quocirca incumbit omnibus illis, qui Electuaria, Antidotos, Theriacam, & Opiata dispensant ut Mel crassioris formæ & consistentiæ adoptent, neque largiùs humores, ac liquida, rebus dictis solvendis affundant & diluant; prout in præparatione Theriacæ perperam sæpius fieri assolet; ne fermentatio illa ultra modum excitetur, quâ revera toti Composito nihil virium accedit, modò non quandoque minuatur; uti ex dictis superioribus rationibus patet. Nec ullo pacto habet illa fermentatio, ex natura rei, ut compositum efficacius reddat, quàm ipsæ partes constitutivæ sunt, desumpta paritate & exemplo ab ipsomet *Opio.* Nam si exacta computatio totius Compositi instituatur, quantum de uno aut altero ingrediente dimidiæ unciæ Theriacæ insit, reperietur, quòd dimidiam unciam *tria, vel quatuor, grana Opii* (modo debitum & proportionatum pondus Mellis, quod, respectu aliarum specierum constituentium omnium, triplum esse debet, non verò quadruplum fraudulenter adjiciatur) ingrediantur. Sed quam manifestè, præ reliquis omnibus ingredientibus, vis anodyna in unâ drachmâ Theriacæ, ad sedandos colicos dolores, sistendos alvi fluxus, &c. insit, propatulum est, ac omnibus tritum; ut proindè in ejusmodi affectibus idem sit Theriacæ drachma una vel altera, ac aliquot *Opii*, seu *Laudani* cujusdam, grana exhibita; non obstante, quòd *Opium*, licet cum reliquis in Theriacâ mixtis plurimis, fermentationem sustinuerit, viribus nihilominus constans, pristinum agendi modum & efficaciam non amisit. Quod ipsum meâ & propriâ experientiâ consignare volo, qui sæpius Theriacam in largiori quantitate ipsemet sumpsi, semper expertus, quòd *Opium* idem in Theriacâ conficeret, quod per se *Laudana opiata* deglutita præstitura essent: ipsoque sensu expertus sum, quòd placidissimam mihi quietem ambo, tùm Theriaca, tùm Laudana, causaverint, sine somno profundo tamen, (quem quidem effectum in me omnia & *Opiata* & *Laudana* semper præstant) animo sibi relicto satis tranquillo, ac tantùm non omnibus curis soluto, sed tamen semivigilante me, somniisque dulcissimis, ast brevissimis, variatim refecto. At inter hæc non solùm vim anodynam *Opii* in Theriaca observavi, sed sensi pariter, ab assumpta dicta Theriaca, iterato, hypochondriorum murmura, recurrentia tædia, sine dolore tamen, aliquali nihilominus sensu, & ad vomitum proclivitate, irrito licet conatu: quæ omnia ac singula purgantibus annexis Theriacæ, è quorum censu *Rheubarbarum, & Agaricus, mitiora; Chalcitis virulenta, immitis, & effera,* sunt tribuenda: quæ quidem suum motum & effectum conficerent, si reliquis ingredientibus numero & pondere æquipollerent; *Opioque* dosi paria vires catharticas, & emesin (chalcitis) exererent: quod cùm non sit, ventriculum, & alvum, quam solvere nequeunt, turbant & confundunt. Hæc autem, quæ in præsenti commemoro, non solùm in Theriacâ novâ ac recenti, sed veteri etiam, per decem annos, & ultra, edidici. Ex quibus, velut per transennam & nebulam, perspicere licet, primò: Galenum Theorematis sui immemorem esse, *lib. de Theriaca ad Pisonem,* ubi inter reliquas Theriacæ dotes conspicuas, & hanc annumerat, quòd purgationem & alvum sistat, sumpta post catharticum, ob vim, quam habet, alexiteriam, & omnibus venenis superiorem; interim tamen *Rheubarbarum, Agaricum, & violenta natura, Chalcitidem* accersit, quæ corporis nostri œconomiam susque deque, vi purgante & emetica, everterent, nisi in minori paulò dosi adjicerentur, parum illam refrenante virtute alexipharmacâ, quæ in Theriacâ delitescit; ut citra omne propositum, & artem proindè Cathartica & Emetica Theriacæ sint adscripta. Secundò: non inesse Theriacæ omnium & singularum partium veram fermentationem, probatur, sed aliquarum solùm, & præcipuè Mellis, affuso nimio liquore dissolvendis reliquis ingredientibus, cùm paucus desideretur; quæ deinde supereminens humiditas primaria causa esse solet fermentationis in Melle, concurrentibus nonnullis aliis succis acidis. Proindè licet Mel fermentet, cum pauculis aliis, non tamen fermentatio illa habenda est pro genuina & generica ac totius

tius Compositi transmutatione; cùm multa contineantur ad fermentandum positivè inepta, & vel maximè *Opium*, quod etiam spatio decem annorum viribus suis constat, nihil roboris aut energiæ deperdens, nullius qualitatis factâ alteratione: ex quo proindè nulla in Theriacâ Metamorphosis & nova genesis spectari potest; cùm magis & minùs non suscipiat, confusum semper durando Chaos. Tertiò: ad præpediendam fermentationem Mellis, ne dulcedinis ac virium dispendium subeat inter fermentandum, deligatur Mel crassius pro confectione Theriaces, & reliqua ingredientia, quæ vino dissolvenda & diluenda sunt, pauco liquore diluantur: ubi enim paucus liquor affluit, ibi fermentationes tardantur. Quartò: cum in Theriacâ non sit genuina fermentatio, qualis ex Farinâ & Aquâ resultat, cujus massæ minima portio per totum corpus tota diffluit, adeò, ut, nisi illico pistrinam & furnos subiret, tota Massa panis homogeneum fieret fermentum. Nam actio fermenti est corruptio prioris Compositi, & generatio novi, viribus & accidentibus utplurimum à priori distinctis. Quæ enim fermentantur, fiunt spirituosa, intumescunt, & pro natura fermenti alterantur: &, prout Doctissimus Riplæus ait: *vera fermentatio est anima cum corpore* (materiam cum forma subaudiens) *incorporatio, restaurans innaturalem odorem, saporem, & calorem, per naturalem inspissationem rerum separatarum, debitâ redintegratione; unde corpus à spiritu accipit impressionem, ut unumquodque possit juvare alterum, ad conciliandam perfectionem.* Talis autem digestio & fermentatio in Theriaca non extat, annos etiam decem asservatâ; cùm eosdem effectus post decem annos producat, quos primo confectionis die: quod vel maximè *Opium* ex Theriacâ sensibiliter præstat. Et, licet fermentum verum non mutet substantiæ massam, mutat tamen qualitates, dum massam in tumorem attollit, spiritibus quasi per resolutivam quandam digestionem turgentibus & excitatis, dum acescunt humores, spiritus resolvuntur, & novum ens qualitativum resultat; quod in Theriaca non experimur. § Hæc operâ tumultuariâ attigimus de *Fermentatione*, de qua innumera, rara, curiosa, & inaccessa aliis Authoribus, afferre possemus; de natura & specie scilicet *Fermentorum*, quâ ratione transmutationibus præsint, digestiones, gustus, sympathias, & antipathias rerum gubernent, quâ ratione instar seminii feracissimi in infinitum quasi participabilia sint, & augeantur, semper ex determinatione sui plurima secundum speciem producendo, ut sint quasi totum in toto, insimul etiam undique diffluа, & totum in partibus singulis: quæ tamen hîc tractare, locorum & temporis angustia prohibet. Ad *Agaricum* proindè transeo.

Post *Opium* igitur, cujus vivam Anatomen analyticâ & resolutoriâ methodo tradidi, prægraves errores & amethodos, quibus nostra Theriaca scatet, pro conscientiæ & obligationis vinculo detegens, sequitur *Agaricus*, de cujus temperie, naturâ, & indole, tum Veteres, tum Recentiores dissident. Dioscorid. *lib.* 3. *c.* 1. *adstringendi, calefaciendique naturam habere, alvum solvere, & venenis repugnare*, perhibuit. *Mesua*, sub titulo *medicinarum laboriosè solventium, in quibus sit venenositas, ponit hunc fungum quoque*; idque *capitulo* 3. in quo istum *ordine primò calidum* statuit, *siccum secundo, duplicique constare substantia, aërea & terrestriori stipticâ, sed tenui, ob prædominium igneæ substantiæ, quibus incidat, attenuet, detergat, obstructa reseret, flatus dissipet, purget alvum, utramque ciendo bilem*, pro confirmatione Galeni assensum adducens. Deinde subjungit, quod *urinam & menstrua provocat, uterum perpurget, lumbricos enecet, &c. multam interim virtutem alexiteriam* Agarico tribuit.

Sylvius, *In Annot. super Mesuæ descriptionem Agarici*, ait: *Istum esse naturâ solutivum, carminativum, & aperitivum omnium oppilationum. Imprimere morbosum characterem visceribus, quæ debilitet, supinum ac vecordem esse in operando, citra virtutis alexipharmacæ testimonium.*

Manardus, hanc, super Agarici descriptionem Mesues, commentans: *ad ferarum morsus, qui infrigidando accidant, valere*, sententiæ Galenicæ sectator, quam & pro se adducit, tradidit.

Ruel-

Ruellius, atque Matthiolus, è Mesuæ, Sylvio, & Manardo, assignant *vim purgantem & renovantem* Agarico: subjungunt tamen, non nisi è Manardo, *resistere venenosis accidentibus, in vino haustum.*

Tabernæmontan. *part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 3. inter *medicamenta phlegmagoga* præcipuè numerat Agaricum; & citat Fallopium, qui, *in Tractatu de medicamentis purgantibus*, Agaricum *lædere intestina*, *segniter ac modicè operari*, &, in fine, mutatis è Matthiolo formalibus, sequentia, linguâ vernaculâ, addit: **Das** *Agaricum* **widerstehet auch allen gifftigen Unrath.** Sed *sub titulo,* **von den Lerchenschwaim Pilulen/** è Manardo adjicit: **Das** *Agaricum* **wird auch aufgelegt Pflasterweisz / wider die Bisse und Stiche der gifftigen kalten Thieren.**

Nec Renodæus, *lib.* 3. *de Mater. medica, cap.*8. *Vires alexipharmacas* dat Agarico; licet Dioscoridi, in reliquis omnibus, hoc excepto, sit consentaneus.

Clariss. D. Schröderus *hoc apostema, & scabiem, vetustate putrescentium arborum, nequaquam* commendat, aut *antidotum* credit: *lib.*4. *Pharm. sua, Class.* 3. ubi *purgantibus* primariò annumerat.

Quercet. *Tom.*2. *Pharmacop. Phytol. cap.*29. eundem Agaricum *inter pituitam purgantia* refert, *vim ejus identidem imbecillem* asserit, *& ventriculum offendentem, pag.*319. Hinc *in Compositione Theriaces nullum digniorem locum aptioremque, unà cum chalcitide, ipsi designavit, quàm* qui præ foribus patet, pag. 460. *Pharm. General. sive dogmat.*

Ex his in medium deductis Clarissimorum Virorum sententiis colliget B.L. quòd Dioscorides, & Manardus, soli (qui & ipsi è Galeno mutuati sunt, uti & reliqui omnes) Agarico *vim Alexiteriam*, stylo & verbis frivolis adscripserint, venenis ac morsibus letiferis remedentem; reliqui verò omnes vim *pituitam purgantem*: imò non defuerunt, qui ei *virulenti*, nescio quid, inesse perhiberent & minimè dignum, qui catholicam hanc antidotum, & nobilem Theriacam, constitueret; uti reipsa insanum judico, medicamentis alexipharmacis, cor tuentibus, virulentias profligantibus, ejusmodi nocua purgantia coacervare, quæ totâ substantiâ differunt, imò contrariantur. Enimverò hi, qui *Agaricum* definiunt, esse *alexiterium*, Regula & Canon nobis esse non possunt; cum ratio illos convincat & dissuadeat, & ipsa tutior Magistra Experientia in contrarium hortetur; ut proindè, præter inania verba & sonos, aliquid solidi non reperias. Taceo doctissima commenta recentissimorum Authorum, super *Agaricum*; uti Clarissimi & Acutissimi Hispanorum Scriptoris Nunez, qui usum *Agarici* vituperat, quod *vomitum moveat, & ad partes affectas humores fluidos inclinet, minimè* docens, quod *virus repellat.* Vide, in terminis, Cardanum, qui Agaricum *humanæ naturæ inimicum, ad vomitus sollicitantem, ventriculum subvertentem, molestas cardialgias inducentem*, ait, & reprobat; *cujus substantia*, inquit, *putrida est, malignis fungis & tuberibus consimilis: putrefiunt enim citissimè, & malignè:* hæc eorum genesis. Lege Petrum de Heredia, *in Febre Amphemerina*, & reperies, quales virtutes *Agarico* tribuat, cordiales autem & alexipharmacas neutiquam. Helmontius Agaricum nigrum *præfocandi & strangulandi virus habere*, ait, *eò quod fungosæ indolis, ac in ipso enascens trunco contaminetur; vide sis, nè & albicanti huic fungo paria inscribenda elogia, qui cum Agarico nigro paria habet cunabula & genesin.* Hinc proindè, cum Clariss. & Doctissimo Quercetano, & reliquis magnæ notæ viris, *Agaricum* indignum & reprobandum censeo, qui Theriacæ adnumeretur, cùm, instar remoræ, cætera alexiteria sistat, retardet, infringat, naturæ, & vel maximè ventriculo, inimicâ qualitate hostilis, præposteros effectus procuret. Neque hic subticere possum experientiam, quâ comperi, *Agaricum habere vim exurendi*, ad instar Euphorbii, adeò, ut, si per inspirationem ad nares alliciatur, & pectus occupet, cerebrum inflammet, pectus constringat; quod vel maximè tunc observandum venit, quando ad dispensandos Trochiscos atteritur, & radulâ comminuitur; in quibus circumstantiis, si ab his insultibus liber & immunis esse cupias, caput & nares, ac oculos, linteis obmunias, necesse

est,

est, nisi has molestias experiri velis, & continuâ sternutatione, intercepto anhelitu & respiratione, molestâ denique ophthalmiâ exerceri. Et sanè palam confiteor, quòd nunquam à tot elapsis annis, quibus Medicæ professioni præsum, ullum viderim aut legerim, qui in morbo contagioso & maligno, ad expugnandam deleteriam qualitatem, *Agaricum* in subsidium vocarit, nisi Agyrtas quosdam, & pseudo-practicos; qui impunè & licentiosè in humana corpora sæviunt, in febribus malignis passim & indiscriminatim, nullos observantes morborum gradus & dies, cum certâ patientum pernicie, Cathartica propinant; ut proinde satis mirari animum non subeat, quânam ἐκστάσει abalienati fuerint tot conspicui, artem professi Medici, ut suam contaminantes famam, *Agaricum* Theriacæ assignarint, aut non subtraxerint. Nunc transeo ad *Rheubarbarum.*

Parallela hæc sibi sunt, *Agaricus* & *Rheubarbarum*, in Theriacâ, utraque alvum movent, humores agitant, virtute alexiteriâ destituta, ut proindè, cum viris gravissimis, asseram, *Rheubarbarum* citra rationem Theriacæ superingestum fuisse, cujus activitas & operatio non est à centro ad peripheriam, à corde ad cutem & poros; sed uti omnia cathartica, è quorum utique censu *Rheubarbarum*, contrario operatur motu. Verùm hæc fusius ratione & authoritate confutemus.

Dioscorides, *lib.* 2. *cap.* 3. *Vim summam adstringendi, cum aliquali calore*, ei tribuit, ac solus ferè reperitur, qui *contra venenatorum morsûs auxilio fore*, perhibet. Reliqui enim, & præclaræ notæ, Authores, quos subjungo, de virtute alexipharmaca, frivolè ac falsò attributâ, altum silent. Nam postquam Mesues, *cap.* 5. *de simplic. calidæ & siccæ temperaturæ, in gradu secundo*, esse definiverat, Rhabarbarum, subjungit, *purgare bilem, evacuare pituitam, Icterum, Hydropem, Splenis tumorem, Febres putridas, &c. tollere, præcipuè verò multas dotes medicamento purganti expetitas*, (formalia Mesuæ refero) *complecti, nullas alexipharmacas* in Rha isto Pontico deprehendens.

Matthiolus, *lib.* 3. *Herb.* postquam illud *igneum & terreum potius, quàm aqueum & aëreum, prædicasset, contra dysenteriam & menstrua excedentia prævalere, lumbricos enecare*, decidit, *virtutem* autem *alexiteriam minimè* attribuit.

Tabernæmontanus, *vim expurgandi bilem & pituitam* Rheubarbaro assignat, uti è Fallopio transscripsit, *nihilque à partibus hepati remotioribus vacuare, neque pituitam crassam exturbare.* Referente eodem Tabernæmontano, Fernelius, atque Fallopius, de dosi & quantitate *Rhabarbari* litigant. Nemo est, qui illi *vires alexipharmacas* tribuat, solum *Ruellium* si excipias, qui, postquam supra memoratas *Rheubarbari* vires complexus esset, *contra serpentum venenata jacula, lib.* 3. *cap.* 2. *de Natura Stirpium, valere* meminit; idque se unius aut alterius Authoris exemplo & sensu decidisse, contestatur.

Renodæus, in designandis viribus *alexiteriis Rheubarbari*, protinus obmutescit.

Quercetanus *vim* tantùm *Catharticam* ei attribuit, *non adstringentem*; ad normam Mesuæ, & aliorum: *Pharmacop. suæ cap.* 25.

Schrôderus, *lib.* 4. *cap.* 433. coincidit, & *virtutem cholagogam ac phlegmagogam, nec non adstringentem, in omnibus morbis, agnoscit.*

Bauhinus, *lib.* 23. *Hist. Plant. Nihil virtutis alexit.* apud tot Authores, quos consuluerit, (fuêre autem omnes suprà memorati) reperisse se, pro *Rheubarbaro* meminit.

Ex quibus omnibus ac singulis liquet, neminem Scriptorum (si unicum eximas Dioscoridem) *Rheubarbaro* virtutem alexipharmacam, cardiacam, & roborantem attribuisse, omnes autem & singulos in hoc puncto ac centro concurrisse; quòd choleram purget & pituitam. Quod si enim *Rheubarbarum* efficaciam quandam & potentiam adversus toxica & virulentias haberet, pridem à tot sæculis fama percrebuisset, & cum reliquis alexipharmacis à Medicis in usum venisset. Verùm cùm tam Veteres, quàm Recentiores, ratione & praxi deprehendissent, quòd in malignis & pestiferis affectibus purgantia certâ essent pernicie, hanc ob causam *Rheubarbarum*, cujus vix laxativa & purgans neminem latet, tanquam virus

notorium, in malignis devitarunt: quare & nos *Rheubarbarum* relegemus, substituente DEO, Authore naturæ, saniora & tutissima pharmaca, ad deleterios morbos expugnandos. Quare cum Doctissimo Quercetano, aliisque præcellentis doctrinæ viris, quibus indiscriminata hæc rerum farrago, Theriacæ nimirum, suspecta semper fuit, concludo: *Rheubarbarum* præposterâ methodo & sensu Theriacæ admisceri, & in eâ contineri. Ex his ad *Chalcitidem* descendo.

Chalcitis, quotquot evolvo Authores aut Scriptores, nihil aliud est, quàm *species Vitrioli nativi*, quam *Glebam naturalem* dicunt, quæ, in Insula Cypri, è metallicis cupreis fodinis eruitur, inter medios lapides ac mineras, quasi medulla & butyrum, si consistentiam spectes. Hanc speciem & Glebam argenti fodinæ Pannoniæ largiter proferunt, quanquam magis albicantem, viscosam, mollem, & unguento consimilem: de quâ materia, tanquam universali metallorum semine, nonnulli multum gloriantur, sperant & jactitant; cùm tamen reipsa aliud nihil sit, quàm *naturale Vitriolum* aut *Calchantum*, non parum quidem de Metallis participans: quam & ipse pro materiâ metallorum proximâ teneo, è qua, accedente sulphure metallico, beneficio Solis, & caloris terrestris, metalla tandem progignuntur, juxta speciem & qualitates sulphuris, aut potius seminalis virtutis determinatæ, in ipsis terræ visceribus. Illam jam dictam Glebam, dum, ante viginti circiter annos, & quod superest, legitimam Theriaces Confectionem instituebam in Collegiis Chymicis & Pharmaceuticis, Patavii à me habitis, arbitris ac præsentibus quamplurimis Excellentissimis & Doctissimis Viris, diversarum Nationum, præsertim Excellentissimo Veslingio (cujus piis manibus æternam requiem deprecamur) hanc, inquam, *Glebam* apud Mercatores venalem prostare deprehendi: gustu eam primò exploravi, & reperi eam plenissimam nauseâ, cuperosam, tetrum quid exhalare, & redolere, linguam & fauces in tantum ferire, ut impressam ejus ideam, & olidum virus totis diebus è faucibus redoleas; &, meo calculo, exitiosum est toxicum, adeò, ut corrosivis suis spiritibus, & æruginosâ qualitate, ipsum Mercurium sublimatum adæquet, si non exsuperet, &, si meæ foret electionis & arbitrii, aliquot grana Arsenici, aut Mercurii sublimati, devoranda eligerem, quàm jam *dictæ Chalcitidis*; & tamen, his nihil officientibus, Theriacam nostram efficaciter nobilitat & constituit, (scilicet.) Ego tunc temporis, ne Theriacæ quid detraherem, rem cum Excellentissimis viris maturo consilio conferens, unanimi calculo firmavi, & *Chalcitidi*, non quidem *Vitriolum Romanum ad flavedinem calcinatum*, æquè emeticum, sed *Vitriolum Martis, seu Chalybis, cum Spiritu Vitrioli è Marte paratum*, atque nonnihil ad phlegmatis exhalationem & flavedinem, cineritiumque colorem calinatum, substitui, quippè quod viribus suis benignum ac mite, vires præstat aperiendi, laxandi, viscera nostra corroborandi, omnibus malignis qualitatibus exutum, quibus *Vitriolum vel Romanum, cæruleum Veneris, seu cuprosum*, infame est & detestandum; quæ tamen *Vitriola* nonnulli substituunt in Theriaces præparatione, ad mentem D.D. Augustanorum, parum calcinata: at æquè violenta sunt emetica, humoresque magnâ tyrannide per superiora agitant insimul & inferiora. Nam *Vitrioli albi aut albificati* dosis, etsi, quando statim cerevisia superbibitur, vix vomitum excitet, attamen toties alvum commovet, ut vix credi possit, tantum liquaminis intra hominis unius angustias & corpus latitare, quantum evacuat. Hoc idem cùm pari violentiâ in sano homine operetur, etsi non cadaverosum quid & corruptum, sicut à sumptâ Colocynthyde, Scammonio, & Helleboratis, fæteat; habendum tamen est pro rudimentis massæ sanguineæ, & cruoris, intra meseraicas, vi & qualitate malignâ Vitriolatâ depravatis & mortificatis, quibus subtractis, necesse est, hominem enervari, musculos faciei contrahi aut convelli, lipothymiis & angustiis tentari, pro veneni denique pravâ naturâ & indole excarnificari, tanto virium & vivifici nectaris facto dispendio: ut proindè in Scyllam incidant, qui, excludendo *Chalcitidem veram*, à Theriaces confectione, non verò mitiora, sed jam *dicta Vitriola*, substituendo, volunt vitare Charybdim; cùm tamen alexipharmaca, vel saltem stomachica, undique prostent,

cum

cum emolumento subroganda. Et licet exiguâ planè doli *Chalcitis* Theriacæ immisceatur, uncia semis nimirum toti Composito, cujus (Theriacæ scilicet) drachmæ duæ continebunt saltem tertiam partem unius grani ejusdem Chalcitidis, quod sanè perparum est; nihilominus tamen & reliqua præstantia alexipharmaca, confortantia, & stomachica, in parva quantitate dolin Theriaces nobilitant: ut proindè, factâ proportione ad preciosa & congrua, *Chalcitis*, cum reliquis multis perperàm & leviter adjectis, è quorum censu etiam sunt *Rheubarbarum*, *Agaricus*, *&c.* multum obesse possint, cùm pravam causalitatem & actiones producendo, tum utilium in Theriacâ contentorum laudabiles effectus remorando; quales sunt virtutes alexiteriæ & roborantes. Ut proindè, me judicè, Theriaca nostra præcellentis naturæ & effectus foret, si saltem hæc tria jam dicta (simul etiam diminuto pondere *Opii*, aut penitus eliminato; cùm, si ferat necessitas, in Dysenteriâ, Colicâ, Stomachi languoribus, &c. vel in substantia *Opium colatum* saltem, aut, majori cautelâ, in extracti formam substitui posset,) à Theriaca exularent. Cæterùm, quæ *de Chalcitide* Classici Authores ad nos transcripsêre, perpauca sunt, nec scientiæ ardorem, & veritatis hauriendæ desideria, explere possunt. Videamus tamen, quid opus *Pandectarum, Venetiis* 1524. *impressum*, nobis revelet: *cap. 716.* hæc leguntur: *Chalcitis dicitur Zeg, Zegara, vel Chachira, Græcè Chalcitis, vel Colcothar, vel Zegi Calcadis, Latinè Vitriolum. Seraca Zeg. auct. Galen. Vidi*, inquit, *in mineris tres venas extensas, unam super aliam, per longum spatium. Et vena inferior erat Zeg nigrum, & vocatur Marcasita: & secunda, quæ erat supra eam, est Calcata & Chalcitis: & tertia, quæ erat superior, est Zeg viride, & est Vitriolum, vel Calcantum, & hoc, quod est Zeg nigrum, convertitur & fit Colcotar, Zeg viride, id est Vitriolum; virtus istorum omnium est adustiva, comburens carnem, & faciens escharam duram, & est stiptica.*

Idem Author *Dias.* ait: *Zeg aliud esse Babylonicum, aliud Cyprense; Babylonicum esse magis durum, quod, cùm frangatur, habet interius maculas albas, & virtus ejus sit sicut Chalcitis.* Pergit Idem *Dias. Vitriolum & Chalcantum esse stipticum, constrictivum, adustivum.* Ante hæc verò, *cap.* videlicet 22. ita inquit, ex aliis Authoribus: *Chalcitis est species Vitrioli, tenens medium inter Chalcitin & Vitriolum, de quo Diosc. cap. 1. Chalcitis dicit, quòd sit Gleba naturalis, quæ in Cypri Insula in metallis invenitur, colore subauroso, fragilis, intus habens venas diffusas, ut alumen scissum, in modum stellatum fulgenter, & æqualiter fragilis. Virtus ejus est stiptica, traumatica, sarcotica, &c.* Hucusque verba Authoris hujus pervetusti Pandectarum.

Clariss. Schrôderus *hanc Glebam* alio nomine, vel encomio, vult insignire, nescio unde derivato etymo, *quòd Mysi sit & Sory, Pharmacop. suæ Medico-Chym. lib. 3. cap. 15.* forsan è syntagmate Libavii, de Extractis, & Essentiis cap. 41. transscripsit, unde & revera mutuatus est, ubi Libavius inter *Chalcanthum* & χαλκȣ ἄνθ☉ (quòd flos æris sonat) magnam facit disparitatem; jamque dictum Schrôderi *Mysi, aureo, Sory, rubro colore, cum nauseabunda graveolentia, constare* docet, quale nostrum fuit, quod supra descripsimus: ubi & Melanterium addit, colore cineritio, vel sulphureo, *Vitrioli genera:* quanquam hæc Metallurgis sinamus. Quod si tamen barbara plura & peregrina vocabula, ut famam, ac eruditionis cujusdam gloriolam venêris, desideras: lege *Metallica* Agricolæ: Baccium, *lib. 5. de Thermis*, ubi *de Chalcanto Hispanico*: Cæsalpinum, *de Metallicis* acutè glossantem: Penotum, *in Chymicis:* nec non, *de Vitriolo*, Quercetanum, *in Tetrade:* Crollium, *in Basilica* sua basilicè dissertantem. Fateor, digressus non nihil sum, & Theriacæ limites excessi: verùm hanc *Vitrioli* anatomen ac analysim ideò in me suscepi, ut omnibus palam facerem, dictam *Chalcitidem* nullas vires alexiterias, roborantes aut cardiacas, obtinere, quin contrariâ & deleteriâ indole, & qualitatibus, nos opprimere, & fæderatis cum venenis viribus, vitæ & facultatibus nostris insidiari; dignam proindè, ut è censu reliquorum Theriacæ membrorum ac partium proscribatur; suffragante nobis Libavio, qui *perti-*

nacis & indomitæ naturæ Calcanthum esse, perhibuit. Et si forsan quempiam à Chalcitide mutuata nigredo & atramentum procabatur, quo eleganter Theriaca tingeretur & nigricaret; is sibi persuadeat, Theriacam speciosius ostrum ac fucum sibi vendicare *à Croco*, & *Rosarum purpura*, quæ duo sola in causa sunt, ut, ultimatim infusâ *Chalcitide*, prout mos fert, Theriaca atro pulloque colore squaleat; eò, quòd omne *Vitriolum*, junctum roseo & aureo Croci colori, naturali quodam arcano, in dissymbolo & antipathiâ quadam radicato, nigerrimum colorem efficiat, instar Sepiæ; cùm, viceversâ, *Spiritus Vitrioli* (qui & ipse *Chalcitidis* soboles, & *Chalcanthi* spiritus dici posset, etymologiâ nominis, cùm in virtute symbolizet) Rosas rubeas, & Crocum, melius coloret & intendat (si nimirum, affusâ aquâ, eorum Tinctura extrahatur) non autem jam à primis coloribus & forma tinctas in atrum degenerare faciat, prout *Vitriolum crudum*, *Chalcantum & Chalcitis* assolet. Et sanè rationi magis consonum foret, si, in vicem *Chalcitidis crudæ*, *Spiritus Vitrioli*, in competenti pondere, substitueretur; *Chalcitis* verò *cruda* ignis examini subjiceretur priùs, ut ex illa spiritus eliciatur, cùm cruda nobis exitiosa sit, nec unquam digna, quæ ad Confectionem Theriacæ adhibeatur. Et hæc de *Chalcitide*.

Nunc rerum ordo ac series postularet, & reliqua Theriacam constituentia examinare, ac disquirere, num conformiter rationi & naturæ, toti orbi spectabilem Antidotum, & Panacæam, Theriacam integrent & constituant; cùm luce meridianâ clarius sit, multa adhuc latere ingredientia, quæ nec umbram aut vestigium alexiteriæ cujusdam indolis ac naturæ præ se ferunt; ad quod tamen essentialiter & ex naturâ rei jussa & instituta sunt, interim, veluti inutiles sarcinæ, pondus Theriacæ augent, precium & vires adulterant, & numerum multiplicant; ac, si graphicè rem describere & definire velis, aliud non agunt, nisi quòd influxum & modum operandi turbent, virtutes ejus incidant, & humores exagitent. Verùm, cùm horum excessivus sit numerus, & assumptum nostrum, de Theriaca, argumentum in Codices ac Volumina excurreret, si ad singula descendere animus foret; ut contrà brevitati consulamus, uno hoc Laconismo, & brevi Theoremate, singula edocebo; prudenti nimirum judicio Philiatri illa concredens, qui æquo judicio & lance, nulli Magistro se mancipans, vel assentando conjungens, & facili & perspicuâ methodo reliqua discernet, ac, quàm præposterè ac sinistrè, in artis & Medicinæ ludibrium, ægrorum fraudem, Medentium risum ac contemptum, tam dissona in unam corrasa sint Theriacam, videbit; ex qua non nisi aphoniam & discordantias præstolari possis: & vel maximè id præstabit, cùm jam, perruptâ glacie, parum laboris restet, ut scilicet ex legitimis præmissis, facilè & naturâ sua influentem sequelam inferat, & ab universalibus ad particularia deflectat. Ego interim, pro tempore, suffragium & calculum meum, de his censurandis, suspenderim; cùm neque de Classe & Ordine virulentorum sint, neque mordacitate suâ, exurendi, inflammandi, purgandique vi ægris periculum accersant, aut narcosi suâ, & deleteriâ qualitate, toto ente, ac naturâ, contrarientur: quanquam, si suo se conforment etymo præfixo, singula cardiaca, alexiteria, roborantia, antidotalia denique ut sint, expetatur.

> Felix, simplicibus novit qui tollere morbos;
> Pro quovis morbo est una vel herba satis.
> Cui tamen ex uno multorum noscere vires
> Concessum medicas; Ille beatus homo est.

Loquor de uno, sive numericè, sive effectivè, ut, licet concretum sit, & ex pluribus constet, unum tamen sit, virtute & effectu, debitum in natura concentum, harmoniam, & subordinationem constituens. Ut proindè detestandus sit lapsus, & socordia ævi nostri, quo immensa DEI benignitas, & increata sapientia, magis à creaturis suis participari voluerit, de abysso reconditæ scientiæ suæ, thesauros amplissimos dispensans, arcana naturæ reserando, secretissima nobis remedia, viribus integerrima, effectu admiranda, revelavit; his tamen non appretiatis, vel non intellectis, dona DEI & secreta negligens, adinventionibus

tionibus suis delectatur, & cùm tam salubria, rara, & securissima prostent remedia, in unâ tamen defigitur Theriacâ, quæ ex tot difficis sibi repugnantibus, acribus, mordacibus, deleteriis, narcoticis, purgantibus, emeticis, stipticis, cordialibus, virulentis, spleneticis, hepaticis, stomachicis, nauseosis, & apepticis, velut antipharmacum, & universale secretum, ex omnibus conflatum, ex toto autem nihil possidet. Habeant sibi Panacæam hanc, qui universalibus similibus delectantur medicamentis, quæ an dentur in Chymia, & de quibus multi hyperbolicè gloriantur, judicium meum differo; & esto problema. Interim tamen non inficias iverò, dari quædam composita medicamenta, uti & ipsam Theriacam, in pluribus affectibus magni usus & energiæ, quod superius notavi: imò in plurimis morbis salubriter expeti, utpotè in doloribus Colicis, à frigidis causis exortis, Dysenteriis, Lienteriis, Alvi fluxibus immoderatis à medicamento acri violento, in Uteri Hæmorrhagiis, &c. idque ratione *Opii* liberaliter adjecti, & paucorum reliquorum ex roborantibus & stomachicis. Sic pariter medicamenta Stomachica, Cephalica, aut Hepatica, &c. plurimis aliis morbis ex accidenti possunt mederi, quatenus scilicet à ventriculo debili, cerebro humido, hepate obstructo, & imbecilli, &c. tanquam à scaturigine, & primâ venâ, suam derivant originem; unde quoque alia morborum genera fluunt, quorum ablatâ causâ tollitur effectus. Et sanè apud quosdam res miraculo ac mysterio plena videtur, unum idemque catharticum morbos re & specie differentes extirpare; quando scilicet morbus, qui primâ fronte tot diversorum symptomatum recursu ac syndrome varius esse creditur, tamen in esse sui, ac conservari, à materiâ occasionali, intra ventriculi sphæram, intestinorum & mesaraicarum angustias quò facilè vis purgatrix penetrare poteit, dependet ac stabulatur; quæ deindè commota à natura, & ipsa purgantis stimulo excita, cum reliquis impertinentibus, & saburra peccante, ejicitur, ut quasi miraculo morbus recessisse putetur: quod & in *Opio* dextrè ac fideliter parato quotidie experimur. Hoc solum impugno, & hactenus expugnavi, absurdum nimirum esse, & viro sapientiam professo indignum, ex tot sibi oppositis & nocuis partibus homogeneam dispensare antidotum, omnibus morbis salutarem. Etenim, si paulò largiori dosi *Agaricus*, *Rheubarbarum* & *Chalcitis* huic Theriaces compositioni adjecta fuissent, æquali videlicet reliquorum præcipuorum ingredientium, *Opii* putà, pondere, totum certè compositum magis nocuum reddidissent, & ad supradictos morbosos affectûs planè etiam inutile; cùm, quàm parvâ etiam dosi Theriacæ illa adjiciantur, virtutum tamen suarum operationes manifestè gliscere sinant, ut, Theriacâ paulò largiori dosi sumptâ, eorum vis purgatrix & malignitas manifestè deprehendatur, &, nisi *Opium* obstaret, magis perspicuè operationes & tyrannidem suam exercerent. Ut proindè Theriaca multò efficacior & expetibilis foret, si saltem supradicta tria deessent, & plurima alia sapienter addita non præpedirent. Nam si labori parcere nolis, & calculum subducere, quantum de uno quoque ingrediente salubri & congruo dosin unam Theriacæ constituat, pro impugnando determinato affectu quodam; liquidò tibi patebit, quantoperè in se mutuò reagant, determinatas operationes & fines impediant, retardent, & effectum debitum frustrentur; &, si de his etiam queri nolimus, experimur tamen: in usu hujus Antidoti arctis limitibus nos circumscribi, ut pro affectu, & urgentis necessitatis circumstantiis, talem dosi debitâ ordinare, piaculo sit, ob multorum, quæ perperàm congesta sunt, repugnantiam, & violentam operationem. Rem exemplo illustremus. Expetatur dosis una Theriacæ ad dysenteriam, vel pro hypercatharsi præpedienda, diarrhæam, aut immoderatas vomitiones, &c. ad quas lege Methodi Theriaca multum expetibilis: exhibeantur pro dosi drachmæ binæ Theriacæ; guadebit itaque ista dosis, videlicet duæ illæ drachmæ, de stomachalibus, balsamicis, &, ad fluxûs hos sistendos, præcipuis rebus, uti in specie sequuntur: nimirum, de *Piperis speciebus omnibus*, *granis tribus*: *de Opio granis duobus*: *de Rosis siccis rubris*, *grano uno*: *de Opobalsamo verò*, *seu ejus succedaneo*, *Oleo Nucum Moschat. expresso*, *grano uno*: *de Cinamo-*

 mo,

mo, grano uno: Myrrhâ, Costo, Croco, Terebinthinâ, Zingibere, ana grano dimidio: Styrace calam. Calamo aromatico, Aniso, Fœniculo, Cardamomo, Terra Lemnia, succo Hypocyst. succo Acaciæ, Castoreo, ana tertia parte unius grani; Macere, Caryophyllis, ana sexta parte unius grani: & sic fortè de nonnullis aliis. Reliqua verò omnia Theriacæ ingredientia, quoad prædictos affectûs sanandos, gratis adjecta sunt, pretium & dosin saltem adaugendo, (unicum *Mel* si excipias:) *Opium* verò solummodò in causa est, quò minùs dosis Theriaces intendi possit, aut ultra drachmas duas excedi. Itaque si fas esset, demere illa, quæ superflua sunt, & è Theriacâ proscribere, viceversâ eorum numerum multiplicare, quæ conducunt, & specifica habentur, solo excepto *Opio* (quod unicum sufficit, utpotè quod intensè agit, & vires narcoticas sufficientes imprimit) & *de rosis siccis, Opobalsamo vero, Cinamomo, ana circiter grana sex, vel scrupulum semis: Myrrhâ, Costo, Croco, Thure, Styrace calam. Terrâ Lemnia, Succo Hypoc. & Acaciæ, ana grana aliquot* etiam adjicere, supplendo locum inutilium, nimirum *Trochiscorum de Scilla, & Hedychroi, Rhabarbari, Agarici Chalcitidis, rad. Ireos, Gummi Arabici, & plurimorum aliorum;* proh! quàm salutaris medicina exindè emergeret? Electuarium nempè in recensitis affectibus efficacissimum, ipsam hanc communem Theriacam multis parasangis antecellens & exsuperans. Ulteriùs exigatur dosis una Theriacæ adversus venena, morbos venenatos, contagiosos, pestem, febres malignas, purpuratas, Hungaricas, &c. quibus Theriaca destinata antidotus & sacra anchora, sed falsò, perhibetur; & statuamus etiam binas drachmas pro unâ dosi, (cùm tamen etiam vix ultra drachmam unam ascendant) nunc disquiramus, quot, & quantum, de ingredientibus alexiteriis, cordialibus, roborantibus, & quæ specifica qualitate, aut à tota substantia deleteriis hisce insultibus obviant, dictis drachmis duabus Theriacæ insint: & sequentia reperies; utpotè *Trochisc. de Viperis grana duo: Sem. Napi agrest. Comarum Scordii, Opobalsami, Cinamomi, ana granum unum: Myrrhæ, Costi, seu Zedoariæ, Croci, fol. Dictamni Cret. ana granum dimidium: Meu, seu Angelicæ, Amomi, aut potius seminis Citri, Terræ Lemniæ, Valerianæ, Gentianæ, Centaurii min. ana tertiam partem unius grani.* Reliqua verò cuncta Theriacam constituentia, paucis exceptis, adversa potius sunt, & repugnantia, in morbis contagiosis; adeoque hujus Compositi inutilia pondera, & sarcina.

Nunc, *Lector Ben.* soli & uni Tibi redditus, ac omnibus æquus, tecum maturiùs perpende, utrum illa superius ad longum recensita ingredientia alexipharmaca, cardiaca, & roborantia, in tam restricta dosi (demus etiam, quòd illa non in sensu diviso, sed composito, & collectivo, prodesse dicas, effugii loco) quid, inquam, ejusmodi in peste, cujus acutissima & subtilissima sunt malignitatis seminaria, & quæ analogiam habet ad spiritûs, & spiritualia, adeoque celerrimè interficit perpaucis horulis, præstabit effectûs? cùm illa non tantùm numero & viribus sint exigua, sed ab aliis plurimis venenatis, narcoticis, purgantibus, contagiosis morbis nimirum planè noxiis ingredientibus, impediantur & retardentur; quod nemo inficias ire poterit. Duplicavi insuper, uti dictum, dosin, computando nimirum duas drachmas, pro una dosi, cum tamen ultra drachmam unam (propter *Opium*) vix audeant ascendere. An non satius foret, si acciperes *Troch. de Viperis legit. tamen paratorum, aut Pulv. Viperarum, scrupulum unum, Comarum Scordii, Opobalsami, Myrrhæ, Zedoariæ, Angelicæ, Sem. Citri excorticati, Terræ Lemniæ, ana grana quinque, Croci, Maceris ana grana duo vel tria,* atque illa omnia in pulverem redacta & vel per se, in forma Pulveris, vel cum *Melle, aut Syrupo Scordii,* in formam Electuarii redacta, peste correptis, vel aliis, morbis malignis prostratis, porrigeres? an non præstantius multò haberes Alexiterium medicamentum, ipsâ Theriacâ? Quid enim *granum unum,* vel *duo,* de *Trochiscis Viperarum, de Scordio, Sem. Napi, Opobalsamo, Cinamomo, ana granum unum, de Myrrha, Zedoariâ, Croco, Thure, ana granum dimidium, de Angelica, Sem. Citri, Terra Lemnia, Valeriana, Gentiana, & Centaurio minore, ana tertia pars unius grani,* atque sic omnium in universum computatorum

tatorum alexipharmacorum, & quidem in duplicata dosi, *grana circiter undecim*, in simplici verò dosi, *grana quinque semis*, in tam exitiosa lue præstare poterunt? quibus insuper frænum injicitur à tot inter se discrepantibus & præposteris ingredientibus? Contemplare præterea, L. B. seposito humano motivo (agitur enim de causa, quam in integrum restituere nequis, de vitæ termino, de momentis sæpè Regum & Regnorum; de quibus tamen jocari ac ludere videntur ii, qui omnem fiduciam in hoc præsidio collocant, quidquid contagii & pestilentis seminii est, illud exterminare credunt, pro aris denique ac focis mordicus defendunt) quænam proportio, concordantia, & rerum, in Theriaca, harmonia, quoad vires nimirum, & efficaciam illorum, in construenda Theriaca observata sit. Etenim *Opii grana duo, vel tria*, tantæ sunt, in demulcendo, sensorio primo, & narcosi inducendâ, efficaciæ, quantæ vix sexaginta grana, vel drachma integra, reliquorum preciosorum alexipharmacorum, Theriacam commendantium; de quorum censu sunt *Trochisci de Viperis*, *Scordium*, *Myrrha*, *Zedoaria*, *Terra Lemnia*, *Angelica*, *Gentiana*, *&c.* quorum unum quodvis drachmâ unâ pro dosi exhiberi posset, in morbis malignis. De *Chalcitidis* prava indole, malignis ac deleteriis qualitatibus, altum subticeo, & acta agere nolo, cujus paucula grana tria, vel quatuor, totam hominis œconomiam, & humorum symmetriam, evertere & deturbare possunt. Et hæc duo signa reliquis præferunt, & malignitate exsuperant reliqua cuncta Theriacam constituentia, præsertim verò *Opium*, profusâ & largâ quantitate compositioni superadditum: quod licet, quoad pondus, reliquis ingredientibus præcipuis, quæ veluti Basin constituunt, æquale sit, virulentiâ tamen suâ, & perniciosâ substantia (sicut & *Chalcitis*) reliqua omnia longissimè præcellit. Unde in Compositionibus dextrè construendis, non tam ad pondus, quàm ad vires, naturam, & crasim simplicium, advertendum, ex quibus tota consonantia, tenor, & harmonia compositi resultat, & viceversâ ab his rerum dualitates, discordiæ, & pravæ dispositiones emergunt. Verùm, cùm hactenus circa hæc, præsertim in hujus Antidoti constructione, quam maximè aberratum sit, necesse tandem est, tam densam caliginem, & fascinum, à nobis removeamus, regiam veræ scientiæ & praxeos viam, ineuntes, ac deinceps non quâ itum, sed quâ eundum, deproperantes. Neque enim venerandam Antiquitatem prostituemus, si, cognitâ ejus imbecillitate, saniora dogmata sectemur, inventis addamus, neglecta redintegremus; cùm & nos hæc maneat sors: sicque futurum, in ipsâ causâ hariolamur effectum. Sic enim pro immensâ Dei stamus potentiâ & attributis, cui proprium est, in immensum semper à creaturis participari, qui semper nova parturit, & meliora substituit. Magnus ille *Cous*, qui, divinioris auræ particulam hausisse, ævo suo credebatur, & solertissimus *Galenus*, individuus naturæ scrutator, cujus abdita, & sæculis suis inaccessa feliciter penetravit, immortalem lauream, etiam post fata superstitem, mercati sunt, quòd primi Medicinæ fundamenta jecerint, multaque præclara inventa medicinæ extruxerint. Sed an non & Nos manserit locus, ad perdifficilem hanc spartam, & remediorum debitam compositionem (in quâ perquirendâ unius hominis ætas non sufficit,) ultrò suscipiendam? Non enim anteacta sæcula omnem exhauserunt sapientiæ fontem, ut nos in sicco collocassent; qui tamen divino afflamur spiritu, Antiquitatis successores, & quidem spiritu illo, qui jam olim ferebatur super aquas, & nos demulcet ac erudit ad fluenta gratiarum. Magna sunt concessa Antiquis, majora sunt reservata nobis Successoribus, & maxima restant penetranda, modò non desimus, oscitantes. Fateor, magno labore & sudore hæc comparantur, & in præruptis & inaccessis montibus habitat donum sapientiæ, quò nemo appropinquat, nisi solertissimus: quod quidem iter à multis annis ingressus, constantique labore & cursu prosecutus sum; donec ea possiderem, quæ Tibi ultrò jam consecravi; non quod gloriari velim, (absit hæc à me iniquitas,) sed ut ad pares & similes ausus te concitarem; cùm plura inventa & Tibi addenda reliquerim, quàm literato orbi patefeci.

Sed hæc sub parenthesis limitibus dicta sunto; restant adhuc paucula, in Theriacâ nostrâ elimi-

eliminanda, & exturbanda, quæ Theriacam plus dedecorant, quàm exornant, obtrusa potius, quàm selecta; & sunt illa reliqua, quæ nunc hoc ordine partimur: utpotè; *Coma Hyperici*, *Gummi Arabicum*, *Galbanum*, *Succus Liquiritiæ*, *Rad. Iridis*, *Marrubium*, *Stœchas Arabica*, *Semen Petroselini*, *Calamintha montana*, *Terebinthina*, *Pentaphyllon*, *Chamæpythis*, *Nardus Indica*, *Schænanthum*, *Nardus Celtica*, *Chamædrys*, *Seseleos semen*, *Succus Acaciæ*, *Hypocystid. Sem. Thlaspios*, *Ammeos*, *Dauci*, *Opopanacum*, *Sagapenum*, *Polium Creticum*, *&c.* Ex his itaque, si fides habenda Classicis Authoribus, & præclarissimis Practicis, horum ac præterlapsorum seculorum, quos diligenter, prædictorum simplicium causâ, consului, nullum ferè est, quod virtute alexipharmacâ, aut cordiali, emineat; sed quædam ex iis *Vulneraria* sunt, quædam *Pectoralia*, alia *Splenetica*, *Hepatica*, *Dysenterica*, *Arthritica*, *Nephritica alia*, alia *Hydragoga*, *&c.* Quæ sigillatim, & per se sumpta, (intellige unum quodlibet solùm ad determinatum aliquem affectum) in competenti tamen dosi, haud parum præstare possunt in denominatis affectibus; at verò, factâ rerum confusione, ut vix granum unum, imò vel tertia, aut sexta pars unius grani, dosin unam Theriacæ constituat, quod specificè ad affectum ex natura sua ordinatum sit, an non exclamandum: Vah muscam in Apuliam dimisimus! aut cum Comicò: Sorex Leonem territat! Cùm sexaginta, & plura, grana horum denominatorum simplicium in substantia, ac quidem iteratò, propinata, ut morbum aliquem determinatum, contra quem ex naturâ suâ aliàs valent, eradicent, vix sufficiant. Quare ut consultius, & rationi conformiùs operemur, similes medicamentorum atomos, & ridiculas doses, penitus è Theriacâ proscribere suadeo, & locum eorum præstantioribus alexiteriis, & Theriacam aliàs constitutivis, (pondus & quantitatem eorum saltem augendo) adimplere; è quibus certum deinde subsidium tam languentes, quàm Medici, in declamatis, & malignis affectibus, tanquam vero alexiterio, præstolari possint: antidotò nimirum ad unitatem & simplicitatem magis redactâ. Sic magnum illum Coum fecisse reperies, pro quo Senatus populusque Coorum vitam profundere volentes, repulsam magno Persarum Regi, Artaxerxi, magnanimes dedêre. Hic, inquam, non tam Æsculapius, quàm Deastrum suis, ob prodigia, quæ in profligandâ peste operabatur, habitus, quàm simplicia huic veneno objecit, quàm non lusit, aut illusit suis compositorum varietatibus? ut, nisi ea magnus Scriptor, Helmontius, *in Tumulo pestis* (quem consule) revelaret, manifestam hyperbolem crederes, tam simplici pharmaco eò Medicum pertigisse.

His omnibus breviter quidem, non tamen sine solido talo, expeditis (ne me ullus falsi, aut ignorantiæ, vel etiam vanæ gloriolæ arguere ac suggillare habeat, quasi ultra captum sapere, & citra prægnantem causam Antiquorum placita inventaque, tanquam Magnificat, nimis rigorosè corrigere præsumpserim,) nunc unicè optarem, ut ipsam Theriaces Confectionem, quemadmodum antiquitùs descripta extat, ingredientibus suis nihil mutatam, sic instituere possem, ut majori imposterum saluti humano generi cederet. Verùm conamini huic obstant ingredientium quorundam malignæ & deleteriæ qualitates, in præmissis sufficienter præmonstratæ, quò minus ex tot dissitis & heterogeneis simplicibus, quæ in unam farraginem denuò coalescere opus esset, præstans remedium ac antidotus dispensari queat. Nolui proindè, Posteritati injurius, Majoribus assentando, abblandiri: feci, quod cordati Philosophi erat, & juxta præmissas sequelam ordinavi: feci, inquam, quod sensati Medici munus exigit, meliora probavi, inutilia relegavi, quò tantò citius & jucundius languentibus succurrerem: feci denique, quod Christiani erat, charitate aliis fulgebam, memetipsum consumens, nihilque intentatum permisi, quo afflictæ mortalitati succurrerem, & ejus languores fulcirem. Prævideo interim jacula, aut procellas, quæ mitius ingruent, quoniam à me vel in causâ prævisæ, quibus aliquando me ferient illi, qui agitato capite, & ad subsannandum composito vultu, nostras mirabuntur, aut ridebunt, lucubrationes, Majoribus & Antiquitati addictissimi (quos sanè & ego reveritus semper hactenus fui) quæcunque novi-

noviter prælum ſubeunt, adverſantes; quibus tamen cordialiter & ipſis hos meos labores & ſubſidia dedico: forſan & illi palinodiam aliquando cantabunt, in lucem acciti. Igitur, ſi quis utilem hanc Theriacam, pro viribus tamen veteres æmulando, conficere velit, is, mutato & aucto pondere ſalubriorum, hanc Antidotum ingredientium, alexiteriorum, prætermittat quædam noxia & deleteria, ut puta: *Chalcitidem, Opium ſpecierum Piperis copiam, Trochiſcos de Scilla, Rheubarbarum, Agaricum, & nonnulla alia*: Eorum vero vices agant præſtantiora & vera alexiteria, ut ſunt: *Trochiſci de Viperis, Zedoaria, Myrrha, Opobalſamum, Crocus, Citri ſemen, Angelica, &c.* aucto, uti dixi, pondere, quantum nempè prædictis inutilibus ſpeciebus detractum ponderis fuit: quod ut per exempla, quæ inſtitutione potiora ſunt, & feliciùs animos nanciſcuntur, demonſtrem, En! tibi Ideam quandam propono:

Theriaca Andromachi Correcta, ſine Opio.

℞. Trochiſc. de Viperis n.m. dextrè paratorum, vel, eorum loco,
Pulv. Viperarum, unc. duodecim:
id eſt,

Ratione prioris ponderis, antiquæ Compoſitionis, uncias tres: loco Troſchiſc. de Scilla, uncias ſex: & loco Piperis longi, uncias tres, tanquam baſin hujus Antidoti.

Roſarum rubearum exſiccat. unciam unam,
Sem. Napi agreſtis uncias tres;
id eſt,

Ratione prior. pond. antiq. Compoſitionis unciam unam ſemis: & loco Agarici, unciam unam ſemis.

Comarum Scordii Cretici, vel Noſtrat. unc. quinque: id eſt,

Ratione prioris ponderis, antiquæ Compoſitionis, unciam unam ſemis; loco Opii, uncias tres; & loco Roſarum rubearum unciam ſemis, quia ponderi Roſarum etiam uncia ſemis detracta eſt.

Opobalſami veri Orientalis,
ſeu, ejus loco,
Ol. Nucum Moſch. expreſſi, unc. tres;
id eſt,

Ratione prior. pond. antiq. Compoſitionis unciam unam ſemis; & loco Succi Glycyrrhizæ, unciam unam ſemis.

Cinamomi acuti unc. unam ſemis,
Myrrhæ translucidæ unc. quatuor,
id eſt.

Ratione prioris pond. antiq. Compoſit. unciam unam; & loco Trochiſcorum Hedychroi, uncias tres.

Coſti odor. ſeu potius Zedoar. unc. tres;
id eſt,

Ratione prior. pond. antiq. Compoſ. drachmas ſex, loco Rad. Iridis unciam unam ſemis; & loco Piperis nigri, drachmas ſex.

Croci Auſtriaci opt. unc. unam ſemis:
id eſt,

Ratione prior. pond. antiq. Compoſ. drachmas ſex; & loco Piperis albi, drach. ſex.

Caſſiæ ligneæ veræ,
Nardi Indicæ,
Schænanthi,
Thuris albi,
Fol. Dictamni Cret.
Stæchad. Arab.
Semin. Petroſel. Maced.
Nepethæ, ſeu Calam. mont.
Terebinth. Chiæ,
Rad. Pentaphylli, ana drach. ſex,

De his decem Ingredientibus, in pondere non mutatis, ſub finem hujus Compoſitionis, ſingularis annexa eſt Nota, quam L. B. conſulat.

Reſinæ Styracis Cal. unc. unam ſemis:
id eſt,

Ratione prioris ponderis, antiquæ Compoſition. unciam ſemis; & loco Marrubii, drachmas ſex.

Meu, ſeu Angelicæ, uncias duas:
id eſt,

Ratione prioris pond. antiq. Compoſit. unciam ſemis: loco Rhabarbari, & Zingiberis, ana drachmas ſex.

Amomi, ſeu potius ſeminis Citri excorticati, unc. duas; id eſt,

Ratione prioris pond. antiq. Compoſ. unciam ſemis; & loco Chalcitidis, Gummi Arabici & Nardi Celticæ, ana unciam ſemis.

Acori, seu Cal. Aromatici, unc. unam:
id est,
Ratione prioris pond. antiq. Comp. unciam semis: & loco Chamæpithyos, unciam semis.
Terræ Lemniæ veræ uncias duas;
id est,
Ratione prior. pond. antiq. Comp. unciam semis: & loco Comarum Hyperici, Succi Hypocist. & Succi Acaciæ, ana unciam semis.
Phu Pontici, seu Valerianæ, unc. unam;
id est.
Ratione prior. pond. antiq. Compos. unciam semis; & loco Chamædr. unciam semis.
Macis, & Caryoph. ana unciam semis;
id est,
Ratione prior. pond. antiq. Compos. unciam semis; & loco Malobatri, & Polii Cretici, ana drachmas duas.
Rad. Gentianæ unc. unam; id est,
Ratione pr. pond. antiq. Compos. unciam semis; & loco semin. Seseleos, unciam semis.
Anisi,
Cubebarum,
Fœniculi,
Cardamomi min.
Thlaspios,
Ammeos,
Sagapeni, ana unc. semis,
Transeant & hæc septem Simplicia, in suo antiquo pondere, majori eorum parte pro aromatisatione, & odoris grati gratiâ, relictâ.
Castorei recent. unc. semis; id est,
Ratione prior. pond. antiq. Compos. drachmas duas; & loco Semin. Dauci, drachmas duas.
Aristoloch. longæ unc. semis:
id est,
Ratione prior. pond. antiq. Compos. drachmas duas; & loco Bituminis Iudaici, drach. duas.
Comarum Centaurii min. drach. sex:
id est,
Ratione prioris pond. antiq. Composit. drachm. duas; & loco Opopanacis, & Galbani, ana drachm. duas.
Mellis purissimi, juxta n. descriptionem, & informat. sine violento calore, à suis rebus heterogeneis separati libras quindecim, seu quatuordecim tantum, & unc. sex.

Paretur *Antidotus*, uti paulò pòst sequetur.

Ne error fortè contingat in dispensanda correcta hac Compositione, propter ingredientium, eorumque ponderum, commutationem & circumscriptionem; itaque, juxta ordinem ponderum, structura hujus Compositionis talis esto:

℞. Troch. de Viperis ritè parat. juxta n. descriptionem: vel
Pulv. Viperarum, unc. duodecim,
Comarum Scordii nostr. unc. quinque,
Myrrhæ translucidæ unc. quatuor,
Sem. Napi agrestis,
Opobalsami veri,
Costi odorati, seu Zedoar. ana unc. tres,
Meu, seu Angelicæ,
Amomi, seu sem. Citri excort.
Terræ Lemniæ, ana unc. duas,
Cinamomi acuti,
Croci Austriaci,
Resinæ Styracis Calam. ana unc. unam semis,
Rosarum rubearum,
Phu Pont. seu Valerianæ,
Rad. Gentianæ, ana unc. unam,
Cassiæ ligneæ veræ,
Nardi Indicæ,
Schænanthi,
Thuris Masculi,
Fol. Dictamni Cretici,
Stœchad. Arabicæ,
Sem. Petroselini Maced.
Nepethæ, seu Calam. mont.
Terebinth Chiæ,
Rad. Penthaphylli,
Centaurii minoris, ana drachm. sex,
Macis,
Caryophyllorum,
Anisi,
Cubebarum,
Sem. Fœniculi,
Cardamomi min.
Sem. Thlaspios,
Ammeos,
Sagapeni,
Castorei,
Aristoloch. longæ, ana unc. semis,
Mellis

Mellis puriſſimi legitimè extracti, & nunquam cocti, triplum, ſeu libras quatuordecim, & unc. ſex.

His ſimplicibus ſpeciebus, ſeu ingredientibus, probè ſelectis, & in ordinem redactis, terantur in pulverem, quæ aptitudinem habent ad terendum; oleoſa tamen ſemper ſiccioris indolis ingredientibus adjungendo: utpote, *Semen Citri excorticatum* teratur cum *Cinamomo*, *Roſis rubris*, *Scordio*, *Caſſiâ ligneâ*, & *foliis Dictamni Cretici: Semen verò Napi* cum *Coſto*, *ſeu Zedoariâ*, *Stœchad. Arabica*, *Calamintha mont.* & *Rad. Pentaphylli: Sem. Aniſi*, *Fœniculi*, *Ammeos*, *Thlaſpios*, & *Cubebæ*, cum *Cardamomo*, *Gentiana*, & *Calamo Aromatico: Macis*, *Caryophylli*, & *ſemen Petroſelini*, cum *Valeriana*, *Angelica*, *Caſtoreo*, *Ariſtolochia longa*, & *Centaurio minore*. Quædam verò per ſe, ſola, ſine aliorum aggregatione, in pulverem terantur: utpotè, *Trochiſci de Viperis*, *Myrrha*, *Crocus*, *Thus*, & *Terra Lemnia. Nardus Indica*, & *Schænanthus*, difficillimæ triturationis ſunt; uti in præmiſſis *Animadverſionibus* innui. Idcircò, ut hæc duo ſimplicia (quæ parum emolumenti conferent, ac iis *Radices Contrajervæ* aptè ſubordinari poſſent) in pulverem ſubtilem redigi queant, neceſſe eſt, illa priùs mucilagine quadam imbuere & humectare, denuoque reſiccare. Verùm conſultum magis foret, meo judicio, ſi illa *Aquæ Corticum Citri*, *per Baln. n. vaporoſum*, *ſine ulla additione deſtillata*, aliquamdiu immergerentur, & in illa macerarentur, pro virium earum extractione; quibus ſufficienter extractis, & à dicta aqua ſeparatis, *impregnata hac aqua Citri*, diluendo *Croco*, ad formam pulticulæ tenuioris, & *Terrâ etiam Lemniâ*, præſtò eſſe poteſt, tanquam præſtantiſſima Aqua Cardiaca, virtute alexipharmacâ dotata; quæ & ipſa huic Antidoto, ſive Theriacæ, non leves virtutes alexiterias, & adverſus deleterios inſultûs prærogativas, communicabit. *Myrrha* verò, & *Sagapenum*, diluantur, & veluti ſolvantur, in *Vini Malvatici* competenti quantitate, ad pultis formam; *cui autem vino* priùs (in pulveris Viperarum, aut Trochiſcorum earum præparatione, quando ſcilicet Viperæ aut Serpentes recenter mactantur) *corda Viperarum recentia, ad quinquaginta circiter, viva adhuc excerpta*, & immerſa, cumque eo aliquandiu digeſta, ac denuò ab eo ſegregata fuerint: (quam Eſſentiam Viperarum *in Animadverſionibus Claſſis duodecimæ*, *ſuper Trochiſcos de Viperis*, edocui) *à qua Eſſentia*, *aut Vino Eſſentificato*, magnæ notæ virtutes alexipharmacæ in Theriacam redundabunt. Quò ſanè elogio merito hanc Antidotum condecoro.

His ita dextrè apparatis ac diſcriminatis, nimirum *Pulveribus unitis*, *Croco*, & *Terrâ Lemniâ*, *dilutis* cum *Aqua Citri*, *in qua Nardus Indica*, & *Schænanthus*, *macerata fuerint: Myrrhâ item*, & *Sagapeno*, *ſolutis in Vino Eſſentificato* & *Viperino: Opobalſamo*, *Reſina Styracis Calamitæ*, & *Terebinthinâ*, *unà liquatis* & *commiſſis benigno calore*, in determinatâ ad id propriâ ſartagine; ſubſequatur mixtura omnium Ingredientium facillimâ hâc methodo:

Primò, adſit *ahenum capax* & *largum*, pro quantitate Theriacæ diſpenſandæ proportionatum, cui infundatur *libra una*, *vel una ſemis*, *aut etiam duæ*, *plus minuſque*, *Mellis*, ad Theriacam apparandam deſtinati, ſuper igne leniſſimo modicum incaleſcant; *huic Melli* illicò inſtilletur nonnihil de *Opobalſamo vero*, *Reſina Styracis*, & *Terebinthina*, jam priùs ſimul commiſſis, & leni calore, in propriâ ſartagine, diſpoſitis & liquatis, ſubſequantur mox de *Pulveribus adunitis* aliquot cochlearia, per cribrum ſetaceum inſpergenda, continuò piſtillo ligneo agitando: porrò de *Gummis ſolutis*, *Myrrhâ*, & *Sagapeno*, nonnihil adjungatur, ſuccedant *iterum Pulveres* inſpergendi; uti & his *Opobalſamum*, *cum reliquis*, *reſinâ ſcil. Styr.* & *Terebinthinâ*: *Mel* etiam ſucceſſivè & pedetentim inſtilletur, cum continuâ agitatione ac leni calore, donec omnia in unum commiſſa & unita fuerint; quibus etiam *Crocus* & *Terra Lemnia* ſucceſſivè incorporentur.

Quibus omnibus debitè adminiſtratis, ſuam adepta eſt perfectionem nobilis hæc Antidotus; & Regia confectio, cujus virtutes, eximiæque dotes, in morbis malignantis naturæ vel maximè reſplendeſcent, cùm curativè, tùm præ-

præservativè concurrendo. Ut proindè genuinum sit Pharmacum antipestilentiale, Cardiacum, & Alexiterium, citraque figuram, aut hyperbolem, Theriaca dici promereatur, cui se prostrati, & malignis morbis tentati, ægri, hisque subveniens Medicus, securissimè possit concredere, fidissimum inde habituri subsidium, quod in Theriacâ, ritu & instituto Veterum dispensatâ, nequaquam ausim compromittere; utpotè quæ plurima involvat noxia, inconvenientia, curationem remorantia, &, quod maximum est, manûs & artem Medici eludentia, quò minùs debitâ dosi ac quantitate, prout præsens calamitas & pestilens contagium exigit, deploratis mortalibus liceat propinare. Cùm interim hæc, quam feliciter construximus, citra noxam auctâ dosi possit exhiberi, etiam ad unciam unam ascendendo; si sic indomita veneni rabies, & morbi genus, expostulet: quamquam, si quis periculum facere, ac experiri voluerit, verùm sit, quòd unica drachma dictæ Antidoti plus in se roboris & energiæ malignis relegandis qualitatibus, & adversandi contineat, quàm uncia completa Theriacæ Veterum; prout ex præmissis hanc formare sequelam, omnibus est pronum. Cùm proindè, in tractando hoccè argumento, prolixior esse nolim, hoc solum subjungo; quòd si Theriaca Veterum magnarum virium hactenus fuit, in coërcendis malignis morbis; sanè hæc nostra Antidotus, & castigata Theriaca, decuplo plus operabitur & præstabit, plurimisque gradibus priorem antecellet; quod cuique desumere pronum erit, dum ipse conticesco. Dosis hujus Antidoti *à drachmâ unâ, drachmis duabus, ad unciam semis*; quæ etiam, pro circumstantia ægrorum, & affectûs, augeri poterit.

Nota: Siquis in locum *Chalcitidis, Spiritûs Vitrioli, præsertim Vitrioli Martis, drachmam semis circiter, vel drach. unam integram*, huic Antidoto addere voluerit, is *Crocum dilutum aquâ Citri*, veluti supra dictum; item *pulverem Rosarum rubearum, separatim tritarum, eâdem etiam aquâ Citri dilutum*, illo *spiritu* irrorare poterit, & Theriacam, quoad colorem rubeum, in fuscum tendentem, magis intendere.

Quæ de *Trochiscis Hedychroi*, in *præmissis Animadversionibus*, præfati sumus, ea B. L. hûc inserat, ut ei ratio & motivum nostrum constet, ob quod nulla penitus eorum memoria, ac mentio facta in præsentiarum; utpotè quorum locum succedaneum præstantius occupat, quod illis surrogavimus.

Notandum cæterùm; quòd *nonnulla adhuc Ingredientia Veteris Theriacæ* descriptionis, priorem stationem & pondus suum obtinuerunt, factum est ideò, quòd in eis ratio alicujus nocivæ aut malignæ qualitatis deprehensa non fuerit, neque illa vires reliquorum ingredientium evertant, & morentur; licet, si de rigore loqui velimus, *inutilia etiam Theriaces pondera, & molestissima sint appendices*, numerum & molem, non verò virtutes, Antidoti multiplicaturæ; quorsum proindè respiciendum, cùm etiam illorum causâ, *& Mellis triplum* addi necessum sit: ex quo doses ejusdem (Theriacæ) augendæ veniunt, si effectum debitum & proportionatum morbo & malignitati præstolari velis, sudores elicere, & pestilens contagium evertere. Ea autem, de quibus nunc sermo est, sunt, in specie, sequentia, utpotè, *Cassia lignea, Nardus Indica, Schænanthum, Folia Dictamni Cret. Stœchas Arabica, sem. Petroselini Macedon. Calamintha montana, Terebinthina, rad. Pentaphylli*: quæ ipsa digna etiam æstimo, quæ à Compositione hac eliminentur & proscribantur; eorum verò loco, præstantiora alexiteria, qualia sunt, *radices Contrajerva, Anthora, & Imperatoria*, aut illa in Compositione jam notata obvia alexipharmaca (*uti Zedoaria, Myrrha, Crocus, Angelica, sem. Citri, Terra Lemnia*) adaucto pondere substituantur. Hâc ratione enim futurum, ut Antidotus, & Compositio, ad unitatem magis redacta, fiat homogenea, talibus constans partibus, quæ, univocum producere effectum, nata & apta sunt. Quod si tamen & illæ *novarum rerum, aut Radicum supradictarum*, additiones, & variationes ingredientium, in locum minùs utilium & efficacium, aut *ponderis antedictorum alexiteriorum, Theriacam aliàs consistentium adauctio*, non arriderent; author sum, ut, *nullâ rerum aliarum additione, aut ponderis reliquorum alexi-*

teriorum

teriorum immutatione, illa superiùs recensita superflua & *inutilia ingredientia*, è compositione, unà cum *tripla suâ quantitate Mellis*, nimirum *unciarum viginti duarum cum dimidia*, quod est triplum Mellis, respectu *unciarum septem, cum dimidia*, quæ sunt pondus specierum inutilium simul computatarum, penitus eradicentur: quo præstito, intensæ magis alexiteriæ virtutes Composito accedent, adeò, ut, quæcunque ex tribus illis conditionibus deligatur, quælibet dosis hujus Antidoti, (computando tantùm drachmas binas pro una dosi) granis circiter octo, è censu realium & efficacissimorum cordialium, & alexipharmacorum, præter alia, intensior sit; quod summè necessarium & desiderabile esse, quivis in arte excellenter Professus Medicus judicabit, cui tædiosum non fuerit, computare, quantum *drachmis duabus, pro dosi assignatis*, vel etiam *unciæ dimidiæ, specierum realium alexipharmacarum insit*, &, in particulari, *quot grana, de quovis ingredientium individuo*, huic dosi accedant. Deprehendet enim, quòd, quamvis pondus *multorum præstantiorum alexipharmacorum* multum auxerim, quamplurima, citra propositum annexa, eliminando, hoc tamen non obstante, *uncia semis hujus Antidoti, saltem grana tredecim Trochiscorum de Viperis, grana quinque Scordii, grana tria, cum tertia parte grani seminis Napi, totidem quoque Opobalsami, grana quatuor semis Myrrhæ, grana tria, cum tertia parte grani Zedoariæ, granum unum semis, & paulò plus, Croci, grana duo semis seminis Citri, totidem Angelicæ, & Terræ Lemniæ totidem*, adeoque horum alexipharmacorum principum, in universum computatorum, *grana XLI*, continet; quippè quæ *primaria sunt constitutiva alexipharmaca* hujus Antidoti: & tamen vix ac ne vix quidem ejus erunt efficaciæ, ut in deleteriis, & pestiferis affectibus, hâc etiam multum auctâ dosi, sudorem prolicere possent.

Hæc à nobis sic tradita & demonstrata, an non amplissimum lumen & Theoriam dictabunt exercitatis Medicis, cujus indolis, valoris, ac pretii, sit veterum Theriaca, quæ omnes ferè Antiquitatis Scriptores Panegyricos & Encomiastes habuit? Cui igitur non dissonum, & minùs rationabile, videbitur, cùm *triplum pondus Mellis*, respectu *aliarum specierum ingredientium omnium*, Theriaca, pro corpore & fundamento, quasi materiâ primâ, habet, ac, per consequens, *uncia ejus dimidia* (Theriacæ) non plùs etiam *de ingredientibus Speciebus, & Pulveribus, cùm congruis, tùm pro majori inutilibus, & non congruis, imò planè noxiis, atque contrariantibus*, obtinuit, quam *drachmam unam* (nonnunquam vix scrupulos duos, ob quadruplum pondus Mellis, fraudulenter quandoque adjectum) quid, inquam, *drachma una ejusdem Theriacæ veterum, quæ XV. vel XII. tantùm grana, cùm utilium, tùm, pro majori parte, inutilium, & planè oppositarum Specierum & Pulverum* in se habet, quos effectus, quæ portenta inde videbimus, in morbis à tota substantia deleteriis, quales Pestis, & febres Pannoniam infestantes, Purpuratæ & Colliquantes? an non id, quod fortè una drachma Theriacæ antiquæ effecerit, potiori parte ab *Opio*, dementando, compescendoque dolores, ac sudorem per accidens excitando, *tegumentorum ope*, præstitum fuerit? Quâ de re tam exilis & parva dosis, *drachma videlicet unica*, neque in hac reformata Theriaca multum operari posset, nisi longè exactior harmonia & concordantia *rerum ingredientium*, cùm in pondere, tùm quoad virtutes eorum trutinandas, observata & ordinata foret; cùm singula sic in unum effectum jam conspirent, ut hâc ratione nullum etiam obstet ingrediens, (veluti in antiqua Theriaca, *Opium, Chalcitis, Rheubarbarum, Agaricus, Piper, &c.* maximè refragabantur) quo minùs hæc Theriaca nostra Reformata in dosi adaugeri, & vel *ad unciam unam*, sic postulante morborum feritate, & nocuâ causarum syndrome, extendi possit. Veruntamen illam (Theriacam antiquitus edoctam) ultra *drachmam, aut duas*, excessivè nefas erit, propinare, ratione *Opii, & nonnullorum aliorum* superiùs iteratò recensitorum, ac à nobis *repudiatorum ingredientium*: in qua autem tam minuta dosi modicum etiam continetur, quod deleteriis qualitatibus adversetur (*grana scilicet quin-*

que in universum, prout accuratè calculavimus) eoque minus, quod & *illa paucula grana*, præsente quasi fascino, *ab Opio & reliquis*, in operando avocentur & ligentur. Quare circumspecti deinceps vivamus, & quænam, quamque selecta, tela in pharetrâ nostra circumferamus, indies prælio accincti, indagemus, neque speciosis irretiti titulis, & ementito grammate delusi, magniloquis hisce Veterum inventis subscribamus, quibuscum ægros immolamus, famæ & fortunarum naufragi.

Tandem, ut me convertam, unde desii, ad Theriaces nimirum concinniorem structuram, tutam magis & verè alexiteriam, relictis supradictis minùs congruis ingredientibus; ejusdem verò dexteram Compositionem ac descriptionem tradendam; multiplicabo saltem consueta ingredientia alexipharmaca, vices inutilium jam dictorum agentia, adjiciendo scilicet, in pondere, *Trochiscis de Viperis, seu Pulv. ejusdem, uncias duas, Zedoariæ, & Terræ Lemniæ, ana unciam unam semis, Angelicæ, & semin. Citri, ana drachmas sex.* Eritque Compositio talis, juxta seriem ponderum quidem instituta:

Theriaca Andromachi Magis Restricta & Correcta.

℞. Trochisc. de Viperis ritè parat. vel, horum loco,
Pulv. Viperarum n.m. parati, unc. quatuordecim,
Comar. Scordii nostri unc. quinque,
Zedoariæ, seu Costi veri, unc. quatuor semis,
Myrrhæ translucidæ unc. quatuor,
Meu, seu Angelicæ, uncias quatuor, drachm. duas,
Terræ Lemniæ unc. tres semis,
Amomi, seu seminis Citri excort. unc. tres, & drachm. duas,
Sem. Napi Sylvestris,
Opobalsami veri, ana unc. tres,
Cinamomi opt.
Croci Austriaci,
Resinæ Styracis Calam. ana unc. unam semis,
Rad. Gentianæ,
Valerianæ, seu Phu Pont.
Rosarum rubearum siccat.
Acori, seu Calami Aromat.
Centaurii minoris, ana unc. unam,
Macis,
Caryophyllorum,
Anisi,
Cubebarum,
Fœniculi,
Cardamomi min.
Thlaspios,
Ammeos,
Sagapeni,
Castorei,
Aristoloch. longæ, ana unc. semis,
Mellis puri ritè extracti, & nunquam cocti, triplum, id est, libr. quatuordecim, & uncias sex, vel libr. quindecim.

Instituatur mixtura secundum artem, planè, ad modum, in præmissa Compositione indigitatum, contundendo *Oleaginosa simul cum naturâ suâ ficcioribus*, separatim autem, *quæ per se teri se sinunt*, & cum *Aqua Citri, & Essentia Viperina*, dissolvenda & diluenda veniunt; omnia superiùs edocta. Fiatque sic *Antidotus*, seu *Theriaca*, debitæ consistentiæ, viribus alexipharmacis præstantissima; quod ipsum palam facient ii, quibus naturæ arcana, vires, & effectus, scrutari, desuper est indultum.

Cæterùm, cùm nec Antiquorum Theriaca, cum *Opio* parata, suis careat virtutibus, idcircò, ut adversus superiùs descriptos morbos, putà *Diarrhœam*, *Dysenterias malignas*, *immoderatum Fluxum Muliebrem*, *Hæmorrhagiam Uteri*, & *assumpta violenta Cathartica*, valida sit Antidotus, consultum fore, duxi, specialiter, pro *his affectibus*, Theriacam, cum *Opio*, *aliisque potioribus ingredientibus*, *sed congruis antiquæ descriptioni*, mutatis tamen mutandis, dispensare; quæ sanè, in *præfatis infirmitatibus*, & *his affinibus febribus diuturnis*, magnam navabit operam: sit igitur Compositio sequens:

The-

Theriaca Andromachi Correcta, cum Opio.

℞. Trochiſcorum de Viperis n. m. parat. aut,
Pulveris Viperarum legit. parati, unc. ſex:
id eſt,

Ratione prioris ponderis, antiqua Compoſitionis, uncias tres, & , loco Troch. Hedychroi, uncias tres.

Opii priùs correcti, cum ſpiritu vini legitimè extracti, & ad debitam ſpiſſitudinem redacti, uncias tres ſemis,
Piperis longi unc.duas ſemis,
Roſarum rubearum unc. tres:
id eſt,

Ratione prior. pond.antiq.Comp. unciam unam ſemis, &, loco Trochiſc. Scilitic. unciam unam ſemis.

Iridis Illyricæ, aut Florent.
Succi Liquiritiæ probè colati,
Sem. Napi agreſtis,
Comarum Scordii noſtr. ana unciam unam ſemis,
Opobalſami veri, ſeu Olei Nuc. Moſchat.expreſſi,unc. duas ſemis;
id eſt,

Ratione prioris pond. antiq. Compoſ. unciam unam ſemis, &, loco Trochiſc. Scilliticorum, unciam unam.

Cinamomi acuti unc. tres: id eſt,

Ratione prioris pond. antiq. Compoſ. unciam unam ſemis, &, loco Trochiſc. Scillit. unciam unam ſemis.

Myrrhæ translucidæ unc.unam ſemis:
id eſt,

Ratione prior.pond.antiq.Compoſit.drachm.ſex, &, loco Troch. de Scilla,drachm. ſex.

Coſti odorati, ſeu Zedoariæ,unc.duas:
id eſt,

Ratione prioris pond. antiq. Compoſ. drachmas ſex,&,loco Trochiſc. de Scilla,drachm.decem.

Croci Auſtriaci opt. unc.unam ſemis:
id eſt,

Rat. prior. pond. antiq. Compoſit. drachm. ſex, &, loco Piperis nigri, drachmas ſex.

Caſſiæ ligneæ veræ,
Nardi Indicæ, ana drachm. ſex,
Thuris Maſculi pellucidi unc. unam ſemis:
id eſt,

Ratione prior.pond.antiq.Compoſit.drachm. ſex, &, loco Marrubii, drachmas ſex.

Fol.Dictamni Cretici,
Stæchad. Arabicæ,
Nepethæ, ſeu Calaminthæ mont.
Terebinthinæ Chiæ,
Zingiberis,
Rad.Pentahylli, ana drachm. ſex,
Reſinæ Styracis Calam. unc. duas;
id eſt,

Ratione prior. pond. antiq. Compoſ. unciam ſemis, &, loco Piperis albi, drachmas ſex, item, loco Agarici, drachmas ſex.

Meu, ſeu Angelicæ, unc. unam:
id eſt,

Ratione prioris pond.antiq.Compoſ. unciam ſemis, &, loco Nardi Celticæ, unciam ſemis.

Amomi racemoſi, ſeu potiùs ſeminis Citri excorticati,unc.unam ſemis:
id eſt,

Ratione prior. pond. antiq. Compoſ. unciam ſemis, &, loco Rhabarbari, drachmas ſex.

Acori, ſeu Calami Aromatici,unciam unam ſemis: id eſt,

Ratione prior.pond. antiq.Comp.unciam ſemis, loco Chalcitidis, & Polii Cret. ana unciam ſemis,

Terræ Lemniæ unc.duas,cum drachm. duabus:
id eſt,

Ratione prioris pond. antiq. Compoſ. unciam ſemis, loco verò Agarici, drachmas ſex, & loco Chamædryos,& Chamapithyos,ana unciam ſemis.

Phu Pontici,ſeu Valerian.unc.ſemis,
Macis drachmas ſex: id eſt,

Ratione prioris pond. antiq. Compoſ. drachmas duas & loco Gummi Arabici, unciam ſemis.

Caryophyllorum drachmas ſex:
id eſt,

Rat.prior.pond.antiq.Compoſ.drachm.duas,&, loco Comarum Hyperici, unciam ſemis,

Rad.Gentianæ unc.duas; id eſt,

Ratione

Ratione prioris pond. antiq. Compos. unciam semis, loco semin. Petrosel. Maced. & Schœnanthi, ana drachm. sex.

Anisi,
Fœniculi,
Succi Hypocystidis,
Carpobalsami, seu Cubebarum,
Cardamomi minoris,
Sem. Seseleos frag. Mass.
Succi Acaciæ,
Thlaspios,
Ammeos,
Sagapeni, ana unc. semis,
Castorei recent. unciam semis: id est,

Rat. prior. pond. antiq. Compos. drachm. duas, &, loco Bituminis Iudaici, drachmas duas.

Aristoloch. longæ unciam semis: id est,

Ratione prioris pond. antiq. Compos. drachmas duas, &, loco sem. Dauci, drachm. duas.

Centaurii min. summit. unc. semis: id est,

Ratione prior. pond. antiq. Compos. drachm. duas, &, loco Opopanacis, drachmas duas.

Galbani drachm. duas,
Mellis purissimi, non cocti, sed ritè, juxta super. informationem, extracti, triplum, id est, lib. quatuordecim, cum unc. sex.

Fiat *Antidotus*, seu *Theriaca*.

Pro faciliori etiam dispensatione, ne in illa aberrent Pharmacopœi, hanc ipsam præmissam Theriaces correctam Compositionem, juxta ordinem ponderum, hîc annectere quoque libet; quæ talis est:

℞. Trochisc. de Viperis, dextrè & legitimè, juxtà n. descript. paratorum, seu
Pulveris earundem, unc. sex,
Opii priùs correcti, cum spiritu vini legitimè extracti, & ad debitam spissitudinem iterum redacti, unc. tres semis,
Piperis longi unc. duas semis,
Rosarum rub. siccat.
Cinamomi opt. ana unc. tres,
Opobalsami veri, seu Ol. Nucum Moschat. expressi,
Terræ Lemniæ veræ, ana uncias duas semis,
Costi odorati, seu Zedoariæ,
Rad. Gentianæ,
Resinæ Styracis Calam. ana unc. duas,
Iridis Illyr. s. Florent.
Succi Liquiritiæ colati,
Sem. Napi agrestis,
Comarum Scordii,
Myrrhæ translucidæ,
Croci Austriaci,
Thuris Masculi,
Amomi, seu sem. Citri excort.
Acori, seu Calami Aromat. ana unciam unam semis,
Meu, seu Angelicæ, unc. unam,
Cassiæ ligneæ veræ,
Nardi Indicæ,
Fol. Dictamni Cretici,
Stæchad. Arabicæ,
Nepethæ, seu Calam. montan.
Terebinthinæ Chiæ,
Zingiberis,
Rad. Pentaphylli,
Macis,
Caryph. ana drachm. sex,
Phu Pontici, seu Valerianæ,
Succi Hypocystidis,
Acaciæ,
Sem. Anisi,
Fœniculi,
Seseleos fragilis,
Thlaspios,
Ammeos,
Cardamomi min.
Carpoballami, seu Cubebarum,
Sagapeni,
Castorei,
Aristoloch. longæ,
Centaurii minoris, ana unc. semis,
Galbani drachm. duas,
Mellis purissimi, & clari, legitimo modo, juxta n. præscript. sine coctione extracti, triplum, seu libras quatuordecim, & unc. sex,

Hujus Compositionis, seu Theriacæ anodynæ, conficiendi modus, & mixtura, cum præparatione superioris Theriacæ primæ coincidit; ita, ut,

ut, in omnibus rebus, mixtim, & ſeparatim, contundendis; quibuſdam diluendis *cum aqua Citri, è Corticibus, ſine additione, ſtillata*; nonnullis verò diſſolvendis *cum Vino Cretico, in quo Scilla præparata priùs macerata fuerit*, loco *Eſſentiæ Viperinæ*, idem modus & norma ſit obſervanda. Supervacaneum igitur foret, me hîc prolixiorem eſſe; cùm ſapienti pauca ſufficiant, qui uni Ideæ reliqua novit conformare.

Virtutes hujus Antidoti, ſeu Theriacæ, correctæ, anodynæ, quod concernit, eas revelavimus ſuperiùs, ubi Theriacam Veterum, cum omnibus contentis, ventilavimus. Nam infero, ab inductione: Si Veterum Theriaca vires aliquas habet, & quidem ſub ratione univerſalis cujuſdam remedii & antipharmaci; à fortiori concludo, quòd noſtra hæc emendatior Compoſitio, & Theriaca, *miſſis inutilibus, auctis & accitis præſtantioribus & alexiteriis*, majores virtutes Cardiacas, Alexipharmacas, Stomachicas, Roborantes, &c. ſibi meritò vendicet. Et licet, juſto judicio, hanc ipſam correctam Theriacam, in morbis virulentis, & peſtilentialibus, tantoperè extollere nolim, præſertim curativè adhibendam: (veritus, ne *Opii narcoticum virus*, & *Piperis longi exurens qualitas*, multis officiat) attamen volui doſin *alexiteriorum ingredientium* adaugere, ut vel plurimùm *Dyſenteriæ, Diarrhææ, aliiſque morbis affinibus Contagioſis, & Epidemiis*, prout etiam *Hyſtericis paſſionibus, ab occulto & abdito quodam veneno, ex ſemine corrupto ſuam trahente geneſim*, contra quas, utpotè malignas, affectiones *alexipharmaca multum poſſunt*; aliis autem morbis, qui mitioris naturæ & indolis, nihil derogant, & obſunt, ſubvenirent. Latet ergò cura, & medela, in hac correcta Theriaca, non ſolùm in *Malignis, Epidemiis, & Contagioſis, Dyſenteriis, Diarrhæis, Catarrhis; verùm etiam Lienteriis, nimiùm fluidis Menſtruis, Colicâ Hyſtericaque paſſione, quibuſcunque Doloribus, Febribus Quartanis, Hypercatharſi, multiſque aliis*: prout omnes ſubſcripturi ſunt, qui ſoli ſe mancipaverint veritati. Cæterùm, neminem ſuâ ſtatione & ſententiâ amotum volo, qui aſſentiri Veterum dogmatibus, & gregem aberrantem inſequi voluerit, oſor meliorum, & recentiorum, quæ proſtant, inventorum. Sordeant illis noſtra; diſplicent nobis, cum ratione, vetera, & utinam non officerent, in mortem uſque expianda; prout tot myriadum deplorandorum hominum firmat Cataſtrophe. Sed obſtinatis nihil ad ſalutem vaticinamur, donec inſtet juſta aliquando nemeſis, ac vindex à tergo DEUS, in Spiritu Eliæ detonaturus. *Doſin* hujus Theriacæ *à drachmâ unâ*, ad *duas*, & *unciam ſemis*, licet extendere.

Theriaca Simplex.

℞. Rad. Angelicæ,
Imperatoriæ,
Morſus Diaboli,
Scorzoneræ, ana unc. quatuor,
Enulæ,
Valerianæ, ana unc. duas,
Herb. Scordii noſtrat. recent. unc. ſex,
Rutæ hort. recentis unc. tres,
Bacc. Juniperi unc. quatuor.

Inciſa & contuſa coquantur in ſ.q. *Aquæ ſimpl.* repetitis vicibus, quouſque tota eorum vis extracta ſit. Decoctiones omnes, & expreſſiones, junctim, cum *album. ovorum*, clarificentur, &, *in terreo vaſe*, ad Extracti, ſeu Mellis, ſpiſſitudinem evaporent; cui *Extracto*, ſeu *Decocto inſpiſſato*, adde

Mellis puriſſimi virginei, clari, nunquam cocti, lib. octo:

His mixtis porrò *Pulveres ſubſequentes*, minutiſſimè triti, ſub continua agitatione, leni in calore, inſpergantur, & quidem per *cribrum ſetaceum anguſtum*, utpotè:

Pulv. Rad. Zedoariæ unciæ tres,
Angelicæ,
Succiſæ ſeu Morſus Diaboli, ana unciæ duæ,
Gentianæ,
Dictamni albi, ana uncia una ſemis,
Herb. Scordii noſtr. unc. tres,
Sem. Citri excorticat.
Rutæ hortenſis,
Napi ſylveſtris,
Bacc. Juniperi,
Lauri ana unc. una ſemis,

Croci opt. uncia una, cum Vino Citrato, ad pultis formam, diluti,
Myrrhæ electæ, cum eodem Vino Citrato, ad formam pultis solutæ, unc. duæ,
Cinamomi opt. acuti,
Nucum Mosch. ana uncia una,
Ultimò verò inspergantur
Ol. Still. Juniperi drachmæ duæ,
Rutæ drachma una semis.

Misceantur exactè: Fiatque *Electuarium* justæ consistentiæ, præstans alexipharmacum contra morbos contagiosos & pestilentiales, febres malignas, quartanas, ad diaphoresin & sudores eliciendos, Theriacâ Andromachi neutiquàm inferius. Dosis *drachma una, duæ, tres, ad unciam semis*, in vehiculo appropriato.

Antidotus Theriacalis.

℞. Rad. Angelicæ,
Imperatoriæ,
Pimpinellæ,
Coutrajervæ,
Enulæ Campanæ,
Succisæ,
Valerianæ, ana unc. tres,
Gentianæ unc. duas,
Herb. Scordii nost. recent. unc. sex,
Rutæ recentis unc. quatuor,
Cort. Limon. recent. & extim. uncias duas,
Arantior. recent. & extim. unc. semis,
Bacc. Lauri unc. duas.

Hæc cuncta recentia, si fieri possit, aut ad minimum recenter siccata, incidantur & contundantur crassiusculè, & cum s. q. *aquæ simpl.* repetitis vicibus affusæ, coquantur ad totalem virtutum extractionem. Decoctiones album. ovorum clarificatæ, ad consistentiam *Extracti*, seu *Mellis*, in vase terreo vitreato leniter evaporent; cui inspissato decocto adde
Mellis purissimi legitimè juxta n. informationem extracti, lib. sex,
Rob Juniperi, dextrè ac diligenter parati, lib. unam semis:

Huic *Melli* affatim alexipharmacâ virtute jam imprægnato porrò adde, & pedetentim per cribrum angustum, sub continuâ agitatione, & leni in calore, insperge *Pulv. sequentes*, utpotè:
Pulv. Viperarum, vel Serpentum, salubriorum n. m. parati, unc. sex,
Pul. ex Typhis Cervinis in *Animadversionibus* n. edocti, unc. tres,
Pulv. Rad. Contrajervæ unc. duas,
Anthoræ unc. unam,
Zedoariæ unc. tres,
Croci Austriaci unciam unam, diluti priùs ad pulticulam, cum
succo ex Corticibus Limon. recentibus expresso, vel cum *Vino* in quod *Cortices Limonum largâ quantitate infusi fuerint.*
Myrrhæ translucidæ unc. duas, eodem modo, cum s. q.
Vini Citrati ad pulticulam soluti,
Cinamomi acuti unc. unam,
Sem. Citri excortic.
Napi sylvestris,
Rutæ hortensis, ana unc. unam semis,
Nucum Mosch. unc. unam;
ultimò instillando
Ol. Still. Rutæ drachmam unam,
Juniperi drachm. tres.

Fiat, omnibus sic exactè mixtis, *Antidotus* sive *Electuarium*, justæ consistentiæ; in omnibus ac singulis morbis contagiosis, pestilentibus, & deleteriis, præstantissimum. Cujus dosis *drachma una, ad tres, & unciam semis.*

Nota: Cùm non temerè huic Antidoto tam celebre inscribam elogium ac titulum, lege, quæ ad me literis suis expressit Vir Doctissimus, & Celeberrimus Medicus, Dn. Joannes Chrysostomus Irmbler, his formalibus: *Huic Electuario addidi Pulveris Sulphuris vivi, solâ liquatione, in fictili tripode, leni igne, à terrestreitate separati, uncias duas, & exhibui drachm. unam, & drachmas duas, cum aceto Alexipharmaco, & aquâ Alexipharmacâ; &, inter Composita ordinaria, nullum, pro Peste infectis, efficacius reperi. Dedi etiam, à sumpto veneno, mirabili convulsione à lecto ad trabes usque subitò distentis, tanquam per fenestram*

nestram evolaturis, eodem modo; & benè profecit, sine ordinatione aliorum. Hæc ille.

Antidotus Theriacalis *secunda*: *Dysenteriis Malignis accommodata.*

℞. Rad. Acori,
Petasitidis,
Scorzoneræ,
Succisæ,
Tormentillæ,ana unc.quatuor,
Cichorii sylvestris,
Pimpinellæ, ana unc. tres,
Herb.Scordii nostrat.
Millefolii,
Plantag. min.
Equiseti,
Pyrolæ,ana recent. unc. tres,
Flor. Calendulæ,
Papav. errat. ana unciam unam semis,
Rosarum rub.uncias duas semis.

Incisa & contusa coquantur cum s.q. *Aquæ simplicis*,reiteratâ affusione, colaturâ, & expressione, quousque tota eorum vis & efficacia extracta sit: Decoctiones & expressiones junctim album. ovorum probè clarificatæ ad spissitudinem *Extracti*, vel *Mellis*, in vase terreo vitreato, leniter coquendo, evaporent: cui decocto inspissato addantur

Mellis opt. puri n. m. legitimè extracti lib. decem:
Jam verò

Huic *Melli*, rerum dictarum virtutibus imprægnato, sequentia, subtilissimè trita, lege artis, incorporentur, ad normam superiùs, in præparatione Theriaces, edoctam: nempe

Pulv. ex Typhis Cervi, seu Bezoardici Cervini simpl. *in Animadv. n. ad Mantissam*,p.467. edocti, unciæ quatuor,
Rad.Acori,seu Gladioli lutei,
Angelicæ,
Contrajervæ, ana uncia una semis,
Dictamni albi,
Tormentillæ,
Zedoariæ,ana unc.duæ,
Bistortæ,
Calami Aromatici,
Doronici veri,ana unc.una,
Herb. Scordii nostr. uncia una semis,
Flor. Rosarum rub. unciæ duæ,
Croci opt. Austriaci,
Baccarum Lauri,
Sem.Napi agrestis,
Citri excorticat.
Rutæ hortens.ana unc.una,
Nuc.Moschat.unc.una semis,
Terræ Sigill.Siles. unciæ duæ,
Myrrhæ translucidæ,
Olibani in granis,
Cort.Citri,seu Limon.extim.
Arant.recent.& extim.siccat. ana uncia una semis,
Resinæ Styracis Calam.
Terebinthinæ de Cypro, ana unc. una semis,
Ol.Nuc.Moschat.expressi unc. una,
Opii correcti,cum Spiritu Vini extracti, ac ad justam Mellis consistentiam redacti, unciæ duæ.

Conficiatur ex omnibus, lege artis commixtis, ad normam Theriaces correctæ, *Electuarium*, seu *Antidotus*, diluendo *Crocum* ad formam pultis, cum s. q. *Vini citrati, in quo nimirum Cortices Citri recentes infusi fuerint*, pariter & *Myrrham, eodem vino citrato*, ad formam pulticulæ, dissolvendo.

Præstat hæc Antidotus in Dysenteriis, ac Diarrhæis malignis contagiosis, Sputo Sanguinis,Lienteriâ,Fluxu Hepatico,& Colicâ passione: hæmorrhagias sistit, & quidquid ab assumpto violento pharmaco, irritatâ facultate expultrice, profusas & symptomaticas evacuationes minitatur, compescit. Dosis est *à drachma una, ad unciam semis.*

Confectio Alexipharmaca Regia.

℞. Rad. Angelicæ,
Contrajervæ,
Morsus Diaboli,
Zedoariæ,
Doronici veri,ana unc. duas,

Herb. Scordii nostr. recentis unc. quatuor,
Rutæ hort. recent. unc. tres,
Croci Austriaci opt. drachm. sex,
Cort. Limon. extim. recent. unc. duas,
Arant. recent. & extim. unciam unam semis,
Bacc. Juniperi unc. duas,
Lauri unc. semis.

Conscindantur & contundantur crassiusculè, ac cum s. q. *Spiritûs Vini*, repetitis vicibus affusi, extrahatur eorum *Essentia* tota, quousque *Spiritus* non amplius tingatur: extractiones omnes ad consistentiam Mellis evaporent, destillando per M. B. Huic *Extracto* adde

Essentiæ Citri saccharinæ, ex recentibus Corticibus paratæ, & superiùs edoctæ, uncias quatuor,
Arantiorum saccharinæ, ex recentibus etiam Corticibus paratæ, unc. tres,
Pulv. ex Typhis Cervi *in Animadv. n.* edocti, unc. unam semis,
Lapid. Bezoar veri, non adulterati, nec factitii, unc. semis,
Bezoar Occident. unciam unam,
Bezoardici aurei, n. m. parati, unciam unam,
Pulv. Unicornu fossilis albiss.
Boli Armen. n. m. parat. ana unc. duas,
Sem. Citri excorticati drachm. sex,
Nucum Moschat. unc. unam,
Ol. Still. Cinamomi opt. drach. semis,
Mellis Rosati Citrati, ad nostram informationem, superiùs, legitimè parati, lib. duas.

Fiatque s. a. *Electuarium* justæ consistentiæ, & *Confectio Alexipharmaca Regia.*

Eminent virtutes hujus Antidoti nobilis & Regiæ, in omnibus *affectibus, quibus malignitas dominatur*, è quorum censu omnes *febres perniciosæ* sunt, & ipsa *Pestis: duplici formalitate expetibilis, cùm* curativè, *tùm* prophylacticè. *Curativè* exhibeatur à *drachmâ unâ, ad duas, & duas semis: præservativè* verò tantum, *quantum mucrone cultri* apprehenderis.

Nota, *quòd Mel Rosatum Citratum, actu quodam reflexo Regiæ huic Confectioni Alexipharmacæ associarim; quoniam Mel durabilem Electuariis & Antidotis largitur consistentiam: Syrupi verò, vel etiam Saccharum, ad debitam consistentiam coctum, elabentibus annis, aut etiam mensibus, suâ sponte incrustantur, & crystallisantur, saccharum arte candisatum referendo. Et hinc Electuaria, absque Melle, cum solo saccharo confecta, brevi indurescunt, & vel penitus exsiccantur. Hoc ut evitetur in hac Compositione alexipharmac. Mel dictum Rosatum, & Citratum, quod & per se Cordiales & Alexiterias obtinet facultates, præ aliis Syrupis elegi & substitui.*

Diacorum Stomachicum.

℞. Rad. Acori, seu Gladioli recent. unc. sex,
Calami Aromat.
Eryngii,
Cichorii, ana recent. unc. tres,
Pimpinellæ unc. duas.

Mundatæ optimè, callosâ, vel lignosâ parte separatâ, quæ in *Eryngio, Cichorio, & Pimpinella* deprehenditur, incidantur radices crassiori modo, & quadratè; coquantur deinde in vase terreo, cum

Succi Cydoniorum recenter expressi, vel in cella debitè asservati, s. q. (libris sex circiter)

quousque mollescant, ad normam, quasi condiri deberent. Radicibus pro necessitate coctis, ac interim asservatis, nec non à succo, in quo coctæ fuerint, separatis colaturâ, & nonnihil supra telam & cribrum exsiccatis, sumito

Succum Cydoniorum à coctione relictum, &, additis
Sacchari albissimi lib. tribus,

coquantur ad crassam Syrupi consistentiam, immittendo sub finem *superiores, ad mollitiem decoctas, & conscissas radices*, quas parum adhuc decoque, donec brodium, sive Syrupus hic debitam

debitam consistentiam nactus fuerit; tandem superaddito

Amygd. dulc. excort.
Pistach. decort.
Pinearum mundat. ana crassiusculè & in quadraturas, sicut radices, incisarum uncias duas,
Nuc. Moschat. Indic. condit. ad normam superiùs edoctam incisarum, uncias tres,
Macis conscissi,
Cardamomi conquassat.
Cort. Citri,
Arantiorum ana n. modo cond. & superiùs dictâ formâ conscissi. unc. unam semis,
Zingiberis Indici cond. incisi unciam unam semis,
Olei still. Cinamomi drach. unam, priùs cum
Essentiæ Citri sacchar. n. m. paratæ, unciis duabus permisti.

Fiat secundum artem *Electuarium Stomachicum* gratissimum & confortativum; roborat ventriculum, & cerebrum, & totam naturam restaurat. Senibus, marasmo ac diuturnitate morbi attritis, quàm validè succurrit: cujus usus frequentior de die commendatur, manè scilicet, vesperi, prævio prandio, ac cæna; verbo denique, pro voto & voluntate.

Nota: *Si cui arrideret, Electuarium hoc præstantius & efficacius efficere, Nobilitatique & Magnatibus destinare, hic libra uni Electuarii, Ambræ gryseæ scrupulum unum, vel drachmam semis, & Moschi scrupulum semis, superaddere posset, Ambram priùs cum s. q. amygdal. decort. Moschum verò cum particula Aq. Rosar. vel Flor. Arantiorum, ad pulticulam subigendo. Sic Regibus dignum effeceris condimentum.*

Confectio Alkermes.

VEterum insistendo vestigiis, nè purpuram, ostrum, & roseum decorem, huic detrahamus Confectioni, simul etiam circumspecto, ut magnarum virium & energiæ evadat, primus labor sit, conficere *Magisterium granorum Kermes* (cùm succo vero & recenti in nostris regionibus destituamur) sequenti dexteritate:

℞. Granorum Chermes, aut fructûs Kermes, unc. duas;

quæ integra, non contusa, parum coquantur *in aq. simpl.* s. q. & quidem repetitis vicibus, instillatis semper aliquot guttulis *Olei Tartari per deliquium facti*, quousque aqua colore rubro imbuatur. Huic aquæ tinctæ colatæ guttatim, & per vices, infundatur *aqua Aluminis*; (aqua communis scilicet, in qua nonnihil aluminis tantùm solutum sit) & præcipitabitur Magisterium, & vel tota substantia Granorum Chermes soluta, eaque rubicundissima, instillando tamen sæpiùs, & alternatim, *Oleum Tartari*, & *Aquam aluminis*, quoad solutio, seu aqua tincta à granis, iterum alba & limpida fermè evadat, totaque granorum Tinctura, seu Essentia & nobilior substantia præcipitata sit; quæ per filtrationem ab aquâ separanda, & affusâ sæpius *aquâ recenti pura* tamdiu edulcoranda est, quousque nulla vestigia supersunt *aluminis*, *& Olei Tartari*. Relicta Essentia, seu Magisterium, in chartâ bibulâ aut filtro, lenissimo in calore nonnihil exsiccetur, ad instar cujusdam pulpæ, interimque asservetur.

Jam verò

℞. Succi pomorum redol. recenter expressi, sine diuturnâ depuratione, libras octo,
Cui immergantur
Sem. seu Granor. Chermes integr. non contus. drachm. sex,
Cort. Limon. recent. & extim. unciæ duæ semis,
Arantiorum recent. extim. unç. una semis.

Factâ maceratione in loco tepido, vel moderatè calente, per diem, colentur: pòst Succo colato adde

Sacchari Can. albi libras quatuor:

Coquantur leniter ad consistentiam Syrupi paulò crassioris; cui, dum adhuc parum calet, adde

Ambræ gryseæ opt. unc. semis, priùs cum
Sem. Citri excortic. unc. semis quam optimè subactæ,

 Moschi

Moſchi Orient. drachm. unam,
cum partic.
Aq. flor. Arantiorum ad pulticulam
ſoluti,
Pulv. Ligni Aloës opt. & gum. uncias
duas ſemis,
Cinamomi acuti
Margarit. Orient. præpar.
Corall. rub. præpar.
Lapid. Lazuli præpar. cærulei, vel
Magiſt. ejuſdem, *in Animadver-
ſionibus n.* edocti, ana unciam
unam ſemis,
Magiſt. Gran. Kermes, ſupra diſcripti,
nonnihil adhuc humidi, unc. tres,
Miſceantur exactè, fiatque *Confectio nobiliſſi-
ma*; cui ad ſaturandos oculos vulgi
Auri folia centum, vel plura, artificio-
sè uniantur.

Hoc pacto efficitur præſtans illa *Confectio Al-
kermes*, quæ primariò Cordi & Vitalitati con-
ſecrata eſt, cujus affectibus, & maximè Lipo-
thymiis, apprimè ſuccurrit. Cerebro quoque,
& facultati Animali, vires ſubminiſtrat: pro-
indè illam Melancholicis & Hypochondriacis
ſuaſerim. Pro doſi *drachma ſemis*, *ad unam*,
plus minus, adhiberi poteſt.

Nota: quòd, ſi *Succus Granorum Kermes*
legitimus haberi poſſit, ipſe tibi conſilium ſub-
miniſtro, ut eum ad Confectionem hanc ſeli-
gas, juxta mentem *D. D. Monſpelienſium*. Ve-
rùm, cùm turpis quæſtus omnia ferè noſtrâ hâc
tempeſtate adulteret, ac nobis illudat, qui
peregrina & exotica adoramus, meliora ruri
domique excolentes; quare ſatius fuerit, *Magi-
ſterio* tibi notiſſimo inniti, quàm exoticis falla-
citer circumagi.

Nota ſecundò: ratione *ſucci pomorum redo-
lentium*, quem *recenter expreſſum*, *ſine prævià
diuturnâ fermentatione*, *aut depuratione*,
(quemadmodum etiam difficillimè depuratur)
accipiendum eſſe præcepi; quod & ipſum non
ſine ratione ſonticâ factum ſit. Nam *Succus cu-
jusvis fructûs*, ſive *Pomorum*, ſive *Cydonio-
rum*, ſive, *Fragorum*, *&c. probè depuratus &
clarus*, additâ ſ. q. *Sacchari*, in elegantem qui-
dem Syrupi conſiſtentiam fluidam & perma-
nentem reduci poteſt; verùm ſi *Syrupos ejuſ-
modi ad paulò craſſiorem conſiſtentiam*, quæ
quidem non ſolùm ad hanc, ſed etiam ad omnes
alias Confectiones ſimiles parandas neceſſaria
eſt, coxeris; *omnes illi ultra neceſſariam &
conſuetam conſiſtentiam decocti Syrupi*, *in la-
pillos tandem abeunt*, *& pro parte cryſtallizan-
tur*. Proindè, nè deinceps Electuaria, aut
Confectiones, propter *ejuſmodi craſſioris con-
ſiſtentiæ Syrupos*, tanquam corpora & baſis eo-
rum, tam exiguo temporis intervallo areſcant,
& condenſentur, ſed debitæ ſint durationis;
author ſum, ut accipiantur *ſucci recenter prælo
expreſſi*, qui, cum *Sacchara* cocti, *mucilagi-
neam contrahunt conſiſtentiam*, *difficulter*, *aut
nunquam*, *in cryſtallos*, *aut lapillos*, *ſaccharinos
degenerantes*; unde ad has, & ſimiles confectio-
nes, hi *ſucci cum ſaccharo cocti* aptiſſimi ſunt, &
durabiles: ex quibus ſimiles confectiones pa-
randæ.

Confectio Anacardina Cephalica.

℞. Aquar. Majoranæ,
Flor. Arantiorum,
Tunicæ, ana ſine additio-
ne aq. ſimpl. ex Baln. n.
vaporoſo ſtill. unc. ſex,
Quibus, Cucurbitæ vitreæ infuſis, immergan-
tur
Anacardiorum n. m. præpar. unc. tres.
Factâ maceratione in vitro probè clauſo, horis
circiter XXIV, fiat colatura; in colaturâ hâc diſ-
ſolve
Sacchari Canarii libras duas;
ac ſolâ ejuſdem diſſolutione in Syrupum debitæ
conſiſtentiæ redige, cui demum admiſceantur,
adhuc calente Syrupo, ut in ipſo veluti lique-
fiant,
Ambræ gryſeæ drachma una,
prius cum
Sem. Citri excort. drachmâ una
probè ſubactæ,
Reſinæ Styracis drachmæ duæ,
Ladani drachma una.
His liquatis, etiam reliqua, quæ ſequuntur, ad-
jiciantur; nimirum,
Pulv. Anacardiorum præp. uncia una,
Rad. Doronici veri uncia una
ſemis,

Pulv.

Pulv. Ligni Aloës gummosi uncia una,
Cardamomi min.
Cubebarum,
Coriandr. ana drachmæ duæ,
Nuc. Mosch. uncia semis,
Macis drachmæ tres,
Caryophyllorum drachm. duæ,
Nuc. Mosch. Indic. conditarum, ac subtilissimè ad formam pulpæ contusarum, unciæ tres,
Ol. Cinamomi still. scrup. unus, priùs cum
Sacchari n. Rosati uncia semis permisti.

Misceantur exactè, fiatque *Electuarium* preciosum & excellens, in refrigeratâ, eaque debili, facultate Animali, & Cerebro, confortando Ventriculo, arcendis Apoplexiis, Epilepsiis, senio refocillando, Memoriæ laborantis defectibus, & quidquid demum vitii Cerebro & Ventriculo accidit, supplendis, à causa frigida derivatis, utilissimum. *Dosis drachmæ duæ, ad unciam semis.*

Electuarium de Baccis Lauri, Carminativum.

℞. Mellis Menthæ n. m. legitimè parati libras duas;
In quo, dum benè calet, liquefac
Resinæ Styracis Calam. drach. duas,
Ladani drachm. unam semis,
superaddendo
Pulv. Bacc. Lauri uncias duas,
Castorei drachmas tres,
Calami Aromatici drachm. sex,
Sem. Carui,
Cumini,
Coriandri,
Anisi,
Fœniculi,
Rutæ,
Macis, ana unciam semis,
Caryophyllorum drachm. tres,
Croci Austriaci drachm. duas.

Misceantur, & fiat *Electuarium*, præstans ad Colicam & Iliacam passionem, sicut & Intestinorum quascunque torturas, sive à flatibus intercurrentibus, sive à causa frigida deriventur. Admisceri etiam consultò poterit Enematibus, ad flatûs dissipandos.

Electuarium Chalybeatum.

Paretur hoc *Electuarium* juxta modum in *Pharmacopœia Augustanâ & nostr. Animadversionibus* super idem factis, expositum; & optimo successu operabitur.

Confectio Cordialis Regia.

℞. Cort. Citri recent. & extimorum, radula comminut. unc. octo,
Arant. recent. & ext radulâ etiam comminut. unc. quatuor,
Nuc. Indic. Mosch. condit. unc. sex,
Florum Arantiorum recent. unciam unam semis,
seu, quod melius,
Fructuum Arantiorum immaturorum & minutissimorum, adhuc viridium, summâ fragrantiâ & virtute eminentium, unc. duas,
Nuc. Moschatarum unc. unam,
Essentiæ Citri saccharinæ n. supra edoctæ,
Sacchari Rosati n. supra edocti, ana uncias quatuor:

Contundantur simul juncta debitè ac diu in mortario lapideo, ad pultis subtilissimam formam, ut per setaceum transmitti possint: adde pòst
Pulv. Croci Austriaci subtiliss. triti unc. semis,
Ligni Aloës gum. unc. unam sem.
Ambræ grysеæ drachmas tres,
priùs cum
Sem. Citri excort. drach. duabus probè subactæ,
Moschi Orientalis drachmam unam,
soluti in s. q.
Aq. flor. Arant. ad pulticulam.
Magist. n. solub. Coralliorum rub.
Perlar. Oriental. ana unc. unam,
Gran. Chermes, humidi adhuc, paulò supra edocti, unc. tres,
Ol.

Ol.ſtill.Cinamomi drachm. duas,
Caryophyllorum drachmam unam,
Roſarum veri drach. ſemis,
priùs cum
Sacchari n.Roſati, ſuperiùs edocti, unciis quinque,
in Elæoſacch. converſis,
Syr. de Corticibus Citri, ſuperiùs, *in Claſſe primâ*, deſcripti, q. ſ. *Electuarii* juſtam conſiſtentiam.

Miſceantur omnia exactè in *vaſe terreo*, vel *mortario lapideo*, & ſerventur in vitro benè clauſo, tanquam *Regia Confectio*; quæ ſanè longiſſimè Confectionem Alkermes antevertit, ſuis proindè digna encomiis in Epilepſiâ, Apoplexiâ, Lipothymiâ, Syncope, Senio atterente, Peſte, & quidquid è malignis pullulat: ſpirituoſo generi amica, ad quos reſtaurante & conſervante actione influit, multùm expetibilis. *Doſis drachma ſemis*, vel, ad lubitum, *quantum mucrone cultri apprehenderis*; ſæpè aſſumendo.

Confectio Cordialis alia.

℞. Granorum Chermes legitimorum drach. ſex,
Cort. Limon. recent. & extim. unc. duas,

Coquantur integra, & non conquaſſata, in libris duabus, vel tribus, circiter, *Succi Pomorum redolent.* recenter expreſſi, ad remanentiam libræ unius cum dimidia: in colatura diſſolve
Sacchari Canarii albi libras tres,
ac ad conſiſtentiam mucilagineam, ad inſtar, Gelatinæ, leni coctura redigantur; cui, dum adhuc calet, injiciantur ſubſequentia ſubtiliſſimè priùs inciſa, & contuſa ad pulpæ ſubtiliſſimæ formam, ut per ſetaceum tranſmitti poſſint, in *mortario tamen lapideo*: videlicet,

Flor. recent. Arantiorum,
Limon. ſeu Citri,
Tunicæ rub.
Roſarum rub. ana unciæ duæ,
Fruct. ſeu pomell. Arant. immaturorum recent. & fragr. unciæ tres,
Limon. immat. recent. & fragr.
Cort. Citri recent. & extim.
Arant. recent. & extim. ana radulâ priùs comminut. unc. duæ,
Item
Ambræ gryſeæ drachm. duæ, vel tres, priùs cum
Sem. Citri excort. drachma una probè ſubactæ,
Moſchi Orient. drach. ſemis, vel una, ſoluti prius in ſ q.
Aquæ Cinamomi ad pulticulam,
Magiſt. n. ſolubil. Corall. rub.
Margarit. Orient.
Matris Perlarum, ana unc. ſemis,
Gran. Chermes, humidi adhuc, ſuprà edocti, unciæ duæ, vel tres,
Pulv. Ligni Aloès opt. uncia una,
Croci Auſtriaci uncia ſemis,
Ol. Still. Cinamomi opt. drachm. una ſemis,
Caryophyllorum drach. ſem.
Roſarum veri ſcrupul. unus,
Nuc. Moſchat. expreſſi drachmæ duæ,

priùs quidem cuncta hæc Olea cum
Sacchari roſati n. ſuperiùs oſtenſi, unciis quatuor
permiſcendo:
Syr. de Cort. Citri n. ſuperiùs, *in Claſſe prima*, deſcripti unciæ ſex.

Fiat, lege artis, *Confectio Cordialis* nobilis & præſtantiſſima, guſtu ac odore grato: cujus virtutes, uſus, & doſis, ex ſuperiore confectione patent.

Nota, *quod ſi quis has Confectiones efficaciores ac altioris ordinis efficere cupiat, additione Auri, is* Croci n. Aureopurpurei, *in* Animadverſionibus *expoſiti*, vel Bezoard. n aurei, *aut* Auri noſtri cum Tincturâ Antimonii fermentati *drachmas tres, vel unciam ſemis, plus minuſvè, addat.*

Ele-

Electuarium contra Dysenteriam.

℞. Rad. Scorzonerae,
Torment. ana unc. unam semis,
Bistortae unciam unam,
Herb. Equiseti,
Scordii nostr.
Millefolii, ana unc unam,
Flor. Rosarum rub. unc. unam semis,
Papav. errat.
Tunicae, ana sicc. unc. unam,
Balaust. unciam semis.

Incisa & conquassata coquantur in s. q. *Aqua simpl.* frequentiùs recentem affundendo, & decoctiones exprimendo, quousque tota vis sit extracta: decoctiones expressae & colatae, conjunctim cum *alb. ovorum* optimè clarificentur, &, additis

Sacchari Canar. albiss. libris duabus,

redigantur, coquendo, ad consistentiam Syrupi, consuetâ paulò spissiorem; cui sequentia lege artis immisce: videlicet

Pulv. ex Typhis Cervi ritè parati unc. unam semis,
Terrae Sigillatae Silesiacae unc. duas,
Flor. ferri praep.
Ocul. Cancror. praep.
Corall. rub. praep ana unc. unam semis,
Nuc. Moschatarum unc. unam semis, vel duas,
Pulv. Rosarum rubear. unc. unam,
Balaustiorum unc. semis,
Olibani in granis drachm. sex,
Sem. quatuor frig. major. excort. ana drachm. duas,
Papav. albi unc. semis,
Citri excort. drach. duas,
Amydg. dulc. decort. unc. unam;

quae Semina & Amygdalae cum s. q. *superioris, ad id asservandi, decocti* ad pulpae formam contundendo redigantur, & per cribrum setaceum angustum transmittantur:

Opii n. m. praepar. seu correcti, & extracti, drachm. duas.

Fiat, lege artis, *Electuarium* praestans in Dysenteriâ, Diarrhaeâ, Lienteriâ, Fluxu Hepatico, & Haemorrhagiâ uteri. *Dosis drachma dua, ad unciam semis.*

Confectio Hepatica Calida.

℞. Rad. recent. Pimpinellae,
Apii, ana unc. quatuor,
Enulae,
Cichorii sylv. ana uncias tres,

Mundentur, & conscindantur crassiusculè in quadraturas, *parte callosâ* separatâ; decoquantur mox in

Succ. Agrimoniae,
Chamaedryos,
Hepat. nobilis,
Absinthii, ana depurat. libra una,
Pomorum redolent. lib. duabus,

quousque mollescant, quasi condiri deberent: quibus sufficienter coctis, & asservatis interim sumito

Succos residuos à decoctione Rad.
&, additis
Sacchar. albi Can. lib. tribus,

porrò coquantur ad Syrupi crassiorem consistentiam, aduniendo sub finem *superiores decoctas & incisas Radices*, ut parum adhuc junctim ebulliant, ad debitam & crassiorem syrupalem consistentiam, quibus superadde

Nuc. Mosch. condit. & crass. consciss. unc. tres,
Zingib. Ind. cond. conscissi unc. duas,
Cort. Arantiorum,
Citri, ana cond. & concis. unc. unam,
Cons. Absynthii Rom.
Hepat. nobil. ana unc. duas,
Rosarum rub. unc. tres,
Flor. Cichorii,
Nasturtii hort. ana unc. duas,
Pulv. Cardamomi min.
Nuc. Mosch. ana unc. unam,
Sem. Nasturtii drach. sex,
Magist. n. solub. Corall. rub.
Ocul. Cancr. ana unc. semis,
Olei Cinamomi still. drachm. semis, priùs cum
Essentiae Citri sacch. n. unc. una permisti,
Spiritûs Salis rectificati drach. unam.

Misceantur omnia probè, & fiat *Electuarium* justæ consistentiæ, quod Cachecticis, & ad Hydropem declinantibus, præsentaneum est remedium: Viscerum obstructiones reserat, Scorbuticis subvenit, Urinamque propellit. *Dosis manè & vesperi uncia semis, ad unam.*

Confectio Hepatica Refrigerans.

℞. Rad. recent. Cichorii sylv. unc. octo,
Pimpinellæ unc. tres;

Mundentur optimè, rejectis *callosis partibus interioribus*; scindantur crassiusculè in quadratum; coquantur deinde, in vase terreo vitreato, cum

Succi Endiviæ,
Acetosæ,
Acetosellæ,
Cichorii sylv. ana depurat. & recent. expr. librâ unâ,
Pomorum redolent.
Infusi Rosarum rub. fortis, ana unciis quindecim,

quousque mollescant, quasi condiri deberent: Radicibus autem satis coctis, ac interim asservatis, accipe

Succos à decoctione Rad. residuos, &, additis
Sacchari Canarii albi libris tribus,

denuò ad consistentiam Syrupi crassioris decoquantur, immittendo postremò *superiores decoctas & incisas radices*; quæ adhuc modicum ebulliant, ad debitam consistentiam, & exhalationem superfluæ humiditatis, coctis radicibus adhuc adhærentis; quibus porrò superinjiciantur

Lactucæ Hispan. cond. & incisæ, unciæ quatuor;
Cort. Citri n. m. condit. & Conscisſ. unciæ duæ,
Conservæ Rosarum rub. ex æqua parte Rosar. & Sacch. paratæ, unciæ sex,
Flor. Cichorii,
Tunicæ,
Hepat. nobil. ana ex æqua parte flor. & sacch. parat. unciæ duæ,
Fœculæ, seu Salis essentialis, Acetosellæ puræ drachmæ sex,
Spir. Vitr. Martis drach. semis, vel una.

Misceantur exactè in terreo, lapideo, aut vitreo vase, fiatque *Conditum Hepaticum* refrigerans præstans, quod hepatis & præcordiorum æstûs mitigat, ac reliqua naturalia viscera corroborat; Febricitantibus plurimum conducens. *Dosis est quantitas Castaneæ*, sæpiùs sumpta, & repetita.

Electuarium Mitigativum, seu Anodynum.

℞. Sem. quatuor frig. major. excort. ana drachm. sex,
Papav. albi unc. unam semis,
Citri excort. unc. semis,

Contundantur probè in mortario, additâ, per vices, *Aquæ papav. errat. sine addit stillatæ, particulâ*, ad formam pulpæ, ut ferè totaliter per cribrum setaceum cogi queant: quibus addito

Essent. Citri sacch. superiùs edoctæ, uncias quatuor,
Cons. Rosarum rubear.
Flor. Papav. errat. ana unc. tres,
Pulv. Croci Austriaci,
Opii n. m. parati & extracti, ana drachmas duas,
Ol. Nuc. Moschat. expressi drachm. duas semis,
priùs cum
Sacch. Rosati, vel Citrati n. unc. unâ, permisti:
Syr. de Papav. Rhæad. unc. tres,
vel q. s. pro debitâ *Electuarii* consistentiâ.

Misceantur exactè; servetur usui. Mitigat & lenit Dolores quoscunque, valet in Dysenteriâ, Diarrhæa, Fluxu Hepatico, Colicâ passione. *Dosis drachmæ duæ, ad unciam semis.*

Confectio, seu conditum Pectorale Antiphthisicum.

℞. Rad. recent. Enulæ Camp.
Cichorii sylv. ana uncias quinque,
Pimpinellæ unc. tres,

Radi-

Radices omnes mundatæ, & *Cichorii*, *& Pimpinellæ*, *à callosâ & durâ internâ parte* separatæ, coquantur in

Succi Hederæ terrestris,
Millefolii,
Plantag. min.
Veronicæ,
Infusionis fortis flor. Papav. errat. ana opt. depurat. libra una,

donec emollescant, ac si condiri deberent; quibus sufficienter coctis, & à *succis residuis* separatis, addantur

Rad. Symphyti majoris recent. separatim ad mollitiem in aqua simplici coctarum, unciæ quinque:

Incidantur & contundantur in mortario lapideo, ad formam pultis, *quâ interim asservatâ pulpâ*, accipito

Succos à coctione Radicum residuos, & , additâ
Sacchari Canar. albi librâ unâ,

Coquantur ad consistentiam satis crassam, immittendo ultimò

Superiores coctas & incisas Radices;

ac denuò adhuc parum ebulliant ad Syrupi consistentiam; quibus porrò adde

Mellis purissimi virginei, nunquam cocti, sed legitimè n. m. extracti, libras duas,
Conf. Rosar. rubear.
pallidarum, ana n. m. cum æqua port. sacchari & flor. parat. unc. sex,
Violarum Martial.
Hederæ terrestr.
Veronicæ,
Papav. Rhæad. ana n. m. uti supra, parat. unc. quatuor,
Pulv. Croci opt. unc. semis,
Olibani unc. unam,
Nuc. Moschatarum
Flor. Sulph. ana unc. unam semis,
Sacchari Saturni resolubilis, ex Minio, vel ipso Plumbo, facti drach. tres,
Spiritûs Sulphuris, per Camp. stillati, scrupulum unum, vel drach. semis,

Misceantur debitè in *Conditum*: quod internis Exulcerationibus, maximè Pulmonum, apprimè medetur, iteratò exhibitum. *Dosis* sit *uncia semis*, plus minus, quoties libuerit.

Condit. Diasatyrium.

℞. Rad. Satyr. recent. & mund. unc. octo,
Eryngii,
Pimpinellæ, ana recent. mund. & à parte callosa separ. unc. tres,
Incidantur minutim, coquanturque in suffic. quant. Succi Cydon. recent.

ad ipsarum mollitiem, pari modo, ac si condiri deberent; quibus è succo exemptis, ac contusis minutim, interimque servatis, addantur *residuo liquori, seu succo, in quo radices ad mollitiem coctæ sunt*,

Sacchari Can. albi libræ duæ semis;

Coquantur denuò ad Syrupi crassioris consistentiam, in fine adjiciendo *prædictas antea coctas Radices*, quò etiam illarum attracta humiditas unâ vel altera ebullitione evaporet; &, postquam refrixerint, superaddantur

Nuc. Indicarum conditarum,
Zingib. Indici condit. ana crassiusculè incis. unciæ quatuor,
Pinearum mundat.
Pistach. decortic. ana incis. unciæ duæ,
Pulv. Caryophyllorum drachm. tres,
Cardamomi min.
Nuc. Mosch. ana unc. una,
Piperis longi drachmæ tres,
Boleti Cervini,
Veratri Cervi raspati,
Sem. Linguæ avis,
Erucæ,
Urticæ, ana unc. semis,
Ambræ gryseæ drachma una, priùs cum
Sem. Citri excort. drach. una, subactæ:

sin minùs arrideat Ambra, omittatur.

Ol. Still. Cinamomi scrupuli duo, priùs cum
Essentiæ Citri sacch. n. unciâ unâ permisti.

Fiat *Electuarium*, & *Conditum* nobile, quod consumptos, & quasi refrigeratos, reficit, semen auget, & ad Venerem stimulat. *Dosis uncia semis*, *plus minusvè*, sæpiùs assumpta.

Confectio Splenetica.

℞. Rad. recent. Pimpinellæ unc. quatuor,
Apii,
Fœniculi,
Enulæ, ana unc. duas.

Mundentur, demptâ parte callosa prius, incidantur crassiusculè quadratè, &, superaffusis
Succ. Matrisylviæ,
Nasturtii hortens.
Verbenæ,
Hederæ terrestr.
Pomorum redolent. ana lib. unâ,
Decocti fortis Cort. Tamarisci,
Rad. Capparum, ana librâ semis,

coquantur ad mollitiem: quibus interim servatis radicibus, succi, jam à decoctione Radicum superstites, additis
Sacchari albi Can. libris duabus semis,
coquantur denuò ad crassiorem Syrupi consistentiam, immittendo ultimò *superiùs decoctas & incisas Radices*, & adhuc parum ebulliant ad debitam, & satis crassam, consistentiam, superaddendo
Conf. Cochleariæ,
Nasturtii hortensis,
Flor. Chicorii, ana n. m. parat. uncias quatuor,
Magist. n. sol. Ocul. Cancr. unc. unam,
Pulv. Nuc. Moschatarum
Cardamomi,
Sem. Nasturtii,
Cinamomi acuti,
Rad. Doron. veri, ana drach. sex,
Sem. Fœniculi unc. semis,
Caryophyllorum drachm. tres,
Spiritûs Salis ammon. acidi chalybeati drachm. unam semis.

Misceantur exactè in *vase terreo vitreato*, vel *lapideo*, pro *Condito* Splenetico; quod obstructiones Lienis reserat, Scirrhos ac Tumores resolvit, ac ipsum viscus confortat. *Dosis mane & vesperi uncia semis, vel una.*

Sotirella, seu Massa ad dentes.

℞. Ol. Nuc. Mosch. expressi drach. duas,
Fuliginis destillati drach. semis,
Opii correcti scrupulos duos,
Sem. Hyoscyami,
Extracti Croci, ana gr. xv.
Camphoræ scrupulum unum,
Fuliginis splendidi drach. semis,

M. fiat Massa duriuscula, cavernis dentium morbidis imponenda.

Diacydonites simplex.

℞. Cydoniorum maturorum num. xx. vel quantum placet.

Mundata dividantur in taleolas, *seminibus remotis*, coquantur in s. q. *Aquæ simplicis*, (precium ei addideris, si cum *proprio succo Cydoniorum expresso*, tanquam symbolo, coxeris) ad mollitiem, in vase terreo; mollia deinde *Cydonia* per cribrum setaceum cogantur, ut fiat pulpa; quâ interim asservatâ, accipe *aquam à decoctione Cydoniorum residuam*, vel *succum Cydoniorum*, si illum pro decoctione Cydoniorum sumpseris, &, additis, pro *qualibet librâ unâ Pulpæ*,
Sacchari Canar. albi unciis octo, vel librâ unâ,
coquantur denuò in vase terreo l. a. ad justam consistentiam *Pastæ*, ut possit recondi ad *Scatulas*.

Diacydonites Aromaticum.

Diacydonitidi juxta modum superiùs traditum dextrè parato, & ad justam *Pastæ* consistentiam cocto, sub finem, ab igne priùs remoto, adde, & quidem, pro *singulis unciis*.
Nuc. Indicarum condit. & incisarum drachm. sex,
Zingiberis Cond. Ind. & incis. unciam semis,
Cort. Arantiorum,
Citri, ana n. m. cond. & incis. unciam semis,
Nucum Moschatarum,
Cinamomi acuti, ana crassiusculè incis. drachm. duas,
Caryoph. incis. drach. unam:

Misceantur exactè, & fundantur ad *Scatulas*.

Diacydonium Pellucidum.

℞. Cydoniorum maturorum & mundat. in aliquot frustula majora concisorum, abjectis seminibus, num. xxx. circiter:
Coquantur cum *Aq. simplicis* suff. q. in. vase terreo, vel cupreo, stanno obducto, quousque nonnihil mucilaginosum, ast clarum reddatur decoctum; cui colato, & aliquantum è Cydoniis expresso, adde, & quidem pro *singulis libris duabus hujus decocti mucilaginosi*,
Sacch. Can. albi lib. unam,
& ad consistentiam *Gelatinæ* percoquito; cui ab igne remotæ adde, si lubet, pro *divitibus*,
Ol. Still. Cinamomi scrup. unum,
Caryph. scrup. semis,
priùs cum
Essent. Sacch. Citri n. drach. sex
permistorum:
Et, si sic arrideat, pro *Magnatibus*,
Ambræ gryseæ scrup. unum,
priùs cum
Amygd. dulcibus probè subactæ,
Moschi Oriental. opt. scrup. semis,
priùs cum partic.
Aq. flor. Arantiorum, vel Rosarum, ad pulticulam soluti, & tandem
amborum cum
Essent. Citri n. sacch. unc. semis
permistorum.
Fiatque *Gelatina* præstans, effundatur in exsculptas *Figuras Plumbeas* aut *Stanneas*, nonnihil humectatas *Aquâ Rosarum*, & ex his transferatur in *Scatulas Oleo Cinamomi & Caryophyllorum* parum imbutas.

Omnia hæc & singula, è Cydoniis dispensata *Electuaria*, ac *Gelatinæ*, roborando & disponendo Ventriculo dedicata sunt: Dignissima quoque, quæ, inter *Bellaria*, Magnatum epulas adornent, deliciæ simul & medicamina futura. *Dosin* cujusque arbitrio relinquimus.

De Conditis: & Conservis.

Condita quâ ratione ac dexteritate paranda sint, ne à sua degenerent indole, & effæta in viribus suis reddantur, sed efficacia, genuini saporis, energiæ, & propriarum qualitatum, ne scilicet omnis *rerum condiendarum* virtus per coctionem veluti eluatur, excoquatur, & profundatur, id *Animadversiones n. super ea ipsa condita* factæ, *pag.* 270, 271. luculenter demonstrant; quas B. L. recolat ac consulat. Proindè vel maximè Pharmacopœis intimandum, ne in *Radicum quarundam conditurâ*, sicut & *Fructuum*, *Corticum*, *&c.* utpotè *Radicum Cichorii, Pimpinellæ, Enulæ, Eryngii, Acori, Cydoniorum, & Persicorum malorum, Pyrorum Moschatell. Lactucæ Hispan. Cortic. Arantiorum & Citri, &c. Aquas, in quibus ad mollitiem illa decoquuntur*, tanquam inutiles & effætæ forent, abjiciant aut effundant; quin potiùs cautè reservent: siquidem *mediantibus illis*, *saccharum pro conditura illarum rerum*, dissolvaudum, simul clarificandum, & ad debitam consistentiam redigendum; ut hâc arte & praxi virtutes *rerum condiendarum*, quæ *hisce aquis* maximâ ex parte concreditæ sunt, in *proprium subjectum* iterum transmigrent, illudque denuò nobilitent: quoniam in *talibus decoctis* potiores rerum virtutes & dotes latitant, *Radicum nimirum, Fructuum & Corticum decoctorum*; vel ipso nos ad hoc manuducente gustu, & sapore, quem ex talibus percipimus; adeò, ut, si *mala Cydonia*, aut *Citri Cortices*, frigidè etiam infundimus in *aquam*, genuinum saporem rerum in aqua persentiamus, quæ sapor sive amarus sit, (*à radicibus scil. Cichorii, Corticibus Arantiorum, & Citri*) sive dulcis, (*à Cydoniis, Pyris, malis Persicis, &c.*) aut nonnullis acris, (*à radicibus Pimpinellæ, Enulæ, &c.*) aut adstringens (*ab Acoro vulgari*,) certè ipsa substantia solubilis, & portio magis subtilis illa est, in qua rerum proprietas, virtus, & efficacia delitescit. Hanc igitur *Aquam*, *essentiâ rerum turgidam*, ac beneficio extractionis aut coctionis imbutam, temerè adeò, & incuriè, pessumdare, uti multis non sine gravi notâ hactenus usitatum fuit, sanè nec prudentis, nec exercitati Pharmacopœi est, sed rudis cerebri, & imbecillis muliérculæ. Et quanquam hoc nostrum Theorema & assertum tam evidens sit, & demonstrativè vel ipso sensu gustus verificetur, nihilominus tamen vix nonnullis persuaserim, qui, quo semel est imbuta recens, & immobilis opinio, irrefragabili planè constantiâ, suum potius propugnant errorem,

rorem, virtutes rerum eluunt, & macerando castrant, decocta, subtili & præpotente virtute ac vi ipsorum vegetabilium impraegnata, diffundunt, ac dilapidant; magnum quid, in arte se præstitisse, autumantes, si condita jucunda saltem, dulcia, grata, saccharina tùm ægris tùm sanis, proponant, magis utilia & grata, *sapores nimirum amariusculos, subacidos, &c.* crebris infusionibus aut coctionibus elicitos, tanquam ineptum quid (ut illi insulsè philosophantur, cùm tota ferè rerum crasis & essentia in his lateat) segregantes, ac nihil aliud dispensantes, quàm terrestres & exsuccas partes, condita *Saccharo, & Aromatum fragrantiâ* adulterata, ut apertè constat in *conditis Nucibus Iuglandis, & Carne Citri*; cùm tamen ejusmodi condita minimè fiant, ut palatum saltem demulceant, & sint deliciarum & effæminatæ sensualitatis illecebræ, sed ut virtutes earum hâc formâ & substantia sartas tectas ac intactas tuemur; in quem scopum *Saccharum, & Aromata*, addimus, ut ab interitu, situ, & corruptione vindicemus, ægris etiam plerumque nauseabundis hoc dulci astu & fragrantiâ consulentes.

Conservas verò quod attinet, unicum occurrit, quod in earum præparationibus correctione quâdam indiget, nimirùm *dupla sacchari quantitas*, quæ, respectu *Florum & Herbarum*, imperatur. Etenim, ut jam paulò suprà resolvi, accessorium sequitur principale; &, ut ait Philosophus: propter quod unumquodque tale, illud magis est tale. *Flores, Herbæ, earumque essentia & vigor*, sunt ratio & causa principalis, cur dispensamus Conservas; non verò *Sacchari & Aromatum deliciæ*, quæ accessoria sunt, & conditio, sine qua ejusmodi durabilia non sunt. Quare nimia est *Sacchari quantitas*, sed sufficit in siccioribus *æquale pondus Sacchari*; in *succosis verò, & mucilaginosis, herbis & floribus, libra una, cum dimidia, Sacchari, ad libram unam Florum aut Herbarum*: ne profusa *Sacchari quantitas* precium, dosim, & nauseam, augeat, imò, ut multi Authorum volunt, ventriculo inimico suo fermento, (quod vel à calce vivâ, aut figulorum argillâ, inter clarificandum arripuit) ex toto hostile digestionibus efficiatur, remediorum vires ac virtutem retundat, & infirmet, multaque incommoda accersat.

Plura, quæ de *Conservis* agenda forent, quâ scilicet arte parandæ, ut suo colore perseverent, præsertim *Conserva Rosarum Violarum:* Item; qui *Flores* priùs subtilissimè incidendi sint, priusquam in mortario lapideo contundantur, utpotè *Rosæ rubræ, Flores Anthos, &c.* si dextrè & pereleganter efficere velis earum Conservas: &, an *Saccharum pulverisatum*, an verò *dissolutum, ac iteratò ad consistentiam Tabulati coctum* addendum veniat; ea omnia exercitatis Pharmacopæis trita ac decantata sunt. Quare supersedeo, finemque huic Classi impono, in qua multa Christiano candore abdita revelavi, albo dignissima calculo.

Habes igitur, Amice Lector, preciosam medicamentorum penum, perfacilem ac dilucidam methodum, ad scientiæ Pharmaceuticæ Encyclopædiam addiscendam, stylo, humili, citra verborum lenocinia, aut hyperbolismos, non tàm ad clamosas Peripateticorum porticus vociferando, quàm amico Musis silentio, & verborum modestiâ, tibi revelatam. Habes, inquam, quidquid auxilii humana fragilitas à te sollicitat, quo tàm Cordi, & Cerebro, tanquam principibus, quàm Ventriculo, Lieni & Hepati, vicariis & subalternantibus visceribus, citò, tutò, ac jucundè subvenire possis. Et, quod maximum, tene: habes in malignis & deleteriis affectibus (quos solos nostra saginare cæmiteria, tradidit Helmontius,) utpotè à tota substantiâ nobis hostilibus, in quibus confidas, remedia, ac minimè anceps auxilium experiaris. Quòd si tamen, (quod minimè confiderim) & Tibi, & auxiliis, effectum ac concursum subtrahi quandoque, videris, scias, velim; multas esse in Natura abditas causas, & DEUM abyssum multam.

PHAR-

PHARMACOPOEIÆ REGIÆ


CLASSIS DECIMA QUINTA,

Aquarum Compositarum, Infusionum, & Essentiarum, Absolutissimam Præparationem exhibens.

DUce Philosphiâ, & exactâ rerum naturalium cognitione, opus habet, quisquis dextrè Aquas Compositas dispensare velit: quas, ut ad amussim & concinnè componas, regula & gnomon tibi erunt, L. B. *præmissæ Animadversiones nostræ, ad Augustanam Pharmacopœiam; titulo de Aquis Compositis, de destillatione* item *Aquarum Simplicium in genere, à pag.* 311. *inclusivè, ad pag.* 316. uti & *Appendix Animadversionibus nostris superaddita.* Ex quibus omnibus & singulis genuinus artis Zelotes & æmulator compendiariâ brevitate ediscet, quàm abdita hactenus fuerit ars destillatoriâ; quàm obscura & inaccessa, ne dicam incognita, Galenicorum & Chymicorum nostri seculi evulgatis libris; quàm denique spuria sit, quæ passim venditur, lippis nota & tonsoribus. Patitur sanè difficultates suas, easque prægraves, nec paucas, *Aquarum Compositarum genuina destillatio*; ut proindè demirari satis non possim Scriptores ævi nostri, quòd mancam adeò, & rudi Minervâ, principem hanc Chymiæ & Pharmaciæ partem ad nos transcripserint, & tractârint: quanquam indulgerem nonnihil imbecillitati eorum, nisi à recto tramite deviantes, citra rerum naturalium delectum, præposterâ methodo, *fixa* pariter & *volatilia*, *Mineralia* cum *vegetabilibus* & *animalibus*, quin ipsa *perfectissima Metalla*, eidem committerent destillationi, informe Chaos producendo. An ad Meridianum cæcutiunt, quòd non deprehendunt, hoc esse amethodum; *Mineralia & fixissima quæque, acutissimo ignis gradui etiam resistentia*, leni elixatione, aut destillatione, in minimas Atomos velle resolvere, *fixissima*, affuso liquore, beneficio Alembici, volatilizare, ut, nostræ auscultantia torturæ, parte, quâ pollent, spirituosâ, & volatili, suppositos atque affusos liquores impregnent? Amplissimus nobis pateret campus, pluribus super hâc re commentandi: ne tamen actum agamus, B. L. *ad Animadversiones nostras*, & *Appendicem*, directum volumus, tempus vindicantes, omnem inde habiturum satisfactionem. Impræsentiarum solummodò eas tractabo *Aquarum Compositiones*, quæ homogeneâ magis Ingredientium similitudine, & analogiâ, rationi & usui deserviunt. Quanquàm, ut ingenuè fatear, quod sentio, plus virium & emolumenti tribuam *Essentiis rerum*, & *Infusionibus l. a. elicitis*, quàm ejusmodi *Aquis Compositis destillatis*; eò, quòd *earum virtus concentrata* feliciorem longè & celerem sortiatur effectum. Unde decursu temporis de ejusmodi *Essentiis*, & *Liquoribus*, Canonem & formulas interpolabo.

Et, cùm, *in præmissis Animadversionibus nostris, super Aquas simplices, pag.* 316. modos indigitarim, ex vegetabilibus recentibus aquas dextrè eliciendi, *nullo peregrino liquore, nec aquâ etiam simplici, affusâ* conservatâ individuali perfectione, vi, & virtute, quâ impraegnatæ sunt & gaudent res destillandæ, *quarumque uncia una plus energiæ & roboris habeat*, quàm *libra una, ad normam Officinarum elicitarum:* prædicti verò destillandi modi difficultates quasdam involvant, ut, qui non continuò attentis oculis, destillationibus illis præsit, ignemque moderatissimè regere sciat, facilè *res destillandas* comburat; unde pòst *Aquæ* Empyreuma spirant, atque ingratæ fiunt; idcircò, nè & hoc imposterùm contingat, ac quisvis, penes alios suos labores, paucissimorum carbonum consumptione, exiguo-

que labore, hanc destillationem peragere possit, en, L. Benevole! *Instrumentum destillatorium*, seu *Balneum vaporosum, nuper à me inventum, ari incisum, typoque hîc expressum*, in gratiam Tui communico; quod ex cupro, vel terrâ figulinâ, parari potest.



Constat autem partibus tribus: *Infernâ* scilicet, *cui aqua simplex infunditur*, parvo rostro, à latere pervia, per quod, deficiente aquâ calidâ, in destillatione, nova reaffunditur; superiùs verò planè apertâ, ut medium vas & pars arctè superimponi, & suis commissuris adaptari possit. *Secunda regio figuram Alembici repræsentat*, fundum habens planum; &, ut Capitellum tantò pressius aptari possit, in conum assurgit; unde pars hæc stanno probè obducenda ad intrò. Hæc enim regio ea suscipit, quæ *ex vegetabilibus*, seu *Radicibus, Herbis, Floribus, Succis, Fructibus, Seminibus, Corticibus, Aquis etiam compositis*, destillationi inserviunt. *Succedit denique ipsum Capitellum, Tertia pars balnei*, prout manu Calcographi dextrè delineatum vides.

Balneum hoc vaporosum paucis sumptibus, exiguò, & ferè nullo, labore *destillationibus omnis generis, liquoribus simplicibus æquè, & compositis*, subserviet; dispari tamen ratione, ac reliqua *Balnea*; eò, quòd *in nostro* rerum integræ Essentiæ, primogeneæ qualitates, virtutesque balsamicæ serventur ac perdurent; uti vel

vel maximè in *Oleis Essentialibus stillatis Corticum Arantiorum & Citri* observandum venit; quorum *nativa fragrantia, vires* & *virtus*, multis parasangis *reliqua olea* antevertunt, quæ *largiori aqua affusa* eliciuntur. Et in promptu hujus ratio est, quòd *per aquas*, quas addunt, *spiritus volatilis, oleaginosus & sulphureus* (in quò rerum virtus delitescit) in destillatione fugetur & solvatur; quod graphicè demonstro in *rectificatione dictorum Oleorum Essentialium*, quæ si affusione *aqua communis* rectificaveris, dimidiam partem haud nanciscêris: quorsum ergò absorbta? num in auras, & Lunæ concavum, evolavit? an in *aqua simplici*, quâ cum rectificasti *Oleo prædicta*, delitescit? Verùm hoc sic esse, docebunt communia, cum *oleis*, accidentia, *odor* scilicet, & *fragrantia* ac *sapor*, quæ post rectificationem in *aqua* perdurant. *Olea Essentialia Citri*, & *Corticum Arantiorum*, quæ citra additionem *aqua simplicis* eliciuntur, toto ente differunt ab iis, quibus aquas affundunt: in iis enim *odor genuinus* perseverat, & *consistentiâ suâ* ad annos plures durant; cùm ex opposito illa, quæ *cum aqua* destillaveris, peregrinum quid oleant, ac *Terebinthinam* spirent; vel maximè si fermentatio præcesserit, incrassantur temporis successu, ac *Terebinthinam* tenacitate suâ æmulantur, nihil minùs, quàm primævam *Arantiorum* aut *Citri fragrantiam* referentia. Verùm oppones, hanc meam assertionem contradictorium involvere, cùm in præmissis docuerim, quòd, quò remissiori ignis gradu vegetabilia destillantur, *eò subtiliores saltem eorum partes* ascendant, atque per Alembicum transeant, desideratis aliquantò *partibus terrestribus, & fixioribus*, non contemnendæ virtutis, in residuo: hoc verò loco alio asseram, quòd, quò *intensiori ignis gradu* (subintellige proportionatum huic generi destillationum) vegetabilia per Alembicum distillentur, eò plùs de virtutibus paulò terrestrioribus transmittant. Sed *Balneum Vaporosum* lenissimum vulgò destillandi genus est, ergò per illud *partes tantùm spirituosa & volatiles* elicientur, remanentibus aliquantò *terrestrioribus*. Ad quod notandum, improbabilem esse eorum sententiam, ne dicam minùs veram, qui hoc adstruunt, *Balneum scilicet Vaporosum* levissimum esse destillandi genus. Concesserim, quòd vapor aquæ calidæ, non præfervidæ, qualis in digestionibus & circulationibus Chymicorum familiarissimus, sit *lenissimus ignis gradus*, ad res digerendas putrefaciendasque aptus; ineptus tamen est ad quamlibet fixationem. Verùm vapor *aqua fortiter bullientis ferventisque* & quidem inclusus, licet actualiter non comburat, & incineret (obstante humiditate, & deficiente siccitate, quæ proprium ignis est in quarto modo) eâ tamen *urendi virtute* pollet, ut *gradum caloris arena*, quem simile destillationum genus alioquin ferre potest, non parum exsuperet. Cujus rei periculum facere, liberum cuique esto, digitum ad movendo *vapori aqua bullientis*, à cujus momentanea actione & ustione experietur, quàm *penetrativus* hic sit *calor*, quàm aptus ad partes *æquè terrestriores* & *paulò fixiores*, quàm *spirituosas & volatiles* per Alembicum ducendas; quæ nec per *arenam* quandoque elevantur. Quæcunque enim in *hoc Balneo* destillantur, *humiditas* eorum & *odor* per minima abstrahitur, citrà ullius empyreumatis vestigia, quin imò crasis ipsius vegetabilis, odor, & reliqua accidentia (supposito, quod destillationi huic aptum fuerit, naturæque sulphureæ) per omnia conservantur; quod in vulgata destillationum norma haud reperies. Author proindè sum omnibus præclaræ notæ Pharmacopœis, ut *hujus Instrumenti, & Balnei Vaporosi*, ubi copiam faciant, *essentiales deinceps Aquas, spiritu & virtute propriâ plenas* destillent; ad quas Medicus æquè, ac Æger, tanquam ad sacram anchoram, tuto confugere possit.

Adhiberi etiam potest sæpè dictum *Balneum* ad ea, quæ desiccatione opus habent; è quorum classe sunt *Vipera*, aut *Serpentes*, *partes Animalium*, *Typhi Cervorum*, *ad Pulveres legitimè ex ipsis conficiendos*. Servit & ad destillationem *aquarum ex vivis Animalibus*, *Catellis*, *Hirundinibus*, *&c.* eò emolumento, quod ignis vel ab ipso puero, ascendendo & descendendo per gradus, pro *rei destillanda naturâ* & *exigentiâ*, gubernari se patiatur. Hoc tamen notandum venit; quòd ad intendendum *caloris gradum hujus Balnei*, inter destillandum *prima*

pars Destillatorii, quæ infimum aheni est, præsertim si ex cupro constet, dextrè adeò conficienda sit, ut *secunda*, seu *media pars Balnei* (quæ instar Alembici est plani in fundo) *ab illo primo aheno ad medium usque* excipiatur & comprehendatur; ut & superiùs operculò benè muniatur, ad normam reliquorum balneorum, ne vapori fervidissimo pateat exitus, quin potius *mediam Destillatorii partem, sive Alembicum illum planum*, ambiat undique, prout *figura secunda* delineat. Hoc pacto destillationes Tuas absolves intensò caloris gradu, utilissimo *ad Olea essentialia, & quæ fixa aut terrestria paulò sunt*, impellenda. Hæc de *Aquis simplicibus*, & *compositis*, destillandis præmittenda duxi. Nunc ad *Aquas Compositas*, observato legitimo ordine, convertar.

Aqua Antipoplectica.

℞. Vini Malv. vel Hispanici, lib. sex,
Spir. Vini Anisat. puri, non phlegmatici, lib. octo,
Cerasorum nigr. ardent. libras duas,
Aq. Lilior. Convall. sine addit. ex Baln. n. Vaporoso still. lib. unam;
quibus immergantur successivè, & quidem tempore Veris, subsequentia;
Rad. recent. Pœoniæ unciæ duæ,
Doron. veri unc. duæ sem.
Cyperi rotundi unc. una,
Zedoariæ unc. una semis,
Herb. recent. Basilici,
Betonicæ,
Hormini, seu Salv. sylv.
Majoranæ,
Menthæ odoratæ,
Pulegii,
Calaminthæ mont.
Rorismarini,
Salviæ,
Serpilli,
Thymi, ana floresc. unc. quatuor,
Flor. recent. Acaciæ,
Lilior. convall.
Cheyri,
Lavendulæ,
Flor. recent. Paralyseos,
Pœoniæ,
Tiliæ,
Tunicæ, ana unc. tres,
Sem. Coriandri unc. una semis,
Cardamomi min. in capsulis unc. duæ,
Cubebar. unc. una semis,
Cinamomi optimi unciæ sex,
Caryoph. unciæ duæ,
Nucum Mosch. unciæ tres,
Baccar. Lauri,
Juniperi, ana unc. duæ,
Ligni Rhodii,
Santali Citrin. ana uncia una semis,
Aloës opt. odorif. unc. una,
Cort. Arantiorum recent. extim.
Citri recent. extim. ana unc. una semis.

Omnia debitò tempore collecta & infusa destillentur tandem in Balneo n. vaporoso ad siccitatem ferè specierum, capitello, vel ejus rostro, immissis
Ligni Aloës opt. incis. crass. drach. unâ, &, si lubet,
Ambræ gryseæ drachm. semis,
Moschi opt. Oriental. scrup. uno.

Absolutâ destillatione, *Aqua* usui asservanda, cui, si ita arriserit,
Julapii nostri de Vino lib. una, vel plus,
pro conciliandâ gratiâ, addi potest. *Aqua* hæc roborando Cerebro, & universo Nervorum generi, dicata est; ad roborandam Memoriam, arcendam Apoplexiam, & Paralysin, præstantissima.

Nota: *Cùm sexus Muliebris Moschum & Ambram, pro potiori parte, abominetur, dimidia tantùm hujus Aquæ pars illis compleri potest.*

Aqua Apoplectica alia.

℞. Aquæ Cinamomi, cum vino stillat.
Vini Malvatici, ana lib. quatuor;
Hisce mixtis immergantur
Cinamomi acuti unc. octo,
Caryoph. unc. una,
Nucum Mosch. unc. duæ,
Macis unc. una,

Rad.

Rad. recent. Pœoniæ unc. una ſemis,
Doronici veri unc. una,
Cyperi rotundi unc. una ſemis,
Sem. Coriandri unc. una,
Aniſi unc. una ſemis,
Baccar. Lauri unc. una,
Cardamomi min. unc. una ſemis,
Cubebar. unc. una;

Factâ maceratione deſtillentur per *Balneum n. vaporoſum*, ad ſiccitatem ferè ſpecierum, roſtro capitelli in petia ligatis immiſſis
Ligni Aloës, craſſ. inciſ. drachm. una,
&, ſi lubet,
Ambræ gryſeæ drachm. ſemis.

Præſtans hæc *Aqua deſtillata* ſervetur uſui ſuperiùs edocto.

Aqua Antipoplectica Mineralis.

℞. Cremoris Tartari lib. unam,
Mineræ Antimonii lib. unam ſemis.

Deſtilletur ex iis per *Retortam*, igne moderato, *Spiritus acidus*, qui rectificetur. Hinc

℞. Illius Spiritus unc. ſex;
cui adde
Spirit. Veneris ex viridi æris unc. tres,
Saturni ardentis, ex ſaccharo inſtillat. unc. unam ſemis,
Vitrioli volatilis ſulphurei, ab acido ſuo ſpiritu rectificati, unc. quatuor:
Miſceantur ad uſum.

Eſt *Aqua*, ſeu *Spiritus ſubacidus*, præſtans; in affectibus Apoplecticis, Epilepticis, Soporoſis, ſummè expetendus. Reſerat meatus Cerebri, ſecundæ regionis & medii ventris, ut influentibus ſpiritibus vitalibus & animalibus liber pateat aditus, quò uberius partes contentas irradient. In *Epilepſia Infantum* ſecuriſſimè adhibetur, *à drachma una, ad drachmas duas, in grato aliquo vehiculo.*

Aqua Arthritica.

℞. Rad. Cyperi rotundi,
Pœoniæ recent.
Cardopatiæ,
Pyrethri, ana unc. unam ſemis,
Herb. recent. Chamæpyth.
Calaminthæ mont.
Majoranæ,
Roriſmarin.
Salviæ hortenſ.
Saturejæ,
Serpilli,
Flor. recent. Lavendulæ,
Spicæ, ana unc. tres,
Summitat. Abietis arbor. recent.
Oculor. populi arbor. recent. ana unc. ſex,
Cinamomi acuti,
Coriandri, ana unc. duas,
Caryoph. unc. unam ſemis,
Cardamomi,
Cubebarum,
Macis, ana unc. unam,
Baccar. Lauri unc. tres,
Juniperi recent. virid. uncias quatuor.

Cuncta inciſa & contuſa immergantur in *Spiritus Vini rectificati libras octo*: Factâque maceratione in vaſe probè clauſo, deſtillentur per *Balneum n. vaporoſ.* ad totalem ſpecierum ſiccitatem. *Liquor exſtillatus* ſervetur ad uſum.

Frigidis Articulorum affectibus opitulatur, Nervos corroborat, lentos viſcoſoſque humores, partibus muſculoſis & juncturis impactos, quique profundius deliteſcunt, allicit, attenuat, & ad διαφόρησιν diſponit. Uſus ejus ab extrà nimirùm; unde & Paralyticis, imò Paraplecticis etiam, ſolatio eſt.

Aqua Alexipharmaca.

℞. Rad. recent. Angelicæ,
Leviſtici,
Enulæ, ana unc. tres,
Zedoariæ,
Oſtrutii,
Contrajervæ, ana unciam ſemis,
Herb. recent. Rutæ hortenſ.
Scordii noſtr. ana uncias octo,
Meliſſæ citrat. unc. ſex,
Sem. Rutæ recent. collect. unc. unam,

Bacc. Juniperi unc. quinque,
Lauri unc. duas,
Cort. Arantiorum recent.unc.tres,
Citri recent.& ext.unc.quatuor,
Cinamomi optimi unc.duas,
Macis unc. unam,
Caryoph. unc. unam,
Incisa & contusa immittantur in cucurbitam vitreatam, superaffundendo
Vini albi boni lib. sex:
Factâ digestione, fiat destillatio per *Arenam*, aut per *Balneum n. vaporosum*, ad siccitatem ferè specierum, immissis proboscidi Alembici
Croci Austriaci, vel Orient.
Myrrhæ electæ, ana drachm. unâ,
Camphoræ drachm. semis:
Aqua prolecta cum cautelâ asservetur. Quæ cùm in usum petetur, *Syrupo de Scordio simplici*, vel *composito*, aut *de Corticibus Citri*, edulcorari poterit. *E residuis* autem *speciebus*, beneficio *aquæ*, *seu spiritus vini*, *Extractum* parari potest; cùm ad prophylaxin, tùm etiam curationem. Quòd si efficacius Extractum velis, gustuique consulere, additis *Elaosaccha-ri, Rutæ*, *Citri* & *Angelicæ*, *ana unciâ unâ*, *vel drachmis sex*, hoc ipsum præstabis. Cæterùm, *Aqua*, hæc *Alexipharmaca* in omnibus morbis, qui Malignantis naturæ sunt, quin in ipsa Peste, cùm præservativè, tùm curativè, in usum vocanda. Suaserim etiam, deficiente alio vehiculo, ut in prædicta *Aqua Species Alexipharmacæ*, *Pulveres*, *Electuaria*, *Confectiones Antidotales* diluantur, & ægris propinentur. *Dosis uncia una*, *vel una semis*, pro *sudore eliciendo*.

Aqua ad Auditum.

EJus accurata Descriptio, Utendi modus, & Prærogativæ, annexis insuper cautionibus, ex *Appendice ad Animadversiones pag.*24,25. repetantur; quò B. L. directum volumus.

Aqua Asthmatica.

℞. Spiritûs Vini Anisati, & rectificati, lib. tres,
Vini Malvatici lib. duas:
His mixtis immergantur
Rad.recent. Enulæ unc. duæ, ad quatuor,
Calami Aromat.unc.duæ,
Pimpinellæ unc. tres,
Herb. recent. Anethi,
Calaminthæ mont.
Hyssopi,
Melissæ,
Rorismarini,
Salviæ hortens. ana unc. duæ,
Sem. Anethi,
Anisi,
Carui,
Nasturtii, ana unc.una,
Cinamomi acuti unc. duæ,
Macis unc. una,
Benzoës,
Styracis Calam.ana drachmæ sex,
Croci opt. Orient.vel Austriaci, drach. tres, vel unc. semis,
Bacc. Lauri unc.una,
Juniperi unc. una semis:
Factâ maceratione sufficiente, donec nimirùm omnia infusa & collecta sint, destillentur ex *Balneo nostro vaporoso*, ad siccitatem ferè specierum, proboscidi alembici priùs immittendo
Croci optimi drachm. semis.
Aqua exinde destillata servetur usui; in quem ubi, necessitate adurgente, vocanda, *Syrupo nostro Asthmatico*, vel *Syrupo de Enulâ*, edulcorari potest. Solatio est iis, qui cum stertore phlegmata secernunt, & quibus citatior anhelitus, asthmate prævocatis, senibus catarrho frigido detentis, Pulmonibus denique dicata.

Nota: *Ad pleniorem destillandi cognitionem ea revocentur, quæ* in Animadversionibus super hanc Aquam, pag.136. in Appendice ad Animadversiones, pag.26,27,28. *præmisimus, scitu dignissima, quin & apprimè necessaria.*

Aqua Antiscorbutica.

℞. Aq.Beccabungiæ,
Cochleariæ,
Nasturtii hortens.
Chærefolii,

Aq. Chamædryos, ana ſine addit. ex *Baln. n. vaporoſo* ſtillat. lib. unam,
Ceraſorum nigror. itidem ſine addit. ſtillat. libram unam ſemis.

His Aquis mixtis immergantur
Rad. recent. Raphani ſylv. unc. ſex,
Apii cum toto,
Enulæ,
Calami Aromat.
Pimpinellæ, ana unciæ quatuor,
Bacc. Lauri,
Juniperi virid. ana uncia ſemis,
Sem. Naſturtii,
Urticæ,
Fœniculi,
Coriandri, ana uncia una,
Cinamomi optimi unc. tres,
Nucum Moſch. uncia una ſemis,
Macis uncia una:

Factâ brevi maceratione, poſtquàm ſingula collecta fuerint, deſtillentur ex *Baln. n. vaporoſo*; ſerveturque uſui. Præſentaneum remedium eſt Scorbuticis, (qui Æquinoctiali lineæ Endemius) Hypochondriacis, & quibus Lien globatus in molem; quod roborando, attenuandoque humores, perficit. Ea tamen in conſiderationem trahi hîc velim, quæ, *in Appendice n. pag. 26. de Aqua Anti-Scorbutica D.D. Auguſtanorum* præfati ſumus.

Nota: *Quanquam dictarum Radicum & craſis & temperamentum ad ſiccum tendat, nec earum virtus tota beneficio deſtillationis elici poſſit, ne tamen perperam hanc deſtillationem præceptam fuiſſe arbitreris. Pro potiori enim parte virtutem communicant; quod ex odore harum percipies, maximè ſi recentes ſint. Unde & pondus earum haud parùm auxi; cùm tolerabili pretio undique venales proſtent.*

Aqua, ſeu Balſamum Embryonum.

Tametſi ſuperius, *in Appendice ad Anim-adverſiones, pag. 28.* elegantem, ac numeris omnibus abſolutam, hujus, ut vocant, *Balſami, & Aqua,* deſcriptionem præmiſerim: parem illi tamen hîc Lectori ſiſto: *ſolis ſaltem Roſis, earumque Spiritu, dimiſſis*; quarum fragrantia ſexui fœmineo utplurimùm adverſatur. Ea tamen, quæ, *ibidem*, commentati ſumus Lector in memoriam revocet. Hanc ergo Aquæ, aut Balſami, præparationem nunc aggredior.

Primo Vere, & ſuccedente Æſtate, hæc colligantur:
Flor. recent. Lilior. convall. lib. una ſemis,
Paralyſeos,
Violar. Martial.
Tiliæ,
Tunicæ, ana unc. octo,
Arantiorum unc. ſex,
Lavendulæ,
Anthos cum fol.
Borraginis,
Bugloſſæ ana unc. quatuor, vel quinque,
Fol. Menthæ recent.
Salviæ cum flor. recent.
Major. recent. ana unc. quatuor,
Rad. recent. Pœoniæ unc. duæ,
Cort. Arantiorum
Citri, ſeu Limon. ana recent. & ext. unc. quatuor, vel quinque,
Cinamomi optimi unc. octo,
Nuc. Moſch. unc. duæ,
Macis uncia una ſemis,
Cardamomi,
Cubebarum,
Caryoph. una uncia una,
Croci Auſtr. drach. ſex,
Sem. Carui,
Fœniculi, ana uncia ſemis,
Coriandri uncia una:

Horum quædam inciſa & contuſa, nonnulla etiam integra, utpotè *Flores Liliorum convall. Arantiorum, Tunicæ* (propter tetrum odorem, quem concipiunt, ſi contundantur) immergantur in
Vini Malvatici boni lib. decem,
Spirit. Ceraſ. ardent.
Fragorum ardent. ana lib. unam ſemis,

Aq. Pœoniæ florum,
Melissæ citratæ,
Basilici,
Menthæ, ana sine addit. per Baln. n. vapor. stillat. lib. unam:

Recondantur in locò subterraneò, ad plenam omnium collectionem & infusionem factam; tùm destillentur per *Arenam*, vel potius per *Baln. n. vaporosum*, ad speciérum ferè siccitatem: quæ ubi peracta, servetur *Aqua* ad destinatos ipsi usûs, *Syrupo n. de Cinamomo*, vel *de Corticib. Citri*, aut *Iulapio nostrô Gemmato*, edulcorata propinanda.

Vires habet maximas facultatem Vitalem restaurandi. Præcipuè autem Fœtui adhuc inter uteri angustias deprehenso, quin & Matri dicata est. Adhiberi etiam potest in quocunque languore utriusque sexus; *internè ab unciâ semis, ad drachmas sex: externè*, immersis in illam petiolis, & umbilico gravidarum, regioni cordis, & pulsuum, applicatis: habitâ tamen semper consideratione, ne morbus quispiam exæstuans contra indicet.

Nota; *quòd si fortè, in quibusdam Pharmacopoliis, dicti Cerasorum, & Fragorum, Spiritûs ardentes non prostarent: (licet paratu faciles sint, si Pharmacopœi considerarent; quoniam Dii laboribus omnia vendunt) substituatur Spiritus Vini, Cerasis siccis conquassatis, & à Fragis recentibus, semel atque iterùm abstractus.*

Aqua Cordialis Calida.

℞. Cort. Arantiorum,
Citri, seu Limon. ana recent. & extim. unc. quatuor,
Rosar. recent. seu sale condit. lib. unam,
Flor. Tunicæ recent.
Arantior. recent. ana unc. tres,
Herb. recent. Basiliconis,
Melissæ citratæ, ana unc. quatuor,
Cinamomi opt. acuti uncias quatuor semis,
Macis,
Nucum Moschat. ana unciam unam semis,
Caryoph. unciam unam,
Croci Austriaci, seu Orient. drachm. sex;

quibus incisis & contusis, nec non cucurbitæ vitreæ immissis, superinfundantur

Vini Malvat. seu Hispanici, lib. quinque,
Aq. Fragorum,
de Rubo Idæo,
Lilior. convall. ana sine addit. still. libra una:

Factâ digestione, destillentur, immissis Alembici rostro, in petiâ ligatis

Ambræ gryseæ,
Moschi Orient. ana scrupulo uno,
Croci Austr. drachmâ semis.

Aqua pretiosa & fragrans servetur usui. Animi deliqua & Lipothymias arcet, morbis chronicis & inveteratis detentos solatur. Internè (ubi ægri non nimiùm ferveant) & externè, madefactis eâ linteolis, Cordi & Pulsibus adhibetur.

Aqua Cordialis Frigida.

℞. Aq. Flor. Arantiorum sine addit. still. uncias sex,
Liliorum convallium,
Melissæ citratæ,
de Rubo Idæo, ana sine addit. stillat. lib. duas,
Rosar. pariter sine addit. aquar. sed per baln. n. vaporos. stillat. libras tres,
His immergantur
Herb. recent. Basilici,
Melissæ citratæ, ana unc. sex,
Majoranæ unc. quatuor,
Flor. recent. Arantior. unciæ tres,
Anthos cum foliis,
Buglossæ,
Tunicæ,
Violar. Martial. ana unc. quatuor,
Lavendulæ unciæ tres,
Cort. Arantiorum,
Citri recent. & extim. ana unciæ tres, vel quatuor,
Cinamomi unciæ duæ,

Macis uncia ſemis,
Nuc. Moſch. uncia una,
Croci opt. Orient. drachmæ ſex;
Factâ pôſt maceratione brevi, deſtillentur ex *Baln. n. vaporoſo*, roſtra capitelli, ſi lubet, immiſſis
Croci optimi Auſtriaci drach. ſemis,
Ambræ gryſeæ,
Moſchi Orient. opt. ana ſcrup. uno,
Fiat *Aqua Cordialis* pretioſa. Vires cum ſuperiori communicat. In morbis calidioribus eſt tutior, quòd minùs calidis conſtet.

Aqua Cordialis Frigida alia.

℞. Aq. Fragorum,
de Rubo Idæo,
Meliſſæ citratæ,
Borraginis ex floribus,
Bugloſſæ ex floribus,
Violar. Martial.
Flor. Tunicæ,
Lilior. conval. ana ſine addit. aq. ſimpl. in baln. n. vaporoſo ſtill. lib. unam:
His Aquis immergantur
Roſar. recent. pallidar. libræ duæ,
Flor. Tunicæ recent. unciæ octo,
Cort. ſeu Flaved. Arantiorum,
Citri, ana Limonum, ana unciæ quatuor,
Cinamomi optimi unc. quatuor ſem.
Nucum Moſch. uncia una,
Croci opt. Orient. drachmæ ſex,
Factâ brevi maceratione, deſtilletur per *Balneum n. vaporoſum*, ad ſiccitatem ferè ſpecierum. Servetur *Aqua*: vires ejus *ex ſuperioribus* patent.

Aqua Carminativa.

℞. Aq. flor. Chamomill. ſine addit. ſtillat. libras ſex,
Anethi ex ſummit. cum vino generoſo ſtill. lib. quinque,
His Aquis mixtis immergantur
Flor. Chamomill. Rom. recent. unciæ ſex,
Herb. recent. Meliſſæ,
Origani,
Thymi, ana unciæ tres, vel quatuor,
Sem. Anethi,
Aniſi,
Fœniculi,
Carui, ana uncia una ſemis,
Cumini uncia una,
Flaved. ſeu Cort. Arantiorum,
Citri, ana recent. unciæ duæ,
Baccar. Lauri,
Juniperi, ana uncia una ſemis,
Cinamomi acuti unciæ duæ,
Macis uncia una;
Factâ maceratione brevi, deſtillentur in *Baln. n. vaporoſo*, ad ſiccitatem ſpecierum. *Aqua* ſervetur uſui. Carminativa eſt, adeoque iis, qui Colicâ flatulentâ, torminibus ventris, & crebris eructationibus nidoroſis excruciantur, utiliſſima: roborat Caput & Ventriculum, digeſtiones vitiatas corrigit. *Doſis uncia una*, vel *una ſemis*.

Aqua pro Epithemate Cordis.

Hujus Aquæ deſcriptio petatur *ex Animadverſionibus n. in Pharm. Auguſt. ſuper Aquam pro Epithemate Cordis factis, pag. 299.* & juxta illas præſtantiſſima *Aqua* ad uſus externos, *pro Epithematibus*, deſtilletur & aſſervetur.

Aqua Antepileptica & Cephalica.

℞. Aq. Lilior. conval. ſine addit. ſtillat. libras duas,
Betonicæ,
Flor. Tiliæ,
Pœoniæ,
Ceraſor. nigrorum, ana ſine addit. aq. ſimpl. ſtillat. lib. duas ſemis,
Roſarum ſine addit. ſtillat. & bis à Roſis recent. cohobat. lib. duas,
Vini Hiſpanici libras quatuor.
His mixtis ſucceſſivè immergantur

Flor.

Flor. recent. Acaciæ,
Cheyri,
Paralyseos,
Tunicæ, ana unc. quinque,
Lavendulæ,
Anthos cum foliis, ana unciæ tres semis,
Herb. recent. Basiliconis,
Majoranæ,
Thymi, ana unciæ quatuor,
Rad. recent. Pœoniæ unciæ tres,
Cinamomi acuti opt. unciæ quatuor,
Nucum Mosch. unciæ duæ,
Macis uncia una semis,
Cardamomi minoris,
Cubebarum,
Sem. Anisi, ana uncia una,
Coriandri uncia semis:

Factâ brevi maceratione, ingredientibus omnibus collectis, destillentur per *Arenam*, vel *Baln. n. vaporosum*, rostro capitelli immissis

Rad. Doron. veri drach. duabus,
Ligni Aloës drach. semis:

Aqua destillatione prolecta servetur usui. Virtus ejus Epilepsiam, Vertiginem, hisque affines Capitis affectus respicit; quam Præservationis loco omni tempore, proximè quadram Lunæ antecedente, adhibeas: Curativè autem ipso insultu Epileptico & Paroxysmo instante, externè applicetur, &, si vires ferant, intus assumatur, vel infundatur.

Aqua Antepileptica alia, seu Hirundinum Composita.

℞. Aq. Flor. Lilior. convall.
Pœoniæ,
Tiliæ,
Betonicæ, ana sine addit. aq. s. destill. lib. duas,

His Aquis mixtis, successu temporis, immergantur

Flor. recent. Anthos cum foliis,
Cheyri,
Paralyseos,
Tunicæ,
Flor. recent. Majoranæ,
Rutæ,
Thymi, ana unciæ tres vel quatuor,
Rad. recent. Pœoniæ unciæ tres,
Cardamomi, in capsulis adhuc, uncia una semis,
Cinamomi optimi unc. duæ,
Nuc. Mosch. uncia una semis,
Macis,
Cubebarum,
Coriandri, ana uncia una,
Castorei drach. sex:

Collectis omnibus, & infusis, fiat destillatio in *Balneo n. vaporoso*, ad siccitatem ferè specierum. *Aqua* in vitro benè clauso asservetur.

Jam verò accipe

Pullorum Hirundinum vivorum, non verò crudeliter discerptorum, num. xxx.

Immittantur *vivi adhuc* Balneo n. vaporoso, vel Alembico vitreo, & statim apposito agglutinatoque Capitello vitreo, ac præposito Recipiente, qui *suprà destillatam Aquam* adhuc contineat, fiat *Destillatio* ad omnimodam *pullorum hirundinum exsiccationem* (qui à rarefacto nimium vapore, & calore, citra magnum doloris sensum, illicò præfocantur.) Sic enim *Spiritus vivificus*, unâ cum *elementari aquâ Hirundinum*, *superiori aquæ* unitus, consortii jure efficacissimum reddit liquorem, virtuteque suâ imprægnat (quique aliàs, ex quibuscunque animalibus eum destilles, nullo pacto se figi sinit, quin brevi æthera petat, solo elementari, effœto, & vappæ consimili liquore relicto) arctissimâ copulâ stabilitur & perdurat; quod quidem tantò magis accidet, si *primæ Aquæ stillatæ compositæ* non nihil *de sale quodam fixo* superaddatur, priusquàm *spiritus*, *vitam & symbolum animalis referens superiori aquæ*, beneficio alembici, uniatur. Contingit hæc unio inter *Salia hæc fixa* & *volatilia*, ob symbolum, & naturale sigillum, quo ad se mutuò referuntur. Proindè non inconsultum foret, si *ex Speciebus omnibus ac singulis* (quarum non paucæ sunt (*à destillatione primæ aquæ residuis*, inque cineres redactis, beneficio *Aquæ pluvialis*, *Sal* eliceretur, & sæpè dictæ

Aquæ

Aqua stillata incorporaretur. Hâc enim ratione hæc *Aqua* Cephalica, Epileptica, Hysterica, simul & Uterina, virtute suâ efficeretur, interno externoque usui dicata. In *dosi* assignanda haud error committi potest, cùm in qualitatibus suis temperata sit; à *duobus* ergò, ad *tria cochlearia* tutò propinare licebit.

Nota: Qui *Aquam Hirundinum simplicem*, ex *solis* nimirum *Hirundinum pullis*, eliciendum *vivificum earum Spiritum*, sine additione *aliarum rerum*, destillare satagit, huic Author sum, ut probè observatâ nostrâ, supra datâ, traditione, illicò *Salem fixum* quendam seu *Alkali*, aquæ exstillatæ jungat, cui *spiritus ille vivificus* perpetuo nexu sese unire, constans persistere possit: secus si operatus fueris, nullis limitibus *hos spiritûs* continebis, utut vitrum munias, quin evanescant. Ut autem Tibi, L. B. omnia ad amussim & clarissimè demonstrem, quâ ratione *ex animalibus virtus nativa & essentia tota* sit elicienda, ut beneficio destillationis aquis stillatis compositis plenissimè communicetur, sequentem habeto Canonem: Accipe *Pullos Hirundinum siccos & aridos*, è quibus, beneficio Alembici, *spiritus vivificus*, & *aqua elementaris*, exstillavit, ad normam superiùs traditæ *Aquæ Hirundinum*: *Hos contusos & deplumatos*, quantum fieri potest, Retortæ vitreæ committito, & in arenâ, vel igne etiam aperto, collocato, præpositoque Recipiente destillato, augendo ignem per gradus, ad totalem *radicalis humiditatis* expulsionem, & hirundinum combustionem; quoad Retorta ultimatè candeat. Prodibit *spiritus naturæ salinæ*, unà cum *sale volatili*, passim collo retortæ, & recipientis lateribus adhærente, ac urinosum quid olente, cùm *oleo fœtido ac crasso rubicante*: quæ tria ad invicem commixta, ac ex collo retortæ, quin & lateribus recipientis, studiosè collecta, immittantur Alembico satis alto, vitreo, præposito Recipiente probè munito; fiatque destillatio, vel sublimatio, ex arena (nam in B. M. *salia volatilia* non æquè, ac in arenâ, sublimantur; quod animadversione dignum) quousque videris *salem volatilem* elevari ad capitellum, aut supernam regionem alembici aut phiolæ; continuetur ignis ad omnimodam dicti *salis volatilis* sublimationem, donec etiam aliquid de humido, aut spiritu, subsequatur; & remanebit in fundo *oleum fœtidum*, cum potiore parte *aquositatis*, sale suo volatili ambo spoliata: *aquositas illa in fundo* effœta est, & se habet per modum *aquæ elementaris*, *empyreumaque spirat*; igitur abjicienda: *Oleum verò crassum & fœtidum*, licet illud omni virtute destitutum non censeam, præsertim si *sale suo*, quo per sublimationem privatum, constaret; attamen ex duplici motivo aquis suis uniri nequit: primò propter empyreuma & fœtorem; secundò, quod *inter aquas*, *& olea*, *nexus & unio adæquata intercedere nequeat*: quare, si quis Hystericis, aut Epilepticis, propinare forte velit, separatim asservandum. Existimem tamen, cùm, ut supra commemoravimus, potioribus virtutibus *& sale suo volatili*, exutum sit, nos *Olei hujus fœtidi* jacturam leviter ferre, vel usui externo saltem destinare posse. Hæc tamen fusiùs, analytico & resolutorio modo, deducere placuit, ut viva animalium pateret anatome, quâve ratione, beneficio destillationis, earum virtus, & naturæ balsamus, integrè, ac inviolatè, elici & conservari possit, luculenter demonstrarem.

Nunc eò revertar, unde paulùm digressus sum: *Sal volatilis superiùs sublimatus*, *unà cum paucâ humiditate*, *quæ cum sale suo volatili foris transiit*, *illumque vel totum*, *vel ex parte*, *dissolvit*, Aquæ hirundinum superiùs destilatæ uniatur; & possidebimus *Aquam* virtutes & ideas singularum partium, quibus constat, perfectissimè referentem: pro majori tamen parte *Hirundinum spiritûs vivificos*, *& radicales essentias*, (quas meritò ipsam animalis essentiam dicimus) uberrimè continentem. Tota enim animalium virtus, crasis & energia, in ipso *sale volatili* delitescit, quem, ut subjectos sibi liquores, & spiritus vivificos, imprægnare possit, juxta canones artis elicere, hîc edocueram. Et sic ex genuina hâc Philosophiâ, & dissertatione, luculenter perspicies, quantoperè hallucinentur Authores, & quidem, inter hos *Clarissimus* Quercetanus, *in suâ Pharmacopœia*, *seu Arte Medicâ Dogmatico Hermeticâ*; Mynsichtius, *in suo Armamentario Medico-Chymico*; item *Clarissimus* Schröderus, *in suâ Pharmaco-*

macopœia Medico-Chymica: apud quos præpoſterus hic uſus jam invaluit, ut *Animalium morticinia*, aut illa in partes diſcerpta, affuſo quopiam liquore, & *præmiſſâ ſufficienti elixatione, donec ab oſſibus carnes avellantur*, junctis pluribus aliis *mineralibus*, *terris*, *&c.* in M. B. immittant, ſicque aquas ſuas compoſitas deſtillent; quod quàm perperàm, ne dicam, inconvenienter, & contra artis regulas, prædicti Authores imperent, nemo eſt, qui non perſpiciat, etiam qui Chymicos labores vel à limine ſalutavit, nedum in Philoſophiâ ſeverioribus diſciplinis rude donatus.

Plura de his, in fine hujus Claſſis, vel ad oculum demonſtrabo, ubi Authorum aliquot Aquas Compoſitas ad rectæ rationis tribunal citabo, veritatis partes acturus. Interim cuperem, ut B. L. hûc insereret ea, quæ, occaſione hujus Aquæ hirundinum, *in Appendice ad Animadverſ. à pag.* 31. *ad pag.* 36. non tantùm de hâc Aquâ hirundinum, verùm etiam de aliis, cachinno dignis, aquarum Compoſitionibus, & pluribus, quæ ad artem deſtillatoriam accuratè tractandam pernecceſſaria ſunt, præfatus ſum; additis ibidem pluribus Corollariis, artem concernentibus, quorum jugem memoriam Lectori apprimè commendo.

Aqua Antepileptica alia, è Volucrum ſpecie differentium Pullis.

℞. Pullor. Hirundin. num. XV.
Picarum num. VI. vel VIII.
Turturum num. IX. vel. X.
Cornicum num. IIX.
Ciconiarum num. III. vel IV.

Hi Pulli vivi adhuc immergantur *Baln. n. vaporoſo*, &, protinus aptato Capitello, ſeu Alembico, deſtillentur in vas Recipiens capitello arctè unitum, ad *pullorum omnimodam ſiccitatem*; quod quidem brevi accidit. Aquæ ſtillatæ, & egreſſæ, adde, ac in eâ diſſolve, & quidem pro quavis ejus libra,

Boracis Venetæ drachmas duas,

atque in vitro, cerâ & veſicâ benè clauſo, ſtudiosè interim aſſervata. Jam verò accipe *pullos aridos à deſtillatione relictos, eoſque deplumatos & conquaſſatos, ac retortæ vitreæ immiſſos*, deſtilla gradatim, igne aperto, vel arenæ, ultimò violentiſſimo igne, ut retorta candeat, in vas vitreum recipiens, uſque ad *pullorum combuſtionem*, humiditatiſque radicalis expulſionem. Peractâ deſtillatione, *liquor egreſſus*, unà cum *ſale volatili*, & *oleo fœtido*, calore arenæ, non balnei, per alembicum vitreum, ſat altum, aut longum, ſuo capitello munitum, rectificetur, (verùm ſaltem ad dimidias, vel paulò plùs, quodque in reſiduo manet, Oleum fœtidum, & liquor, rejiciantur.) *Hic liquor rectificatus*, cui *ſal volatile pullorum hirundinum, &c.* totum inhæreat, additis

Spiritûs Ceraſorum nigr. ardent. librâ ſemis,
Aquæ flor. Arantiorum unciis octo,
Nucleor. Perſic. ad pultis formam part. aquæ affuſâ, contuſ. unc. unâ ſemis,
Nucleor. Ceraſ. nigr. cum part. aquæ contuſ. unc. unâ,
Cinamomi opt. unc. unâ ſemis,
Nucum Moſch.
Macis, ana unc. unâ,

denuò per alembicum vitreum, igne arenæ, deſtilletur ad ſiccitatem *ſpecierum additarum*, & quidem *in præmiſſam antè à pullis deſtillatam, & Borace impregnatam Aquam*; quæ ſic unitæ *Aquæ* ſpirituoſæ in vitro arctè clauſo, cum cautelâ, aſſerventur, omnibus inſultibus Epilepticis & Hyſtericis Antidotus, *à drachma una ad duas, vel tres*, in grato aliquo vehiculo propinandæ.

Nota primò, *quòd ex unâ & ſolâ ſpecie dictarum Volucrum, & Pullorum, juxta indigitatum modum, aqua efficaciſſima deſtillari poſſit, ad ſuprà deſcriptos affectûs. Quæ enim magis unitate gaudent, propiùs ad naturæ arcana accedunt. Delectum tantùm ſimilium Volucrum proponere volui, ut, quam ſeligeres, pro deſtilatione aquæ Epilepticæ, liberum foret.* Interim, dum hæc egi, ſecretum Tibi revelaſſe noveris.

Nota ſecundò, *quòd, ſi dictarum volucrum, uno eòdemque tempore copia ad manum non ſit, partitis vicibus, & ſucceſſivè, unius atque alterius deſtillatio ſuccedere poſſit; quæ, ubi ſeorſim ſtillarint, mox in unum confundi poterunt, & ſecundâ deſtillatione plenius uniri;*

ri; pullis ſiccis ſimul aſſervatis, pro ſale extrahendo.

Aqua Antepileptica & Antipodagrica.

CUm hîc loci circa *Animalium deſtillationem* occupemur, anſam arripio, L.B. conſimilem adhuc Aquam, magnæ prærogativæ ac virium, *ex vivis Animalibus* parandam, Tibi revelandi; quæ non tantùm in Epilepſiâ, tàm Infantum, quàm Adultorum, verùm etiam in doloribus Arthriticis, intus foriſque adhibita, maximi futura eſt effectûs. Hujus præparatio ſic ſe habet:

℞. Catellos, ſex, vel octo dies natos, num. v. vel vi.

Eoſque diligenter repurgatos immitte in *Baln. n. vaporoſ.* appoſitoque capitello, & juncturis undique luto benè clauſis, appoſitoque vitro recipiente, deſtillentur ſtatim, ad *omnimodam humiditatis conſumptionem*, *ſpiritûs vivifici expulſionem*, *& Catellorum exſiccationem*; roſtro tamen Capitelli priùs in petia ligatis immiſſis

Borac. Venetæ drach. duabus, vel tribus,
Croci Auſtr. vel Orient. drach. unâ ſem.

Aqua prolecta, *vivifico ſpiritu* turgens, ſtudiosè interim in vitro, cerâ & veſicâ benè clauſo, aſſervetur; dein accipe *catellos ſiccatos & aridos*, quos retortæ vitreæ immiſſos, præpoſitoque Recipiente, deſtilla in arenâ, vel igne aperto, ad *omnimodam radicalis humoris expulſionem, & manifeſtam Catellorum combuſtionem*. *Aqua* ſeu *ſpiritus* ſtillatus, unà cum *Sale volatili*, & *Oleo fœtido*, in cucurbitâ vitreâ rectificetur ad dimidias ſaltem, relictâ parte alterâ mediâ, cum oleo fœtido, in fundo: *Spiritus enim ſalinus*, ad levem ignis gradum, illicò in excipulum tranſit; quod autem reliquum eſt, *craſſus* ſcilicet *oliduſque liquor*, & *oleum*, citra ſpiritûs & ſalis volatilis veſtigia, rejiciatur. Jam verò *Liquor ſalinus hic* & *ſpirituoſus*, cui *ſal volatile* totum inhæret, additis

Spiritûs Ceraſor. nigror. unciis ſex,
Aq. flor. Papav. erratici, ſine addit. ſtillat. unciis quatuor,
Arantiorum unciis duabus,
Summit. Abietis arboris recent.
Oculor. Populi arboris recent. ana unciis quatuor,
Roriſmarini recentis unciis tribus,
Nucum Moſch. unc. una,

denuò in cucurbitâ vitreâ, igne arenæ, deſtilletur, ad ſpecierum uſque ſiccitatem, (cavendum tamen, ne ſpecies aduſtantur, & aqua Empyreuma ſpiret) & quidem *in aquam jam antè à Catellis deſtillatam*, roſtro capitelli immiſſis

Boracis Venetæ drachmis duabus,
Croci Auſtriaci, vel Orient. drachm. una,

Quæ ſic unitæ *Aquæ* ſpirituoſæ, optimè munitæ aſſerventur. Probatur hæc *Aqua* omnibus Epilepticis & Hyſtericis affectibus, in doloribus Colicis, & Arthriticis, intus adhibita; externè verò in Chiragrâ, & Podagrâ, quarum licet characterem non tollat, dolorem tamen, ac earum fervorem, reprimit, fermentum acidum podagricum ſalſedine ſuâ purâ immutando, vique adaperienre ad diaphoreſin diſponendo.

Aqua Maſtichina Stomachica.

℞. Maſtich. elect. uncias quatuor,
Styracis Calamitæ uncias duas ſemis,
Cinamomi optimi uncias duas,
Macis,
Nucum Moſch. ana unc. unam ſemis,
Caryophyllorum unciam unam:

quæ minutim contuſa immergantur in
Vini Malvatici lib. quatuor.

Factâ maceratione per aliquot dies, per *Baln. n. vaporoſ.* ad ſpecierum ferè ſiccitatem deſtillentur. *Aqua* prolecta *Stomachica*, & *Cephalica*, in vitro clauſo benè cuſtodiatur, quæ per ſe, in Ventriculi & Cerebri frigidis affectibus, à craſſa ac vitrea pituita ortum ducentibus, ſummo emolumento cedit, propinata à *drachmis duabus* ad *unciam ſemis* pro *doſi*, ſæpiùs, *vel ſaccharo, vel Syrupo aliquo conveniente* edulcorata. Ex illa *Syrupus* pariter efficax confici poteſt, *ſolâ ſacchari ſ. q.* additâ, ut ſine ullâ coctione aut ebullitione Syrupi acquiratur conſiſtentia: ſumatur nempè *Aquæ hujus libra una*, & *ſacchari libra una ſemis*, ſolaque *ſacchari* in calore leni diſſolutione conficiatur *Syrupus* juſtæ conſiſtentiæ, qui iiſdem, quibus

Aqua, gaudet virtutibus; medicamentis multis stomachicis & cephalicis utilissimè admiscendus.

Nota: Cùm verò *species à destillatione relictæ* quippiam virtutis, præcipuè roborantis, sibi reservarint, solis *spirituosis & essentialibus partibus* per alembicum transfusis; quod præsertim *in Mastiche & Styrace* evenit: quapropter è re erit, *illas* iteratò destillationi, & quidem paulò violentiori, committere, *siccanimirum*, *& non affuso liquore*, per retortam, in arena, vel sabulo, instituendæ, observatis diligenter ignis gradibus, ut levi, per initia, ignis impulsu, *oleum* eliciatur *præstans & fragrantissimum*, *aurei coloris*, quod amovendum, priusquam ignis adaugeatur; hoc subsequetur *rubicundum magis oleum*, *empyreuma nonnihil spirans*, æquè, ac prius, in tempore seponendum ac custodiendum; *tertium verò*, *crassum & fœtidum oleum*, violentissimo igne propulsum, ad suos quoque usûs, tanq. *Balsamum Vulnerarium*, est conservandum.

Primum illud, *coloris aurati*, *oleum*, cum ad internos, tùm externos usûs, verticem capitis, nucham, tempora, nares, ventriculum, cordis regionem, eodem *inungendum*, vel etiam *balsamis commiscendum*, vel etiam additâ *olei Nucistæ* s. q. *Balsamum* ex eò conficiendum, prædictarum partium imbecillitati primariò dicatum.

Secundum verò, *magis rubescens*, *oleum*, unguentis pariter, & balsamis stomachicis, cum fructu admisceri potest, nullo virtutis, aut substantiæ ingredientium facto dispendio: quo feliciter fruere.

Aqua, seu Mixtura Mercurialis Aloëtica.

Ejus descriptio, & præparatio, uti & applicandi modus, petantur ex *Animadvers nostris in Pharmacop. August factis*, *in Aquam Mercurialem*, *pag.* 303, 304.

Aqua Hysterica.

℞. Aqua. Melissæ Cirratæ,
Matricariæ floresc.
Rorismarini,
Aquar. Cerasor. nigr. ana sine addit. aq. s. per Baln. n. vaporos. stillat. lib. unam semis,
Vini Malvatici boni lib duas;
his mixtis immergantur successivè
Rad. Cyperi rotund.
Zedoariæ, ana uncia una semis,
Pœoniæ recent. d. t. coll. unc. duæ,
Herb. recent. Basilici,
Calaminthæ mont.
Menthæ crispæ,
Pulegii,
Thymi, ana unc. tres,
Summit. Anethi unc. duæ,
Flor. recent. Betonicæ,
Salviæ hortensis,
Cheyri, ana unc. una sem.
Cort. Arant. recent. extim. unc. duæ,
Sem. Carui,
Fœniculi, ana uncia una semis,
Coriandi,
Bacc. Lauri, ana uncia una,
Nuc. Mosch. uncia una semis,
Cinamomi opt. unc. tres,
Macis,
Antophyllorum, ana uncia una,
Croci Oriental.
Castorei, ana drach. sex.

Factâ maceratione brevi, postquàm omnia collecta sunt, destillentur per *Baln. n. vaporosum*, rostro alembici immissâ
Croci Oriental. drachmâ semis.

Aqua prolecta servetur in vitro benè clauso; efficaciter servit Melancholicis, Hystericis, & Utero præfocatis. *Dosis à Cochl.* 1. *ad* 3. *plus minùs.*

Aqua Nephritica.

℞. Nucl. Ceras. nigr. uncias duas,
Persicorum uncias sex,
Amygd. amar. uncias quatuor:
Contundantur optime in mortario, ad pultis minutissimam formam, affusâ particula vini Malvatici, vel Rhenani.
Sem. Apii,
Thlaspios,
Milii Solis,
Petroselini, ana unc. duas:

Pari modò ad pultis formam ſubtiliſſimè, additâ etiam ſ.q. vini Malvatici, vel Rhenani contundantur. His duabus pultibus adde præterea

Bacc. Halicacabi unc. unam ſemis,
Juniperi virid. unc. quatuor,
Allii recent. unc. duas,
Cæparum recent. unc. ſex,
Porri recent. (quod ſpecies Cæparum eſt) unc. quatuor,
Rad. recent. Pimpinellæ unc. tres,
Raphani Hyemal. hortenſ. unc. octo,
Calam. Aromat. unc. tres.
Herb. rec. Rutæ murariæ unc. quatuor,
Cinamomi optimi unc. tres,
Macis,
Nucum Moſch. una unc. unam.
Immergantur cuncta in
Vini Rhenani opt. diuretici lib. ſex, vel octo,
Spirit. Ceraſor. ard. lib. ſemis,
Aq. Ceraſ. nigr.
Petroſel. ex toto, benè conquaſſatis, ana ſine addit. aq. ſtillat. lib. una.

Factâ maceratione brevi, poſtquam omnia collecta, & liquoribus immerſa fuerint, deſtillentur ex *Baln. noſtro vaporoſo*, vel *per arenam*, lento igne. *Aqua* ſtillata prolecta ad uſum, in vitro benè clauſo, aſſervetur. Renum parenchymati ſolatio eſt, mundando, detergendo, arenulas & grumos tenuiores ex renibus proſcribendo & atterendo; (unicum calculum jam confirmatum excipias) omnibus Veſicæ affectibus ſummè conducibilis. *Doſis ab uncia una ad duas, in vehiculo grato*; aut *jure alterato ex radice Petroſel.* vel *Ciceribus*, *&c.*

Aqua Ophthalmica, ſeu ad Oculorum Inflammationem.

℞. Herb. recent. Chelidonii,
Euphraſiæ,
Fœniculi, ana lib, duas,
Flor. recent. Roſarum lib. duas ſemis,
Cyani,
Papaveris erratici, ana lib. unam ſemis,
Croci opt. Orient. unc. ſemis.

Subtiliter inciſa & contuſa deſtillentur ex *Balneo n. vaporoſo*, ad ſiccitatem totalem herbarum & florum; ſerveturque *Aqua* in vitro benè clauſo; cujus, ſi placuerit, ſingulis libris

Sacchari Saturni reſolubilis ex Minio, vel ipſo Plumbo, facti drachm. duæ ſemis

addi, ac in eo diſſolvi poſſunt; denuò filtrari & cuſtodiri. Pretioſa eſt in omnibus Oculorum Inflammationibus, Lippitudine, acri Lachryma ſtillantibus ſuffuſione & Cataractâ præcipiti laborantibus. Diſſipat viſcoſos eorum & excrementitios humores, tunicas roborat, à Gutta ſerena præſervat, puſtulas abſumit; extremitate ſubtili penicilli Pictorum, in eâ madente, ad oculorum canthum externum, *guttâ unâ alterâve* inſtillatâ, abſtergendo.

Aqua Odorifera.

℞. Aq. Flor. Arantiorum,
Roſar. fragrantiſſ. ana ſine addit. ſtill. lib. duas.

His mixtis aquis, ac vitro largo & amplo (qualia ſunt, in quibus Conſervæ reconduntur) immiſſis, ſuperinſpergantur leviter, ne fundum petant, ſed aquæ innatent,

Flor. Jaſmin. q. ſ. ut deſuper ſaltem aqua tegatur.

Claudatur deinde vitrum ſupernè chartâ cereaceâ, & veſicâ, ne vitrum, aut aqua in eo contenta, cum ſupernè adſperſis floribus, multum commoveantur, & flores fundum petant: relinquantur hoc ſitu per diem ac noctem; *flores deinde priores* removeantur, *novis ſubſtitutis*: idque toties reiteretur, donec *ſubjectus liquor* odore fragrantiſſimo imbuatur; quem deinde rectifica, & uſui reſerva, in vitro arctiſſimè clauſo: proboſcidi autem vitri immittantur

Ambræ gryſeæ,
Moſchi optimi Orient. ana ſcrupulus unus.

Fiatque *Aqua* fragrantiſſimi odoris, reficiendis ſpiritibus, tàm vitalibus, quam animalibus, aptiſſima; ab intrà vel extrà uſurpanda.

Nota: *Nos in deſtillanda hâc Aquâ Idæam & prototypon reliquarum aquarum hîc Tibi* pro-

proposuisse, censeas; quânam scilicet ratione è floribus Liliorum convallium, Violis Martialibus, Tunicæ, Liliorum alborum, &c. quorum odor, & spiritualis portio, nimium volatilis & fugax est, beneficio Balnei n. vaporosi, odoratissima Aqua elici possit; quæ deinde, inspersis prius aliquoties floribus ejusdem speciei, rectificanda, prout suprà edocuimus.

Aqua Odorifera pro Epithematibus Cordis & Pulsuum.

℞. Aq. Flor. Arantior. lib. semis,
Basilici,
Majoranæ,
Lavendulæ,
Rosar. ana sine addit. stillat. lib. unam semis,
Acet. Flor. Lavendulæ,
Tunicæ,
Rosar. ana n. modò parat. lib. unam.

His liquoribus mixtis immergantur
Rad. Cyperi rotundi,
Ireos Florent. ana unc. una,
Herb. Thymi Cretici recent.
Flor. Arantior. recent. ana unc. duæ,
Ligni Rhodii raspati unc. una semis,
Cinamomi optimi unc. duæ semis,
Caryoph. unc. una,
Nucum Mosch. unc. una semis,
Cort. seu flav. Arantiorum,
Citri, ana recent. & extim. unc. una semis,
Asæ dulcis, seu Benzoës,
Styracis Calam. ana unc. una semis,
Gummi Ladani unc. una.

Factâ brevi maceratione, destillentur ex *Balneo n. vaporoso*, ad siccitatem ferè specierum, Alembici rostro immissis, si lubet,
Moschi optimi Oriental. scrup. uno,
Ambræ gryseæ scrup. semis,
in petia ligatis.

Aqua prolecta fragrans, odoris perfectissimi, servetur in vitro benè clauso. Cardiaca est, viribus cum superiori participatis, intus forisque applicanda.

Nota: *Qui imbecillitati sexus Fœminei non-nihil consulere studet, Moschum & Ambram, Acetum & Aq. Rosarum, omittat, tanquam fœminarum offendiculum.*

Aqua Physogona.

℞. Rad. Calam. Aromat. recent. unciam unam semis,
Galangæ unc. semis,
Fl. Chamomill. Rom. unc. unam sem.
Arantiorum recent. unc. unam,
Cort. Arantiorum,
Citri, ana recent. & extim. unc. duas,
Sem. Apii,
Anisi,
Fœniculi,
Carui,
Coriandri, ana unc. unam semis,
Cumini unc. unam,
Cinamomi optimi unc. duas,
Nucum Mosch. unc. unam semis,
Macis unc. unam,
Caryoph. drachm. sex.

Incisa & contusa crassiusculè immergantur in
Vini Malvatici, seu Hispan. libras duas,
Spiritus vini rectificati lib. quatuor,
Aquæ Cinamomi, cum vino stillat. lib. unam semis.

Factâque maceratione brevi, destillentur ex *Baln. n. vaporoso*, vel *cucurbita vitrea*, in *B. M.* *Aqua* destillata servetur usui; ante exhibitionem grato aliquo *Syrupo* edulcoranda. *Aqua vitæ Carminativa* dici meretur; humores elevatos, ac in flatus attenuatos, beneficio rarefactionis, mirè dissipans ac propellens.

Aqua Purgans.

℞. Aq. ex granis Sambuci,
Ebuli, ana recent. & sine addit. still. lib. unam semis,
Asari ex toto sine addit. tempore vernali still. lib. duas,
Esulæ,
Hellebori, ana ex toto, pariter sine addit. still. lib. unam,

Aq.

Aq. Mercurialis, etiam sine addit. still. lib. duas.

His Aquis, suo tempore collectis & destillatis, mixtis adde

Flor. Rosar. Damascen. lib. semis,
Tanaceti recent.
Aloës hepaticæ, ana unc. quatuor,
Scammonii unc. tres,
Colocynthid.
Olei Tartari per deliquium facti, ana unc. unam semis;

macerentur per Mensem unum, additis postea

Cinamomi acuti opt. unc. una semis,
Sem. Fœniculi,
Anisi, ana unc. unâ,

destillentur ex *Baln. n. vaporoso*, ad siccitatem specierum, semel atque iterum cohobando. Laxat alvum, humores peccantes promiscuè & suaviter educit. *Dosis ab uncia semis, ad unam, duas, ad usque tres.*

Nota: *Asserui*, in præmissis meis Animadversionibus, *Cathartica vegetabilia simplici destillatione, liquoribus insuper illis affusis, suas non addere destillando virtutes Catharticas, sed eas in fundo alembici, aut residuo, manere. Hic tamen illud accidit, artificiosiori nimirùm destillatione, cohobatione, & fermentatione, quarum ope, si non omnes, ex parte saltem, suas præbent virtutes subtiliores destillato ista vegetabilia. Hanc igitur compositionem huic operi inserere, consultum duxi.*

Aqua Hypnotica, seu Anodyna, aut Somnifera.

℞. Aq. Flor. Nymphææ albæ,
Papaveris erratici,
Solani hortens.
Sempervivi major.
Hyoscyami,
Capitum Papav. recent. & maturescent. ana suo tempore collect. & sine addit. ex *Baln. n. vaporoso* still. lib. duas,
Vini Malv. lib. duas semis.
His mixtis immergantur
Sem. Papaveris Albi,
Nigri,
Hyoscyami,
Lolii, ana unc. duæ semis,

priùs in mortario probè & minutissimè incisa & contusa, ad pultis formam, additâ s.q. Aquarum prædictarum, seu vini Malvatici: porrò adde

Pomorum Mandrag. rec. num. xv.
Opii Thebaici unc. tres:

Factâque maceratione & fermentatione per dies ferè xv. additisque postmodum

Croci optimi Orient. unc. unâ,
Cinamomi acuti,
Nuc. Mosch. ana unc. una semis,
Caryoph. unc. semis,

destillentur ex *Baln. n. vaporoso*, ad siccitatem specierum, binis vicibus cohobando. *Aqua* prolecta servetur. Vires ejus Anodynæ sunt, & in omnibus vigiliis diuturnis, ac quibuscunque doloribus, uti & morbis ardentibus, (peste & malignis febribus exceptis) auxilio cedit. Refrigerat insuper ac humectat, sumpta *ab unciâ unâ, plus minusve;* habitâ tamen ratione & morbi, & ætatis.

Aqua Perlarum Confortativa.

℞. Aq. Melissæ Citratæ,
Cerasorum nigr.
de Rubo Idæo, sine addit. still. unc. sex,
Cinamomi sine vino,
Rosar. sine addit. still. ana unc. quatuor.

In his mixtis Aquis solvantur

Magist. Perlar. Orient.
Corallior. rubr.
Matris Perlar. ana solub. n. drachm. una semis,
addendo
Syr. de Corticibus Citri n. seu Acetositatis Citri n. m. parati, unc. tres,
Essent. Citri sacch. n. ex recent. cort. parat. unciam semis vel unciam unam:

Misceantur exactè, fiatque *Aqua Perlata* clara & efficax in omnibus Animi defectionibus & Lipothymiis, *ab unciâ semis* ad *unam*, vel *ultrà*.

Nota

Nota primò: *Hanc Aquam si quis volet reddere gratiorem, id præstatum iri facillimè Spiritus Vitrioli, aut succi recentis Limonum s.q. addità.* Secundo: *Hanc Aquam in magna quantitate simul non esse dispensandam atque asservandam, propter Syrupos, & saccharum illi admixtum; quæ successu temporis fermentationem & aciditatem quandam inducere possent.*

Tinctura Rosarum.

℞. Flor. Rosar. rubr. siccat. unc. unam,
Tunicæ sicc. rub. drachm. duas;
His affundantur in vase terreo
Aq. fontan. ferventis lib. quatuor,
in quâ priùs
Tamarind. recent. unc. una
parùm, vel semel tantùm, ebullierit in vase pariter terreo, neutiquam in æneo, aut aurichalc. ne quid æruginosum aut amarum sapiat; hisque ulteriùs adde
Spir. Vitrioli Martis gut. xv. vel xx.
cum autem refrixerint, colentur & filtrentur, superaddendo
Aq. Rosar. fragrantiss. sine addit. stillat. unc. quatuor,
Syr. Violarum Martialium,
de Papav. errat. ana unc. duas.
Fiatque *Potus* præstans, in prædominio caloris, & febribus ardentibus; quod refrigerando & humectando præstat. Corroborat insuper hepar, ac ventriculi digestionem promovet.

Nota, *quòd, si hac Tinctura in Dysenteriâ, & Diarrhæâ immoderata foret propinanda, Tamarindos omittere, &, eorum loco, Galangam, Mastichen, rad. Chinæ, Cydonia, & his affinia, cum ebullitione in aquâ præmissa, substituere, consulerem.*

Elixir vitæ Cephalicum, & Stomachicum.

℞. Spirit. Vini optimè rectif. lib. XII.
His immergantur successivè incis. & contus.
Rad. rec. Calami Arom. unc. una sem.
Cyperi rotundi,
Doronici veri,
Galangæ. ana unc. unâ,
Herb. recent. Melissæ, Citr.
Rorismarini cum flor.
Basilici effloresc.
Majoranæ, ana unc. una semis,
Flor. recent. Arantiorum,
Betonicæ,
Tunicæ, ana unc. una sem.
Rosarum unc. quatuor,
Lavendulæ unc. una,
Sem. Anisi,
Carui,
Coriandri, ana unc. una,
Cinamomi optimi acuti unc. quatuor,
Nucum Mosch. unc. una semis,
Caryophyllorum,
Macis,
Cardamomi min.
Baccar. Lauri, ana unc. una,
Cubebarum drachmæ sex,
Cort. seu flaved. Arantiorum,
Citri, ana recent. & extim. unc. una,
Ligni Aloës raspati optimi unc. semis,
Rhodii raspati optimi unc. una:
Factâ brevi maceratione, postquam successivè collecta sunt, destillentur ex *Balneo n. vaporoso*, ad siccitatem ferè specierum, rostro Alembici immissis
Ambræ grys. scrupulo uno, vel drach. semis,
Moschi optimi Orient. scrupulo uno,
&, si lubet,
Asæ dulcis, seu Benzoës, &
Styrac. Calam. ana drachm. unâ semis,
cunctis invicem in petiâ ligatis.
Spiritus prolectus (cui ea, quæ rostro Alembici imposita fuêre, aliquandiu, pro meliori extractione, immergi possunt) dulcoretur cum libra unâ & dimidiâ
Julapii Rosarum, vel
Julapii ex Vino n. m. parat.
Eritque *Elixir* præstans in omnibus Affectibus frigidis Cerebri & Ventriculi; Epilepticis & Apoplecticis auxilio est: internè *cum Syrupo, vel Iulapiis*; deforis autem, *sine his*, effectui datum.

Elixir, seu Aqua vitæ Antipestilentialis.

℞. Rad. Angelicæ recent.
Enulæ recent.
Imperatoriæ,
Zedoariæ,
Herb. recent. Scordii nostr.
Rutæ hortens. ana uncias duas,
Flor. recent. Calendulæ,
Arantiorum, &
Citri, si haberi possint,
Sambuci,
Tunicæ, ana unc. unam semis,
Granorum Juniperi unc. tres,
Cort. Arantiorum recent. & extim.
Citri recent. & extim.
Cinamomi optimi, ana unciam unam semis,
Sem. Anisi,
Coriandri,
Myrrhæ rubræ,
Caryophyllorum,
Nuc. Mosch. ana unc. unam,
Spirit. Vini rectificati lib. XIV.

Factâ maceratione, donec omnia successivè collecta sint, destillentur ex *Baln. n. vaporoso*, rostro capitelli immissis
Succini drachmis duabus,
Croci opt. drachmâ unâ semis,
Camphoræ drachm. semis, vel drachm. unâ.

Aqua vitæ elicita dulcoretur cum
Syr. de Cort. Citr. n. lib. una, vel una sem. servetur usui.

Est *Aqua vitæ*, peste grassante, præservativè assumenda.

Elixir Alliatum Antipestilentiale.

℞. Alli recent. unc. duas,
Cinamomi optimi unc. unam semis,
Nucum Mosch. unc. unam,
Spirit. Juniperi ex Baccis lib. quatuor;

Destillentur ex *Baln. n. vaporoso* ad siccitatem, rostro capitelli immissis
Succini albi drachmis duabus,
Camphoræ drachm. semis:

Spiritus egressus dulcoretur cum
Syr. de Cort. Citri, vel
de Scordio nost. unciis octo.

Servetur ad usum futurum, tanquam *Aqua vitæ*, pro Plebe, tempore Pestis, ad præservationem offerenda.

Liquor, seu Essentia Alexipharmaca.

℞. Aq. Scordii,
Rutæ, ana sine addit. aq. simpl. still. lib. duas,
Cortic. Citri,
Flor. Arantiorum, ana lib. semis;

His Aquis immergantur
Rad. Angelicæ,
Enulæ,
Imperatoriæ,
Zedoariæ, ana unc. una semis,
Flor. Calendulæ,
Sambuci,
Tunicæ, ana rec. unc. una semis,
Gran. Juniperi unc. tres,
Sem. Angelicæ,
Anisi,
Myrrhæ rubræ, ana unc. una,
Nucum Moschat.
Macis,
Cinamomi optimi, ana drach. sex.

Factâ maceratione brevi, destillentur ex *Baln. n. vaporoso*, ad siccitatem specierum, rostro capitelli immissis
Camphoræ scrupulo uno,
Succini albi drachmis duabus.

Liquori egresso denuò immergantur
Rad. Zedoariæ,
Contrajervæ,
Cort. Citri recent. extim. ana unc. una semis,
Arantior. recent. unc. una,
Myrrhæ rubræ unc. semis.
Croci opt. Oriental. drachm. duæ.

Digerantur per aliquot dies, in loco saltem frigido, vel tepido, colentur, pòst & filtrentur; *Essentiaque* servetur. In omnibus morbis naturæ malignantis, ut febribus Petechialibus, Castrensibus, Hungaricis, vera Antidotus, *à drachmis duabus, ad unciam semis, unciam unam, duas, pro sudore eliciendo.*

Nota; *quòd ejusmodi Essentiæ ultrà dimidium anni durabiles haud sint, eò, quòd careant spiritibus ardentibus. Proinde seduli Pharmacopœi strenuè adlaborabunt, ut supra dictas Aquas destillatas in promptu habeant; utpote quæ ætatem ferunt: è quibus Essentiæ illicò parari poterunt.*

Notandum præterea, *inconsultum esse, prædictas Essentias, antequàm in usum actu vocentur Syrupo aliquo appropriato alterare; perfacilè enim à saccharo acescunt: quòd si verò necessitas earum usum imperet, sumito Essentiæ, ante dictæ unciam unam, Syrupi de Scordio nostro, aut de Corticibus Citri n. unciam semis, (uter eorum arriserit magis,) & pro dosi exhibeto.*

Ulteriùs advertendum, *quòd in Regionibus ad Aquilonem sitis, copia Florum Citri & Arantiorum, Malorum Citrinorum, tanta non extet, quanta pro destillandis ex iisdem aquis desideratur. Proinde consilium suggero Pharmacopœis, ut vel ex Austrinis partibus sibi ferant suppetias; aut Aquam Scorzoneræ, similemque appropriatam, substituant.*

Essentiæ Antidotales Alexipharmacæ.

Latissimum campum & messem, ut ajunt, Tibi adaperui, L. B. *in Appendice n. ad Animadversiones n. pag. 25, 26.* Quo ex loco dispares earum dispositiones & inventa petito. Virtutem autem, & vires suas, primariò exerunt, malignas qualitates, in corpore humano restagnantes, acriter oppugnando. Quare, tempore contagionis sævientis à *Cochleari uno, ad duo*, horis matutinis, ante egressum domus, per modum prophylaxeos exhiberi poterunt: in curatione autem *drachma una, aut altera*, cum reliquis Alexipharmacis, præscribi poterit.

Liquor Alexipharmacus.

℞. Cort. Citri, aut Limon. recent. & extim. drachm. sex,
Sem. Citri drachm. tres,
Cardui Benedicti,
Rutæ, ana drachm. duas,
Myrrhæ rubræ drachm. unam semis,
Amygd. dulc. decortic. pro exactiori dissolut. myrrhæ, drachm. tres.
Contundantur benè in Mortario, cum
Aq. Scordii,
Scorzoneræ,
Rutæ, ana unc. tribus:
Fiat Emulsio, quæ colanda, & Colaturæ addendæ
Syr. de Scord n. simpl. drachm. sex,
de Cort. Citri n. unc. una:
Misceantur pro *tribus* circiter *dosibus.*

Hic *Liquor*, seu *Emulsio* extemporanea, (nam ejus substantia ætatem & tempus non fert,) inter pretiosa quæque Cardiaca meritò notanda. In morbis, quorum curatio à centro ad circumferentiam uti Morbillis, Variolis, Petechiis, ipsaque Peste, tutius tuto exhibetur.

Liquor Cordialis Temperatus.

℞. Rad. Cyperi rotundi,
Ireos Florent. ana unc. unam,
Flor. recent. Borraginis,
Buglossæ,
Rorismarini cum foliis,
Tunicæ, ana unc. unam semis,
Rosar. unc. sex,
Cort. Arant.
Citri, ana recent. & ext. unc. duas,
Cinamomi optimi unc. duas semis,
Ligni Rhodii raspat.
Nucum Moschat.
Macis, ana unc. unam,
Croci Oriental. unc. unam semis.
Incisa & contusa, quæ requirunt, immergantur in
Vini Malvatici lib. sex, vel octo:
Factâ maceratione, destillentur ex *Baln. n. vaporoso*, ad lib. v. vel vi. exstillationem: *Aquæ* spirituosæ egressæ porrò immergantur
Cort. Arantiorum,
Citri ana recent. & extim. unc. una,
Granor. Chermes unc. semis,
Ligni Aloës opt. gum. drachm. duæ,
Croci Austriaci drachma una,
Ambræ gryseæ,
Moschi Orient. opt. ana scrup. unus:

Factâ

Factâ maceratione, duobus circiter diebus, in loco tepidiori, pòst coletur & filtretur *Essentia:* in quâ tandem dissolve

Magist. solub. Perlar. Or. drach. unam,
Corallior. rubr.
Matris Perlarum, ana drachm. duas.

Porrò filtretur, & servetur *Essentia* in vitro optimè munitò; quæ, si sic necessitas ferat, *Syrupo de Cinamomo*, aut *Iulapio Rosarum*, edulcorari potest. Nam hâc ratione, sine *Saccharo & Syrupis*, Essentias à fermentatione, situ, & corruptelâ, diu munitas asservabis.

Cardiacum est, magnæ virtutis, ad Syncopas, Tremores, Animi defectiones & Languores expetendum: à Malignis & Pestiferis præservat morbis. *Dosis aliquot Cochlearia.*

Liquor Cordialis Refrigerans, Extemporaneus.

℞. Cort. Arantior. recent. & extim. unc. semis,
Citri recent. & extim. unc. unam,
Granorum Chermes drachm. unam,
Ambræ gryseæ grana v.
Sem. Citri excortic. scrup. unum, vel drachm. semis,
Sacch. Can. albiss. unc. duas.

Contundantur optimè & diu in Mortario, ad pultis formam; pòst diluantur

Aq. Melissæ,
Lilior. convallium,
Rosar. fragrant.
de Rubo Idæo, ana sine addit. aq. simpl. still. unc. sex,
Flor. Arantiorum unc. duabus;

Et colentur: filtreturque Colatura; cui superaddito

Magist. n. solub. Perlar. Orient. scrupul. unum,
Corallior. rubr.
Matris Perlar. ana drach. semis,
Succi Limonum,
Granator. ana recent. & jamjam express. unc. unam semis,
Syr. Granatorum unc. duas.

Misceantur pro *Potu* Cordiali, & refrigerante; *cujus unciæ duæ, tres, vel amplius*, æstuantibus, lassisque ægris, iterato propinari poterunt. *Ambra* autem, propter hos, quibus contrariatur, omitti potest; pari ratione *Aqua Rosarum*, quarum vices subeat *Aqua florum Tunicæ.*

Liquor Lithontripticus.

℞. Nucleor. Persicor. unc. duas,
Cerasor. drachm. sex,
Rad. rec. Apii,
Liquiritiæ,
Petroselini,
Pimpinellæ, ana unc. unam semis,
Raphani hortens. acrioris unc. quatuor,
Herb. rec. Rutæ murar. unc. unam semis,
Sem. Nasturtii,
Apii,
Thlaspios,
Urticæ, ana unc. unam,
Bacc. Juniperi unc unam semis,
Alkekengi,
Ligni Nephritici, ana drachm. sex,
Cinamomi acuti unc. unam,
Macis unc. semis,
Borac. Venetæ drachm. duas.

Nuclei Persicorum & *Cerasorum*, *semina* item, *Baccæ* quoque *Iuniperi* & *Alkekengi*, contundantur probè ac minutim in Mortario, additâ s. q. *Aquæ Cinamomi* ad pultis formam. His addantur *Radices recentes*, nonnullis radulâ comminutis, reliquis incisis & contusis: quibus omnibus mixtis, atque cucurbitæ vitreæ injectis, superaffundantur

Spir. Juniperi rectif. è baccis lib. duæ,
Cerasorum lib. semis
Vini Rhenani optimi albi lib. quatuor:

Factâ digestione, diebus aliquot, in tepido saltem loco, vitro probè clauso, fiat colatura cum forti expressione specierum; filtrata mox *Essentia* servetur in vitro benè clauso: quæ, quotiescunque trahenda in usum, *Syrupis appropriatis*, utpotè *Acetositatis Citri*, *Fragorum*, aut consimili, additis *guttis aliquot Spiritûs Vitrioli*,

poterit alterari. Respicit *Essentia* hæc Renum affectiones; celebris proindè est in calculosis dispositionibus, in Δυσυρίᾳ, Tartaro, & sabulo renum exorbitante; auxilio quoque est Muliebri utero, cujus menstruum profluvium potenter excitat, absterfis crassioribus humoribus, ejusque sinus dilatando. *Dosis uncia una*, ad *unam semis*, vel *cochlearia duo*, ad *tria*.

Liquor, seu Essentia Nephritica alia.

℞. Succi Raphani hyemal. hortenf. recent. expreff. libram unam semis,
Petroselini ex toto,
Nasturtii hortensis,
Chærefolii, ana recent. expreff. unc. decem,
Vini albi Rhenani lib. tres,
Spiritus Juniperi ex baccis lib. unam:
His immergantur
Nucleor. Persicor. unc. tres,
Cerasorum unc. una semis, ad pultis formam priùs contusor.
Cæparum recent. unc. sex,
Porrorum (quod genus Cæparum est,)
Herb. Urtic. min.
Rutæ murariæ, ana recent. unc. tres,
Cinamomi optimi unc. una semis,
Macis uncia una,
Terebinth. odorat. unc. quatuor:

Factâ digestione per biduum, destillentur ad siccitatem ferè specierum, ex *Baln. n. vaporoso*. *Aqua* huic per destillationem elicitæ denuò immergatur
Ligni Nephritici incis. unc. una semis:
Stent in loco frigido per septimanam, filtrentur; addaturque
Oculor. Cancror. unc. semis,
solutorum priùs in
Spir. n. Veneris rectific. s. q.

Hâc solutione adjunctâ, denuò filtretur *Essentia* ac usui asservetur. Quam si exhibueris, ad quamvis *libram* ejus jungito *Syrupi Acetositatis Citri uncias duas*. Vires cum superiori pares habet, nisi quòd Scorbuticis & Lienosis apprimè conducat. *Datur ab uncia una, ad uncias duas.*

Liquor Hepaticus, & Spleneticus, Aperitivus, & Antiscorbuticus.

℞. Olei Tartari per deliquium facti lib. tres:

Ab hoc liquore abstrahatur, destillando per Retortam vitream, in arenâ, tota humiditas, ad siccitatem *Salis Tartari, in residuo manentis*; quâ interim asservatâ, sumito
Vini albi Rhenani lib. quinque;
cui immergantur
Rad. recent. Apii,
Pimpinellæ,
Enulæ,
Levistici, ana unc. duæ,
Herb. recent. Nasturtii hortenf.
Cochleariæ,
Chærefolii, ana unc. quatuor,
Rorismarini,
Verbenæ, ana uncia una semis,
Flor. recent. Rosar. rubr. unciæ tres,
Sem. Fœniculi,
Apii, ana uncia una,
Bacc. Juniperi unc. una semis,
Lauri uncia semis,
Cinamomi optimi unc. una semis:

Factâ brevi maceratione, abstrahantur destillando libræ tres: *Aqua egressa spirituosa cum superiore liquore asservato, à Sale Tartari stillato*, commisceatur; quibus dein immergantur sequentia minutim incisa; utpote,
Rad. recent. Pimpinellæ,
Cichorii sylvestr.
Apii, ana unc. una,
Herb. recent. Agrimoniæ,
Absinthii nostr.
Nasturtii hortenf.
Cochleariæ, ana unc. una semis,
Flor. Rosar. rubr. recent. unc. duæ,
Cichorii recent. unc. una,
Sem. Nasturtii,
Urticæ, ana drachmæ duæ,

Santalii

Santali rubri uncia ſemis,
Cremoris Tartari uncia una:

Factâ denuò digeſtione, in loco frigido, aut cellâ, donec, aliquot dierum ſpatio, omnia ſint collecta, fiat deindè colatura cum forti expreſſione, quæ filtranda, & uſui aſſervanda, in loco frigido, ſine *Sacchari* aut *Syrupi* alicujus additione; ad evitandam fermentationem, quam ſaccharata in aquoſis illicò ſuſcitant. Poterit autem, urgente neceſſitate, hæc *Eſſentia Syrupis appropriatis* in inſtanti condiri, ad lubitum & gratiam.

Efficax & magnum auxilium hinc ſibi polliceantur Lienoſi, Scorbutici, & cujuſcunque ſpeciei Hydropici; eò quòd *Eſſentia* hæc Hepatis, Lienis, Meſenterii, Pancreatis anguſtias & obſtructiones feliciter reſeret, & tollat. *Doſis ab uncia una, ad unam ſemis.*

Liquor ad Gonorrhœam Virulentam & diuturnam.

℞. Vini albi Rhenani lib. ſex;
huic immergantur inciſæ & contuſæ
Rad. Ireos Florent. uncia una ſemis,
Cyperi rotundi uncia una,
Herb. recent. Menthæ criſpæ,
Hyperici floreſc.
Rutæ,
Scordii,
Roriſmarin.
Flor. recent. Nymphææ,
Roſarum,
Papav. errat.
Verbaſci, ana unc. duæ,
Sem. Fœniculi,
Agni Caſti, ana unc. una ſemis,
Macis uncia ſemis,
Terebinthinæ claræ unc. quatuor:

Factâ brevi digeſtione, deſtillentur in *Balneo vaporoſo*. Evocentur autem ſaltem *Aquæ libræ quatuor ſemis* circiter, (*nam phlegma vini*, quod per deſtillationem ultimatè ſuccedit, plenum nauſeâ, ſaporis & odoris ingratiſſimi, ad extrahendas Eſſentias ineptum) & pauliſper aſſerventur. *Liquori* igitur huic, nonnihil ſpirituoſo, egreſſo, *Oleo Terebinthinæ* in ſuperficie ab eò ſeparato (quod eidem affectui etiam ſolum remedio eſt,) porro immergantur inciſæ & contuſæ; nimirùm,

Rad. Cyperi rotundi,
Ireos Florentinæ,
Cynogloſſæ,
Biſtortæ,
Tormentillæ, ana uncia ſemis,
Flor. recent. Nymphææ,
Papav. erratici,
Roſar. rubr. ana unc. una ſemis,
Sem. Agni Caſti uncia una,
Lactucæ,
Cannabis,
Papaver. albi,
Rutæ, ana contuſ. cum modico aquæ, drachmæ ſex,
Croci optimi drachma una,
Sacchari Saturni reſolub. drachma una ſemis:

Digeſtione factâ per dies aliquot, in loco tepido, fiat colatura cum forti expreſſione; quæ diligenter filtranda per chartam, & uſui aſſervanda, in loco frigido. Efficaciter ſubſervit hæc *Eſſentia* iis, quos virulenta & diuturnior Gonorrhæa peſſundedit. Sanat Renum & Paraſtaticarum glandularum ulcera, ad *aliquot Cochlearia* iteratò exhibita; præmiſſis *purgantibus*, iiſque *à Mercurio* mutuatis, & *injectionibus* conſimilibus.

Acetum Antipeſtilentiale.

℞. Rad. Angelicæ,
Leviſtici, ana uncias tres,
Herb. recent. Meliſſæ,
Rutæ hortenſ.
Scordii noſtr. ana uncias quatuor,
Roſ. recent. uncias tres.
Granor. Juniperi uncias quatuor,
Cort. Citri recent. extrim. unc. unam ſemis:

Hæc, inciſa & contuſa, immergantur in *Aceti Vini boni libris* XII. Factâ aliquali digeſtione, abſtrahatur *Acetum*, deſtillando in Alembico vitreo ad ſiccitatem; *Aceto* huic abſtracto denuò immitte

Rad. Angelicæ,
Contrajervæ,
Enulæ recent.
Morsûs Diaboli,
Zedoariæ, ana unc. unam semis,
Herb.recent.Rutæ,
Scordii nostr. ana uncias duas,
Croci opt.Orient.drachm. duas,
Cort. Citri recent. extim. unc. unam semis,
Granorum Juniperi,
Myrrhæ rubræ,ana unc. unam:

Stent in infusione, loco calido, vitro benè clauso, per septimanam; colentur postea, atque filtrentur: filtrato *Aceto* adde, dùm in usum venire debet, pro *qualibet librâ unâ*.

Mellis Citrati n. m. parati uncias duas vel tres.

Efficax est in Peste & Malignis febribus, cùm pro præservatione, ante egressum, matutinis horis, *unum* aut *duo cochlearia* sumendo; tùm curativè, Potiunculis sudoriferis immiscendo, à *drachmis duabus*, ad *unciam semis*.

Acetorum Medicinalium

vera præparatio sub formulâ sequentis *Aceti Rosacei* adumbratur:

℞. Rof.recent.Damascen.pallid.& contus. lib. duas;
immergantur in
Aceti Vini boni lib. octo:

Factâque digestione brevi, destilletur, sive abstrahatur *Acetum* per cucurbitam, vel alembicum vitreum, ad siccitatem ferè Rosarum: destillato *Aceto* denuò injiciantur

Flor. Rof.rub.recent. unciæ octo,
tempore verno; vel
Rof. sicc.rub.unciæ quatuor,
tempore hyberno.

Stent in infusione diebus aliquot,colentur pòst, filtrentur, ac reponantur usui. Juxta hunc modum *omnia Herbar. Florum, & Fructuum; utpotè Fragorum, & de Rubo Idæo, Aceta* legitimè & dextrè parari possunt.

Liquor, seu Epithema Hepaticum Aperiens.

℞. Olei Tart.per deliquium facti lib.duas,
Vini albi boni lib. quatuor,
Camphoræ drachm. tres;

Fiat in alembico vitreo, calore arenæ, *aquositatis vinosa* abstractio ad siccitatem *Salis Tartari*; quod ad alios usûs, in pristinum liquorem, per deliquium conversum, reponatur. *Aqua* verò stillatæ immergantur sequentia incisa & contusa:

Rad. recent. Bryoniæ,
Enulæ,
Pimpinellæ,
Apii,ana unc. una semis,
Herb.recent. Absinthii,
Agrimoniæ,
Nasturtii hort.
Chærefolii,
Persicariæ,ana unc. duæ,
Rof. rub. recent. unciæ duæ,
Baccar. Juniperi virid. uncia una,
Gummi Ammoniaci pulv. drach. sex,
Ol. Tart. per deliquium facti unciæ duæ:

Factâ maceratione horis XXIV. fiat Colatura, cum expressione; filtretur per chartam bibulam, usuique statim applicetur. Nam ad diuturnum tempus asservari nequit; quamvis ad aliquot septimanas durabile sit.

Est *Liquor*, seu *Epithema* obstructiones reserans, Hepatis regioni, intinctis in eò petiis quadruplicatis, deforis impositum. Fovet & roborat insitum hujus visceris calorem, ac in deobstruendo palmam præripit *Emplastris*, *resinis calidioribus & unctuosis constantibus*. Illud tamen in applicatione hujus Remedii observandum, ut *petiæ, madentes hoc liquore, chartâ inceratâ* deforis muniantur; totam alioquin liquorem linteaminibus & interulis absorpturis.

Liquor, seu Epithema Spleneticum Aperiens.

℞. Ol. Tartari per deliquium facti lib. duas,
Vini albi boni lib. quatuor,
Camphoræ unciam semis:

Fiat per alembicum vitreum, in arenâ, abstractio totius humiditatis, ad siccitatem *Salis Tartari*. *Liquori* egresso injiciantur

Rad.

Rad. recent. Apii,
Bryoniæ,
Pimpinellæ,
Fœniculi,
Raphani hort. ana conscisſ. & conquasſ. uncia una ſemis,
Herb. recent. Cochleariæ,
Nicotianæ,
Naſturtii hortenſ.
Verbenæ,
Perſicariæ, ana conſcisſ. & conquasſ. unc. duæ,
Sem. Naſturtii,
Urticæ, ana uncia ſemis,
Bacc. Juniperi virid. uncia una ſemis,
Pulv. Gummi Ammon. uncia ſemis, vel drachmæ ſex,
Salis Ammon. uncia ſemis;

Factâ maceratione horis circiter xxiv. fiat colatura cum forti expreſſione. Expreſſum, ſi libet, filtretur; quamvis non ſit opus filtratione; citra quam intenſius agit. *Epithema* hoc eaſdem vires & effectûs Lieni communicat, quas, ſuprà deſcriptum, Hepati. Quare indè omnis informatio & notæ repetantur.

His ſic ad calcem perductis, habes, L. B. Eſſentiarum, & Liquorum, ad arcendos quoſvis è corporibus morbos, utiliſſimum compendium: quam difficilem ſpartam hoc uno ductus motivo ſubii, ut Tibi in nocte denſiſſima facem accenderem, ac luce clariùs demonſtrarem, *non è quovis ligno*, ut ajunt, *fieri Mercurium*; nec *quodvis è quolibet*, citra rationis & genuinæ Philoſophiæ leges, in actum duci: quin, ad exprimendos ejuſmodi medicatos Liquores, è quibus congenitæ vires, velut totidem radii, integrè reſpendent, magnum *Vegetabilium*, *Radicum*, *Herbarumque* requiri delectum; cùm, pro maxima ſui parte, ejuſmodi vegetabilia *Decoctionibus*, & parandis *Extractis* aptiora ſint, quàm *Deſtillationi*: & ſive *Decoctioni*, ſive *Extractioni*, ſubjiciantur; ſemper tamen vires earum in abſtractione reſiduæ maneant, nequaquam verò pro voto per Alembicum funduntur. Et ſi quis in hujuſmodi laboribus rem vigili oculo obſervaverit, deprehendet manifeſtè, *modum extrahendi* & *decoquendi vegetabilia*, è diametro opponi *modo deſtillandi*. Quæ enim extrahi, aut decoqui, à natura apta nata, ſic comparata ſint, oportet, ut inviolatæ eorum vires, natura, & craſis, in Extractorum abſtractione (quæ abſtractio genuina deſtillatio dicenda,) ad multarum librarum quandoque exhalationem, in reſiduo tamen perdurent: viceversâ, quæ in receptaculum, beneficio Alembici, vires ſuas exſudare coguntur, ſive in ſimplicium, ſive compoſitarum aquarum deſtillatione id accidat, quidquid virtutis, energiæ, & vivifici Nectaris, poſſident, vaporetenus, & virtute rarefactionis, in liquorem converſa, præſtant, relicto craſſo, effœto, ac exſucco craſſamento, nullius frugis, quàm ut foras projiciatur. Quod ſi neutra ex parte accidat; neque decocta, & extracta; neque deſtillata, & liquores, ſimplicium vires, & Idæas referent. Quid enim (ex Te requiro) emolumenti, & virium, à *decocto*, aut *extracto quopiam* expectaveris, cujus *virtus*, *ſpirituoſa portio*, *vaporetenus elevata*, exhalavit? Quam efficaciam habituri ſunt *liquores*, & *aquæ ſtillatæ*, quarum ſimplicia, è quibus deſtillantur, exantlata intenſi caloris etiam torturâ, *vires tamen ſuas ad fundum*, *velut ſentinam*, demergent, & ſervabunt? Patet igitur duce Philoſophiâ (quod ipſum in Proœmio innui) opus habere, quiſquis dextrè artem deſtillandi exercere cupit; nec cuivis homini contingere, adire Corinthum. Manifeſtè igitur ſeſe proſtituunt, qui, nullo habito diſcrimine, *omnis Claſſis Vegetabilia*, *Radices*, *Herbas*, *Flores*, *Semina*, *Ligna*, *Cortices*, *&c.* *Animalia*, & *Mineralia*, *fixa* quæque, uni eidemque deſtillationi ſubjiciunt; nullo præmiſſo diſcurſu, & factâ rerum analyſi, an *partes*, *quibus conſtant*, *volatiles*, *an fixæ*; *ſulphureæ*, *an terreſtres ſint*: num verò *tertio ſe habeant modò*.

Et verò, indulgendum eſſet aliquid, hâc ex parte, imbecillitati Tyronum, niſi in eâdem navi, magnæ cæteroquin famæ Practici, & Conſummatiſſimi (judicio vulgi) Chymici, turpiter naufragi remigarent; adeò quidem, ut ab ipſis quandoque Lixis meliorem, & culinariam Philoſophiam experiri poſſent, ſedulò obſervando, quòd ejuſmodi farinæ homines *vegetabilia quæcunque eſculenta*, *animalia*, & *horum*

horum partes, diu multumque elixent, igne aperto torreant, ac assent, citra virium & substantiæ jacturam; quæ in nostrum mox cedunt alimentum, quadris & conviviis aptissima: eosque, huic quotidianæ experientiæ minimè contradicturos, spero; nisi *vaporibus*, *& rerum Atomis*, saturari malint, quæ inter elixationes evaporant, relictis nobis pro pignore obsoniis. E contrariò, hoc ævo nostro irrequietæ Mulierculæ *ex frumento Spiritum adustum*, *sed præmissâ fermentatione*; ut & *ex facibus vini*, *& vino ipso* simpliciter, sine *prægressa fermentatione*, *Spiritus ardentes* elicere noverunt, ad gloriosam invidiam, ne dicam æmulationem, ejusmodi Chymicis, qui *spirituosa, sulphurea, & balsamica naturâ suâ existentiâ, vel arte, ac fermentatione, quandoque talia facta*, violentis ac diuturnis *coctionibus*, *& ebullitionibus* destinant; pro essentiis rerum, *insipidam vappam*, *crassum terreumque sedimentum*, exhalante *parte spirituosâ*, cum risu reportantes. Hoc quotidianâ Experientiâ confirmant prædicti Chymici, dùm *Vinum*, dùm *Aquas spirituosas fragrantes*, ad suas *decoctiones* destinant, & usque *ad medias*, *vel plus*, exhalare sinere præcipiunt: quanquam, admisso uno absurdo, plura sequi, necesse sit. Nisi enim id agant, debitam, quam præcipiunt, consistentiam eorum medicamenta, hoc modo ab iis indigitata, non nanciscuntur.

Decumanis hisce erroribus ut maturiùs subvenirem, jam dudum, in *præmissis meis Animadversionibus super Aquas destillandas simplices* annotavi; *Tria esse Genera, vel Classes, Vegetabilium inter se discrepantium.* Quædam n. illorum *naturæ balsamicæ sunt*, ac inter destillandum (simplici scilicet destillatione, affuso aliquo eis liquore) *vires suas integrè & plenariè* reddunt; quod *odor & sapor* manifestum facit: quorum ex numero sunt, *Cinamomum*, *Caryophylli*, *Anisum*, *Fœniculum*, *Caruum*, *&c.* Alia *medio se habent modo*, & solum *odorem* communicant, relicto *sapore acri*, *dulci*, *amaro*, *&c. virtuteque roborante*, in subsidentiâ, uti sunt, *Absinthium*, *Rosæ*, *Tanacetum*, *Citria poma*, *& innumera dulcia*, *amara*. Reliqua *nec odorem*, *nec saporem*, *aut utile quid*, aquis suis, inter destillandum, imprimunt; sed *virtutes integras* in residuo detinent; nisi exiguum aliquem *odorem graminosum*, *& aquam elementarem*, in censum voces. Tantus adeò, de *vegetabilium differentiâ*, sese discurrendi campus reserat, ut nullum ferè sit vegetabile, quod suam non exigat Regulam, quâ ratione, inter destillandum, à Chymico & Medico sit tractandum. Ast humeris nostris impar labor, atque tractatus vastissimo Volumine haud comprehensibilis. Pro circumstantia igitur temporis, & nostræ conditionis, in *tres Classes* illas subdivisi, ut brevior, per exempla, fieret doctrina; veritasque emineret, quàm præpostere ineptissima quæque destillationibus committant ævi nostri Scriptores, ut citiùs quandoque è pumice aquam, quàm ex destillandis ejusmodi *vegetabilibus*, *mineralibus*, *& animalibus*, *Liquorem*, *spiritu & virtute impregnatum*, elicias. At verò habet & hæc iniquissima causa suum Mecænatem, ac quærunt hoc sibi diverticulum, & ignorantiæ asylum, sæpè dicti Authores, ut inter destillandum terrestria hæc, *salem aliquem volatilem, unà cum liquore & humiditate*, in receptaculum transire, ac rapi, somnient ac fingant; non advertentes, quod *Vegetabilia pauco, aut nullo, sale volatili* constent, ac per consequens nec in illum resolvi possint: juxta illud tritum, per ignem inaugurati Philosophi: *ex iis res quæpiam constat, in qua per artem denuò resolvi potest.* At demus habenas Disputationi: dato, non concesso, quòd *sal aliquis volatilis impropriè dictus insit* ejusmodi terrestrioribus naturâ suâ simplicibus; necessariò ejus vestigia *sapore*, *odore*, prout in *Aromaticis*, *Balsamicis*, *& Scorbuticis aquis* perciperentur; sed nihil horum in illis, præterquàm aqua elementaris, insipida ac inodora, quæ ab iisdem destillando prodit, sese manifestat. Quare verò verius comprobatum manet, nullum *substantiale existens sal volatile ex Vegetabilibus*, uti *ex animalibus* indies accidit, arte elici posse nisi *salem fixum*, & hoc ipsum non, nisi *præmissa incineratione*: *Salem verò nitrosum*, perpauca quædam reddere; quod ipsum tamen *sali volatili huic Idæali* æquiparari non potest; cùm per alembicum neque adscendat, nec viribus Aquas destillatas nobilitet. Quod si neque his argumentis tenebræ plùs quàm

Cim-

Cimmeriæ eos dimittant, ut vel per rimam veritatis radius eos feriat, manum tabulæ admoveant, Pyrotechniam, Carbones & Furnos tractent, futuri exinde veritatis Candidati. Interim deponant muliebres questus & suspiria, quòd *Medicamenta*, *Compositiones*, & *Panaceæ eorum pro voto effectus suos non sortiantur*, probè considerantes, aliud sequi non posse, post tot *vegetabilium castrationes*, quàm virium & virtutis dispendia; quin satiùs aliquantò se fecisse, si ipsa *vegetabilia crudissima* propinassent, quàm *effœtas has Aquas destillatas*, *Decocta*, & *Extracta*, velut totidem Medicinæ probra.

Superest nunc, ut & huic Quæstioni satisfaciamus, quando diximus, quòd, uti *non quodvis è quolibet fit*; ita non *omnia Vegetabilia ad destillandum apta sint*; (secus enim *nullum vegetabile vel extractioni, vel coctioni, aut assationi* utiliter committi posset, quin protinus ejus virtutes, primâ statim coctione, avolarent, & nos non, nisi amurcâ inutili, à decoctis residuâ, saturaremur) nec è contra *omnia Vegetabilia Extractionibus* & *Decoctionibus* indiscriminatim sese subjiciant. Quâ ratione igitur assequemur, ut ea, quæ *destillationi apta non sunt*, nec aquas præstantes & spirituosas reddunt, in *Essentias*, aquis destillatis præstantiores, redigamus? Pariter etiam, cùm *modus Destillandi opponatur Decoctionis* & *Extrahendi modo*, doceamus viam, quâ *ejusmodi Extracta* dextrè conficienda sint, ne & illa, in *abstractione*, *vires suas* omnimodè deperdant, quin perfectissimè contineant. Hoc ut paucis absolvam, ponamus pro normâ *tria dicta Genera*, & *Classes*, *Vegetabilium*, *ex naturâ ad Decoctiones* & *Extractiones*, & *Destillationes differentium*. Quo habito fundamento, statuitur primùm; *quod illa*, quæ *primæ Classis sunt*, ad *destillationem apta ac nata sint*, viresque suas pro arbitrio nostro communicent, sæpè etiam, nullo affuso peregrino liquore; ad *Decoctiones* vero, & *Extracta ex illis paranda*, *ineptissima*; cùm ea, quæ inter angustias & limites Alembici clausa, ad receptaculum; per destillationem rarefacta, deferrentur; violenter verò & simpliciter in aprico per ebullitionem decocta, utpotè *sulphurea aërea*, illicò avolarent, superstite crassamento, (utut munias vasa, in quibus decoctiones istæ violentæ celebrantur, in vanum agis; uti jam superiùs demonstravi.) Similiter in *abstractionibus eorundem Extractorum*, unà cum menstruo abstrahendo, prodirent *partes tenuiores* & *essentiales*, relicto exsucco, inodoro, insipido, & crassamento inutili. Talia sunt, uti jam retuli: *Cinamomum*, *Caryophylli*, *Anisum*, &c. Quare mirum est, quòd Clarissimus ipse Schröderus, *in Pharmacopœia sua Medico-Chymica*, ex *Aromatibus*, & *Sulphureis naturâ suâ vegetabilibus*, efficacissima Extracta parare vult; cùm hoc in Terminis implicatorium sit.

Ex priori doctrina deducimus sequentem: Cùm *Contrariorum eadem* sit *ratio*, & *Vegetabilia Tertiæ Classis* diametraliter opponantur *Vegetabilibus Classis primæ*, nihil scilicet virium & energiæ per Alembicum, utut destilles, communicantibus; quod priora tamen præstant efficacissimè: sequitur legitimâ formâ; *Vegetabilia Classis tertiæ ad Extractiones* & *Decoctiones* saltem, velut esculenta, accomodanda esse, neutiquam verò *ad Destillationes*; nisi operam & oleum deperdere velis. Talia sunt, *Cichorium*, *Acetosa*, *Endivia*, *Taraxacon*, *Species Betæ*, & *Brassicæ*, *Fructus plurimi acidi*, *dulces*, *amari*, &c. Restant *secundæ Classis Vegetabilia*, *medio se modo habentia*; quam ob rem severiori indagine perscrutanda: quâ ratione nimirùm ex illis & *Aquæ*, *simplicium virtutibus prægnantes*, destillari, & *Decoctiones*, aut *Extracta*, vires & characterem rerum extractarum referentia, parari debeant. Verùm, cùm se medio quodammodo habeant, partim *naturâ suâ balsamica*, & *partium tenuium*; partim verò *terrestrium* & *crassarum*: neutrum ex illis perfectè communi viâ elici poterit. Sive enim *destillaveris*, sive *decoctionibus* & *extractioni destinaveris*; utrinque ad scopulum alliseris. Rem hanc exemplo *foliis Absinthii* illustremus; *Aqua* etenim *Absinthii simplici destillatione stillata*, *odorem vegetabilis sui*, & *spiritum*, manifestè & ubertim designat; *saporem v. amarissimum*, & *Ponticum*, nec adumbrat quidem; sequitur proindè, quòd *virtute roborante ventriculum*, *hepar*, *ac reliqua viscera*, exuta sit aqua hæc stillatitia; quod nemo sani judi-

cii inficias ibit. *Virtus ergò illa corroborans antè dicta viscera*, in residuo latitat, solâ superstite, in aquâ, parte spirituosâ penetrante. E contrario, si *Decoctiones*, *aut Extracta*, *ex eodem Absinthio* apparare velis, eadem te manet Charybdis. Nam subtilissimas, & æthereas, partes penetrantes, in exhalatione menstrui ad justam consistentiam, ibis deperditum. Ut proindè, in alto fluctuanti, manum Tibi extendam, modumque revelem, quo modo ex similibus remedia apta, viribus simplicium plenè dotata, obtineas; sic procedito:

Accipe *Absinthii recentis bonam quantitatem*, quam conscissam, ac *Baln. n. vaporoso* immissam, destilla, ad totalem siccitatem; aquam odore & spiritu Absinthii turgidam eliciendo, in residuo v. manente *Absinthio sicco*, *sapore ipsius* intacto, ac per consequens ad *Extracta*, *& Decoctiones*, *æquè idoneo*, ac si *Absinthium* per seipsum & industriâ desiccatum, pro conficiendis *Extractis*, in futurum destinasses, aptum pariter ad *salem elixiviandum*, præmissâ, sub aprico, incineratione; æquè, ac si in substantiâ *Absinthium* simpliciter exsiccatum esset. Nunc ulterius procedendum, ut nimirùm, quod *aquæ stillatæ*, *ex sapore & viribus roborantibus*, decedit, aliundè suppleamus, veramque *Essentiam* ex illa aquâ comparando, omnia in unum reducamus. Quod, ut consequamur, paretur ex *residuo*, *à destillatione*, *Absinthio*, (vel alio recenter desiccato) beneficio *Spiritûs Vini*, *vel alterius menstrui* appropriati, *Extractum justæ consistentiæ*; cujus præparandi dexteritas bonæ notæ Pharmacopœis cognita est. Ulteriùs non tantùm ex ipso *à destillatione relicto*, *sed novo adjecto Absinthio*, præmissâ, in aprico, incineratione eliciatur *Sal fixus*, *probè depuratus*. Hæc tria legitimè ac dextrè parata, (quæ meritò principia principiantia, & realia, dici merentur,) *Aqua* nimirum *destillata Extractum*, & *Sal fixus Absinthii*, denuò conjungantur, ut una, ex omnibus, *Essentia*, validumque remedium, integras vegetabilis sui vires referens, emergat; sic procedendo:

℞. Aq. Absinthii legitimè, uti supra st. ord. still. lib. duas;
In hâc solvantur
Salis Absinth. drach. tres, vel unc. sem.

hocque soluto, in eâ ipsâ aquâ diluantur
Extracti Absinthii drachmæ sex.

Et sine ulteriori digestione, quæ supervacanea est, filtrentur; & usui servetur *Essentia*, in loco frigido. At verò, cùm hæc, & consimiles Essentiæ, cæteroquin efficacissimæ, sine situ, quem contrahunt, in longum non perdurent; in pauca quantitate sunt dispensandæ; cùm hæc Mixtura, præhabitis, & in ordinem redactis, principiis, de quibus suprà actum, in instanti parari possit. Vel, in locum *Essentiæ liquidæ*, *Extractum Essentiale conficiatur*, in multos annos durabile, viribus non impar, ne dicam, superiùs, jam dictæ *Essentiæ liquidæ*. Quo ipso janua Tibi unà patefit, per quam, ad genuinam ejusmodi Extractorum parandorum methodum, nullo obstaculo addiscendam, gradiaris. Paretur sequenti ordine:

℞. Extract. Absinth. legitimè parati, & ad justam consistentiam redacti, unc. duas:
cui adde
Salis Absinthii ritè præparati drachm. tres, vel quatuor,
Ol. Stillat. Absinth. drachm. unam,
sed prius cum
Sacch. Candi albiss. pulv. unciâ unâ in Elæosaccharum redacti.

Fiatque perfecta *Mixtura*, seu *Extractum Essentiale*, consistans & permanens, diu asservandum; quod, quando in usum vocandum, *propriâ aquâ* dilui, vel cum aliis vehiculis propinari potest.

Alia Essentia liquida sequenti modo parari potest.

℞. Salis Absinthii ritè parati & purific. unc. unam;
cui instillentur
Olei Absinthii Still. drach. duæ;
digerantur in phiolâ benè clausâ, septimanâ unâ; cui *Mixturæ* tandem superaffundantur
Aq. Absinthii, sine ullâ addit. per *Baln. n. vaporos.* still. lib. duæ semis,
Spirit. Absinthii ardent. lib. semis:
Circulentur adhuc diebus aliquot, tandem filtren-

trentur. Fiatque sic *Essentia* etiam nobilissima *Absinthii*, usui asservanda.

Ex his, Lector Amice, concinnam atque compendiariam habes Methodum ac Idæam, *ex omnibus istiusmodi vegetabilibus arcana formandi medicamina*; ita, ut id, quod ex una parte tuam eludit operam, ac in præstans converti nequit medicamen, sub *alia forma*, *&* *consistentia*, feliciori Metamorphosi auscultet: adeò quidem, ut, si quis ea, quæ per discursum *hujus Classis*, præclarâ methodo, ac magni ponderis rationibus, ac sententiis, decisa legerit, fateri (nisi iniquus sit,) & ultrò adstipulari necesse habeat, talia esse, & quidem è simplici omnibusque obvio vegetabili enata, quæ etiam *famosis Panaceis*, & sesquipedalibus verbis notatis *arcanis*, incomparabilis famæ Authorum, palmam felicissimè sunt præreptura. Arduum enim est, & non, nisi ex rarissimis contingentibus, *quòd tot, tamque heterogenea, re & specie differentia, vegetabilia* (taceo Mineralia, Ligna, Cortices, &c.) sub unam cadant præparationem, primogeneas retineant virtutes, ac sibi non contrarientur. Quod manifestè elucet, in vulgatis Authorum destillationibus *Aquarum Compositarum*, in quibus quandoque tot numerabis errores, quot partes totam Compositionem ingrediuntur. Nec hæc dixero, quòd primus extiterim, qui omnes suas Compositiones ad limam, ut ajunt, ita elaboravit, quin juxta eas operantibus nonnihil adhuc virium, ab hoc aut illo vegetabili, in residuo quandoque videre contingat: hoc solùm assero, me pro virili certasse, ut, si quid virium in destillatione, etiam nolentibus nobis, decedit; tum aucto pondere, multiplicatis ejusdem rationis ingredientibus, dexteriori destillatione, jacturam hanc feliciter resarcirem, maximo ægrotantium emolumento.

Discursum igitur hunc, de *genuina Aquarum, tàm simplicium, quàm compositarum, destillatione*, amicâ brevitate concludam. Ex quibus maturè consideratis, nec non iis, quæ *præmissæ Animadversiones*, *&* *Appendix*, *locis citatis*, præcipiunt, multùm ruminatis, æquissimus Lector inferet: Ergo artis est, & exercitati Philosophi, in tot dissitis à se *Vegetabilibus*, *Animalibus*, *Mineralibus*, *&c.* destillandis & dispensandis, suam cuique notare stationem, ne *heterogenea homogeneis*, *volatilia fixis*, *aptis ineptissima*, uni destillationi committant; &, quod vulgi parœmiâ fertur, *appingant Aprum undis*, *Delphinum sylvis*, *aut paleam Cani*, *dent Asino ossa*; sibimet contradictorii. Talia autem quotidiano usu accidere, ut fusiùs, juxta superiùs promissa, demonstrem, ac contraria contrariis opposita magis elucescant; *unam alteramvè Compositionem* examini subjiciam: non, ut vanam inde gloriolam aucuper, omniumque vultûs & ora in me convertam; (absit procul hæc labes, ac turpis macula, absit!) sed ut iis, qui etiamnum Medicinæ Tyrocinium agunt, saniora dogmata, genuinæ Philosophiæ theoremata, velut cum lacte instillem, charitatis plena ubera, ne dicam, viscera, erga illos gestans; tùm etiam, ut in Medica palæstra nondum exercitatis Practicis, & initiantibus, verâ analysi ejusmodi *famosas Compositiones* (quibus nec Jupiter contrariè ausit) dextrè resolvam, ac, quàm multum sit in rebus inane, palàm faciam. Injuriâ enim temporum hæc accidunt, ut, quæ olim oderis; ipsa assuetudine probes; velut per traducem in nos derivatis erroribus. Spero tamen, quod genuini Medicinæ filii sese ablactari sinent, ac, toto cœlo errantes, regium tenebunt iter, maturè, secum deliberando; tutius esse, redire seriùs, quàm currere perperàm; meliora deinceps æmulando charismata.

Agmen igitur ducant ex Quercetano Redivivo *petitæ Compositiones*, & quidem, *è Tomo secundo Pharmacopœiæ ejus*, *pag.* 256. hujus, quæ sequitur, inscriptionis, de verbo ad verbum:

Aqua Hirundinum Antepileptica Quercetani.

℞. *Hirundinum adhuc in nido existentium octo, vel decem paria,*
Flor. Lilii convall. pugill. ij.
Caryophyllorum,
Macis, ana unciam semis.

Coquantur omnia in duabus, tribusve heminis vini albi optimi, dein exprimantur fortiter, & destillentur. Hujus Aquæ Cochlearia duo, hoc morbo correptis, exhibeantur.

Promptè enim à præsenti paroxysmo liberat, futurumque prohibet.

Hanc me primùm docuit D. Rondeletius, Medicus celeberrimus Monspeliensis, & Præceptor meus, quam tamen pro magno, & non revelando, secreto celabat. Eidem Hirundinum Aquæ paucula, quæ sequuntur, adjeci; cujus etiam felices & mirandas vidi experientias.

Alia aqua Hirundinum Quercetani.

Accipe sex, vel septem, vel plures, si velis, suo tempore, Hirundinum nidos, cùm ipsi lanugine cooperiri incipiunt. Hos integros in alembicum proprium conjice, destilla, & aquam inde effluentem asserva; deindè fæces, adhuc in fundo subsidentes residuas, in cinerem, quâ decet, arte, redige; ex quo sume libram semis,

Cinerum Cranii humani, &, si fieri potest, non humati, ℥ iij,
Castorei ℥ i ß,
Pulv. Visci quercini ℥ j,
Succi radic. & fol. Pæoniæ ℥ vj,
Aq. Flor. Hyssopi,
Tiliæ arboris,
Lilii convallium, ana ℔ j,
Aceti scillitic. ℔ ß. quibus infunde aquam omnem, quam ex Hirundinibus elicuisti; macerentur omnia per aliquot dies, per ignem Balnei; dein per cineres, aut saltem per balneum vaporosum, ad integram siccitatem destillentur. Eâ enim ratione aqua ἐμπύρευμα non redolebit, sed cum omnibus suis qualitatibus integris & requisitis, effluet. Hæc aqua per se sola, sale suo imbuta, (præmissis tamen, per mensem, generalibus remediis convenientibus) ad medium cochleare sumpta mirabiles effectus prodit. Hucusque Quercetanus.

Ex succinctis hisce *Compositionibus*, L. B. sequentes licet observare errores: Primò *Coctionem Hirundinum juniorum, Flor. Lilii convallium, Caryophyllorum*, & *Macis*. *Hirundines* quod spectat, illæ, sicut & *reliqua animalia perfectiora, earumque carnes*, diu multumque coqui possunt, sine virium suarum dispendio. Sola enim, quæ iis affunditur, *aquositas* inter coquendum & ebullitionem, exhalat, prout magis vel minus diu coquuntur, *hirundinibus integris viribus* in residuo manentibus; sicut & reliquæ *omnes carnes*, post violentam elixationem, virtute suâ nutritiva, & qualitatibus cæteris, integrè gaudent; nec tàm delitiosi genii, ac gustûs, ullum hactenus offerende licuit, qui, repudiatis *carnium substantiis*, in sublime *evolantes elixandarum atomos*, pro cibo, veluti *muscas in aurâ venaretur*. Num enim, præceptâ hâc *Hirundinum coctura*, ad nutum Authoris, illæ sensim volatizari debent, ut demùm, priùs benè elixatæ, suas tandem vires destillando communicent? Ast hoc inconveniens est; neque Philosophum sapit, eò persuaderi. Hoc enim supposito, deberet ultimum temporis instans determinari, quando *per cocturam volatizari* incipiant, ut, huic erepti, statim *destillationi* committantur. Hæc autem facilè ex præscriptis suprà *Aquis meis Antepilepticis, ex Hirundinibus & omni Volucrum genere, parandis*, diluentur; ubi fusiùs methodum tradidi, juxta quam *Animalia* destillanda tractari, aquis nativa virtus & signatura imprimi ac conservari debeat; longè dispari modò, ac hîc præceptum ab Authore conspicis: nempè, ut non *Coctura violentiori* committantur, per quam *vivificus earum spiritus* illicò exhalat; sed beneficio *Destillationis*, in principio statim, colligatur, tanquam *prima Hirundinum Virtus & Essentia.*

Præterea, sive *Hirundinum Carnes* assando, sive coquendo ad omnimodam etiam ariditatem deducas; tamen earum radicalis humiditas (spiritu vivifico jam dum evanido) quæ in Medicina unicè expetenda, firmiter adhuc perdurat; uti fusiùs, in *præmissis Animadversionibus*, sæpè inculcavi, donec violentiori destillatione per Retortam, igne aperto, ad totalem earum combustionem, *sal volatile* expellatur cum *spiritu empyreuma olente*, simulque *oleo fœtido* prodeunte: quæ ipsa, quâ ratione à se invicem separanda sint, ac *sal volatile*, cui potiores virtutes insunt, *priori Hirundinum vivifico spiritui* adjungendum, loco citato fidelissimè patefecimus. Vides, L. B. quàm notabilis error in *primo hoc ingrediente, ceu basi totius Compositi*, à quo etiam nominari meruit, irrepserit; ut, præter inane nomen, exiguam in se claudat hæc Aqua efficaciam.

Verùm,

Verùm, pace magnorum virorum, Authorum, & ſequacium, hæc dixero: non hæc mea eſt cenſura, aut Scholion; dogma magni Galeni eſt, qui *Viperas*, *earumque carnes*, tamdiu jubet elixare, donec earum carnes in tantum emollitæ ſint, ut *ab oſſibus* decidant, ac tandem, *pane biſcocto commixtæ carnes*, in formam *Trochiſcorum* redactæ, dextrè ſiccari poſſint. Quidni *mumia*, *caro humana*, *aut reliquæ animalium partes*, ad ariditatem & pulverem uſque deſiccatæ, viribus tamen ſuis integrè gaudeant? Hoc tota Medicorum clamat Schola, & dictam, de *Trochiſcis Viperarum*, doctrinam genuinam agnoſcit. Ergò nullâ coctione, aut deſtillatione, *virtus animalium* ſublimatur, ſed, diſperſis inter initia vivificis ſpiritibus, in reſiduo, quod virium eſt, ſubſidit. Hoc ipſum in terminis docet Clariſſimus Schrôderus *pag*. 148. *Pharmacopœiæ ſuæ Medico-Chymicæ in Nota ad Aquam Picarum compoſitam*, his verbis:

N. *Sunt qui Picas in Aq. Liliorum* ℔ j ß. *ad conſumptionem medietatis, anteà coquunt, infuſionique poſtmodum addunt; verùm, quia coctione volatilis illa pars prorſus evaneſcit, quid poſtmodum elevetur, non video.* Hucuſque ille.

Hæc, de *coctione & deſtillatione* planè incongruâ *Pullorum Hirundinum*, dicta ſufficiant.

Nunc ad ſecundum, ordine hujus Compoſitionis, Ingrediens propero; ſuntque *Flores Lilii convallium*, qui & ipſi *Elixationi* committuntur; hi verò, præterquam, quòd, citra proportionem ac commenſurationem, ad compoſitum, perpauci addantur, (pugilli ſcilicet ſolùm duo.) ſi quid *Spiritûs*, *Eſſentiæ*, *ac energiæ* contineant, id totum *à ſpiritu vini*, quando vinum exhalare cogunt, ad ſuperna diripitur, nedum tentatâ deſtillatione; maximè ſi flores ſint recentiores. Verùm, ingredientis hujus, à quo hæc Aqua parùm fœcundabitur, vilis conditio prolixiorem non meretur diſcurſum.

Quare ad *Caryophyllos & Macerem*, transgredior; quæ & ipſa (ambo in unum cogendo) nullatenus coctionem ſuſtinent, eò quod (ut jam ad ravim innui) *partes eorum Balſamicæ*, leviſſimâ coctione rarefactæ, in ſublime ſtatim ferantur, relicto terreo craſſamento, veluti morticinio, ad ulteriorem deſtillationem, ex natura rei, inepto. Quare & ab his, inconſulte decoctis, nihil virium & prærogativæ huic accedet Compoſitioni.

Ultimum quod concernit, ipſum ſcilicet *Vinum*, quod affundi, præcipit: num illud coctionis diſpendium ferre poſſit, in quæſtionem non cadit. Problema hoc diſputandum *Spiritus Vini deſtillatoribus* relinquatur, qui ſuam ultrò obtrudent experientiam, quòd ſcilicet, in deſtillatione *Spiritus Vini*, primum, quod in ſublime fertur, ſit *pars volatilis, eſſentia, & ſpiritus Vini*, relicto in fundo phlegmate nauſeoſo, ipſis porcis, qui eo ſaginantur, ſtomachum vertente. Pari planè paſſu in *decoctione Vini* proceditur; imò potiori jure *decoctio* prohibenda; cùm *deſtillatione* violentior ſit, & *ardentem vini ſpiritum* præproperè ſublimet, evaporare cogat, ac virtutes ejus quaſi in nihilum redigat. Ergò nec *à vino ſpiritus*, *ac virtus*, huic Aquæ communicatur, & illa fœcundatur. Annon, L. Amice, poſt tàm ampla & magnifica promiſſa, *parturiunt montes*, *naſcitur ridiculus mus*? Annon ſpecioſa hæc compoſitio toti Medicorum familiæ, ipſiſque Patientibus, grandi Hyperbole imponit? Hæc tuo committo ſuffragio.

Ad ſequentem verò *Aquam Hirundinum* perpauca annotanda veniunt. Collaudo imprimis Authoris propoſitum, & inſtitutum, quòd *Hirundines vivas*, *& integras*, in proprium Alembicum conjicere, ac deſtillare dextre, præcepit. (Hoc enim pacto *nativæ virtutes*, *& ſpiritus vivificus*, *unà cum elementari aquâ*, in excipulum derivantur, ſtillatque *Aqua hirundinum*, *ſpiritu & energiâ plena*.) Fæces verò reſiduas, h. e. *Hirudines ſiccas*, *in cineres* redigere, ſicut & *Cranium humanum*, ac exinde *Salia elicere*, *propriâ aquâ Hirundinum ſtillatâ*, non eſt ſolertis Philoſophi & Spagyri; ne dicam, in terminis implicat. Ipſa enim refragatur experientia, & ratio convincit, quòd *animalia*, *eorumque partes*, utpotè *oſſa*, in veros *cineres* nunquàm abeant. Patet hoc in Jumentis, quæ potentiſſimis incendiis conflagrarunt, aut cùm *Cornua Cervorum*, *& Oſſa*, in furno figu-

figulino, aut lateritio, cremantur; quod candida, & priori formâ intacta, suis autem partibus essentialibus, *sale* scilicet *volatili*, *spiritu*, & *oleo*, destituta, ac tantùm non verè mortua, extrahantur, in quibus nec *mica salis* amplius reperta est. Quare *animalium incineratio* inutilis, & amethodica est; cùm simplici calcinatione in *veros cineres* non abeant, uti *vegetabilia* assolent; *nec sal fixus* exinde elixivietur, prout multis, super hâc re, in *Animadversionibus* actum, & præmissum est. Sed transeat hæc propositio, *Animalia* in veros cineres, sicut & *Cranium humanum*, ac *Hirundines*, in favillam cremari, concedamus; majora etiam transire in *Alkalia*, ac *Sal* ex illis elici posse; (quod tamen paradoxon est) nihilominus *sal ille fixissimus esset*, aut in *cineribus* non latitaret, ignis torturâ pridem omni, quod volatile, sublimato & expulso: quod si autem *fixus est*, uti reverâ esse debet quo pacto, *affusâ specifica Hirundinum Aquâ*, leni balnei vaporosi impulsu, in sublime efferetur, qui, adaucto priùs ignis gradu violentissimo, volatizari non potuit. Non hæc, profectò, nutui nostro, & præconceptis Idæis, auscultant: alia longè est *salium fixorum* & *Alkalium* genesis, indoles & natura; ab igne non repatiuntur, etiam violentissimo; intensum flammæ reverberium, in tigillo, citra virium jacturam, velut Salamandra, diu sustinent, nec atomus ex illis sublimatur. Leve igitur hoc præceptum, *de calcinatione Hirundinum, ac Cranio humano in Cineres* vertendo, admirari potiùs, quàm æmulari, utpotè tanto Authore indignum, volumus & suademus.

Reliqua hujus Compositionis constitutiva & *simplicia* non impugno, nisi fortè insinuarem, & per transennam quasi, *Viscum quercinum* aptius *decoctioni*, aut *extractioni*, quàm *destillationi* committi, vel in *forma pulveris* crudè propinari.

Acetum Scilliticum, ex siccâ, & præparatâ in Officinis *Scillâ* dispensatum, nihil de *Scillæ virtutibus* huic Aquæ imprimet: perindè ergò feceris, si *simplex Acetum* substitueris.

Aquæ Stillatitiæ, si, affusâ simplici aquâ, non fuerint adulteratæ, & destillatæ è recentissimis floribus, sicque huic composito unitæ, magnas vires huic *Aquæ Hirundinum* conciliabunt; adeò, ut, non obstantibus suprà manifestatis erroribus, ratione *Hirundinum Aquæ*, *primitus è vivis pullis stillatæ*, item propter *Castoreum*, *succum Radic. & Flor. Pœoniæ*, & *Aquas ritè stillatas*, hanc ipsam *Aquam* utilissimam, nec tanto Authore indignam, censeam.

Eodem Charactere nigerrimæ, & plenæ erroribus, subsequentes Quercetani *Aquarum Hirundinum Compositiones*, loco supra citato, signantur: quas tamen, ex jactis hactenus fundamentis, castigare, & reducere poteris, vel ipsis umbris ad Solis radios disparentibus. Me profectò tædium subit, ac temporis dispendium sollicitat, toties eandem crambem non recoquere. Laconica ergò brevitate multum concludo. Vix ullam, scilicet, reperio, hujus Libri, *Aquarum Compositionem*, quæ, ob decumanos errores, non sit abominabilis. Hujus farinæ & factionis sunt, *Aqua Picarum*, *Aqua ad Sanguinis sputum*, *ad Phthisin*, *Antipleuritica*, *Aqua Caponis*, *absurdissima*, *ad Curationem Pestis*, *ad Cordis Affectiones*, *Theriacales quasi omnes & singulæ*, *Scorbutica*, *& Hydropica*, *contra Febres*, *Dysenterica*, *Antinephritica complures*, *& non paucæ subsequentes*, quæ agmen claudunt. Volumen deberetur hisce notandis erroribus, nec ævum sufficeret huic Augiæ stabulo repurgando. *Unam* duntaxat adhuc *Compositionem* in scenam dabo, & elarvabo; ut clariùs adhuc appareat, *quænam simplicia vegetabilia*, *inter destillandum*, *vires communicent*; quæ verò *in residuo deponant*: & sit, ex prædictorum numero,

Aqua Dysenterica Quercetani.

℞. *Rad. Acetosæ*,
Pentaphylli,
Tormentillæ,
Bistortæ,
Bursæ Pastoris,
Symphyti utriusque, *ana unciam unam semis*,
Cortic. Citri sicc. ℥ j,
Ligni Aloës,
Rhodii,
Myrobalan. omnium, *ana* ℥ ß.
Sem. Melonum,
Cucumeris,

Sem.

Sem. Acetosæ,
Citri,
Portulacæ,
Endiviæ,
Papav. alb.
Psyllii,
Cydoniorum,
Coriandri præpar. &
Granorum Myrthi, ana ℥ vj.
Flor. Thapsi barbati,
Malvæ arboresc.
Chamomillæ,
Rosar. rubr. ana p. ij,
Macis,
Nucis Moschat. ana ℥ iij,
Cornu Cervi præpar.
Trochisc. de Spodio,
de Terra sigillata,
Lapid. hæmatit. præparati, ana ℥ ij ß.
Acaciæ ℥ j.

Contundenda contundantur, & pulverisanda pulverisentur, ac macerentur per dies VI. ad ignem M. B. in

Aqua Pirorum agrest.
Sorborum,
Plantag &
Tormentillæ, ana ℔ ij,
Flor. Malvæ arboresc.
Chamomillæ, &
Verbasci, ana ℔ j.

Dein colentur, & quàm optimè exprimantur. Huic expressioni adde

Opii Thebaici præparati (i. e. suo sulphure narcotico, quod, suavissimi somni loco, veternum inducit, per levem ignem prius spoliati) ℥ j ß,
Extracti Dysenterici n. descriptionis,
Croci Martis, ana ℥ ij,
Croci Orientalis ℥ j,
Spec. Diatragacanthi frigidi ℥ vj.

Dein ex artis præscripto destillentur, ut fiat Aqua. Hæc non tantùm mirabilis est in Dysenteria communi vel pestilenti, sed & in alvi fluore, omnique hæmorrhagia sanguinis, à quacunque parte defluat aut suboriatur. Hucusque Quercetanus.

Dum hanc, longo agmine *procedentium simplicium, & compositorum ingredientium,* farraginem observo, ultrò confiteor, omnia & singula ad unum subordinari effectum, & collimare metam; dicere volo, ad eradicandum determinatum affectum, ab Authore inventa esse; vel enim *adstringente*, & *roborante*, vel *demulcente*, & *abstergente* vel *conglutinante*, & *solidante*, aut *carminante qualitate* gaudent, unam & solam *Dysenteriam* respiciunt, ejusque magna sunt Antidotus, cui efficacior vix substituetur. Verùm, aliud est *Sceptrum, aliud Plectrum, alia res est inventio; alia elaboratio.* Illa solertem Botanicum; hæc consummatissimum Philosophum, & per ignem Spagyrum, provocat. *Appropriata Dysenteriæ remedia* sunt, sed in ipsâ præparatione hallucinantur. Nam, ut suprà præfatus sum, *non omnia ex omnibus fiunt:* magno delectu opus est; quædam enim sunt *destillanda*; quædam *decoquenda*, & *extrahenda:* aliud sibi *Pilulæ*, aliud *Pulveres*, vendicant. Secundò, non juxta arbitrium nostrum sublunaria hæc reguntur, ut, quæ jam in furno figuli, aut lateritio, magnam ignis torturam, qualiter *Spodium*, & *Cornu Cervinum*, experta; quæ prolixâ decoctione, & missis spirituosis corpusculis, vaporetenus condensata; qualia sunt *Opium*, & *Acaciæ succi adstringentes:* quæ destillatione abstracta, *utpotè extracta*, quæ flammis & intensissimo ignis gradui resistunt; qualia sunt *omnia terrestria, Lapis hæmatites, Terra sigillata*, quæ in primâ suâ genesi & exordio ignis reverberii parit, ut *Crocus Martis*: quæ inter vegetabilia gaudent virtute *vel adstringente, roborante*, vel *consolidante, sapore* item *austero, Pontico, dulci, acido*; quæ omnia non sulphureæ, sed terrestrioris esse naturæ, velut ex signo, rem deprehendes: hujus Classis sunt *Radices, Herbæ, Fructus, Semina & quæ plurima sæpiùs citata* in compositione nobis illudunt: pro præsenti verò ex instituto eventilanda. Ea, inquam, omnia jam recensita, nostra eludunt tentamina, & irritos reddunt conatus, quibus eis mille formas & metamorphoses, velut Proteo cuidam, affingimus; ut, cùm *sint fixissima*, per Alembicum tamen volatisentur; quæ *arida & exsicca* sunt, roris instar, in excipulum depluant. Verbo denique, *volatilia sint fixa, & fixata ut sint volatilia*, nullâ habitâ proportione Activorum ad Passi-

va.

va. Proindè, his motus næniis, & ludicris Authorum processibus, ad nauseam usque inculcaveram, quòd nota distinctiva, & character, genuini Philosophi, & Chymici sit, præsupposita naturalium rerum analysi, & naturæ earum cognitione, ea ad destillandum, elixandum, extrahendum, tantùm disponere, quæ ad similia apta, nata, & inchoatam potentiam habent; non verò, ad impossibiles effectus reddendos, quasi per potentiam obedientialem velle elevare, quod soli DEO, Authori naturæ, competit, minimè Chymico, & Creaturæ, quæ est limitatæ potentiæ.

Quapropter, cùm animadvertam, quòd prædicta *Compositio*, & *Aqua Dysenterica Quercetani*, in plerisque jam dictis rea sit, ac delinquat, eam in principia sua, & partes integrantes resolvam, sicque, partitis vicibus, omnia ac singula ingredientia examinabo, ut juxta artis Regulas cuncta magis elucescant, & dilucidentur, ac utilior *Aqua Dysenterica* imposterum dispensetur.

Primùm ergò, quod *Radices* concernit, utpotè *Acetosæ, Pentaphylli, Tormentillæ, Bistortæ, Symphyti utriusque*; præsupponendum, quod omnes, & singulæ, sint *terrestrioris indolis ac genii*, ex natura sua *adstringant, consolident, & agglutinent*, nihilque substantiæ aut accidentium per Alembicum communicent: proindè, cùm ea destillaveris, *nec saporem, nec odorem, nec spiritum, & essentiam horum vegetabilium* præstoleris; sed pura puta *aqua insipida*, & *liquor Elementaris*, Tibi ex destillatione accedet, tota interim earum *substantia, & qualitatibus*, in fundo, & residuo latitantibus. Proindè ad alios usus *radices hæ* sunt convertendæ, ad *decoctiones, extractiones, infusiones nimirùm*; sic earum ferente crasi, & naturâ. Quòd autem cum emolumento, & dextrè, se sinant *decoqui*, & *extrahi*, patet ex ipsius Authoris compositionibus, qui *has ipsas radices pro Extractis, & Decoctis*, earum passim adhibet. Si ergò *Decoctis*, & *Extractis* parandis sunt aptæ, meritò à *destillatione* removentur; cùm in prægressis manifestè convicerim, *decoctiones*, & *destillationes, ex natura rei sibi contrariari*, quatenus nimirùm ea, *quæ destillanda*, juxta Authores, *vires suas integras, cum universis accidentibus*, sursum mittere, ac per Alembicum fundere, nequaquam in fundo, & subsidentiâ, recondere; & è contra, *quæ extrahenda*, & *decoquenda* sunt, ea quoque *virtutes suas in residuo servare*, neutiquam *v. vaporetenus exhalare* debent, residuo terreo & exsucco crassamento. Secus enim si fieret, *esset* nonnullorum *destillatio, & non esset*, quia per Alembicum nihil virtutis transscenderet, parte præcipuâ subsidente: & *esset Extractum quorundam* prout thesis eorum fert, *& simul non esset*, quia jam omnia sulphureæ & volatilis naturæ contenta, *violentâ decoctione, abstractione, aut destillatione*, exspirassent. Verùm, duo simul contraria de eodem subjecto, eodem modo sumpta, non verificantur; eò, quòd implicet contradictionem.

Sequuntur jam in ordine *Cortices Citri sicci*, qui, si *recentes* forent, *aptiores siccis*, pro *destillatione* haberentur. Nam potior eorum *virtus carminativa* & *antilœmica, sapor item amarus*, in residuo, à destillatione, actu remanent; adeoque saltem in *Pulverem redacti*, vel eorum *Decoctum*, sive etiam *Extractum*, sed ad normam *nostri Extracti Absinthii*, *superius paulò edocti*, paratum, in Dysentericis affectibus efficaciùs, operabuntur quàm *Aqua à Corticibus siccis exstillata*.

Accedo ad *Lignum Aloës, & Lignum Rhodium*, quæ utraque *odorifera, & balsamica, ex parte*, sunt; partim verò *tenacioris, & resinosæ substantiæ*. Hæc, destillationi commissa, juxta *subtilissimas, rariores, & fragrantissimas partes*, aquis sese communicant; subsidit autem *pars eorum resinosa, balsamica simul, & emplastica*, juxta quam *adstringunt, roborant & consolidant*, per Alembicum verò nunquam transeunt. Quòd autem hæc doctrina sibi constet, confirmo obvio illo *Extracto Ligni Aloës*, quod, in Officinis debitè instructis, ubique prostat, plenum resinâ, & odore, si prunis candentibus injiciatur. Unde in *superioribus meis Animadversionibus, de Extracto Ligni Aloës educendo*, ad quas B. L. directum volo, hoc ipsum innui; in subsequentibus verò, *de Aquis destillandis*, quotiescunque *Lignum Aloës spirituosis Aquis* adjunxi, in parvâ solùm quantitate, ad conciliandum saltem odorem, rostro Alembici imponi jussi: ut, prodeuntibus reliquis spiritibus, pars spirituosa & sulphurea,

phurea, ratione symboli, quin & *resinosa, & corroborans, tota denique fragrantissimi hujus ligni essentia*, influis spiritibus uniretur, & aquas impraegnaret. Parum quidem, & modicum *hujus Ligni* rostro Alembici imponi, crebrò praecepi, ne major quantitas aquas, inter destillandum, turbidas redderet; quod benè observandum. Patet nunc etiam, quàm nihil roboris, & energiae, ab his, jam *examinatis, ingredientibus, vel lignis*, huic aquae impressum sit, ad edomandam Dysenteriam; quin omnem virtutem in residuo latitare.

Nunc *Myrobalani*, quae *fructûs sunt dulces, subacidi tamen nonnihil saporis, & adstringentes, roborantes, & laxantes*, ubi recentes fuerint, subsequuntur. De his pauca profero, cùm earum quoque substantia, & vis, in limo & profundo haesitet, nihilque transmittat per Alembicum: & quò sunt sicciores, tantò minus communicant. Quòd si cum *Myrobalanis* velis subvenire Dysentericis, eas vel in substantiâ *Pulverisatas*, vel in *Extracta* & *Decocta redacta*, propinato, destillatione earum supersedendo; vel ipsomet Authore, *in suis Extractarum & Decoctorum compositionibus*, consentiente.

Convertor ad quàm plurima *Semina*: ut *Melonum, Cucumeris, Acetosae, Citri, Portulacae, Endiviae, Papav. albi, Psyllii, Cydoniorum, Coriandri*, & *Grana Myrti*. Sed quid obsecro obsonii ex hâc *seminum* farragine decoquemus? an pulmentaria, aut lenticulam? Quis non videt, quod jam notata *semina*, juxta qualitates suas, *frigida, & naturae terrestrioris* sint; si unicum *Coriandrum* eximas. Quid per *destillationem* virium ab eis eliciemus? forsan *Olei* cujusdam particulam, aquae elementari innatantem? Nec hoc existimo; cùm ex integrâ libra horum *seminum*, si etiam plus acceperis, vix scrupulum semis, ad unum usque scrupulum, destillati olei reperturus sis, licet ex instituto ad eliciendum oleum destillaveris. Quare (demptò semine *Coriandri*) nec unum est, quod aptum sit destillationi, defectu partium sulphurearum & aërearum, quae solae elevantur, subsidentibus è contra terrestribus, frigidis, & mucilaginosis particulis. Annon Methodus suaderet, potiùs *ex his seminibus*, Dysenteriam respicientibus, *Emulsionem* conficere, adjectis *Aquis appropriatis*, quae hanc quoque compositionem ingrediuntur; & sic aegris cum fructu propinare? Quanquam & illae *Emulsiones* nauseam conciliaturae sint, nisi probè advertas, ne *semina Psyllii* & *Cydoniorum* (quae vel penitùs omittenda, vel dosis eorum minuenda) illas ut plurimum reddant mucilaginosas.

Semen Coriandri, ex parte, non sine ratione huic *destillationi* commissum fuit; dabit enim odorem gratum carminativum; licet etiam virtus ejus adstrictiva nullo pactâ eliciatur.

Praetereà de *Floribus Thapsi barbati, Malvae arborescentis, Chamameli, & Rosar. rubrarum*, ut, quod sentio, afferam, fateor ingenuè, quòd de *virtutibus eorum adstringentibus, roborantibus, & carminativis*, Dysenteriae appropriatis qualitatibus, destillato parum, vel nihil, impertiantur. Nam hae in residuo stabulantur, & fundo; maximè ubi jam *resiccatae destillationi* applicantur: quod si verò *recentes* sint, concesserim, quòd in *destillatione*, maximè per *Baln. n. vaporosum*, odoris ac fragrantiae, praesertim *Rosae*, & *flores Chamameli*, aliquid contribuant; caeterùm nihil de qualitatibus ad Dysenteriam requisitis. Satius proindè esset, talia *in formâ Decocti*, aut *Infusiones*, praebere, aut in *Pulveres*, maximè *Rosarum flores* redigere, cum, vel sine, alterius ingredientis additamento, praebendos.

Transgredior ad duo illa Aromata, *Macerem, & Nucem Moschatam*. Haec, utpotè naturae balsamicae, & odoris fragrantissimi, qualitates suas ex partè facilè diffundunt, & iisdem aquas imbuunt. Attamen, cum naturae & substantiae simul oleaginosae sint, dissymbolos respuunt liquores, quibus se facilè non uniunt; sed oleaginosa eorum substantia supernatat, si aquosi sint. Requirunt ergò *spirituosos* & *sulphureos liquores*, quales sunt *diversi spiritûs ardentes*, & *Vini*, cum quibus perfectè transeunt, uniuntur ac perdurant: in *aquoso autem humore*, ut ut subegeris, conquassaveris; superficiem petunt semper, subigi nolunt, operamque ludunt. Adeoque *Balsamica haec*, &

Aromatica, potiùs liberaliori dosi, *Aquis spirituosis* & *calidis*, ut sunt *Apoplectica*, *Epileptica*, *Cardiaca*, *Stomachica*, *Carminantes*, adjungenda; non item *Dysentericis*, quarum virtus ad curationem in qualitate roborante & adstringente consistit: sed hæ in residuo deposi-tantur, non verò in excipulum destillant. Verùm, non hæc dixero, quasi manifesti erroris Authorem convincere vellem, quòd in parvâ hâc quantitate *Aromata Aquæ Dysentericæ* assignarit. Si enim non *effectum* dant calculo dignum, *gratum* tamen *odorem* conciliabunt, & nauseam arcebunt. Hoc solùm per occasionem confirmare volui, vi destillationis *hæc Aromata* eos effectus, & causalitates, non exercere; quemadmodum *Aquæ* hujus *intitulatio*, & *Dysenteria*, efflagitat. Dico proindè, *Nucem Moschatam*, in genere, Esse, & substantiâ suâ, ad persanandas Dysenterias, Lienterias, & Diarrhæas, spectando qualitates roborantes, confortantes, & adstringentes, plus præstare, quàm *Aquam ex eâdem elicitam*: cùm antedictæ qualitates non eleventur, & exstillent, sed imum petant. Hoc ad Solem clarissimè exponam, *exemplo Olei ipsius Nucis Moschatæ expressi*, *& Maceris etiam*, *genuini*, non verò *adulterati*, ut nostra fert ætas, & Mercatorum fraudulenta industria. *His Oleis* si debitam quantitatem aquæ affuderis, & destillaveris, vix quartam, ne dicam sextam partem *Olei destillati* colliges, residuo in fundo remanente; adeò, ut vix *sexta pars olei*, habitâ proportione *ad oleum expressum*, transeat, dum reliquum in residuo, peractâ destillatione, aquæ innatans, remanet: quod *residuum*, *putà Oleum*, *virtute suâ adstringente*, & *consistentiâ priori magis solidum*, multò efficacius experimur in Dysenteria, quàm illud, quod cum aqua exstillarat. Hoc, Tibi pro secreto dictum, observato. *Duriusculum* insuper *hoc oleum*, ob siccam soliditatem basis, fundamentum, & *corpus aptissimum* est, pro conficiendis *omnis generis Balsamis*, lege artis instillatis *oleis essentialibus*, pro specie balsami dispensandi. Cum hoc *Balsama* debitam recipiunt *Consistentiam*, nec rancida aut unctuosa evadunt, sicut illa, quibus *sevum omentorum animalium*, vel *adeps è renibus vitulorum*, aut *Cera*, receptaculum, ac materia prima obtigit. Taceo, quòd intra corpus commodè, & citra nauseam, *Balsama hæc* assumi possunt, non sine prærogativa ad reliqua. Hæc de *Macere*, *& Nuce Moschata*, dicenda occurrêre.

Nunc examinandum se offert *Cornu Cervi præparatum*, quod præsuppono *Ustum*. Nam hoc ubique locorum *præparati Cornu Cervi* nomine circumfertur; quod priùs *ustum*, super porphyrite dein levigatum, prout & reliqua, utpotè: *Perlæ*, *Corallia*, *Oculi Cancrorum*, *Lapides pretiosi*, *&c.* super porphyritem, cum aqua aliqua tantùm levigata, *præparatum* dicitur. Cui non, L. B. hoc artis præceptum, ut olim Phidiæ signum, illico placeat & arrideat? Num cadere hoc in prudentem, ne dicam, Philosophum potuit, opprobrium hoc Medicinæ sequacibus dictare? Annon infatuati hoc est, velle nos dementare aut persuadere, quod *Ossa*, è quibus pridem, intenso ignis gradu tortore & satellite (quod in furno figuli, aut lateritio, contingit) *omnis benefica humiditas*, *pars spirituosa*, *& volatilis*, *unctuosa*, *& radicalis essentia*, longissimè proscripta fuit, ad destillationes nihilominùs proportionata, ac dysentericis, virtutibus adstringentibus, & roborantibus exstillatis, remedio sint? Credat, qui volet, amens? Interim ego ad oculum demonstro, quòd ejusmodi *calcinata ossa*, omni virtute castrata, ac in insulsa & mortua corpora redacta, aliud nihil sint, quàm *exsucca terra*, *inutilis gleba*, *& opprobrium Medentium*. Nam, cui libitum est, destillet, affuso liquore, hæc *Ossa*; aut citra liquorem, & sicca, per retortam, violentissimo etiam igne reverberii, per integrum anni Circulum, & nec *guttam liquoris*, nec *oleum*, nec *spiritum*, nec *salem volatilem*, eliciet: &, quod amplius est, affuso etiam liquore, & sumpto in magna quoque quantitate *Cornu Cervi*, utut ignis gradum intendas, & illud diu multumque coquas, attamen *saporis*, *odoris*, ac *cæterorum accidentium*, ne vestigium quidem deprehendes in decocto. Quid igitur ex *sesquiduabus drachmis Cornu Cervi* præstoleris in *Aqua* hâc *Dysenterica* destillanda? Annon est hoc, vigilem somniare? Verùm ejusmodi absurditates jam pridem dilui, in *prægressis meis Animadversionibus*, in qui-

quibus clarè, & in terminis, docui, quòd *ex Osfibus* & *Cornubus calcinatis*, neque *volatilem*, neque *fixum salem*, uno verbo, planè nihil proliciamus; rotemur denique circa nihilum, si ex ejusmodi *effœtis ossibus*, pro humanis affectibus, Panacæas meditamur. Hoc ipsum confirmare possem ex Mechanicâ. Experimur enim, quòd *steriles ejusmodi terræ, & exsucca ossa*, ad construendas, *omni sale carentes*, *Capellas Probatorias*, unà cum *cineribus*, *è quibus etiam omnis sal priùs elixiviatus*, indies adhibeantur. Verùm, surdo fabulam narro, aut lavo Maurum; dum illi, ingratam mihi recoquentes Crambem, tritum istud occinunt: sic Majores nostri soliti sunt: hoc sacrum dogma est venerabilis Antiquitatis; non observantes interim, quòd satius sit, seriùs redire, quàm semper currere perperàm. Majores enim nostri, & Antennates, pro ævi sui, & temporum, injuriâ, non, quæ debebant, sed quæ poterant, è penu Medica ad nos transscripserunt; dum interim nostro seculo semper itum ad majora, & inventis meliora addita sunt, ad sacram etiam invidam magni Hippocratis, & Galeni. Cui enim Veterum nota fuit Animalium vera Anatome? Sublunarium, & Vegetabilium, crasis, & natura? Mineralium genesis, & soboles? quæ Archetypus, Deus, in gremio terræ conclusit, ut, maturato semine suo, nobis fœnora reddant? Taceo innumeras rerum vicissitudines, & naturæ portenta, à qualitatibus & principiis Sympathicis, & Antipaticis, symbolo, aut Magnetismo, emanantia? Arcana hæc erant prisco seculo, &, velut inducto peplo, oculis mentis abscondita. Quid mirum etiam, hîc, in plano, eos cespitasse, ignorantes, quòd in *universum animalia nihil in se fixi* concludant, quàm *terram emortuam, sterilem, & exsuccam*, in quàm aliquando, inevitabili decreto, & lugubri Metamorphosi, sunt reversura; reliqua verò *fugacia sint, & volatilia*, igni pervia, & calori, veluti totidem putredinis primordia, dispositiones, & principia: non sic *Vegetabilia*, quæ tàm facilè putredinis corruptelam, & corruptionis semina, non admittunt; idque *ob salem fixum*, qui illis inest, eaque tuatur. *Mineralia verò* omnis, è contra, corruptionis ferè inscia sunt, *si cum animalibus & vegetabilibus* comparentur; & fixa magis, imò quædam fixissima, dici merentur. Verùm, me Paradoxa dixisse, multis videbitur, illud in me retorquentibus, quod, *inter vegetabilia*, *Fructus Horarii* manifesta principia corruptionis in se concludant: factaque comparatione ad *carnes animalium*, & eorum *partes*, *fructûs hos putredini magis obnoxios esse*, *quàm carnes*, unicè contendent; unde, tanquàm alimenta minimè salubria, à Medicis quibusdam reprobentur, desumpto argumento è fonte & parte diætetica; carnibus interim administratis. Quam tamen objectionem perfacilè diluam, argumentis ex Physica petitis, & ab Inductione. Quis enim non experitur, quòd *carnes*, & *animalia*, æstivo tempore occisa, si uno, aut altero die eorum cadavera perdurent, putredinem protinùs, & vermiculos, concipiant, pestilens μίασμα, & mephitim exhalent, quin ipsa viventia, omnisque generis animalia, quibus vel in alimentum cessere, aut vaporetenus contagium & virus suum impresserunt, vel planè interimant, vel malignos & exitiosos morbos eis superinducant, ac semina pestis divulgent; morbos Epidemios suscitando: idque ratione symboli, & quâdam analogiâ, juxta receptum illud Axioma: *In symbolum habentibus facilis est transitus*. E contrà verò *Vegetabilia*, &, inter hæc, *Horarii fructûs*, utpotè; *Cerasa*, *Poma*, *Pyra*, *Pruna*, *&c.* licèt, à stirpe sua avulsa, ad corruptionem inclinent, multò tamen tempore perdurant, & qualitatibus suis homini adulantur; vel maximè, si solis radii eos non feriant. Quod si etiam corrumpantur, an tetrum quid, cadaverosum, & exitiale, ut cætera, exhalant? An nauseam, & contagium inducunt? An in manifestam pestem exsurgunt? Neutiquam! quin, citra periculum, *cocti*, & *sale conditi*, animalibus in escam cedere possunt. *Reliqua* verò *Vegetabilia*, ac *Cerealia*, *Frumentum*, *Oryza*, *Hordeum Milium*, *Triticum*, *Amygdalæ*, *Pineæ*, *Pistacia*, *& his synonyma*, in longum perdurant, citra putredinis vestigia; nisi & ipsa, ut suam purpura tineam, & quercus cariem, sibi exitiosum generent vermiculum; qui, solutâ eorum compage, ad interitum illa deducat: ut constet, quàm fragilis sit Creaturæ con-

ditio, quæ, ex se, prima corruptionis semina concipit, & usque in mortem fovet. Hinc non probo quorundam Medicorum institutum, qui ægris, & languentibus, maximè periculosè febrientibus, omnem *Horariorum fructuum*, *carnium* verò, & *animalium*, *esum* liberè indulgent; ignorantes, quod, turbatâ in corporibus œconomiâ, languente vivifico calore, vitiato fermento, digestionum præside, adaucto calore extraneo, *ejusmodi ingesta*, & *carnes*, intra etiam corpus degenerent, facilè putrescant, malignitatem & corruptionem induant, & inevitabilem ægrotantium perniciem ac mortem accelerent, dum *ad ollas carnium* (ejusmodi Medicis lugubrè spectantibus) *fatiscunt*. At longè dispari eventu in *reliquis obsoniis* accidit, quæ non rarò lapsam naturam, arcanis ad ea desideriis, & appetitu, stimulatam, in vitam & sanitatem erexêre. Hisce sententiam meam, de *Cornu Cervi usto*, finio, quod, citra artis & rationis leges, huic Aquæ Dysentericæ, ab Authore constitutum.

Superioribus adjungam *reliqua tria ingredientia*, & *constitutiva* hujus Aquæ, *Trochiscos* scilicet *de Spodio*, *de Terra sigillata*, ac *species Diatragacanthi frigidi*: de quibus quid sentiam, ex sequentibus palàm fiet. Et primò quidem, sicut, in Philosophia laudabili, Elenchus, & decumanus error est, docere, duas formas adæquatas non subordinatas, eandem materiam, & subjectum, naturaliter posse informare; &, quod apud Logicos est vitiosus Circulus, hoc apud Medicos peritos, & Chymicos, est, composita cumulare compositis, farragines rerum, citra delectum, aggregare, informe Chaos, ut superiùs annotatum est, producendo. Secundò, siquis dictorum *compositorum ingredientia*, quæ nondum, in superioribus *Aquæ Dysentericæ* constitutivis, numerata sunt, plenè perspiciat, videbit, & multa, & obvia quæque, destillationi ineptissimè committi, & *Aquæ Dysentericæ* nihil virium ex iis accedere. Sunt autem, præter jam assignata ingredientia, è quibus *Aquæ* hujus *Dysentericæ* compositio conflata est, etiam sequentia, quæ *Trochiscos de Spodio*, *de Terra sigillata*, & *species Diatragacanthi*, constituunt, nimirum; *Spodium*, *Semen Sumach*, *Amylum ustum*, *Balaustia*, *Berberes*, *Gummi Arabicum assatum*, *Succus Agresta*, *Sanguis Draconis*, *Succus Hypocist. concretus*, *Bolus Armena*, *Margarita præparata*, *Terra sigillata*, *Corallia rubra*, *Charabe*, *Tragacanthum*, *Semen Rosarum*, *Portulacæ*, *Thus masculum*, *Coni cupressi*, *Crocus*, *Glycyrrhiza*, *Saccharum Penidium*, *Camphora*, & *Trochisci Ramich*, qui *Trochiscos de Terra sigillata iterum ingrediuntur*: in *Trochiscis de Ramich* autem, præter reliqua, denuò sunt *Succus Acetosæ*, *Gallæ recentes*, *Santalum citrinum*, *Lignum Aloës*, *Caryophylla*. Ex quibus omnibus simplicibus, has *Compositiones* ingredientibus, si *Camphoram* excipias, & *Caryophyllos*, ne tantillum quidem virtutis destillatione elicies. Me, fateor, jam tædium fatigat, singula delineare: quàm apta enim, aut inepta sint ad destillationes, & aquas virtute imprægnandas, ex dictis patet, & ex dicendis clariùs adhuc manifestabitur. Videtur mihi Musica quæpiam hæc *Compositio*, ex dissonis & ingratissimis vocibus accumulata, ex quibus non harmoniam, aut concentum, sed aphoniam expectes. Sic hæc ingredientia ad hunc affectum, illa ad alium, ordinantur: & *universaliter inepta sunt omnia* ad destillandum, præter paucula dicta, *binario numero* circumscripta; &, in rigore, illa ipsa duo, primariò, curandam Dysenteriam non respiciunt, imò contrarias affectui qualitates præ se ferunt; nisi aromatizationis gratiâ adjuncta sint. Dein Quercetanus non est assecutus Authorum mentem, qui *ejusmodi Compositiones* & *Trochiscos* evulgarunt. Non enim *aliis denuò Compositis inferendos*, *aut destillandos* præceperunt, sed ut in *proposita formâ*, & *substantiâ suâ*, *in Pulverem*, & *Alkohol*, *redacti*, Dysenterias, Diarrhæas, Cruenta Sputa, Hæmorrhagias, & Pectoris internas affectiones, persanarent: sin cui libitum foret, *Rotulas cum saccharo* ex iis conficiendo, quemadmodum *ex speciebus Diatragacanthi frigidi* consuetum est, ægros sublevare; hoc minimè improbandum foret.

De cætero, si, his omnibus jam examinatis, calculum quoque subducere placeret, de prædictis *Compositis*, & *eorum* etiam *ingredientibus*, quantum scilicet, *de uno aut altero ingrediente*,

diente, hanc compositionem *Aquæ Dysentericæ* ditaret, & quantum post *quamlibet dosin*, hanc eandem *Aquam Dysentericam*, de *hoc vel illo prædictorum compositorum simplici, intraret*, divisiones essent nunquam tot, quin plures, uti in infinito syncategorematico fieri solet,& myriades atomorum sub divisionem caderent; nec minùs risu dignus futurus calculator, quàm olim Plato, cum suo Deorum principio, aut, cum Pantamorphe, noster Avicennas. Aliquod tamen specimen per transennam spectandum dabo.

Totam compositionem *Trochiscorum de Ramich* ingreditur *Ligni Aloës uncia semis:* Cùm *integra* hæc *Compositio Ramich* (prout *Dispensat. D. D. Augustanor.* inserta est,) pendeat *uncias novendecim*.Continet igitur *drachma una Trochiscorum* horum *Ramich*, *Ligni Aloës granum unum & dimidium*, *circiter*. Ergò, cùm sæpè dictorum *Trochiscorum de Ramich*, *drachma una tantùm* totam compositionem *Trochiscorum de Terra sigillata* denuò subintret; consequenter *de Ligno Aloës*, *cum his* Trochiscis *Ramich*, tota compositio *Trochiscorum de Terra sigillata granum unum & dimidium* acquirit. Ultrà nunc, integra *Trochiscorum de Terra sigillata* compositio, quam, uti dixi, *granum unum cum dimidio circiter Ligni Aloës* ingreditur, pendet *uncias tres, cum dimidia.* Continent igitur (quod benè notandum venit,) *drachmæ duæ*, *cum dimidia*, *horum Trochiscorum de Terra sigillata*,(nam tantum subintrat;de his *Trochisc. de terra sigillata*, hanc *Aquam Dysentericam*, quam nunc eventilamus,) de dicto *Ligno Aloës*,*unam & dimidiam partem*, *dimidiæ sextantis partis*, *unius grani:* si ita loqui licet; nam alia non suppetunt verba, quibus rem extricemus. Jam porrò necessum est, ut ulterius progrediamur hâc subdivisione, si dosin eruere velimus, quantum scilicet *dosis una Aquæ hujus nostræ Dysentericæ* recipiat virtutis (cui immediatè immediatione virtutis, non suppositi, inest) è dictis *atomis*, *& minutiis Ligni Aloës.* Esto igitur, quòd extent totius hujus *Aquæ Dysentericæ libræ decem*, & propinentur, aut constituantur, *unciæ tres*, sive etiam *quatuor, ad unam dosin*; quæ erit *trigesima sexta pars* ipsius *Aquæ Dysentericæ:* quantum, quæso, constituet hanc *trigesimam sextam partem*, tanquam *unam dosin* hujus sæpè dictæ *Aquæ Dysentericæ, de una & dimidia parte*, *decimæ sextantis partis unius grani*, *Ligni Aloës?* (Tantum enim atomorum, non plus, universa compositio, i.e. *decem libræ* hujus *Aquæ Dysentericæ*, & quidem virtualiter saltem, comprehendit, modo supra dicto.) Verùm hæc rudi Minervâ, & superficietenus, à me in censum sunt adducta; cætera enucleanda relinquo iis, quibus felicior Suada, & eloquentia obtigit; cùm nec Oedipus sim, qui pro Mysterii dignitate ænigma resolvam. Habet tamen curiosa hæc reflexio, & metaphysica speculatio, & ipsas suas utilitates. Eruet hinc sensatus Medicus, quàm procul extra forum Naturæ aberrent ejusmodi Authores, dum languida, & infida sua remedia, & compositiones, specioso titulo, magnificisque promissis, velut infami stybio, adulterant, incautos Medicos alliciunt, & procantur; donec aliquando piscator ictus sapiat, & Medentes infamia notentur, dum Ægri, inter lachrymas orphanorum, præmaturiùs obeunt, luctuosâ sæpè catastrophe.

Hoc emendato errore, quo scilicet *Composita Compositis* tautologicè addi solent; ad *Lapidem Hæmatitidem* cincto calamo procedo. Omnibus in propatulo est, quod *Lapis Hæmatitis* medicamentum sit aptum, proportionatum, ac fidum, ad curandas Hæmorrhagias, Fluxus Alvi cruentos, & Dysenterias, sive in substantia suâ, sive in essentiâ debitè parata, exhibeatur. At nemo tàm est hebes, aut Philosophaster, qui asserat, *hunc Lapidem* idoneum esse ad sustinendas simplices destillationes, & *liquores ex eodem eliciendos*, propriâ suâ virtute præditos. Omnes quidem in hac sententia erunt, tantum liquoris & humiditatis ex eo profusum iri, quantum ex pumicibus destillatis. Error hic, in genere, moris est, peccat, & excedit, in spe, & fiducia. Credunt enim ejusmodi Authores, quòd, sicut in Catastam acti, ad insolita revelanda ducuntur, sic *Mineralia*, *Lapides*, & *fixissima quæque*, sub nostra tortura, ad effectûs Thaumaturgicos, ad sudandum liquores, qui regulariter illis non insunt, ad *volatizationem*, compellantur; negligentes

interim, obſervare, quòd *ejuſmodi fixa* etiam *ignem reverberii* conſtanter ſuſtineant: quidni in Alembico repugnatura? Ergò nihil virtutis, vi deſtillationis, elicitur *ex Lapide Hæmatide*, qui de naturâ *Chalybis* eſt, ac proinde Dyſentericis, Fluxu cruento, &c. laborantibus, aſylum, & ſacra anchora futurus, ubi *in ſubſtantia* propinabitur. Suadeo igitur, hoc in paſſu, Quercetanum, magnæ alioquin famæ, virum, demirari potius, quàm æmulari.

Venit ſubtorcular, & noſtrum, examen, *Succus Acaciæ: qui, inſpiſſatus, de Claſſe Vegetabilium*, & quidem *maximè terreſtrium*, eſt. Vires ejus ſunt adſtringentes, qui, ſi habuiſſet *partes tenues, ſubtiles*, & *exhalabiles*, illæ jam dudum in inſpiſſatione ejus exhalaſſent; quæ verò reliquæ, ab inſpiſſatione, manſêre, utpotè *partes craſſiores, terreſtriores, adſtringentes*, nunquàm commovebuntur, licet in infinitum, per B. M. affuſo liquore deſtillentur: quod, præter rationem, ipſa experientia evincit, & ipſe Quercetanus confirmat, qui compoſitionibus ſuis *decoctorum*, & *extractorum*, quibus hunc *ſuccum Acaciæ inſpiſſatum* crebrò adjunxit, (non obſtante, quòd modo deſtillandi opponantur) teſtis luculentiſſimus ſatisfacit.

Sequuntur *Aquæ deſtillatæ*, ad hanc quoque *Compoſitionem* derivatæ. Harum qualitates ex ante dictis notæ ſunt, ubi demonſtravimus, quòd *ejuſmodi Aquæ nullas virtutes adſtringentes, aut ſapores acidos*, contineant, remanentibus hiſce qualitatibus in reſiduo, maximè, ſi largâ affuſione aquæ ſint deſtillatæ. Nihilominùs tamen *quædam ex his Aquis per Baln. n. vaporoſum, & ſine additione deſtillatæ, v. g. Chamæmeli, Verbaſci, & Plantagin.* vi ſuâ carminante, refrigerante, & conſolidante, iiſdem affectibus deſtinari poſſunt, quibus hæc noſtra *Dyſenterica*, vel ipsâ rerum magiſtrâ Experientiâ. Nunc

Præcipit Author, ut *ſingula præmiſſorum Ingredientium ſtudioſè infundantur & exprimantur, ante eorum deſtillationem.* Ad vitandam autem hanc inutilem operam, repetantur dicta, *in Animadverſionibus noſtris ſuper Aquas deſtillatas, in genere:* ubi declaravi, quòd omnia, quæcunque deſtillanda, ipſum etiam *Cinamomum, Aniſum, & quæ partium tenuium ſunt, ſimplicia vegetabilia*, plus de proprio odore, & ſapore, fundant, ſi unà cum *affuſis liquoribus ſuis* deſtillentur, quàm ſi *prædictus liquor, à rebus* per colaturam, & expreſſionem, ſeparatus deſtilletur. Docui prætereà, quòd *Aquæ ex radicibus, herbis, floribus* (ſubintellige, deſtillationi aptis) *deſtillatæ*, longè antecedant illas, quæ *ex ſuccis earum expreſſis* eliciuntur; quare hîc eadem denuò inculco. Cæterùm, ſive *ſpecies, unà cùm ſuis aquis affuſis*, ſive *aquæ ſaltem, ſpeciebus affuſæ*, & *denuò ab illis, per colaturam, & expreſſionem, ſeparatæ*, deſtillationi committantur; nihil tamen virtutis huic *Aquæ Dyſentericæ* communicabunt: prout ex dictis ſuperiùs latiſſimè patet.

Opium quoque hanc *Compoſitionem* conſtituit, quod, ex mente Authoris, *narcotico Sulphure ſuo* veternum inducit, ideoque, antequam compoſito uniatur, à *deleteriâ & narcoticâ qualitate*, ignis beneficio, caſtrandum eſt. Hoc ipſum *Opium eſt ſuccus inſpiſſatus, aliquantò reſinoſus, partibus ſuis tenuioribus privatus*; quando per ignem, & inſpiſſationem, ejus qualitates tenuiores attenuatæ, exhalârunt; quæ ſolæ per Alembicum tranſire debebant. Quòd ſi verò, ad *eliminandum narcoticum ſulphur reſiduum*, (quod tamen non ſemper veternum inducit, obſervata competenti doſi) igni leviori ſubjicias denuo, quid, pro levi hâc deſtillatione, virium eliciendarum ſuperſit; neſcio. Imò *crudiſſimum Opium*, per ſe, adjectis liquoribus deſtillatum, nihil virium ferè narcoticarum tribuit, ſimplici hâc deſtillatione: taceo, *ex ſuccum*. Servat enim, ſicut reliqui *ſucci concreti*, vires ſuas. Igitur & *Opium* in hâc deſtillatione inefficax eſt.

Venio ad *Extractum Dyſentericum* examinandum. Id ex quibus ſimplicibus conficiendum ſit, facili conjecturâ aſſequor; quanquam ejus *Compoſitio*, inter *reliqua Extracta hujus libri*, non compareat. Utut ſit, interim nominis, & Extracti, ſeu etymi, ratio, forma, & modus parandi, denotat, cùm, more aliorum Extractorum, parandum, quòd ad ulteriores deſtillationes planè ineptum ſit. Quâ enim ratione id, *quod ſemel deſtillatum*, vel *abſtractum*, in fundo tamen Alembici vires ſuas inte-

gras,

gras, à destillatione, retinuit, quomodo, *in secunda destillatione*, vires suas, quæ sunt *adstringentes, roborantes*, *consolidantes*, communicabit? cùm omnes *res adstringentes* vires suas, inter destillandum, reservent, etsi decies repetatur ejusmodi destillatio simplex. Ergo & *hoc Extractum* citra propositum huic *Aquæ* ab Authore designatur.

Subsequitur *Crocus Martis*; ex naturâ suâ insigne Dysentericum, quem, puto, intellexisse Authorem, qui *sit Adstringens*, non verò, quem vocant, *Aperientem*. Uter horum sit, semper tamen *adstrictivus* in Dysenteria primas tenet; neuter tamen horum, citra manifestum errorem, unquam destillationi commissus fuit. Ut iterum atque iterum tantum Authorem demirer, quonam pacto tantas in Medicina hæreses docuerit, alienas à sensibus, & ratione. Verbis hîc parco, quibus hunc errorem convellam; Tyronibus hæc nota sunt, quibus notis fixa, à volatilibus, destillationes simplices, à calcinatione, & reverberatione, differant: vel ex ipsis Mechanicis evidens est, quòd *Metalla ex naturâ suâ durissima, fixa*, ut liquentur, intensissimum ignis gradum, & follis subsidium, requirant; & ut *in Crocum* abeant, tanquam *in corpus, omnibus suis qualitatibus fixissimum*, ignem reverberii (quo nihil efficacius) efflagitent. Qui ergò per destillationem, affuso tantùm liquore simplici, in altum deduci poterunt, ac inauditâ metamorphosi, cùm *fixissima* sint, instantaneâ actione *in volatilia* transibunt, ut instar aquæ, per Alembicum ducantur? Implicatorium sanè est, nisi quis, sine fronte, & veritate, retorqueat absurdum illud; nimirùm, *manent etiam in fixis virtutes volatilium*. Cui quidem, pro dementiâ suâ, Helleborem suaderem potiùs, quàm literatè responderem. Quæro tamen, nùm ignis reverberii remissioris gradûs sit, quàm destillatoriùs; quod ad oculum falsissimum est. Si ergò in igne reverberii volatizari non potuit, aut, si potuit, quod volatile fuit, evanuit: quomodo ergò per destillationem volatizabitur? Dices; contingit hoc beneficio vehiculi, quod, Dædaleâ ope, Icaro suo extemporaneas affigit pennas, & eum volatizat. Verùm indignum est hoc Philosopho dogma: experiuntur longè alia exercitati Chymicorum actûs; quibus notissimum est, quòd *fixa virtute suâ leges fixorum* teneant, & *volatilia volatilium*, & fixa præstent volatilibus. Novêrunt etiam Adepti, non cuivis Unguentario à Patre Luminum datum, ut, remoto ab oculis peplo, ac velamine, in luce ambulent, ac cognoscant, quàm arduum sit, *fixa volatizare*, & *volatilia fixare*; idque non accidere, nisi vocatis in auxilium principalibus Chymicorum auxiliis, quibus *volatilia*, *per diuturnum & siccum calorem*, fixantur, & *fixa*, beneficio *diuturnæ putrefactionis*, volatizantur. Hæc non Rhetorem, sed Chymicum consummatissimum exigunt. Verùm hîc Rhodus; hîc salta. Sanè, me pœniteret operæ locatæ, sudoris & laborùm, tàm tædiosum tractare argumentum & surdastro fabulam canere, nisi Medicinæ Tyronibus, velut cum lacte, per discursum, genuina Chymiæ & Pharmaciæ principia, & theoremata, simul instillarem; queîs instructi, indignas Authorum nænias, & aniles fabellas, declinent; ne deinceps ejusmodi mendosa dogmata, in manifestam Ægrorum, & Medentium, pernitiem, virulento fomite, transplantentur.

Penultimum hujus *Compositionis* ingrediens *Crocus* est *Orientalis Vegetabilis*: quo pertransito, & examinato, *Compositioni* huic colophonem impositurus sum. *Aroma* sanè *pretiosum* est, & à nonnullis, per antonomasiam *Philosophorum Aroma* dicitur *Crocus*, virtute gaudens anodyna, somnum adfert, pectoris affectiones respicit, cor tutatur, ac vitales ejusdem demulcet spiritûs: præsertim verò vis ejus anodyna elucet; unde iteratò eum variorum Authorum *Compositionibus* substitutum videmus: quo & motivo fortè ductus Quercetanus, eum *Aquæ Dysentericæ* inseruit. Quæri igitur potest, nùm *Crocus*, juxta artis, & naturæ, leges magis in *formâ Extracti*; an sub *Destillationis, & Liquoris eliciti, formâ* præparari debeat? In formâ *Extracti* ubique in Officinis prostat; in *Liquore* & *destillatus*, nullibi locorum reperitur. Ad hoc quæsitum cum fundamento respondeo, si rigorosè loqui velimus, nec sub *Destillationum*, nec *Extractorum*, formâ *virtutes, & Balsamicas Croci partes*, perfectè contineri;

plus

plus tamen *ejusdem Extracto* virium correspondere, quàm *Aquæ ex eodem stillatæ*. Satiùs ergò foret, si citrà nauseam ægrorum accidat, *Crocum in substantiâ suâ*, non violatum, medicamentis addere; aut *Essentiam* ex eo parare. Cuicunque enim *menstruo aquoso*, vel *spirituoso*, committatur, virtutes suas illi concredit. Nam, sive cum *Spiritu Vini*, sive *Aquâ*, eum extrahas; fieri non potest, quin, in *menstrui illius abstractione*, ad legitimam *Extracti consistentiam*, plurimæ partes spirituosæ & volatiles avolent: quam jacturam resarcire non poteris, more à nobis superiùs edocto, in *Extracto Absinthii*, scilicet *per additionem Olei Essentialis Croci*, quod nullibi extare legimus, nec vidimus. Ut autem ex *Croco sal eliciatur*, caro constaret, & salsum foret, ne dicam, insulsum. Non enim ex *uncia una*, *aut altera* (prout multi superstitiosè credunt, quando, stupido ausu, è residuis quandoque, à destillatione, paucis speciebus *salem fixum* educere præcipiunt) *sal in copiâ* elici potest; sed libræ aliquot quandoque, vegetabilium quorundam, non sufficiunt pro elicienda *unâ*, *vel alterâ*, *drachmâ salis*, prægressâ legitimâ incineratione. Quod si Scioli quidam observarent, non temere adeò præciperent, ex *paucis vegetabilibus*, in magna quantitate, *salem fixum* extrahere. Cùm ergò *partes illæ spirituosæ Croci* exhalent, neque conservari, nec redintegrari possint *in Extractis*, deficiente *Oleo*, *& sale Croci*; sequitur, quòd *Extractum Croci* in multis ejusdem virtutibus deficiat. In destillatione idem nodus Gordius solvendus est. Nam quod in *abstractione Extracti Croci*, *de partibus tenuioribus æthereis* perit, vel unà cum menstruo, per destillationem abstracto, ut justam *consistentiam Extracti* possideas, evanescit; idipsum, vel easdem planè *partes tenuiores Croci*, *in destillatione aquarum conservamus*, ne evanescant: interim tamen *partes potiores*, *roborantes*, *terrestriores*, *maximi effectûs*, in destillatione subsidunt; quibus aquæ, ab eodem destillatæ, penitùs viduatæ sunt. Neque etiam illud, quod *à Croco*, *in destillatione*, *residui manet*, cum commodo aquis restitui potest; quò minus aquæ nauseosæ exinde evadant: quod ut quàm maximè caverem, omnem movi lapidem, in *præfatis meis Aquarum Compositionibus*, adeò, ut, ubi *Crocum*, ad aquas destillandas, v. g. Cordiales, Alexipharmacas, Hystericas, &c. destinavi, semper *Croci proportionatum pondus reliquis speciebus* addiderim, quò aquis destillandis *tenuiores partes suas* communicare posset: ipsi deinde rostro Alembici *particulam Croci* indidi, ut partes in simul roborantes, tanquam copiosiores, ejusdem transeuntibus spirituosis aquis imprimerentur & consignarentur. Ex his inferes, L. B. Authorem hunc solùm deliquisse in *proportione ipsius Croci*, huic *Compositioni* additi, cujus *unam* saltem assignavit *drachmam*: quasi verò *drachma unica* vires copiosas anodynas adstringentes, & roborantes, possideat, & aquæ communicatura sit. Satiùs igitur, me judice, egisset, si *Crocum rostro capitelli* immisisset, præsertim in exiguâ quntitate hâc, ut, communicatis partibus tenuioribus, & roborantibus, etiam crassioribus, refluos liquores, & *Aquam Dysentericam*, velut *Essentiam*, exaltasset; cùm non sit *remedium in Dysenteria ferè præsentius*, *Essentia*, *aut Extracto Croci*; quæ omnem Aquam, è *Croco* stillatam, longè exsuperant; quantumvis in magna copia destillationi commissus fuisset *Crocus*.

Quòd si verò, L. B. expetas Regulam, & Modum, quo medicamentum efficax parari possit, Essentiam, & vires singulas, *Croci* plenè referens; subsequentem observato Methodum:

℞. Croci Austriaci, seu Orientalis, uncias tres.

Huic, Alembico vitreo immisso,
superaffundo
Spiritûs Vini rectific. atque duabus vicibus à recent. flor. Lilior. convall. s. q. abstracti,
Aq. Flor. Arantiorum, per *Baln. n. vaporos.* stillat. ana libram unam.

Factâ post maceratione, diebus aliquot, in leni calore, evocetur, destillando in B. M. vel vaporoso, *totus affusus Spiritus*, *& Aqua*: quâ servatâ, intereà temporis *Crocus*, *in fundo Alembici relictus*, extrahatur cum *s. q. Spiritus Vini*, *repetitis vicibus affusi*, usque dum omnis *Tinctura Croci* extracta sit. *Extractiones* pòst, seu tincti *Spiritûs* omnes filtrati, in Alembico vitreo,

treo, per Baln. Mariæ abstrahantur, ad *Extracti* consistentiam. Hoc *Extractum* nunc solvatur cum *priori Aqua spirituosa, à Croco abstracta*, filtretur, & diligenter custodiatur, tanquàm excellentissima *Croci Essentia*, in frigidis æquè, ac calidis, affectibus proficua. Nam etsi illam libenter cum *destillatis* tantùm *aquis*, nullo adjecto *Spiritu Vini*, conficere præcepissem; obstitit tamen hoc, quòd essentia, isto modo parata, subsistere ad tempus nequaquam possit; quin situm protinus contrahat, ad brevissimum tempus vix duratura.

Et sic, cum *Croco*, examen, & censuram, in has tres *Aquarum destillandarum* Quercetani *Compositiones* erroneas, concludimus; in quibus non parvos, nec leves, defectûs Soli habes expositos, rationibus Physicis, solidis, Experientiâ ipsâ, & vel ipsius Authoris testimonio, dilutos.

Habes nec non, L.B.Regulam, & normam, aut, si mavis Lydium lapidem, ad quem reliquas, hujus Authoris, *Compositas Aquas* probes, & explores: quæ sanè tot scatent erroribus, quot constant ingredientibus; ut meritò tanto viro indignas censeas, & Apocryphas dixeris.

Hoc autem grave laboris opus in Tui, L.B. favorem & commodum suscepi; ut deinceps, tot adductis rationibus Physicis, & Practicis operationibus, confosso propriis argumentorum telis Authore, videas, quânam viâ imposterùm incedas, mediâ tutissimus. Hanc ego Tibi, spinis & sentibus antehac infamem, ac horridam, meo candore tritam, ac regiam effeci, &, velut digito innuens, manu Te duxi, ad sacram invidiam, utinam æmulationem, cæteris Scriptoribus, qui secreta, & talentum suum, intra se suffocant, ac novercali odio retrò agendæ Posteritati injurii, defodiunt, & tumulant.

Transeo à Quercetano ad quasdam *Aquarum destillandarum Compositiones, ex Armamentario Mynsichtii*, depromptas; quas pariter æquâ lance libraturus, explorabo; num illud, quod hæ *Aquæ*, & aliorum *Medicamentorum Compositiones*, gloriæ ac famæ pondus præ se ferunt, à parte rei contineant. Sit ergò, quæ agmen ducat,

Aqua Antiphthisica Mynsichtii; quæ sic se habet:

℞. *Cons. Radic. Consolid. major.*
Rosar. rubrar. ana lib. j.
Micæ panis tritic. ℥ *iiij,*
Pinearum mundat.
Pistach. virid ana ℥ *iij,*
Rad. Chinæ ℥ *ij,*
Flor. Epat. albæ,
Rorismarini,
Medull. nuc. Indic. ana ℥ *j,*
Macis ℥ *ß,*
Confractis & contusis affunde, in mortario capaci,
Aq. Pulmon. vituli,
Plantaginis,
Caponis, ana lib. j,
Cinamomi, bugloss.
Veronicæ,
Scabiosæ, ana lib. s.
Stent in Infusione per octiduum, aliquoties in die movendo; postea adde
Succi Tussilaginis expressi,
Lactis caprini, ana lib. j s.
Sanguin. Porcelli unius,
Limacum è suis testis extract. & contus. ℥ *j ß,*
Hepat. Gallinarum num. tria,
Croci Oriental. ʒ *j,*
Denuò misce, & B.M. per Alembicum destilla.

Affinis *hæc Compositio* est *Aquæ Dysentericæ Quercetani*, pauca, vel nulla, ingredientia numerans, quæ apta destillationi, aut liquorem destillatum fœcundent. Sterilem hîc habemus messem; paleas nihilominùs eventilabimus, ut illam horreo aptemus, quam conservandis & relevandis Ægris aptam judicaverimus; servato ordine, quem suprà observavi.

Primum obtinet locum, *Conserva Rad. Consolidæ major.* Cujus *radicis* Crasin quod attinet, *naturæ terrestrioris est, omnis odoris expers; perpauco sapore prædita.* Si cum *Aqua* coquatur, vires ejus intactæ manent in *decocto*, quod mucilaginosum & viscidum reddit; adeò, ut exindè nonnulli suspicati fuerint, *Radices* has tantâ vi glutinante, & consolidante (ob-

ſervatâ etymologiâ nominis) pollere, ut, ſi carnibus fruſtillatim ſectis, in lebete coquendis, uniantur, novam inter eas unionem producant, & unum quantitativum conſtituant. *Hæc Radix vulnerariis potionibus & decoctis* principaliter dicatur: (illud tamen obſervando, ne modus in *decoctione*, quæ levis eſſe debet, excedatur, quòd mucilaginoſum aliàs datura ſit liquorem,) quare adverſus ulcera, virtute conſolidante, & nonnihil adſtringente, foris, & intùs, vulneratis adhibita, multum conducit: quòd ſi verò diutiùs *coquere* contingat, ad mucilaginem uſque, ſanandis herniis, & glutinandis, deforis, lege artis, cum reliquis adhibita, aut in forma *Cataplaſmatis* extenſa, inſervit. Utut autem procedas, ſive *Cataplaſma*, ſive *Decoctum*, ex illâ appares, *quidquid virtutis conſolidantis & glutinantis* in ſe continet, omne illis communicatur, nec minimâ parte ejuſdem per ſuperiora exhalante. In his circumſtantiis, quid efficaciæ, beneficio *deſtillationis*, *ab hâc radice exſpectemus*? An non *Decoctio*, & *Elixatio*, violentior eſt *Deſtillatione*, affuſo liquore, factâ in M. B. aut vaporoſo? At ſi *in decoctione vires ejus non elevantur* ad ſuperiora, ſed *in decocto* latent; qui fiet, ut per *Alembicum* ducantur? Ut adeò hæc *Aqua Antiphthiſica* nihil minùs, quàm *virtutes Conſolidæ*, referat. At, concedamus, poſſe fortè ex *Radice*, *recentiſſimè effoſſâ*, beneficio Balnei noſtri vaporoſi, ſine addit. deſtillatâ, aliquid virtutis, unà cum humiditate elementari, exhalare: ſed, quæſo, ad quid perditio hæc, quòd ejus loco, *Conſerva ejuſdem*, *propter ſacchari admixtionem*, ad deſtillationem ineptiſſima, ſubſtituitur: cùm *Conſervæ hujus libra una*, pro tertiâ ſaltem ſui parte, *unciis quatuor ſcil. è Radice* conſtet; reliquæ duæ partes, *unciæ ſcilicet octo*, *ex Saccharo* ſint, pretiumque Conſervæ pretium Radicum decuplo adæquet, aut ſuperet. Quid, quæſo, *ex Saccharo* deſtillando eliciet prudens Medicus, aut Chymicus, quod pridem tot *torturis*, *coctionibus*, *clarificationibus*, *in primâ ſua confectione*, ad debitam & ſolidam conſiſtentiam redactum eſt, antequam ex peregrinis regionibus, quaſi ultimâ Thule, ad nos defertur? An enim deſtillationi ſubjiciet? An *Conſervæ*, ſeu *Radici deſtillandæ*, per Alembicum, & Balneum vaporoſum, *Saccharum* humiditatem conferet? Lixes, quantum voles, coque, recoquito, aut deſtillato, *Conſervam* hanc, diebus & noctibus; firma & fixa, cum omni virtute ſuâ, in reſiduo durabit, ne vel atomo virtutis in Alembicum ſtillante, aut elevatâ. Num imbecillis juventus hîc ab Authore inſtituenda venit, quæ nucibus & bellariis in obſequium trahitur; an ad Medicos ei ſermo eſt, dum futilia ejuſmodi documenta proponit? Annon ſatius eſſet, *ipſam Conſervam*, *ſub formâ Ægris gratiſſima*, iteratò ſuadere, & ſic Phthiſicis conſulere, quàm ſaccharum prodigè immolare?

Succedit & altera *Conſerva*, ex *Roſis* parata, eandem cum priori induta larvam; quanquam ab eâ nonnihil diſcrepet; quòd *Conſerva Roſarum* aliqualem *fragrantiam*, *vires facultateſque Cordiales*, *Cephalicas*, & *refrigerantes*, inter deſtillandum, communicet; nihilominùs tamen *reſiduas dotes*, *ac vires*, *Roſarum magis roborantes*, *mediocriter adſtringentes*, hepati ac pulmonibus dicatas, ac ſummè deſideratas, unà cum *ſapore ſuo amariuſculo*, inter deſtillandum, in reſiduo depoſitet. Unde Praxis nos docet, quòd *Conſerva Roſarum*, iteratò Phthiſicis exhibita, plurimum conducat; non item *Aqua Roſarum*. Verùm, profuſio hæc *Roſarum*, *unciis* ſcilicet *quatuor*, tanti non eſſet ponderis, quin ſimulare poſſemus, niſi & *dupla ſacchari quantitas*, *unciæ nimirum octo*, quibus *una libra Conſervæ Roſarum* paratur, maleſanâ prodigalitate peſſum irent: quod ex dictis liquet. Pretium igitur huic *Aquæ Antiphthiſicæ*, non à præſtantibus *Roſis in Conſerva*; ſed à pretio, & ſumptibus *ſacchari*, Ægro luendis, accedit; quatenus *ſaccharum*, ad aquas ſtillandas, auctiori doſi imperatur; cum ſine hoc, præſtaret, deſtillare.

Nunc de *Panis Mica* ſermo mihi habendus eſt; quam cùm primâ fronte huic *Compoſitioni* inſertam legerem, facetum illud mihi mens ſuggeſſit, quòd hîc Author Medicinam pauperum, aut ollam in ſubſidium egentium proponere voluerit. Quis non ſubrideat, hæc ſecum altius ruminans, quòd *Aqua*, *ex Micis Panis deſtillata*, Phthiſicos curare debeat, quos nec *unciæ aliquot Panis*, in ſubſtantia, indies per

per se, aut in Panatellis devoratæ, à Phthisi liberare valent? Si Phthisici ex *destillatis Micis Panis* illicò nutriri possunt, cur non *Panis & Micæ*, in Esse suo, & substantiâ, exhibentur? Ego in hâc sententia sum, quòd *uncia una Panis, in substantiâ exhibita*, plus enutriat, quàm *omnis Aqua, simul & semel exhausta*, quæ è decem libris Panis exstillârit. Et verò quid, per destillationem, *à Micis Panis* exprimes virtutis? Uno verbo dicam; *Nihil! Aqua prodibit elementaris, virtute nutritivâ intactâ, sed ad residuas subsidente*, ut, qui, licet per integrum diem coctus fuerit, Panis, nihil tamen deperdat de partibus suis nutritivis. Nam (Philosophum consulo,) si *partes aliqua volatiles*, aptæ natæ, ad destillandum, *Micis Panis* inessent, annon violentâ illâ Panis coctione, quæ in pistrinâ indies accidit, quicquid *spirituosum, & exhalabile, Panis* contineat, volatizatum evanesceret? Et, rebus sic constitutis, *Pane vesceremur, ad nutriendum inidoneo*, omni substantiâ in furno, & igne, exuto. Sanè indignitas rei, & argumenti, ad ulteriora me progredi cogit.

Pineæ, & Pistachia virides, huic *Compositioni* cur inserantur, haud satis assequor. *Bellaria* sunt, *Fructûs nutritivi*, culinis, ac quadris, quàm Officinis nostris, pro destillatione, aptiores; ex quibus pariter, etsi sæpiùs destillationibus adhibeas, nihil utile elicies, *fructibus decoctis, eum omni suâ substantiâ*, in residuo manentibus; quos si, etiam à decoctione diuturnâ, iterum debitè siccares, *Oleum proprium*, & *genuinum*, exprimere posses. Quid ergò in destillatione virium dabunt, qui in alimentum, aut condimentum potiùs nati sunt? Ut ex iis variè nostri *Cibi condiantur*, vel contusi *Emulsionibus* adhibeantur; & sic, in substantiâ exhibiti, nutriant, humectent, impinguent, Phthisicos; minimè verò destillentur. Igitur & hæc duo planè inutilia, *Aqua* hujus ingredientia, dimittimus; cùm nihil frugis in destillatione fundere habeant.

Succedit *China Radix*. En! *Canterius in Portâ*. Quis non (DEUM immortalem!) tàm insulsa præcepta, tàm inconcinnam hanc destillandorum legem, & ametriam, nauseet, & abominetur? Cui unquam adeò *pro Cerebro palea obtigit*, ut *China Radicem*, nullo sapore, nisi subadstringente, præditam, inodoram, minimè aromaticam, destillationi committere velit; quam tamen totus Medicorum populus coqui, recoqui, jubet, & ordinat, ut ejus vires, & indoles, inter decoquendum extrahatur, & ægris propinetur? Indignitas rei (pace tuâ, L.B.) hoc mihi verbum extorquet: Trabes imposterum, & paleas, destillabimus, & convincemus Majores nostros, quòd falsum sit, quin ex quovis trunco fiat Mercurius. Tu interim, L. B. *Chinam*, mecum, *Extractis*, & *Decoctis*, destina; sensatus futurus Medicus.

Pedem moveo ad *Flores Epaticæ albæ*, & *Rorismarini*, vel ipsum *Roremmarinum*, quos succincto examine dimittam. *Flores hi Balsamici*, fragrantes, & aromatici sunt, præcipuè *Flores Rorismarini*: quare in confesso est, quòd, inter destillandum, communicatis partibus spirituosis & rarefactis, *Aquas* suas imprægnent. Illud solùm desiderem, quod non *auctiori dosi*, aut *pondere*, hanc *Compositionem* spectando, ordinati fuêre; unde multum virium accederet huic anti Phthisico Liquori. Ego, pro eâ, quâ ducor, ratione, potiùs *Conservam Florum Anthos*, & *Hepaticæ albæ*, unà cum Conservis suprà eventilatis, Ægris ejusmodi exhiberem, servatâ, dosi & tempore. Ex quibus, quin plus levaminis, & virium, quàm ex destillata hâc *Aquâ*, sensuri essent Phthisici tabescentes, nullus dubito.

Ordo tangit jam *Medull. Nuc. Indic.* Posset autem quis in hoc nòminis etymo dubius hærere, quid per *Medullam* hîc Author intellectum velit. Non agnosco aliam *Medullam Nuc. Indicarum*, quàm *ipsas Nuces Moschatas*; quia hæ sunt vera *Medulla Nucum Indicarum*, inclusæ priùs cortici duro; qui cortex iterum obductus est tenuiori involucro, eoque flavescente rubeo, seu *Floribus Macis* dictis; quæ contenta omnia, exteriùs, putamine, seu carne satis crassâ, aut pulpâ, rursum teguntur; hæcque per maturitatem dehiscit, ut in Juglandibus; ad quarum æmulationem & formam hæ producuntur. Non igitur persuaserim mihi, Authorem hanc *Carnem à Nuce Indica conditâ totâ*, neque *hujus Nucis nucleum* integrum, qui verè *Medulla Nucis hujus conditæ* dici meretur, intellectum voluisse, (recens enim, vel cruda, Nux Indica hîc terrarum non reperitur)

ritur) sed potiùs *Nuces Moschatas ipsas*. Ambiguum nihilominùs me, & alios, reddere potest, abbreviatio, vel non integra expressio, Casus, & Numeri. Si enim per abbreviationem, & contractionem, scripta hoc modo legas; scilicet, *Medull. Nuc. Indic.* tàm in Singulari, utpotè *Medullæ Nucis Indicæ*; quàm in Plurali Numero, nimirum *Medullarum Nucum Indicarum*, intelligi propositio potest. Si in Numero singulari accipimus, utique *Carnem* intellixit, *à Nuce Indica conditâ*; quia unica ejusmodi Nux, Carnis, quam vocant, quæ exterior Nucis cortex est, pulposus & carnosus, *unciam unam, si magna*, continere potest: non autem *veram, & unicam, ejus Medullam*, quæ ipsa *Nux Moschata* est, & *drachmam unam, vel alteram*, vix pendet, etsi grandiuscula sit. Si verò pro Numero Plurali sumamus, *Nuces Moschatas communes* eundem intellexisse, & vulgares, credendum, (nolim enim ego Authorem hujus erroris arguere, quasi *de Nucibus his conditis Medullam quoque conditam* sumere præcepisset) quia pluribus haud opus fuisset *Nucibus conditis*, quàm unâ, vel unâ cum dimidia, pro uncia una carnis, vel pulpæ, ab ea desumenda. Ego pro parte Authoris hujus litabo, &, quantum hariolari licet, arbitror, illum intellexisse *Nuces Moschatas vulgares*; non earum Carnem, quam Pulpam Nucum Indicarum conditarum vocant; neque harum *conditarum Nucum Medullam veram, intimè inclusum Nucleum*, etiam conditum, (quòd erroris & dispendii res plena foret, quia *Nuces Moschatæ communes* idem, & plus, hîc præstare possent; cùm idem sint, & multò leviori pretio habendæ.) Etenim à *carne hâc condita Nucum Indicarum*, tanquam multum jam coctâ priùs, in ejus conditurâ, Aqua destillanda ferè nullas vires mutuare posset, partibus nimirum tenuioribus, in earum coctura & conditura expulsis: & satiùs foret, hanc *Carnem conditam* Phthisicis, aut Marasmo consumptis, in suo Esse propinare & exhibere, quàm Aquam, ab eâ destillatione elicitam, in usum vocare. Stemus ergò in hâc conclusione, quod Author intellexerit *Nuces Moschatas vulgares*; & cessat omnis impugnatio. Nam illæ ad destillatas Aquas stomachicas, roborantes, & similes intentiones, utilissimæ sunt; quamvis in suo Esse, ad aromatizanda fercula, Dysentericis magis idonea arbitrer, tanquam condimentum nulli non amabile.

Hanc doctrinam & ad *Macerem* subsequentem extendi velim, potiore scilicet jure, ad *condienda fercula* Dysentericorum, quàm *Destillationes* similes, expetendam. Plura igitur de illa non commentor.

Subsequuntur hæc Aromata *Aquæ destillatæ*: inter quas *Pulmonum Vituli*, *& Caponis*, *ejusdem Authoris* præcipuæ extant; earumque *Compositiones* huic *Aquæ anti-Phthisicæ*, *in Armamentario suo*, statim postposuit, non citra magnorum errorum ludibrium. Quam ob rem, è re fore, duxi, ut *Compositiones* has, per parenthesin quandam, datâ hâc occasione, quàm brevissimè examinem. Verùm, ut L. Amicus perspicatissimè videat, quam multis absurditatibus hæ *Compositiones* contaminatæ sint; ruminet ea, quæ, de *destillationibus Hirundinum*, & *Animalium*, *priùs decoquendorum*, cum fundamento in re, docuimus: ex quibus clarè eliciet, quòd in his *Compositionibus* (*Aquarum* scilicet *Caponis*, & *Pulmonum vituli*) aliud non lateat, quàm ementiti colores, & Meretricium stybium, quo eas defucant; Poma sodomitica, quæ intus cinerem nutriunt; speciosi tituli, & magnificæ pollicitationes, quibus toti mundo illudunt atque imponunt. Nam, si *interiora vituli*, *Cor* scilicet, *Pulmones* & *Hepar*, item *Capo*, cum adjectis insuper *Radicibus*, *Herbis*, & *Fructibus* pluribus, spirituosi quippiam, & partium tenuium, abditum tenuissent, quod mediante destillatione elici posset; illud utique *in prævia sufficiente, ac longissima decoctione*, quam præcepit, exhalante vapore, utut vas clausum fuisset, (quemadmodum in arctè clauso vase nihil coqui valet; sicuti alibi demonstravimus) jam tùm perspirasset. Sed quis unquam Medentium hoc novatum dogma secutus est, ac Ægris *vapores*, *à delicatis carnibus*, ut *Caponibus*, & *Gallinis*, *inter decoquendum adscendentes*, artificiosè concentratos, in subsidium virtutis nutriendæ, & corroborandæ, exhibuit? Annon præferendæ *ipsæ Carnes*? cùm vapor ille, inter coquendum à Carnibus exhalans, pro-

proprie aquæ elementari possit æqui parari, quæ, inter destillandum, (quod, remissiùs decoquere, appello) superius, in summo capitelli, in aquam se resolvit, ac sensum in receptaculum exstillat. Et absurda est, profectò, *illa Animalium, eorumque partium, ac plurimarum rerum aliarum, inculcata decoctio prævia*, ante earum destillationem. Deberent enim exactissimum temporis punctum definire, quàm diu illa coctio continuanda sit, ne quicquam laudabile, si fortè intensiùs, ac nimis diu, coquerentur, vaporetenus exhalaret: & consequenter, quo oculi ictu vapor efficax, enutriens, corroborans, reficiens, ac alimentans, incipiat avolare, & exhalare, ad clepsydram, aut rotatile horologium, dimetiendum foret; quod sanè ridiculum & phanaticum. Ratio hujus est, quoniam *omnia Vegetabilia*, subintellige, quæ destillationi apta, aut aptanda sunt, nec non *Animalia*, quoad *Spiritùs* suos *vivificos* eliciendos, (uti superius tradidi, in simili destillatione) statim, inter summa initia, *efficaciores suas partes* reddunt; *& Aqua, quæ ultimò & novissime exstillat*, habitâ proportione *ad primam*, nullius ferè, aut saltem inferioris conditionis, & efficaciæ est; experientiâ id ipsum attestante; quod quidem nec Tyronibus in Pharmaceuticis ignotum manet; & manifestè, in ipsâ destillatione *Aquæ Cinamomi*, vel alterius, demonstrari potest. Si quis igitur in transversum agi, & rotari se sinit, ut credat, quòd promiscuè, *omnium rerum Vegetabilium, Animalium, & Mineralium virtutes*, in consimili ac uniformi destillatione, per Alembicum elici ac transire possint (quod vi processus, & præceptorum, quæ in innumeris Authorum *Compositionibus* extant sequitur) necessariò inferendum est, *illas partes tenuiores, & rerum virtutes*, in primâ statim destillatione transire: quod Natura ipsa, in omnibus aliis destillationibus Vegetabilium, aptorum ad destillandum, uti dictum, observat; notumque est iis, qui Pyrotechniam tractant, ipsorumque discipulis. Quòd si hoc verum, uti certissimum, quidnî, *in præmissâ valida coctura*, ab Authoribus sedulò præcepta, non *crassiores, sed rariores, & subtiliores partes* inprimis, uti connaturaliter fit, vaporetenus exhalabunt; *minùs verò efficaces, & terrestris genii, ac effæminatæ*, in fine subsequentur, aut a coctura in residuo manebunt? Si cui difficilè sit, huic assentiri, periculum is faciat cum *Cinamomo, Caryophyll. Aniso, Rosis*, quæ decoquat, affuso prius liquore, prout *Capo, interiora Vituli, & permulta Vegetabilia*, cocturæ subjici jubentur, donec nimirum, uti volunt, carnes ab ossibus decidant; *illa deinde, satis superque cocta*, destillet; &, mehercle, deprehendet, *omnem efficaciam & essentiam, odorem & saporem*, ab illis recessisse, & inter coquendum, si non in totum, saltem maximâ ex parte, exhalasse. Vice versâ, sine præcedanea illâ cocturâ, quæ destillantur, vires integras, spiritum, & essentias, aquis suis imprimunt, easque iis nobilitant. Quid igitur hæsitas, quin firmiter assentiaris, hoc ipsum evenire in præsenti casu, ubi importunæ adeò destructivæ rerum cocturæ suadentur, & docentur? Num natura sibi habenas, & camum injici patietur, ut, retrogrado cursu, nostris auscultans fabellis, & irritis conatibus, aut in transversum agatur, aut, velut œstro percita, hærens, *fructuosas animalium partes, Essentiam, Crasin, & virtutem Caponis interiorum Vituli, Radicum, Herbarum, &c.* in edocta decoctione, velut claustro, (nostro imperio) detineat, donec mitiori judicio, imperatâ à nobis destillatione, vinculis libera, quà data porta, demum erumpant? An nesciunt hi Authores, quòd excentrici naturæ motus, & exotici partus, aliud nil sint, quàm monstra Universi? Nemo igitur persuadeat sibi, id fieri, & practicari posse. Et hæc, de *perperam suscepta cocturâ*, sat dicta sunto.

Jam verò, si ipsa *Animalia, & eorum Partes, Radices, Fructus omnes, & Vegetabilia plurima*, paucissimis exceptis, quæ *duabus hisce Compositionibus*, *Aquarum* nimirùm *Pulmonum Vituli*, & *Caponis*, inserta sunt, penitius consideremus; illa, licet, sibi relicta, non coquantur, nihil tamen de genuinis viribus suis, & qualitatibus nutritivis, confortantibus, reficientibus, consolidantibus, conglutinantibus, per destillationem fundunt; sed *dictæ virtutes omnes* in residuo manent: eò, quòd *illa Vegetabilia omnia terrestrioris* genii sint, *decoctionibus* potiùs, & ex-

extractionibus, apta, nequaquam verò *destillationibus*. *Animalia*, pariter, aliam *destillandi* rationem & dexteritatem exposcunt, si quis eorum *vires*, & *substantiam* elicere velit; prout videre est in doctrinâ, super *Aquas Hirundinum* destillandarum, à nobis superius tradita. Aliàs naturâ sic comparata sunt *Animalia*, eorumque *Carnes*, ut vires suas nutritivas, restaurantes, licet diutissimè coquantur, nihilominùs integras sibi reservent; quibus deinceps nobis in alimentum cedunt, nutriunt nos, & restaurant. Quod spectat deinceps alia quædam, *has binas Compositiones, Aquarum Pulmonum Vituli*, & *Caponis*, ingredientia, *species*, putà, *Diamargarit. frigid. Sem. quatuor frigida majora, Micam Panis, Conservam Rosarum, Polytrichi*, & *Borraginis*; quàm perfunctoriè, & malè, hæc ad destillandum decreta sint, ex superioribus, efficaciter, & demonstrativâ methodo, adductis, clarè apparet. Adeò, ut *hæ binæ Compositiones*, præter paucula, puta, *Cinamomum*, *Macerem*, *Anisi semen*, *Hyssopum*, *Salviam*, *Aq. rosarum*, utile nihil contineant, à quo hæ binæ *Aquæ* eximias vires derivare possint: ac, velut *Aqua nostra Antiphthisica*, (quam de præsenti sub censura habemus, vel potiùs *Compositio* ejus, mendosa, & *Aqua* effœta ac sterilis est; sic & *hæ binæ Aquæ*, cum illa *Antiphthisica*, unum monstrum producentes, haud speciosius promereantur encomium.

Restant nonnullæ *Aquæ simplices destillatæ*, *hanc aquam nostram Antiphthisicam constituentes*, examinandæ. Sunt autem *Aquæ Plantaginis*, *Cinamomi buglossata*, *Veronicæ*, *Scabiosæ*: inter quas *sola Aqua Cinamomi*, *virtute* & *Spiritu turgens*, *odore* ac *sapore* eminet; reliquæ verò, *ex Herbis*, *naturæ terrestrioris*, effœtæ, ac inefficaces, languent, nisi legitimè, citra ullius peregrini liquoris additionem, in *Balneo nostro vaporoso* destillatæ, aliquid fortassis præstiterint; omninò tamen *decocta* eorundem, *Extracta*, *Succi expressi*, & *Syrupi*, *ex iisdem confecti*, majorem conciliabunt utilitatem.

Nec alium meretur Calculum *Lac Caprillum*; quod, recenter mulctum, & propinatum, ad Phthisi emaciatos, omnium ferè Medicorum suffragio, multas in se continet prærogativas: consideratis tamen considerandis. Id ipsum tamen iidem Medici, ob *partes Butyraceas*, & *Caseosas*, nonnunquam repudiant, substituto ejusdem *Sero*; quod refrigerante, humectante, & abstergente qualitate dotatum sibi figunt. Sed quid *ex destillato Lacte* nanciscemur? forsan, cum Paracelso, *Lactis Sulphur*; quo etymo *Flores*, & *Colostrum*, appellat? An *Butyrum* sublimabitur; quod Fernelius *Spumam agitati Colostri* intitulat? Dicam, quod veritatis est; *Aquam purè elementarem*, *in Alembicum decurrentem*, virtute integra salvâ, sub grumi lactis formâ, in residuo manente habebimus. Quàm fœlices essemus, & quàm salubre remedium, non solùm in Phthisi, sed in aliis quàm plurimis morbis, *Lac destillatum* foret, si vires ejusdem destillando prolicerentur; quòd autem hæc minus fiant, & non, nisi *Aqua insipida*, *omni lactis virtute destituta*, per Alembicum ab eo transeat, id Medicis sensatis non solùm, sed Lippis & Tonsoribus notum est.

Porcelli unius Sanguinem huic destillationi superaddit Author: qui ipse *elementarem aquam*, *sero non absimilem*, in destillatione hac profundit; etsi ad siccitatem usque destilletur. Ex *siccato* verò *sanguine*, fortiori & aperto igne, per Retortam, *Sal volatilis*, *Spiritus*, & *Oleum*, propellitur. Est enim *sanguis Porcelli* ejusdem naturæ, & crasis, ac *Hirci*, & *reliquorum Animantium sanguis*; quem in nostros usus, tanquam nobis homogeneum, & mumialem, desiccari jubent, ac propinant: non curato *Liquore*, *in desiccatione ab eo exhalante*, tanquam inutili. Easdem igitur vires *à sanguine Porcelli Aqua hæc Antiphthisica* mutuabit, quas à lardo & farciminibus destillatis.

Tandem ad *Limaces*, & *Gallinarum* scrutanda *Iecinora*, ab Authore superioribus associata, descendo. Constat autem ex dictis, quòd neque illa diversum, ac melius quippiam, nobis, ab ordine naturæ, polliceantur. *Limaces* quippè, *solidioris substantiæ*, *coctionis* & *digestionis durriusculæ*, utut decoquantur, mucilaginem, in qua virtus earum nutritiva, glutinans, & humectans, stabulatur, in jusculum deponunt; quemadmodum & *Animalium Hepata*,

pata, sive *Gallinarum*, sive *Boum*, ea sint, suas sibi servant vires, sive cocta, sive assata fuerint; imò per integrum exsiccata, non, nisi *aquam elementarem*, eructant, omnis virtutis propriæ expertem. Igitur & *hæc duo ingredientia futilia Aquæ* huic *Antiphthisicæ* ne atomum quidem virium conferent.

Concludit tandem dicta ipse *Crocus Orientalis*; qui vel condimenti loco, infulsæ huic *Compositioni*, vel, ut fucum addat, *Aquæ* huic *Antiphthisicæ*, nihil præter speciosa verba, & promissa continenti, superadditus fuit. Hunc in superioribus sufficienter examinavimus; illius igitur præconia, utilitates, & tractandi methodum, ex dictis L. B. commendavero.

Existimo nunc, L.B. me disertè satis, & graphicè, speciosam hanc, & fucatam *Aquam Antiphthisicam* descripsisse; quæ certè (me nonnunquam arbitro) præclaros sæpè Viros, Magnalia de ea loquentes, spe & effectu frustravit: condoleo verò magis amicè iis, quàm ut eos reprehendam. Imposterùm saltem viri Eximii larvam & pallium ejusmodi Panacæis detrahant, utantur analysi, ac in partes suas resolvant; ne tàm notabili se subjiciant imposturæ. Satius interim fuisset, *singulas hujus Compositionis partes*, illi, quem natura præfixit, destinare usui; *esculenta* ad nostrum alimentum, & fercula, præparando; *Vegetabilia* alia *Decoctionibus*, alia *Extractis*, destinando; *nonnulla* ad *destillandas Aquas*, *Essentias*, & *Olea* elicienda, accommodando; denique *Emplastra*, & *Vnguenta* ex aliis conficiendo; habito semper vigili oculo ad tritum nostrum Axioma: *Non quodvis ex quolibet fieri*: duce Philosophiâ, & ratione, opus esse. Neque Naturam nostro imperio subjicere tentemus, sed ejus cursum, operationes, & productionis modos, observantes, seduli Naturæ simus imitatores, quædam admirantes, quædam æmulantes, &, in quibus limitata potentia nostra dehiscit, ejus cognitionem ab Authore Naturæ, & Patre Luminum, fiducialiter petentes.

Ut autem afflictis, & Phthisi emaciatis, cordiali affectu, per exempla, ostendam, quânam viâ ac methodo, *ex prædictis*, *hanc Aquam Antiphthisicam ingredientibus*, efficacia & salutaria remedia, seu medicamenta alimentosa, Antiphthisica, sapore & odore jucunda, paranda sint; ad legitimos scopos, & morbi circumstantias, omnia & singula ordinando & circumstantes indicationes adæquando, sequentia, sub diversâ forma & consistentia, medicamenta Tibi sisto. Indignum enim est, *Esculenta quævis*, è *Vegetabilibus* & *Animalibus desumpta*, simili destillationi committere, quæ tamen, majori cum emolumento, recenter, & benè cocta, cuivis infirmo, Phthisi emaciato, & vel ad extremum redacto, singulis diebus in escam cedere possunt; & quidem sine nausea, auctâ dosi, & quantitate. Sunt autem è censu eorum, quæ Ægris arrident, *Emulsiones*, *Gelatinæ*, *Electuaria*, *Contusa*, *Consummata*, & plura his affinia, in magna quantitate, ad palatum ab Ægris assumenda: cum, è contra, Author *unum*, *vel duo solùm cochlearia Aquæ suæ Antiphthisicæ* (quæ vix quantitatem unciæ dimidiæ attigerit) nullo effectu propinet.

Sit igitur primum Medicamentum alimentosum reficiens, & restaurans pariter, ac conglutinans, sequens *Gelatina*:

℞. Caponem num. unum, communiter mactatum, evisceratum, conscissum in particulas minutas, & ossibus omnibus conquassatis,
Hepatis, Cordis, Pulmonum, Vituli, ana dimidiam partem, pariter minutim conscissam,
Limacum recentium, sale & aquâ sæpiùs à suâ immunditie purgatarum, numero viginti,
Hepatum Gallinarum conscissorum num. iiij.
Cancrorum fluviatilium conquassat. num. xx.

[*Et hos quidem loco sanguinis Porcelli*; *quia inferiùs aliud quoddam remedium, ex Porculo parandum, monstrabo.*]

Rad. recent. Consolid. major. in taleolas conscissæ, unciam unam semis,
Herbar. recent. Scabiosæ,
Veronicæ,
Plantag. ana incis. unciam unam,

Flor.

Flor.recent.Rof.rubr. unc. unam fem.
Hepaticæ,
Rorifmarini, ana drachmas duas,
Succi Tuffilag. recent. expreffi,
Seri lactis Caprini depurati,ana uncias fex,
Cinamomi,
Nucum Mofchat. ana drachmas duas,
Macis,
Croci optimi, ana drachmam unam,
Radic.Chinæ elect.in taleolas confciffæ, unciam unam femis.

Hæc omnia,confciffa & mixta, immittantur Lagenæ ftanneæ, quæ claudatur fuâ claufurâ, aut operculo, & infuper vefica, nè nimium expirare poffit vapor, & contenta fortè exficcari. Coquatur poftea in duplici vafe, fcilicet aquæ immerfâ lagenâ in aliam ollam, horis quinque vel fex. Peractâ coctione, & paulifper à fervore remittente, aperiatur Lagena, & omnia fortiter exprimantur per linteum novum: *expreffum condiatur modico falè, macere, & cinamomo;* fi fortè in coctura adjectorum aromatum fragrantia nonnihil expirarit. Cùm refrixerint,in patina ftannea vel terrea, congelabitur: & fiet *Gelatina, accepti faporis, odorifque coloris rubicundi,* ac infuper validiffima, ad omnes exulcerationes & læfiones internas, præcipuè Pectoris, & Pulmonum, quæ omnibus Jufculis, Panatellis, Cremori hordei,Oryzæ, atque fimilibus ferculis, etiam cum *Lacte Caprino* confectis, ac coctis, immifceri, & ufui fervire poteft, quoties, & quantum, de die libuerit; damnum neutiquam allaturâ, modò non ultra limites naturæ fumpta, nec ad fatietatem ufque.

Verùm, cùm *huic Gelatinæ cuncta, hanc Compofitionem ingredientia,*non aptè admifceri potuerint; alia nonnulla fubjungo Medicamenta, ex *illis ipfis ingredientibus* conficienda: quorum primum eft *Electuarium* fequenti modo parabile:

Electuarium Antiphthificum.

℞. Conferv. Flor.Rofar.rubr.
Rad. Confolid. maj. ana uncias quatuor,
Nuc.Indic. condit. unc. duas,
Pinear. mundat.
Piftachior.decortic. ana unciam unam femis,
ad pultis formam contuf.addita f.q.
Aq.Cinamomi, vel Rofar. vel, fi mavis, craffiufc. faltem incifor.
Pulv.Croci optimi drachmam femis,
Syr.ex Succo Tuffilag. uncias duas,vel tres.

Mifceantur: Fiat Electuarium, gratiffimi faporis, nutriens, confortans, reficiens & conglutinans. *Dofis manè,meridie,& vefperi,à cochleari uno, ad duo,* vel *per fe*, vel unà cum *Jufculis*, & fuperiori *Gelatina*, fumptum.

Decoctum Antiphthificum.

℞. Rad. recent. Symphyti maj. unciam unam femis,
Chinæ opt. & electæ unc.unam,
Herb.recent. Veronicæ,
Hepaticæ nobilis,
Tuffilaginis,
Plantag. min.
Scabiofæ, ana unc. duas,
Rorifmar. drachmas fex.
Incifa faltem coquantur in
Seri lactis Caprini recent. mulcti ac depurati libris fex,vel feptem,
ad remanentiam librarum quatuor: fiat pòft colatura cum expreffione; colatum optimè clarificandum,cui,dum adhuc fervet quafi, injiciantur
Conferv. Rofar. rubrar. recent. unciæ novem,
Cinamomi optimi incif.minut. faltem drachmæ duæ, vel tres:

Cùm refrixerit, de novo coletur & filtretur. Remedium, præftantiâ, in Pectoris, atque Pulmonum vitiis, confpicuum, & experientiâ fæpè comprobatum: *dofi ab unciis tribus, ad uncias fex, manè, ac vefperi, calidè bibendum.*

Lac Caprinum Praftans, in Phthifi.

℞. Lact.Caprini recent.mulcti libras quatuor:

cui

cui immergantur
Limac. recent. sale & aquâ optimè repurg. & parùm saltem conquass. ut lac penetrare illos valeat, num. xxx.
Rorismarin.
&, si placet,
Tussilag.
Rutæ murariæ, ana recent. man. unus.
Coquantur leniter in olla terrea, ad casum libræ unius: coletur, & servetur usui. Bibat Patiens de hoc singulis horis matutinis, ac vespertinis, *uncias quatuor*, vel *quinque*, ad *sex*, *calidè*, unà cum
Conserv. Rosar. rubr. unciâ unâ,
vel, loco hujus, quod gratius saltem,
Sacchari candi albi drachm. sex:
Misce.

Emulsio Antiphthisica.

℞. Pinear. mundatar.
Pistachior. decorticat. ana unciam unam semis:
Contundantur optimè in mortario, & diluantur cum
Seri lactis caprini depurati, & clarific. in quo Limac. recent. probè mundat. num. VI. parùm ebullierint, libris duabus semis:
Fiatque *Emulsio*, quæ colanda. Colaturæ addantur
Syr. ex succo Tussilag. unciæ duæ.
Misceantur: de qua Patiens bibat ad lubitum. In Catarrhosis, Pectoris difficultatibus, & Exulcerationibus ejus, abstergit, refrigerat, humectat, nutrit, reficit.

Pinguedo Antiphthisica, ex Porcello, vel Porculo.

℞. Porcellum, aut Porculum, satis pinguem, num. unum;
quem communi modo macta, externè à setis purga, & exentera, *pinguedine ab intestinis aliisque visceribus studiosè detracta*, ut iterum, cum aliis sequentibus speciebus mixta, *ventri Porcelli evisceratо* injici possit. Huic nunc ventri, *intestinis abjectis*, immitte, ut ab omni parte impleatur,
Cor, Hepar, & Pulmones ejusdem Porcelli, cum Adipe ab intestinis ante segregatâ; item
Rad. Symphyti major. recent. uncias duas,
Tussilaginis recent. unc. unam semis,
Chinæ elect. unciam unam,
Herb. recent. Veronicæ,
Scabiosæ,
Plantaginis,
Hepaticæ nobilis,
Rorismar. ana unciam unam semis,
Flor. Rosar. rubr. recent. unciam unam,
Limac. recent. è testis except. & sale ac aquâ optimè purgat. & conscissi. num. xv.
His omnibus minutim concisis, & Ventri Porcelli immissis, consuatur Venter arctè, benè ac accuratè, ne quid excidat: posteà in veru, igne moderato, & debitè, assetur, suppositâ, *pro pinguedine exstillante*, sartagine; assetur in veru tamdiu, donec omnis *ferè Humiditas & Pinguedo à Porcello* exstillârit, ad siccitatem usque Porcelli. Quam *Pinguedinem*, *ab humiditate* (seorsim quoque, pro hoc usu, tenendâ) *separatam*, usui serva, ad fercula condienda, Phthisi laborantibus. Et sumant de hâc Pinguedine Ægri, *singulis horis matutinis*, *& vespertinis*, *cochlear unum plenum*, *in jusculo Caponis*, vel alio vehiculo. Remedium gratum, à quo nemo mortalium abhorrebit.

Quòd si quem nausea non absterreret, Porcello Caniculum saginatum, & castratum, substituere posset; omnibus, ut suprà edoctum, ritè observatis: cujus certè Pinguedo quamplurimùm dicti Porcelli Pinguedinem antevertit.

Nota secundò; quòd, in concinnandis hisce remediis præscriptis, *illa tantummodò Ingredientia*, *quæ Aquam Antiphthisicam constituunt*, observaverim, exclusis reliquis omnibus, quæ eandem, aut majorem, fortassè spirant efficaciam. Qui igitur meliora exoptat, suo innixus genio, ac methodo, pro Indicationum circumstantiis, ea variet & dispenset.

Demonstravi igitur in præfatis, quâ dexteritate

teritate omnia & singula, hanc *Aquam Antiphthisicam* constituentia, tractanda sint, ut, juxta Conditoris, & naturæ, leges, ad destinatos usus, viribus & essentiâ suâ integris, adhiberi possint; dispari sanè modo, ac prædictus Author, in effœta sua *Aqua Antiphthisicâ*, nomine indignâ, fabulabatur. Volupe quidem mihi foret, plures ejusmodi inconcinnas, Authoris hujus, *Compositiones*, ad dicendam causam citare: sed tempori, (cujus irreparabilis jactura) mihique consulo. Carptim tamen, & breviter, nonnulla attingam, quorum castigatio magno Medentibus constabit emolumento; liquidumque fiet, quâ ratione ea sint tractanda, quæ destillationi, & cui, idonea, aut minùs talia sunt; qualiterve, ad perfectam medicamentorum adstruendam *Compositionem*, sit operandum. Excerpo autem, & seligo quædam, *ex tribus Mynsichtii Compositionibus*, *binis sc. Aquis contra Vermes*, & *ex Aquâ Cosmetica*, *p. mihi in* 8. 292. & 294. quas hîc subsequens ordo referet: suntque, *Rasura Cornu Cervi*, *Mercurius vivus*, *sale & aceto purgatus*, *Tartarus crudus*, *Nitrum præparatum*, *Hydromel*, *Theriaca Veneta*, *Cornu Cervi Spagyricè calcinatum*, *Cornu Alcis eodem modo calcinatum*, *Borax Veneta*, *Sal Tartari album*, *Ebur ustum*. Quòd si verò Lectori Mynsichtii Armamentarium ad manus fortè non esset, aut tempus ad evolvendum eum deficeret, pro capiendo, de hâc *Aquâ* & *reliquis*, pleniore judicio; analysi meæ, & correctioni, ipsas, in terminis, *Aquas* huc transcribam: & sunt,

Aqua contra Vermes Hadriani à Mynsicht.

℞. *Rasuræ Cornu Cervi*, ℥ iiij.
Mercurii vivi, *sale & aceto opt. purg.* ℥ ij.
Fol. Senæ Alexandr. elect.
Semin. Cinæ, &
Citri,
Corallinæ veræ, *ana* ℥ j ß.
Nucleor. Persicorum,
Rhab. elect.
Agarici optimi,
Myrrhæ rubr. ana ℥ j.
Rad. Diptamn. albi, *exemptâ medullâ*,
Aristoloch rotund.
Zedoariæ, *ana* ʒ vj.
Tartari albi,
Nitri præparati,
Croci Oriental. ana ℥ ß.
Summit. Centaur. min.
Tanaceti,
Fol. Persicorum,
Scob. ligni Coryli, *ana* ʒ iij.

Omnia incisa & contusa infundantur in Hydromellis libr. iiij. digerantur in infusione per octo dies: posteà adde

Aq. Absinth. Pontic.
Abrotani, *ana lib.* j ß.
Card. Bened.
Gramin.
Scordii, *ana* ℔ j.

M. & in M. B. per Alembicum destillentur.

Aqua Theriacalis, itidem contra Vermes.

℞. *Theriac. Venetæ* ℥ viij.
Terræ Sigillatæ ℥ ij.
Rad. Angelic. hortens.
Tormentillæ,
Enulæ campanæ, *ana* ℥ j ß.
Cornu Cervi spagyricè calcin.
Alcis eodem modo calcinat.
Ligni Sassafras,
Baccar. Iuniperi,
Cortic. Citri, *ana* ℥ j.
Boleti Cervini,
Myrrhæ rubræ, *ana* ʒ vj.
Antimonii diaphoretici,
Croci Oriental. ana ʒ iij.

Pulverisata & mixta infundantur in Vini Malvatici ℔ viij. *& macerentur per octiduum, vel quatuordecim dies: posteà igne lentissimo, in B. M. destillentur.*

Aqua Cosmetica, ejusdem.

℞. *Lactis Caprini* ℔ iiij.
Aq. Radic. Aaronis,
Fl. Fabarum,
Rosar. alb.
Lilior. alb.
Sigill. Salomon. ana ℔ j.
Mellis virginei albi ℥ iiij.
Sacchari candi albi,
Thur. alb. ana ℥ ij.

Her-

Hermodactyl. alb.
Ireos Florentin.
Boracis Venetæ, ana ℥ j.
Sal. Tartari albi,
Eboris usti,
Camphoræ, ana ℥ ß.
Flor. Narciss. alb.
Malv. min. alb.
Nenuphar. alb. ana ℥ ij.
Misc. & B. M. inserendo, pro ditioribus, rostro Alembici Gallia Moschat. ℈ *j. bombace involuta, destillentur.*

Quod igitur jam *Rasuram Cornu Cervi* spectat, ex illa, diu multumque coquendo, s.q. aq. simpl. affusâ, *Gelatina* confici potest, translucida & elegans; quæ, si *saccharo* edulcorata fuerit, & condita *macere, & corticibus Citri recentibus*, præstans erit remedium in morbis malignis, cordis debilitatibus, ac virium dispendio: nutrit insuper, ac reficit. *Eadem* autem *Rasura*, cum *aquis affusis* destillata, non reddit *aliam Aquam, quàm quæ affusa fuit, nullis viribus Cornu Cervi* dotata. Nam dicta repeto; quî fieri potest, ut ea, quæ diu multumque, sine virium defectu, coqui se sinunt, statim, nutui nostro auscultando, naturam ac indolem mutent, viresque suas, cursu heteroclito, & violento, in sublime efferant?

Ostendi autem, demonstratione usus, in prægressis meis notandis, quòd *omnia animalia, eorumque partes*, vi destillationis hujus simplicis, aliud non reddant, quàm *aquam quandam elementarem*, ac inefficacem; aliumque destillandi modum sibi vindicare: prout inductione, & ab exemplo *Aquæ Hirundinum compositæ*, declaravi. Ad decoctionem igitur *Rasura Cornu Cervi* aptanda; cui socium est, eique adjungendum.

De *Cornu Cervi Spagyricè*, ut & *Alcis Cornu, similiter Spagyricè calcinatis*, quid inferendum sit, *in præmissis Animadversionibus super ipsum Cornu Cervi Spagyricè calcinatum, pag.* 467. aperui. Peragitur nempè illa calcinatio in capitello cujusdam destillatorii, (aut in alio simili, & majori instrumento, pro cornubus integris calcinandis,) ab ascendente vapore aquæ, in vesica cuprea, vel alembico, bullientis; cui capitello immittitur *Cornu*, sive *Cervi*, sive *Alcis, in frustula dissectum*; & diebus aliquot continuatur destillatio aquæ simplicis, vel alterius cujusdam destillatæ Aquæ; ita, ut vapor, continuò ab aquâ bulliente elevatus, *Cornuum frusta, capitello immissa*, intimè penetret, ac veluti decoquat, seu humidè calcinet, ut siccata tandem friabilia fiant, triturationi apta, simulque albicantia. In illa autem destillatione *potiores Cornuum virtutes, unà cum mucilaginosa eorum substantia*, eluuntur, & cum aquâ, ab illis stillante, è capitello prodeunt, quatenus nimirùm vaporetenus aqua, in destillatione ascendens, *illa frustula Cornuum* immediatè tangit, non aliter, ac, si in illo ipso capitello, ab aqueo vapore cocta essent: atque ita ejus virtutes, unà cum dicta *Cornuum mucilaginosa substantia*, statim ex capitello effluunt. Sed dispari modò res ageretur, si in alembici fundum *frusta Cornu Cervi* collocarentur. Illorum enim *virtus, & efficacia, in mucilaginosa dictâ substantia abdita*, nullo modo, seu coquendo, seu destillando, sublime peteret, & exstillaret, sed in fundo alembici, cum *Cornubus*, remaneret. Capitello verò *Cornubus* immissis, & ab ascendente vapore bullientis aquæ, immediatè veluti, coctis, *Aqua*, uti suprà dictum, *virtute, essentiâ, atque substantiâ ipsâ Cornuum plena* ab illis effluit, proditque. Et, licet *hæc ipsa Aqua, quæ à Cornu Cervi*, vel *Alcis, è capitello effluxit*, postmodum in olla, vel sartagine, exhalet & evaporet; *illa tamen substantia*, in capitello, alluente aqueo vapore, *è Cornubus* elicita, minimè adscendet, & evaporabit; sed, ad modum *Gelatinæ*, fundum petet, & in residuo manebit: adeò, ut sit ibi repertibilis *tota illa substantia*, quam *à Cornubus* aqueus vapor in capitello eluit, & mutuavit. Si ulterius deinde residuum illud, sub specie Gelatinæ, totaliter siccetur, & denuò per retortam, igne aperto, & valido, destilletur, prodibit *Sal volatilis, Spiritus*, & *Oleum*; prout *è recentibus Cornubus* destillari solent. Clariùs hæc Tibi, L. B. definire nequeo, nisi, cum Cynico illo, & doliari Philosopho, ad meridianum ipsum facem, aut lucernam, præferam, parvam maximæ luci allaturus. Consequentiam Tibi nunc formandam relinquo, L. B. quàm incongruè hîc Author *Cornu Cervi* de-

 stil-

ſtillationi commiſerit; ſicut & *Alcis ungulam:* præpoſterè omnia invertendo, miſcens quadrata rotundis.

Succedit *Mercurius vivus, ſale & aceto mundatus.* Quo viſo portento, obſtupui ſanè, quâ ratione hic Vir, cæteroquin eruditus, & Chymicis clarus, ſiniſtrum adeò, & fallax judicium, ac calculum, de deſtillando *Mercurio vivo* dederit, ut illum, ſale & aceto lotum, B. M. incarceraverit. Dubito ſanè, num *Mynſichtius* noſter *Mercurium* in Chymica palæſtra exercitaverit, aut à *Mercurio* deluſus unquam fuerit; cujus naturam & indolem minimè penetravit. Etenim *Mercurius*, ſemper ſibi conſtans, indiviſibilis, in ignis tormento ita conſtans, ut vel totus in ſublime evolet, vel totus in igne perſeveret, omnibus individuus comes; non ad aras tamen: verbo, denique, Proteus eſt, mille indutus formas & metamorphoſes. Hunc igitur *Mercurium*, qui Fugitivi Servi nomine circumfertur, fallax Illuſor, Impoſtor Chymicorum, Aqua non madefaciens manus dicitur, nunquam, ut video, tractavit Author: expertus cæteroquin, reſipuiſſet, quòd *Mercurius*, qui, inſtar elementi, ſimpliciſſimus, ut aqua, limpidiſſimus, ex ſimpliciſſimo Mercurii ſemine, & pura elementari aqua coaleſcens, omnem in ſe reſpuat dualitatem & heterogeneitatem; conſequenter, non ſit obnoxius noſtris ſtatim legibus; minus ſe dividi, taceo, ſimpliciter deſtillari patiatur, noſtram eludens operam. Aquæformis eſt *Mercurius*, non verò aqua madefaciens manus, quæ per deſtillationem efferatur. Petit ſublime *Mercurius*, ſed non noſtro nutu, ad deſtillationis hujus impulſum. Quid igitur hic *Mercurii-Maſtix* ex hoc ſimpliciſſimo ente, deſtillando, eliciet? Forſan Sulphur illud, quod, inſtar labis originalis, & inquinamenti, ab ipſo ortu Mercurio affigitur? aut inquinamenta Mercurii, quibus velut ſepia notatus, deſtillationis beneficio eluet? Apocalypticus Angelus hîc deſideratur, qui ſigillum hoc ſolvat, & claudat. Oedipum deſideramus, qui enigma pandat? nec eſt cujuſvis Unguentarii, abdita Mercurii in *Mercurio*, qui ignis nec urens, nec conſumens eſt, & ſimpliciſſima ſubſtantia, penetrare. Vita defecerit Mynſichtium (annos etiam Mathuſalem tribuerim) priuſquàm *Mercurium* in hydromelite, aut alio liquore, coctum, recoctum, deſtillatum, & cribratum, in ſublime ducat, ut virtutes ſuas, ignem, & radios (quaſi aliquid auræ divinioris) tribuat, & aquas ſignet, per alembicum exſtillantes. Revelabo tamen Authoris hujus diſcurſus, & primum offendiculi lapidem, quo ſuper Mercurium ceſpitavit. Viderit, legeritque, Mercurium, in largâ quantitate, ſale & aceto nondum lotum, in aqua, vel vini ſpiritu, beneficio vitri, oblongi colli, diù agitatum, aquam, aut vini ſpiritum, atro quodam putamine, & recremento tingere; qui deinde liquores pueris, & adultis propinati, vermes mortificent, & è corpore deturbent. Intulit igitur ex veris præmiſſis falſiſſimam ſequelam: Ergò (à majori ad minus argumentando) vires, & ſubſtantiam ſuam, deſtillationis hujus beneficio, efficacius tribuet Mercurius, quàm ſimplici agitatione. Qui quàm evidens ſit error, à fugitivo ſervo ediſcet. Plura de his Mynſichtio pandet Theophraſtus, *libr. de vexamine Chymicorum, & in Archidoxis de Metall.* Verùm abdita hæc Mercurii noſtri penetralia, ſecretiores deſiderant claves; quas hîc conſignare, nec locus, nec animus eſt. Propterea transeo ad

Tartarum tractandum; qui nec ipſe per alembicum virtutes ſuas communicabit, aut virtualiter tranſmittet; utut diutius decoquatur. Et quamvis nos experientia doceat, quòd *Aqua, in quâ Tartarus Vini, pro cryſtallis, & ejus cremore parando*, diutius coquitur, aciditatem quandam notabilem participet; illa tamen aciditas, ac ſapor, vi deſtillationis nunquàm habetur, nec, diutiſſimè coctus Tartarus, in ſublime fertur: reſiduum, ac fundum potiùs petens; prout omnibus Pharmacopœis obvium eſt. Cæterùm, *ipſius Tartari ſpecialem hiſtoriam*, vires, & uſum, modumque tractandi, peculiari ediſſeram loco.

Coincidit cum ipſo Tartaro *Nitrum præparatum:* Eſt hoc tale, pro deſtillatione, ſubjectum, atque Sal terræ, quod longè aliam deſtillationis ſpeciem ſibi vendicat, ſi, beneficio alembici, in ſpiritum, aut liquorem aqueum, ſit vertendum, quàm ſimplex hæc, per M. B.

eſſe

esse solet. Noverit autem Author, & B. L. quòd *Nitrum simplex*, si crucibulo immittatur, & debito temporis intervallo, in flamma ignis liquatum detineatur, sulphure frustillatim injecto purificetur; donec denuò, debitè purificatum, integris viribus, & validius effundatur. Quod si ergò tàm constanter ignis torturam sustinet, citrà virtutis dispendium; quis, constantis judicii, asserat, illud, inter destillandum, benignioris caloris stimulo, & liquoris affusi illicio, qualitates suas, difficilè mobiles, per alembicum dissipare, & profundere? Quot, & quanta, subit examina, *coctiones & probationes, donec præparetur, clarificetur, crystallisetur Nitrum*? Nemo tamen hactenus questus, vel auditus unquam, qui non integerrimas *Nitri* vires in subsidentia, & fundo, repererit: nec quippiam reperitur, quod ejus constantiam labefactet, quàm sulphur, juxta suas qualitates, ei ex toto contrarias. Quare alia destillatio, quàm in M. B. & quidem per Retortam, (substituto corpore, quod ejus liquationem impediat, suos alioquin non communicaturi spiritûs) excogitanda. Et licet nonnulli Practicorum Pharmacopœis suis injungant, ut *Nitrum, interventu aquæ simplicis*, destillent, eximias vires refrigerantes exindè sibi promittentes, quam & *Aquam Regiam* vocant: reverà tamen, simplici hâc destillatione, *parum, vel nihil, de virtutibus Nitri, aquæ impressum* reperies: ex opposito autem deprehendes, quòd Aqua illa simplicissimas aquæ destillatæ vires æmuletur. Consuetum erat olim Majoribus nostris, *Nitrum, Vesica bovina inclusum, aquæ tepidæ immergere*, quousque quasi suâ sponte (illorum judicio) in vesica liquaretur; quem *Liquorem Nitrosum* mox destillabant, ac prædictas vires ab eò expectabant. Sed & illi, meò judicio, exorbitabant; cùm illa resolutio in vesica non sit spontanea, sed *solutio Nitri in aqua, perindè, ac si, extra vesicam*, cum *aqua, fuisset solutum*. At verò, si quis *Nitrum suâ sponte, in loco humido reservi* permiserit, & in liquorem verti, idque in retorta, calore arenæ, vel cinerum, destillationis beneficio, abstraxerit, ad *pristinam Nitri siccitatem, Nitrum deinde relictum, & siccum*, ut anteà, per se liquaverit in aëre humido, & demum humiditatem, ex aëre attractam, abstraxerit, prout antea, in destillatione per retortam, in arena factum, hocque *Nitrum* toties liquando, aut spontè resolvendo, abstrahendoque iteraverit, donec *Nitrum* ferè totum in liquorem abierit; is gloriari poterit, de *liquore Nitri volatili resolvente*, & morbis radicatis, obstructionibusque aperiendis, accommodatissimo. Veruntamen, cùm hic liquor præstans equidem, sed longissimi laboris sit, ac proindè ejus pretium accrescat, ut proindè libram unam & alteram simul ordinare non liceat; ejus nihilominus copia desideretur: author Tibi sum, *ut Nitrum, æstivâ tempestate, astris prius pluviis, denique cum ingenti tonitru & fragore decidentibus aquis*, exponas, in patina, vel vase largiore quopiam, ut ab illis resolvatur. Quod ita *impregnatum, & resolutum Nitrum*, tandem destillandum est, in humili alembico, calore quidem arenæ. Quo modo observato, plus *de Nitro volatizabitur*, utpotè ab aqua pluviali, & sale illo universali aëris, & macrocosmi, ingravidato; & nonnihil per alembicum, unà cum illa aquâ, transibit. Et hæc *de Nitro*. Plura de eo sub titulo ipsius proprio.

Cæterùm, quid *Hydromel* huic destillationi contulerit? Dulcedinem fortassis toti conciliare composito, putat Author? At rem non benè perpendit; cùm contraria qualitas, uti ex destillato *Melle* accidit, acidus nimirùm liquor, exstillet, relictâ *dulcedine Melleâ* in residuo. Ut ergò, præter inane nomen, solatii etiam aliquid Ægris afferat hæc *Compositio*, suaserim, ut *singula hæc ingredientia*, ad *Aquam contra Vermes* destillandam, in *ipso Hydromelite* saltem decoquantur, majoris energiæ futura.

Jam *Theriaca Veneta* discutienda venit: de qua quid tenendum sit, habito respectu ad *Aquas*, ex eâ destillandas, *præmissæ Animadversiones* ostendent. Cùm autem in censum multarum Aquarum *Compositionum*, apud Authores passim veniat, datâ operâ, & studio, demonstrare conabor, quàm inconsultè, ne dicam, insulsè, *hæc Theriaca reliquis Compositionibus*, instar centonis variegati, assuatur. Primò observemus, *Theriacam tribus constare partibus* (quoad pondus) *Mellis clarificati, & unâ solum parte reliquarum Specierum omnium*, in uni-

universum computatarum. *Mel verò, aliquoties in clarificatione sua coctum*, adeoque *spiritibus suis subtilioribus, violento hoc impulsu, privatum* (quia aliàs Mel in destillatione, per se, haud efficacem reddit Aquam) destillationibus istis sine mente adjicitur. Accedit; quod, ob *portionem Mellis excedentem*, ex qua *Theriaca* constat, hujusdem *species*, consequenter, exiguâ nimis quantitate, in comparatione *Mellis*, Aquis destillandis hoc pacto combinentur, à quibus tamen *(ejus speciebus)* virtutes, non verò *à Melle*, his Aquis accedere debent; quarum Specierum causâ, non verò Mellis gratiâ, *Theriaca Aquis destillandis* sociatur. Consideremus secundò, continere *Theriacam ingredientia, sive simplicia, quàmplurima*, quæ vel ad hunc, vel illum, affectum morbosum curandum, quibus hæ diversæ Aquarum Compositiones, quas *Theriaca* ingreditur, destinantur, inutilia planè sunt. Tertiò, *insunt Theriacæ plurima ingredientia*, quæ nullâ virtute alexipharmacâ, neque vermes propellendi, prædita sunt; imò malignis & deleteriis morbis potiùs patrocinantur, quin ipsa venena: prout in *Ejus examine* satis demonstratum habes. Quartò, *constat Theriaca* è potioribus, &, pro maxima sui parte, talibus ingredientibus, quæ coctionem, & destillationem prolixam, citra manifestum virium dispendium, ferre possunt, dum omninò nihil virium, per alembicum, destillando fundunt. E quorum numero multa quoque repeiiuntur, quæ jamdiu, dum cocta sunt, virtutes suas retinuêre, & semper retentura sunt. Quintò, *insunt quoque Theriacæ non pauca*, quæ maximo veniunt pretio, ob quæ *Compositiones* harum Aquarum, quas *Theriaca* ingreditur, majoris expensæ fiunt; cùm tamen nihil ab iis virtutis & efficaciæ Aquis destillandis accedat; eò, quòd destillationibus similibus planè inepta sunt. Quæ omnia, si accuratè pensemus, iniqui sanè essemus, in proximum, si talia proprio motu, libidine, & injuriâ, scientes volentes perpetraremus. Quòd enim *ad primum attinet argumentum*, quæro: cur non *Species solum, vel Ingredientia Theriaces*, quarum causâ hæc aliis *Compositionibus* adjicitur, *omisso Melle*, tanquam inutili ad destillationem, magis congruâ ratione, *Compositionibus* annumerantur? Respondebis, (præsumo) id fieri propter *Theriacam, Melle & Speciebus suis fermentatam, ac in unam qualitatem, ab omnibus suis ingredientibus discrepantem, beneficio fermentationis, transmutatam*. Verùm, hoc in contrarium allatum argumentum sufficienter dilutum fuit, in *præterita Classe decima quarta*, quando dictum, quid de *Theriaces fermentatione*, & ficta, eaque diversa, ad ingredientibus ejus, qualitate sentiendum sit. Quam ob causam, multò satius ab omni parte esset, (modò Composita compositis cumulare, ignavi non foret, nec tàm manifesti errores ex analysi, earumque dosium computatione, emergerent) si *species saltem Theriacam ingredientes* Aquarum Compositionibus sociarentur. Et sic, *secundò*, eligere possemus illa solummodò *Theriaces ingredientia, sive simplicia*, quæ huic, vel illi, morbo, cui hæc, vel illa, Aqua, quam constituere debent, destinatur, appropriata magis sunt; repudiatis inutilibus, & dissonis reliquis omnibus, ne tanta fiat jactura *rerum pretiosarum*: & minimè utile pretium, cum damno sensibiliter emergente, Aquis compositis accrescat. Et, quid obstat, *tertiò*, quo minus ad *Alexipharmacas Aquas* destillandas, quibus creberrimè *Theriaca* adjicitur, *Alexiteria tantùm, ex inutilibus plurimis Theriacæ speciebus, haud alexipharmacis*, eligimus & adjicimus, & reliqua inutilia, noxia, & deleteria ipsa in morbis malignis, repudiamus? *Deinde, & quartò*, quid juvat, & cui bono fit, quòd ejusmodi onera Aquis destillandis imponuntur, & quidem plurimarum rerum, (quarum magna copia inter Theriacæ ingredientia prostat) quæ non solùm coctionem, diuturnamque destillationem, sine ulla tamen virium suarum, per Alembicum, transmissione, sustinere possunt, sed quorum & quædam jam tùm multoties cocta sunt, & tamen integra viribus suis congenitis perseverarunt, ac toties, quoties adhuc ulterius coquerentur, sive destillarentur, virtutes tamen suas inviolatè retentura essent; quæque neque ipsâ *fermentatione Theriaces*, falsò persuasâ, neque verâ, ac legitimâ, eò redigi possunt, ut ad talem destillationem volatizentur, ac per alembicum gradiantur. Et cur non, *quintò*, vellemus etiam illis prospicere, quibus *res angusta*

domi est, & *curta supellex*, subtrahendo ea, quæ inutilia, ac nullius frugis sunt, ad nihil proficua, quàm ut expensas, pretiumque multiplicent: iis solùm, è contra, admissis, quæ ad destillationes, morbosque determinatos diriguntur? Et verè tolerabilius hoc foret, nisi egenus, & qui *pauper ubique jacet*, talium errorum piacula luere cogeretur, ob adauctas impensas, è sanitatis asylo proscriptas. Quare, si hæc, & complura alia, quæ percurro, juxta artis, rationis, & conscientiæ libellam ponderemus, quàm prodigè nimirum, ineptè, & inconsultè, *dicta Theriaca* Aquarum destillandarum *Compositionibus* obtrudatur; pauci, mehercle, aut nullus futurus, qui castigatiore stylo suas, ut ajunt, medicaminum Formulas, & Receptas, non ordinet, citra authoritatis, charitatis, & conscientiæ offendiculum. Et hæc *de Theriaca*. Sequitur, ut etiam

Boracem Venetam tentemus. Hæc *sal Alkali fixus*, *& duplicatus est*, in igne quodammodo cum Salamandra constans, in destillatione nihil profundens; Auri, & reliquorum Metallorum, quæ magno labore funduntur, liquationem multùm promovens, dùm ipsi flammæ, aut in actu fusionis, supervenit. Proinde, cùm *Borax* sit *naturæ salinæ*, & *fixioris*, atque Metallis, in flamma fundendis, inspersa, non tam citò volatizetur, aut subitò consummatur, quin cum iisdem aliquandiu perduret, eaque mundificet: quid de eâ, in balneo aqueo destillandâ, nobis compromittere possumus? Num sudores balnei hujus exantlare poterit, quæ plus, quàm reverberii furnos, experta, & pertæsa? Induamus, quæso, Philosophi mentem, & talia in substantia propinemus, quorum nondum perrupimus corticem, &, quis lateat nucleus, scrutati sumus.

Obviat mihi nunc *sal Tartari album*, quod & ipsum huic profectò admirando Lixivio aggregari debet. Ridicula magis somnia mihi nemo facilè obtruserit, quàm *Sal Tartari debere, aut fuisse, per B. M. destillatum*. Scrutemur enim ejus genesin, & cunabula prima Chymica. Annon *Tartarum violentissimâ calcinatione*, *in furno figuli*, *& flamma reverberii*, *opus habet*? Ex quo, sic ad albedinem *calcinato*, *Tartaro*, vel aquâ statim affusâ, *sal ejus fixus* elixiviatur, vel *ipsum Tartarum calcinatum*, in cella collocatum, per se, in humido liquefieri permittitur. Utrum horum accidat, sive liquorem, sponte in cella attractum, sive aquam affusam, vaporetenus coquendo, usque ad salis siccitatem abstraxeris, *sal demum efficietur Tartari albus*, *& fixus*, in igne utique diu perdurans; in quo quantò diutius detinetur, liquatus nempè, (uti cum Metallis accidit in crucibulo,) eò magis excandescit, acerrimusque evadit. Cùm ergo *Tartarum*, *& ejusdem Sal*, tàm atrocem Vulcanum, & prolixam fusionem, ad normam metallorum, sibi deposcat, nec in elixiviatione, aut etiam evaporatione, quidquam deperdat, virtutibus ejus, & salinâ naturâ semper superstite: anne futurum, Amice Lector, ut illa hisce mollibus igniculis, & quasi blandimentis, vi destillationis Balnei, qualitates suas salinas, balsami instar, per alembicum communicent? Minimè gentium! Post multas, & operosas destillationes, residuum, & fundum alembici scrutare, ibique Thesaurum, & Tartari universam substantiam defossam reperies; prout *in Tartari* coctione evenire solet. Alia igitur via tenenda nobis est, quando *Tartarus volatizari*, & per alembicum duci opus habet; & est sequens: *Tartarum calcinatum*, & in cella collocatum, sponte suâ, in liquorem limpidum, ponderosum, & salinum resolvendum, vel liquandum est, (quem liquorem *Olei Tartari* insigniunt nomine,) qui *(liquor)* in retorta, sive alembico vitreo humili, super igne arenæ, non balnei, officio destillationis abstrahatur, ad siccitatem salis, in residuo manentis. Relictus *hic sal*, porrò in cella collocatus, nonnunquam astris etiam expositus, ab humiditate aëreâ attractâ liquetur, quæ denuò in arena, ut factum anteà, abstrahatur; eoque liquore abstracto, semper asservato, salem in cella, & aëre denuò, per se, liquefieri facito, & destillato; quod toties donec *omnis sal Tartari*, hoc modo, à volatili illo attracto universali sale aëris volatizatus, transierit per alembicum, repetendum. Et hâc demùm ratione certior esse poteris, L. B. virtutes *salis Tartari* per alembicum transiisse, Teque accepisse, succincto sermone, secre-

tum

tum magnum, Tuæ, & Proximi saluti destinatum; quo felix utere. Idque Tibi, hoc ductus motivo, revelo, ne, ad æmulationem multorum ævi nostri Scriptorum, invidiæ mancipium evadam, qui magnifica, & divina remedia, ore & calamo, jactitant: ubi autem diutissimè, figurâ suspensionis, ab ore & sermone eorum detinemur, & aliquod Oraculum ab ejusmodi Deastris præstolamur; nos tandem deceptos videmus. Et, qui in Theoria sua *Cicadis vocaliores* erant, *Seripheis ranis*, ipsisque *piscibus*, *magis muti* fiunt, orique imposito digito, conticescunt, non sine justâ Lectoris indignatione, qui se, velut illicio tractum, turpiter delusum deprehendit. Inter quos Doctissimus ac Celeberrimus, re & famâ, Philosophus, ac Medicus, *Helmontius*, censendus est, vir acris ingenii, & præcellentis literaturæ. Sed sua nihilominùs deliquia, & eclipses, sustinuit hoc Sidus, quod super candelabrum quidem constitutum, ut arderet, & luceret; scientiæ tamen radios Posteritati subtraxit, &, præposterâ charitate, sub modio occultavit. Ut proindè meritò posthuma ejus scripta, ad quæ, veluti felicissimi ominis Cynosuram, literatorum animi confugere debebant, tanquam funesti ominis sidus, crinitum ac portentosum Cometam effugiant, qui inter umbras & tenebras, tristi lumine emicat. Quàm enim hic, bonæ memoriæ, Vir, multa & præclara, *de Sale volatili ipsius Tartari*, adducit; ejus tamen modum, & parandi dexteritatem, occultavit, duro, ac novercali, in Posteritatem, animo; quam, velut orphanos, inter suspiria & lachryma desolatam, defosso in terram talento, vitâ excedens, dereliquit. O verè obstinatam cordis duritiem! Quæ gratis à Patre Luminum accepit, publici non fecisse juris, nec sanè Christianum Philosophum, ac sensatum Medicum, decebat. Quàm iniquum, quem omnes, velut Deastrorum quempiam, & familiare Numen, recolunt, privato quorundam delicto, & ingratorum vitiis, in transversum agi, innocuæ Posteritati concreditos sibi thesauros defodere, fontes denique scientiæ & sapientiæ occludere; quos tamen increata Dei Sapientia jugiter manare facit, derivatis, ex bonitatis suæ abysso, aquis, usque in ævum Eliæ Artistæ, & consummationem seculi! Convertant oculos, & aciem, lividissimi mortalium, in Authorem Fidei, qui Solem suum oriri facit super justos & injustos; apud quem non est acceptatio personarum, cujus proprium est, semper misereri, & parcere; qui, intuitu meritorum, decem etiam justorum, decumanum illud Pentapolis incendium, quo non urbes, sed orbis conflagrare visus, suspendere voluit. Et tu, non Homo, sed Vermis, discinctas adeò volvis cogitationes; superbis, terra, & cinis, & omni Scythâ barbarior: quem nec Orphanorum gemitus, nec Viduarum planctus; non sanguineæ Conjugum lachrymæ, nec inviolati thori, castique connubii, divortium ad pietatem flectit: quin eos violenter divelli, vitæ mortem dominari finis, & tumulos pro thalamo erigis, dum incircumciso corde, & immiti Genio, salutis medelam, Panaceas denique tuas, celas, & defodis, & piaculum censes, orbi revelare, donec aliquando, nec longiore dignus vitâ, cum iniquissimo illo talentorum vespillone, & Paraphrastico servo, in tenebras exteriores; plusquàm Cimmerias, ejiciâre. Induamus igitur viscera misericordiæ, & collata nobis desuper charismata concredamus Posteritati; sic ea Domino cum fœnore restituentes: nec nos turpis illa avaritia sorditet, aut frigidum illud verbum: *Meum*, *&* *Tuum*, interturbet; quin nos totos Proximo, Patriæ, & Posteritati mancipemus. Prævivit sanè, glorioso exemplo, adhuc suum agens Tyrocinium tenebrarum, nondum ad lucem Christianam initiata Antiquitas; apud quam Ars Medica, piâ religione exculta, inter prima adhuc incunabula, firmissima jecit fundamenta; adeò quidem, ut, si quis graviori morbo conflictatus, pristinam sanitatem receperat, rem veluti ab Ovo recensuerint, genus morbi, sanationis historiam, medicamenti speciem, genuinâ veritate, & candore, descripserint; ut, si fors quempiam eadem lacesseret hydra, ipsa suum reperiret Herculem & domitorem: donec, succedentibus annis, res in immensum Volumen excrescens, non in Bibliotheca, aut quopiam secretissimo Archivo, centum seris & repa-

repagulis munito, sed publico Æsculapii Delubro, asservari cœperit; succedente interim, & instante, Magni illius Coi felicissima Aurorâ, quâ hic Medicorum Sol toti illuxit orbi, ad novissima usque tempora perennaturus. Nunc verò (ô Tempora! ô Mores! ô ferrea & durissima Secula!) in tantum refrixit mortalium charitas, ut, si quem divina bonitas ad scientiæ suæ fluenta, & gratiarum fontes, manu duxit, arcano quodam remedio, & Panacea, dignatus; non in publico suspendat delubro, velut divinæ largitatis trophæum; non super rostra, pulpita, aut tecta, proclamet, ut sequacibus prosit: imò inter angustias pectoris abscondit, proximum defraudat, vix spirantem & anhelantem, ne dicam, agonisantem fratrem auxilio destituit, & (anteambulonem illum Levitam in Jericho designans) superciliosо vultu oberrat; canem potius, quàm hominem, salutaturus. Portant sanè tales homines mysteria, indigni, quibus misericordia aliquando eveniat; homines, non homines. Sed heu! venient, & ingruent aliquando tempora, & opera eorum sequentur eos; ubi rigidum immisericordibus judicium, & certa damnatio. *Hucusque Parenthesis.*

Tandem, *de Ebore usto*, non est, quod multis edisseram; cùm per omnia Cornu Cervi ustum æmuletur, in quo, peractâ ejus calcinatione, reliquum nihil est, quod destillationi deserviat. Nam omnia à violentiâ ignis expulsa sunt, ossibus meris mortuis remanentibus. Cedat igitur *Ebur ustum* in alios usûs, &, fors, Pictorios; è quo calcinato, album simul, ac nigrum, colorem eruunt. *Albissimum* enim evadit *Ebur*, si in aprico, non verò concluso vase, calcinetur; *nigerrimum* interim colorem contrahit, vase per calcinationem probè clauso. Verùm, sive nigro, sive albo, colore spectabile sit, effœtus cinis veluti, & terra sterilis est; *neque sale* quidem *fixo* (multorum judicio) in gremio ejus contento.

Atque hæc sunt, quæ in his *Compositionibus*, magni alioquin Viri, Mynsichtii, censuram petebant; ad cujus normam & reliquæ *Compositiones*, eodem quasi Collyrio, restitui possunt; sive Aquæ sint Destillatæ, Syrupi, Extracta; aut ipsæ denique Decoctiones.

De reliquo agam, ut & è *Pharmacopœia Medico-Chymica Dn. D. Schröderi*, duce ratione, manuali operatione, & praxi, asseclis, aliquot *Compositiones* lustremus. Omnes enim ac singulas specialiter investigare, immensus labor esset, & opus plenum tædio. Uno alterove *destillandarum Aquarum* exemplo, velut Ideâ, contentus, eam saltem scrutabor. Et cùm in præmissis, spectabilis Dn. D. Quercetani, & Dn. D. Mynsichtii, ventilatis Compositionibus, pleraque discussa sint, & amputata, quæ in his diversis Compositionibus repullulant, utpote *in Aquis: Aperitiva, Asthmatica F. F. Cephalica, Cordialis frigida, restaurante, Cosmeticâ Myrrhata, Anti-Dysenterica, Febrifuga, Anti-hectica, Pectorali prima, Theriacali, &c.* esto idem de iis judicium. In præsentiarum autem *Aquam* duntaxat *Carbunculi*, & *binas Cosmeticas*, in me suscipiam, movendas. In illis autem ea unicè attingam, quæ in superioribus examinatis *Compositionibus* nondum illuxêre; unde nec disquisitio eorum haberi potuit. Sunt autem *Compositiones* ex dicta *Pharmacopœia-Medico-Chymica, pag.* 136. 140. 141. mutuatæ, sequenti ordine comprehensæ:

Aqua Carbunculi Schröderi.

℞. *Flor. Rorismarini, s. Anthos,*
Lilior. convall.
Violarum,
Borraginis, ana ℥ vj,
Herb. Majoranæ,
Salviæ min.
Lavendulæ,
Endiviæ,
Spicæ, ana ℥ j,
Nuc. Moschat.
Zingiberis,
Macis,
Caryophyllorum,
Cinamomi,
Cardamomi,
Granorum Paradisi,
Cubebarum,
Galangæ,
Visci Quercini,
Avellanar.
Sem. Pæoniæ,

Ras. Cornu Cervi, ana ℥ j,
Incidantur & infundatur in
Vini Malvatici,
Aq. Lavendulæ,
Spicæ,
Rosarum,
Fragorum, ana ℔ iij,
Vini albi generosi ℔ ij,
Posteà adde
Auri foliati,
Margaritarum,
Ossium de Corde Cervi,
Lapid. Percarum, ana ℥ ß,
Moschi gr. v.
F. s. a. Destillatio in M. B.

N. *Solem, Margaritas, &c. minus rectè subjici destillationi; rectius destillato admisceri.*

Aqua Cosmetica Schröderi.

℞. *Cerussæ albæ ℔ j,*
Succi Limon. ℥ j,
Limacum ℥ iij,
Album. Ovor. num. xv.
Camphoræ,
Boracis, ana ʒ j ß,
Myrrhæ ℥ ij.
Thuris,
Mastichis, ana ℥ ß,
Infundantur horis XXIIII. in
Aquæ Tiliæ ℔ iij,
Sambuci ℔ j ß,
Posteà destillentur.

Aqua Cosmetica pretiosa, Ejusdem.

℞. *Lilior albor. ʒ vj,*
Ireos Florent.
Fabarum,
Cicerum,
Lupinorum, ana ℥ ß,
Flor Fabar recent. M. ß,
Tragacanthi,
Cerussæ alb.
Sacchari albi, ana ℥ ß.
Medull. Panis alb. in lacte madefactæ, unc j,
Olibani,
Gum. Arab. ana ʒ iij,
Boracis,
Alum. plumosi, ana ʒ ij,
Album. ovi ℥ j,
Camphoræ ʒ j ß,
Ins. q. Aq. Rosarum, & Flor. Fabarum, ana infundantur dieb. noct. trib. deinde destillentur.

Quod spectat præprimis *Aquam Carbunculi*, laudo in illa Compositione, & approbo *cuncta ingredientia, quæ sulphureæ naturæ sunt; Cephalica, Cordialia, Flores, Herbas, & Aromata:* quæ omnia destillationibus sunt aptissima, virtutesque suas destillando per alembicum uberrimè transfundunt. Excipio autem *Viscum Quercinum, Avellanas, Rasuram Cornu Cervi, Aurum foliatum, Margaritas, Ossa de Corde Cervi, & lapides Percarum.*

Viscum igitur *Quercinum* quod attinet, quoad Esse suum, *Lignum inodorum est,* nullo fragranti spiritu sulphureo præditum, *terrestrioris indolis*, ad *Extractiones, Decoctiones, Pulveres, & Essentias* ex eo comparandas, aptissimum; sed quod, destillatum in Alembico, B.M. cum affuso sibi liquore, parcius est, quàm ut minimum virtutum sibi congenitarum, per alembicum elargiatur. Deprehendimus enim illum in residuo, salvâ omni virtute, superstitem, repetitis etiam crebrò destillationibus. Quare multum prodesse, credo, si casu, quo Aquis destillandis Epilepticis, & Cephalicis, aduniri debet, subtiliter tantùm concisum, alembici rostro tradatur, *(vel penitùs, quia aliàs gratis adjicitur, removeatur,)* quò ab adscendente spirituosa aqua, in ipso capitello, ejus essentia simul extrahatur, & projiciatur. Si enim secus accidat, Aquæ cum eo, vel ab illo, destillatæ, nihil virium participabunt; sed ille gratis accumulabitur.

Huic Visco succedunt *Avellanar.* num *Viscum*, num verò *Nuces*, dicam, hæreo. Utrum enim hæ, scilicet *Nuces*, an verò illud, in arbore Avellanæ repertum, viscum sit intelligendum, sub judice lis est: dum sub *Visco Quercino* nullo areola, à parte ante, infrà vocem, *Visc.* (quemadmodum solent Medici Species Receptarum, ut vocant, sub, & supra, ordinatim ponere,) sit relicta vacua; sed sub eodem substantivo *Visc.* in rectâ linea, *Avellanar.* vox substet. Ego tamen in ea omninò sum conje-

ctura,

ctura, Authorem *Viscum Avellanæ arboris*, vel *Avellanarum*, subaudiendum innuisse. Utut tamen sit, sive *Nuces Avellanas*, sive *Viscum potius Avellanæ*, Aquæ huic destillandæ addideris; eâdem difficultate laborabis: cum neque de uno, neque de altero, quippiam illi communicetur. *Avellanæ* enim *Nuces* fructûs sunt, Nucleum Amygdalarum signantes; à quibus fructibus nullam peculiarem prærogativam, & subsidium, sortimur, quod pro Aquis, ex iisdem perperàm destillandis, militaret. Unde illi, qui hanc Aquam paraturus est, Pharmacopœo, non solùm *Viscum Avellanæ præferat Nucibus Avellanæ*, sed & *Viscum hunc*, minutim incisum, unà cum *Visco Quercino*, capitello, & rostro capitelli (nisi nimia fuerit, propter hæc duo ligna, quantitas; quæ tamen non iniquè diminui posset, cùm drachma una, vel altera, eorundem, capitelli rostro immissa, plus destillandæ aquæ communicatura sit de viribus suis, quàm eorundem aliquot unciæ, destillationi submissæ) immittat, suadeo; Maurum cæteroquin loturo.

De *Rasura Cornu Cervi* jam antè fundamentaliter actum est, evictumque, illam *Destillationi* penitus ineptam esse. Quare, hâc in sequestro relictâ, nunc ad

Aurum foliatum descendo: de quo Clarissimus Schröderus ipse notam annectit, dicens; *Aurum & Margaritas, &c. minus rectè destillationibus subjici, rectiùs illa destillato admisceri.* Hæc Ille. Verùm, num hoc Marginale & Nota, difficultatem ex integro solvat, an solùm effugiat, disquisitione opus habet.

Præprimis verò pro Clarissimo Schrödero milito; *Aurum* nimirum *Destillationibus non esse committendum:* cujus ea est soliditas, & resistentia, in Probatoria & Separatoria Fornace, ut, si diu multumque etiam in illa detineatur, nil quicquam tamen, neque de substantia, neque de virtutibus suis, deperdat. Igitur ridiculum est, *Auri*, simplici destillationi commissi, vim & energiam arcanâ torturâ velle elicere. Nihilominùs de *una vel altera Auri additione*, si penitiùs examinetur, certum est, quòd, licet prior additio Auri, ad ea, quæ destillanda obveniunt, planè supervacanea & inutilis sit; non sita tamen Ægris æquè adversa, & perniciosa, quàm illa, juxta Clariss. Schröder. *Auri foliati in destillatas Aquas immersio*, & usus.

Et ratio præ foribus stat. Nam si *Aurum* addendum esset ipsi destillationi, illo quidem non foret opus, quoad exactissimo labore in minutias, seu folia, diductum est: sed satis ageretur, si esset in tenues laminas malleatum, vel si, uti nonnulli assolent, catena Aurea multarum unciarum, aut nummi Aurei injicerentur, ita, ut, peractâ destillatione, à fæcibus residuis Aurum, ab omni parte salvum & integrum, spectando pondus, energiam, & valorem, denuò erui posset. Et demus, tantâ simplicitate quempiam circumveniri, ut *Aurum foliatum* destillationi committat, juxta compositionis mentem: perfacilè nihilominùs foret, *idem Aurum* è fæcibus (scilicet residuis à destillatione speciebus) arte recuperare; prædictas nimirum fæces, à destillatione reliquas, comburendo: è quarum cineribus *Aurum*, additione quorundam salium, seu Mineralium, citra magnum laborem, liquari & suscitari potest, præter ullam *Auri* jacturam, & pretii augmentum: ut hæc Aqua deinceps, egenis pariter, & divitibus, venalis extet. Quòd si verò *destillatæ* jam tunc *Aquæ Carbunculi, uncia dimidia Auri Foliati* admisceri debeat; plusquàm Indorum Ganges hæc Aqua aurifera foret: utpotè, in cujus superficie aliud non refulgeret, quàm splendidissimæ atomi, & *irradians Aurum.* Quàm autem Ægris grata futura sit, prudenti cuivis judicio committo, simulque risui destino, considerando, quòd hoc modo Aurea Majorum secula ad nos refluerent, quibus thesauri adeò vilescunt, ut ipsa Ægrorum intestina, œsophagus & labia, mentum, & barbæ obriso incrustentur auro. Tacerem fortè, & repetitam hanc insaniam, seu prodigalitatem, dissimularem; nisi Ægri quoque magno incommodo inde tentarentur, dum scilicet actio chylificationis, suctio, & transitus chyli, per lacteas ex intestinis, ejusmodi Aureis corpusculis intervenientibus, turbaretur. Nam quædam venarum osculis, in mesenterio & intestinis sitis, se insinuarent; quædam, citra alterationem, cruda, ut ingesta, per alvum, cum excrementis inauratis secederent; reliqua verò corporis œconomiam turbarent.

Quod ipsi *D. D. Augustani*, jam olim, aureo suo asserto, confirmarunt, quando scripsêre; quòd *Aurum sic crudè foliatum*, *Compositionibus medicamentorum unicè*, *ad saturandum oculos vulgi*, *addatur*, & indè nullius fructûs sit. Verùm dum fallaci hoc *Auri fulgore* plebis oculos demulcere volumus, saltem ea ratione id præstemus, ne sumptuum, & crumenæ, pauperum immemores, illis fortunas simul, & sanitatem, insanâ hâc nostrâ prodigalitate eripiamus. *Aurum* enim, *fixissimum Metallorum*, à debili calore, & fermento ventriculi insito, actuari nequit. Altioris illud est indaginis, quâ ratione, & quo menstruo, solvi Aurum possit, ut à nostro calore deinceps se subigi patiatur; de quo hîc plura non addo. Interim *Mantissa* mea super hâc re consulatur; ex qua suam quilque hauriet satisfactionem.

Margaritas perperam destillari, vel *destillato* etiam *superaddi*, ipse notavit Author. Destillatæ enim nihil prorsus communicant, virtute salvâ, & intactâ subsidente. Nam etsi *Vinum*, *aciditate suâ*, *splendorem Margaritarum* retundat, seu obscuret; ex integro tamen non solvit: licet in subtilissimum etiam pollinem eæ reducantur. Et si etiam dissolveret Vinum, huic compositioni adjectum, *Perlas*, nequaquam tamen illæ vaporetenus ascenderent, sed instar *solutionis*, & *salis*, uti vocant, in fundo residerent, ad normam, quâ aliàs *Margaritæ aceto solvi* consuevêre: à quibus si *acetum* solvens destillando abstrahitur, non solùm *Perlæ solutæ* in fundo, residuoque supersunt, sed etiam *aciditas omnis aceti Perlis*, in quibus vim suam exercuit, inseparabiliter adhæret, actione & reactione in aliud, ac tertium, Ens mutata; à quibus (aciditas illa aceti) separari ampliùs non potest, nisi vi ignis fortè, & quidem ex parte tantùm, sed cum interitu, & *Perlarum exustione*. Cùm itaque, uti satis declaratum, *Margaritæ* inconvenienter *Destillationibus* subjiciantur, sive per se, sive aliis *Compositionibus* fuerint antè commixtæ; quod crebrò accidit, compositiones compositis cumulando, quas ipsæ *Margaritæ* etiam ingrediuntur: hortor proindè, ut *Perlæ prædictæ*, sed legitimè *solutæ*, atque adeò non crudæ, *Aquis* jam tùm *destillatis* immisceantur. Nam si *simpliciter trita*, *& præparata Perlæ*, uti Author vult, *Aquis destillatis* immisceantur; intimè cum eis nunquàm uniuntur, subsidentibus suâ sponte semper *Perlis*: quæ proindè, denuò commotæ, Aquarum claritatem deturbant, ut cremorem quendam, aut lacteum liquorem, illæ potiùs repræsentent. Huic inconvenienti, ut maturè obviam eamus, & *Margaritæ* inseparabiliter *Aquis* permixtæ maneant, eæque solutæ, claritate *Aquæ* nihil mutatâ; præstat, ut n.m. *Perlæ*, seu *Margaritæ*, *in Spiritu nostro Veneris Antepileptico* solvantur, & in *Magisterium solubile*; & laudabile, prout *in Appendice n.* edoctum, redactæ, eidem *Aquæ* tandem legitimè permisceantur. Atquè hoc modo *Aqua* talis, substantiâ & virtute *Margaritarum* dotata, multo erit præstantior: si verò secus agatur; aut nanciscemur *Aquam* omni virtute, & Perlarum viribus, destitutam; aut inelegantem, & minùs efficacem. Hæc *de Margaritis* dicta, sufficiant ad scopum nostrum præfixum: quòd scilicet *Margaritæ* contra leges Artis, & Naturæ, destillationibus committantur; non item destillatis; supposito, si legitimè sint solutæ.

Sequuntur Margaritas *Ossa de Corde Cervi*, & *Lapides Percarum*; quæ ambo, quum eandem, huic *destillationi* commissa, prosapiam oleant, uni subjiciam censuræ. Est autem horum ingredientium ea indoles, & natura, ut omnem *destillationem*, affuso illis liquore, excludant; præsertim *Ossium de Corde Cervi*, quippe, quæ nec *destillatis Aquis* sunt permiscibilia, nisi per retortam ex iis, ac ignis vi, ad eum planè modum, quo ex *aliis Animalium partibus*, *Sal volatilis*, *Spiritus*, & *Oleum*, juxta nostrum superius, in *Aqua Hirundinum*, indigitatum exemplar, propelleretur, & *Aquæ* huic *Sal volatilis* justè admisceretur. Verùm hoc, propter *exiguum eorum Ossium pondus*, *ac magnum pretium*, hoc loco, in Praxin deduci nequit. Quamobrem inani labore his *Compositionibus* annexa sunt, & perperàm *Destillationibus* commissa, sumptûs & expensas saltem multiplicatura.

Lapides verò *Percarum*, tametsi & ipsi, ex toto, ad *Destillationes* sint inhabiles; possunt tamen conformiter, ad traditum *superius Canonem*, *pro Margaritis*, in *Magisterium solubile*

bile converti, & *destillatæ Aquæ* legitimè uniri. *Ossa* autem *de Corde Cervi* in similia *Magisteria* reduci nequeunt, propter lentorem, & viscidítatem, quam de natura sua continent: neque etiam *Cornua*, sive *Cervi*, sive *Alcis*. Illa enim *Magisteria*, quæ ex *his dictis ossibus cornubusque omnibus*, communi modo, in officinis Pharmaceuticis confici solent, nullius sunt valoris, & calx mortua, nullâ arte, aut spiritu, tametsi summè corrosivo, impofterum solubilis; adeò, ut nec ignis vehementiâ aliquid ex ipsis possit extorqueri; prout fusiùs, *in Animadversionibus n. super hæc Magisteria*, tractatum est. Ut denuò illud verificetur, *non omnia ex omnibus fieri, sed determinata ex determinatis*, duce Philosophiâ, & Experientiâ.

In *Moscho* huic *Aquæ*, & *Compositioni*, adscito, hoc unicè suadendum, ut, si illum ad *Destillationes* tractum velis, *rostro alembici*, *vel capitelli, in vetia ligatum*, potiùs immittas.

Et hæc sunt, quæ circa *ingredientia quædam Aquæ Carbunculi* specialiter advertenda erant. Sequuntur ea, quæ, in duabus aliis, supra delineatis, *Aquarum Cosmeticarum Compositionibus* obvia sunt castiganda. Hisce autem ferè terminis notantur, utpotè: *Cerussa alba*, *Succus Limonum*, *Limaces*, *Albumen ovi*, *Borax*, *Myrrha*, *Thus*, *Mastiche*, *Tragacanthum*, *Sacchar. album*, *Fabæ*, *Ciceres*, *Lupini*, *Medulla Panis albi in Lacte madefacta*, *Gummi Arabicum*, *Alumen plumosum*.

Quod attinet *Cerussam albam*, illa *Plumbi, Metalli, soboles*, calcinatione, partim extractione, è Plumbo conficitur; ex illa, beneficio *Aceti destillati*, *Saccharum*, seu *Sal Saturni* (veriùs, *Vitriolum Saturni* nuncupandum foret) elicitur, extractione, & solutione nimirùm, ac menstrui, scilicet *Aceti* (quod tamen à sua aciditate, mediantibus actione & reactione, in liquorem insipidum degeneravit) abstractione, seu evaporatione; in qua verò abstractione, seu evaporatione Menstrui, ad *siccitatem Salis usque*, etiamsi decies fieret cohobatio, reaffusione nimirum abstracti Menstrui, vel etiam recentis Aceti, *idem* tamen *Sal*, seu *Saccharum Saturni*, nec quicquam volatile redditum, aut à statu suo mutatum, in fundo, & residuo Alembici, esset permansurus. Hoc si verum, uti verissimum, ac cuilibet Pharmacopœo, aut Chymico, notissimum; quid, obsecro, *Cerussa*, in destillatione hâc, cum *Aquis Tiliæ* & *Sambuci* celebranda, nobis præbere poterit? cum *Aqua* prædictæ, illam neque extrahere, neque dissolvere, multò minùs à gravedine & pondere, cum Plumbo genialem habente, eximere, seu volatizare, & per alembicum raptare possint. *Mineralia* enim, *Metalla*, & illa quidem *calcinata*, quæ vim, & torturam ignis, longo intervallo, perpessa, irrita sunt tentamina, & insulsæ cantilenæ, velle destillationibus committere: nec aliud est, similes nænias tradere, quàm Scholas, & Dispensatoria nostra, apud Posteros prostituere, risumque pro plausu reportare. Vulgato enim etymo, *Medicus Naturæ minister* dicitur, quâ, velut Anteambulone, aut Præficâ, nostros discursus, & mentis gressus, firmemus; illius nutui & inclinationi auscultantes: non verò somnia nostra, & quandoque deliria, sectantes; queîs aliquando „phanaticorum more, per avia & devia naturæ erramus, Chimæras fingimus, & naturam violentâ manu raptamus, per omnia ὕστερον πρότερον facientes. Ratio Chymicum præveniat, & comitetur pedissequa; quâ duce, & comite, ad sobrietatem philosophabitur, naturæ arcana mysteria, disparatas rerum geneses, exoticos effectus, in rerum Sympathia, & Antipathia fundatos, edifcet: quæ reliquos, de plebe, viros, etiamnum subvelamine latent.

Cerussam sequitur *Limoniorum succus*; qui etiam, haud dubiè, vim suam, quantum licet, in *Cerussam* exeret, ac de illa tantum solvet, quantum acidi liquoris, sive succi hujus, sive aceti, tantillum, si esset uncia nimirùm una in libram unam Cerussæ, agere, & ab illa solvere potest. Sed cui frugi? Tametsi *sex*, vel *octo*, *libras dicti succi*, vel etiam *aceti vini*, *uni libræ Cerussæ* affunderes, & solveres *Cerussam*, aut extraheres ejus *Saccharum*, vel *Sal Saturni*; transiret nè illud protinus per alembicum, destillando, una cum affuso *suo succo solvente Limonum*? Nequaquam: ne hilum, aut granum, dulcedinis, aut salis, aut alterius, *de virtutibus Cerussæ*, quin potius *ipse succus*, *aliàs acidus*, in suo Esse, *à Cerussa* transmutatus, in aliud Ens

veluti transmigrans, insipidus, instar aquæ elementaris, destillando transiret & proliceretur, omnis virtutis refrigerantis, & abstergentis, efficaciæque Cosmeticæ, expers.

Cæterùm *de Limacibus* (in antecedentibus quoque examinatis) quæstione factâ; quantum, rogo, virtutis, & Aquæ abstersivæ, ex illis hâc destillatione eliciemus; cùm illi magis abstersione, dealbatione, & lotione opus habeant, utpotè animalia, & insecta viscosa, terrestria, difficilis coctionis, & quæ, licet satis superque coquantur, nihil tamen inter elixandum exhalant, præter aquam, consimilis naturæ, elementaris, & nostratis, aquæ? Quis enim sibi persuadeat, destillationis balnei vim tantam esse, ut *naturam Limacum*, actione quâdam instantanea, pervertat, quo succus eorum viscosus (dealbans nimirùm, ipsis Limacitųs nigerrimis stybio egentibus) in sublimè feratur, & per alembicum exstillet? Sed ad alia, & seria magis, properemus.

Albumina Ovorum, quæ à tergo sunt Limacum, similem, cum Limacibus, atque æqualem, commendationem merentur. Si *Ovum* spectes, id tanquàm simulachrum est universi, analogiâ quâdam, quaternarium Elementorum numerum designans. Adest enim *Concavitas quadam Aëre plena*; *Albumen elementum Aqueum*; *Vitellus Ignis Sphæram*, & *Cortex Terram* repræsentat. Hominem primum ex *Ovo* natum, aut exclusum, superstitiosa finxit Gentilitas. Duplex in *Ovo* viget virtus: una, quæ Pulli fabricam & corpus effingit; altera, quæ alimenta ministrat. *Albumen* (cui *particula albicans, duriuscula* magis, innatat, *semen Galli* supplens) primum dat Pullo nutrimentum, semen, aut ejus ideam, referens; postremò verò Vitellus, solidioris & nutritivæ magis virtutis. Imò, excluso jam Pullo, reliquiæ aliquæ, *de Vitello*, supersunt, quo uno alterove die, nullius cæteroquin indigus cibi, fœtus, victitare possit: suâ velut è penu talia producente providâ in omnibus Naturâ. Si nunc de *Albumine Ovi* solùm sermo sit, missis *reliquis Ovi partibus*, illud, licet aquæ viscosæ summetriam referat, externa solum sunt accidentia, non re ipsâ talis substantia. Hæc simplex, & elementaris aqua, in destillatione, & coctione, penitus exhalat, nullo sui relicto vestigio, nisi pauxillo terræ, Sale Nitri, aut consimili aliquo alio sale, à loci illius terra, ejusmodi re imbuta, quo scaturit, sibi assumpto. *Illa verò viscosa Ovi aqua* (analogicè illam sic compello) longè aliter se habet. Nam *sive coxeris, sive lixaveris, aut assaveris Albumen Ovi, intra, vel extra Corticem*, nihil exhalabit, referens idem semper pondus, præmissâ etiam prolixâ coctura: ut adeò, nec destillando, quicquam virtutis eliciatur, quàm exilis admodum particula, & guttulæ aquæ cujusdam elementaris; contrà *Albumine à Calore protinus in corpus album solidum coagulato*, nullâ arte, nullaque opera, ad pristinum Esse reducibili. Qui itaque *Albumine Ovi* uti voluerit, pro refrigeratione, abstersione, nitore corporis, interno, & externo usui destinato, ille *Albumen Ovi recens fluidum*, *minimè coctum*, adhibeat; quemadmodum & ex illo indifferenter fieri omnia nequeunt, neque utilis liquor destillatione prolici.

Borax in superioribus paulò examinata est; quare ejus ulteriori disquisitione hoc loco supersedeo. Sufficit, ex dictis novisse, illam esse *Sal Alkali*, ad destillationes illius generis planè impertinens.

Transeo ad *Myrrham*, & *Thus*, & *Mastichen*. Hæc *Gummata resinosa*, (etsi *Myrrha* nonnihil de *mucilaginea substantia* participet) ac partim in *Spiritu Vini*, partim in *Oleis*, *resolubilia* sunt. Solutio enim illa, quæ cum *Vino*, & *Aceto*, fit, *in Gummatibus resinosis*, violenta est; in *Aquis* verò nunquam solvuntur: quantumvis diu multumque coquantur, resident nihilominus intacta, peractâ cocturâ, saltem odoris, & partium quarundam aërearum, passa aliqualē jacturam: unde, licet si destillationi aptentur, nonnihil odoris, & spirituosæ substantiæ, *Aquis* imprimant; potior tamen eorum pars, & virtus, fundum petit. Quâ de causâ minus dextrè ejusmodi *humidis Destillationibus* committuntur; cùm potiùs *sicca Destillatione*, & *per Retortam*, egeant pro *Oleis eorum essentialibus* eliciendis; moderato tamen igne, cum, & sine additione. Et *illa Olea* virtutis & substantiæ vicariæ sunt *ipsorum Gummatum*, nulla lege, cum effœtis ab iis *destillatis Aquis*, conferenda.

Cadunt

Cadunt præterea *Tragacanthum*, & *Gummi Arabicum*, sub unam Censuram. Nam ambo *mera mucilaginosa Gummata* sunt, nihil *resinosi* continentia. Solvuntur in puris aquis tantummodò, aut aliis aquosis liquoribus; at Oleis, & spiritui vini, non parent. Nullo *spiritu sulphureo* ditata sunt, terrestrioris duntaxat indolis, & destillationibus planè inutilia; cùm, vi destillationis humidæ, ab eis nihil transeat, sed eadem mucilago, longâ morâ multumque destillata, vel siccata tandem Gummata (si nimirùm ad siccitatem, cum aqua illis affusa, denuò abstracta fuerint) uti antè erant, quoad vires omninò immutata, in residuo manent; & consequenter *Aqua*, ab eis stillata, nihil saporis, nihil odoris, virtutis nihil, accepit, quod illis gratiam addere posset. Vides ergò, & hæc, eadem injuria, *destillationibus* obtrusa fuisse.

Dum ad finem decurro, *in Saccharum* incido. Hoc, unà cum *Panis Medulla*, quàm impertinenter ad *Aquarum destillandarum* negotium evocetur, in superiori examine *Aquæ Antiphthisicæ Mynsichtii*, ex fundamento erutum est, & ad Solem expositum. Unde, ne crambem bis coctam apponam, *ad Fructus: Ciceres*, *Lupinos*, & *Fabas*, festino; quos *tres Fructus seminales*, sub unâ quoque lustratione expedire competit, quia unius ferè naturæ sunt *esculenti Fructus*, difficilioris & coctionis & concoctionis: à quibus tamen nihil fructuosi exhalat, utut diu coctione, ad pultem usque, torreantur; sed, æmulando cætera enarrata, virtutem suam in residuo deponunt totam. Eandem igitur sententiam, & reprobationem, tulimus, prout superius, de Fructibus, soliti sumus.

Coronidis loco *Alumen plumosum* adjungimus, huic quoque *Aquæ Cosmeticæ* adjunctum. *Minerale illud est, naturâ suâ fixissimum*, adeò quidem, ut omnem etiam Reverberii ignem eludat, in quò perfectius redditur. De hoc pariter, sed *in Animadversionibus n. ad Aquas destillandas*, actum est, quò L.B. remitto. Raptim interim aliquid insinuaturus, dico, quòd, licet hoc *Minerale*, *cum affuso liquore aqueo*, per mensem, contino agitatu, destillares: certè tamen ab hoc ipso, per alembicum, nihil proficeres, ne vel virtutis minimæ vestigium experturus; æquè fixum, & integrum, post iteratas destillationes, ac in suo principio, futurum est. Quare demirari satis non possum, nullo præmisso discursu, & indagine, *fixa simul, & durissima*, *Mineralia*, *atque Metalla*, *omnisque generis Animantia*, unà cum *Vegetabilibus*, uni eidemque destillationi committere Authores, non obstante, quòd quodvis, in individuo, determinatam, & specialem, destillandi & regendi, dexteritatem sibi vendicet; in naturam nostram injurios aut petulantes, quam nostræ libidini, &, quodvis audendi, temeritati, propriisque limitibus, circumscribere attentant.

Et hæc sunt, quæ circa paucas hasce *Compositiones*, *è Pharmacopœia Clarissimi Schrôderi* depromptas, eventilanda suscepi. Ex quibus, pronum est, intelligere, non tantùm in *hoc Capite Aquarum destillandarum*, sed & in *aliis*, *alterius formæ*, *& consistentiæ*, *medicamentis*, *diversorum capitum*, plura repertum iri, quæ spongiâ, & limâ, maximè sunt opus habitura: ubi etiam ad oculum patebit, quòd non ad *quosvis Affectus*, *vel Morbos*, *cujuslibet consistentiæ*, *aut formæ*, *medicamina*, nec *ex quibuslibet qualibet*, *dextrè & salubriter sint parabilia*.

In qua Arte destillatoriâ Antiquorum simplicitas in propatulum emicat. Propterea Antistes noster, ipse Galenus, qui ne Rosarum quidem Aquam, aut aliam simplicem, ævo suo, fertur, artificiosè destillasse, pallio interim simplicitatis suæ protectus, tacere maluit, quàm id docere, quod nondum didicerat, more gentis nostræ, & seculi nostri. Quod utinam injurioso hôc tempore non accideret nostrique Authores procaces adeò non essent, ut aliena venditarent, tanquàm è propria penu relata: cùm interim ex auditis, non verò experientiâ propriâ firmatis, juxta tritum adagium; *Veritas multum cespitet*. Suo proindè id vitio accidisse, credant, si alienis subtractis pennis, vilis cornicula in Theatrum ducatur, ad sacrum Posteris horrorem, & terriculamentum. Deinceps ergò *Manum de tabula*, & calamum à conspurcandis, seu scriptitandis, ejuscemodi libris abstineant; ne retrò agendis seculis sese pro-

prostituant, aut posthumos nostros, & hæredes, ulteriùs seducant.

Et hi sunt, uti dixi, trium Clarissimorum, & illustris famæ, Doctorum errores, & lapsus; qui erant reducendi. Hique vel ad primum occursum unicuique patent, non solùm in *Aquis destillandis*, cùm *simplicibus*, tùm *compositis*, *in genere* & *in specie*: sed &, si quis, juxta hanc, demonstratam à nobis, Cynosuram, navigare velit, ac reliquas quoque eorum, (scilicet Authorum) diversæ speciei, *Præparationes* examinare, & explorare; pares errores in *Syruporum*, *Decoctorum*, *Electuariorum*, *Extractorum*, *& alterius consistentiæ*, *formæque*, *Medicamentorum compositionibus* iterato recurrentes, luce clariùs deprehendet: quos quidem fideli, & amicâ manu, ac calamo, intra modestiæ limites, omni sarcasmo abstinens, emendare studui, adductis ubique firmis demonstrationibus, & experimentis; nullum quidem secretum celando. Et quanquam curiosum quorundam ingenium, & inquieta indoles, sinistro oculo has meas censuras prosecutura est, non me alio, ad hæc, inductum motivo, quàm ut muscas, vanos honores, & gloriolam, aucuper, dictitans; huic meam oppono conscientiam, & æquitatem, sub qua, velut umbone, protectus conquiesco. Placuit interim, dictos Authorum errores, in hac, *de destillandis Aquis*, *Classe* revellere; qui licet in reliquis quoque pateant, in hac saltem adeò palpabiles sunt, ut nulla demonstratione, aut syllogismo, sed potius Mechanicâ egeant. Æmulatus autem sum hocce meo stylo, & discursu, lucidissimum speculum, quod, inter pluresi prærogativas, hoc sibi vendicat, quod idem omnibus est, & cunctis fidum. Sic & ego me conformare studui, ut nulli palparem, convitiisque neminem tentarem, veritatem interim nudissimam, absque omni adulatione, sub modestiæ velo, in scenam darem. Utile interim Tibi, B. L. dicavi. Nam non Nobis, sed Posteritati, famulamur. Confido interim, Apes Te æmulaturum, ut ex his dulcissimis veritatis flosculis mel & mannam exsugas. Nam non deerunt toxicosi aranei, qui ex iisdem venulis, non dulcedinem, sed internecinum virus, elicient, quin &, virulento fomite, in alios transplantabunt; suo tamen hoc, malignantis naturæ, & fermenti, vitio accidisse, manifestè prodituri. Solantur me interim genuini, doctissimi Viri, & Medici conscientiosi, qui, irretorto oculo, lumen veritatis intuentur, & mihi, in tanti momenti re, vitam & sanitatem multorum myriadum concernente, album adjiciunt calculum. Facem ego prætuli, & semitas trivi; sequantur me, his vestigiis insistentes, Posteri: sic mox errores longè proscribentur, nitidior Respublica Medica brevi futura, ac, suppressis erroribus, majus indies incrementum captura est. Interim, L. B. liberum Tibi sit, volvere, ad revolvere, Classicos omnes Authores, qui *de Compositione & præparatione Medicamentorum* scripsêre: certè iis, quorum Te hisce participem facio, Axiomata veriora, magisque secundum veras Artis leges conscripta, ac exemplis & compositionibus elegantissimis illustrata, nullibi facilè reperies. Citra arrogantiam, & fastum, liberè hæc profero. Soli enim mihi notum est, quæ Tibi secreta aperuerim; quâ solertia & vigiliis, inter dispa-ria nihilominùs studia, hæc ad Te transscripserim: Tibique patebit, æquo & solerti studio hæc lectitanti, ac practicanti, gravibus de caussis, ac summè necessariis, hanc ipsam Compositionum quarundam censuram à me institutam, & (laus DEO!) exantlatam esse. Nam Circe non sum, qui Te ad meridianum, & diem, fascinem, & veluti peplo oculos Tibi obscurem. Facem Tibi in omnibus prætuli, rationis lumen accendi, demonstrationibus usus sum, ad quarum splendorem & evidentiam, inevitabilem ubique sequelam inferre potes, & decumanos ipse Authorum errores ad censuram revocare; substitutâ ubique verâ Medicamentorum componendorum, & parandorum, Methodo: quam feliciter consectaberis, si per omnia naturæ æmulus, & minister, abditos in natura, & constitutione Mundi, thesauros scrutatus fueris, virtutes & usus observaveris, ejusque regimen exploraveris; sedulò, quâ formâ & modo, cruda, & alterata, hâc vel illâ lege parata, in usum ducenda, quæ homogenea nobis sint, quæ vitæ media, quæ deleteria, & antipathica, observando.

Ad

Ad Te nunc convertor, Tyro Medice. Oculos mentis, & animum erige, contemplare, quantâ solertiâ, studio, & experientiâ, opus habeas, si quid aptè, & dextrè in Palæstra Medica operari ac remedia, & morborum Antidotos, dispensare velis. Veternus sanè hinc absit, oportet, ut & ebrietas, & reliquorum vitiorum plaustra. Ad Cleontis lucernam vigilandum est, si Proximo, Conscientiæ reatui, Deo insuper, quondam vindici, & ultori à tergo, ex asse velis satisfacere. Interim respice ad bravium, & coronam, quæ Te manet. Et, licet in terris, cum superstitiosa Gentilitate, Deastrum aliquod ex te non fingamus; Tibique statuas & obeliscos erigamus; satis hoc Tibi sit, quòd humanæ calamitatis asylum sis, præses, & vicarius, in terris, vitæ & sanitatis, charitate & obsequio in proximum fulgidissimus, quis cum aliquando, sicut stella, emicabis in perpetuas æternitates.

PHARMACOPOEIÆ REGIÆ

CLASSIS DECIMA SEXTA,

Oleorum Coctorum, & Expressorum, seriem complectens.

CLassem hanc & tractatum de *Oleis Coctis, & Expressis*, auspicando, Methodus, & artis leges, expetunt, succinctis verbis, in ipso limine, præfari, quid ejusmodi *Olea* sint; ac quibus usibus destinata. Continent autem ejusmodi *Olea partes* plerumque *Balsamicas, tenues, sulphureas, ac fragrantes, Herbarum, Florum, & Vegetabilium*, in quibus rerum potestas, sigillum, & energia plerumque concentratur. Et quanquam *Olea Cocta* potissimum usui externo destinentur, atque ex illis *Clysteres, Vnguenta, Emplastra, Cataplasmata, Cerata, &c.* dispensentur: magni tamen, in curando, sunt effectus & potestatis, ob fragrantiam, & odores rerum, & vegetabilium, sibi impressos, qui symbolum sunt fermentorum, &, analogiâ quâdam, spirituum nostrorum fulcrum, & allevamentum: adeò, ut magnus ille Philosophus, Helmontius, licet quamplurimùm aliàs Galeni Antagonista, & Censor, nihilominus tamen, repudiatis cæteris auxiliis, multum prærogativæ *Vnguentis & Oleis*, quibus fragrantia & genuinus vegetabilium odor impressus, attribuat. Sic enim, ille, titulo: *Imago fermenti, &c à num.* 16. ait: *Rerum vires, ac robur masculum ex odoribus est. Imò, si penitiùs res ipsa spectetur, etiam interna pharmaca tàm solutiva, quàm correctiva, solo odoretenus agunt. Vidi enim sæpius, Quartanam, Vteri exundationes, Melancholiam, dolores Colicos, &c. solis unguentis superata. Videntur enim odores, etiam spiritus abstractos attingere.* Hæc ille. Vide etiam celebrem ejus locum, *num.* 22. ubi *quendam, gravi ventriculi dolore exsolutum, adeò, ut stomachi Carcinoma crederetur, fragranti emplastro unius palmæ paucis horis curatum vidit.* Quibus maturè deliberatis, omni conatu adlaboravi, ut pleraque *Olea fragrantia*, aut *simplicium suorum crases, ac vires, redolentia*, usibus internis destinarem. Sunt autem dicta *Olea duplicis Classis*: quædam *Simplicissima*; eaque *oleo* solo *Olivarum*, & *vegetabili* quopiam, vel *animali*, constant: alia *Composita*; quoniam, præter *Olivarum Oleum*, quàm plurima recipiunt Ingredientia, unius scopi ac Indicationis. Nunc, eorum dextram præparationem afferre, rerum ordo sibi deposcit: quam priusquàm aggrediar, ac suo loco debitis notis illustrem, A. L. Author sum, ut *n. Animadversiones*, hâc super re divulgatas, nec non ejusdem Thematis *Appendicem pag.* 36. consulas, magnum exinde

 habi-

habiturus lumen ac compendium, ad dextram jam dictorum *Oleorum* dispensationem. Quare, ut tempori serviam, prolixis abstineo prolegomenis, & ad dextram eorum descriptionem me converto.

Expressa verò *Olea* quod attinet, cùm illa unicâ materiâ, ac solâ, v. g. *Semine*, aut *Fructu*, constent: multas ambages, notas, ac animadversiones, non exigunt; præterquam, quod abundè B. L. satisfiat in *prægressis n. Animadversionibus*, in quibus vel maximè hoc notandum suasi, ne dicta *Olea expressa* alienæ fidei Institoribus, & mercimoniis intentis, concredantur: utpote, qui illiberaliter ea adulterant, ac rebus peregrinis obfuscant, & enervant; prout, dum hæc scribo, è quodam inaudio, qui propriâ confessione retulit, se *consueto Oleo Nucis Moschatæ expresso* dimidum *axungiæ porcinæ* adjungere, ut plebi tanto magis tractabile, & unctuosum væneat; cum illud genuinum, & syncerum, spissum ac solidum nimis Ægris videatur. Quare, ne ejusmodi fraudes subrepant, Author sum, ut Dn. Pharmacopœi talia proprio Marte elaborent ac exprimant, Ægris ac Sibi consulturi. Accedo nunc ad speciales *Oleorum descriptiones*, quas inter nonnullas *Oleorum Compositorum expressorum* ideas B.L. reperiet, ac æqui bonique consulet.

Oleum Absinthii.

℞. Olei Olivarum recentis libras duas: huic immergantur
Summitat. seu Comarum Absinthii nostratis & recentis, minutim incis. unciæ octo.

Factâ maceratione, loco calido, in vitro probè clauso, die unâ, fiat pòst colatura cum expressione forti. Oleo expresso denuò
Comarum Absinthii recent. minutim conscissarum unciæ octo

infundantur, & digerantur in calore, die uno atque altero, factâ iteratâ colatura, & forti expressione. Repetatur tertiò eadem *recentis Absinthii* infusio, ac maceratio. Quibus peractis, coletur, & exprimatur fortiter oleum; residant deinde omnia in vitro probè munito, ut, si quæ impuritas, liquor, & humiditas supersit, (quanquam modicum residebit) per inclinationem, aut decantationem, segregari possit, *Oleumque* defæcatum, atque purum, usui destinari.

Hoc *Oleum* frigidis affectibus Ventriculi conducit, Hepati auxiliatur, repetitâ inunctione adhibitum: Lumbricos enecat, & arcet, ad umbilici regionem illitum: Carminativum est, ac Colicos dolores demulcet, quos frigidior causa fovet, ubi Clysteribus immiscueris. Quòd si tamen quis jam dictæ macerationi *Absinthii coctionem* præferat, ac, ejus beneficio, majores virtutes dicto *Oleo* accedere, autumet; huic non resisto, aut succenseo. Veruntamen necesse est, ut decoctiones trinæ infusionis, in alembico vitreo, vel etiam balneo nostro vaporoso, apposito capitello, celebrentur, ne virtutis Balsamicæ, & partium spirituosarum, (quæ pronæ sunt ad exhalationem,) fiat dispendium, sed eæ in capitello concentratæ, ibidemque humiditatem indutæ, ac resolutæ, in præpositum vas Recipiens transcolentur: quæ dein humiditas residuo oleo, ex postfacto, addenda, ac, post debitam digestionem, iteratò segreganda. Neque hîc tàm strictam, & longam decoctionem præcipimus, quâ omnis humiditas exhalet, ut ejus pauculæ guttæ, igni commissæ, illicò flammam concipiant, & strepitum non edant; (hoc enim de consueto signum est maximæ deficcationis, omnemque humiditatem emigrasse) sed sufficit, & abundè quidem, una vel altera ebullitio. Quò maturius enim hæ infusiones, & dictæ ebullitiones, celebrantur in Alembico; tantò efficacius oleum nancisceris, nullum situm, rancorem, aut fœtorem contrahens. Enimverò ex prolixa maceratione, & insolatione *Olea* plerumque rancida & ingrata evadunt. Proindè macerando, ac extrahendo, *Oleum Absinthii*, per Alembicum, spatio unius diei, per compendium, idem præstabit, ac si per octiduum (per mensem etiam, dixero,) maceratum fuisset, aut plurimùm coctum. *Oleum* demum *hoc*, à trina illa manipulatione nimirum, *infusionibus*, *ebullitionibus*, & *expressionibus* residuum, reaffuso *liquore per Alembicum exstillato*, ne ei quid virium decedat, residere pariter finito, donec, spatio dierum aliquot, dictum *Oleum* à fæcibus, & humido sedimento, (quæ ambo in fundo

do ſubſidunt,) per inclinationem, & decantationem, liberè poſſit depurari, ſuamque nanciſci perfectionem. Nam hoc Tibi, L. B. tanquam infallibile principium, ac theorema, perſuadeas velim, omnia ac ſingula *Olea cocta*, à quibus dextrè omnem humorem, pro viribus, non ſegregaveris, ſitum, rancoremque brevi induere, neque durabilia futura; concurrente, juxta mentem Ariſtotelis, ad corruptionem & ſui deſitionem, humiditate, & calore, à quibus omnis putredo, & corruptela, originatur: quæ in *Oleis coctis* utplurimum reperiuntur. Quòd ſi tamen hæc dicta humiditatis ſeparatio, per inclinationem & decantationem, forſan negotium faceſſat, aut ardua videatur; aliam tibi ſuggeram Methodum: & ſic procedito: Paretur charta bibula ſeu Emporetica, pro filtro, ut artis eſt, ac ad formam infundibuli, quod in conum deſinat, humectetur filtrum *aquâ communi*; cui dein affundatur etiam *Oleum*, cui adhuc *humiditas aquoſa* forſan conjuncta eſt. Sic dictum filtrum omnem *humiditatem Oleo junctam* alliciet, *Oleumque purum* in filtro, ac reſiduo, perdurabit, omnis humiditatis expers; quod poſtmodum effundendum & aſſervandum. Quòd ſi verò filtrum hoc chartaceum priùs *Oleo* imbuatur, quàm *aquâ* madeat, *Oleum* per filtrum præcedet, maximè, ac citius, ſi deſtillatum fuerit, reſiduâ in filtro humiditate. Si verò *Oleum* hoc *Abſinthii* viribus intenſius, ac exaltatum voles, ſuperadde ſingulis libris *Olei cocti Abſinthii*, drachmam unam, vel mediam, *Olei proprii deſtillati*; à quo multum virium & efficaciæ, odoris pariter genuini, ac reliquorum accidentium, quæ vegetabile comitabantur, ei accedet. Quæ de *Oleo Abſinthii cocto* attuli, de reliquis *Oleis decoctis*, in genere, ſubaudiri cupio, quæ è *floribus*, *herbis*, *ac balſamicis vegetabilibus*, diſpenſantur; quorum *Olea deſtillata* in promptu ſunt, ac Officinis noſtris conſueta. E quorum cenſu numeranda puta, *Oleum Anethi*, *Chamomillæ*, *Menthæ*, *Rutæ*, *Sampſuchinum*, ſeu *Majoranæ*, & alia plura.

Quæ de *humiditatis aquoſæ* ſeparatione, ac incommodis, recenter attulimus, applicari poſſunt ad quantitatem *Vini*, aut *Succorum* etiam, quam, pro diuturnâ *Oleorum* cocturâ, *Antiquiora Diſpenſatoria* ſedulò præcepêre. Obeſt enim dicta *Vini*, & *Succorum*, affuſio, & eorum prolixa lixatio, donec exhalent, ex duplici capite: Primò, quò diutiùs *Olea* coquuntur, quibus infuſa ſunt ſpirituoſa, balſamica, & aërea vegetabilia; tantò plùs virium, energiæ, ac virtutis, diſſipant, ac deperdunt; rarefactis ſulphureis particulis, & in ſublime delatis: unde conſectaneum eſt, *Oleum effœtum*, ac nullius virtutis, in reſiduo ſupereſſe. Edocebit etiam magiſtra rerum, Experientia, aſſiduos Pharmacopœos, quâ obſervabunt, quòd dum, liberalior *Vini*, aut *Succorum*, quantitas *Oleis decoquendis* jungitur, tum *Vinum* vices menſtrui ſubeat, ac ex herbis, & vegetabilibus reliquis, *Eſſentias* eorum proliciat. Quæ *Eſſentia* elicita nequaquam naturæ homogeneæ cum *Oleis* eſt, ſed humidæ potiùs, quàm oleaginoſæ: unde etiam, per coctionis decurſum, nequaquam *Oleo* unitur, aut communicatur, ſed, ſeparatum, remanet (ſuppoſito, quòd more Veterum uſitato, *Olea* ad humiditatis conſumptionem decoquenda) in reſiduo, ad inſtar picis, & nigricantis reſinæ, nunquam *Oleis* commiſcibilis. Rei hujus evidentiam clariùs deprehendes, additis *Succis propriis*, vel *Vino*, cum quo vegetabilia ſola decocta, ac extracta fuêre. Hæc ubi cum *Oleis*, ad conſiſtentiam, (nimirùm ad exhalationem humiditatum, ac liquorum,) deſtinantur coquenda: illa materia, picem æmulans, fundo, ac lateribus, ſartaginis firmiter adhæret; neutiquam *Oleis* unita. Et dictat hoc ratio, ſuadetque Philoſophia, nimirùm, aqueum elementum, ſeu quamcunque humiditatem, quæ ad id accedit, ſeu *Succus vegetabilis*, *Vinumvè* ſit, nunquam ſe *Oleis* (aëreum nactis temperamentum & levitatem) unire, ac communicare poſſe, quin qualitatem aliquam ac contrarietatem, invicem oſtentare ac exercere, quò minus coaleſcant, ac unum efficiant, ſed ſeparata diffidere; adeò quidem, ut *affuſus liquor aqueus* quiſpiam potiùs vires aliquas *ex Oleo* eliciat, idque ſale terræ nitroſo privet, ac defraudet. Neque verò ſalvamus incommoda, aut difficultatem ſolvimus, quæ affuſam Vini, aut Succorum, largam quantitatem âd Olea cocta, ſubſequuntur, ſi à prolixâ decoctione nobis caveamus, ſolaque inſolatio-

ne, additâ tamen *Vini quantitate*, rem peragamus: vel instituamus etiam decoctionem in Alembico vitreo, proprio capitello ritè munito, ac supposito excipulo; ne quid spirituosæ humiditatis, ac humidæ vegetabilium essentiæ, præterlabatur, procurantes. Nihilominùs enim pernecessarium foret, dicto *Oleo exstilla tam humiditatem*, fragrantiâ & viribus imbutam superaddere, & postliminio, per inclinationem, & decantationem, segregare; cùm nimia *humiditas* sit, neque *Oleo* uniri possit. Quidquid horum acciderit; notabile secum advecturum est detrimentum. Nam quò prolixior *Insolatio* concedatur, tantò efficacius *Liquor*, & *Vinum*, copiosius affusum, *vegetabilium essentiam*, tanquam appropriatum menstruum (licet unâ alterâque die, quantum satis est, extrahat,) eliciet; quod *Oleum* non præstabit: (docui enim *in Animadvers. meis*, quòd *Oleum Olivarum* vices *menstrui* aptè subire non possit, ad extrahendas *vegetabilium* humidas, aquosas præsertim, essentias; benè autem eorum, quæ multum *resinosa*, *oleaginosa*, ac *quasi homogenea*,) dictus autem liquor, *Vinum*, aut *Succus*, largiter affusus, si vaporetenus non exhalaret, necessariò per residentiam, & separationem, decantando *ab Oleo*, foret segregandus. Hoc ubi accidat, pronum ac manifestum est, virtutes quoque ac essentiam, à dictis *menstruis*, ac *Vino*, elicitam, *Oleis* subtrahi. Eadem ratio foret, si, quod coctione in Alembico transiit, *Liquor* scilicet *fragrans ac spirituosus*, (supposito, quòd *copiosus Liquor*, ac *Vinum*, affusum fuerit,) *Oleo residuo* adderetur. Nam & ipse ab *Oleo* jam dicto decantari, ac per inclinationem separari, necesse haberet: quo facto, multum virium, ac efficaciæ, pessum iret ac elaberetur. Quare longè consultius est, Praxique conformius, *Vino*, aut etiam *proprio Succo*, ad decoquenda *Olea*, cum herbis recentibus, sive in Alembico, sive in aprico, omninò abstinuisse: imò immergantur potiùs *recentes herbæ*, *flores*, & *vegetabilia*, *Oleis* solùm, macerentur, aut coquantur etiam brevissimè cum illis in Alembico. Nihil enim officit, vel detrahit, *perpauca illa humiditas* quæ à solis floribus & herbis recentibus, nullo addito peregrino, aut heterogeneo, liquore, Oleis jungitur, ac per decantationem, & residentiam, vel filtrum, aquâ humectatum, modo superiùs indigitato, separari debet, (quocunque tandem modo, sive per præviam macerationem, sive brevissimam ebullitionem, in Alembico *Oleum* paratum fuerit, nihil variat.) Tàm enim modica est illa *humiditas*, ut vix in censum venire mereatur, nedum *Olei virtutes*, ac *efficaciam*, infringat. Hoc pacto operantes, magnam energiam *Oleis* conciliamus; cùm, pro viribus, omnia concentramus, ac tuemur: præsertim cùm, factâ ebullitione in Alembico, si quid *sulphurei*, *odoriferi*, aut etiam *oleosi*, simul pertransiit, *Oleis*, in ejusdem reaffusione, id statim denuò, ob symbolum, reddatur, ac firmiter unitum perseveret, pauculâ humiditate fatiscente. Et hanc, de *Oleis coquendis*, Theoriam, ac fundatam ratione, & praxi, methodum tractandam, tàm necessariam arbitrabar, ut, eam præterire, nefas esse, duxerim. Manifestè enim, & perspicuè, Tyrones Medicinæ colligere possunt, nihil in arte tàm vile, ac ignobile reperiri, quin suas habeat cautelas & momenta; quibus neglectis, vel non cognitis, absurdi quique errores in Medentes redundant, magnâ Artis infamiâ & ludibrio; quos tamen facilè, nostris obsecundantes monitis, evitare poterunt, aut emendare. Ex quo prætereà manifestum fit, quàm longè à scopo & veritate oberrent ii, qui medicamentorum Ordinationes (vulgò Receptas dictas) leve quid, & cuique obvium, in Medicina autumant; cum interim ausim ,, dicere, ac palàm decidere; hanc unam ,, esse notam distinctivam, & characterem, ,, sensati Medici, cui uni & soli competit: ge- ,, nuini Artis Filii honos & prærogativa.

Nunc rei series, ac ordo, exposcerent, ut reliquorum *Oleorum coctorum*, atque *simplicium*, præparationes his subjungerem. Verùm, cùm omnia, & singula, unam eandemque methodum, ac præparationem, respiciant, nihilque, quoad dispensandi normam, varient; omnia, ac singula, juxta, superiùs, in *Oleo Absinthii*, adumbratam ideam decoqui poterunt. Quod si efficaciora reddere ea velis, nostrum pariter æmulare modum, quo *Olea* eorum destil-

destillata, si in usu, ac promptu sint, debito pondere adjunximus; magno virium incremento.

Ut autem *Oleorum coctorum*, quæ in præparatione minimè discrepant, virtutes, ac prærogativas, in Medicina ediscas, ordine sequenti eorum delineationem auspicor:

Oleum Anethinum.

DEfluxionibus à Capite, ad partes inferiores, conducibile est: roborat nervos, resolvit, attenuat, crassos, viscidosque nervis impactos humores, calefacit moderatè, & emollit, Colicos dolores sedat, cùm externè umbilico inunctum, tùm Clysteribus quoque admixtum. Et hæc omnia potentius præstat, quando *Oleo* huic *simplici cocto Oleum* ejus *destillatum* admiscetur.

Oleum Chamæmeli.

OLeum est Carminativum, flatûs discutit, & resolvit; ideoque Colicis, & Capitis doloribus, salubre, ac hypochondriorum tensionibus perutile est; externè nempè inunctum, Clysteribusque admixtum: cui etiam, si lubet, *destillatum proprium Oleum* addere convenit.

Oleum Cheyrinum, seu Keirinum.

OLeum est Cephalicum, & capiti dicatum, doloribus ejus auxiliatur, ventris torminibus succurrit, nervorum insuper, & juncturarum, dolores levat, & pectori confert; partum etiam facilitare, & lumbricos interimere, creditur. Hujus *Oleum destillatum* cùm non prostet, illi admisceri nequit.

Oleum Liliorum Alborum.

VUlnerarium audit *Oleum*; quod & inflammationes sedat; gravidis, tempore partûs, auxilio est, præsertim si & *flava stamina in floribus*, qualia in *Rosis Anthoræ* dicuntur, in præparatione ejus fuerint adjecta; Menses mulierum promovet, dolores Ventriculi, Coli intestini, Uteri, Renum, Vesicæ, ac Nervosarum partium, compescit; ideoque etiam Colicis doloribus opitulatur.

Oleum Majoranæ.

CEphalicum *Oleum* est, & Anodynum, adeoque frigidis Cerebri & Nervorum vitiis prodest; spinæ dorsi inunctum, Paralyticis auxilio est; ad uteri præclusiones & eversiones utile; menses & secundinas pellit, ac aliis etiam affectionibus Colicis & Hystericis prodest: & quidem multò potentius, si ejus *Oleum proprium destillatum* illi *cocto* admixtum fuerit: tùm & internè, & externè, usui esse potest.

Oleum Menthæ.

HOc *Oleum* Ventriculo dicatum est, quem roborat, atque matricem moderatè calefacit; nec non vomitûs spontaneos, Colicosque dolores sistit, appetentiam excitat, & juvat concoctionem; præsertim, si *Oleum* ejus *destillatum* fuerit admixtum.

Oleum Populinum.

FIt ex *Oculis Populi*, cum *Oleo Olivarum*: &, si dextrè, *juxta n. superiorem informationem*, sine cocturâ paratum fuerit, præstans *Oleum* est Nervinum, in omnibus contracturis, & debilitatibus membrorum, & nervorum: Cerebro etiam, & Ventriculo, cedit emolumento, & externè inunctum, & internè assumptum: dolores levat Colicos, & roborat matricem; hoc solùm observando, ut in Alembico vitreo, suo capitello munito, ejus præparatio peragatur.

Oleum Rosarum.

VIm tenet hoc *Oleum* familiarissimum refrigerandi, inflammationes extinguendi, repellendi, mitigandi, roborandi, & modicè constringendi; humectat, refrigerat, atque dolores sedat; externè utplurimum usurpatum. Ejus *Oleum destillatum* caro nimis venit pretio: idcircò per se, diligenter, & legitimè paratum, usui & commodo est potest externè.

Oleum Rutæ.

ANtiloimicum & Alexipharmacum *Oleum* est, cordis regioni, pulsibus, volis manuum, & plantis pedum, inunctum: Clysteribus admixtum, & externè Ventri, atque umbilico, inunctum, aut linteolis, in eo madefactis applicatum, dolores Colicos compescit, laterum, renum, ac vesicæ, dolores placat, flatûs dissipans: interno etiam usui, in prædictis affectibus, non exiguo fructui esse potest; idque eò magis, si quando *Oleum destillatum* quoque illi fuerit adjunctum.

Oleum Sambucinum.

PAratur è *Floribus Sambuci recentibus*; vim refrigerandi obtinet, & inflammationes, & erysipelata sistendi; lenit, abstergit: Hepati confert, Nervorum & Articulorum doloribus utile; Vermibusque necandis, internè receptum.

Plura qui desideraverit *Olea simplicia*, & *cocta*, exempli gratia,

Anagallidis, Cydoniorum, Myrtinum, Nardinum, ex Salvia, Spica, Nymphæa, Hyperici, Verbasci, Violarum, Martial.

is singula illa, *juxta superiùs præscriptum exemplar*, apparatu facillimo, sibi comparare poterit. Quorum vires pariter, ac modus utendi, in vulgus nota sunt, atque è *Pharmacopœia Augustana*, cum ubertate depromi possunt.

Sequuntur hæc pauca quædam *Olea simplicia*, è *Gummatibus* describenda; utpotè,

Oleum Mastichinum.

℞. Olei Majoranæ dextrè parati libram unam,
Mastichis el. uncias tres:

Solâque dissolutione Mastichis, in lenissimo calore, sine ullâ ebullitione, paretur præstans *Oleum*; quod colandum, & ita asservandum.

In affectibus Ventriculi, & Intestinorum, certè, præstantissimum; quòd calefacit, ventriculi vim concoctricem; retentricemque firmat, in Lienteriâ & Cœliaco tormento, quàm salutare extans; neque minus tale in Dysenteriâ, & Diarrhæâ, cùm internè, tùm externè adhibitum, admixtumque Clysteribus.

Nota: *Non solùm hoc, sed & alia simplicia Olea, quæ vocant, cocta, cum Olea Amygdalarum dulcium expresso, vel cum Oleo Nucum, itidem expresso; & quædam, quæ Cerebro, Capiti, & Calculo pellendo, dicata sunt, cum Oleo Amygdalarum amararum rectè parari possunt; & quidem omnium maximè illa, quæ usui interno ordinata sunt. Verùm, in parvâ quantitate illa parari, convenit, ne, temporis longo tractu, rancida & fœtida evadant. Recenter enim parata, palato gratiora efficacioraque erunt.*

Oleum ex Styrace.

℞. Olei Olivarum recent. vel, ejus vice, Olei Amygdalar. amararum, uncias quatuor.

In hoc dissolve, leni calore, sine ullâ coctione, aut ebullitione,

Styracis Calamitæ unc. unam semis,
Gummi Tacamahacæ drachmas sex:

Factâ dissolutione solâ, colentur; colatum asservetur.

Oleum præstans, in roborando Ventriculo, & Cerebro, internè ac externè usurpatum: calefacit; catarrhos à capite delabentes sistit, vertici illitum; doloribus Colicis, & uterinis sistendis salutare.

Nota, *quòd loco Olei Olivarum, vel etiam Olei Amygdalar. amarar. Oleum Rosatum, aut Anethinum, vel Keirinum, pro basi hujus Olei substitui queat: & sic major efficacia illud commendabit.*

Oleum de Euphorbio.

℞. Olei Keirini, vel Majoranæ, unc. tres; in hoc solvatur,
Gummi Euphorbii uncia semis, vel drachmæ sex:

Factâ dissolutione, calore leni, fiat colatura, *Oleumque* asservetur. Hujus virtutes ex *Pharmacopœia Augustana*, longâ serie, peti possunt.

Nota, *Cur horum Gummatum Olea sine ulla coctione, solâ Gummatum dissolutione, parare*

parare praceperim, causa in Animadversionibus nostris, super Olea Cocta factis, pag. 335. item in Appendice pag. 36. & 37. addita sunt; qua huc revocanda.

Olea ex Animalibus: utpotè, Oleum Lumbricorum, Ranarum, Scorpionum, Vulpinum.

Hæc cuncta *Olea* etiam tritissima, paratuque facillima sunt: præsertim, si juxta cautelam, *in Appendice n.* injunctam, *pag. 36.* eorum præparationes dextrè instituantur, virtutibus suis vigentia prostabunt; quorum vires, & modus utendi, ex encomiis à *Dn. Dn. Augustanis*, cuilibet eorum sigillatim adjectis, quoque peti possunt.

OLEA COMPOSITA.

Oleum Antapoplecticum Cephalicum.

℞. Olei ex Styrace, cum Oleo Majoranæ, superiùs edocto modo, parati unciam unam,
Olei stillati Succini albi drachmam unam semis,
Coriandri,
Lavendulæ,
Majoranæ,
Rorismarini,
Salviæ,
Nuc. Mosch. ana drachmam unam:
Misceantur pro usu.

Est *Oleum* Cephalicum efficacissimum, roborat Cerebrum, & principium Nervorum, vertici capitis, temporibus, nuchæ, & spinæ dorsi, ad os sacrum usque, inunctum: sedat & compescit defluxiones à capite ad partes inferiores. Quare in catarrhis suffocativis salutare existit; ut & membris paralyticis, contractis, doloribus Colicis, à frigida causâ exortis ventositatibus, & uteri debilitatibus, auxilio est.

Balsamum Vulnerarium.

℞. Ol. Terebinthinæ flavi & rubicundi, videlicet, quod per retortam, (spiritu oleoso albicante priùs, destillando, prolectо) dextrè destillatum est, libram unam:
huic immerge
Pulv. Gummi Animæ,
Elemi,
Mastichis,
Olibani,
Myrrhæ, ana drach. sex,
Hederæ unciam semis,
Balsami Indici Peruviani unc. unam,
Oculorum Populi arboris recent. unc. unam semis,
Decocti inspissati, ex summitatibus Hyperici recent. & florent. parati,
Succi Millefolii inspissati, ana unciam semis.

Digerantur in calore leni, vitro probè clauso, ad dissolutionem, pro majori parte, *Gummatum*, sæpiùs commovendo. Posteà colentur calidè per linum & qualum, atque ad usum asserventur; quibus, si lubet, nonnihil de *Camphora* adjiciatur.

Vulnerarium est præstantissimum, cùm in recentibus, modoque inflictis, tùm in antiquis, Vulneribus; præsertim in partibus nervosis, ubi unctuosa, ex oleis expressis, locum non habent. Singulare est remedium, filamentis in eo madefactis, ipsis impositum.

Balsamum aliud Vulnerarium Martiale.

℞. Olei Terebinthinæ flavi, per retortam, uti suprà, destillati,
Olei Abietis odoriferi, & clari destillati, ana uncias sex.
His mixtis *Oleis* adde, immergendo
Oculorum Populi arbor. recent. & conquassat. temp. vernali, uncias tres, vel quatuor:
Factâ maceratione, duobus circiter diebus, in calore leni, vitro benè occluso, eoque alto, fiat pòst colatura, cum forti expressione. Huic *Oleo expresso*, iterum in vitrum altum, sive alembicum capacem infuso, ulteriùs immerge
Limaturæ Chalybis puri, & accuratè limati, uncias tres, vel quatuor:
& de-

& desuper guttatim, pedetentim, & per vices, instillentur

Spiritûs Nitri opt. vel loco hujus,
Spir. Vitrioli, unciæ duæ, vel plus;

ita tamen, ut, spatio duodecim horarum circiter, totus *spiritus* guttatim affusus fuerit, spatulâ ligneâ sæpiùs *Limaturam* hinc indè movendo, ne fundo vasis adhæreat & indurescat. Sic enim solvitur *Limatura ferri*, & suam essentiam, seu animum, *affuso Oleo* communicat, idque imbuit, & rubicundissimo colore tingit. Solutione hâc peractâ, digerantur simul in vitro largo, & probè clauso, per duos circiter dies. Tandem separetur *Oleum*, sive *Balsamum rubicundissimum*, sanguinis instar, à *Limaturâ*, & omni humiditate: quod usui asservandum.

Non minoris, quin imò majoris efficaciæ existimem hoc fore *Balsamum*, quàm illud superius, non solum externè Vulneribus impositum, sed & ad intrà assumptum: quia nullo modo corrosivum est. *Spiritus* enim *Nitri*, vel *Vitrioli*, *corrosivus*, non in *Oleum*, sed in *Chalybem limatum* agit, & vim suam exercet, illumque solvit, & ipse solvendo in aliud ens veluti transmutatur & edulcoratur.

Nota: *Si quispiam alio modo Balsamum istud conficere voluerit, per me licet; nimirùm, ut Limaturæ Chalybis priùs Spiritum Nitri, absentibus Oleis supradictis, instillet: modò & hoc pedetentim, guttatim, & per vices, spatulâ indesinenter Chalybem agitando, fiat. Absolutâ deinde solutione, seu affusione Spirit. Nitri, tandem Olea supradicta affundat Limaturæ solutæ ex parte, digeratque per biduum circiter. Hoc pacto pariter rubedo extrahetur, ad sanguinis similitudinem, rubicundissima, & efficietur Balsamum Vulnerarium eximiis virtutibus, ac nobile, non minus interno, quàm externo, usui destinatum.*

Balsamum aliud Vulnerarium ex Sulphure.

℞. Sulphuris crudi & boni uncias sex.

Hoc liquefiat in ollâ, seu patellâ terreâ vitreatâ, super leni igne, ne accendatur illud, aut flammam concipiat. Liquefacto *Sulphuri* immisceantur probè, adhuc super igne,

Salis Tartari puri unc. tres, vel quatuor:

Factâ hâc mixturâ, spatulâ benè commotâ, auferantur ab igne; & fiet *Hepar Sulphuris* dictum, quod, in pulverem redactum, immittatur, alembico parvo, cui super affundantur

Olei Terebinthinæ flavi per retort. uti supradict. destillati,
Abietis recenter destillati, ana unc. tres, vel quatuor, aut plus.

Digerantur in lenissimo calore, sine ullâ coctione aut ebullitione: & protinùs extrahetur Tinctura rubicundissima, sanguinis æmula. Separetur hoc *Balsamum*, sive *Oleum* rubicundissimum, per decantationem, sive filtrum, & custodiatur in vitro, externo & interno usui destinatum: summè proficuum in ulcerationibus Pectoris & Pulmonum; viribus *Balsamum Sulphuris vulgare*, sine dubio, superans.

Oleum de Capparibus, Hepaticum & Spleneticum.

℞. Capparum recent. aut, si tales desint, sale condit. uncias quinque,
Cort. Radicum Capparum, cum Vino humectatorum, unciam unam,
Herb. rec. Tamarisci, cum cortic.
Verbenæ florescent. ana uncias duas semis,
Ceterach unc. unam sem.
Fol. recent. Nicotianæ uncias duas,
Flor. Rof. rubr. recent. unc. duas semis,
Salis Ammoniaci, sublimati cum chalybe, unciam semis.

Hæc omnia, incisis, quæ incidenda sunt, infundantur, vel immergantur, in

Olei Olivarum recent. & puri libras duas.

Digerantur aliquandiu; posteà coquantur leniter, ad humiditatis exhalationem, (quia nihil spirituosi, aut sulphurei, inest, præter paucissimum quid, à Rosis, quarum tamen hîc virtus roborativa, non odor, desideratur.) Fiat pòst colatura, cum forti expressione: *Oleo* verò *expresso* porrò adde

Pulv. Gum. Ammoniaci unciam unam semis,
Camphoræ unciam semis.

Factâ

Factâ denuò brevi digestione, tandem coletur *Oleum*, & usui asservetur. Obstructionibus Hypochondriorum, externâ ejus inunctione, perquàm utile est: Hepatis & Lienis duritiem resolvit, & flatûs discutit.

Oleum Carminativum Anti-Colicum.

℞. Olei Olivarum recent. libras duas; cui immergantur sequentia, crassiusculè incisa, & contusa: utpotè,

Herb.recent. Anethi, cum summit.
Rorismarini,
Menthæ crispæ,
Pulegii florescent.ana unciæ duæ semis,
Flor. Chamomillæ recent. unciæ quatuor,
Cortic. Arantior. recent.& extim. uncia una semis,
Baccar. Lauri recent.
Juniperi virid. ana uncia una,
Sem. Carui,
Coriandri,
Anisi, ana drachmæ sex,
Opii Thebaici drachmæ duæ.

Stent in Infusione die unâ, factaque pòst unâ atque alterâ ebullitione, in alembico vitreo, suo capitello munito, ut id, quod ebulliendo transit, reaffundi possit, colentur dùm adhuc parùm calent, & exprimantur species fortiter: *Oleo expresso* adde, & in eo liquefac, lenissimo calore,

Camphoræ drachmas sex,
Ol. still. Carui,
Fœniculi,ana drachmas duas.

Misceantur, & serventur pro interno æquè, ac externo usu. Verum Anodynum, & Carminativum *Oleum*; Colicis & Hystericis affectibus perquàm salutare est.

Oleum de Castoreo.

℞. Olei puri & recentis Olivarum libras duas;
huic immerganrur sequentia incisa & contusa:

Castorei pinguis recent. uncia una,
Rad. Pyrethri uncia semis,
Herb.recent.Rorismarini,
Sabinæ,
Salviæ, ana uncia una semis,
Cubebarum,
Piperis longi, ana drachmæ sex,
Caryophyllorum uncia semis,
Croci opt. drachmæ duæ,
Styracis Calam. uncia una,
Opopanacis,
Galbani, ana uncia semis:

Factâ maceratione brevissimâ, die circiter unâ, additaque duntaxat *Vini albi unciâ unâ, vel duabus*, fiat, in alembico vitreo, suo capitello munito, una atque altera ebullitio: id autem,quod ebulliendo transit, reaffundatur *Oleo*; coletur, dùm omnia paulisper refrixerint, & exigua humiditas adjuncta, prægressâ aliquali digestione, per residentiam tandem, decantationem, aut filtrum, uti suprà notatum, separetur; addendo ultimò

Olei Lavendulæ still.drachmam unam semis.

Servetur usui hoc præstans *Oleum*, ad omnes Nervorum & Cerebri frigidos affectûs, Convulsiones, Tetanum, Tremorem & Paralysin: contra Atrophiam, & Marasmum, perquàm utile accidit.

Oleum Hypnoticum, seu Anodynum.

℞. Olei Nympheæ, juxta n. modum super. facti, uncias tres,
Sem. Papaveris expressi unciam unam semis,
Hyoscyami expressi unciam semis:

His mixtis *Oleis* immergantur sequentia incisa & contusa: utpotè,

Croci Austriaci drachmæ duæ,
Majoranæ recent. uncia una semis,
Ladani optimi drachmæ duæ,
Opii Thebaici drachma una semis,
Vini albi boni uncia una:

Factâ maceratione brevi, fiat, in alembico, suo capitello munito, una saltem atque altera ebullitio: ea, quæ transit, paucula humiditas, reaffundatur, cùm omnia refrixerint: fiat pòst colatura, cum forti expressione; expressum à

pauxilla humiditate, prægressâ aliquali maceratione, per residentiam separetur: cui ultimò adde, & in eo liquefac

Olei Nucum Moschat. expressi unciam semis,
Ligni Rhodii still. drachmam unam semis:

Reponatur usui in vase benè clauso. Præstans est *Oleum* ad Somnum conciliandum, fronti, temporibus, ac naribus illitum; inflammationibus Capitis, & Podagricis doloribus sedandis, perquàm salutare est. Doloribus etiam Colicis, Dysenteriæ, Lienteriæ, cùm externè inunctum, tùm Clysteribus immixtum, cum summo emolumento subvenit.

Oleum Lacertarum contra Hernias.

℞. Olei Nucum Jugland. recenter expressi libras tres;
cui immergantur
Lacertarum viridium num. xxv.

& in eo suffocari & emori permittantur. Digerantur in vase vitreo, per diem integrum; coquantur deinde in alembico vitreo, apposito capitello, affusâ humiditate, quæ pertransiit, ubi omnia refrixerint. Fiat dein colatura, abjectis *Lacertis*: *Oleum* servetur, ad curandas Hernias præstantissimum: secretum, sanè, non, nisi Magnorum Principum; qui cur id multa annorum serie latere voluerint, ignoro. Inungitur eo locus affectus, ubi intestinorum irruptio ac provolutio deprehenditur, priùs repositis intestinis, superimpositâ dein *particulâ Omenti cujuscunque animalis*, hoc *Oleo* illatâ, ac, inspersis *Pulvisculis adstringentibus*, fit ligatura apto cingulo, ad prohibendam ulteriorem intestinorum irruptionem. Et verò, licet (prout secreta hujus *Olei* descriptio fert,) *Lacertarum maceratio*, uno mense insolando, peragi deberet, ad conciliandam, ipsâ morâ, infuso efficaciam; eam tamen non approbo. Tanto enim tempore *Lacertæ*, quæ à primâ, quâ descendunt, genesi, corruptioni vel maximè obnoxiæ sunt, (utpotè è putri generatæ) cooperante cùm Solis, tùm Olei, calore, & fluidâ omnium substantiâ, ad summum putredinis gradum, & cadaveris pestilens miasma, deducerentur: ut, unde remedium, & secretum, præstolaremur; arcano nos toxico & pestilenti fracedine, periclitari deprehenderemus. Accedit, quòd *spiritus vitæ*, *seminalis*, aut *Lacertarum* tam diuturnâ maceratione fatiscat, & dispereat; cùm tamen (me ita philosophante) ejus præsentia, ad effectum talem producendum, unicè desideretur. Hæc enim consolidatio, & cura, nequaquam sensibili, materiali, aut conspicuâ, actione perficitur; sed influxu purè spirituali, ac actione sympathetica; quatenus activitas *terroris alieni*, & *spiritus Mumialis Lacertarum*, per ejusmodi imagines, ac phasmata, spiritus vitales microcosmi, vel ipsas partes operativas viscerum, & partium, determinant, ut, juxta connaturalem, ac propriam sibi impressionem, se contrahant, & claudant, ac peregrinum spiritum arceant: unde naturaliter dein solidatio partis, & optata sanitas exoritur: quod non contingeret, si *spiritus hic Lacertarum*, præviâ animalis corruptelâ, migraret, aut formæ cadavereitatis succumberet. Quare, ut hæc Peritonæi constrictio, ac Herniarum cura, feliciùs succedat, brevem *Lacertarum* macerationem suaserim. Sufficiat, Te spiritum, suffocato in Oleo insecto, superstitem, compendioso labore nactum; nec salubrius quid à cadaveroso miasmate præstolére. Et licet *Scorpius* (qui tamen solidior *Lacertis* est, & non facilè putrescit) diu in *Oleo*, uti & *Scarabæi*, superesse videantur; suadet tamen ratio, & eos maturius eximere, ut tantò *purius Oleum* nanciscaris, vitam, & spiritûs, ipsius animalis possidens.

Oleum Moschelinum.

℞. Olei puri recent. libram unam semis;
cui immergantur sequentia, crassiusculè incisa, & contusa: utpotè,

Herb. Majoranæ,
Rorismarini,
Thymi, ana recent. uncia una semis,
Flor. Lavendulæ,
Spicæ,
Tunicæ rubr. ana recent. drachmæ sex,

Ca-

Caryophyllorum,
Cinamomi opt.
Cubebarum,
Cardamomi,
Macis,
Nuc. Moſchat. ana uncia ſemis,
Calami Aromat. uncia una ſemis,
Croci opt. drachmæ duæ,
Styracis Calamitæ uncia una ſemis,
Vini albi boni uncia una, vel duæ.

Fiat maceratio, per unius atque alterius diei intervallum; & deinde, in alembico vitreo, capitello ſuo munito, una & altera ebullitio: humiditas, quæ tranſit, ultimò reaffundatur; cùm refrixerit paulisper, fiat colatura, cum forti expreſſione ſpecierum: in expreſſo *Oleo* amplius diſſolve

Maſtichis electæ unciam unam ſemis,
Ol. Nucum Moſchat. expreſſi unciam ſemis:

Miſceantur exactè, &, ſeparatâ pauculâ humiditate, per reſidentiam, *Oleum* cuſtodiatur in vitro, vel vaſe benè obfirmato. Quòd ſi verò aliquis *Oleo communi Olivarum*, *Oleum Amygdalarum expreſſum*, vel etiam *Oleum de Been*, ſubſtituere vellet, longè præſtantius illud *Oleum Moſchel.* efficeret, virtute & fragrantiâ, ſeu odore grato.

Eſt *Oleum* præſtatiſſimum in frigidis affectibus Ventriculi, quem roborat, & calefacit; Colicis, ac Nervorum vitiis confert, Cerebrum inſuper roborat, & ab Epilepſiâ & Apoplexiâ præſervat. Internè, juxta ac externè, adhiberi poteſt.

Oleum Nervinum.

℞. Olei Olivarum recent. non rancidi, libras tres:

cui immergantur, ſucceſſu temporis, inciſa & contuſa ſequentia:

Gemmar. Populi arbor. recent. unciæ ſex,
Summit. Abietis, vel Laricis arb. (vulgò **Fehrene Gipfel**) unciæ tres, vel quatuor,
Herb. recent. Calaminth. mont.
Majoranæ,
Herb. recent. Meliſſæ,
Ivæ Artheticæ,
Origani,
Salviæ min.
Thymi,
Flor. recent. Chamomillæ,
Lavendulæ,
Spicæ, ana unciæ duæ,
Baccarum Lauri,
Juniperi virid. ana unciæ duæ ſemis.

Macerentur ſeptimanâ unâ, vel alterâ, donec omnia collecta, & immerſa ſunt. Poſtmodùm ebulliant parùm, in alembico vitreo, capitello ſuo munito, ut particula, quæ prodit, humiditatis reaffundi queat. Tùm fiat colatura, & fortis herbarum expreſſio; *Oleo* autem *expreſſo* ulteriùs adde

Lumbricorum terreſtrium vivorum, & lotorum, uncias octo:

Et, factâ adhuc unicâ ebullitione, in alembico, uti anteà, ſuo capitello appoſito; deinde denuò coletur: colato verò *Oleo* ſuperadde

Ol. ſtill. Majoranæ,
Salviæ, ana drachmas duas:

Fiat *Oleum Nervinum* efficaciſſimum.

Si ipſa hujus *Olei Nervini*, ut & aliorum præcedentium, & ſubſequentium Oleorum, Ingredientia, & Præparationes, inſpiciantur, & accuratâ conſiderentur, ſuſpensâ hederâ reverà opus non fuerit; quamobrem, in encomiis recenſendis, non eſt, ut longus ſim. Sufficit hîc, dixiſſe, quòd hoc *Oleum* ſit præſtantiſſimum in omnibus Nervorum affectibus frigidis: quod tamen, tantum abeſt, ut nimiopere calefaciat, ut potiùs virtute roborante, confortante, & penetrante, egregiè polleat.

Oleum Purgans.

℞. Olei Lini recenter expreſſi libram unam ſemis;

huic immergantur ſequentia minutim inciſa & contuſa:

Rad. recent. Bryoniæ,
Aſari,
Cucum. Aſinini, ana uncia una ſemis,

Rad. recent. Hermodact.
Ireos noſtrat.
Eſulæ, ana uncia una,
Herb. recent. Anethi,
Gratiolæ,
Malvæ,
Mercurialis,
Tanaceti, ana unc. duæ,
Corallinæ drachmæ ſex,
Flor. recent. Roſar. pallidar.
Myrrhæ rubræ,
Aloës hepaticæ, ana uncia una,
Pulpæ Colocynthid.
Sem. Cynæ,
Cataputiæ,
Ebuli, ana drachmæ ſex.

Factâ maceratione, die unâ vel alterâ, bulliant leniter, ad conſumptionem ferè humiditatis; colentur poſteà, exprimanturque ſpecies fortiter: ſeparetur *Oleum purum*, per reſidentiam: quod ad uſum ſeponatur; addendo tamen ultimò

Camphoræ drachmas duas ſemis.

Solvit alvum, umbilico inunctum, vel petiâ in eo intinctâ, & umbilico, aut toti ventri, ſuperappoſitâ: enecat vermes, eoſque expellit. Delicatis, purgantia interna abominantibus, puellulis, à ſymptomatibus vermium quaſi inſenſibilibus, aut medicamenta intrinſeca reſpuentibus, proficuum.

Oleum aliud Purgans.

Conficitur & aliud *Oleum purgans*, *per expreſſionem*, ſumendo nimirum.

Semin. Cataputiæ uncias duas,
Carthami,
Cucumeris Aſinini, ana uncias tres,
Ebuli uncias quatuor,
Lini uncias quatuor, vel quinque,

Ex his ſimul conquaſſatis, & contuſis, exprimatur, modo uſitato, *Oleum*, per prelum, fortiter; quod pro uſu ſervetur. Potenter alvum movet, umbilico illitum: educit vermes Infantum, ſi cum linteolis, in eo madefactis, ventri imponatur.

Oleum Scorpionum Alexipharmacum.

℞. Olei Olivarum recentis & puris libras tres,
vel, loco hujus,
Olei Amygdalarum dulcium, ſed ex tribus partibus Amygdalarum, & unâ parte ſemin. Rutæ expreſſi, tantundem ſubſtituatur.

Cui immergantur ſequentia, minutim inciſa atque contuſa:

Rad. Angelicæ,
Contrajervæ,
Imperatoriæ,
Zedoariæ, ana unc. una,
Herb. recent. Scordii noſtr. unc. duæ,
Rutæ hortenſ. uncia una,
Flor. recent. Hyperici unciæ tres,
Centaurii uncia una,
Sem. Citri drachmæ ſex,
Croci Auſtr. opt. drachmæ duæ,
Myrrhæ electæ uncia una,
Vini albi uncia una, vel duæ:

digerantur per dies aliquot; poſteà bulliant, in alembico, parum, ad prolectionem *exiguæ humiditatis*. Cùm refrixerint, *Oleum per expreſſionem* à ſpeciebus liberandum, & ſimilibus *recentibus Speciebus*, unà cum, à prima deſtillatione, aut coctione, prolectâ exiguâ quantitate humiditatis, reaffundendum; digeſtio per aliquot dies reiteranda, & humiditas, quemadmodum anteà, coquendo, per alembicum prolicienda eſt: *Oleum* deinde iterum exprimatur; &, ſi lubet, (quamvis mihil non neceſſarium videatur,) labor hic, cum *recentibus Speciebus* infundendo, deſtillando, & exprimendo, etiam tertiâ vice repetatur. Tandem injice in *Oleum hoc expreſſum*, & ab omni humiditate, per reſidentiam, ſeparatum,

Scorpiones vivos, diebus Canicularibus collectos, num. CC.

qui in iſto *Oleo* ſuffocentur, &, poſt brevem digeſtionem, aut unicam, in alembico, ebullionem, ac reaffuſionem pauxillæ iſtius humiditatis prolectæ, ſeparentur, ab *Oleo* quidem, colaturâ; ab humiditate autem, per reſidentiam: addanturque

Olei

Olei ſtill. Rutæ,
Cortic. Citri, ana drach. una,
Juniperi drachmæ duæ:
Fiatque *Oleum Alexipharmacum* præſtans. Efficax eſt in morbis Contagioſis Peſtilentibus, Febribus Malignis Petechialibus, pulſibus, regioni cordis, & ſpinæ dorſi inunctum, repetitis vicibus. Venenatorum animalium morſibus Medicina eſt, Venenis oretenus aſſumptis adverſatur: aliquot guttularum doſi propinatum.

Oleum Stomachicum.

℞. Olei Olivarum recent. & clari libras duas:
cui immerge ſequentia, minutim concisa contuſaque, ſcil.
Herb. recent. Abſinth. noſtr.
Menthæ criſpæ,
Roriſmarini,
Salviæ, ana unc. tres,
Rad. recent. Calami Aromat. unc. duas,
Baccar. Juniperi virid.
Lauri,
Styracis Calamitæ, ana unciam unam ſemis,
Cinamomi opt. unciam unam,
Caryophyllorum drachmas ſex:
Factâ digeſtione brevi, ebulliant parùm, in alembico vitreo, ſuo capitello munito, ut pauca, quæ tranſit, humiditas reaffundi queat reſiduo: Coletur tandem *Oleum*, dùm adhuc parumper calent, *Speciesque* exprimantur: expreſſo, colato, & à reſidentia, poſtquàm aliquandiu quiete ſteterit, ſeparato, vel decantato *Oleo* adde, ac in eo liquefac,
Maſtichis electæ uncias duas,
Ol. Nuc. Moſchatar. expreſſi unciam ſemis, vel unam integram:
Miſceantur exactè, leni in calore; fiat *Oleum Stomachicum* nobile, cùm externo, tùm interno uſui deſtinatum. Confortat enim Ventriculum, concoctionem adjuvat, & flatus pellit, atque diſcutit.

Olea Expreſſa.

Quo modo, & qua ratione, illa *exprimantur*, cuilibet experto Pharmacopœio notum accidit; ac in uſitatiorum numero, quæ in Officinis habentur, merito proſtare debent. Sunt autem ſequentia:

Oleum Amygdalarum Dulcium,
Amygdalarum Amararum,
de Been,
Hyoſcyami Sem.
Laurinum,
Sem. Lini,
Nucum Moſchat.
Sem. Papav. Albi,
Naſturtii,
Ovorum ex Vitellis.

Quibus hæc uſibus deſtinentur, ac viribus polleant, *Pharmacopœia noſtra Auguſtana, Animadverſionibus locupletata,* uberrimè demonſtrat. Quare ulteriori explanationi non inſiſto, nec dicta atque ſcripta, tædioſo Auditorum labore, recolam. Sed libet nonnulla *Compoſita Olea,* è paucis tamen rebus expreſſa, *Fructibus* nimirùm, & *Seminibus*, hîc ſuperaddere; quæ, licet hucuſque ignota ferè fuerint, ſuis tamen virtutibus eximiis non ſunt deſtituta; imò multis morbis, tàm intra, quàm extra corpus, exhibita, levamen non minimum afferre poſſunt; & ſunt ſequentia:

Oleum ad Calculum, Expreſſum.

℞. Amygdalar. Amararum,
Nucleor. Perſicorum, ana ſiccat. & excorticat. libram unam,
Sem. Cæparum,
Naſturtii,
Thlaſpios,
Urticæ, ana uncias quatuor:
E contuſis omnibus exprimatur, lege artis, leni calore, *Oleum*, quod pellendo calculo, illique comminuendo, ac proprietate ſubſtantiæ reſiſtendo, non parvæ operationis eſt. *Doſis drachma ſemis, ad drachmam unam, & duas.*

Oleum Carminativum Expreſſum.

℞. Amygdalar. Amararum excortic. libram unam,

Sem. Carui ſiccati uncias quinque,
Fœniculi unciam unam ſemis,
Coriandri unciam unam,
&, ſi libuerit,
Macis drachmas ſex, vel unciam.

Ex mixtis & contuſis omnibus exprimatur, ſ. a. *Oleum* præſtans, ad flatus diſcutiendos, tollendos, ſedandos, vel internè, ad drachmam unam, in vehiculo convenienti exhibitum; vel externè, linteolis eò irroratis, & regioni ſtomachi, ac unà umbilici, applicatum.

Oleum Antepilepticum Expreſſum.

℞. Nucleor. Perſicorum excort. libram ſemis,
Ceraſorum unc. duas ſemis,
Sem. Pœoniæ excort. uncias duas,
Bardanæ majoris,
Baſilici, ana unciam unam,
Cubebarum,
Caryophyllorum, ana drachmas ſex:

Ex contuſis & mixtis invicem exprimatur *Oleum*, ſ. a. quod præſtat in affectibus Cerebri frigidis, Epilepſiâ, Apoplexiâ, Lethargo; non ſolùm externâ inunctione temporum, verticis, & nuchæ; verùm etiam ab intra receptum, & ori immiſſum.

Oleum Purgans, & contra Vermes, Ex-*preſſum.*

℞. Sem. Lini recent. libram unam,
Ebuli,
Cucumeris Aſinini,
Sem. Cataputiæ,
Cynæ, ana uncias tres:

hæc mixta ſemina contunde, contuſa in loco tepido, per unum atque alterum diem, relinque, quò ſe invicem amplectantur: tandem ex omnibus ſimul exprime *Oleum.* Hoc externè, umbilico inunctum, alvum movet, & vermes expellit.

Oleum Stomachale Expreſſum.

℞. Amygdalar. Amarar. decorticat. libram unam,
Sem. Carui uncias tres,
Macis,
Nuc. Moſchatar.
Caryophyllorum, ana uncias duas:

exprimatur ex omnibus, mixtis & contuſis, *Oleum*; quod præſtat in affectibus Ventriculi frigidis; quem roborat, digeſtionem promovens, & nauſeam, cum vomitibus ſpontaneis, compeſcens.

Quibus paucis, ac recens inventis, etiam huic *Claſſi* Colophonem impono: in quâ certè non exigua, ſed eximiis virtutibus prædita, *Balſama*, & *Olea*, omnis generis, contra, & adverſus diverſorum morborum genera, exhibui; dexterrimis, paratuque facillimis præparationibus annexis: ut quodlibet ſuis virtutibus prægnans, neutiquam mutilatum, aut caſtratum, in promptu habeatur; quæ ob id quoque, ad ſubſequentis *Claſſis Vnguenta* præſtantiora conficienda, multum conferre poſſunt. Ut ergò boni æquique conſulantur, tanquam proximo in reliquis ſaluberrima, pervelim.

PHAR-

PHARMACOPOEIÆ REGIÆ

CLASSIS DECIMA SEPTIMA,

Unguentorum Structuram Studiose describens.

Unguenta inter externa remediorum genera collocantur, & ex variis rebus, utplurimùm unctuosis Oleis videlicet Simplicibus, & Coctis, nonnunquam & Destillatis, Axungiis identidem, Pinguedinibus, Cerâ, Resinâ, Gummat. Terebinthinâ (quæ veluti corpora Unguentorum sunt,) aliisque rebus quàm plurimis, partim Vegetabilibus, partim Animalibus, partim Mineralibus, prædictis unctuosis, pro re natâ, commiscendis, diversimodè parantur. Horum hac Classis plures est exhibitura Compositiones; quas dextrè & ordinatè describendas in me suscepi.

Pro majori tamen dilucidatione, quænam, in dexterioribus Unguentorum præparationibus facta, observatuque necessaria sint; ea non solùm in Animadvers. n. ad quamlibet ferè Unguentorum Compositionem, *sigillatim factis; verùm maximè, & fundamentaliter*, in Appendice n. super prædictas Animadvers. pag. 37. & 38. (*licet carptim*) *præmissa sunt. Quæ cùm sint digna, ut legantur, ad majora, quæ ad genuinam medicamentorum compositionem & præparationem pertinent, investiganda Lectorem incitabunt. Benev. Lector non gravetur ea consideratè perlegere: haud enim operæ Lectionis pœnitebit.*

Unguentum Ægyptiacum.

℞. Mellis, cum succo Plantag. & Millefolii, despumati, & cocti, lib. unam,
Pulv. Crystall. æruginis, s. viridis æris, cum aceto parat. uncias duas,
Acuti Sambucini, vel Rosacei, unciam unam semis,
Succi Millefolii,
Plantaginis, ana recent. express. & depurat. unciam unam;

Coquantur igne paulò validiore, ad consistentiam Mellis, & *Unguenti* liquidioris, ulceribus malignis, & sordidis detergendis valdè proficui.

Unguentum Alabastrinum, vel de Alabastro.

Ejus dexterrima Compositio, & præparatio, petatur *ex Append. n. ad Animadvers. & ipsam Classem hanc Unguentorum, pag.* 38. quo loco quoque plura observationem merentia, *de Unguentorum præparationibus*, annexa sunt.

Est *Unguentum* Cephalicum præstans, cuivis dolori Capitis conferens. In Febribus tertianis, calidis, ardentibus, summè salutare est, si spina dorsi, tempora, frons, & plantæ pedum, illo inungantur.

Unguentum Album.

℞. Cerussæ Venet. cribratæ libras duas,
Olei Sambuci ex floribus,
Aceti Sambuci n.m. parati, ana libram unam semis:

Coquantur in sartagine, igne lenissimo, spatulâ continuò agitando, ad consistentiam *Unguenti*, in quo liquefac

Ceræ albæ uncias quatuor (si opus fuerit,)

&, ubi penitùs refrixerint,

Albuminum ovor. conquassatorum, & in aquam denuò resolut. num. v.

diu multumque agitando misceantur:

item,

Pulv. Olibani albiss. & subtiliss. triti, uncias tres:

Fiatque *Unguentum*; ad sedandas inflammationes, erysipelata, & combustiones, efficacissimum.

Un-

Unguentum Album Camphoratum.

EX præcedenti *Vnguento* parari poterit: admiſcendo illi ultimo, ubi planè refrixerit,
Camphoræ unciam unam,
in
Olei Roſarum ſ. q. ſolutam;
& evadet, ad præfatos effectus, adhuc efficacius.

Unguentum de Althæa Simplex.

℞. Rad. Althææ recent. libram unam,
Sem. Fœnigræci,
Lini, ana libram ſemis:
Coquantur cum ſufficiente q. Aquæ ſimplicis, ad mucilaginem: mucilaginis pòſt colatæ, & expreſſæ, accipe libras tres; cui adde,
Axungiæ Suillæ caſtratæ,
vel
Butyri recentis, libras ſex,
Pulv. Rad. Curcumæ unciam unam.
Coquantur leni igne, ſpatulâ continuò agitando, ad conſumptionem mucilaginis, quodque reſidet à mucilagine, craſſamentum, picis inſtar indiſſolubile, colaturâ, per linum & qualum, ſeparando; deindè adde
Ceræ flavæ uncias ſex,
Terebinthinæ uncias tres,
Reſinæ albæ puræ uncias quatuor,
Pulv. Rad. Curcumæ q. ſ. pro colore flavo.
Omnibus invicem liquatis, leni igne, ſine ulteriori coctione, colentur adhuc ſemel per linum atque qualum; quemadmodum ſuprà: ſerveturque uſui.

Eſt *Vnguentum* ſimplex, ſed ſatis familiare. Emollit & humectat; pectoris dolorem à frigore contractum abolet; laterum doloribus & puncturis feliciter, & cum ſucceſſu, medetur: in contracturâ, & exſiccatione nervorum, externæ quoque inunctionis medio perquàm utile.

Unguentum Apoſtolorum.

℞. Terebinthinæ claræ & liquidæ uncias quatuor:
in quâ liquefac
Pulv. Gummi Ammoniaci unciam unam ſemis,
Opopanacis,
Galbani, ana unciam ſemis,
Maſtichis drachm. ſex;
quibus leniter liquefactis adde paulatim ſequentia tria, pariter jam tùm, in aliâ ſartagine, colliquata, & per linum qualumque colata: utpotè,
Reſinæ albæ bonæ,
Ceræ flavæ odoratæ, ana uncias tres,
Olei Terebinthinæ rubri, deſtillati per retortam, (quod benè obſervetur) unciam unam ſemis;
nec non ultimò,
Pulv. Ariſtoloch. longæ,
Thuris albi,
Myrrhæ, ana ſubtiliſſ. trit. drachmas ſex,
Sacchari Saturni reſolubilis unciam ſemis,
Cryſtall. æruginis, ſeu viridis æris, cum aceto deſtill. parat. drach. decem:
Fiatque *Vnguentum* Vulnerarium, hoc modo, præſtans & laudabile, omnis generis nervorum, & oſſium, Vulneribus, quibus unctuoſa & oleaginoſa contraria ſunt, atque nociva, accommodatiſſimum, & ſalutare. Quamobrem quilibet Pharmacopœus *Oleum Terebinthinæ flavum & rubrum deſtillatum*, paratu facile, & levis pretii, ſibi procurare, & parare debet, ut id, tanquam, per ſe, *validiſſimum Vulnerarium Oleum*, in promptu ſemper habeat.

Unguentum ad Ambuſta.

℞. Butyri recentis, non ſaliti libras duas,
Olei Olivarum recentis,
vel, hujus loco,
Olei Sambuci, aut Roſarum, libram unam;
quibus immergantur
Granorum Juniperi viridium immaturorum conquaſſator. libra una,
Flor. recent. Sambuci unciæ ſex,
Roſar. recent. pallid. vel alb. unciæ quatuor;

Factâ

Factâ maceratione, diebus aliquot, tandem, paucis ebullitionibus peractis, coletur: colato adde

Album. Ovorum uncias quinque.

Misceantur, conquassando sedulo, ut fiat *Vnguentum*, seu *Linimentum*, album, præsentissimum remedium ad Ambusta omnia. Singularis autem requiritur modus utendi. Patienti ergò sæpiùs, & multoties. de die, & nocte, locus ambustus, hoc *Vnguento*, plumâ, vel pennâ gallinæ inungatur; non adhibitis ligaturis: sed linteolo raro pars ambusta leniter contegatur, donec crustæ sponte decidant, & ita illa ad sanitatem reducatur.

Aliud, ad eadem.

℞. Baccarum Juniperi viridium libram unam,
Cremoris Lactis (vulgò Milchramb) recentis, non acidi, sed in recenter emulso lacte in superficie facti, libras duas, vel plus.

Coquantur simul leni igne, baccis priùs conquassatis, in *Vnguenti* mollis formam, nec nimium, ne comburatur: coletur postmodùm, & efficiatur *Vnguentum*; quò locus ambustus, primâ die, singulis propemodum horis, secundâ die, singulis alternis, & tertiâ, ternis singulis, vel quaternis horis, leniter inungatur, pennulâ gallinæ; partes ambustæ non obvolvantur multùm fasciis, sed saltem linteolo, foraminulis pervio, obtegantur, ut semper spatium exhalandi habeat calor. In eo enim multi impingunt Chirurgi, quòd ambusta, & inflammata Vulnera, ipsasque inflammationes, quacunque parte fuerint, à pulvere Pyrio, oleo, vel aquâ, fervidis, factas, nimioperè, suis ligaturis, emplastris, & unguentis, etiam naturâ suâ & actu calidis, occludunt, quò minus calor exhalare, & inducto, ab ustionibus, empyreumate, transpirare fuligines queant; quæ sic, obstrictis poris, coërcitæ, facilè calorem partis ustæ naturalem afficiunt, moxque subigunt & extinguunt: unde periculosa, si non lethalis, gangræna exoritur; quod non semel contigit observare, & videre.

Vnguentum Anodynum.

℞. Olei Nymphææ alb. flor.
Rosarum,
Lilior. alborum,
Chamæmeli, ana juxta n. m. parat. uncias duas,
Papav. alb. expressi unciam unam semis,
Hyoscyami express. drachm. sex,
Pinguedinis Anatis,
Gallinæ, ana recent. unciam unam semis,
Ceræ flavæ uncias tres:

Misceantur lenissimo igne, ut tantùm liquefiant; quibus immergantur

Flor. Nymphææ alb.
Sambuci, ana recent. unciæ duæ,
Herb. recent. Solani unciæ tres,
Croci opt. drachmæ duæ:

Factâ maceratione, brevi aliquot dierum spatio, donec nimirum omnia recentia collecta & immersa sint, bulliant parùm, in alembico vitreo, suo capitello firmato, ut, quæ omnium primò transit, humiditas, Unguento post confecto, vel colato, reaffundi possit. Et cùm parùm à fervore, in alembico, remiserint, adhuc calidè fiat colatura cum expressione, immisceaturque, quæ *primitus, bulliendo in alembico, humiditatis uncia una semis, circiter*, exstillavit; & agitando fiat *Vnguentum*: quod dolores mitigat, in quacunque parte corporis; unde & nomen suum sortitur.

Vnguentum de Arthanita Purgans.

℞. Butyri Majalis recent. non saliti libras duas,
Olei Lini recenter expressi lib. semis:

His mixtis immergantur successivè, incisa & contusa sequentia:

Rad. recent. Cucumeris Asinini unciæ tres,
Cyclaminis,
Ireos nostrat.
Bryoniæ, ana unciæ duæ,
Asari uncia una semis,

Herb.recent. Mercurialis unciæ tres,
Anethi,
Pulpæ Colocynthidis, ana uncia una semis,
Sem. Cataputiæ,
Ebuli,
Myrrhæ el. rub. ana uncia una,
Fellis Tauri liquid. recent. unciæ tres:

Factâ maceratione, donec omnia successivè, & recenter, collecta sint, coquantur leniter, ad humiditatis propè exhalationem, ut tamen aliquid saltem de humido remaneat: factaque pòst colaturâ, cum forti expressione specierum infusarum, expresso *Vnguento*, adhuc liquido, calenti adde, & in eo liquefac

Ceræ flavæ novæ uncias tres:

pòst pulveres sequentes, sub continuâ agitatione, inspergantur:

Pulv. Aloës hepaticæ,
Salis Gemmæ, ana uncia una,
Colocynthidis,
Scammonii,
Turbith,
Caryophyllorum, ana drachmæ sex,
Ol. Ligni Rhodii, pro odore grato, drachma una.

Misceantur, fiat *Vnguentum* purgans, quod, stomacho illitum, uti fertur, per superiora, vi vomitûs, purgat; umbilico verò, vel hypogastrio, inunctum, alvum dejicit. Ut ut sit, movet alvum, putamini juglandis inditum, & umbilico alligatum; simulque vermes enecat & exturbat. Non autem ab intrò, sed saltem deforis, iis, qui purgantia medicamenta sumere nequeunt, adhibendum est.

Unguentum Aureum Vulnerarium.

℞. Ceræ Citrinæ novæ odorat. unc. tres,
Olei Terebinthinæ rubri, vel flavi, per retortam destillati, uncias octo,
Terebinthinæ claræ uncias duas,
Resinæ albæ uncias duas semis,
Mastichis electæ unciam unam,
Colophoniæ unciam unam semis.

His omnibus liquatis, ac per linum & qualum colatis, superinsperge, dùm adhùc parùm calent,

Pulv. Thuris albi in granis subtilissimi unciam unam semis,
Myrrhæ rubræ translucidæ & subtil. unciam unam,
Croci optimi drachmas duas, vel tres.

Confice, secundum artem, *Vnguentum*; quod, si in usum jam trahi debet, *Vitello ovorum* permisceri potest, ad formam *Vnguenti digestivi*.

Aureum Vnguentum est, colore, & re, seu virtute. Omnia enim Vulnera tutò, & salubriter sanat; præcipuè, quæ partibus nervosis, ubi unctuosa, seu oleaginosa, obsunt, infligi contingat.

Vnguentum Carminativum.

℞. Axungiæ Porcinæ recentis libras duas,
Olei Chamæmeli n. m. parati libram unam,
Ceræ flavæ odoratæ uncias tres, vel quatuor:

quibus invicem leniter liquatis immergantur, successu temporis, & per vices, sequentia:

Summitat. recent. Anethi,
Majoranæ,
Rorismarini,
Pulegii, ana unciæ duæ,
Flor. recent. Chamæmeli Rom. unciæ tres,
Sambuci unciæ duæ,
Lavendulæ,
Sem. Anethi,
Anisi,
Carui,
Coriandri,
Cumini,
Fœniculi, ana uncia una,
Macis,
Nuc. Moschatar. ana drachmæ sex,
Styracis Calamit. uncia una semis:

Stent in infusione, septimanâ unâ vel alterâ; factaque post unâ alterâve ebullitione, colentur, & exprimantur Species: expresso adde

Camphoræ unciam unam,
Ol. still. Anisi,
Carui,

Ol.ſtill. Chamæmeli,
Fœniculi, ana drachm. duas,
Majoranæ drachm.unam.

Fiat *Vnguentum* nobile, tàm clamoſos Infantium abdominis, quàm Adultorum colicos, & hyſtericos dolores inſigniter compeſcens; cùm intra corpus ſumptum, tùm externè, regioni umbilici, non attingendo ventriculum, inunctum; vel etiam gutturi inferiori immiſſum.

Vnguentum Cephalicum.

℞. Axungiæ Porcinæ recent. libras duas; cui ſucceſſu temporis, immergantur ſequentia, inciſa & contuſa:
Gemmar. Populi arbor. recentium unciæ tres,
Herb. recent. Betonicæ,
Baſilici,
Majoranæ,
Menthæ aquat.
Roriſmarini,
Rutæ, ana unc. una ſemis,
Fol. recent. Nucis Juglandis,
Flor. recent. Acaciæ,
Keiri,
Lavendulæ,
Perſicorum,
Roſar. Damaſcen.
Sambuci,
Tunicæ, ana unciæ duæ,
Croci Auſtr. vel Orient. uncia ſemis.

Stent in infuſione, in cellario, donec omnia collecta & immerſa ſint: factâ pòſt aliquali ebullitione; non verò ad totalem humiditatis exhalationem, in alembico quidem vitreo, ſuo capitello munito, ut id, quod tranſit, ſequenti pulti parandæ inſervire poſſit, colentur, & exprimantur ſpecies: expreſſo adde pulpam ſequentem

℞. Nucleorum Perſicor. unc. duas ſemis,
Ceraſorum unciam unam ſemis,
Camphoræ unciam ſemis;

Contundantur optimè in mortario, cum ſuff. q. Aquæ ſuperiùs, in ebullitione & coctione per alembicum, aſſervatæ, ad pultis ſubtiliſſ. formam; quæ per ſetaceum cogatur, ac ſuperiori *Vnguento* expreſſo viridi, & odorifero, ſub continuâ agitatione, uniatur, addendo adhuc

Olei ſtill. Majoranæ drachmas duas,
Nuc. Moſch. expreſſi unc. unam,
Lapid. Alabaſtri præpar. uncias duas, vel tres.

Fiat *Vnguentum* nobile, Capitale ſeu Cephalicum, fronti, temporibus, & occipiti, applicandum. In doloribus Capitis continuis, Cephalæâ, Hemicraniâ, Febribus continuis, Tertianis, & Ardentibus, utiliter adhibetur.

Vnguentum Clyſmaticum.

℞. Butyri Majalis recentis libras quatuor; cui immergantur inciſa & contuſa ſequentia:
Rad. recent. Liliorum albor.
Bryoniæ,
Cucumeris Aſinini,
Cyclaminis,
Ireos noſtrat. ana unciæ tres,
Herb. recent. Mercurialis,
Meliloti,
Anethi,
Tanaceti,
Flor. recent. Chamæmeli,
Roſar. pallid. ana unciæ tres ſemis,
Sem. Ebuli recent. uncia una ſemis,
Carthami uncia una,
Anethi drachmæ ſex:

Factâ maceratione, donec omnia & ſingula collecta, atque butyro immerſa ſint, coquantur leniter uſque dum humiditas, pro maxima ſui parte, exhalârit: colentur, & exprimantur ſpecies fortiter. Fiatque hoc pacto *Vnguentum* Lenitivum & emolliens. Adhibetur ad Enemata; aut externè, ad ventrem illo [illegible]inendum: quomodo alvum blandè movet ac ſubducit; præduraſque emolliendo fæces, eandem lubricam reddit.

Vnguentum Comitiſſæ Adſtringens.

℞. Rad. Tormentillæ,
Biſtortæ,

Rad. Cyperi rotundi,
Cynogloſſi, ana unciam unam ſemis,
Saniculæ unciam unam,
Herb. Equiſeti,
Millefolii floreſcentis,
Perfoliatæ,
Pyrolæ,
Hyperici,
Fol. Quercus,
Pruneoli ſylv.
Hederæ arboreæ, ana unciam unam ſemis,
Nucum Cupreſſi,
Baccarum Myrti,
Gallarum Turcicarum, ana unc. unam,
Glandium Quercus unc. unam ſemis,
Calicum Glandium unciam unam,
Cort. med. Caſtan. aſſat. drachm. ſex,
Quercus arb. unc. unam,
Prunorum ſylveſtr. ſiccat.
Sorborum immaturor. ſiccat. ana uncias duas:

Inciſa & contuſa coquantur in Aq. ſimpl. libris ſex, ad medietatis conſumptionem; colentur, & decoctum interim aſſervetur: ſpecies relictæ à decoctione, & à colatura, immergantur in

Axungiæ Porci,
Ol. Myrtillorum, ana librâ unâ ſemis,
Ceræ flavæ unciis octo,

priùs invicem liquatis, & leniſſimo calore permixtis: factaque pòſt maceratione, per aliquot dies, & addito tandem decocto ſuperiùs aſſervato, coquantur leniter, ad conſumptionem propemodùm totalem humiditatis; quo expedito, inſtituatur colatura, cum forti ſpecierum expreſſione: Expreſſo huic *Vnguento* porrò adde, immiſcendo,

Succor. Acaciæ,
Hypociſtidis, ana drach. ſex,

ſolutorum ad pulticulam priùs, in particulâ ſuperioris decocti, ad ſolutionem hanc ſtudio aſſervati;

Item

Pulv. Maſtichis,
Olibani,
Succini albi, ana unc. unam ſem.
Pulv. Tormentillæ,
Biſtortæ,
Sanguin. dracon. ana unc. unam,
Cort. med. Caſtan. drachm. ſex:

Fiatque *Vnguentum* debitæ conſiſtentiæ.

Hoc valet ad Menſtrua ſuperflua ſupprimenda, & Abortum prohibendum; Hæmorrhoidum ſuperfluum fluxum, Dyſenteriam, Lienteriam, & Diarrhæam immoderatam, ſiſtit atque compeſcit. In Herniis ſanandis, efficaciæ permagnæ cenſetur, ab extra ſaltem applicatum.

Vnguentum Cordiale.

℞. Axungiæ Porcinæ recent. libram unam ſemis;

cui immergantur, ſucceſſu temporis, ſubſequentia, minutim priùs inciſa, & contuſa: nempe,

Herb. recent. Meliſſæ citratæ,
Baſilici,
Roriſmarini,
Majoranæ,
Flor. recent. Borraginis,
Bugloſſæ,
Arantiorum,
Lavendulæ,
Tunicæ, ana uncia una ſemis,
Roſar. fragr. unciæ tres,
Violarum Martialium uncia una,
Cortic. Arant.
Citri, ana recent. & extim. drachmæ ſex,
Croci Auſtr. vel Or. drachmæ duæ,
Cinamomi optimi acuti,
Caryophyllorum,
Macis,
Nucum Moſchat. ana uncia ſemis,
Ligni Aloës gum. drachmæ duæ.

Peractâ maceratione brevi, & poſtquàm omnia collecta fuerint, coquantur parùm in alembico vitreo, capitello ſuo munito, & recipiente præpoſito, non ad totalem, ſed aliqualem, humiditatis exhalationem vel prolectionem; quæ ipſa tamen exſtillata humiditas Uuguento ultimò colato

colato addi poteſt. Ulterius fiat colatura cum forti expreſſione ſpecierum; inque expreſſo & colato ſolve

Reſinæ Styracis calamitæ,
Pulv. Benzoës opt. ana drachm. ſex,

His ſolutis porrò adde

Ol. Nucum Moſch. expreſſi drach. ſex,
Ligni Rhodii ſtill.
Extracti Croci opt. ana drachm. duas.

Ex omnibus benè mixtis fiat *Vnguentum* Cordiale, præſtans, cui & *Ambra*, & *Moſchus*, pro placito adjungi queunt: tàm recreandorum, per odores acceptabiles, ſpirituum gratiâ, quàm pro ditiorum exigentia.

Præſtantius etenim, & excellentius, *Vnguentum* Cordiale, hoc, vix reperies ullum; quod ita in omnibus debilitatibus Cordis, Lipothymiis, Animi defectionibus, Morbis malignis, & calidis, Peſtilentibus ipſis, utroque ſexui, excellentiſſimè medetur: eoque non ſolùm Cordis regio, ſed & Pulſus, & vola Manûs, ſpina Dorſi, & Tempora bina, inungi ſæpius debent.

Unguentum Hepaticum.

℞. Axungiæ Porcinæ recent. libras duas ſemis;

cui immergantur ſequentia, inciſa atque contuſa, ſucceſſu temporis; utpotè,

Rad. Apii recent.
Enulæ,
Fœniculi,
Calami Aromat.
Pimpinellæ,
Cichorii,
Rubiæ tinctor. ana recent. uncia una,
Herb. Abſinthii,
Agrimoniæ,
Chamædryos,
Betonicæ,
Hepat. Nobilis,
Naſturtii hortenſ. ana recent. uncia una ſemis,
Flor. recent. Roſar. rubr. unciæ tres,
Papav. errat. uncia una ſemis,
Baccarum Lauri,
Juniperi virid. ana unc. una,
Myrrhæ rubræ,
Sem. Naſturtii, ana drachmæ ſex,
Fœniculi,
Santali rubri raſpati, ana uncia ſemis.

Peractâ maceratione, poſtquàm omnia collecta fuerint, coquantur ad aliqualem humiditatis exhalationem, &, ſi lubet, in alembico vitreo, capitello ſuo munito; uti ſæpiùs monui: fiatque pòſt colatura & expreſſio; colato & expreſſo adde

Pulv. Gum. Ammoniac. uncias duas,
ſoluti cum ſ. q.
Vini albi, ad pultis formam;
item
Camphoræ unciam unam,
Ol. Ligni Rhodii ſtill. drachmas duas,

Et fiat ex omnibus, legitimè mixtis, *Vnguentum* Hepaticum, aperiens & roborans. Aperit obſtructiones Hepatis, & Lienis, conſtatque virtute confortandi dicta viſcera, ab extrà applicatum: multò præſtantius eſt *Vnguento*, aut *Emplaſtro Santalino*; quemadmodum ingredientia ipſa, ejuſque legitima præparatio, demonſtrant.

Vnguentum ad Hæmorrhoides.

℞. Rad. Tormentillæ,
Cyperi rot.
Ireos Flor. ana unciam unam,
Liquiritiæ unciam ſemis,
Herb. Plantaginis,
Millefolii,
Equiſeti,
Hyperici,
Pyrolæ, ana recent. unc. duas,
Linariæ recentis uncias tres,
Flor. Roſar. rubr. unc. unam ſemis,
Verbaſci,
Papav. errat.
Sambuci, ana unciam unam,
Croci optimi drachmam unam ſemis, vel duas,
Succi Acaciæ unciam ſemis,
Opii Thebaici drachmas duas.

Inciſa & contuſa coquantur in ſ. q. Aquæ Cha-

lybeatæ, ſeu Fabrorum, ad reman. libræ unius ſemis; coletur: colaturæ adde

Mellis roſati ſimplicis libram unam ſemis.

Coquantur porrò ad exhalationem decocti, & ad priſtinam Mellis conſiſtentiam; cui tandem adde, & immiſce

Vitell. ovorum num. III.
Olei ovorum, è vitellis expreſſi, unciam unam ſemis,
Pulv. Olibani,
Sang. Draconis,
Succini albi, ana ſubtiliſſ. trit. drachmas tres,
Flor. Verbaſci,
Sambuci ſubtiliſſ. ana unciam ſemis,
Roſarum ſubtiliſſ. drach. ſex,
Croci Martis adſtringentis,
Croci Auſtr. opt.
Sacchari Saturni, ana drachmas duas:

Fiat, omnibus l. a. mixtis, veluti *Opiatum*, ſeu *Vnguentum* præſtans ad acerbiſſimos Hæmorrhoidum dolores placandos, eorum inflammationes retundendas, fluxumque nimium ſiſtendum.

Unguentum Aliud Hæmorrhoidale, de linaria dictum.

℞. Butyr. rec. Majalis libras duas; cui immergantur
Herb. Linariæ (veræ, non lacteſcentis, ad differentiam Eſulæ) recentis, & contuſæ, unciæ octo:

Factâ maceratione, diebus aliquot, fiat, ebullitione unâ atque alterâ prægreſsâ, colatura, cum forti expreſſione, calidè. Expreſſo Butyro porrò

Linariæ recentis conſciſſæ, & contuſæ, unciæ octo

immergantur, digerantur leniter, coquanturque paucis ebullitionibus, & iterum exprimantur: quæ Infuſio cum

Linariæ recentis conciſſæ, & conquaſſatæ, unciis octo

tertiâ vice repetatur. Hinc, maceratione peractâ, coquantur leniter, pro potiori, non tamen totali, humiditatis exhalatione. Colaturâ tandem factâ, cum forti expreſſione, ſervetur *Vnguentum* hoc viride, per ſe, ſine additione aliâ, donec in uſum trahatur; cujus demùm *ſingulis circiter duabus unciis*, *vitellus ovi unius*, *Pulv. Olibani ſubtiliſſ. drachma una ſemis*, *Pulv. Roſar.* & *Sambuci*, *item Pulv. Croci, ana drachma una* circiter admiſceri poſſunt. Quod præſtat in doloribus, & tumoribus, venarum Sedis ſedandis, repetitâ applicatione.

Vnguentum aliud Hæmorrhoidale.

℞. Rad. recent. Tormentillæ,
Biſtortæ,
Saniculæ,
Symphyti maj.
Liquirit. ana unc. unam,
Herb. recent. Millefolii,
Plantag. min.
Hepatic. nobil.
Pyrolæ,
Achimillæ, ana M ij.
Flor. Roſar. rubr. drachm. ſex,
Verbaſci,
Sambuci,
Balauſt. ana unciam ſemis,
Antimonii crudi pulv. & in petia ligati, uncias quatuor.

Fiat cum ſ. q. aq. ſimpl. repetitis vicibus affuſæ, decoctio, ad totalem virtutum extractionem: decoctiones junctim clarificentur, & ad ſpiſſitudinem Mellis, ſeu Extracti, leniter, in patella ferrea, vel in diplomate, evaporent.

Huic decocto inſpiſſato, ſi fuerint unciæ quatuor, adde
Mellis Virginei albi craſſi, & nunq. cocti, ſed legitimè, uti ſuperiùs, ex alveolis extracti, unc. octo, vel decem,
Terebinthinæ claræ uncias duas, ſ. tres, in qua ſolutæ ſint
Gummi Elemi,
Maſtichis, ana unc. ſemis,
Balſami Vulnerarii Martial. ſuperiùs deſcripti, uncia una ſemis;

Qui-

Quibus omnibus exactè mixtis ſuper inſpergantur ſequentes Pulveres: utpotè,

Pulv. Olibani ſubtiliſſ. uncia una,
Flor. Sambuci,
Verbaſci,
Roſar. rubr. ana drach. tres,
Lapid. Calaminar. cum ſucco Millefolii præparat.
Tutiæ, cum ſucco Plantaginis præparatæ, ana drachm. ſex,
Sacchari Saturni ex Minio parat. drachmæ tres,

Miſceantur omnia exactè; fiatque *Vnguentum* præſtans; cujus virtutes ex ſuperiori patent.

Unguentum Infrigidans, ſeu Refrigerans Galeni.

℞. Olei Roſacei ritè parati libram unam,
Ceræ albæ uncias tres:

his liquatis immergantur

Flor. Roſar. recent. alb. contuſ. unciæ quatuor, vel quinque,
Sambuci recent. uncia una ſemis:

Factâ maceratione, fiat, in alembico vitreo, ſuo capitello munito, una atque altera ebullitio. Id autem, quod bulliendo tranſiit, *Vnguento* in fine reaffundatur. Coletur tandem, & exprimantur flores: expreſſum, cum refrixerit, agitetur diu multumque, in ſartagine, donec parumper albeſcat; addendo tamen, ſub continuâ agitatione illa,

Aceti Roſacei quantum ſufficit, vel imprimi poteſt:
Fiat *Vnguentum*.

Vel, ſi lubet, paretur ſimpliciter, in modum ſequentem:

℞. Olei Roſati ritè parati libram unam,
Ceræ albæ uncias tres:

Liquentur leni calore, &, cum refrixerint, agitentur tandem diu multumque, in ſartagine, affundendo, durante indeſinenter agitatione,

Aq. Roſar. alb. ſine addit. ex Baln. n. vaporoſo ſtillatæ,
Aceti Roſacei opt. ana q. ſ. vel quantum ſub continuâ agitatione imprimi poteſt; fiatque *Vnguentum* refrigerans atque humectans.

Renum & Inguinum doloribus opem fert, ſi à causâ calidâ, vel calculo, originem trahant. In Febribus calidis ardentibus, ſpina dorſi eo inungenda eſt.

Unguentum Jovis, Refrigerans aliud.

℞. Butyri Majalis recent. libram unam ſemis;

Cui impaſtentur, conquaſſata priùs, & contuſa, ſucceſſu temporis, ſequentia: utpotè,

Herb. recent. Hyoſcyami,
Verbenæ,
Parietariæ,
Cicutæ,
Sempervivi,
Solani,
Flor. recent. Sambuci,
Papav. errat. ana uncia una ſemis,
Roſar. albar. vel Damaſcen. unciæ tres,
Sem. Papav. albi minutiſſ. contuſi, ad pultis formam, additâ portiunculâ aquæ Roſar. uncia una ſemis,
Rad. Liquiritiæ recentis unciæ duæ.

Et, poſtquàm omnia immerſa fuerint, ac parùm macerata, coquantur leniter, ad humiditatis exhalationem: Colentur, cum expreſſione herbarum, vel ſpecierum, cùm refrixerint, agitentur in ſartagine benè, addendo, ſub continuâ agitatione,

Aq. Roſar. fragr. ſine addit. ſtill. uncias duas ſemis;
in quâ tamen priùs
Nitri puriſſ. cryſtall. uncia una ſemis ſoluta ſit:

Fiatque *Vnguentum*, refrigerans potenter; externâ inunctione ſpinæ dorſi, in Febribus ardentibus, ac incendiis magnis, opem fert.

Unguentum ad Hernias.

℞. Butyri Majalis recentis, non loti, libras duas,
Axungiæ Taxi uncias octo;
Hominis uncias ſex;

his

his mixtis immergantur sequentia, subtiliter incisa & contusa:

Rad. recent. Tormentillæ,
Bistortæ, ana uncia una semis,
Symphyti maj. unciæ tres,
Saniculæ,
Bardan. maj. ana unciæ duæ,
Herb. recent. Perfoliatæ,
Hyperici,
Consolid. Sarracen.
Pyrolæ,
Millefolii,
Fol. recent. Quercûs,
Hederæ arbor. ana uncia una semis,
Glandul. seu Nuc. arboris Laricis, sive Abietis (volgò **weisse Tannzapffen von Fehren Bäumen**) unciæ tres, affusis
Vini boni rubri unciis sex:

Factâ maceratione, donec omnia ac singula collecta sint, coquantur leni igne, in sartagine ferreâ, ad humiditatis totalem ferè exhalationem; colentur: pòst exprimantur species fortiter; fiatque sic *Vnguentum*: servetur usui.

Certum remedium est, pro sanandis Herniis, quo inungendæ partes affectæ; sive in inguine ruptum sit peritoneum, aut aliquo alio in loco abdominis, intestinis prolabentibus, sive peritonei processus, qui ad scrotum tendit, dilatatus sit, per quem intestina in scrotum etiam prolabuntur, perindè erit, modò inunctio semper versus superiora fiat; intestinis tamen priùs repositis, & cingulo apposito, sive ligaturâ adhibitâ, paucarum septimanarum spatio cura absolvetur. Hoc tamen insuper notandum, quòd, si hoc *Vnguento* partes anteriores inungantur, retrò, in dorso, cum *Axungia Vrsi*, tanquàm ex opposito, inunctio quoque peragenda sit.

Unguentum de Liquiritia.

℞. Butyri Majalis recentis libram unam semis:
huic impastentur
Rad. Liquiritiæ conscisſ. recent. unciæ tres,
Herb. recent. Solani unciæ duæ:

Factâ maceratione diebus aliquot, coquantur leuiter in sartagine, ad humiditatis ferè exhalationem; colentur pòst, & exprimantur species immersæ: expresso verò denuò immerge

Rad. Liquiritiæ recent. consciss. uncias tres,
Herb. recent. Solani uncias duas;

ac, uti antea, præmissa maceratione, leni coctione, in sartagine, ad humiditatis exhalationem, colentur, & exprimantur species: idque novâ specierum infusione, maceratione, coctione leni, & expressione, tertiâ vice repetendum. Tandem *Butyro* huic sic præparato adde, sub continuâ agitatione,

Cerussæ albæ uncias quatuor, priùs cum
Aceti Rosacei,
Sambuci, ana n.m. parati, unc. sex;

coctæ leniter in patellâ terreâ, & ad pristinam siccitatem redactæ,

Pulv. Pompholygis unciam unam,
Olibani subtil. trit. drachm. sex,
Camphoræ drachmas duas,
Album. ovorum conquassat. unciam unam semis:
Fiat s. a. *Vnguentum*.

Refrigerat, & hoc ipsum potenter, sistit inflammationes, erysipelata, sacros ignes, pustulas calidas persanat, & dolorificis ulceribus egregiè conducit.

Unguentum de Lithargyrio, seu Saturninum.

℞. Aceti Sambucini fortis, ex Aceto destillato, & flor. Sambuci, ritè parati,
Aceti Rosati, itidem ex Aceto destillato, & flor. Ros. rubr. parati, ana juxta n. m. libram unam semis,
Lithargyrii subtiliss. pulverisati, seu, quod melius,
Minii opt. uncias xv. vel xvi.

Coquantur in vase terreo vitreato, ad consumptionem tertiæ partis circiter, Litharg. sive, Mi-

Minium, continuò ſpatulâ agitando. Reliquæ duæ libræ Aceti à Minio colaturâ ſeparentur, & ad libram circiter dimidiam, in vaſe etiam terreo, pòſt evaporent: cui reſiduo liquori adde, ſub continuâ agitatione,

Oleor. Sambuci ex floribus,
Roſati, ana per trinam infuſionem, macerationem, & expreſſionem, uti ſuprà edoctum, diligenter paratorum, quantum ad Unguenti albi conſiſtentiam ſufficere videbitur; quæ ipſa præparatio dictabit:

adjiciendo, poſtremò, ad quamlibet libram unam ſemis Unguenti

Pulv. ſubtiliſſ. Olibani, ſeu Thuris albi,
Maſtichis,
Pompholygis, ana drach. ſex,
Lapid. Calam. cum ſucco Millefolii levigati & ſiccati, unc. unam,
Camphoræ drachmas duas:

Fiatque *Unguentum* nobile refrigerans; quod omnibus inflammationibus, ulceribus ſordidis ac pertinacibus, ut & ambuſtionibus, & eryſipelati, medetur.

Unguentum Mercuriale.

Hujus *Unguenti* legitima præparatio, cum iis, quæ notatu digna, & circa ejus modum parandi, ingredientia, virtuteſque conſideranda ſunt, *in pravius n. Animadverſ. ad illud Unguentum Mercuriale ſcriptis ſigillatim*, fundamentaliter dicta & præmiſſa ſunt; quæ L. B. hûc revocare poteſt.

Unguentum Nervinum.

℞. Axungiæ Porcinæ recent. libras tres ſemis,
Canis recentis, non rancidæ, libram ſemis, vel unam,
Humanæ recent. uncias quatuor:

quibus commixtis, immergantur ſequentia, per vices, & ſucceſſu temporis; ſingula tamen inciſa & contuſa: utpotè,

Gemmar. Populi arbor. recent. unciæ quatuor,
Summitat. Abietis, vel Laricis arboris rec. (vulgò **Fehrene Gipfel**) tempore Veris, unciæ tres, vel quatuor,
Herb. recent. Roriſmarini,
Salviæ minoris, ana unciæ quatuor,
Chamæpithyos,
Majoranæ,
Calaminthæ mont.
Origani bulb.
Thymi floreſc. ana unciæ duæ,
Serpilli floreſcent.
Pulegii,
Flor. recent. Chamomillæ Rom.
Lavendulæ,
Spicæ, ana unc. una ſemis,
Baccar. Lauri,
Juniperi virid. ana unc. duæ:

Factâ maceratione ſuffic. in cellâ, donec nimirum omnia collecta ſint, ebulliant parùm, in alembico vitreo, capitello ſuo munito, & recipiente præpoſito, pro receptione particulæ humiditatis, quæ tranſit. Deinde, dùm adhuc parùm calent, fiat colatura, cum forti expreſſione ſpecierum infuſarum: expreſſo autem ſtatim immergantur

Lumbricorum terreſtrium benè purgat. unciæ ſex,

ac in eo emori ac ſuffocari permittantur; factaque adhuc unicâ ebullitione, vel ſaltem digeſtione, in alembico vitreo, denuò coletur *Unguentum*, & à *Lumbricis* ſeparetur, ſuperaddendo *particulam humiditatis, vel aquæ odoriferæ, per alembicum coquendo prolectæ*, uti ſuperiùs juſſi; item

Olei ſtill. Majoranæ,
Coriandri, ana drachmam unam ſemis,
odoris grati gratiâ.

Et fiat *Unguentum* nobile *Nervinum*: cui ſi quis *Balſamum Indicum de Peru* addere voluerit, *Unguentum* nobilius reddet, ut meritò *Nervinum* dici mereatur; quòd frigidos Nervorum affectûs tollat, eorundemque doloribus opituletur.

Vnguentum Nihili ad Oculos.

℞. Unguenti Rosati simplicis, ex trinâ infusione Rosarum albarum, cum Axungia Porcina recent. parati, uncias sex;
cui immisceantur
Camphoræ opt. scrupulus unus, vel drachma semis,
Sacchari Saturni resolub. ex Minio facti, drachmæ duæ,
Pulv. Tutiæ præpar.
Nihili albi, ana uncia semis,
Matris Perlarum præp. drachmæ tres,
M. Fiat *Vnguentum.*

Calidas defluxiones ad oculos demulcet; eorundem rubedinem & inflammationem aufert, & dolores sistit.

Vnguentum Pectorale.

℞. Axungiæ Porcinæ recent. libram unam;
Caponis,
Anseris, ana uncias tres,
Butyri Majalis recentis libram unam.

His mixtis, & leniter liquatis, immerge sequentia successivè, minutim incisa, & contusa,
Rad. recent. Enulæ uncias duas,
Pimpinellæ,
Ireos Florent. ana unciam unam semis,
Herb. recent. Hyssopi,
Chærefolii,
Hederæ terrestr.
Betæ rubræ,
Rorismarini,
Salviæ,
Summitat. recent. Anethi,
Flor. recent. Chamomillæ,
Lavendulæ, ana unc. duas,
Semin. Anisi,
Olibani in granis,
Styracis Calam. ana unciam unam,
Croci opt. drachmas quinque:

Factâ maceratione, donec omnia collecta sint, fiat, in alembico vitreo pòst, suo capitello apposito, levis ebullitio & coctio, ad aliqualem saltem *Liquoris odoriferi* prolectionem; qui asservandus, ac ultimo *Vnguento*, dum adhuc parùm calet, colato, & speciebus opt. expressis, restituendus, cum agitatione aliquandiu continuatâ, addendo desuper
Pulv. Benzoës subtilissimi,
Rad. Ireos Florentin. ana unciam unam,
Croci optimi unciam semis,
Ol. still. Fœniculi,
Coriandri, ana drachmam unam semis.

Misceantur exactè in calore lenissimo: fiat *Vnguentum* pectorale, nobile & præstans; laterum ac pectoris dolores mitigans. Tussim maturat, expectorationem juvat, crassos & viscidos humores digerit, atque attenuat.

Vnguentum Pediculorum.

Ignobilis hujus, ac gregarii *Vnguenti* præparatio, ex *præcedaneâ Pharmacopœia Augustana* repeti potest; cujus notæ ibidem extant: &, licet, ob contemptissimum etymon, ac humile nomen, (quòd plerumque Mendicabulis, aut desidiâ torpentibus, in usu sit) magnæ famæ non sit; suam tamen cupit dexteritatem, non cuique obviam: cujus etiam dispensatio, ad majora rimanda, Lectorem manuducet.

Vnguentum Pomatum.

℞. Axungiæ Porcinæ recent. libras duas semis;

huic impastentur sequentia incisa & conquassata:
Pomorum odoriferorum, in frustula saltem conscissorum, cum suis corticibus, abjectis tamen seminibus, num. x.
Rad. Ireos Florent. albiss. uncia una semis,
Rosarum albar. recent. unciæ decem,
Flor. Arantiorum recent. unciæ tres,
Cortic. & flavedin. Arantior.
Citri, ana uncia una semis,

Pulv. Benzoës, seu Asæ dulcis drachmæ sex:

Factâ maceratione diebus aliquot, fiat, in alembico vitreo, suo capitello munito, levis ebullitio, ad excipiendam *humiditatem odoriferam*, quæ bulliendo transit in præpositum vitrum; cujus autem *prior, magis odorifera, particula, & aqua*, seorsim, separatim etiam, quæ subsequitur, sigillatim asservanda est: non tamen diu coquendum; quod observetur, ne aduratur *Vnguentum*, & nigrum ac fœtidum evadat, empyreuma spirans: idque è *colore albicante, & fragrantiâ*, probatur. Factâ igitur ebullitione leni, dumque hâc per actâ, à calore, aut fervore, parùm remiserint, fiat colatura cum forti expressione; in colato dissolve, si lubet, & *Vnguentum* paulò solidius, & duriusculum desideretur,

Ceræ albæ non rancidæ, sed novæ, uncias duas, vel tres,

Agitentur pòst, cùm refrixerint, diu multumque pistillo ligneo, in sartagine, donec albescat *Vnguentum*, adjiciendo paulatim *particulam priorem aquæ odoriferæ*, quæ in ebullitione suâ per alembicum transiit, item subsequentia:

Resinæ Styracis Calamitæ expressæ unciam semis,
Olei still. Cinamomi,
Caryophyllorum, ana scrupulum unum,
Ligni Rhodii drach. unam,
Nuc. Moschat. drach. semis,

Misceantur; fiat *Vnguentum* sic nobile & fragrans, quod, ad oris fissuras, & decorem cuti conciliandum, utiliter adhibetur.

Nota, quòd in coctionibus & ebullitionibus hujus, & aliorum *Vnguentorum*, in alembico vitreo peragendis, discretione & diligentiâ, ac peritiâ, repetitâque inspectione Pharmacopœi, opus sit; ne diu nimis illa coqui vel ebullire in alembico sinat, ad copiosiorem aquæ, vel humiditatis, prolectionem, quàm rebus recentibus adjectis, scilicet, *hîc, floribus Arantiorum, & Rosarum recentibus*, ac *Pomis*, de humido aquoso inest; quod peritus Pharmacopœus conjecturâ facilè assequi potest, si in laboribus, & judicio, expertus sit. (& , ut eò securiùs perficiat, *in Balneo nostro vaporoso* instituat similium *Vnguentorum*, ac *Oleorum* etiam, ebullitiones) Quapropter, in prioribus *Vnguentis*, hoc sæpissimè & clarè monui, ut parùm illa in alembico coquantur, vel ebulliant ad aliqualem saltem, non ad totalem, humiditatis exhalationem, & prolectionem; ut nimirum aliquantulum humiditatis remaneat cum *Vnguentis*; quæ & ipsa non exiguis viribus prædita est, atque unà cum *Vnguentis*, si non nimia, constare, iisque immixta manere potest. Secus in *Oleis præteritæ Classis* se habet; à quibus omnis humiditas, sive per decoctionem, sive per residentiam & decantationem, separanda est: quippe quòd illa *Oleis* neutiquam permixta maneat, quàm exigua etiam illa sit, sed necessariò separari debeat. Oleis enim nullum, cum aqua, commercium, nec combinatio, neque vera mistio, aut unio intercedit. Quare non est, ut me carpent Nasutuli quidam, qui sine arte, absque scientiâ, & conscientiâ, suas instituunt medicamentorum præparationes, hoc pro rato & firmo habentes, se nil, quod artis legibus contrarium, aut impossibile sit, statuisse, aut scripsisse. Sed sibi, suæque inscitiæ, incuriæ, atque inadvertentiæ, socordiæque imputent, si quandoque impingant. Sedulum enim, atque peritum, requirunt meæ Præscriptiones Pharmacopœum, utut quæque ad amussim, adjectis omnibus Manipulationibus, descripta sint, & ferè minima quæque. Cæterùm, nil difficultatis habent, neque in pretio excedunt, (de quo etiam nonnulli, sed, reverà, falsò conqueruntur) paratuque sunt facilia.

Vnguentum Populeon.

℞. Axungiæ Porcinæ recentis libras decem;

huic immergantur & impastentur, successivè, tempore Veris, sequentia, incisa & contusa:

Oculorum Populi arboris recentium libræ duæ,
Herb. recent. Hyoscyami,
Solani,
Sempervivi min. seu, Vermicularis,

Herb. recent. Violarum, cum Floribus
Martialibus,
Chærefolii,
Anethi,
Plantag. minoris,
Millefolii,
Hederæ terrestris,
Flor. recent. Bardanæ, ana unciæ quatuor, vel quinque,
Flor. Rosarum pallidarum unciæ sex,
Papaveris; cum foliis, unciæ tres.

Macerentur, postquàm omnia collecta sunt, per tres circiter septimanas; coquantur posteà leniter, ad humiditatis ferè totalem consumptionem; fiatque pòst colatura, cum forti expressione: expressum agitetur parùm, ac usui asservetur.

Vnguentum hoc refrigerat & humectat, somnum conciliat, fronti, temporibus, & pulsibus illitum: in Febribus ardentibus, & aliis incendiis, opem fert; verumque *Anodynum* est *Vnguentum*.

Vnguentum Potabile Rubrum.

℞. Butyri Majalis recentis sine sale libras duas;
huic impastentur
Rad. Alkannæ unciæ tres,
Rubiæ Tinctor. unciæ duæ,
Tormentillæ uncia una semis,
Enulæ uncia una,
Iroes uncia semis,
Castorei ping. drachmæ sex,
Croci opt. drachmæ duæ,
Vini rubri unciæ quatuor.

Macerentur per aliquot dies, in loco frigido: bulliant posteà leniter, ad vini consumptionem; colentur, & exprimantur species. Colato *Vnguento*, dùm adhuc calet, adde, & in eo dissolve,

Spermat. Ceti rec. non rancidi drachmas sex.

Fiat *Vnguentum*, interno & externo usui destinatum. Internè assumitur contra concretum aut coagulatum; & extravasatum sanguinem: quamobrem præcipitatis, & contusis ab alto, auxilio est.

Aliud Vnguentum, seu Butyrum Potabile.

℞. Butyri Majalis recentis sine sale libras duas,
Cancrorum fluviatilium recent. & conquassat. num. LX.
Rad. Symphyti major. recent. uncias duas semis,
Enulæ recent. unc. unam semis,
Ireos Florent. unciam unam,
Croci Austriaci drachmam unam,
Flor. recent. Papav. errat.
Rosar. rubr. ana unciam unam semis, vel duas.

Coquantur leniter, in patellâ terreâ vitreatâ, igne leni carbonum, ad humiditatis exhalationem; cavendo tamen, ne comburantur. Coletur pòst, & exprimantur species fortiter: *Butyrum* expressum *rubrum* asservetur usui: quod præstans est in affectibus pectoris, tussi antiqua, sputo purulento, & phthisi ipsa. Ulcera pectoris conglutinat atque sanat.

Vnguentum Rosatum, de Minio, ad Scabiem.

Conficiantur juxta *Animadversiones super ipsa, in prægressa Pharmacopœia* sigillatim factas; quas Lector Amicus haud gravatim revolvere dignetur.

Vnguentum ad Scabiem aliud.

℞. Rad. recent. Helenii raspat. uncias sex,
Lapathi uncias quatuor,
Scrophulariæ unc. duas,
Axungiæ Porcinæ libram unam semis, vel duas.

Coquantur aliquandiu leniter, præmissâ tamen maceratione, per unam alteramvè septimanam: fiat colatura pòst, cùm expressione forti; expressoque admisce

Pulv. Sulphuris vivi subtiliss. unciam unam semis, vel duas,
priùs cum
Olei vitellor. ovor. unciâ unâ
probè subacti,
item
Olei Laurini uncias tres.
M. Fiat *Vnguentum*.

Illi-

Illinitur loco calido, præsertim à balneo sudatorio, aut vesperi; & sequenti die abluitur cum *decocto Lapathi*, aut *Scrophulariæ*, &c. aliquoties repetendo.

Vnguentum Spleneticum.

℞. Axungiæ Porcinæ recentis libras tres; cui immergantur sequentia incisa & contusa: utpote,

Rad. recent. Apii,
Bryoniæ,
Helenii,
Pimpinellæ, ana unciæ duæ,
Valerianæ uncia una,
Herb. recent. Nasturtii hortens.
Aquatici,
Matri sylvæ,
Verbenæ,
Rorismarini,
Abrotani, ana unc. tres,
Plantag. min. unciæ duæ,
Cortic. Tamarisci recent. uncia una,
Capparum recent. sale condit. unciæ duæ semis;
Baccar. Juniperi virid. unciæ duæ,
Lauri excort. drachmæ sex,
Sem. Nasturtii opt. conquassati unciæ duæ:

Factâ maceratione, septimanâ unâ vel alterâ, coquantur parùm; pòst colentur & exprimantur species fortiter: expresso *Vnguento* adde

Pulv. Gummi Ammoniaci unciam unam semis,
Sagapeni unciam unam.
solutorum cum
Vini albi boni s. q. ad pultis formam.

Verùm non multum ea coquantur, ne *subtiliores & penetrantiores Gummatum partes* in coctura exhalent. Propterea *Pulveres prædictorum Gummatum* non abs re sumendos præcipio; quia faciliùs dissolvi, vel dilui possunt, & sine colatura (ob quam liquidiora effici gummata, & denuò, ac necessariò, coquendo, ad competentem consistentiam pultis inspissari deberent,) *Vnguento* dextrè commisceri.

Item adde
Camphoræ unciam unam, vel unam semis,
solutæ pariter priùs ad pultis formam, cum
Olei de Capparibus suff. quant.

Fiatque *Vnguentum Spleneticum*, omnibus exactè mixtis; cui, si libitum esset, *Olea Coriandri, Lavendulæ*, vel *Majoranæ*, propter gratum odorem, addi possent.

Est *Vnguentum* præstans, & efficax, in obstructionibus Lienis; cujus duritiem resolvit, emollit, & egregiè roborat, externâ, & sæpiùs repetitâ, inunctione.

Unguentum, seu Balsamum Stomachicum Regium.

℞. Ol. Nuc. Moschat. expressi uncias duas semis,
Pulv. Gummi Mastichis elect. unciam semis,
Tacamahacæ,
Animæ, ana drachmas tres.

His omnibus, lenissimo in calore, liquefactis, & simul colatis, superadde

Ol. still. Menthæ,
Majoranæ,
Caryophyllorum, ana drach. unam,
Cinamomi,
Absinthii,
Calam. Aromat.
Carui, ana drachmam semis;

& cùm omnia veluti refrixerint,

Balsami Indici de Peru drachm. sex admisceantur; item
Extr. Croci drachm. una, vel una semis.

Fiat *Balsamum* nobile Stomachicum, cùm interno, tùm externo usui destinatum, & accommodandum.

Est verè Regium Stomachale *Balsamum*. Roborat insuper Cor, & vitalem facultatem: non solùm externâ sui inunctione, sed & intrà corpus sumptum, cum *ovo sorbili*, egregiam præstabit operam.

Unguentum ad Vermes, & Unguentum Viride Reginæ.

Conficiantur juxta *Animadversiones n. ad ipsa in præmissa Pharmacopœia* sigillatim factas; quas L. B. haud gravatim adeat.

Nota Epilogica. Quantumvis, L. A. quædam ex his præstantissimis, *Unguentis* & verè Regiis, ritè ac dextrè, quoad Compositiones suas, descriptis, apparenter saltem magnos labores, difficiles præparationes, & graves impensas postulare videantur; reverà tamen, si exactius inspiciantur, paratu facillima sunt omnia, & paucis insuper expensis parabilia; cùm singula eorum ingredientia levi pretio haberi queant. Unice diligentem, & sedulum requirunt Pharmacopœum, qui indefessus sit in laboribus, atque expertus, Latini nec non gnarus Idiomatis. Unde, profectò, me falsò accusant nonnulli Pharmacopœi, & Medici; quorum alii difficilem Compositorum medicamentorum præparationem arguunt; iterum alii pretium excedens, in comparandis Ingredientibus carioribus: plurimi verò, nimis apertam, & cuivis indigno Lippo, Tonsori, vel Ano sagaciori, obviam eorum descriptionem: qui, quando non habent, quod carpant, hoc quærunt prætexere. Sed ex his contrariis, & iniquis judiciis palàm fit, ne unum, ex prædictis Zoilis, scripta mea integra, & studiosè, perlegisse, aut vera ea intellexisse, nec etiamnum capere; idque ob Latini Idiomatis ignorantiam: sed omnes, Momorum saltem more, cuncta suggillare instituisse, nihil, nisi quod ipsi faciunt, rectum putantes. Nam illi, qui difficilem horum medicamentorum præparationem culpant, his, qui, eandem nimium manifestè expositam atque detectam esse, clamant, è diametro contrarii sunt. Unde ultrò eorum insulsa, & nullo veritatis fundamento innixa, judicia per se ipsa ruunt, atque, in contemptum eorum, nota fiunt. Quod igitur dexterrimas has, & claras medicamentorum Compositorum descriptiones concernit; fateor, & certum est, omnia tàm accuratè, juxta tenorem & leges artis, esse tradita, ut nullus Pharmacopœorum, ab experientia eruditus, vel in uno anceps hærere possit, quo modo, vel quali ratione, hoc vel illud artificiosè parandum, & aggrediendum sit. Veruntamen nil minus fieri potest, quàm ut quælibet anus, etiam sagacissima, vel alius ex vulgo, ea statim imitari, & Simiam Pharmacopœorum peritorum agere valeat, quin potius, modo illo artificiosiori manifestato, penes Pharmacopœos peritos & doctiores hæc magis Dædala Medicamentorum præparatio mansura sit, atque adeò ars Nobilissima, pessum itura aliàs, ab interitu vindicetur, pristinæque dignitati suæ restituatur. Quod idem mecum sentient doctiores, in Theoria pariter, ac Praxi, exercitati Medici, & Pharmacopœi; qui ipsi plurimorum suorum Ministrorum levitatem in arte, tùm & segnitiem, & ignorantiam (de quâ etiam Dn. Fridericus Muller, Peritissimus æquè, ac Doctus Viennensium & Statuum Austriæ Provinciæ Pharmacopœus, *in sua, super Lexicon Medicum, Præfatione*, summoperè conqueritur,) detestantur. E contra verò, qui difficiles has ipsas præscriptionum mearum præparationes quasi in jus vocare instituunt, illi, è diametro contrarii prioribus, à veritate etiam planè aberrant, nec rationem, quâ me, qui omnia juxta Legum Pharmaceuticarum harmoniam ordinavi, de jure culpent, dum se ipsos, tanquàm inexpertos, & leviter arte suâ tinctos, reprehendere, satis habent. Etenim non pauci illorum sunt, qui hoc sibi firmiter persuasum tenent, modò Syrupum aliquem simplicem, (licet haud debitè,) conficere didicerint, aut Aquam destillare simplicem, tùm se solidè doctos, & Magistros artis protinus esse; cùm tamen vix à limine hanc nobilissimam æquè, ac difficillimam artem salutarint. Tandem, precium grande quando nonnulli taxant, itidem & ipsi rem haud penetrant, aut intelligunt, vel lucri sunt nimis cupidi. Illud dico, quia aliàs cernerent perfacilè, me primariò quidem Divitibus, atque Magnatibus; (ob id enim Regiæ titulo insignitur hæc Pharmacopœia, quòd verè Regia Medicamentorum genera in ea tradita contineantur,) nec tamen minus quoque Pauperibus, ut qui tenuioris fortunæ sunt, sua quibuslibet ordinasse & destinasse; quorum potiora

potiora tàm levi ære veneunt, ut meritò hi, qui de intenso conqueruntur precio, heluones, & avari, meritò dicendi sint, gratis omnia volentes, nihilque ferè Præparationibus medicamentorum sanioribus impendere, in animo habentes. Perpendant illi mecum, qui rem exactius, & æquiori animi lance, trutinant, quanta, olim, rerum preciosarum, simplicium, utilium, & innumerabilium, facta sit inutilis profusio, in quibusdam, & quidem plurimis, Antiquorum præscriptis medicamentorum Compositionibus omnis generis; quorum specimina haud pauca, in *duobus prioribus Classibus XIV. & XV.* aliquot saltem Compositiones limæ sani judicii subjiciendo, manifesta feci, nec sine fundamento detexi. Esto, quòd quandoque, in his meis legitimè delineatis medicamentorum Compositionibus, & Præparationibus, quæ præstant, reverà, Antiquis, quædam, in quantitate majori, huic, vel illi, adjiciantur medicamento Composito, simplicia; sint & ea paulò sumptuosiora: (quod tamen raro contingit,) hoc tamen, quoad precium, tanto damno Pharmacopœis non cedit, quàm si potiora Compositionum Veterum ingredientia inutiliter agglomerentur, aut annumerentur, à quibus non solùm hoc, vel illud, determinatum medicamentum nullas Virtutes mutuare habet, sed quæ aut obsunt magis, aut reliqua, in Virtutibus suis, remorantur contenta, essentialiter adjecta: quippè, quod ex fundamento, & radice rei, non semel demonstravi. Quæro ergò, annon majuscula illa copia Ingredientium, pauloque dexterior ac artificiosior medicamentorum præparatio, propter quæ illa præstantiora & validiora efficiuntur in operationibus ac virtutibus suis, non sint præferenda invalidis & effœtis quibusdam Antiquorum medicamentis Compositis? Ubi, si recta instituatur computatio, certè graviori multò veneunt precio Antiquorum nonnulla, quàm illa edocumatiùs elaborata; quæ sunt, ut dictum, Virtutibus suis longè efficaciora, idque propter, in minori quoque Dosi infirmis propinari possunt: ex quo & Medicus ipse, ut fine suo potitus, Existimationem, & Laudem; Pharmacopœus, haud exigui momenti, Lucrum; Infirmus denique ipse, Sanitatem pristinam celeriùs consequi valet. Itaque non moror Ego Zoilorum insulsa & iniqua judicia, quæ, tantum abest, ut instituto meo impedimento sint, ut potiùs calcar acriùs ad persequendum, & majora mihi, melioraque, in lucem proferendi assint, hoc pro solatio habenti, quòd ne Jupiter quidem omnibus placeat. Quomodo ergò hæc omnium nutui conformia esse poterunt? præsertim quæ, quot capita sunt; tot sensus, & opiniones, abundantes inveniunt.

Et hæc sunt etiam illa, quæ, circa *Vnguentorum*, tanquam Externorum Medicamentorum, præparationem & compositionem, annotare volui: è quibus patescit, quòd & in hâc, horum, licet externo aspectu viliorum, justè describendi & præparandi ratione, non levi opus sit dexteritate atque prudentiâ. Hoc igitur labore nostro, intuitu Tui suscepto, L. B. fruere. Ego verò ad alia progredior.

PHAR-

PHARMACOPOEIÆ REGIÆ

CLASSIS DECIMA OCTAVA,

Emplastrorum debite Parandorum Formulas explanans.

EMplastra, & Cerata, *quæ duabus hisce Classibus continentur, non nisi consistentiâ, Inter se differunt :* Emplastra *paulò solidiora* sunt ; *molliora nonnihil* Cerata. *Suntque Medicamenta externa, Vulneribus, Vlceribus, Rupturis; debilitatis, refrigeratis, & inflammatis Membris, &c. accommodata, liquabilia utplurimum, uti* Cera, Resina, Pix, &c. *ob id solida, in frigore; liquida, in calore paulò fortiori. Componuntur ex omni genere* Mineralium, Vegetabilium, & Animalium, *pro intentione Medici, & diversitate affectuum. Specierum ipsa Ingredientium, utpotè,* Ceræ, Resinæ, Terebinthinæ, Gummatum, Oleorum, Pulverum, &c. *proportio, & exacta quantitas, universaliter determinari nequit. Non equidem me latet, quòd communiter,* ad unciam unam Oleorum, (*præsertim in Ceratis*) unciæ tres Ceræ, Resinæ uncia una, Pulverum drachma una, drachma una semis, & drachmæ duæ, *destinentur. At hæ vana sunt assertiones. Quàm diversam enim producat coctio* Oleorum, *cum nonnullis* Pulveribus, *imprimis* Mineralibus, *consistentiam, palàm est. Ex solo enim* Oleo, *& quocunque* Metallo, plurimisque Mineralibus, *quibusdam solutis, nonnullis autem indissolutis,* Unguenta, Cerata, (*quoad consistentiam*) & Emplastra *fieri possunt. Variant itidem pondus exquisitum,* Terebinthina, Resina, Gummata, &c. *quæ modò liquidiora, molliora; modò solidiora, & crassa, deprehenduntur. Omnium denique maximè discrepant* Pulveres ; *quorum alii aridiores sunt, alii oleaginosi; nonnulli graves, ponderosi, uti* Metallorum & Mineralium, *qui proindè, Emplastris commixti, eandem duritiem, & solidam non producunt consistentiam, quam arida quædam* vegetabilia levia, porosa. *Quin etiam Anni tempora; nec non mucilagines viscosa, Emplastris addendæ, pondus ingredientium reliquorum non parùm variant. Cum itaque universaliter proportio determinari nequeat, necessum est, ut, qui similes Compositiones construere velit, rerum Medicarum, immaniter variantium, exactam habeat notitiam. Dictas autem rerum varietates, diversa Emplastrorum & Ceratorum Compositiones, & Præparationes sequentes manifestabunt.*

Velim autem, B. L. ut ad hanc, & sequentem, Classem referas ea, quæ, in Animadversionibus plurimorum Emplastrorum, præcedentis Pharmacopœiæ Augustanæ *non semel inculcata sunt; quæque ulteriùs* in Appendice n. circa hanc Classem, *non temerè, nec gratis, admonuimus: quæ singula si studiose perlegeris, & observaveris accuratè, res haud protriti momenti esse comperies, scitu tam dignas, quàm necessarias; quæ & Medicum cautum reddere, & Pharmacopœum non leviter erudire possunt; quemadmodum utrumque hæc decent, & exornant.*

Emplastrum Album Coctum.

℞. Olei Sambuci ex floribus, per trinam infusionem, macerationem & expressionem, exactè parati, vel, quod melius foret,

Axungiæ Porcinæ recent. castr. itidem semel atque iterum, cum floribus recentibus Sambuci, vel etiam cum Rosis recentibus, infusæ, maceratæ, & per expressionem denuò separatæ, libras duas,

Cerussæ Venet. pulverisatæ libram unam semis.

Mista

Mista coquantur leniſſimo igne, continuò infundendo aliquid *Aceti Sambucini*, pro exactiori diſſolutione Ceruſſæ, (quouſque propemodum *libra una ſemis Aceti* dicti affuſa ſit) donec *Emplaſtri* mollis, & non nimis ſpiſſam, conſiſtentiam nacta fuerint, ſpatulâ, vel rudiculâ, ſine intermiſſione agitando: cui, ab igne remoto, addantur ſtatim, ut in eo liqueſiant,

Ceræ albæ unciæ quatuor,
& ſubſequentes Pulveres:
Pulv. Maſtichis elect.
Thuris albiſſ.
Lapidis Calaminaris, cum ſpermate Ranarum, in aquam reſoluto, præparati & levigati, ana uncia una ſemis,
Pompholygis uncia una,
&, ſi lubet,
Camphoræ uncia ſemis, vel drach. ſex, cum particula
Ol. Roſarum cocti ad pultis formam ſolutæ.

Fiat *Emplaſtrum* laudabile, ad omnes inflammationes, & ulcera ſordida, antiqua & cancroſa, &c. præſtans.

Emplaſtrum de Baccis Lauri Stomachale.

℞. Terebinth. claræ & liquidæ unc. tres;
in quibus liquefac
Pulv. Maſtichis uncias duas,
Thuris albi unc. unam ſemis,
Tacamahacæ unciam ſemis.

Quibus benè mixtis, & leniſſimo calore liquatis, adde paulatim, & alternatim, de ſequentibus Pulveribus, & Melle: nempè,

Mellis Menthæ n.m. parati, unc. tres,
Pulv. Baccarum Lauri,
Nuc. Moſchat. ana unciam unam ſemis,
Caryophyllorum unciam unam,
Calami Aromatici,
Zedoariæ, ana drachmas ſex,
Macis unciam ſemis.

Fiat *Emplaſtrum Stomachicum* efficax.

Ventriculi, & inteſtinorum, dolorem à flatibus, aut frigida intemperie, ortum ſanat, & concoctionem promovet, externè ventriculo appoſitum.

Emplaſtrum Baſilicum & Vulnerarium.

℞. Terebinthinæ claræ & odoratæ uncias duas;
in qua liquefac
Pulv. Maſtichis elect.
Sagapeni, ana unciam unam,
Colophoniæ translucidæ unc. quatuor:

his liquatis paulatim adde

Pulv. Myrrhæ tranſpat.
Olibani albiſſ.
Succini albi præpar. ana unciam unam,
Croci optimi unciam ſemis.

Fiat *Emplaſtrum*, aliquandiu in calore, leniter ſaltem liquatum, & agitandum, ut ingredientia ſe invicem exactè amplectantur.

Hoc præſtans eſt in omnibus Vulneribus recentibus & antiquis, Nervorum, Oſſium, Capitis, &c. Membris etiam & Nervis conquaſſatis opitulatur.

Emplaſtrum Cephalicum Regium.

℞. Reſinæ Styracis, per expreſſionem factæ, uncias duas,
Ladani, per extract. paratæ, unciam unam,
Ol. Nuc. Moſchat. expreſſi uncias tres.

In his liquatis leniſſimo calore ſolvantur ſequentia: utpotè

Pul. Gum. Tacamahacæ,
Animæ, ana drach. decem,
Olibani in granis unc. una;
quibus porrò inſtillentur
Ol. ſtill. Ligni Rhodii drachmæ duæ,
Majoranæ,
Lavendulæ ana drachma una,
Coriandri drachma ſemis.

His probè unitis, & interim aſſervatis, immiſceantur, ſucceſſu temporis, ſequentes Herbæ, & Flores recentes, ſubtiliſſimè inciſ. ac contuſ. ad pultis formam; nec non Pulveres, qui infrà ſequuntur,

Herb. recent. Betonicæ, cum floribus,
Majoranæ,
Roriſmarini, cum flor.

Gemmar. Populi arbor. recentium, ana
uncia una,
Flor. recent. Keiri,
Tunicæ,
Arantiorum, ana uncia semis,
Pulv. Succini albi præpar. drachm. sex,
Ligni Aloës gummosi unc. sem.
Croci Opt. Orient. drachm. duæ,
Nucleorum Persicorum excorticat.
Cerasorum excorticat. ana
uncia semis,
contusorum omnium ad pultis formam, cum Aquæ Rosarum fragr. s. q. & per setaceum transmissorum.

Misceantur exactè, in diplomate, calore leni; fiatque *Emplastrum* justæ consistentiæ.

Præstat ad Capitis fluxiones sistendas, & exsiccandos humores varios Cerebri; Cephalæam, Cephalalgiam, aliasque capitis affectiones præter naturam juvat. Estque *Emplastrum* verè Regium.

Emplastrum de Lapide Calaminari, ad Ulcera Fluida antiqua.

℞. Terebinthinæ bonæ odoratæ uncias
tres;
in qua liquefac
Mastichis elect. unciam unam,
Colophoniæ,
Ceræ flavæ novæ, ana uncias duas;
superaddendo
Pulv. Lapid. Calaminaris, præparati cum succo Plantag. & Millefolii, ac denuò exsiccati, uncias duas, vel tres,
Tutiæ præparatæ unciam unam semis,
Olibani subtiliss. triti unciam unam,
Lithargyrii subtiliss. pulverisati unc. unam semis,
priùs tamen cum
Aceti Sambucini aliquot unciis cocti, & iterum exsiccati.

Fiat *Emplastrum* justæ consistentiæ; ulceribus manantibus & fluidis exsiccandis proficuum.

Emplastrum Catagmaticum, seu ad Fracturas Ossium.

℞. Terebinthinæ claræ odoratæ,
Ceræ flavæ odoratæ novæ, ana libram
unam semis,
Resinæ albæ Pini libras duas.

His liquatis, ac per linum & qualum colatis, immisceantur sequentia, subtilissimè priùs incisa, & contusa: utpotè,

Rad. Consolid. majoris rec. unc. tres,
Saniculæ rubr.
Barbæ hirci,
Tormentillæ,
Herb. Consolidæ Saracenicæ,
Alchimillæ,
Pyrolæ,
Millefolii,
Hyperici summit. floresc.
Fol. Quercûs, ana recent. unciæ duæ,
Oculor. Populi arbor. recentium
unciæ tres,
Summitat. Laricis, vel Abietis arboris,
recent. unciæ duæ:

quibus probè unitis superaddantur Pulveres sequentes:

Pulv. Olibani,
Mastichis,
Myrrhæ,
Sanguinis Draconis,
Succini præpar. ana uncia una
semis,
Lapidis Osteocollæ,
Calaminaris, ana cum
succo Millefolii parat.
unciæ duæ,
Rosarum rubear.
Balaust. ana uncia una.

Misceantur exactè in diplomate; fiatque *Emplastrum* debitæ consistentiæ.

Vires habet hoc *Emplastrum* insignes, in sanandis Ossium fracturis; fovet nativum partis calorem, sistit fluxiones humorum, & egregiè nervos roborat, & Vulnera ac Ossa in coalitione juvat; in Herniis quoque sanandis non minùs efficax.

Emplastrum Citrinum Vulgare.

℞. Terebinthinæ claræ libram semis,
Resinæ albæ Laricis,
Sevi Cervini, ana libram unam,
Ceræ Citrini novæ odoratæ libram unam semis.

Liquentur calore leni, & per linum atque qualum colentur, superaddendo
Pulv. Rad. Curcumæ uncias duas.
Fiat *Emplastrum*, cujus usus notissimus est.

Emplastrum Defensivum.

℞. Lithargyr. subtiliss. pulv.
Cerussæ pulv. ana uncias XVI.
Ol. Sambucini ex flor.
de Spermate Ranarum, ana libram unam,
Unguenti Popul. uncias quatuor, vel sex,
Aceti Sambucini,
Rosacei, ana uncias octo,
Succi Plantaginis depur. uncias decem.

Coquantur in sartagine amplâ, igne lenissimo, ad *Emplastri* consistentiam molliorem, spatulâ, sive rudiculâ, continuò agitando: cui, ab igne remoto, adde
Ceræ flavæ & novæ odor. unc. quatuor,
Pulv. Olibani uncias duas,
Mastichis,
Rosar. rub.
Lapid. Calamin. cum succo Plantag. parati & exsicc.
Rad. Ireos Flor. ana unc. unam semis,
Liquiritiæ,
Myrrhæ, ana unciam unam,
Croci opt. unciam semis.

Fiat, omnibus probè mixtis, in calore, *Emplastrum* nobile *Defensivum*; quod omnia symptomata irruentia, ac vulnera concomitantia, inflammationes, & defluxiones ad partes affectas, præcavet, partesque roborat.

Emplastrum Diachylon Simplex.

℞. Mucilag. Sem. Fœnigræci,
Lini,
Mucilag. Rad. Altheæ, ana cum lixivio forti, sed claro, extract. libram unam,
Litharg. subtiliss. triti libras tres,
Axungiæ Porcinæ recentis libras quatuor.

Coquantur lenissimo igne, in sartagine amplâ, spatulâ continuò agitando, ad *Emplastri* consistentiam & crassitiem; agitetur ultimò diu, donec refrigescat, & dealbetur. Videantur etiam *Animadversiones super ipsum facta* pro majori dilucidatione, ubi ejusdem quoque Virtutes à *D. D. Augustan.* uberrimè descriptæ sunt.

Emplastrum Diachylon cum Gummi.

Conficiatur modo *in Animadvers. n. præcedentis Pharmapœiæ* edocto, vel etiam
℞. Diachyli simpl. superioris libram unam;
cui immisceantur pedetentim, sub continuâ agitatione, in leni pariter calore, sequentia:
Gummi Ammoniaci,
Opopanacis,
Galbani,
Sagapeni, ana uncia semis,
soluta priùs in sufficiente quantitate Aceti, vel Vini, ad pultis formam:
item,
Pulv. Olibani,
Mastichis, ana drachm. sex.
Fiat *Emplastrum* s. a. quod emollit, concoquit, maturat, digerit atque resolvit.

Emplastrum Diaphoreticum.

℞. Gummi Ammoniaci uncias duas,
Elemi unciam unam semis,
Sagapeni unciam unam.

Solvantur in s. q. Aceti, ad pultis formam: cui adde pedetentim, & quasi guttatim,
Ceræ flavæ odoratæ libram unam,
Terebinthinæ claræ uncias tres,
Colophoniæ, seu Picis Græcæ, uncias quatuor:

liquata invicem leni igne, in sartagine, separatim, & non nimis calidè, *superioribus Gummatibus* sensim, & alternatim, uti dictum, sub continuâ agitatione, infusa; hinc alternatim

etiam inspergantur successivè hi Pulveres: utpote,

Pulv. Gummi Bdelli unciæ quatuor,
Succini Citrini unciæ tres,
Olibani,
Mastichis, ana uncia una,
Sandaracæ drachmæ sex;

pòst agitentur, donec omnia commixta, atque dextrè unita sint, per horam integram, in diplomate, vase scilicet duplici, calore leni: fiatque *Emplastrum*, tumoribus œdematosis, fracturis ossium, luxationibus, & contusionibus, maximè conducens. Est ex *Mynsichtio* deprom-ptum, correctum, & in artis formam, seu ordinem, redactum.

Emplastrum de Fuligine.

℞. Terebinthinæ claræ uncias tres,
Saponis Veneti subtiliss. raspat. uncias quinque.

Liquefiant super igne lento, in sartagine; quibus statim adde sequentia:

Fermenti acris Panis uncias duas,
Pulv. Croci opt.
Axungiæ Serpentum, ana unc. unam, vel, hujus loco,
Axungiæ Porcinæ unc. unam semis.

Pistentur & agitentur benè, donec omnia exactè conjuncta atque unita sint: tùm superadde

Fuliginis Camini splendidi pulverisati subt. uncias duas,
Antidoti Theriacalis n. uncias duas semis.

Pistentur iterùm probè, donec omnia dextrè unita fuerint; tandem, remisso calore intenso, cùm quasi refrixerint, admisce

Vitell. ovorum num. iiij.
Salis Theriacalis nost. *tertiæ descript. pag. Animadv.* 281. edocti, unciam unam.

Fiat *Emplastrum*; cui, si competentem non haberet consistentiam, *Ceræ Citrinæ uncia una*, vel *altera*, addi potest.

Magnarum virium est, si legitimè sit confectum, in Peste, ad extrahendum venenum, maturandos bubones, atque anthraces, & mitigandos exinde ortos dolores.

Nota. *Bufonum, aut etiam Serpentum, Pulvis non ineptè fortè huic* Emplastro, *pro majori pestiferi veneni extractione, adderetur.*

Emplastrum Hepaticum.

℞. Terebinthinæ claræ & odor. unc. sex;
in qua liquefiant
Pulv. Gumm. Ammoniaci,
Myrrhæ subtiliss. pulv. ana uncia una semis,
Elemi,
Sagapeni, ana unc. una;
his liquatis adde
Ceræ flavæ notæ & odoratæ uncias quatuor;

&, dum adhuc liquata in diplomate hærent, superinjiciantur sequentes Radices, & Herbæ, subtilissimo modo incisæ atque contusæ ad pultis formam: utpotè,

Rad. recent. Apii,
Enulæ,
Pimpinellæ,
Cichorii sylv. ana unc. una,
Herb. recent. Agrimoniæ,
Absinthii,
Nasturtii hort. ana uncia una semis,
Flor. Rosar. rubr. recent. unciæ duæ,
Camphoræ drachmæ sex,
solutæ in
Olei Sem. Nasturtii expressi uncia una:
item superinspergantur
Pulv. Santali rubri,
Baccarum Lauri,
Olibani, ana uncia una,
Succi Absinthii,
Chamædryos, ana inspissat. ad formam Extracti, drach. sex.

Fiat *Emplastrum* debitæ consistentiæ.

Efficax est, in Hepate & Liene obstructo; cujus duritiem emollit, resolvit, & egregiè roborat.

Emplastrum aliud Hepaticum.

℞. Pulv. Rosar. rubrar. unciam semis,
Santali rubri drach. duas semis,
Baccar. Lauri drachm. duas,

Pulv.

Pulv. Rasuræ Eboris,
Olibani,
Sem. Nasturtii, ana drach. unam semis.

Coquantur in s. q. Decocti fortis Radic. Pimpinell. & herb. Absinth. ad *Cataplasmatis* solidiorem consistentiam, ne cuti adhæreat; quod interim asservetur. Jam verò accipe
Terebinthin. claræ unc. unam semis;
in qua liquefac
Pulv. Gumm. Elemi,
Sagapeni, ana drach. tres,
Myrrh. rubr. drach. duas semis;
his liquatis superadde
Ceræ odor. nov. flav. unc. unam semis,
Gummi Ammoniaci pulv. & ad pultis spissioris formam, in s. q. Vini albi soluti, unciam semis,
Succi inspissati Absinthii crassi drach. unam semis:

Item sequentia, minutissimè incisa, &, ad pultis formam, in mortario, contusa adjiciantur: utpotè,
Rad. recent. Cichor. sylv.
Pimpinellæ, ana drachmæ duæ semis,
Apii,
Enulæ ana drachm. duæ,
Herb. recent. Absinthii,
Cichorii sylv. ana drach. duæ semis.

Ultimò tandem immisceatur superiùs asservatum *Cataplasma*, &
Camphoræ drachm. una,
Ol. Ligni Rhodii drachm. una semis:

Fiatque *Emplastrum Hepaticum*; cujus unciæ duæ semis circiter extendantur super alutam, & obducatur syndone rubro.

Emplastr. ad Hydropem, Ischiadicum, Magnetic. Antip. Angeli sale, de Meliloto, Minio.

HÆc omnia ac singula commodissimè parari possunt, juxta *Animadversiones n. ad quodlibet Emplastrorum horum, seorsim, in prægressa Pharmacopœia Augustana*, adjectas, in quibus genuinæ & dextræ eorum præparationes descriptæ sunt, secundum quas commodè possunt institui. Hoc tamen, quoad *Emplastrum Ischiadicum*, monendum, *ut pondus Euphorbii*, *Semin. Erucæ* & *Caparum*, nonnihil augeatur nec aliud, quàm *Oleum Saponis*, loco *Olei Lini*, recipiatur. Eorum virtutes insuper ibidem loci patebunt.

Emplastrum Nervinum.

℞. Terebinthinæ claræ odoratæ libram unam;
in qua liquefacito
Gummi Carannæ purissimi unc. duas,
Pulv. Gummi Elemi,
Animæ,
Sagapeni, ana unc. tres,
Tacamahacæ unc. quatuor,
Mastichis elect. uncias quinque.

His leniter liquatis, &, si opus, per linum & qualum colatis, adde sequentia commmixta, & liquefacta simul, in aliâ jam tùm patellâ: utpotè,
Ceræ flavæ odoratæ uncias xx,
Axungiæ Canis recent. uncias sex,
Humanæ uncias quatuor:

&, dum adhuc liquefacta in diplomate hærent, superinjiciantur sequentia subtilissimè incisa, & contusa, ad pultis minutiss. formam: nimirum,
Gemmar. seu Oculor. Populi recentium unciæ decem,
Summitat. Abietis, vel Laricis (vulgò Fehrene Gipffel) repurgat. ab externâ lanugine, unciæ quatuor,
Baccar. Juniperi virid. & recent unciæ duæ,
Herb. recent. Calaminthæ montanæ,
Chamæpithyos,
Majoranæ, ana unciæ duæ semis,
Rorismarini,
Salviæ hortens. ana unc. quatuor,

Pulv. Croci opt. unciæ tres,
diluti ad formam pultis, cum
Vini albi suffic. quantitate,
in quo
Lumbricorum terrestr. unc. quatuor
priùs ebullierint:
Pulv. Baccar. Lauri,
Olibani,
Myrrhæ, ana unciæ quinque;
& in fine, quando quasi refrixerunt,
immisceantur
Balsami Indici de Peru unciæ duæ,
Olei still. Salviæ drachmæ duæ,
Majoranæ drachma una.

Misceantur exactè, diu in calore leni agitando, ut probè uniantur. Fiat s. a. *Emplastrum*, quod præstantissimum & utilissimum est, non solùm ad roborandos Nervos, Membra contracta, contusa & conquassata, sed & ad Ventriculum & Uterum confortandum; quod ipsum sexcenties expertus sum: egregiam etiam præstat operam, dum simul compescit passiones Hystericas, roborat, & retinet Fœtum in gravidis, atque ad conceptionem Uterum disponit: in duritie insuper Hypochondriorum, debilitate Hepatis, & Lienis, non minùs salutare existit.

Emplastrum aliud Nervinum Antipodagricum.

℞. Terebinthinæ claræ uncias sex;
in qua liquefacito,
Gummi Carannæ puriss. unc. unam,
Pulv. Gummi Ammoniaci,
Elemi,
Tacamahacæ,
Animæ, ana unciam
unam semis;

quibus exactè unitis adde sequentia, inter se invicem leni calore liquata:

Ceræ flavæ novæ & odoratæ unc. sex,
Saponis Veneti uncias quatuor,
Colophoniæ claræ uncias tres:

Ultimò denique sequentes Pulveres, & Olea, inspergantur: utpotè,

Pulv. Olibani albi,
Mastichis,
Pulv. Sandaracæ,
Succini, ana uncia una semis,
Usneæ fruticis Acaciæ unc. una,
Croci opt. drachmæ sex,
diluti ad pultis formam cum
Succo Chelidoniæ,
Camphoræ uncia semis, solutæ in
Olei Saponis Veneti, cum silicibus still.
drachmis sex, vel unciâ unâ,
Salis Tartari uncia una semis.

Misceantur exactè omnia, & erit *Emplastrum* excellens Nervinum atque Arthriticum: roborat artûs, extrahit & allicit humores acres, dissipat acidum fermentum; adeoque in Podagricis affectibus efficax.

Emplastrum Oppodeldoch.

Hujus *Emplastri* præparatio debita ac legitima, cum aliis, ad confectionem, seu præparationem quorundam ingredientium necessariis, notatuque dignis, *in Animadversionibus n. super istud Emplastrum* factis, luculenter exposita sunt; quas L. B. haud gravatim revolvat.

Emplastrum Oxycroceum.

℞. Terebinth. claræ odoratæ unc. octo;
in qua liquefac
Pulv. Gummi Ammoniaci,
Mastichis el.
Galbani puriss. ana uncias tres;

quibus invicem benè & leniter liquatis, &, si necessitas postulet, per linum & qualum colatis, adde sequentia, separatim priùs in sartagine, alia inter se invicem etiam, liquata leniter: utpote,

Ceræ flavæ odoratæ,
Colophoniæ,
Picis Græcæ, ana uncias novem, vel
decem.

Ultimò verò insperge sequentes
Pulveres:
Pulv. Thuris electi,
Myrrhæ, ana uncias duas semis,
Croci, in vino parùm diluti,
ad pultis formam, unciam
unam semis.

Fiat, omnibus exactè mixtis, debitæ consistentiæ *Emplastrum*, aliquandiu in calore diplomatis (hoc est, in duplici vase, prout superiùs, *in Animadvers. super hoc Emplastrum* factis, explicui) agitandum, ut species eò meliùs inter se coëant, & intimè uniantur, nec etiam spirituosiores ejus partes evanescant: & ita evadet ad affectûs à *D. D. Augustanis* consignatos, efficax. Trahantur cæterùm huc, quæ, *de ratione Gummatum, eorumque legitimâ dissolutione, in iisdem Animadversionibus*, superiùs annotata sunt.

Emplastrum Diapalma.

℞. Axungiæ Porcinæ recentis lib. tres;
huic impastentur
Ramorum Palmæ minutim inscisorum recent. lib. una,
(vel, si hi desint,
Foliorum Quercûs recent. unciæ decem,
Hederæ arbor. recent. unciæ quatuor:)

Factâ maceratione, per aliquot dies, coquantur parùm, additâ *Aceti Sambucini librâ dimidiâ, circiter:* fiat pòst colatura, cum forti expressione Ramorum, aut Foliorum. Expressæ verò Axungiæ adde
Lithargyrii subtiliss. triti libras duas semis,
Vitrioli albi purificati uncias quatuor, vel quinque,
soluti priùs in
Aceti Sambucini,
Rosacei, ana libra semis.

Coquantur lenissimo igne, in sartagine sufficienter amplâ, spatulâ ligneâ, *ex ramo Palmæ* vel *Quercûs*, recenter confectâ, continuò agitando, ad *Emplastri* consistentiam, addendoque ultimò, si libet, cùm parùm refrixerit,
Camphoræ in
Olei Sambuci particulâ solutæ ad pulticulam, drachmas sex:
item
Olibani subtiliss. triti unciam unam semis.

Fiat *Emplastrum*, efficax in doloribus Articulorum. Extrahit enim & resolvit, atque calorem contemperat.

Emplastrum Antipodagricum.

℞. Terebinthinæ claræ bonæ uncias sex;
in qua liquefacito
Gummi Carannæ puriss. unc. unam,
Pulv. Gummi Animæ,
Elemi,
Ladani,
Tacamahacæ, ana unciam unam semis:

His exactè, lenissimo in calore, unitis & solutis, immisceantur sequentia, paulatim, per vices, separatim, in alio vase, jam tùm leniter insimul liquata: utpotè,
Ceræ novæ odoratæ unciæ octo,
Saponis Veneti unciæ quinque,
Olei Saponis Veneti, cum Silicibus still. & suprà edocti, unciæ tres,
Mastichis elect. unciæ duæ.

His omnibus legitimè mixtis, & in diplomate liquatis, statim superinjiciantur sequentia, minutissimè & subtilissimè incisa, atque contusa, ad formam pultis: nempè,
Usneæ fruticis Acaciæ selectæ & puræ recentis,
Fol. Hederæ arb. recent.
Rad. Chelidon. recent. ana unc. duæ,
Oculor. Populi arb. recent. unc. tres,
Flor. recent. Rosarum rub.
Sambuci,
Verbasci, ana unciæ tres semis,
Pulv. Croci opt. Orient. uncia una semis,

diluti ad pultis formam
cum
Lixivii ex Cineribus Vitis facti s. q.
Pulv. Olibani albi,
Sandaracæ,
Succini albi, ana unciæ duæ,
Salis Tartari albi unciæ tres, vel quatuor,
Camphoræ uncia una, in
Olei Sambuci, vel
Ovorum particulâ solutæ.

Misceantur exactissimè in dicto diplomate, & fiat *Emplastrum* Anodynum nobile; quod, partibus dolentibus Arthriticis applicatum, mate-

materiam peccantem partim extrahit, ejusque acorem destruit, dolores lenit, partes insuper, & articulos, insigniter roborat, & à Podagra præservat.

Emplastrum Antipodagricum aliud Anodynum.

℞. Olei Hyoscyami ex sem. expressi,
Papav. ex seminibus expressi,
Lini recenter etiam expressi, ana uncias quatuor,
Minii subtiliter triti uncias xv.
Aceti flor. Sambuci, n. m. parati, libram unam.

Coquantur igne leni, spatulâ, vel rudiculâ, continuò agitando, ad consistentiam *Emplastri*: posteà adde

Ceræ Citrinæ odoratæ,
Terabinthinæ odor. ana unc. duas,
Saponis Veneti uncias duas semis:
Item
Pulv. Olibani unciam unam semis,
Mastichis,
Tacamahacæ, ana drachm. sex,
Rosar. rubrarum,
Sem. Hyoscyami, ana unciam unam.

Misceantur accuratè, fiatque *Emplastrum Anodynum*; quod multum præstat in doloribus Arthriticis, atque Podagricis, tenuiter super linteum extensum, & partibus dolentibus applicatum.

Emplastrum de Plumbo.

℞. Ceræ Citrinæ novæ uncias sex,
Terebinthinæ claræ uncias tres,
Balsami n. Vulnerarii Sulphurei, superiùs, *in Classe de Oleis*, edocti, uncias duas:

his mixtis, & leni calore liquatis, adde

Pulv. Plumbi usti, seu calcinati more figulorum, uncias tres,
Cerussæ cribratæ uncias duas,

priùs cum Aceti Sambuci unciis quatuor ad siccitatem iterum coctæ,

Lapidis Calaminaris, cum succo Plantaginis præp. unciam unam semis,
Tutiæ, præparatæ cum succo Plantaginis, unciam unam,
Pulv. Pompholygis,
Myrrhæ rubræ,
Olibani,
Mastichis,
Aloës hepat. ana drachmas sex,
Nitri puri unciam semis,
Camphoræ drachmas duas,
solutæ in
Balsami Sulphuris s. q. ad formam pultis.

Fiat *Emplastrum* exsiccans; ad Ulcera antiqua, fœtida, corrodentia, fluida, Fistulas, Lupum, Cancrum & Noli me tangere, maximè proficuum. Ex *Mynsichtio* descriptum, & correctum, atque efficacius redditum.

Emplastrum de Ranis, cum Mercurio.

EJus vera, tàm legitima, quàm artificiosa, præparatio, superiùs, *in Animadversionibus super illud* factis, tradita est; quam L. B. tanquàm notatu dignam, ob varia, quæ in ipsa occurrunt, revolvat.

Emplastrum de Spermate Ranarum.

UT *Emplastrum* dextrè paretur, conficiatur priùs *Oleum per infusionem repetitam, macerationem, & coctionem* (non tamen ad totalem humiditatis exhalationem,) *è spermate Ranarum aquatilium*, additis *Cancris fluviatilibus*, si lubet. Hinc

℞. Hujus Olei, cum adjunctâ adhuc ejus subsidente humiditate, libras quatuor:
Cerussæ cribratæ libras tres.

Coquantur leni igne, rudiculâ continuò agitando: in ipsâ autem coctura successivè admisce

Vitrioli albi, &
Aluminis crudi, ana uncias tres,
solutorum in
Spermatis Ranarum resoluti, & per linteum saccum spontè transmissi, s. q.

&, postquàm, per lenem cocturam, ad debitam *Emplastri* consistentiam redacta fuerint, adde

Ceræ

Ceræ albæ uncias ſex;
remotiſque ab igne
Pulv. Maſtichis el. albiſſ.
Thuris opt. albi, ana unciam unam ſemis;
tandem, quando propemodùm refrixerit *Emplaſtrum*, immiſce
Camphoræ unciam unam ſemis,
priùs ſolutæ ad pultis formam in
Olei Roſarum ſuffic. quantit.
Et fiat *Emplaſtrum* debitæ conſiſtentiæ, Vulneribus omnibus, & Inflammationibus coërcendis, ſalutare.

Nota, *quòd fortè felicius ſucceſſura ſit hujus Emplaſtri coctura & confectio, efficaciuſque illud evaſurum, ſi Axungia Suilla recens eodem modo, quo Oleum Olivarum, cum Spermate Ranarum, tribus vicibus, infuſa, cocta, ac ad ipſum hoc Emplaſtrum, loco Olei de Spermate Ranarum, demque adaptaretur.*

Emplaſtrum ad Rupturas, ſeu Hernias.

℞. Pulv. Rad. Cyperi rotundi,
Tormentillæ,
Biſtortæ,
Saniculæ, ana unc. ſemis,
Symphyti maj. unc. unam ſemis,
Herb. recent. Perfoliatæ,
Pyrolæ,
Hyperici floreſc.
Conſolidæ Sarracen.
Fol. recent. Quercûs ana ſubtiliſſimè conſciſſ. & contuſorum ad pultis formam, unciam unam ſemis,
Pulv. flor. Roſarum rubr.
Balauſtiorum,
Sem. Perfoliatæ,
Nuc. Cupreſſi,
Calicum gland. Quercûs,
Olibani,
Sarcocollæ,
Sanguinis Draconis,
Aluminis uſti, ana unciam ſemis,
Lapid. Hæmatit. drachm. ſex.
Coquantur cum ſ. q. *Decocti fortiſſimi Glandium arboris Laricis, ſive Abietis* (vulgò weiſſe Dannzapffen / oder Cronſähren) cum *Vino rubro* facti, ad Cataplaſmatis ſat ſolidam conſiſtentiam, ne manibus adhæreat; cui, ab igne remoto, adde ſequentia invicem jam tùm liquefacta: utpotè,
Ceræ novæ odoratæ uncias xv,
Terebinthinæ claræ uncias quatuor,
Gummi Maſtichis uncias tres,
Elemi,
Tacamahacæ, ana unc. duas,
Balſami n. Martialis Vulnerarii, cum Ol. Terebinth. rubro parati, & ſuperiùs, *in Claſſe de Oleis coctis*, edocti, unciam unam ſemis.
Fiat *Emplaſtrum* mollioris nonnihil conſiſtentiæ, ad inſtar Cataplaſmatis durioris, veſicæ incluſum aſſervandum.

Præſtans *Emplaſtrum*, ad Hernias ſanandas, ſive Enterocele, ſive Bubonocele ſit, ſingulis diebus recenter applicandum; repoſitis priùs inteſtinis, & cingulo apto, ligaturâ factâ, ne inteſtina prolabi poſſint.

Emplaſtrum Spleneticum.

℞. Terebinthinæ liquidæ uncias ſex;
in qua liquefacito
Pulv. Gummi Ammoniaci,
Elemi,
Sagapeni, ana unciam unam ſemis,
Maſtichis unc. unam:
his, leniter in diplomate liquatis, adde
Ceræ flavæ odorat. uncias octo,
Ol. Sem. Naſturtii expreſſi unciam unam ſemis,
Succini ſtill. unciam ſemis:
& cùm liquata adhuc in diplomate calent, inſuper ſequentia, ſubtiliſſimè inſciſa & contuſa ad pultis formam, adjice: utpotè
Herb. recent. Naſturtii,
Perſicariæ,
Roriſmarini,
Verbenæ, ana uncias tres:
item
Succi Verbenæ
Succi, vel decocti Scolopendrii, ana inſpiſſator. ad formam extracti, unciam ſemis,

Extracti Tabaci infumati drachmas quinque;
tandem superinspergantur subsequentia:
Pulv. Olibani,
Myrrhæ, ana uncia una semis,
Tabaci infumati, seu Nicotian.
Sem. Nasturtii, ana drachm. sex,
Camphoræ uncia una,
solutæ cum
Ol. Succini still. drachmis duabus,
Majoran. still. drachmâ unâ,
Coriandri drachmâ semis,
in mortario subigendo,
fiat, omnibus exactè mixtis, *Emplastrum Spleneticum* excellens.

Valet ad obstructiones & duritiem Lienis simul, atque Hepatis. Igitur in Febre Quartanâ, Cachexiâ, & Melancholiâ Hypochondriacâ, cum emolumento adhibetur.

Emplastrum Stomachicum.

℞. Gum. Tacamahacæ unciam unam,
Animæ,
Benzoës, ana unciam semis,
Mastichis uncias duas,
Terebinthinæ claræ uncias tres,
Resinæ Styr. express. unc. unam.
His invicem, vel simul dissolutis, lenissimo calore, &, si opus est, per linum & qualum colatis, superadde
Olei Nucum Moschat. exressi,
Pulv. Olibani,
Myrrhæ,
Nuc. Moschat.
Baccar. Lauri, ana unciam unam,
Caryophyll. drachmas sex;
quibus ultimò, quasi refrigerato *Emplastro*, adde
Balsami Indici Peruviani unciam semis, vel. drach. sex.
Fiat *Emplastrum* nobile, ad *Stomachum* confortandum maximè faciens: quemadmodum ex ipsâ inspectione rerum ingredientium manifestum est.

Emplastrum aliud Stomachicum.

℞. Gum. Tacamahacæ,
Ladani opt. ana unciam unam semis,
Gum. Styracis Calam. uncias duas,
Mastichis uncias tres.
Hæc juncta liquefiant leniter in
Terebinthinæ bonæ, vel Cypriacæ, unciis octo;
quibus mixtis & liquatis in diplomate, colatisque per linum & qualum, sicuti necessitas postulaverit, superadde, dùm adhuc calent, sequentia, subtilissimè inscisa & contusa ad pultis formam; videlicet
Herb. recent. Absinthii,
Menthæ,
Majoranæ,
Rorismarini, ana uncias tres:
item
Ceræ flavæ odoratæ uncias quatuor,
Ol. Nucum Moschat. expressi unciam unam,
Mastichis n. uncias duas,
liquata invicem;
nec non
Pulv. Baccar. Lauri unc. unam semis,
Olibani unciam unam,
Myrrhæ drachmas sex,
Calami Aromatici,
Caryophyllorum, ana unciam semis,
Croci opt. drachmas duas:
atque ultimò, cùm parùm refrixerint, porrò, sub continuâ agitatione, inspergantur
Balsami Indici de Peru drachmæ sex, vel uncia una.
Misceantur exactè, fiatque *Emplastrum Stomachale* efficacissimum.

Emplastrum Stomachicum Regium.

℞. Resinæ Styracis Calamitæ,
Ol. Nuc. Moschat. expressi, ana unciam unam semis.
In his liquatis, & mixtis, solvantur
Mastichis electæ & pulver. uncia una semis,
Ol. still. Caryophyll. drachma una,
Menthæ,
Majoranæ,
Cinamomi,
Absinthii, ana drachma semis,
His

His mixtis impastentur sequentia, leni calore agitando:

Herb. recent. Majoranæ,
Rorismarini,
Thymi, ana subtilissimè inscis. & ad pultis formam contus. unc. una,
Pulv. Benzoës opt.
Olibani,
Baccar. Lauri, ana unc. semis, vel drachmæ sex;
ac, cùm nonnihil refrixerint,
superadde
Balsami Indici de Peru unciam semis, vel drachmas sex,
Fiat *Emplastrum*, ad *Stomachum* roborandum validissimum, verè *Regium*.

Emplastrum de Symphyto ad Hernias.

℞. Ceræ flavæ & odoratæ,
Resinæ Pini, ana uncias quatuor,
Balsami n. Vulnerarii Martialis, *suprà* edocti, uncias tres,
His, leni calore mixtis, adde sequentia subtilissimè & minutissimè incisa, & contusa ad formam pultis: utpotè,
Rad. Symphyti maj. recent. unc. quatuor, vel quinque,
Herb. Perfoliatæ
Pyrolæ
Flor. Hyperici, ana recent. unciam unam semis.
Ultimò sequentes Pulveres inspergantur:
Pulv. Sang. Draconis,
Lapid. Hæmatit.
Olibani, ana uncia semis,
Fiat *Emplastrum*, ad *Hernias* sanandas efficax.

Emplastrum Triapharmacum.

℞. Minii subtiliss. triti
Aceti Rosacei, ana libram unam semis,
Olei Rosarum cocti, vel, uti *suprà*, per Infusiones parati, libras duas,
Coquantur in sartagine amplâ, spatulâ continuò agitando, ad debitam *Emplastri* consistentiam; cui, ab igne remoto, & nonnihil refrigerato, adde, sub continuâ agitatione,
Camphoræ unciam unam semis,
solutæ priùs ad pultis formam, subigendo saltem, & contundendo in mortario, cum
Olei Rosarum suffic. quantit.
Fiat *Emplastrum*, quod nonnullis *Universale* dicitur, & *Norsbergense*, ad varias affectiones externas proficuum: de cujus virtutibus integer Tractatus impressus extat; quem tamen circumspectè legere, eique cautè credere, convenit, ne hyperbolicis encomiis decipiatur ignarus virtutis ingredientium, non ritè examinatorum, fallatque se, & alios.

Emplastrum Antivenereum, seu Mercuriale.

℞. Mercurii, seu Argenti vivi, uncias quatuor;
solvatur in
Aquæ fortis, seu Spiritûs Nitri, suffic. quant.
Solutioni adde
Axungiæ Porcinæ recent. uncias octo;
& in vase terreo vitreato, patellâ nimirùm, coquantur ad consistentiam *Emplastri*, sed lenissimo igne, ne nigrescat, spatulâ, vel rudiculâ ligneâ, indesinenter agitando; cui adde
Ceræ flavæ & odor. unc. duas, vel tres,
Pulv. Masticbis,
Olibani, ana unciam unam.
Fiat *Emplastrum* nobile & præstans, ad invidiam contradicentis; quod omnia Ulcera Gallica persanat, & crustas, sine doloris sensu, quocunque etiam loco secreto hæreant, veluti miraculosè absumit.

Emplastrum Vesicatorium.

℞. Pulv. Cantharidum drachm. quinque,
Myrrhæ,
Mastichis, ana drachmam unam semis,
Camphoræ drachmam semis,
Fermenti acerrimi Pistor. solidi, non nimiùm mollis, uncias duas,
Terebinthinæ claræ,
Ceræ flavæ, ana insimul liquatorum, unciam unam semis,
Pulpæ Scillæ recentis unciam semis,

Aceti Scillitici fortis drachmas duas, vel unciam ſemis.

Fiat *Emplaſtrum* ; cujus vires notæ ſunt.

Emplaſtrum Vulnerarium , & Pectorale.

℞. Terebinthinæ claræ uncias octo;
in quâ ſolvantur & liqueſiant
Gummi Tacamahacæ unc. una ſemis,
Elemi unciæ tres:
his ſolutis , atque per linum & qualum colatis, adde
Ceræ flavæ & odorat. Virgin. uncias duodecim,
Axungiæ Anſeris,
Caponis, ana uncias duas:
his probè conjunctis immiſceantur ulterius ſequentia, ſubtiliſſimo modo inciſa & contuſa, ad formam pultis : utpotè
Rad. Symphyti majoris rec. unc.duæ,
Enulæ,
Althææ, ana recent.uncia una,
Herb.recent.Hyſſopi,
Betonicæ,
Alchimillæ,
Millefolii,
Hederæ terreſtr.
Flor.Chamæmeli recent.ana uncia una ſemis,
Oculor. Populi arb. recent. unc. duæ;
tandem ſequentes inſpergantur Pulveres:uti ſunt
Pulv. Olibani,
Myrrhæ,
Maſtichis, ana uncia una ſemis,
Rad. Ireos Flor. uncia una,
Croci drachmæ ſex,
Camphoræ drachmæ duæ, ſolutæ in
Olei ſtill. Aniſi ſ. q. ad pulticulam.

Fiat ex omnibus , L. A. *Emplaſtrum* , in diplomate , vaſe nimirùm duplici , leni calore agitandum. In Vulneribus Pectoris internis , Empyematibus , aliiſque Ulceribus ac Apoſtematibus , excellens , toti Pectori externè applicandum.

Emplaſtrum aliud Vulnerarium , ad Renes Exulceratos.

℞. Gummi Animæ,
Elemi, ana unc. unam ſemis;
hæc liqueſiant in
Terebinthinæ claræ unciis quatuor;
quibus porrò adde
Ceræ flavæ odoratæ uncias ſex,
Balſami n. Sulphuris non fœtidi , cum Oleo Terebinth. flavo , vel rubro, parati, unciam unam ſemis.

His exactè mixtis impaſtentur ſequentia, ſubtiliſſimè inciſa & contuſa : quæ ſunt,
Rad. Sigilli Salomon.recent.unc.una,
Symphyti maj. recent. uncia una ſemis,
Herb.Plantaginis minoris,
Millefolii,
Solani,
Conſol. Sarracen.
Flor. Hyperici,
Roſarum, ana recent. uncia una,
Oculor.Populi arbor. recentium uncia una ſemis;
ultimò addantur
Pulv. Croci opt. drachmæ duæ,
Olibani drachmæ ſex,
Camphoræ drachmæ tres , ſolutæ in particula Ung. Roſati,
ad pulticulam.

Fiatque , diu multumque agitando, intra leniſſimum calorem , in diplomate , *Emplaſtrum* , regioni Renum applicandum.

Emplaſtrum Vulnerarium verum.

℞. Pulv. Gum. Elemi,
Opopanacis,
Sagapeni,
Maſtichis,
Olibani,
Myrrhæ,ana unciam unam ſemis.

Hæc omnia liqueſiant, beneficio caloris leniſſimi , in
Terebinthinæ claræ unciis octo,
Balſami n. Vulnerarii Martialis,
Balſami n. Sulphuris Vulnerarii , ana *ſuperiùs , in Claſſe Oleorum coctorum*, edoct. unciis duabus;
& , dùm in diplomate liquefacta adhuc calent, ſuperaddantur ſequentia ſubtiliſſimè inciſa , & minutiſſimè contuſa ; utpotè,

Rad. Symphyti major. recent. uncia una semis,
Herb. Alchimillæ,
Consolid. Sarracen.
Millefolii,
Plantag. min. acuti folii,
Pyrolæ, ana recent. uncia una,
Flor. Hyperici recent. drachm. decem,
Gemmar. Populi arbor. rec. unc. duæ,
Summit. Laricis, seu Abietis, lanugine ear. separat. uncia una semis;
nec non
Pulv. Sanguinis Draconis,
Lapid. Calamin. cum succo Plantaginis parati,
Osteocollæ, itentid. cum succo Plantag. parati, ana uncia una semis,
Sarcocollæ uncia semis,
Croci Martis, ex Vitriolo Martis per calcinationem parati, uncia una semis:
ultimo tandem, quando quasi refrixerunt, admisceatur
Balsami Indici de Peru unc. una semis.
Fiat, omnibus exactè inter se invicem copulatis, *Emplastrum*, Vulneribus in universum omnibus, antiquis æquè, ac recentibus, applicabile: præservans, & ab omnibus symptomatibus defendens Vulnera; quæ persanat, & conglutinat.

Atque ita, B. L. favente Numine, huic quoque Classi ultimam impono manum, in quâ *Emplastra*, pretiosum illud, partibus externis dicatum, remedium (de quibus Magnus Helmontius, *Tit. de Dispensator. Modern. num.* 58. ait: *Quacunque balnea agunt in totô, hoc idem calefacta, fotaque unguina, absolvunt in parte, sine totius jacturâ*) plurima & præstantissima revelavi; adeò, ut affectus non sit, cui remedium & auxilium objicere non valeas. Hoc unum ut sollicitè advertas, Te hortor, quâ dexteritate, methodo, ac circumspectione, opus sit, ut dicta *Emplastra* suam nanciscantur perfectionem, pretium, ac valorem; quòd non sit obvium, ac manifestum, cuique Tonsori, Lippo, & Circulatori; quia non tractantur hæc in circo Vetularum, & Agyrtarum contuberniis, prout sibi inquieta nonnunquam ingenia blandiuntur. Observa pariter, &, velut opposito contrario, veritas Tibi elucescet; quantum scil. à Majoribus, in Veterum *Emplastrorum* descriptionibus deviatum sit; quàm conspicui errores undique oberrent: quod vel maximè experieris, ubi seriem nostrarum Præscriptionum, legitimam Præparationem, Artem & Methodum severiùs ad calculum revocaveris. Tàm enim perspicuam, ac inde facilem, per exempla, reperies doctrinam nostram, ut, instar regulæ Ariadneæ, securissimè ad fastigium Artis deducat illos, qui multum hactenus in arte vacillabant; modò filum, & regulam, apprehendant, firmiterque stringant, neutram in partem declinantes. Utantur igitur hoc compendio deinceps exercitatissimi Viri, neque obvio cuivis Caloni (Laborantes dicuntur: nam sæpè mente laborant & crumenâ,) suam concredant, & Ægrorum, salutem; cùm non videam, quâ ratione, juxta tàm erroneas præparationes, & mendis plenissima inventa, in Medicum honor, in Ægrum solatium, possit redundare: è contra verò appareat, quæ, & qualia, concredam, quàm nulli imposturæ exposita, quàm magnæ spei, ac certæ salutis, remedia. Interim, si quem varietas delectat, & ampliora scrutatur, passim Classicos reperiet, uti & ipsum Augustanum, *nostris Animadversionibus* locupletatum Dispensatorium; unde, divite penu, domui suæ consulet, ac prospiciet. Hæc pauca interim, non parva, boni consule, A. L. ad plura, & ampliora, Magistra rerum, Experientia, Te manu ducet.

PHARMACOPOEIÆ REGIÆ

CLASSIS DECIMA NONA,

Ceratorum, ac Cataplaſmatum, Parandorum Modum præſcribens.

E*Xigua eſt inter* Emplaſtra, *&* Cerata, *differentia. Itaque ea, quæ ſuperius, in genere, de Emplaſtris præfati fuimus, huic quoque Claſſi in omnibus æquè accommodari poſſunt: cui pariter* Cataplaſmata *nonnulla annexuri ſumus, quæ pari jure ſub hujus* decimæ nonæ Claſſis titulo *non incompetentem locum ſibi vindicaverint; cùm hæc ipſa in nullo alio abludant ab* Emplaſtris *niſi quoad conſiſtentiam paulò molliorem, & quòd minùs, quàm* Emplaſtra, Cerata *ætatem ferant: idque propter carentiam, aut ſaltem paucitatem,* rerum unctuoſarum; *intellige,* Gummatum, Axungiarum, Oleorum, *& ipſius* Ceræ, *tanquam corporum magis durabilium, illis adjectam, aut adjiciendam; quæ ſingula tamen ex legitimis illorum deſcriptionibus nota & palàm fiunt.*

Ceratum de Betonica, Cephalicum.

℞. Reſinæ Styracis, per expreſſionem factæ, uncias duas,
Ladani per extr. par.
Pulv. Gummi Animæ,
Tacamahacæ,
Benzoës,
Maſtichis, ana unc. unam.

Hæc omnia liquefiant leniter
in
Terebinthinæ Venet. odoratæ unciis quinque:

quibus ſolutis in leni calore, adde
Ceræ flavæ odoratæ uncias ſex,
Ol. Nuc. Moſchat. expreſſi unc. unam,
Still. Coriandri,
Majoranæ,
Lavendulæ, ana drachm. duas,
Succini unciam ſemis.

His omnibus exactè, & leni calore, in diplomate unitis & liquatis, impaſtentur ſucceſſivè, dum adhuc calent, ſequentia, minutiſſimè, & ſubtiliſſimè inciſa atque contuſa: utpotè,

Fol. recent. Betonicæ floreſc. unc. tres,
Nuc. Jugland. arb. tenerim.
Roriſmarini,
Thymi, vel Majoranæ, ana unciæ duæ,
Flor. recent. Acaciæ,
Arantiorum, aut, loco eorum, Pomulor. immaturorum & minimorum; quæ omnia verò ſi deſint, Florum Tunicæ, & Keiri, ac Sambuci, ana uncia una,
Gemmar. Populi arboris rec. uncia una ſemis:

item ſuperinſpergantur
Pulv. Ligni Aloës,
Rhodii,
Cupreſſi,
Succini albi,
Olibani, ana uncia ſemis,
Croci opt. drachmæ tres.

Miſceantur exactè in diplomate, & efficiatur *Emplaſtrum*, ſive *Ceratum*, Cephalicum præſtans, vertebris Colli, Temporibus, & Vertici, ut & Fronti, applicandum, ad ſuperfluos Cerebri humores: Cephalæam, Cephalalgiam, Catarrhos, ad partes inferiores delabentes, ſiſtit.

Nota: *Non me latet, quòd* Herbæ, Folia, *&* Flores, *huic* Cerato *deſtinati, non uno eodemque tempore floreant, & vireſcant; ſic* Flores Acaciæ, Sambuci, *item* Keiri, Gemmæ *nec non* Populi arboris, *inter ſumma Veris initia proſiliunt;*

liunt; quâ anni parte folia Betonicæ cum floribus *nondum proruperunt. Idcircò suadeo, & necessum est, ut in superioribus*, Cerato *huic* destinatis, Resinis, Gummatibus, *&* Oleis, *jam invicem liquatis, & mixtis, summo veris initio*, Gemmæ Populi arboris, Flores Acaciæ, Keiri, Arantiorum, Sambuci, Fol. Nucum Jugland. tenerrim. Rorismarini, *subtilissimè incisa & contusa uniantur, donec reliquum suo temporis articulo, superaddi, &* Ceratum *hoc ex toto, secundum dexteritatis normam, perfectionis terminum adipisci queat.*

Ceratum aliud Cephalicum de Betonica, Hyberno etiam tempore parabile.

℞. Resinar. Styracis Calam.expr. unciam unam,
Ladani, per extract. cum Spiritu Vini parati, drach. sex,
Pulv.Gummi Tacamahacæ,
Animæ,ana unc. semis,
Terebinth.Cypriæ unc. unam semis;
quibus leniter liquatis adde
Ceræ flavæ & novæ, etiam leniter liquatæ, uncias duas,
Ol.Nuc.Mosch.expressi unciam semis.
His omnibus mixtis inspergantur sequentes Pulveres:
Pulv. Herb.& Flor.Betonicæ unc.una,
Majoranæ,
Thymi, ana drachmæ tres,
Olibani,
Succini,ana drachm. duæ semis,
Gummi Benzoës uncia semis,
Sandaracæ,
Ligni Aloës opt.
Rhodii,
Sem. Coriandri,ana drachmæ duæ:
ultimò tandem
Ol.still. Lavendulæ,
Majoranæ,
Coriandri,ana drachm. semis,
Ligni Rhodii scrupuli duo
instillentur.
Fiat *Ceratum Cephalicum* preciosum; cujus virtutes ex superiore liquent.

Ceratum ad Hernias seu Rupturas.

℞. Terebinthinæ claræ uncias sex;
in quâ liquefacito
Pulv.Mastichis electæ unciam unam,
Ceræ flavæ odoratæ uncias quatuor;
quibus liquatis adde
Succi Acaciæ,
Hypocistidis,ana in decocto forti Glandium Laricis, seu Abietis, in pultis formam solut. unciam unam,
Pulv. Myrrhæ,
Olibani,
Rad.Symph.maj.ana unc.unam,
Sanguinis Draconis,
Aluminis crudi, parumper cum superiori decocto humectati, ana drachmas sex,
Nucum Cupressi,
Lapid. Hæmatit.
Sem. Perfoliatæ,
Vitrioli de Cypro, parùm in Sole,vel post fornacem,calcinati, ana unciam semis,
Misceantur exactè: fiat *Ceratum.*
Præsens remedium ad varias Herniæ species; parti affectæ, intestinis, vel omento, priùs in locum suum repositis, pube ac scroto tonsis, appositum.

Ceratum aliud ad Hernias.

℞. Lithargyrii subt.triti uncias duas,
Minii cribrati unciam unam.
Coquantur in Aceti Rosacei librâ unâ,ad siccitatem Lithargyrii & Minii, & totam Aceti exhalationem: huic Pulveri Aceto cocto porrò adde
Pulv.Gum.Arabici,
Tragacanthi,
Bdellii, ana drachmam unam semis,
Aloës hepat. drachm. duas,
Succi Acaciæ,
Hypocistidos, ana solut.
Pulv. Sarcocollæ,
Rad. Aristol. rot.
Consol.maj.

Pulv.Rad.Bistortæ,
Tormentillæ,
Cort. Granator. ana drachmam unam semis,
Nuc. Cupressi,
Gallar.Turcicar. ana drachmam unam,
Boli Armenæ,
Sanguinis Draconis,ana unciam semis,
Collæ piscium,dissol.parùm,drachm. unam semis.

Coquantur denuò cum Vini rubri s.q. ad *Cataplasmatis* solidam & duriusculam consistentiam, ne manibus adhæreat, s. a. Huic *Cataplasmati* junge tandem

Terebinthinæ claræ uncias quinque,
Colophoniæ unciam unam semis;
in quibus priùs
Pulv. Mastichis el.
Olibani,
Myrrhæ,ana drachmæ tres,
Opopanacis,
Galbani, ana drachmæ duæ,
liquatæ & solutæ fuerint.

Fiat *Ceratum*, ad Hernias præstans.

Ceratum Matricale.

℞. Terebinthinæ claræ uncias tres;
in illa liquefiant
Gum. Galbani puri uncia una,
Animæ,
Sagapeni,
Tacamah. ana uncia semis.

Colentur per Linum & qualum; iisque adde

Ceræ novæ & flavæ, itidem liquatæ, uncias duas:
his unitis impastentur
Herb.rec.Matricariæ,
Menthæ,
Rorismarini,
Melissæ, ana subtilissimè & minutissimè incisar. & contus.ad pultis formam, uncia una,
Pulv. Myrrhæ drachmæ sex,
Rad. Cardopatiæ,
Sem. Dauci,
Pulv.Sem.Carui,
Anethi,
Olibani,ana uncia semis
Croci opt.
Opii, in partic. aquæ Rorismarin. ad pulticulam soluti,
Camphoræ, ana drachmæ duæ.

Fiat *Ceratum* præstans, aliquandiu in calore & diplomate agitandum.

Uterum frigidum calefacit,ejus flatulentiam dissipat; passiones sedat Hystericas, & vapores ab utero ascendentes coërcet, doloremque mitigat.

Ceratum ex Pelle Arietina.

Ejus descriptio, & legitimus parandi modus, petatur ex *præmissis*, *super ipsum Ceratum*, *Animadversionibus præced. Pharmacopœiæ Augustanæ*, ubi omnia clarè patent; & ad oculum videre est, quàm ejus, difficillima aliàs, & intricata, descriptio, perspicua simul & facillima reddita sit.

Ceratum Diaquercinum: quod in Germania,ubi Palmarum rarus est proventus, Diapalmæ vices supplere potest.

℞. Fol. Quercûs teneriorum recent. & succulentorum, libras duas.

Conscindantur & contundantur opt. impastenturque in

Axungiæ Porcinæ libras quatuor.

Factâ maceratione, aliquot dierum spatio, coquantur parùm,& exprimantur. *Axungiæ expressæ* porrò *recentia concisa & contusa folia Quercûs*, in suprà dicto pondere, immergantur,reiterataque brevi maceratione,leni coctione & expressione, uti priùs, huic Axungiæ tandem adde

Lithargyrii subtilissimè triti lib.tres.

Coquantur leniter, spatulâ, vel rudiculâ,continuò agitando, sensimque, ac per vices, infundendo

Vitrioli albi unc.quatuor,vel quinque,
soluti priùs in
Succi, vel Decocti fortis, foliorum Quercûs, librâ una,

ad *Cerati* solidioris, seu *Emplastri* consistentiam;

tiam; quod non solùm prænominatæ *Diapalma* vires supplere poterit, sed & virtutibus eam superabit.

Nota, *quòd ei, qui, loco* Axungiæ Porcinæ, Olivarum, *vel aliud* coctum Oleum *surrogare voluerit, liberum sit; ego verò* Axungiam Suillam, *tanquam aptiorem, prætulerim.*

Cæterum confert hoc *Ceratum* ad Ulcera dysepulota; Articulorum morbis, Bubonibus, Ambustis, Ossium fracturis, Contusionibus & Plagis, proficuum; Oedemata exsiccans, & Fonticulis utilitatem adferens.

Ceratum Santalinum.

℞. Ceræ Citrinæ odoratæ uncias decem,
Olei Rosarum, per trinam infusionem & macerationem parati, uncias octo;
his lenissimo calore mixtis impastentur
Flor. Rosar. rub. recent. subtilissimè & minutissimè incisarum & contusarum ad pultis formam, unciæ quatuor, vel quinque:
Jam verò
℞. Pulv. Santali rubri unc. unam semis,
Albi,
Citrini, ana drach. sex,
Rasuræ Eboris unciam semis,
Boli Armenæ unciam unam.

Coquantur cum s. q. *Infusionis Rosarum rubearum*, ad *Cataplasmatis* solidam & duriusculam consistentiam, s. a. ne manibus, attactum, adhæreat, & superioribus tandem dextrè, in calore, impastetur. Quæ sic unita, per horas duas, vel ultrà, super igne leni, commiscendo agitentur, quò intimè uniantur, & se invicem amplectentur: ultimò tandem, cùm refrixerit, superadde

Camphoræ drach. tres, vel unc. semis, solutæ in
Olei Rosarum particulâ.

Fiat sic nobile *Ceratum*, longè excellentius, quàm vetus illud, simpliciter paratum: calidam intemperiem Hepatis, aliarumque partium, contemperat & emendat.

Animadvertis, B. L. quòd *Ceratum hoc, nostrâ methodo ac formâ*, quam nunc exhibet, & simplicissimâ quidem, dispensatum, decuplo plùs efficaciæ ac virium compromittat, quàm *Ceratum illud, Veterum stylo, ac invento, descriptum ac præparatum?* Si enim, juxta Philosophum, contraria juxta se posita magis elucescunt, ac tenebræ Solem, umbræ Corpora, vitia Virtutes commendant ac exaltant; comparatione utamur utriusque hujus præparationis, ac dispensandi modos combinemus; ac, uter laudabilior, meliorque sit, suffragemur. Quid enim, amabo, *exsuccæ, & effœtæ Species, cineres potiùs, quàm substantiæ* (uti *Spodium*, & *Ebur ustum*) aridiores (ut *Bolus*, & *Santalorum ligna*) in hoc *Cerato* efficaciæ, virtutis ac energiæ, habebunt ac imprimerent, simplicissimè, nudè, ac crudè, *Oleo Rosarum*, & *Ceræ*, commixta? Profectò parùm, vel nihil, maximè iis circumstantiis, ubi externis usibus destinatur *Ceratum*. Et si, quando tunc, in dicto *Cerato*, virtutis alicujus, aut effectus, particula emicat, nequaquam ea *dictis Speciebus*, sed simpliciter *Oleo Rosato*, *Ceræ*, ac *Camphoræ*, accenseri debet. Enim verò tàm *Oleum*, quàm *Cera*, sic naturâ comparata sunt, ut, sive unita, sive non mixta existant, nunquam tamen *dictarum Specierum* vires allicere, solvere, extrahere, aut quocunque modo elicere possint & actuare: cùm, è contra, *alio quopiam Liquore* decocta, vires earum, sive vinctæ, sive sopitæ, excitentur ac vigeant, ad debitum effectum ac virtutem producendum. Dispar longè ratio est, cùm intra corpus *dictæ Species* assumuntur. Gaudet enim Ventriculus nativâ humiditate, & inspirato fermento suo, cujus beneficio humectari possunt *arida*, fermentari, ac ad effectus debitos producendos actuari, licet ipsa *nullâ peregrina humiditate* madeant ac imbuantur: cùm contrà sic *aridæ* & *exsuccæ Species*, *Oleo* & *Ceræ* mixtæ, ac cuti illitæ, ne minimum quidem nobis præstare possint, quod naturæ ac affectui deserviat. Non sic se res habet in nostro casu, ac descripto *Cerato*; in quo non solùm *recentes, rubræque, Rosæ siccis* prævalent, ad præfixam intentionem, & scopum, Hepatis nimirum φλογωσιν & calorem contemperandum, nec non Parenchyma roborandum, sed etiam ad *Oleum* ac *Ceram*, virtute suâ imprægnanda; utpotè *adhuc humido primigenio gaudentes:*

dentes: cùm tamen etiam in dictis circumstantiis, nostraque præparatione, neque *Oleum*, nec *Cera*, *virtutem ac essentiam Rosarum* extrahere possint, mutuamque causalitatem exercere; licet *à Rosis recentibus Oleum*, *ac Cera*, viribus ac congenitis qualitatibus imbuantur. Nunc à potiori arguo: si *Oleum*, ac *Cera*, *Rosarum recentium vires ac essentiam* extrahere nequeunt, licet, è contra, *Rosæ illæ* afficiant; quid effectus tribuent *aridissimæ Rosæ*, *omni humiditate destitutæ*, & vel maximè ab *Oleo Ceraque* prohibitæ, quò minùs desideratum effectum sortiantur? Quod de *Rosis siccis* conclusum, hoc vel maximè valet contra *Species aridissimas*, *Spodium* nimirum, & *Ebur*, *Bolum*, ac *Santalorum ligna*, quæ unctuosis illis oblinita, ac quasi interclusis poris, omnem deperdunt vim ac potestatem, virtutes suas communicandi, ac influendi: ac cuti saltem, & corporis superficiei, minutulorum instar corpusculorum, adhærent, perspirationem retardant ac arcent. Quæ omnia ac singula si præclaræ notæ Medici perpendant, mecum inferent, veterem, dictum Ceratum Santalinum parandi, normam nullius esse frugis ac efficaciæ, ad destinatos effectus. Aliud foret judicium formandum, si jam *recensitæ Species resinosis quibusdam, Gummatibus, aceto solutis*, miscerentur; ubi forsan nonnihil substantiæ ac virtutis adstrictivæ communicare possent; at *meris unctuosis* ea subegisse, arentique cuti, & ad corporis ambitum, admovisse: ridiculum profectò, ac jocosum deliramentum est: faciliùs forsan condonandum, si vulneribus, sanguine, aut ulceribus, sanie diffluentibus applicarentur, ac, manante ibidem humiditate, in actum ducerentur, unctuositate non præpeditâ. De *Spodio* quidem non est habendus prolixus discursus, aut speculatio, utpotè tam effœto, viribusque Medicis imbecilli, ac tenui, ut neque interno, nec externo, usui deserviat: prout fusiùs alibi declaravi.

Proindè, in *serie Ingredientium* hujus *Cerati*, minimè *ustum*, *ac exsuccum*, *sed rasspatum*, *recensque Ebur*, collocavi, ac, ut omnia actuari, & ad producendum effectum expediri possent, adlaboravi: beneficio nimirum *Succi*, vel *Infusi*, *Rosarum* coquendo in formam Cataplasmatis; ut sic unita, mutuò sibi virtutes ac efficaciam communicare valerent, unum producendo effectum. Hæc fusiùs deducere placuit; non, quòd forsan hujus *Cerati* dignitas, aut, in parando, difficultas, nos moraretur, ac commoveret; sed ut locum, & occasionem arriperem, fusiùs demonstrandi, quàm probè cognoscere debeat rerum omnium naturas, & crasin, primas secundasque qualitates, effectum, quem *res unitæ*, effectum, quem *singulæ*, & extra compositum, producere aptæ sint; quid *crudæ*, quid *actuatæ*, præstare valeant; & complura his affinia, qui juxta Philosophiæ, Artisque leges, talia ritè medicamenta dispensare ac ordinare velit, tàm Medicus, quàm Pharmacopœus. Nisi enim omnia ac singula ita disponamus, ut plerarumque rerum & effectuum rationes Physicas reddere possimus; Spartam nostram minimè pro debito obivimus. Quæ quidem rationes licet non subjungantur ubique; dari tamen à me possent, nisi in vastissimum Volumen opus accresceret. Quare non immoror ulteriùs, sed ad describenda *Cataplasmata* propero.

Cataplasma seu Ceratum ad Tumores Oedematosos, & Duros.

℞. Antimonii crudi uncias octo,
Calcis vivæ uncias octodecim;
in pulveres redacta, misceantur: quibus superaffundantur
Vini rubri libræ quinque, vel sex:
Factâ digestione, duobus circiter diebus, aliquoties primâ saltem die commovendo, decantetur, alterâ die prætergressâ, quod clarum, per inclinationem. Cum hoc liquore coquantur sequentia: utpotè,
Pulv. Lapid. Medicamentosi n. unciæ duæ semis,
Sulphuris unciæ duæ,
Olibani,
Myrrhæ,
Sang. Draconis,
Succini, ana uncia una semis,
Rosar. rub.
Balaustior. ana uncia una,
ad consistentiam *Cataplasmatis* solidiorem, ne manibus adhæreat. Jam verò solvantur in

Terebinthinæ claræ unciis quinque,
Gummi Tacamahacæ,
Elemi,
Pulv. Gum. Mastichis, ana uncia una,
Ammoniaci unc. una semis,
&
Ceræ flavæ novæ unciis tribus.

His insimul mixtis & liquatis, superius *Cataplasma* sensim immisceatur; fiatque sic *Ceratum*, seu *Cataplasma*, potens, ad strumas, & tumores duros emolliendos, & dissipandos. Resolvit enim, & exsiccat humores artubus impactos.

Lapidis Medicamentosi, pro hoc Cerato, præparatio.

℞. Vitrioli albi,
viridis Martialis, ana lib. duas,
Aluminis crudi,
Cerussæ,
Lapidis Calaminaris,
Boli Armenæ, ana uncias novem,
Salis Ammoniaci unciam unam.

Cuncta in pulverem redacta, immittantur *Ollæ vitreatæ*, iisque superaffundatur *Aceti Vini fortis*, ad supereminentiam digiti unius. Claudatur *Olla suo operculo*, & collocetur super ignem Carbonum, lentum tamen; atque tàm diu in igne relinquatur, quousque strepitus audiatur, & omnis humiditas exhalarit. Refrigeratis omnibus, eximatur *Lapis*, ollâ fractâ, & servetur usui.

Usus cæterùm hujus *Lapidis* est in Scabie, Facie Cuprosâ, Pustulis putridis, sordidis Ulceribus, Gingivis exulceratis, Erysipelatibus, Gangrænâ: item & Cancro, in mammis mulierum inflammatis, & exulceratis, in inflammationibus Oculorum, pustulis, maculis, præstans est remedium. Ejus *uncia semis, plus minusve*, soluta, in *Aquâ simplici*, vel *destillatâ*, huic, vel illi, affectui appropriatâ, debitè, & Medicè, ab extra applicetur.

Cataplasma Cephalicum, in Deliriis, ex tempore parandum.

℞. Nucleorum Persicorum unciam unam,
Cerasorum drachm. duas,
Fol. recent. Nucis juglandis,
Herb. recent. Majoranæ,
Menthæ aquaticæ,
Rorismarini,
Verbenæ, ana unc. semis,
Flor. Rosarum recent. vel sale condit. unciam unam,
Nucum Moschat. drachmas sex,
Baccar. Juniperi unciam semis,
Limac. rec. è testis except. num. XII.
Micæ Panis triticei uncias tres.

Conscindantur, & contundantur diu in mortario, ad pultis formam, additâ s. q. *Aquæ Rosarum*, vel *Majoranæ*; fiatque *Cataplasma Cephalicum*, fronti, temporibus, & vertici ipsi, abrasis capillis, in Deliriis, Febribus ardentibus, & Hungaricis, ut & contra Maniam, applicandum.

Cataplasma ad contusiones, & Livorem Faciei.

℞. Pulv. Rad. Sigilli Salomonis unc. sem.
Ireos Florent.
Rosarum albarum,
Olibani, ana drach. unam semis,
Camphoræ drachmam semis,
Pulpæ Panis triticei unc. unam semis.

Contundantur probè in mortario, ad pultis formam, additâ s. q. *Mucilaginis Tragacanthi, cum Aq. Rosarum extracta*; fiatque *Cataplasma*, quod, linteolis exceptum, & applicatum, Livorem extrahit, ac pristinum nativum colorem restituit. Quòd si verò contusio oculorum esset conjuncta, sanguineque suffusi oculi, addi possent huic *Cataplasmati duo circiter vitelli ovorum*, item *Pulv. Croci drachma semis*, & in locum *Mucilaginis Tragacanthi*, surrogari *Lac recenter mulctum*; idque pro *Cataplasmate* efficiendo.

Vel paretur hoc modo:

℞. Pulpæ Panis triticei unc. unam semis,
Pulv. Rad. Sigilli Salomonis unc. sem.
Ireos nostr. drachmas sex,
Flor. Rosar. alb.
Olibani albi, ana drachm. duas,
Croci opt.
Tragacanthi, ana drach. semis:

cum ſ. q. *Lactis recentis*, fiat, contundendo in Mortario, *Cataplaſma*; adde ultimò

Vitell. ovi unius, vel duorum;
in quibus
Camphoræ drachma ſemis
ſubacta ſit.

Fiat *Cataplaſma*, quod, linteolis illitum, tepidè applicetur, externè Oculis; nec tamen fortiter ac ſtrictè ligetur: (quod benè notandum,) ne tranſpiratio impediatur.

Cataplaſma Cordiale.

℞. Cortic. Citri, vel Limon.
Arantiorum, ana recent. & extim. unciam ſemis,
Herb. recent. Baſilici,
Majoranæ,
Roriſmarini,
Flor. recent. Tunicæ, ana unc. ſemis,
Roſarum, vel Sale condit. unciam unam,
Caryophyllorum drachmas duas,
Macis unciam ſemis,
Croci Auſtr. drachmam unam ſemis,
Pulpæ Panis triticei uncias duas.

Conſcindantur, & contundantur diu multumque, in mortario, ad pultis ſimilitudinem, additâ ſ. q. *Aceti flor. Arantiorum*, aut *Tunicæ*, vel *Roſarum*; fiat *Cataplaſma*, aut *Epithema*, Cordi & Pulſibus, *panno rubro* exceptum, admovendum ſæpiùs. *Cùm* verò ad longum tempus aſſervari nequeant; pro quolibet infirmo, tempore verno, æſtivo, & autumnali, protinùs parari poterunt: ad tempus verò hybernum uſque *herbæ pariter*, ac *flores recentes*, *at ſale conditi*, inviolatè cuſtodiri.

Cataplaſma Inſigne ad Enterocelen, & alias Rupturas, ſeu Hernias.

℞. Rad. Conſolidæ major. recent. mundat. & conſciſſ. libram unam,
Herb. Saniculæ rubræ, cum Radicibus, recent. libram ſemis,
Herb. recent. Conſolidæ Sarracen. uncias tres,
Fol. recent. Quercûs,
Pyrolæ,
Perfoliatæ, ana unc. duas.

Inciſa omnia coquantur in ſ. q. *Aq. ſimplic.* repetitis vicibus affuſæ, quouſque tota virtus & mucilago extracta ſit. Colaturæ omnes unitæ, ad remanentiam circiter librarum duarum, & conſiſtentiam mucilagineam, ſeu Gelatinam, evaporent; cui immiſce

Pulv. Rad. Tormentillæ unciam unam ſemis,
Ariſtoloch. rotundæ,
Flor. Roſarum rub.
Balauſtiorum,
Sem. Perfoliatæ,
Maſtichis,
Myrrhæ,
Olibani,
Sang. Draconis,
Nuc. Cupreſſi, ana unc. unam,
Sarcocollæ drachmas ſex.

Coquantur denuò, lento igne, parùm, continuò agitando, ad conſiſtentiam *Cataplaſmatis* mucilaginoſi mollioris: quod in olla aſſervandum, & ſingulis diebus bis, & quidem calidè, linteolo raro involutum, regioni partis affectæ, ſeu ruptæ, applicandum eſt; inteſtinis, ſive omento, priùs in ſitum, ſeu locum ſuum, repoſitis, ac impedimento cinguli, ac ligaturæ, præcauto, ne illa ampliùs prorumpant. Quamobrem Patiens quietus, & ſine motione, in lecto, capite paulò ſupinus, recubare, & per unam alteramve ſeptimanam in illo ſitu ſe detinere debet.

Nota, *quòd quidam ſolâ Mucilagine, ſive, Gelatinâ, ex Radicibus, & Herbis, hujus Cataplaſmatis coctione paratâ, ſuperiùs edoctâ, contenti ſint, abſque aliarum rerum, vel pulverum, adjectione: quâ ipsâ Mucilagine curas Herniarum feliciter abſolvunt. Quod pro meliori informatione appoſui.*

Cataplaſma Spleneticum.

℞. Tabaci infumati uncias tres.

Coquantur cum *Vini albi libris tribus*; decoctum coletur, & ad conſiſtentiam Extracti, ſeu Mellis, craſſam evaporet: cui adde

Pulv. Gum. Ammoniaci, in ſuperioris Vini Tabaci ſ. q. ad pulticulam ſoluti, unciam unam ſemis;
his mixtis adde

Pulv. Seminis Nasturtii q. s. ad. *Cataplasmatis* consistentiam, sine ulteriore coctione efficiendam:
item sequentia, subtilissimè saltem, & minutissimè concisa atque contusa: utpotè,
Herb. recent. Rorismarini,
Verbenæ,
Persicariæ, ana unciam unam semis,
Baccar. Juniperi virid. unciam unam,
Camphoræ drachmas duas.
Fiat *Cataplasma Spleneticum*, ad Febres pertinaces, Quartanas, ut & duritiem, & obstructionem, Lienis valdè efficax.

Cataplasma ad tumores duros artuum (vulgo wider den Glidschwam.)

℞. Pulv. Lapid. n. medicamentosi, superiùs paulò descripti, uncias quatuor,
Sulphuris Citrini uncias duas,
Lapidis Calaminaris,
Mastichis,
Olibani,
Myrrhæ,
Gum. Ammoniaci,
Bacc. Juniperi virid. ana unciam unam,
Rad. Aristoloch. rotundæ,
Tormentillæ,
Herb. Rorismarini,
Salviæ,
Chamæpithyos,
Flor. Rosarum rub.
Balaust.
Sambuci, ana drachm. sex,
Pulpæ Panis tritic. uncias quatuor.
Coquantur cum *Aq. calcis vivæ Antimoniatæ*, *superiùs*, *in Cerato ad Tumores duros* quoque edoctæ, ad *Cataplasmatis* sat solidam consistentiam: quod parti affectæ immediatè, bis terve de die, applicandum. Resolvit, discutit, extrahit & dissipat, potenterque exsiccat. Unde tumores durissimos, & strumas, sensim consumit, ac partes roborat.

Plura *Cataplasmata* & *Cerata* in hanc quidem Classem non recipiam; cùm hæc mihi videantur impræsentiarum sufficere. Qui tamen numerum eorum auctiorem expetiverit, is ad *præcedentem Pharmacopœiam Augustanam* recurrere poterit, ubi haud pauca deprehendet, quæ, juxta *Animadversiones, unicuique Cerato sigillatim adstructas*, parata, pro usus exigentia obtinere poterit.

Restat nunc *Classis vigesima*; quæ, observato ordine D.D. Augustanorum, (quem semper hactenus æmulatus sum) *de rebus quibusdam ritè parandis* tractat & loquitur. Hæc Classis, ejusque contenta, quamplurima utilia, magnique momenti, amplectuntur: unde nec sicco pede transeunda. Lubens igitur me huic labori accingerem, nullius pertæsus molestiæ, *propriamque Classem*, *de rebus quibusdam Medicinalibus simplicibus*, *ritè præparandis*, fuissem meditatus; nisi *huic Parti Dispensatorii*, in præcedaneis meis, abundè, & ex asse, satisfacere studuissem, ad *ipsam vigesimam Classem*, factis, in individuo, ac particulari, cuivis simplici Annotationibus: prout etiam in *adaucta, ad Animadversiones, Appendice*; ubi ex fundamento singula tractavi, discussis erroribus, propriaque *cuique simplici* tradita theoriâ. Cùm igitur nihil supersit, alicujus considerationis, momenti, ac ponderis, quod in *prægressis Animadversionibus meis nonnihil auctioribus*, & *succedaneâ Appendice*, fusè, dilucidè, & abundè tractatum, & agitatum non sit: eorum cognitionem, ac usum, his, velim, inserat ac subjungat B. L. quasi propriò tractarentur loco, & statione.

His igitur, pro temporum circumstantiis, & ratione, ut amicè conquiescat, æquique bonique consulat, quæ liberali affectu, crebris vigiliis, & arduis laboribus, benevolè obtulimus & consecravimus, hortor & obtestor. Stimulum enim, & calcar, ad majora audendum & exantlandum, mihi addet Lectoris grata humanitas; dum placuisse hæc minima sensero, quæ maximo affectu fuère dedicata.

MANTISSÆ SPAGYRICÆ PARS PRIMA.

PROOEMIUM ad LECTOREM.

LEctor Candide! cùm longâ hactenus serie D. D. Augustanorum Methodum (quæ præ cæteris semper arrisit) constanter æmulatus fuerim: ab eâ nec in hâc parte deficio aut recedo, quin Mantissam quampiam selectorum partim, & extra vulgum positorum, remediorum; partim à Viris præclaræ notæ, & in praxi Illustribus, mihi concreditorum, hîc subjungam. Hæc autem dum ago, B. L. amicè hortor atque commoneo, ut ea omnia ac singula, quæ, in præmissis Animadversionibus super Mantissam D. D. Augustan. satis prolixè, foliis circiter 25, sedulò tractavimus; jugi memoriâ teneat, & ad præsentia revocet. Ego interim non defecero industriâ ac labore, quin citationes ubique genuinas, capita, ac ipsas paginas, designem, & per compendium L. B. ad præfata manuducam, tempori ac prolixitati parcens. Neque tamen fumos & gloriam hîc me aucupari credat, aut aureos sibi compromittat montes. Solùm, in præsenti, communico remedia, scilicet salutaria, ac certa auxilia; quæ si ritè dispensata fuerint, ad Citò, Tutò, & Iucundè medendum ultrò evehant & manuducant. Nunc tuæ peritiæ, ne dicam, conscientiæ incumbit, Solertissime Lector, cautè & circumspectè in remediorum apparatu conversari; ut videas, cui fidas, nec obvio cuique Thrasoni, magna de se suisque crepanti, hæc dispensanda subjicias. Vnâ enim quandoque in olla vita & mors ebulliunt; salus ac interitus languentium. Nam solâ Chymici peritiâ ac sorte hæc variant, & distinguuntur. Vnde enim illæ lachrymæ? Vnde totius orbis publicæ subsannationes, ac novercalia odia? dum alius, prolato Chymiæ titulo ac verbo, caput exagitat; dira quæque ac maledicta alius eructat; plerique denique innocuam hanc artem, ejusque fidelissimos ministros, detestantur, rident ac conculcant; nisi quia paucissimorum homuncionum & trifurciferorum, Orco potius, quàm Laboratoriis, destinandorum nequitia, velut iniquitatis fermentum, insontes quoque & integerrimos Viros afficit? Nisi quia Chymiastrorum & impostorum facinora, funestæ Tragœdiæ, horrenda Catastrophe, & spectata homicidia, toti orbi percrebuêre, dum, pro salutaribus remediis, infida, periculo & exitio plena medicamenta, dubiâ quandoque, aut certâ, nece obtulêre: non alia de causa, quàm quòd nequissimum, aut imperitum, sint nacta Dispensatorem & Artificem: unde prostituebantur auxilia, quæ aliis fuêre saluti. Quis igitur non paveat: quis non totis artubus contremiscat, ubi triste illud, ac lugubre verbum insonat CHYMICORUM, quod ulceroso hoc sæculo bonis ac malis, peritis simul & imperitis, Magistris & Tyronibus, uno tribuitur communique suffragio? Vbi hâc tempestate se Chymicos, præcone anteambulone, ubique promulgant, qui vix dextrè è Tartaro Cremorem elixant; super abacum Collyria è pelvi saphirina divendunt, unguina denique tractant & axungias. O verè luctuosa tempora! ô sortem calamitosam! quam (proh dolor!) experimur, & indies recrudescere deprehendimus. Ea nunc

est

est ætas, quâ non tantùm pauci reperiuntur, quos solida scientia, ac jugis doctrina, commendat Pharmacopœos: sed quâ vix ullum reperias, qui, licet imperitus sit, tabula rasa, & nuda cucurbita; aliquid tamen experiri non contendat, proficere anhelet, Medico simul ac Ægro fideliter adhærere studeat ac collaboret. Sed computrescunt quasi in sordibus suis, Sabbatha sua colunt, de socordia surgere nolunt, discere detrectant; ac sic impunè in humanum genus desæviunt. Argus profectò sum, anxius & circumspectus, ne tàm hebes mihi contingat Dispensator, tàm infidus Collega, Medico simul & Ægro futurus exitio. Ad calculum, & rigorosum quidem, singula remedia, quæ Chymica vocant, revoco & lustro: potissimum verò illa, quæ suam ex Antimonio, vulgisque Mercurio, traxêre genesin, angustiis cæteroquin incunabulis: quæ nisi, propria industria, oculatus dispensaverim, aut à tali Pharmacopœo elaborata noverim, quem Chymici nomen re & effectu commendat; vel ab illis penitus abhorreo, vel Ægris interdico. Cauti proinde mecum vivant, & circumspecti, Medici, Celeberrimi Practici, quique suam, proximique, tutantur vitam. Suspecta habeant dicta anti-Chymica; è quorum censu vel maximè Diaphoreticum *vulgi* Antimonium, *quod, nisi constet, legitimè elaboratum fuisse, repudient potiùs, quàm ordinent, meo cautiores exemplo. Nam dum uterer aliquando ipse dicto Diaphoretico, cum morte luctari mihi accidit, ægrè, ac vix eluctari. Diris enim vomitibus, & periculosis symptomatibus, attritus, ferè exspiravi; neque culpam in pharmacum, sed pseudo Operatorem & Chymicum conjicere licuit; maximè si illud in longum tempus asservetur: cùm, vice-versa, grassante pestiferâ lue, Stendalii Marchionum,* Anno 1636. *idem* Antimonium Diaphoret. *ad drachmam unam (propriis correctum & laboratum manibus) maximò successu, pestiferæ luis excidio, & ægrorum certâ salute, propinaverim, ipseque sæpius sumpserim: ut proinde certum sit, nec non firmissimum: eodem remedio vitam tolli posse, & prorogari, solo Artificum discrimine. Concludamus igitur hanc Philosophiam nostram, & discursum; ac velut è fundamentis eruamus, quo loco nobis Chymia sit deinceps habenda: ne scilicet generico quodam, & universali, anathemate eam feriamus, aut communi odio aversemur; quasi Chymia illa foret, quæ violentissimis emeticis tantùm, malignis ac corrosivis Antimoniatis, infidis Mercurialibus, toti orbi exitium minitetur. Minimè gentium: cùm hac sit potiùs impostorum licentia, & malevolorum impunitas, qui, velut Zizania, in agro Medico latitant, tenebras colunt, antra & latibula, ad pauculos Mysochymicos referenda. Alia longè est Majestas conspicuæ hujus artis, & genuinæ Chymiæ utpore quæ dictas umbras fugat, agyrtas dictosque impostores, velut pecus morbidum, à reliquis segregat, & revelat, ne, consortii jure, eodem quandoque lædantur contagio: noxia & infida denique remedia emendat salutiferas Panaceas procreat, individua comes Pharmaciæ, cui perpetuo fœdere juncta, humano generi indefessè famulatur. Nolo proinde augustam hanc Chymiæ spartam pluribus exornare, suo utpote splendore omnibus conspicuam, nec peregrino egentem fuco aut calamistro. Deprehendes tamen, per operis nostri decursum, ejus lineamenta, typum, & vestigia, in quo pleraque Chymicè, hoc est, dextrè, assiduè, & convenienter elaborata, certo ægrorum subsidio reperies, & in quo Medicus & languentes feliciter respirare ac erigi se posse, confidant. Hisce vale, A. L. nostramque Mantissam æquo dignare calculo; ad quam nunc depropero.*

CAPUT I.

DE AURO METALLO,

seu

SOLE.

DE *Auro*, corusco Mineralium *Sole*, ac Metallorum facilè *Principe*, Tractatum auspicaturus, ejus genesin, ac, intra terræ viscera, angusta incunabula, tacitus prætereo: cùm nemo hactenus Scriptorum extiterit, qui huic Minerali speciosum non fecerit Genethliacon; nec alia sit nostri instituti ratio, quàm artem, modumque revelare, quo ex *Auro* salubris Medicina apparetur.

Præmissâ igitur *Auri* definitione; ad documenta Practica descendam.

Aurum nimirum est corpus Metallicum solidissimum, omnibus Metallis naturâ & perfectione superius, fixissimum, & incorruptibile; nullis Elementorum vicissitudinibus, nec violentæ ignis etiam torturæ auscultans.

Eminet colore fulvo, quo nitet ac irradiat; compactum ex principiis, in visceribus terræ, perfectis, Sulphure, Mercurio & Sale, beneficio Solis terrestris summè coctis, digestis & maturatis: omnium Metallorum ponderosissimum, ductile, &, excepto plumbo, mollissimum; ob prædominantis Mercurii perfecti copiam.

Hieroglyphico ac Mystico sensu, à Majoribus nostris, sub Solis, Planetarum Principis, schemate figurabatur; an quòd analogiâ quâdam, sicut *Sol, Macrocosmo* destinatus, eum vegetat & sustentat: sic *Aurum, Microcosmi Phœbus*, influum cordi robur tribuat: dignum Solis specioso etymo, quin & Regis Metallorum?

Aurum in Medicinâ magnæ est notæ ac energiæ; quidquid etiam alii Viri Magni in contrarium asseverent. *Habet* inquam, *Aurum vires ac virtutes in Medicina non paucas, nec exiguas. Roborando enim Cordi & vitalibus spiritibus, sanguinique mundificando dicatum est.* Verùm, doctissimorum Virorum sententiâ, id non simpliciter, & in sua cruda substantia facit; cùm hæc multò sit solidior atque compactior, quàm ut à calido nostro resolvi & in actum deduci queat. Licet enim Veteres crudum *Aurum foliatum* multis immiscuerint medicamentis compositis; non tamen id alio factum bono existimant, quàm ut oculos vulgi *Aurum* pascat. Quemadmodum nunc Clarissimi Viri, ipsi D. D. *Augustani*, in sua Pharmacopœiâ Augustana: Dn. *Schröderus*, in Pharmacop. Medico-Chymica, lib. 3. c. 9. ut & *Quercetanus*, Tom. 2. in sua arte Medica auxiliatrici & Pharmaceutica, cap. 5. pag. 618, cum sexcentis aliis, quos illi citant, unanimiter in hoc consentiunt, & hoc ipsum confitentur. Proinde, ex mente *Theophrasti Paracelsi*, aliorumque Chymicorum, illud, uti & alia Metalla, in sua arcana, Olea, Balsama, quintas Essentias, Tincturas, Calces, Sales, Vitriola, Crocos, & his similia, priùs redigere, & tum demum usui Medico salutariter accommodare suadent.

Verùm quæ, de *foliato Auro*, hîc & alibi disseruimus, dispari planè ratione de *Auri scobe*, aut eo in tenuissimum *pulverem* redacto, sub intelligenda esse, multis ac prægnantibus de causis, nec non gravissimorum Virorum authoritatibus, ac rationum momentis, persuasus sum; ne contra torrentem niti videar. Nam quid (dic, quæso,) præstent decem, aut viginti, folia Auri? Quid, in dosi una pulveris medicati, vix dimidium Auri foliolum; cùm ducenta vel trecenta Auri folia vix scrupulum dimidium constituant? Ad nihil apta sunt, nisi ut se tunicis ventriculi insinuent, eundem ad nauseam & ἀποψύχειν concitent; ac cruda tandem segregentur. Alia de *Auri scobe, & pulvere*, ratio

ratio militat; cujus, pro dosi unâ, scrupulus dimidius, vel integer, propinatur, & à latente stomachi fermento & acido subigitur, & actuatur, vitiosos humores emendat, cor tuetur, innatam ejus symmetriam præservat, melancholicis auxiliatur, ac ad lætitiam sollicitat. Non enim hoc meum dogma est: multis hoc argumentis, & in Terminis, docet, contra *Musam*, *Picum Mirandulanum*, *Platerum*, & *Bravum*, doctissimos Viros, acutissimus Lusitanorum Zacutus, *de Medic. Princip. Hist. lib.* 1. *quæst.* 24. *pag.* 68. & 69. ubi inquit; *quòd Auri tenuissimæ scobes, & ramenta, quæ ex limatura decidunt, præstans sint melancholiæ remedium, viscera roborent, sanguinem purificent, vires reficiant, palpitationibus medeantur, adversus Cardiacam passionem mirificum auxilium, celebre remedium in malignis, contagiosis morbis, & lue Gallicâ sint, cùm medendo, tum præservando*; ubi pro se citat *Avicennam*, *Serapionem*, *Platearium*, *Geberum*, *Matthiol. Levinum Lemnium*, *Ficinum*, *Voscum Cast. Scalig. Sylv. Capivacc.* quin suam Praxin, lib. 2. de praxi Medica admiranda, observat. 136. & innumeros hujus sententiæ viros: ac post paululum subjungit; *cessent infamare tam nobile Metallum, quod Prisci, & Iuniores, in subsidium venenorum & melancholiæ, tantis laudum præconiis celebrarunt.* Et infra: *desinant calumniari præsidium, quod multis fuit saluti. Ita enim Aurum naturæ nostræ amicissimum est, viresque roborat, ut cutem, &c.* Et plura selecta, citato loco, A. L. depræhendet, si *Zacutum* adire & consulere non gravabitur.

Paria docet Clarissimus vir, *Malachias Geiger*, Metropolis Monachiensis celebris Practicus, in suo Microcosmo Hypochondriaco, cap. 27. pag. 367. & ait: *Aurum autem duobus modis exhiberi potest; vel integrum, aut in folia reductum, & aliàs nihil immutatum: vel arte Chymica resolutum. Priorem modum quod attinet, hoc modo Aurum exhibitum planè improbant non solùm Chymici plerique, sed & Galenici nonnulli; qui, Auri in Medicina usum nullum esse, existimant; & hoc unico ferè id probare conantur, quòd Aurum nimis compactum & durum sit, & cui etiam, extremo calore, & igne fortissimo adhibito, nihil depereat; & proinde à calore nostro vinci, & in actum deduci non possit, sed integrum rursum per alvum excernatur, atque ita sumptus saltem inutiliter profundantur, ad ægrum verò nihil commodi & utilitatis inde redundet. Verùm ratio ista mihi satis firma non videtur. Etenim actiones illæ occultæ, & quæ Magneticæ dicuntur, in integris sese exerunt, & à forma totius fluunt, atque eâ destructâ, vel etiam corpore corrupto & immutato, evanescunt. Magnes integer ferrum trahit: quod Oleum ejus, si à Chymico in id resolvatur, non præstabit. Talia multa in Medicina occurrunt. Lapis Lazuli, saltem pulverisatus, purgat; Antimonium, & alia Mineralia, & Metallica, etiam Chymicè non præparata, quæ à calore nostro nullo modo vinci, quorumque compages ab eodem solvi non potest, nihilominus occulto modo in corpus nostrum agunt, idque variè afficiunt: ut ipsa experientia docet. Ideoque si Aurum tales occultas qualitates habet, eas etiam integrum, & non resolutum, exerere potest. Tribuerunt eas illi tot docti Viri, tot seculis, quibus non facilè refragandum. Chymicè verò resolutum, & præparatum, quod multas vires habeat; extra dubium esse puto: cùm id experientia testetur. Verùm etsi plurimis morbis, iisque periculosissimis, medeatur; tamen omnes non tollit: adeoque Panacea non est; neque, quos tollit, solum tollit; sed & aliis medicamentis opus est.* Et hæc ille.

Sed quid authoritatibus & peregrinis testimoniis immoror, cùm quotidiana nos manuducat, & luculenter erudiat, Praxis & Experientia; quòd nimirum *Auri ramenta*, & *in pulverem minutum redactum Aurum*, plurima, eaque magna, præstet in deploratis morbis. Præter multos, quos subticeo, magnæ notæ Urbis nostræ Practicos, habet sibi in usu, & secretis, *Pulverem* quendam *compositum* Excellentissimus Vir, & Emeritus Practicus, Dominus *Antonius de Pozis*; Augustæ Cæsareæ Majestatis LEOPOLDI p. t. Personæ Medicus dignissimus; quo multa sanè præclara dedit specimina, dum ægris profuit: ejusque talis est descriptio:

℞. *Rasuræ Eboris unciam semis,*
Pulv. Epilept. Marchion. drachm. tres,
Scob. Auri in pollinem subtiliss. redacti drachmas duas semis,
Bezoar Oriental. veri drachmas duas,
Unicornu marini drachmam unam.
Misc. Fiat Pulvis.

De quo Pulvere, pro dosi, scrupulum, vel etiam drachmam semis, exhibet, ac magno successu deploratis succurrit. Quæ omnia sanè analogiâ quâdam Auri ad vitalia nostra, & cor, Magnetismo quodam, & insitâ occultâ activitate, peragit aurum, dum, Solis instar, spiritûs nostros irradiat, concentrat, allicit, ac à malignis vindicat & tuetur. Quæ omnia & singula dum penitius contemplor, nonnihil ad tantorum Virorum authoritates accedo (esto, quòd in prægressis *Animadvers. m.* divelli nonnihil visus sim) ac *Aurum*, in tenuissimum *pulverem* redactum, ac competenti dosi, pro ægrorum & morbi ratione, exhibitum, magnas, in medendo, vires adversus morbos supra memoratos obtinere, judico & assevero: corrigente nos quotidianâ & luculentâ experientiâ, optimâ rerum Magistrâ.

Plura alia de Metallis, *Auro* præcipuè, omnium eorum nobilissimo, dicenda, ac ordine analytico tractanda, superessent. Verùm cùm à Clariss. & Doctissimis Viris, *Quercetano*, atque *Schrödero* loc. cit. feliciter expedita, & jamjam ab Adm. Rev. P. *Kirchero*, in suo novissimè edito Mundo subterr. ad unguem explanata fuerint; ratio postulat, solùm medicamenta Chymica, ex Metallis & Mineralibus, itemque Regnis, tam Vegetabili, quàm Animali, usitatiora & selectiora, arctis limitibus circumscribere ac luci publicæ consecrare. Ideoque ad supra citatos B.L. ablegatum volo Authores: dum me contrà ad ea, quæ re & etymo Pharmacopœiam Regiam erigere digna videbuntur, communicanda convertam. Quorum primum ex Auro confectorum agmen ducat

Bezoardicum Solare.

℞. Auri fini, seu puri, per Antimon. purgat. unciam semis:
quod solvatur in suff. quanti:.
Aquæ Regiæ, vel Spiritûs Nitri, à sale communi destillatione abstracti,
quoad *Aurum* totaliter solutum sit. Hâc interim asservatâ solutione, porrò accipe
Butyri Antimonii, à sua Cinnabari rectificati, uncias duas.
Huic affundatur guttatim, & per vices repetitas, ne nimium effervescat, & veluti inflammetur; inque cucurbitâ satis altâ, sub camino, vel in aprico, collocatâ
Spiritûs Nitri ritè destillati s. q.
quoad etiam butyrum totum sit solutum in liquorem rubicundum, omnisque strepitus & effervescentia, superaffuso spiritu Nitri, cessaverit. Has duas solutiones, *Auri* scil. & *Butyri Antimonii*, conjungito & commisceto, atque in alembico, suo capitello munito, igne arenæ destillando, omnis humiditas, ad siccitatem massæ, evocetur. Huic massæ in cucurbita residuæ flavescenti affundantur
Spiritûs Nitri recentis unciæ tres circiter,
ac denuò, per destillationem, igne arenæ abstrahatur; fortiori ultimò substructo igne, ad totalem spirituum corrosivorum expulsionem. Hic labor, recentis videlicet spiritûs Nitri affusio, ejusdemque abstractio, & tertiâ repetatur vice. Massam, in cucurbitâ residuam, à cucurbita fractâ studiosè separatam (ne aculeis vitreis minutissimis inquinetur) aquâ simplici affusâ, repetitis vicibus ablue & edulcora; pulverem verò residuum, probè priùs siccatum ac crucibulo immissum, Vulcano, per bihorii spatium circiter, committito, ut leniter (continuò tamen candendo) calcinetur. Atque sic dextrè & legitimè erit confectum hoc *Bezoardicum*, *Solare* nuncupatum. Hoc, super porphyrite probè levigatum, in vitro benè clauso, quò ab aëre libero arceatur, studiosè asservandum.

Sudoriferum & Cordiale admodum præstans est, tempore pestis, ac in febribus malignis, aliisque morbis contagiosis, curativè adhibitum: pellit sudorem, & cor à malignis vaporibus tutatur. Dosis scrupulus unus, ad drachmam etiam dimidiam, & scrupulos duos: si necessitas ita postulaverit.

Nota; quosdam Auri tenaciores Mydas, ad un-

unciam integram, quin ad duas, & ultra, Butyri Antimonii, Auri tantùm unicam drachmam aggregare. Verùm quæ proportio harum Auri minutiarum ad adauctum pondus Butyri Antimonii? Annon virtutes Auri incidat, tumulet ac absorbeat, perpendat secum, qui volet, prudens naturæ arbiter. Etenim si (subducto tecum calculo) *Bezoardici* hujus *Solaris* scrupulum unum pro dosi una annumeres, & Auri etiam drachmam unam, Butyri Antimonii unciæ integræ, ad *Solare* hoc *Bezoardicum* apparandum, tribuas; continebit nihilominus dosis prædicta (nimirum scrupulus unus) grana duo solummodò, aut ne vix tantum, Auri. Ne proindè *Bezoardicum* hoc *Solare* suo dispar sit etymo, ac verè aureum prædicari possit viribus, & nominis impositione; eò laborandum, ut & debitum sibi pondus vendicet; sicut expostulat. Procedatur igitur modo superiùs indigitato. Ita enim *Bezoardici hujus scrupulus unus Auri grana circiter quatuor vel quinque* continebit, ad destinatos usûs, roborando scilicet cordi, & diaphoresi promovendæ, exquisitum.

Crocus seu Calx Auri sive Solis.

CRocus Solis diversimodè parari consuevit; sive cum salibus Aurum saltem coquendo; sive per Aquas Stygias aut Regias, illud solvendo & præcipitando; aut etiam amalgamatione cum Mercurio, & inde sequenti leni ac repetitâ calcinatione cum Sulphuris floribus, quousque in pollinem spongiosam & levem assurgat. Tales parandi modos Clarissimus *Schröderus*, cap. 9. de Metallis, lib. 3. suæ Pharmac. Medico-Chymic. non paucos describit: quod & *Quercetanus Redivivus* facit, quando, Tom. 2. cap. 5. plurima de Auro producit; quanquam ut plurimùm sub velo & ænigmatis umbrâ delineata sint: quasi verò piaculum fuisset morte eluendum, aut certè à Christiano homine alienum, plena charitatis viscera pandere, ac ea revelare, quæ ad proximi valetudinem, ac vitam tutandam, nata & apta sunt. Quanquam sæpius lateat anguis in herba, & sub humilitatis palliastro immanis fastus, & turpis philautia, delitescat: quando ejusmodi laudum suarum præcones, se nolle sanctum dare canibus, sed iis tantùm per signaturas, & umbrosis verbis, mysteria pandere velle, quibus desuper indultum est à Patre Luminum, artis penetralia inhabitare, cùm non sit obvii cujusque, adire Corinthum; sesquipedalibus verbis intonant: subtractâ interim verborum Majestate, & terminorum mendaciorum stybio, fœda ac ridenda superbia dehiscit; omnibusque patet, quòd tales histriones inde sibi admirationem parere voluerint, unde genuinis verbis risum & cachinnos reportassent. Ejusmodi processuum quisquilias sine numero, & myriades, reperies, indignorum, quibus in Musæis stationem ac aurem præbeas; cùm nugæ & næniæ sint, substantias dissipare natæ iis, quos sui cupidos ac patronos nanciscuntur. Missa igitur faciamus quæstuosa ejusmodi philtra ac processûs, in Lunæ concavo elaborandos. Nos, qui lucem inhabitamus, sequentibus insistamus: quæ citra verborum ambages revelo.

Crocus Auri seu Solis Purpureus.

QUamvis hujus *Croci* parandi modus descriptus sit in *nostris Animadversionibus*, sub titulo: *de Cornu Cervi*; libet nihilominus, illum denuo huic loco, tanquam competenti sedi, inserere. Estque talis:

℞. Auri finissimi, per Antimon. purgati & subtiliter laminati, unciam semis,
Salis Nitri optimè purificati,
Salis communis, seu Gemmæ, ana uncias octo,
Aluminis crudi uncias quinque.

Misceantur, immittanturque cucurbitæ vitreæ; quibus superaffundatur Aquæ simplic. s. q. pro dissolutione dictorum *salium*: coquantur pòst in arena, igne moderato, ad spissitudinem vel siccitatem *salium* pristinam. *Aurum* totaliter solvetur, & *salibus* permiscebitur; quibus denuò Aquæ simpl. s. q. pro dissolutione dictorum *salium*, & *Auri*, affundatur; filtretur solutio Solis flava, aureique coloris; cui guttatim instilletur

Olei Tartari per deliquium facti q. s.

quousque *Aurum* totaliter fundum petat: quod per filtrum ab aqua salsa separandum, &, aquâ dulci recenti sæpiùs affusâ, probè edulcorandum,

dum, tandemque exſiccandum, & (ſi lubet) igne lento per horæ quadrantem calcinandum eſt. Erit *Crocus Solis* pulcher aſpectu, purpureo-violacei coloris; ſi benè operatus fueris: *ſudoriferum & cordiale inſigne.*

Crocus Solis alius.

Solvatur *Aurum* cum Aqua Regia, ſeu Spiritu Nitri à ſale communi deſtillando vel rectificando abſtracti. Abſtrahatur ſolutio ad ſiccitatem ferè; reſiduum, in vitriolum veluti Auri concretum, commiſceatur cum particula *Florum ſulphuris* (quartâ circiter parte, reſpectu Auri) & leniter calcinando ſub tegula, vel in aprico, ſub camino, in terreo vaſe, (vulgo Treibſcherben) ſulphur adjectum totaliter, ſub continua tamen commotione & agitatione, conflagret. Hic labor (Aurum nimirum relictum cum recenti ſulphure permiſcendo, & leniter conflagrare ſinendo) toties repetatur, donec *Aurum* ſpongioſum fiat, ſeſeque attollat in pollinem ſubtilem, & *Crocum* purpurei coloris; variis uſibus adaptandum cùm ad ulteriores labores, & extractiones *Auri Eſſentiæ*; tum etiam medicamenti vice, uſui Medico ſtatim applicandum.

Eodem modo *Aurum* cum Mercurio amalgamatum, & per exhalationem Mercurii denuò liberatum, ac veluti in pulverem aureum converſum, cum ſulphure, prædicto modo, aliquoties calcinari, inque *Crocum* elegantem verti, & ad uſum internum, ut & ad alios labores & extractiones, poterit uſurpari.

Aurum præterea, in Aqua Regia, ſive Spiritu Nitri a ſale communi abſtracto, ſolutum, cum ſale communi præcipitatum, ſimili calcinatione cum ſulphure, in pulverem croceum mutari poteſt. Quibus pulveribus Auri croceis conſimile eſt *Aurum fulminans*, ſive *ſclopeticum*, ſequenti modo parandum:

Aurum Fulminans, ſeu Sclopeticum inflammabile.

℞. Auri purgati & laminati unciam ſemis, vel q. p.

Solvatur hoc in Aquæ Regiæ ſuff. quantit. Solutioni huic guttatim Oleum Tartari per deliquium factum infundatur, quoad *Aurum* totaliter præcipitatum, & aqua ſolvens clara denuò ac limpida evaſerit. *Aurum* præcipitatum & luteum ab aqua, per chartam emporeticam, & filtrum, aut per decantationem, ſeparetur; aquâ dulci & deſtillatâ, ſæpiùs affuſâ, edulcoretur, quouſque nulla ampliùs acrimonia, ſive ſalſedo, percipiatur; pulvis relictus in umbra, leniſſimo calore, vel ſponte ſuâ, exſiccetur, ac cautiſſimè tractetur, ne flammam concipiat, & detrimentum inferat; quemadmodum promptiſſimè, vel ſolâ trituratione paulò fortiori in mortario, accenditur, deorſum vergens, &, quicquid ſubſtractum, in fruſtula disjiciens, cum adſtantium periculo & læſione. Auferri tamen poteſt, ſi lubeat, vis ejus fulminatoria, affuſâ ſpiritûs ſalis portiunculâ, vel coctione cum aceto deſtillato, per horas aliquot. *Vires hujus Auri fulminantis ſunt Diaphoreticæ & Cordiales. Sudorem item potenter commovet, ſi ejus grana tria, quatuor, vel ſex, ſive per ſe, ſive aliis Pulveribus, Electuariis, Confectionibus, aut Laudanis, permixta propinentur.*

Auri Amalgamatio, & ejuſdem Præcipitatio.

℞. Auri puri & fini, ſubtiliter laminati, unciam unam:

quod, calefactum, non tamen totaliter candefactum, injiciatur in

Mercurii vivi, ſupra ignem in crucibulo collocati, & pariter calefacti, donec ſtridorem quendam edat, uncias octo.

Agitentur & miſceantur exactè ferreo ſtylo, ac protinus, antequam Mercurius effumet, ab igne removeantur, inque aquam amalgama profundatur, ac cum ſale & aceto probè ſæpiuſque lavetur, ad omnem nigredinis & impuritatis ablutionem; donec æthereum veluti acquirat colorem. Hæc amalgamatio, aut vera & Philoſophica, radicaliſque ſit Auri ſolutio, ſive principium ejus; ego quidem determinare nolim. Interim tamen, licet communis ea ſit & videatur, Mechanicis nec non notiſſima, tamen ſpernenda non eſt; quoniam amicabi-

tabiliter, & fine ullâ fit violentia, aquâ fibi connatâ metallicâ non madefaciente manus: & quanquam vi ignis aliquantò violentioris, non fecus atque alia menftrua corrofiva, & hæc quoque metallica aqua ab Auro haud difficulter fegregari queat, non factâ intimâ folutione & putrefactione Philofophicâ; nihilominus, fi ipfa hæc folutio debitè, & fuff. aquæ hujus metallicæ quantitate, inftituatur, & legitimè foveatur; haud levia fub illa latere arcana, credendum eft: quemadmodum etiam ex alio, quàm hoc fonte, vix ac ne vix quidem fuum haurient *Mercurium Philofophorum* ij, qui multum de hoc gloriantur, & longè artificiofiores fibi fingunt *Auri* folutiones. Aft ne videar aureos polliceri montes; quæ mei nunc fcopi ratio non eft; quin potiùs in Praxi rariora ex *Auro* producenda pharmaca confignare: quare ulterius L. B. manuduco, & quid ex hoc amalgamate Auri ordine & artis ferie eruendum, fine ambagibus & umbris communico.

Accipe igitur fupradictum *amalgama*, illudque toties *fale & aceto* ablue, quoufque omnis ablata nigredo, & colori æthereo fimillimum evadat; idque iterum atque iterum tam diu fuper porphyrite, aut in mortario vitreo, tere, donec per linteum totum exprimi atque cogi queat. Hoc jam vitro fat largo include, fed quod fundo conftet planiffimo, ad orbis duplicati formam, uno quafi fupra alterum collocato; cujus figuram, in capite de Mercurio, æri incifam confpicies: & folo calore arenæ moderato præcipita in pulverem rubicundiffimum, aliquot feptimanarum fpatio, & nancifceris *Medicamentum, adverfus multifarias humani corporis infirmitates præftantiffimum; Luem præfertim Veneream, & exinde natos affectus alios, vulgò vix curabiles.* Quem præcipitatum aureum fi ulterius elaborare, augmentare, animare, fermentare, & ad fixitatem deducere animus fit; rem haud exigui fortaffis momenti confequeris: idque eò feliciùs, fi, in locum vulgaris Mercurii, Mercurium Antimonii, vel nativum Virgineum, fubftitues. In omnibus autem laboribus Naturam imitare, lenteque feftina.

Aurum Effentificatum cum Antimonii Tinctura.

℞. Croci Auri, quovis modo fuprà edocto parati, unciam femis;
cui fuperaffunde
Tincturæ Antimonii rubicundiffimæ, cap. de Antimonio edoctæ, unciam unam:

& in phialâ, fuo tamen parvo capitello agglutinato munitâ, digere per octiduum, leni calore; aucto tandem paulifper igne, donec totaliter exficcetur, humiditate pauculâ per alembicum tranfeunte. *Pulveri refiduo Auri* denuò tantundem *Tincturæ Antimonii* fuperaffundatur, digeranturque uti antea, & tandem exficcentur: hatque *Aurum Effentificatum, ad multiplices infirmitates chronicas, malignas, ac diuturnas fanandas validiffimum.*

De Auri Effentia, five Auro Potabili.

NEc Tantalus in undis Stygios latices in tantum procatur, quantum Auri helluones *Aurum*, idque *potabile*; venantur: ut proinde tot extent proceffus, quot capita; dixerim, volumina, quæ modum artemque tractent, veram *Solis* five *Auri Effentiam* eruendi: quænum genuina, an verò apocrypha fint, tibi fcrutandum relinquo, quem melior Chymia inftituit: & ipfe experiêris, quòd maximâ parte falfiffimi fint proceffus, & abfurdiffimi. Fateor, anceps, ac in bivio conftitutus, mecum volvebam; an operæ pretium foret, *Auri* quandam *Effentiam* tradere: cùm pronum fit, ibidem cefpitare, unde multi præcipites corruêre; ac pauci jactantiæ notam evaferint: cùm plurimi fint, qui velut demonftrationem amplexantur, quòd extra Philofophicam, hoc eft, veram ac radicalem *Auri folutionem*, genuinum ac reale *Aurum potabile* quærere & invenire nefas fit. At verò, ne videar in hoc unico deeffe, & opus ex hoc principio mancum fit; nemoque cum fundamento refragari poffit, particulares quofdam fupereffe proceffus, qui æquum mereantur fectatorem: unam proinde atque alteram *Auri potabilis* conficiendi

ciendi methodum anneĉtam; commendatæ virtutis & energiæ in deploratis affectibus: licet pro Panacea, aut univerſali pharmaco, non venditem. Plura hujuſmodi per diſcurſum in Mantiſſa hâc proſtant; quibus probè conſideratis, ad naturæ & artis ſignacula & arcana, te velut manduci, deprehendes. Neque abſterreat te imbecillis multorum puſillanimitas, qui præproperè deſperant, in mineralibus ac metallis, primariò autem *Auro*, extractiones tentari poſſe; licet cæteroquin in arte haud parum verſati ſint: ejuſmodi tamen conatus Entia rationis dicunt; cum interim per Mechanicam compertum ſit, *Tincturam Auri* (aliis *anima, ſulphur*, ſeu *quinta eſſentia* dicta) ſeparari poſſe à corpore Mercuriali, Lunæ ſpeciem referente, ejuſque proprietates ex integro æmulante. *Mercurius* itaque eſt Magnes, ex ſalibus ſibi ſimilem ſalem Mercurialem adſciſcens, & ſecum in altum elevans: dicunturque talia ſalia mediæ naturæ (ſcilicet inter fixum & volatilem) quæ, rurſus à Mercurio liberata, fiunt menſtrua Philoſophica; quibus unicâ guttulâ ſpiritûs Nitri inſtillatâ, ſulphur, ſive colorem Solis à corpore Auri ſegregant: quod apparet ex ſpiritu ſalis & vitrioli, in deſtillatione butyri Antimonii, & Mercurii ſublimati: quem ſpiritum Vitrioli Philoſophicum appellare ſolent. Hicque color, ſive tinctura Auri, modo paulò pòſt ſequente, ſpiritui vini vero, ex vino ritè deſtillato, copulanda. Datur etiam ſeparatio ſulphuris Auri à corpore, ſeu Mercurio ſuo, per præcipitationem ſolutionis; ubi corpus reſidet inſtar calcis albæ, nullo ingenio, nullâ arte reducibilis; ſulphure tingente in menſtruo manente.

Eſſentia Auri. Solve igitur *Aurum cum ſpiritu Salis*, à phlegmate tantùm liberato, non totaliter rectificato, ne ſeparetur ſal eſſentialis: ab Auro ſoluto evoca menſtruum per balneum Mariæ: Auri reſiduo affunde recens menſtruum, ſeu ſpiritum ſalis, iterumque abſtrahe; idque ter quaterve, dum videris Aurum ad latera cucurbitæ elevari: tunc redde reſiduo in cucurbita Auro tantum de deſtilato liquore, ut diſſolvatur, atque commodè transfundi poſſit in cornutam, ſeu parvam retortam; eumque adaptato recipiente, & juncturis luto probè munitis, primò igne arenæ leni, fortiori poſtmodum, urge; dum cum liquore tranſeat, quantum Auri diſſolutum aut volatiliſatum fuerit. Aurum reſiduum à deſtillatione in retorta, rurſus eâdem operâ ſolvatur, & ab eo ſpiritus ſalis recens abſtrahatur, donec totaliter, vel maximâ parte diſcontinuatum tranſierit. Ab hoc liquore aureo, per baln. Mariæ, ſepara de menſtruo id, quod rarius eſt, ut remaneat liquor craſſus: cui inſtillabis ſpiritum vini, ſpiritu ſicco urinæ animatum; & præcipitabitur corpus auri, inſtar calcis albæ. Quando nihil ampliùs cadit, fundumque petit; ſine calcem reſidere, ut per inclinationem liquorem decantare poſſis; ab hocque ſpiritum vini deſtillatione leni ſepara, & novum ſpiritum animatum liquori inſtilla, ut & reſiduum corpus Auri præcipitetur. Tunc, ſeparatâ calce præcipitatâ, inde liquorem cucurbitæ vitreæ, & calore cinerum, ſeu arenæ, leniſſimo deſtilla, donec ſtriæ ſpiritûs vini ad latera cucurbitæ appareant rubicundæ: nam ſignum eſt, unum altero, ſeu ſpiritum ſulphure, ſecundum appetitum naturæ, eſſe ſatiatum. Sicque Tinctura, ſive Eſſentia Auri in fundo cucurbitæ rubicundiſſima apparebit, magnatum virium; quæ, addito pauxillo ſpiritûs vini, è vitro ſeu cucurbita ſaltem eluenda, ne quicquam de illa pereat, aut lateribus cucurbitæ, in effuſione, inutiliter agglutinatum in reſiduo hærens maneat. *Servetur, tanquam pretioſiſſimum medicamentum, in morbis omnibus deſperatis; ſub doſi trium vel quatuor guttularum, in uno vel altero cochleari vini, vel alio appropriato vehiculo, exhibendum.*

Notandum; quod, apparentibus ſtriis rubris, ſi in retorta ultima deſtillatio inſtitueretur; tota anima, ſive Sulphur Solis, ſeu Tinctura, verùm pauciſſima in quantitate (aliquot ſaltem guttularum; quæ ipſæ tamen non parum ſpiritûs vini præpoſiti rubicundiſſimo colore imbuerent) tranſiret, & in ſpiritum vini neceſſariò præponendum ſtillaret. Aſt cùm *Tinctura* hæc ſit pretioſa, atque de eâ lateribus vitri multum adhæſurum, quod, propter exilem quantitatem ſui, in vas recipiens præpoſitum tranſire vix poſſet; conſultius eſt, ut deſtillatio in alembico inſtituatur, & apparentibus

bus ſtriis rubris, à deſtillatione ſtatim deſiſtatur; quo reſiduum ſulphur, ſeu anima Solis, rectificatiſſimi ſpiritûs vini particulâ dilui, aut potius elui queat, ac ſine ulteriore deſtillatione uſui aſſervari. Nam *ſulphur*, ſive *Tinctura*, *Solis* per ſe in Medicinam non cederet utiliter, ob ſummam ſui activitatem, niſi proportionato vini ſpiritu ſit unita.

Solvitur præterea *Aurum* totâ ſubſtantiâ in *Magiſterium*, *Aurum Potabile* dictum. Solvitur autem permenſtrua ſicca & humida, per ſpiritûs, olea, & ſalia, variis modis: inter quas ſolutiones illæ mihi præſtantiores videntur, quæ ſalibus eſſentialibus & Mercurialibus parantur & perficiuntur. *Criſtalli Salis* dulces, ſive per deſtillationem, inſtillatione aquæ fontanæ ſali fuſo in retortâ terreâ, per tubulum, facti (uti ſuo loco edocetur) ſive quocunque alio modo parati, etiam ſolvendæ calci Solis, ſeu Auro foliato inſerviunt, cum eoque, ſub tegula probatoriâ, in Magiſterium non contemnendum tranſeunt. Simili modo ſalia fixa ſecundæ vel tertiæ calcinationis (quando nimirum ab aliquo corpore, v. gr. Vitriolo, caput mortuum elixiviatum denuò in furno calcis probè calcinetur, &, illo tandem priùs ab aſtris imprægnato, ſal extrahatur; quod etiam à tertia calcinatione fieri poteſt) à ſulphure ſpecifico vindicata, aurum fuſione penetrant, & calcinant, aptumque reddunt ſolutioni & extractioni per menſtrua homogenea, ex ſpiritu Vini, vel Saturni, parata.

Nobilior tamen, & Philoſophica, ſolutio illa dicitur, quæ aquâ Mercuriali, ſive menſtruo homogeneo, peragitur, quo elementa in auro, per naturam anatizata, ſive concordia facta, diſcordia reddantur (ſcilicet appoſitione aquæ Mercurii, ut ignis elemento prædominetur, vel Mercurialitas potentiæ ſulphuris) dum elementum aquæ fit prædominans: quo ingenio harmoniam illam elementorum in Auro diſcordem fieri, corpuſque Solare, miræ aliàs, ob ſummam puritatem, longamque decoctionem, fixitatis & perfectionis, corruere, artique cedere neceſſe eſt. Et hinc variæ manant præparationes; & ipſum, divinâ accedente gratiâ, *ſummum Magiſterium Philoſophorum, à priſcis Sapientibus nomine Lapidis inſignitum, morbis ferè omnibus modum faciens, originem ducit.*

Hoc ſummum antiquorum Philoſophorum arcanum nonniſi variis ænigmatibus, notis, atque figuris hieroglyphicis poſteritati relictum; contraque DEO ſoli, cordium ſcrutatori, revelatio tanti ſecreti vel myſterii commiſſa: quod revera nil aliud eſt, quàm ex Auro nativo, & Mercurio non alterato, tertium quid, utriuſque particeps, digeſtione humidâ elicere, illudque, ab heterogeneo ſeparatum, digere, variatione colorum, ad ſummam atque purpuream perfectionem. Hocque artificio, à mediocriter ingenioſo, omnia obſcura luce clariora capiuntur.

Fiunt præterea *Extractiones* per *Aquas Mercuriales*, quæ per putrefactionem à corroſivo liberatæ, & à fæcibus mundatæ, ſtupendas operationes edunt, ſi ad fixitatem perductæ, & ſpiritu vini ultimò defixatæ fuerint: quod in omnibus fixis ſulphuribus obſervandum eſt, ut ſcilicet, poſt liberationem à ſuis corporibus, & depurationem, volatilizentur, & ſpiritui vini uniantur. Nam hoc ingenio quaſi vegetantur: hoc eſt, à regno Minerali, ſeu naturâ Metallica, in vegetabilem, naturæ humanæ amicam & receptibilem, transferuntur.

Augmentatur quoque *Tinctura Auri* oleis Martis, Veneris, Antimonii, Vitrioli, &c. Sic etiam fit incrementum *Tincturæ Auri* per Regulum Antimonii puriſſimum, Soli junctum, digeſtum, & Spiritu Salis, vel Veneris, extractum: utpote,

℞. Auri puriſſimi unciam ſemis,
Regi Antimonii ſtellati uncias quatuor:

Liquefiant in crucibulo, igne forti; liquefacta effundantur, inque pulverem ſubtilem redacta, eouſque in arena calcinentur, donec rubedine perfundantur, vel in pulverem rubrum convertantur. Hoc ex pulvere, menſtruo ſupradicto, ſpiritu nimirum Salis, vel Veneris, *Tinctura* elegans elicitur; quæ tandem, cum ſpiritu vini animato, ita elaboranda eſt, ut cedat in Eſſentiam ſive arcanum præſtantiſſimum. Augmentationes enim *Tincturæ Solis*, per ſulphura Solaria, ex Marcaſitis, Antimonio, Marte,

Venere,

Venere, sunt veluti transplantationes, seu insitiones; non aliter, ac si ramus nobilioris arboris, ejusque fructiferæ, ignobiliori trunco, seu arbori infœcundo, inseratur. Sic aurificatur spiritus Vitrioli Martis, vel Veneris, per sulphur, ex Marcasitis Solaribus, communi modo, per aquam Regiam saltem, extractum. Si spiritûs quatuor partes, sulphuris uni parti affusæ, horis xxiiij. vel duabus diebus, digerantur; efficiuntur Crystalli Rubinis similes; qui, spiritu vini rectificato porrò extracti, in Panaceam abeunt non aspernandam.

Alia Essentiæ Auri descriptio.

℞. Auri puriss. per Antimon. purgati uncias duas,
solvatur in
Spiritûs Salis opt. rectificati suff. q.
quoad totaliter solutum sit. Solutioni huic infunde guttatim
Spiritûs Microcosmi, seu salis microcosmi veri, id est, Urinæ, debitè parati, quousque strepitus audiatur, isque totaliter cesset.

Solutio hæc, unà cum præcipitato Auro, immittatur alembico vitreo, & per M. B. destillando abstrahatur tota humiditas; quæ insipida erit: quo facto, collocetur cucurbita cum residuo sale & Auro in arenam, deturque ignis per gradus, donec sublimetur tota illa salina substantia, aurum secum elevans ad capitellum. Peractâ sublimatione, asservetur sal iste sublimatus; cui potior pars Auri soluti essentialiter inhæret, in vitro probè clauso. *Aurum* verò à sublimatione primâ relictum, ac remanens, novo denuò solvatur spiritu salis, ac pari modo cum sale, vel spiritu sicco, Urinæ præcipitetur, & evocatâ, destillationis medio, humiditate aqueâ, in B. M. residuum igne arenæ sublimetur, & quidem ultimò forti, ut cucurbita inferiùs candeat. Atque hæc solutio *Auri*, à sublimationibus residui, eademque præcipitatio, humiditatisque abstractio, & salis sublimatio (evehentis secum aurum) tot iteranda est vicibus, usque dum integrum ferè *Aurum* volatilisatum & spirituale factum fuerit. Hinc sublimatus sal omnis, affusâ suff. quant. aquæ simplicis solvatur, ut aurum denuò ab adjuncto sale liberetur; pulvisculus verò Solaris, fundum petens, probè edulcoretur. Ex hoc tandem edulcorato pulvisculo Auri, beneficio spiritûs vini ad summum rectificati, sale tamen, vel spiritu, microcosmi animati, extrahatur Tinctura iterato, quousque nil ampliùs de Tinctura conspiciatur. Tincti spiritûs omnes & junctim in M. B. ad oleitatem abstrahantur, ut liquor rubicundus remaneat pretiosus: qui asservandus, ac morbis deploratis opponendus.

Hæc tamen, quæ de *Auro*, ejusque *Essentiis*, *Tincturis*, aliisque melioris notæ parandis arcanis remediis, præmisimus, & quæ universaliter, ad mentem antiquorum Philosophorum, de *vero Auro potabili*, præfati sumus, ex professo, & acerrimè, impugnat & eliminare nititur Magnus ille Societatis Scriptor & Presbyter, P. *Athanasius Kircherus*, vir incomparabilis doctrinæ ac talenti, multisque ævo nostro arcanis tomis, luculenter editis, conspicuus. Hic, inquam, *Mundi* sui *subterranei Tom. 2. lib. 11. sect. 2. cap. 1. de Lapide Philosoph.* Chrysopœiam, Tincturam Philosophor. seu quocunque compelles etymo, nunquam ulli revelatam, aut cognitam fuisse hactenus, nec in futurum parabilem esse, palàm decidit, apertus Alchymistarum antagonista. *Nos*, inquit, *media via incedentes, neque χρυσοποιΐας ἀδυναμίαν, neque etiam eo modo id fieri, quo Alchymistæ illud producere posse existimant, asserimus.* Quod quidem placitum ac dogma suum adeò nervosè tutatur, ut eos, qui contrarium sectati sunt, uti *Isaacus Hollandus*, *Paracelsus*, *Villanovanus*, *Rupescissa*, & complureis, ludibriis sannisque rectè sentientium Philosophorum se prostituisse, apertissimè perhibeat. Cujus viri, utpote Celeberrimi, famâ ac talentis nunquam æquandi, doctissimas assertiones & argumenta, licet aperto Marte incessere, ac adoriri, neque velim neque ausim: meam tamen interim, non tam opponam, quàm amicè proponam opinionem; arbitrio cujusvis relicturus, utrinam parti assensus jure debeatur. Definitionem magni hujus naturæ arcani non affero juxta P. Kircherum, *non Entis*, *Chimaræ, ac non Existentis*, ac per con-

consequens neque genere & differentia circumscribendi. Ordior ab eo, quod magno huic viro admirationem peperit, *quòd Lapis Philosoph. omnium penè rerum similitudine descriptus sit*, dum aliis *Cœlum*, *Chrysosperma*, *semen Auri*, *Terra benedicta*; aliis *Aqua viva*, *Aqua vitæ*, *Sigillum Salomonis*; *omnium morborum medicamentum, de quo qui bibit, non moriatur*, & similia, ut ait, *partim ridiculè, partim irreligiosè, nuncupatur*. Verùm festivâ prosonomasiâ, allegoriis, & sensu tropologico, hæc ab Authoribus dici, quis non videat, venerandam æmulantibus Antiquitatem: quæ non tantùm hieroglyphicâ brevitate, substitutis signis abditis pro rebus, posteros æquivocando delusit; verùm etiam barbarâ verborum aphoniâ Phœnicum & Arabum, à divinandis rerum mysteriis, & naturæ arcanis, deterruit, neminem volens Oedipum? Quorum Elenchum ex dedicatoria *Beguini* Epistola P. *Kircherus* in sua transtulit. Unde & de Chrysopœia tractaturi scriptores, suis sese latibulis & verborum umbris abdidêre, proprio quisque abundans sensu ac etymo, tanto potiori jure, quòd neminem, ad similia revelanda, charitatis lex ac character obliget, dubitem, annon inhibeat, quamplurimis abusuris, aut exinde usurariis futuris. Quòd interim *nulla inter Alchymistas harmonia, ac, instar canum, efferâ mordacitate & sarcasmis se petunt ac sæviunt; nulla consequentia est, lapidem aurificum, & Philosophorum, in natura dari non posse, aut nunquam extitisse*. Avita hæc, ac coæva semper magnis artibus fuit calamitas, ut figulus figulum oderit, sibique malignantes ac æmulos instare deprehenderit: privata hæc, ac proprio vitio accrescens, licentia fuit, magno hujus arcani splendori nullam inducens umbram. Inefficax proinde hoc P. *Kircheri* argumentum censeo, hoc fonte derivatum. Sed, inquit, *vario dissident Alchymistæ conceptu, sensu, ac pathemate, in adstruenda materiâ primâ Chrysopœiæ, dum alii ad ovorum putamina, bufones, vini substantiam, ac ignobilioris conditionis substrata recurrunt, tanquam materiam ex Qua*. Ad quod respondeo, quòd nec mihi cum talibus feriæ sint, nec ulli sensato Philosopho: suo hæreant defixi limo; nobis meliora prostant. Quòd autem aliqui ad *Arsenicum, tanquam causam materialem, profugerunt, patrocinium & authoritatem in vaticinio Sybillæ figentes*; id nihil urget: & ultrò assero, quòd illo Sybillæ vaticinio nomen Dei mysticum, ac HOMO DEUS, notâ magnis Ecclesiæ luminaribus paraphrasi, signatum fuerit; & prout olim, uno septuaginta Interpretum ore, concordia S. Spiritûs, & concors Scripturarum veritas, sancita fuit; sic tot Sibyllarum Propheticis metris, ac versibus, *magni Salvatoris Christi adventum, uti & Passionis sacratissimæ seriem, figuratam fuisse*, concedo. Non tamen ex hoc sequitur Lapidis Philosophorum implicantia: quicquid etiam à congruo intulerit R.P. *Kircherus*.

Dico I. (salvo meliori judicio) possibilem esse arte pure naturali confectionem *Lapidis Philosophorum*, seu *Tincturam* quæ omnia metalla in aurum argentumque substantialiter tingat, ac projectione sua finitè in infinitum multiplicet; quod probo: Nulla potest hujus, nec ex parte naturæ, nec ex parte hominis, nec ex parte subjecti, seu seminis aurifici, nec omnium horum reduplicativè sumptorum, dari implicantia: ergo naturaliter possibilis est Chrysopœia. II. Multos hoc lapide dotatos fuisse, probatur ex infra dicendis, contra P. *Kircherum*, & instantiis ibidem afferendis: ergo improbabilis est P. *Kircheri* conclusio Negativa. Confirmatur prior conclusio: de facto naturaliter, in visceribus terræ, aurum seminaliter propagatur: ergo ratio hujus propagationis & seminii, utpote purè naturalis, à Philosopho comprehendi potest, & arte adæquari; utpote quam multi imitati sunt: nisi unâ negatione plus derogare velis, quàm centum Philosophi possint affirmare; quod cuiusvis obvii est. III. Minimè probanda est *P. Kircheri* sententia, quâ ait, *ex quatuor Elementis tria generari principia, Salem, Sulphur, & Mercurium; atque ex iis simul debita proportione junctis metalla generari, arbores produci, &c. ut, si quid aliud extra illa quaramus, id veriùs in Vtopiâ quàm in naturæ imperio quærere censeamur*. Sed dico, quod & sibi objicit P. Kircherus *dari in natura materiam quandam, à dictis principiis distinctam, communem, resultantem & produ-*

 ctam


ctam ex diverſâ commixtione, digeſtione, & alteritatibus ſulphuris & hydrargyri; in quibus vis mineralis ad operandum & generandum exiſtat; è quorum mutuis agendi & repatiendi principiis & cauſalitatibus, traducantur à forma corporum imperfectorum primò generatorum, in formam aliam, ut tandem perveniant continuatis digeſtionibus & purificationibus, ad ultimam illam & perfectam, quæ eſt forma auri, in quâ eſt ultimus motus terminus, quem ars etiam conſequi poteſt, ſaltem de poſſibili. Dari autem materiam talem, ſeu *ſulphur ſpermaticum, aut vaporem, ad metalli hujus ſolaris* Geneſin conducentem *primò & per ſe*; ipſe P. *Kircherus* admittit: *Non ignoro autem, tale*, ait, *ſulphur in ſolo Auro & Argento ineſſe puriſſimum: ſed ab Auri incorruptibili & indeſtructibili ſubſtantiâ ſeparare; hic Rhodus; hìc ſaltus.* Subſumo ego: Atqui hujus implicantia dari non poteſt naturaliter, quin hujus ſeparationis ars dari poſſit: ergò nihil contra nos infertur. Neque dicat: in definienda materia Chryſopœiæ ignotum per ignotius, ac idem per idem explicari, vitioſumque committi circulum: alioquin de jure negaverim R. P. *Kirchero*, ullam dari rigoroſam definitionem in Philoſophia, ſed ubique circulum committi; cùm, niſi aſſignatis in rigore genere & differentiâ, his tanquam ultimò rem determinantibus, ſiſtamus; in infinitum procedere quemvis urgebo. Non enim certatur terminis in Alchymia; ſed rebus, ἐγχειρήσει, & operatione manuum opus eſt; in qua non juxta Dialecticam, ſed veram Philoſophiam, omnia deciduntur. Ad cæteras congruentias, quas P. *Kircherus* affert, cur ſcilicet *I. Magnus* DEUS *non revelaverit Philoſophorum Lapidem ſervis & amicis magnæ ſanctitatis; quibus tamen ſeſe ad ecſtaſes uſque communicavit*, ac pleno torrente voluptatis etiamnum viatores potavit: reſpondeo, hùc illud P. *Kircheri*, quod Alchymiſtis objicit, eſſe detorquendum: *qui divites volunt fieri, incidunt in laqueos Diaboli: juxta Apoſtolum*; & : *quæ conventio Chriſti ad Belial?* Semita virorum DEO dicatorum, eſt continuata tendentia ad perfectionem, per omnimodam ſui abnegationem; ſegregando ſeſe à terrenis ſollicitudinibus, quæ à Deo avocare ſolent, uni & ſoli ſpiritui ſeſe mancipantium. Quæſtuoſæ autem ejuſmodi artes, (conſulatur Divus & maximus *Hieronymus*, in Epiſtolis) rectâ diametro huic opponuntur fini. Totos ſibi vendicant animos eorum, quos tyrones ſemel nanciſcuntur, ac à Deo faciunt peregrinari. Unde videmus, plurimos Religioſiſſimos, ac conſummatos Viros turpiter in cogitationibus ſuis evanuiſſe, & diſcinctè converſatos fuiſſe; dum, in alienam meſſem falcem ſuam mittere volentes, lapidem Offenſionis, non Philoſophorum, Diabolo Alchymiſtam ſe fingente, inquiſivêre: cùm extra ſphæram religioſè converſantium ſit, ac alia longè occupatio deſideretur in talibus; uti patet ex *Hieronymo*, ſanctiſſimo Aſcetâ, Epiſtolâ ad *Pamach.* ad *Ruſticum*, ad *Heliod.* ad *Paulinum*; *ex Bernardo*, in Epiſt. ſerm. item 30. ſuper cantica; ex *Caſſiano*, in Collati: Patrum; præcipuè autem *Hugone* de Clauſt. animæ cap. 5. Innumeros producere poſſem, ex probatiſſimis Scriptoribus, aut propriâ etiam experientiâ, qui Clauſtrali obſervantiæ Chymiam, & artes lucro deditas, qualis Alchymia eſt, jungere volentes, malo eventu id practicarunt. Notus ex ſcriptis eſt *Baſilius, D. Benedicti Monachus*; à quo *Paracelſus* deſcendit: *Ioannes de Rupeſciſſa, D. Franciſci Conventualis: Valentinus* alter, *Monachus, Villanovanus*, & ſine numero numerandi; quos apud *Spondanum*, Galliæ Narbonenſis Epiſcopum, & S. R. E. Cardinalem, *Cæſarem Baronium*, Chronographos, reperies: plures etiamnum uſu cognoſces, quos noſtra vidit ætas, totos in laboratoriis demerſos: quos minimè judico; cùm his impar ſim officiis. E contrà verò participari ſe ſinit Clementiſſimus DEUS, ac naturæ receſſus iis reſerat, qui inter limites vocationis ſuæ, orando & laborando, puſilli & humiles Creatori ſuo adſtant, ac gemitibus inceſſanter plangunt & gemunt, donec exaudiri mereantur: cùm interim inanes dimittat eos, quos ad aram, non verò Alchymiſticas acerras, deſtinavit. His enim non Hermetica Apocalypſis ſcrutanda deſtinatur; ſed ea, quam in Patmo Inſula primus intellexit Joannes: quæ propria eorum eſt, quibus datum eſt deſuper, *ſolvere ſigillum & aperire librum.*

De-

Demiratur P. *Kircherus*, quâ ratione *spiritus Sapientiæ in animam malevolam migrare potuerit; cùm plurimi fuerint prostitutæ vitæ, Alchymistæ* (quod potiùs privatæ cujulvis libidini & genio, minimè arti innocuæ, accensendum) & *Theophrastum Paracelsum*, Alchymicorum Præsidem nigerrimo signat calculo, figurâ usus, Græcis Polysyndethon dictâ, notissimâ Poëtis; dum eum multiplicatis epithetis *convitiatorem*, *blasphemum*, *rixosum*, *ebriosum*, *Atheum*, *ac Magum*, *& hariolum fuisse* arguit, multa contra Virum adducens ex ingrato Paracelsi discipulo, *Oporino*; qualem olim & Plato habuit Cuculum. Ego *Theophrastum* vindicare nolo: adducam tamen pro eo formalia ex subtili illo Philosopho & Medico, *van Helmont*; Titulo: de Magnet. vulner. curat. ubi hæc leguntur: *Novi satis contradicentium mores. Cùm enim nil in rem ipsam momenti habent ampliùs, contumeliosiores fiunt, & in hominem impingunt: quocirca dicet fortasse aliquis, Magnetismum esse quid novum, à Paracelso solo inventum: eum autem fuisse hominem improbum, & ignarum. Tum quod si fuisset uspiam talis virtus naturalis, illam non tot sæculis occultam stetisse, & expectasse in adventum Paracelsi. Respondeo,* inquit Helmontius, *quoad scommata, & multorum subsannationes, in virum Germaniæ decus instillata, ne nuce quidem digna esse, & asserentem eo ipso reddere indigniorem: utpote qui nedum vivos, sed & mortuos judicare annititur. Est itaque objectio superbia sua sterilis, quæ nimirum præter vivos & mortuos, etiam Deum ipsum judicandum assumit.* Hæc ille. Legatur contextus ibidem, quem ego hûc transferre nolui. Ad finem autem sic concludit: *Quæ autem sint Paracelsi opera, & quàm omni expectatione naturæ & linguarum mordacitate majora, ipsius Epitaphium, ab Illustrissimo & Reverendissimo Antistite Principe Salisburgense, illi benemerito funeri appensum, satis invita invidia declarat. Habetur itaque Salisburgi in Nosocomio apud S. Sebastianum, ad templi murum lapidi incisum Epitaphium adhuc hodie visendum: Conditur hic Philippus Theophrastus, insignis Medicinæ Doctor, qui dira illâ vulnera, Lepram, Podagram, Hydropisin, aliaque insanabilia corporis contagia, mirificâ arte sustulit: ac bona sua in pauperes distribuenda collocandaque honoravit Anno 1541. die 24. Septembr. Vitam cum morte mutavit.* Hæc de *Paracelso*, artis Chrysopœiæ instauratore, publica monumenta. Quibus si P. *Kircherus* fidem negarit, interveniente tanti Præsulis authoritate; neque ipse demiretur Author, si proprios ejus partùs minùs æquo judicemus oculo.

Post *Paracelsum*, arguit P. *Kircherus Bernaudum*; ex cujus confutatione structuram Lapidis aurifici demoliri studet, dum ex *Bernaudo*, pag. 263. Cap. de Lapid. Philos. adducit; sed, sit venia verbo, (imponit huic Authori) quasi sensisset, *omnem Tincturam, ex Auri Obrizi unciis duabus, & decuplo Mercurii paratam super Argenti vivi drachmas duas projectum, ejus tantum drachmam unam in aurum commutasse*: cùm tamen mens Authoris sit, *quòd duodecima pars unius grani, de suâ descriptâ Tincturâ, projecta super duas drachmas Mercurii, seu Argenti vivi, tingat seu transmutet hujus drachmam unam in aurum perfectum.* Et quivis, qui artem Spagyricam vel à limine salutavit, conjicere poterit, ab Auri Obrizi unciis duabus, & decuplo Mercurii, plus Tincturæ, post perfectam hujus (Tincturæ scilicet) & lapidis elaborationem in residuo futurum, quàm duodecimam portionem unius grani, virtute cujus duntaxat unica drachma argenti vivi in Aurum transmutari potuerit. Scrutetur P. *Kircherus*, aut cuicunque vacat, accuratiùs formalia Authoris, ac liquidò deprehendet, quod asserui ego; scilicet, duodecimam partem unius grani Tincturæ illius, ab ipso descriptæ, tingere 60. grana, id est, drachmam unam, argenti vivi, in aurum purum; & sic consequenter, Tincturæ ejusdem granum saltem unicum & integrum, duodecim drachmas, id est, unciam unam cum dimidia, Argenti vivi: adeoque ultrò calculando, usque ad drachmam unam Tincturæ, quæ sunt grana 60. transmutarentur, juxta mentem *Bernaudi*, unicâ drachmâ illâ, lib. viij. circiter, minùs ℥ iij. argenti vivi in purissimum Aurum. Et posito jam, de Auri Obrizi unciis dua-

Idea Numiſmatis Aurei.



Denſitas Nummi



bus, & decuplo Mercurii, ſegregatis omnibus heterogeneis, in præparatione Lapidis Philoſoph. remanere ſaltem dimidium, aut minus etiam: annon magnum exinde commodum accreſceret operanti? Sed non ideò hæc allego, quaſi proceſſum *Bernaudi* per omnia legitimum cenſeam, qui reverà mancus ac mendoſus eſt: ſed ſolùm, ut remonſtrem, *Bernaudum* à R. P. *Kirchero* indebitè refutatum ac notatum acriùs fuiſſe; cujus mentem ac cenſum non erat aſſecutus.

Fuiſſe autem quondam viros, qui, citra jactantiam, magnum hoc Lapidis, & Naturæ, myſterium cognoverint; probandum mihi reſtat: uti ſupra pollicitus ſum. Et verò, poſſediſſe *Theophraſtum Paracelſum Lapidem aurificum*, Orbis clamitat, & ad nos vocem reflectunt Magni Rudolphi Auſtriaci tempora; quibus hoc indubitatum apud omnes percrebuit. Adducam tamen vel unicum, ex *Helmontio*, teſtimonium, quod reperies titulo: *Tartari hiſtoria:* eò directum L. B. volo, nimium aliàs futurus prolixus. Habuit Chryſopœiam *Helmontius*. Ita n. ipſe de ſe, tit. *Vita æterna:* & tit. *Demonſtratur Theſis*, fol. 427. *Ego itaque,* ait, *renaſcentiam ſalvandorum contemplor in naturâ ſublunarium & terrena fieri, perinde ac in projectione lapidis Chryſopœiæ. Enimverò vidi illum aliquoties, meiſque contrectavi manibus. Erat enim coloris qualis Croco in ſuo pulvere, ponderoſus tamen, & micans, inſtar vitri pulverati. Datum mihi ſemel fuit ejus* $\frac{1}{4}$ *unius grani. Granum autem voce ſexageſimam partem unius drachmæ. Hunc ego pulverem Ceræ, ab epiſtola quadam abraſæ, involvi, ne, projiciendo in crucibulum, per fuligines carbonum diſpergeretur: quem deinde globulum ſuper libram argenti vivi ferventis, & recenter empti, in vas triquetrum crucibuli projeci,* &c. Mox deinde ait: *aucto igne. ſub follibus liquatum eſt metallum, quod, everſo vaſe fuſorio, reperi pendere octo uncias auri puriſſimi. Facto igitur computo, unicum granum iſtius pulveris convertit* 19200 *grana impuri ac volatilis metalli, per ignem delebilis, in verum Aurum,* &c. Plura ibidem. Concludit ergo, Tit. *Vita æterna*, fol. 427. *Inter terrena ergo reperitur præfatus pulvis,* quo-

quodammodo similis, qui ferè infinitum metallum impurum transmutat in Aurum optimum, sibique uniendo, ab ærugine, rubigine, carie, & morte defendit, ac velut immortale facit, &c. Plura ex ipso fonte legat & hauriat, qui volet. Si igitur tanti viri reverentia apud R. P. *Kircherum* (quem, miror, in hunc locum non incidisse) pondus non habeat; incredulus sim, si plures adducam, quos possem, & vellem. Tamen, priusquam finem faciam, adjiciam è penu Austriaca, aut potiùs glorioso Ærario, magnum & augustum Chrysopœiæ tributum, quod olim ter felix Cæsarum, FERDINANDUS III. sanctissimæ memoriæ Princeps, perenni gloriâ, & famâ, ad Aram Apollinis suspendit, trophæum: & est Numisma, purissimo Auro conflatum, minimè Sophistico, quod arte, ex Mercurio vivo, per projectionem unius grani Tincturæ, ipse FERDINANDUS III. transmutavit. Ejus accuratam delineationem, æri incisam, subjungo, & pluribus rem edissero:

Hoc, quod coràm intueris, Numisma, constat ex Auro, quod è vulgari Mercurio tinctum fuit; cujus libras tres integras ipse FERDINANDUS III. Imperator, gloriosæ memoriæ, manu propriâ, in libras duas & dimidiam Auri puri, beneficio unius grani Tincturæ Philosophorum, transmutavit. Fuissent quidem integræ tres libræ Mercurii transmutatæ, nisi tingenda Mercurii massa semilibrâ illâ proportionem Tincturæ superasset. Neque hîc locum habent infidæ forsan multorum retorsiones, fuisse magnum hunc Monarcham ab Impostore quopiam illicio quodam inescatum, supposititio quopiam auro, ad majora aucupanda. Exulent procul indignæ ejusmodi næniæ viro probrosæ: cadere hoc in Principem tam circumspectum, & ævi nostri Salomonem, non potuit; utpote qui technas, ac mille gyros & anfractûs ejusmodi tenebrionum & pseudo-Alchymicorum ex asse perspectos habuit, quibus obviaret, ut veritatem & naturæ abdita erueret. Quare huic veritati propugnandæ non immoror, sed L. B. perpendere volo, ac subducere calculum, factâ hypothesi, quòd si granum unum libras duas cum dimidia tingat; hæ autem duæ libræ cum dimidia contineant grana 16470. quòd tum quoque una pars Tincturæ, totidem, hoc est, 16470. Mercurii tingendo transmutet: atque adeò hæc ars transmutatoria sine lucro non sit, & absque fœnore. Addo, confirmationis loco, quòd hæc metamorphosis, & metallorum transmutatio, jam temporibus Magni Rudolphi, sæpiùs celebrata fuerit: quod in Germania notissimum. Unde FERDINANDUS III. hoc Numisma in tantum redamavit, ut illud consueto Aulæ magnifico Thesauro adjungi passus non fuerit, sed secretissimo, & conclavis sui scriniolo incluserit, nullo, aut paucis arbitris. Unde accidit, quòd cùm recentissimè Ego, apud sacratissimam Majestatem, LEOPOLDUM, per ordinatum & aulicum Thesauriarum Nob. Dn. Joannem Ladner, hujus rarissimi numismatis, ac verè Thesauri, mentionem fecissem; neque sacratissimus Cæsar, neque Thesaurarius, hujus notitiam ac copiam habere perhibuerint; usque dum, me humillimè instante, Clementissimus Imperator, in secretissima arcula, reperit, mihique, ad 14. ferè dierum spatium, ut domi meæ æri incidendum custodirem, Clementissimè concessit. Exhibuit autem hoc granum Tincturæ FERDINANDO III. vir quidam Nobilis, cognomento *Richthausen*, quem deinde ad Baronis fastigium evexit, motu proprio, Sacra Majestas, & Domini de Chaos titulo insignivit. Perque hunc & mihi, utpote amicum olim singularissimum, unius atque alterius unciæ obrizi, & ex Mercurio tincti Auri, copia obtigit: uti de facto tanquam pretiosum thesaurum mihi servo atque recondo.

Hæc pro Chrysopœiæ veritate & possibilitate adstruere volui; quibus tamen si nihil profecero adversus obfirmatos quorundam animos, cum magno illo Viro, *Conrado Wechtlero*, FERDINANDI III, & LEOPOLDI I, Invictissimorum Cæsarum Archiatro (Medicæ Facultatis Viennensis Inclytæ membro & columna; qua multi, in Medicina, Viri Principes enutriti, ac etiamnum Clarissimi Medici degunt) exclamare cogor, lib. 2. Homines Occid. disput. 3. difficult. 6. contra D. Thomam Ægidium, ac Keckermannum: *Quis*

credat, ſcientiam hanc Chryſopœia homini non fuiſſe communicatam, quam Eudæmones norunt: quam Angeli eminenter poſſident? Aut cum Hugino à Barma Pariſienſe: *Majeſtatem naturæ naturantis nondum adoravit, neque naturæ naturatæ deceſſit ſatis, qui divini operis Hermetici poſſibilitatem non credit, realitatem ignorat, vel contemnit.* Accedit, quod multi viri probi eam certiſſimè poſſederint; inter quos *Baſilius*, alter *Valentinus*, eam citra dubium habuit. Taceo innumeros ſacros reditûs, fundationes, pia legata, quibus ſumptuoſa monaſteria erecta fuêre, non alio Mecœnate, quàm Chryſopœiâ. Loquitur de his Gallia, Hiſpania ac Italia, me vel altum ſilente, ut piaculo ſit, tot tamque manifeſta teſtimonia, & luculentam fidem, unâ velle refellere negatione. Occurrit mihi *Hiſtoria, quam, Helmſtadii accidiſſe, compertum habemus: ubi Cornel. Martini, Univerſit. illius tunc temporis Profeſſor. Public. Tractatum quendam, de Lapide Philoſoph. manu Authoris* (Cornelii) *fideliter & induſtriè*, uti exiſtimabat, *elaboratum, & typis propediem mandandum, ac pro diſputatione eventilandum dedit. Intervenit Nobilis quidam vir, moribus ac pietate conſpicuus, Cornelio familiaris, qui, de more, ad diſputandum & argumentandum laceſſitus eſt; cum tamen impar huic oneri eſſet, re, non ſyllogiſmis tantùm Philoſophus. Hic ut ſententiam ſuam factis proferret, carbones ac plumbum ſibi afferri juſſit, & in præſentiâ coram oculis Cornelii Tincturam quandam eliquato metallo injecit, ejuſque virtute jam dictum plumbum in Aurum optimum tranſtulit; deque eo etiamnum calente, Dom. D. Cornelio particulam notabilem porrigens, hoc ſubjunxit apophthegma: Heus jam tu, mi D. Corneli, ſolve mihi hunc ſyllogiſmum! Sic ex abrupto argumentatus, ſpectatores ſuos multis reflexionibus gravidos dimiſit, ac palam fecit, quid poſſit in natura genuina Philoſophia. Cornelius interim rubore ac verecundia ſuffuſus, palinodiam cecinit, vanas dimittens quæſtiunculas, pyrotechniâ ſe tradidit, futurus per ignem Philoſophus; orando & laborando.* Hæc, de *Tincturâ Philoſophorum*, quam A. R. P. *Kircherus* categoricè negavit, adſtruendâ ſufficiant: quam, licet perpauci obtineant, è rerum tamen natura proſcribere minimè decet. Habet enim & illa, quemadmodum arbor ſcientiæ boni ac mali Proto Parentum noſtrorum, ſuum de cœlo genium, qui rhomphæâ bis acuta eam protegat, & curioſos ac indignos arceat: cùm pauci ſint, qui virtutem & divitias affluentes jungere novêre. Unde accidit (juſto Dei judicio) ut ii, qui ejus vel jam compotes facti, aut eminus eam proſpiciunt, confuſionem patiantur, eam ex accidenti diperdant, remoram ac obicem Deo opponente, ne: *Aurum & Argentum nundinantes, animæ propriæ patiantur detrimentum.*

Præcipitatus Aureus, ſeu Arcanum Corallinum.

℞. Mercurii ſublimati dulcis cryſtallini, ſine Nitro, cum Sale & Vitriolo ſaltem ſublimati, & aliquoties ſublimatione iteratâ purificati, unc. unam,
Croci Solis ſpongioſi, ſupra edocti, per Mercur. & Sulphur parati, drachmam unam, vel unam ſemis:

Terantur probè in lapide porphyrio, immittanturque ovo Philoſophico Hermeticè claudendo, vel potiùs phialæ planæ (uti in capite de Mercurio indigitabitur) & in arenæ igne (non admodum leni) debito præcipitentur, figanturque, uſque dum fiat Præcipitatus rubicundiſſimus. *Habebis ſecretum Præcipitatum haud exigui valoris:* quo fruere.

Balſamus Solis, ſeu Auri.

Ad eandem normam, quâ è ſulphure crudo, item metallis imperfectioribus, utpote Ferro, & Mineralibus, nimirum Antimonio, &c. per olea deſtillata, ſive ex Junipero, Terebinthina, corticibus Citri, Aniſo, &c. Tincturæ elici poſſunt, ob balſamicam ſymbolizationem ac amicitiam, quâ olea deſtillata feruntur ad ſulphura ſimplicia metallorum & mineralium; pariter ex Auro, cum prædictis oleis deſtillatis, quocunque horum denique libuerit, Tinctura elici poteſt: ſi nempe Croco Solis, ſuperiùs edocto, horum oleorum alterum ſuperaffundatur, ad ſupereminentiam unius vel duorum

duorum digitorum transversorum, desuper autem de spiritu salis ritè destillato suff.q.guttatim infundatur: brevi denique & leni digestione peractâ, apparebit *Color & Tinctura Auri* in affuso oleo; quod filtrandum.

Verùm enim verò *Tinctura* hæc ex oleo difficulter iterum separari poterit, sive ex Auro, sive ex alio metallo, aut minerali sit extracta; proinde necessum est, ut conjuncta maneant ad instar *balsami sulphuris*. Licet enim spiritu vini summè rectificato, extractionem ulterius Tincturarum ex oleo, quovis modo tentaveris; experiêris tamen, totum conamen irritum cessurum, teque oleum perditurum atque operam. Quapropter si cui volupe fuerit, etiam ex *Auro Tincturam* conficere *balsamicam* cum prædictis oleis destillatis; is illam sine ulteriori extractione, destillatione, aut quâvis torturâ aliâ, usui destinet Medico: cùm neque nauseam creet, nec corrosiva sit. Nam cum sulphuris vulgariter parata *Tinctura*, pariter cum oleis destillatis extracta, quæ *Balsami sulphuris* venit nomine, tanti æstimetur in Medicina, & non exiguo, in quàm plurimis humani corporis affectibus, ægris auxilio cedat, frequenti teste experientiâ; quidni & *Balsamus Solis*, sive *Auri*, aliorumque metallorum & mineralium, suis propriis triumphabunt virtutibus. Assero itaque, & nullus dubito, quin & hic *Auri Balsamus*, juxta diversitatem olei extrahentis, *non minimas virtutes exerturus sit in roborando corde, exulcerationibus internis, febribus malignis, & peste denique ipsâ: in quibus infirmitatibus cùm præservativè, tum curativè adhiberi poterit: idque à gutt. vj. ad x.*

Et hæc de *Auro*, medicamentisque ex illo conficiendis, attulisse, sufficiat. Qui verò superfluitate pluralitateque numerosa Processuum saltem delectatur, is adeat *Querceranum* atque *Schröderum*; (Oedipus autem sit; non Davus) & satiabitur ibi non solùm *Auro potabili*, sed & aliis modis, diversæ speciei medicamenta ex Auro conficiendi, sed titulis atque nominibus peregrinis involuta, nullis aliis, nisi filiis doctrinæ, uti appellant, revelanda. Inter quos sanè ego quidem non fuero consignatus. Me enim latent hyperbolica illa & ænigmatica, pleraque fortassis Authoribus ipsis, Patribus filiorum, incognita: imò ea sibi solis servent, & hac suâ felicitate utantur, & valeant.

Reperientur quidem plures modi, *Aurum* solvendi, & medicamenta salutaria exinde conficiendi, juxta diversitatem menstruorum, aquarum mineralium, aliarumque rerum, sive sublimatorum, cùm solventium tum extrahentium *Aurum*, aut cum eo sese unientium; sed ex iis ea semper seligenda sunt, quæ *Auro* magis amica, & ex mineris eidem congenitis originem trahunt; qualia sunt: Marcasita aurea, Germanicè Goldkieß; è qua, destillando per retortam vitream, igne aperto, per gradûs dato, aqua quasi insipida elicitur. Hoc tamen, hâc observatâ lege, ut dicta, Marcasita, in pulverem priùs redacta, retortæ planæ vitreæ in fundo, cum collo oblongo & lato, eodemque non multùm contorto, sed directo, immittatur, & quidem in exiguâ quantitate; haud ultra dimidiam libram ejus simul & semel destillationi committendo: secus n. irritus omnis labor fuerit: quandoquidem, ob largam Marcasitæ copiam, si hâc retorta excessivè foret repleta, spiritûs proprii permeare minimè valerent, sed invicem in & à se ipsis consumerentur, figerentur. Nec àliter contingeret, si retortæ collum nimis fuerit angustum: eo enim in casu spiritûs ex sudantes protinus repercuterentur, & repercussi in suomet corpore figerentur, & consumerentur. Quapropter in destillatione hujus aquæ mineralis omnia præmonito modo studiosè servanda sunt. Hâc autem aquâ, seu spiritu minerali Aurum amicabiliter solvitur, &, repetitâ ejusdem abstractione, id ipsum ita subtilisatur, ut facilè postmodum cum Mercurio vulgi nativo virgineo, vel etiam Antimonii, in Mercurium duplicatum, REBIS Philosophorum, converti, ac exinde tandem verum Antiquorum Aurum potabile confici queat. Præterea ex ipso nativo & naturali Auro, vel ex India Orientali & Guinea asportato, vel è fluminibus quibusdam, Danubio præsertim, ministerio loturæ collecto, & à sabulo segregato, vulgò Waschgold (quod tamen Vulcani torturam & examen nunquam sustinuit, neque bene-

beneficio aut ope Mercurii erutum est,) albicans siccusque sublimatur spiritus ad supradictum ferè modum: exiguam licet quantitatem & vix scrupulum, vel dimidiam drachmam, ex Marca, vel libra una, Auri talis adepturus sis. Hujus tamen si tibi copia suppeteret, uti quoque haud magnis expensis, si quis præsens esset, ubi servitio loturæ è fluminibus illud hauritur, aut ex limo, sive terra pingui, excernitur (ut fit in Guinea) comparari posset; (Aurum enim residuum à sublimatione manet Aurum, suo saltem volatili spiritu connato sibi, qui aliàs in necessaria liquatione Auri protinus avolat atque deperditum it) haud protriti momenti arcanum possideres, pro vero Auro potabili adipiscendo, ejusdemque Tinctura conficienda, aptissimum.

Similis porrò materia, & sublimatum Mercuriale albissimum, è rubicunda Auri minera, volgò **roth gulden Ertz** / (quæ tamen potiùs *Argenti minera est*; cum è residuo sublimationis, levi negotio & liquatione, argentum purum eliciatur in abundantia; imò vel tota minera residua, si pura fuerit, purum argentum futurum sit, paucis refertum scoriis) lenissima sublimatione, præmissâ propemodum hebdomadali fixatione, in arena, elicitur; cujus copiam ipse penes me habeo, Marte proprio elaboratam: deque hoc sublimato non pauci, nec negligendi processûs & labores, arcanaque nota sunt nunc; olim in laboratoriis Regum & Principum saltem trita & elaborata; quæ hoc loco publicare, de tempore non est, nec negotia admittunt. Qui verò in laboribus Chymicis secretioribus exercitatus est, is facilè assequetur, quorsum hæc, paucis, sed claris verbis, absque hyperbole, indigitata colliment. Curiosis enim, & in arte Chymica peritis (quibus pauca, sed, uti patet, perspicua) hæc scripta esse volo. Hanc autem *Auri mineram* rubicundam non esse de nihilo, censendum est, utpote permagni, sicut olim, ita non minùs adhuc hodiè, æstimatam, cùm à *Paracelso*, tum ab *Helmontio*; uti sequentia demonstrant, nimirum quæ prædictus *Helmontius*, in suis Operibus, de illa commemorat, utpote 1. *pag. mihi* 574. ait: *Natura produxit in Monarchia subterranea minerale quoddam, quod, ob sui singularitatem, vocatur à Paracelso Metallus primus sive masculus* 2. *pag.* 577. inquit: *Sulphur Glaure Augurelli, qua Nympha alio nomine proprio hactenus caret.* 3. pag. 604. *Electrum minerale immaturum Paracelsi, collo appensum, liberat, quos spiritus immundus persequitur & angit.* 4. pag. 790. *Electrum minerale immaturum, è quo Lili tinctura.* Hæc ille. E quibus patet, haud exigua in hac minera latere arcana, ab eo, cujus operibus benedixerit Altissimus, fortassis impetranda.

CAPUT II.

DE ARGENTO METALLO, seu LUNA.

ARGENTUM nobile Metallum; ignobilius tamen, ac imperfectius *Auro* est, at reliquorum sequentium nobilissimum & perfectum, ob sui in igne constantiam: albissimum, splendens ac ductile: compactum ex principiis (scilicet Sale, Sulphure, & Mercurio) in visceribus terræ non minùs perfectis, quàm puris, beneficio caloris centralis perfectè coctis & maturatis. Dicitur à Chymicis *Luna*, & æquiparatur *Lunæ cælesti*, eò quòd in *Macrocosmo Lunam*, *in Microcosmo verò Cerebrum* sympatheticè & analogicè repræsentet: quâ etiam de re *cerebri & capitis robur est*, *spiritusque*

quæ animales confortat: unde in plurimis capitis, cerebrique affectibus; uti sunt, *Apoplexia, Epilepsia, Mania, Melancholia; & morbis similibus curandis, peculiaris efficacia perhibetur.* Videatur *Quercetanus*, cap. 6. de Luna, seu Argento, Tom. 2. pag. 636. uti & *Schröderus*, lib. 3. cap. 10. pag. 373.

Bezoardicum Lunare.

℞. Argenti, seu Lunæ finæ, unciam unam,
solvatur, in laminas tenues priùs
deducta, cum
Spiritûs Nitri ritè destillati. f. q.
porrò solvantur
Butyri Antimonii, à sua cinnabari rectificati, unciæ duæ vel tres,
itidem cum
Spiritûs Nitri ritè destillati f. q.

sensim & guttatim prædicto butyro affundendo, quousque omnis effervescentia & strepitus subsideat: quod signum est perfectæ solutionis.

Hæ duæ solutiones conjunctæ abstrahantur, destillando in cucurbitâ vitreâ, igne arenæ, ad siccitatem massæ albæ viridescentis. Huic residuæ massæ denuò alius *Spiritus Nitri* affundatur & abstrahatur; idque tertia, vel quarta etiam vice repetendum; ultimo fortissimo igne urgendo, ad omnimodam spirituum corrosivorum expulsionem; singulis tamen vicibus, ante repetitam *Spiritûs Nitri* affusionem, massam super porphyrite conterendo. Massa deinde, à ternâ vel quaterna *Spiritûs Nitri* abstractione residua, & subtilissimè trita, aquâ simplici sæpius affusâ, f. a. edulcoretur, donec omnis acredo à spiritibus corrosivis residui ablata sit. Pulverem tandem *Bezoardicum* biborii spatio circiter, in crucibulo, igne aperto, probè calcinatum usui reponito.

Valet ad morbos Lunares, cerebri & capitis, Epilepsiam putà, Apoplexiam, Paralysin, Melancholiam, & Maniam. Est quoque Alexipharmacum præstans. Dosis scrupulus, ad drachmam semis.

Luna Potabilis.

Quàm varii processûs & modi, *Lunam* conficiendi *potabilem*, hinc inde circumferantur, caput X. l. 3. de Argento Clarissimi *Schröderi*, Pharmac. suæ Medico-Chymicæ, pag. 373. & seq. ut & cap. VI. Doctissimi *Quercetani*, pag. 636. uberrimè demonstrant. Sed re ipsâ loquente, omnes ejusmodi ferè processûs vel Oedipo opus habent, qui secreta occulta in earundem apparatione nobis pandat: vel *meræ solutiones* sunt *Argenti*, nauseosæ ac insalubres, quæ aliàs, expedito negotio, per *spiritûs urinæ*, aut *salis Armoniaci*, salsos, imò vel solo aceto destillato, è crudo Argento parabiles sunt, quæque stomachum, vel in minima dosi assumptæ, subvertere, ac sursum deorsumque commovere valent. Propterea etiam difficile est, certi quid hâc de *Tinctura* & *Essentia Lunæ* statuere, quâ ratione absque nauseoso & insalubri Vitriolo apparari possit; nisi universali procedatur semitâ, convertendo Lunam per Mercurium in Mercurium, primumque suum esse, ac diuturnis tandem operationibus Spagyricis ad summam fixitatem, albissimumque Magisterium Sophorum. His tamen non obstantibus, unicum saltem modum conficiendi *Lunam potabilem*, qui præ cæteris mihi arridet, & vel ob menstrua extrahentia virtutibus suis non carebit, juris communis faciam, qui talis:

℞. Argenti purissimi, per Saturnum legitimè purgati, uncias tres,
solvatur cum f. q.
Spiritûs Nitri ritè destillati:

Solutionem abstrahito in cucurbita vitrea, donec cuticula quædam appareat. Quâ frigefactâ, in *Crystallos*, hoc est, *Vitriolum Lunæ*, convertatur; in patella vitrea leni calore exsiccetur, inque pulverem albicantem convertatur: cui pulveri postmodum admisceto

Salis Armeniaci semel atque iterum
sublimati duplum.

Relinquantur aliquandiu aëri humidiori libero exposito, quoad colore cœruleo viridescente imbuantur: hoc facto, immittantur cucurbitæ vitreæ, suo capitello munitæ, & in arena sublimentur; & sic *sal Armoniacus animam Lunæ* evehet, quæ, post reiteratas sublimationes, addito recenti semper sale Armoniaco, per elixiviationem cum aq. simpl. à sale dicto separanda est: & ex hac tandem *Tinctura* seu *Essentia*

Lunæ, per spiritum vini summè rectificatum, sale tamen volatili microcosmi essentificatum, extrahatur, repetitâ recentis spiritûs affusione, quoad omnis Tinctura prolecta sit. Tincti denique spiritûs omnes, ad uncias tres circiter, in M. B. abstrahantur; &, si cœruleus Tincturæ Lunæ color disparuerit, addatur residuæ abstractæ Essentiæ nonnihil salis microcosmi volatilis; quæ, hoc pacto colori ejus cœruleo, si is tantoperè desideretur, restituta, ac virtutibus prægnans, pro affectûs exigentia, in promptu retinenda est.

Non pauci numero sunt, (quod è superioribus repeto) processûs *Argenti* seu *Lunæ potabilis*, qui ab Authoribus traduntur & traducuntur; in quorum numero Clarissimus quoque *Agricola*, in Tractat. suo de Argento, pag. 128. modum quendam non contemnendum publico donavit, *qui ex Argento puro, cum Tartaro Vitriolato illud stratificando & cementando, sive leniter calcinando, Vitriolum Lunæ apparare docet. Ex hoc scilicet Vitriolo Lunæ, admixtis silicibus, spiritum per retortam, more consueto, destillare* jubet. *Hinc ex alia Luna seu Argento, spiritu Nitri soluto, & in Vitriolum s. a. converso, additâ tripla salis Armoniaci quantitate, animam Lunæ per sublimationem*, (uti superiùs ostensum) *in altum elevare & segregare* præcipit: *quam postea à sale Armoniaco, edulcorationis labore, affluente aquâ simplici, separatam, inque pulverem conversam, cum spiritu supradicto proprio, è Vitriolo Lunæ destillato, extrahere, donec omnis tinctura prolecta sit, huncque porrò spiritum tinctum destillando abstrahere, & ex residuo tandem legitimo vini spiritu Essentiam Lunæ elicere, illamque ultimò ad Oleitatem destillando abstrahere, vel totaliter, præmissâ circulatione, & fermentatione, per alembicum, vel retortam parvam, propellere* edocet. Hanc *Essentiam* præ cæteris magni æstimo, quamvis, gravioribus laboribus & expensis parta, non levi veniat pretio. Observare enim decet, hæc, & consimilia, ex *Auro*, *Argentoque sumptuosiora remedia & arcana* tenuioris fortunæ hominibus, aut infimæ sortis, minimè apparari. Nam & his DEUS debita ordinavit pharmaca, quibus lapsam naturam erigant ac foveant: dum pretiosa hæc opulentioribus cedunt; qui nullis parcunt thesauris, ut sanitatem ac vitam tueantur.

Eximias hujus *Tincturæ* dotes prædictus Celebris Chymicus multis extollit, ubi & dosin, ac utendi praxin, edocet; quæ B. L. pro uberiori notitiâ consulere poterit.

Deinde idem *Author*, in eodem, de *Luna*, tractatu, pag. 155. *Crystallos, seu singulare Vitriolum ex Luna seu Argento, cum Nitro fixato parare* docet; *fidissimi spe remedii, quod hydropem anasarcam & ascitem persanet.* Cujus si libuerit copia; ejus ibidem reperies modum parandi.

CAPUT III.
DE CHALYBE
seu
FERRO.

FERRUM, cæteris Metallis solidius, conditionis tamen inferioris cùm à vulgo, tum à Chymicis censetur. Rem verò si exactiùs perpendamus, & veritati ac experientiæ auscultemus; ultrò fateri cogemur; *Ferrum*, præ reliquis metallis, tam medicinis, quàm reliquis humanis necessitatibus ac usui destinari: maximè cùm ex eo pharmaca paucis expensis & solertiâ, reliquis palmam præripientia, apparari valeant.

Quanquam nonnihil derogare videatur huic metallo

metallo uberior ejus proventus & frequentia, quâ ubique prostat; cùm ea solùm chara sint, quæ rara: licet præpostero modo; quin potius elucescat Divina ex eo in nos providentia, quòd illa multiplicare dignata est, quibus feliciùs in vitam ac sanitatem erigimur.

Compertum autem est, *Ferrum* ex iisdem, quibus reliqua metalla, prognatum esse principiis, à Sale videlicet, Sulphure, & Mercurio; inter quæ Sal atque Sulphur dominio superant Mercurium: quamobrem & *solidius metallum ferrum est*, ac ad liquationem sui ingenti ignis fulmine opus habet. Est præterea aliqua *differentia inter ferrum ac ferrum*, quoad *loci natale solum, climata, ac ferri-fodinas*, è quibus eruitur: dum id, quod *præstantius* est, *& purius*, *Chalybs* appellatur; quem tamen naturalem è simplici ferro ars æmulari didicit.

Cæterùm *Mars*, seu *Metallum* hoc *Ferrum magnas à natura dotes & Medicas prærogativas adeptum est*. Quamobrem & Majores nostri, quorum Antesignanus, ne dicam Princeps, *Galenus* (quantum inter Medicinæ exordia ac cunabula vacillans ars præstare potuit) crebro *Ferrum*, medentes ordinarunt, tam intùs, quàm deforis adhibendum; adeò quidem, ut, citra ambages, ac prolixos artis processûs, crudum ac limatum exhibuerint; qua de re Clarissimus *Quercetanus*, cap. VII. de Marte, cap. 638. consuli potest. *Laxat*, *& adstringit*, *juxta diversas præparationes ejus*, *aperit obstructiones*, *& soluta glutinat*, *pungit* (ut dicitur,) *& ungit*, *sauciat & sanat*. De quibus, juxta vera Chymiæ Theoremata, plura in sequentibus.

Vitriolum Martis.

A Solutione, Metallorum analysin auspicamur. Nisi enim in principia & elementa Chymica redigantur arte & industria, Viri boni remedium non sunt. Proinde & Martem in Vitriolum, quo constat, primo labore resolvere, stat sententia.

Non obstante, quòd *Ferrum metalla reliqua soliditate superet*; haud difficili tamen negotio solvitur; cujus rei causam quidem in salem sui generis, seu metallorum conjicimus, quo præ reliquis abundat; tum etiam in sulphur prædominans, & scoriarum multitudinem, à quibus summam soliditatem nanciscitur. Quocunque enim corrosivo spiritu dissolutionem ejus attentes, scorias reperies in residuo illæsas. Resolvitur autem *à spiritibus quibusvis acidis & corrosivis*, *Vitrioli*, *Sulphuris*, *Nitri*, *Aquâ forti*, *&c.* imò *aceto ipso*; à nullo verò tàm perfectè, quàm à *Vitrioli*, *aut Sulphuris*, *spiritu*; vi cujus in *vitriolum suum viride crystallinum* abit. Nam si cum Nitri simul, atque Vitrioli, spiritu solutionem *Martis* seu *Chalybis* attentaveris, deprehendes, quòd non æquè speciosum nacturus sis *Vitriolum*, sed quatenus volatilitatis similitudine inductum, in abstractione Menstrui periturum, exiguâ quantitate corporis salini vitriolati relictâ; quemadmodum ex præparatione spiritûs Acidularum Spadanarum sic dict. in *præcedentibus meis Animadvers.* conspicua, manifestum fit: idem ferè contingit, si cum Aquâ forti tentes solutionem. Aceto destillato ferrum quidem roditur; perfectè tamen non solvitur, nec in Vitriolum ejus convertitur; quin potiùs in Crocum, pulverem flavescentem: aut, si extractio suffic. quantitate aceti affusâ fiat, tum substantiam subdulcem vitriolato salinam, abstracto aceto, remanentem reperies. *Salia* porrò *acido-salsa*, qualis sal communis est, Ferrum, Aurum, atque Argentum aggrediuntur, ast corrodendo solùm & erodendo rubiginem, & crocum è ferro eliciendo: *Salia* è contra, *purè salsa*, uti sal Tartari, cum reliquis lixivialibus, è vegetabilibus petitis, idem non præstant; in vasis enim ferreis cocti ejusmodi sales, neque saporem, neque æruginem ab iis, scilicet ferreis instrumentis, contrahunt. Evicit igitur experientia, *Ferrum*, seu *Chalybem*, nullo alio menstruo, quàm *Vitrioli & Sulphuris spiritu*, *in genuinum Vitriolum verti ac solvi posse*. Quippe & illa solutio Ferri calcinatoria, quæ cum sulphure crudo peragitur, juxta *Crollium*, quam & ipsam superiùs jam tum, convenienti loco, ex Indice conspicuo, tradidimus, perinde à spiritu sulphuris (quem flagrans ac ardens sulphur eructat, & eructando confestim ferrum proximè attingit solvitque) solo & unicò perficitur. Quapropter & illam ferri solutio-

nem in vitriolum, præ omnibus aliis commendatam volo; quoniam pretio & sumptibus consulimus; leges artis adimplemus; & meliùs quidem, quàm eâ, quæ prolixis laboribus, velut totidem ambagibus, perficitur. Ne autem Tyrones ambiguos dimittam, ac pro factis verba reddere videar; ipsa Praxi ostendam, qua ratione Ferri solutio in Vitriolum, quod Martis vocant, per *Vitrioli*, aut *Sulphuris Spiritum* legitimè instituatur; & sit sequens paradigma:

Accipe *Limaturam ferri*, eique, vitro amplo immissæ, superaffunde Spiritûs vitrioli, sive sulphuris, duplo vel triplo aquæ simplicis priùs diluti, quantitatem sufficientem, usque dum videris Ferrum ab affusione calefieri, & pro maximâ sui parte solutum esse; cavendo tamen, ne confestim spiritus affundatur, verùm successivè ac pedetentim, ne nimium excalescat solutio, & sublime petat, non sine periculo adstantis, & rei totius dispendio. Factâ solutione, porrò aquæ simplic. copia affundatur, repetitis vicibus, pro exactâ vitrioli extractione; solutio filtretur, ac in sartagine ferreâ leniter exhalet, ad cuticulam apparentem: tum in frigido concrescent crystalli, qui à reliquo liquore separandi & leniter exsiccandi: residuus verò liquor ulteriùs paulisper exhalet, ut, in frigore collocatus, crystallizetur. Id toties repetendum, quousque totus ferè liquor in Vitriolum seu crystallos conversus fuerit, separato qualibet vice sulphure, vel pulvere flavo, fundum petente.

Ex *Vitriolo Martis*, sive illud reiteratâ ferri calcinatione cum sulphure, juxta *Crollium*, sive præfatâ solutione cum spiritu Vitrioli paratum fuerit, *varia medicamenta, eaque sanitati multum consulentia, confici possunt*: utpote *Spiritus subdulcis, Crocus aperiens, & etiam adstringens, Essentia, Tinctura, Sulphur anodynum, &c.* Per se tamen *Vitriolum* hoc non minùs usui medico favet, *obstructiones hypochondriorum reserat, menstrua suppressa promovet, ac variis morbis medetur: sumptum à granis v. vj. vel vij. saccharo, aut alio vehiculo convenienti, permixtum.*

Spiritus Vitrioli Martis.

℞. Vitrioli Martis, sive per spiritum Vitrioli, sive per calcinationem cum sulphure parati, libras decem, vel quindecim:

Hoc immittatur *ollæ vitreatæ*, & super igne leni carbonum calcinetur ad cineritium aut flavescentem colorem; calcinatione hâc leni peractâ, redigatur denuò in pulverem, atque retortæ vitreæ probè lutatæ immissum, igne aperto, præposito priùs recipiente amplissimo, fugis undiquaque, ne quid exspiret, benè clausis, gradatim, ac secundum artem, destilletur; igne ultimò unâ atque altera die aucto, & fortissimo reverberii, ad totalem humiditatis radicalis, oleique rubri expulsionem, quousque nebulæ egredientes non ampliùs conspiciantur: & postquam paulisper refrixerint, vas recipiens cum spiritibus protinus auferatur, ne attractione siccissimi capitis mortui, spiritûs in recipiente commoti retrocedant & dispereant. Quibus omnibus legitimè peractis, asservetur hic *Spiritus* saltem filtratus, sine ulteriore rectificatione, aut phlegmatis abstractione. *Neutram enim necessariam duco, quoniam abstrahendo phlegma per destillationem, tollitur unà spiritus ejus sulphureus, summè tamen expetendus & conservandus, ob virtutes, quibus pollet, attenuantes & penetrantes; quibus obstructiones viscerum reserat, & ventriculos cerebri permeat; unde & Epilepticis & Apoplecticis destinatur.* Per *rectificationem* itidem *tollimus oleum ejus rubrum & fixum, essentiâ Martis tinctum*; quod *ventriculo & visceribus reliquis naturalibus roborandis permagno est solatio*: hoc autem per rectificationem spiritui detrahere, nefas esse existimo.

Cæterùm, *spiritus hic Vitrioli Martis gratissimi saporis est*; *cum moderata enim aciditate dulcedinem quandam sapit: Hepati, Lieni, & Ventriculo roborando; tum etiam obstructionibus eorundem reserandis efficax est, in vehiculis quibuscunque, Jusculis, Electuariis, Conservis, Confectionibus & Julapiis, exhibitus.*

Crocus Martis Adstringens.

RESiduum, à destillatione *spiritûs prædicti Vitrioli Martis, caput mortuum, sic dictum*, (è quo, uti sedulò inculcavi, ejus spiritus totus, unà cum oleo rubro, totaque radicali humiditate, urgente extremâ vi ignis biduò continuatâ, expulsus fuerit) *verus ac legitimus Crocus Martis est adstringens, liber ab omni salsedine, solâ virtute exsiccante & adstringente gaudens*: quâ de re non solùm sine edulcoratione & humectatione asservandus, verùm etiam ab omni aëre humido studiosè præservandus, ne attractione hujus, & astrorum veluti impraegnatione, suam totam naturam immutet, & deperditâ suâ virtute *Adstringente*, in *Aperientem* transmutetur.

Valet ad immoderatos & cruentos alvi fluxus: hæmorrhagias quascunque sistit cùm intrò assumptus, tum externè vulneribus sanguine manantibus inspersus.

Nota: Aliam *Croci Martis* adstringentis præparationem, *prævia Animadv. n. pag.* 461. edocent; proinde & ea, quæ de *Colcotharis* edulcoratione, pag 412. *earundem Animadvers.* studiosè notavi, & quæ notatu digna sunt, pro majori *Crocorum Martis, cùm Aperientis, tum Adstringentis*, illustratione hûc referantur.

Crocus Martis Cachecticus.

℞. Nitri puri libram unam:
liquefiat super igne leni, in crucibulo, cui injiciatur

Limaturæ ferri q. s.

ad siccitatem *Nitri*, paulatim tamen ac successivis actibus, quoad nulla ampliùs rasura imprimi queat; quo facto, relinquantur paululum adhuc super igne aliquantum adaucto, donec *Nitrum* sponte suâ accensum propemodum conflagret. Eximatur deinde massa è crucibulo, & affundatur ei aqua calida; quæ si tincta fuerit rubicundo colore, decantetur, filtreturque. Hinc spatio unius circiter diei & noctis residebit Pulvis rubicundus, & fundum petet: quem ab aqua, per filtrum, aut decantationem, separatum, ac probè siccatum, ad usus servato.

Præstans in Cachexia, morboque Virgineo & Chlorosi, oblatus à scrupulo semis ad unum, & drachmam semis; vel in quadam Conserva, aut vehiculo quocunque alio, palato grato.

Ex hoc Croco Tinctura Martis.

℞. Croci Martis Cachectici q. s.
cui superaffundatur

Spiritus Veneris ad supereminentiam trium vel quatuor digitorum transversorum:

digerantur calore leni, quousque spiritus affusus imbuatur rubicundo colore, qui decantandus, ac alius spiritus superaffundendus; idque tot vicibus fieri oportet, donec spiritûs non ampliùs rubedine tingantur. Postmodum tincti spiritûs omnes in B. M. ad oleitatem abstrahantur: residuus liquor crassus deinceps cum spiritu vini summè rectificato extrahatur, & perinde, ad liquoris crassioris consistentiam, destillando abstrahatur, remanente rubicundo liquore in residuo: *qui præstantior ipso Pulvere Cachectico, in præfatis affectibus.*

Tinctura Martis alia vera.

EGregia *Martis Tinctura* è *Vitriolo Martis*, per *spiritum Vitrioli*, aut repetitâ calcinatione cum *sulphure*, parato beneficio salis essentialis vini, citò & amicabiliter elicitur, & quidem modo sequente:

Accipe Salis n. essentialis vini, è solo vino, lege artis, nullâ prorsus re peregrinâ adjectâ, parati, unc. sex:

liquetur hic in vitro super cineres calidos, vel in patella ferreâ, igne blando substrato: (instar enim ceræ liquabilis est) deinde immergantur

Vitrioli Martis legitimè parati unciæ tres vel quatuor.

Facta jam mixtura statim ab igne removeatur, & frigefacta contundatur protinus, relinquaturque nonnihil expansa in patella vitreâ, aliquot dierum spatio, aprico exposita, ut efflorescat & rubicundissima fiat: è quâ mixturâ postmodum, alembico vitreo immissâ, cum spiritu vini cinamomisato, vel solâ cinamo-

mi aqua ſpirituoſa, intra calorem blandiſſimum, *Tinctura* extrahatur *rubicundiſſima, ſanguinis inſtar*; quæ per filtrum à ſedimentis ſuis ſecernenda, ac ſtudioſè aſſervanda eſt.

Efficax hæc eſt Tinctura in obſtructionibus Hypochondriorum, Meſenterii, Pancreatis, Menſiumque ſuppreſſionibus reſerandis: confortat hepar, cum reliquis viſceribus naturalibus, morboque Virgineo & Cachexiæ medetur. Doſis à drachma una ad duas & tres extendi poteſt, & in juſculis, vino, aut quibuſcunque vehiculis, naturæ & morbo gratis, propinari.

Notetur: quòd connubium *Vitrioli Martis*, & *ſalis noſtri Eſſentialis*, abſque liquefactione dicti ſalis, ſolâ amborum triturâ & exacta mixturâ, in mortario vitreo aut lapideo, feliciter ſuccedat: & pauculis etiam horis eorum efflorеſcentia apparebit, aſpectu jucunda.

Aroph Paracelſi, quod Aroma Philoſophorum ſonat:

℞. Lapidis Hæmatitis, qui de natura ferri, eſt, &
Salis Armoniaci, ana libram unam.

Contundantur ſingula ſeorſim minutiſſimè; commiſceanturque contuſa omnia, & cucurbitæ vitreæ probè lutatæ imponantur, ac in arena ſublimentur, agglutinato quidem capitello, & præmiſſo recipiente, ubi ignis per gradus augendus eſt; ultimò verò per ſex integras horas gradu fortiſſimo, ita, ut fundus cucurbitæ candeat. Sic exſtillabit liquor ſat fortis ab initio, qui *ſpiritus ſalis Armoniaci ſalſus* eſt, peculiaribus uſibus aſſervandus. Illud autem omne, quod in forma ſicca elevatum fuerit, tam ad latera cucurbitæ, quàm ad ipſum capitellum, ſubtiliſſimè teratur, & cum *Alcohol* vini ad ſummum rectificato, in leniſſimo (altem tepore, extrahatur. Extractio hæc in momento contingit: toties autem reiteranda *ſpiritûs recentis* affuſio, donec is (*ſpiritus*) nullâ ampliùs tincturâ ſive flavedine imbuatur. Hinc extractiones omnes conjunctæ per B.M. (cave, ne in arena, vel in cineribus) per deſtillationem in cucurbita vitrea abſtrahantur, ad rutilantis ſalis ſiccitatem; qui ipſe aurei coloris ſal, croci ſpirabit fragrantiam; unde & *Philoſophorum aroma* appellari conſuevit. Hic porrò in cella humida collocatus ſuper porphyrite, reſolvetur in liquorem aureum, jucundi aſpectûs: quem vel ſtatim aſſervа aut, leni denuo calore coagula. Sic *præſtans eſt in calculo remedium, tum obſtructionibus hypochondriacis reſerandis.*

Nota, quòd liquor primitus reſolutus in cella, utpote Tincturâ aureâ dives, ſolus ſit aſſervandus: qui verò ſubſequitur, colore ab aureo diſpare, ſegregandus.

Spiritus Salis Armoniaci Acidus Chalybeatus. Item: Flores Salis Armoniaci Chalybeati Flavi: ex quibus Sedativum Archei, & Sulphur Vitrioli Anodynum conficiendum.

℞. Salis Armoniaci triti, &
Raſuræ Martis ſtudio limati & puri, ana libras duas.

Hæc probè mixta immittantur alembico vitreo, aut terreæ cucurbitæ vitreatæ, luto probè obductæ: ac, appoſito capitello, præmiſſoque recipiente, deſtillentur igne aperto, inter initia leni, gradatim tamen aucto, donec *ſpiritus ſalis Armoniaci* ſalſus & urinoſus provocatus ſit. Poſt hæc augeatur ignis ad fundi cucurbitæ excandeſcentiam, & capitelli nigredinem; & ſublimabuntur *flores ſalis Armoniaci* partim ad capitellum uſque, partim verò, & quidem majori copiâ, ad latera alembici; verùm cineritii tantùm, & nigricantis coloris. Peractâ ſublimatione, ac omnibus refrigeratis, maſſa in fundo cucurbitæ relicta & conglobata, additis & reſtitutis ipſi *floribus ſalis Armoniaci* nigricantibus propriis jamjam ſublimatis & probè mixtis, exponantur aëri humidiori libero, ut eo impрægnentur. Hoc pacto paulatim mixtura hæc incipiet efflоreſcere, ac in altum ſeſe extollere conſpicietur, augeri, molleſieri, humectari, & in colorem cineritio-flavum mutari: odorem ſpirabit acutum, acrem, vitriolatum, ſapore ſubdulci Martiali variatum. Quibus ſignis apparentibus, aptiſſima hæc cenſeatur maſſa, quæ tum ſpiritui acido chalybeato deſtillando, tum etiam ad *florum Martialium* ſublimationem promoveri queat: idipſum tamen diverſo reſpectu, diſtinctaque operatione & deſtillatione: utpote,

utpote, ad spiritum destillandum, sequenti procedatur modo: nimirum, *Massam* prædictam impregnatam immitte retortæ vitreæ amplæ, colloque satis largo donatæ, luto probè munitæ, atque obductæ. Quo facto & in furno retortâ accommodatâ, recipiente præfixo largo, fugisque benè clausis, gradatim aperto quidem igne destilletur, eâ tamen lege, ut sub initio fiat moderatissimè, ad effluxionem usque phlegmatis; aucto pòst igne paulatim, quoad spiritûs in forma nebulæ subsequantur. Sicque sensim, fortiori ignis gradu destillatio continuanda, donec nebulosi spiritûs planè disspareant. Hâc absolutâ destillatione, spiritus acidus salinus, (spiritui salis ferè similis) coloris aurei, nonnihil dephlegmetur, & in vitro, cerâ & vesicâ sufficienter occluso, studiosè custodiatur.

Præstantissimus est in obstructionibus Hypochondriorum reserandis, melancholia Hypochondriaca, Febribusque putridis arcendis, ac Torminibus ventris compescendis: Calculum expellit, Stomacho, Hepati simul atque Lieni, essentiâ Martis dives, robur confert. Exhibendus est in vehiculis quibuslibet morbo congruis, & infirmis gratis, à scrupulo semis ad unum. Est & Menstruum, pro solvendo Auro, peculiare.

Quòd si verò *Flores Salis Armoniaci Martiales flavi* appetantur; modum sequere præscriptum sequentem:

Accipe *Massam* modo supradicto impraegnatam, eique adde, respectu massæ, dimidium recentis salis Armoniaci: ex hisque probè commixtis, & curcurbitæ immissis lutatæ, capitello apposito, ac vitreo recipiente præmisso, atque juncturis undique clausis, confestim *Flores* sublimentur: cujus laboris initio spiritus quidam acidulus prolicietur; *Flores* autem protinus ipsum insequentur, flavedinis aureæ specie, ad corticis Aurantii similitudinem colorati, tam in capitello, quàm lateribus cucurbitæ, agglutinati; adhibito tamen ultimò igne forti, ut fundus cucurbitæ candeat. Peractâ sublimatione, omnibusque frigefactis, excipiantur *Flores flavi*; qui vel per se custodiendi; vel ulterioribus laboribus, (de quibus in sequentibus) consecrandi sunt.

Hi Flores per se obstructionum hypochondriacarum resolutioni, naturaliumque viscerum confortationi, & febribus putridis coërcendis, à scrupulo semis ad grana XV. in vehiculis appropriatis assumpti, deserviunt.

Nota: Caput Mortuum, sive à destillatione spiritûs acidi, sive à sublimatione Florum, residuum, additis pauxillo salis Armoniaci recentis, & Martis limaturæ, ad aërem deinde liberum exponatur, ut spatio septimanarum aliquot sufficienter impraegnetur; quo facto, porrò (quemadmodum supra ostensum) per retortam destilletur, observatis gradibus ignis; & sic elegantem majoremque copiam spiritûs acidi nancisceris, haud curâ vulgari asservatu digni. Prætereа & hoc, secundâ vice relictum à destillatione, caput mortuum, eâdem operâ, eâdemque indigitatâ in antecedentibus mixturâ, & impraegnatione, secundâ ac tertiâ etiam vice destillationi accommodari potest. Quam dexteritatem & experimentum solertissimis ac doctis viris, Dom. Friderico Müller, Senatori Vienn. ac Paulo Saur, genuinis artis filiis, ac p. t. apud Viennenses Pharmacopœis ac Chymicis præstantissimis in acceptis refero: eo & tu, L.B. cum reliquis arcanis, perfruere grato animo.

Sedativum Archæi: ex Sulphure Sublimato Martiali.

℞. Florum edoctorum Salis Armoniaci Martialium q. pl.

quibus superaffundatur

Spiritûs vini rosati, scil. à rosis recentibus bis fervè abstracti destillando, & ad summam puritatem redacti, quant. sufficient.

Fiat Extractio *Tinctura Martis*, relicto sale Armoniaco in residuo, toties spiritum prædictum affundendo, quousque *Tinctura* flava conspiciatur. Flavedine spiritûs tincti postmodum destillando nonnihil abstrahantur; rubicundus verò liquor residuus studiosè asservetur: *qui passiones Colicas, Intestinorum tormina, aliosque dolores placat: Hepar roborat, nec non Lienis obstructiones reserat.*

Sulphur Vitrioli Anodynum Martiale.

℞. Florum prædictorum Salis Armoniaci Martial. flavescent. q. pl.

Hi,

Hi, affusâ aquæ simplicis suffic. quantitate, ab omni salsedine, sive sale Armoniaco, liberentur, & repetitis vicibus veluti edulcorentur, ut pulvisculus rubicundus, de *Martis* prosapia, ejusque essentia, in residuo maneat; qui siccatus, & paululum (si lubet) atque lenissimè calcinatus, ad usum se ponatur Medicum.

Anodynum est, acutis doloribus compescendis proficuum; quod aliis Laudanis Opiatis perapté admiscetur.

Balsamus Martialis.

℞. Olei sivo Spiritûs Terebinthinæ:
vel
Olei still. Juniperi clari:
aut
Olei still. Anisi, seu Fœniculi, (cujuscunque horum libuerit,) uncias circiter tres:
cui immergantur
Limaturæ Martis puræ, studio limatæ, unciæ duæ.
Pòst instilletur guttatim, & per vices,
Spiritûs supradicti salis Armoniaci acidi chalybeati uncia una semis,
vel unciæ duæ:
vel, si is desit, in vices ejus,
Spirit. Nitri legitimè still. tantundem.

Factâ brevi maceratione, apparebit *Tinctura* in Oleo affuso *rubicundissima*; quod per filtrum à fæcibus separandum, & ad usum asservandum.

Præsens remedium in Calculo, Renibus exulceratis, Colica, passione Nephritica, aliisvè cujuscunque speciei exulcerationibus internis exsanandis efficax. Datur à scrupulo dimidio, ad unum.

Oleum seu Spiritus Salis Martialis.

℞. Limaturæ chalybis puræ lib. quatuor,
Salis Gemmæ libras duas.

Mixta exactè immittantur retortæ vitreæ, luto obductæ; & in igne aperto per gradus destillentur, ad spiritûs & olei expulsionem.

Conducit externis affectibus: sic Podagram lenit, impositus linteolis in eo madefactus: sic Fistulas, Cancrum, & Lupum sanat. Internè verò assumptus medetur Hydropi.

Qui copiam plurimorum, ex *Marte* parandorum, medicaminum desiderat, Clarissimum *Schröderum*, & *Quercetanum*, adeat. *Suadeo tamen, ut prudens sit & circumspectus, ne in potioribus declinet, & circumagatur, ac invanum laboret*, (namque suo scripsêre more, calamo ac verbis umbrosis.) *Tincturam* cæterùm *Martis adstringentem*; *Essentiam* nec non *Martis aperitivam*; ut & *Essentiam Martis Corallinam*, *in præmissa Appendice n. ad Animadversiones* edocuimus; quam L. B. adeat.

CAPUT IV.

DE ÆRE,

seu

CUPRO.

CUPRUM ex ignobilioribus pariter metallis est, *solidum & durum*, ferro tamen mollius, magisque ductile. *Constat*, uti & reliqua Metalla, *è tribus Mineralium principiis*, *Sale nim. Sulphure & Mercurio*: ab extra rubescit; solutum verò, Cyaneum seu Cœruleum colorem præ se fert. Comparatur *Veneri Cœlesti*, à quâ & nomen in Chymia sortitum est. Cæterùm simpliciter de *Cupro*, seu *Venere metallicâ* loquendo; *metallum* reverà *insalubre* est, sive crudè, sive simpliciter tantùm in suum Vitriolũ resolutum, sive extractum sit, mediante simplici aliquo menstruo. Sive enim acetum, sive vinum, aut qualiscunque succus alius acidus, vel liquor salinus urinosus, æri affundatur, aut vasi

æneo

æneo infundatur; nil aliud, nisi insalubre vitriolum (si ab intra adhibendum, subaudi) elicitur, Cyanei coloris, sapore amaro, æruginoso & nauseoso, stomachum ipsum cum intestinis subvertens, ac legitimi veneni mineralis symptomata, effectusque producens. Propterea jam dudum *Pharmacopœos* monui & dehortatus sum, ne sua medicamenta, quæ vel minimam quandam acredinem, aut levem aliquam aciditatem sapiunt, in æneis, seu cupreis, aut ex aurichalco paratis, patellis, mortariis, aliisque instrumentis pharmaceuticis perficere tentent; sed potiùs in ferreis, è metallo omnium saluberrimo, aut terreis, lapideis, vitreisque instrumentis, acria aut acida, vel saltem vinosa, medicamenta parent. Non velim tamen, existimes, me fideli hâc admonitione omnem *Cupro* usum denegare Medicum; qui tantùm crudi, aut simpliciter soluti æris usum internum approbare nolim. Artificiosioribus verò, & verè Philosophicis ex ære separatis & paratis medicamentis suas ego nequaquam subtraho laudes. Quin imò si spiritum saltem Vitrioli Veneris dextrè apparatum, nec non *spiritum Æris viridis* accuratiùs pensiculemus, inficias ire non possumus, quin ipsi non solùm ab intra fructuosè adhiberi possint, dum actu ipso in variis morbis dotes sibi concessas saluberrimas egregiè exserunt; sed etiam aliis rebus solvendis & extrahendis existant aptissimi. Legatur super hoc subjectum Novum Lumen Medicum solertissimi Chymici, & profundi Philosophi, *Dom. Polemanni*, de sulphure Philosophorum; ubi in *Helmont.* commentatus est, & ex professo de igne *Veneris* tractat, in quo numerosas doctrinas, ad veram *Philosophiam* simul ac *Chymiam* manuducentes, contineri, reperies; ut lectu, sic scitu, dignissimas. Verùm ubi ad rem ipsam deveniendum est, Antesignani sui & Philosophi vestigiis, tacendo (quod maximè dolendum) insistit. Ego sanè in *Pythagoræ muto Lycéo* minimè educatus sum Philosophorum quis, qui rigidissimo silentio sibi graves, reliquis injurii, naturæ resorbent arcana, semper taciturni mutique pisces: quin & aliis me natum arbitror, quos ea celare, quæ ad generis humani vitæque custodiam faciunt, grande nefas autumo. Reddo itaque, quòd à DEO clementissimè accepi, talentum, ac proximo humiliter communico; nulli me subtrahens, ne malevolis quidem: dum eis saluberrima & arcana transcribo remedia, quæ dies ac noctes in sudore ac vigiliis transigere Authorem coërgere, ad paucorum æmulationem, qui otium acquietem longè aliis destinant curis, toti præsentibus inhiantes; aut, si quid doctè commentantur, umbris ac tenebris in tantum obvallant, ut, præter hieroglyphicas & ænigmate plenas voces, nulli etiam enodandas Oedipo, toto nihil reperias volumine, sed potiùs dubius ac anceps Lector oberres, profunda velut nocte submersus, incassum veritatem indagando. Et, quod iniquitatis complementum est, tam specioso quidam fuco, & ementitâ dulcedine, amplisque promissis, fallacias suas adulterant, ut quàm plurimos velut illicio trahant, irrequietos ac laboriosos reddant, ad vitæ ac fortunarum omnium dispendium, ac funestum exterminium. Avertant *Superi* à nobis hanc insaniam, quâ, velut Oestro perciti, in proximum sæviamus, vitam cum viperis sortientes, ad perdendum nati. Probrosum itaque, & à Christiano homine alienum est, salubria posteritati subtrahere, aut non tradere; vel noxia sub involucris, & mille technis instillare; quod vel maximè suggerunt ii, qui montes aureos, & Crœsi divitias pollicentur, & interim, sibi incautè obtemperantes, ad incitas rediguntur, dum ex auro cineres, ex divitiis favillas producunt Thrasones ejusmodi ac impostores; de quibus illud *Ennii* verificatur:

> *Quibus divitias pollicentur, ab his drachmam petunt,*
> *De his divitiis deducant sibi drachmam, reddant cætera.*

Agamus deinceps liberalius cum humano genere, proposito nobis magnorum Virorum prototypo; quorum tota vita fuit, agenda scribere, & scribenda agere, charitate DEI, & amore proximi, præfulgidorum. Non sic illiberalis ille nominis Euclio, vile mancipium ac servus Euangelicus, uni talento defodiendo intentus: tenebras proinde meruit exteriores, qui aliis lucere noluit. At verò responsum nonnulli mihi cudunt è Paracelsi Officina, &

Præfatione ſuper Tractatum ; *Lux in tenebris*
lucens : (quæ locutio per hyperbolen pro-
nunciatur, minimè Lux) ubi, præcipuè *decimo*
Archidoxorum libro, quem arcanorum Spagyri-
corum Clavem eſſe voluit, manifeſtè ait : *Velle*
ſe hæc ſolis in arte filiis revelare : ad exteros ve-
rò, & quaſi arte degeneres, hæc non pertinere :
ſimul & reliquos hortans Magiſtros, ut ſuis in-
hæreant veſtigiis neque Margaritas porcorum
gregi objiciant. Verum ex *Theophraſti* Teſta-
mento, & concreditis arcanis, diſtinguere tam
facilè non eſt, quis vernaculus hæres ſit ; quis
filius ancillæ ; ſervus ac ſpurius. Tam abdita
enim, invia ac inacceſſa ejus doctrina eſt, ver-
borum amphibologiâ, & obſcuritate horrida,
ut magnus mihi dicatur Apollo, qui vel Oe-
dipum, vel Theſeum agat ; ac Paracelſi myſteria
explanet. Non hæc de me, qui minimus in arte
ſum, profero (quanquam ingenuè fateor, me
ampliſſimis promiſſis, ac verborum lenociniis,
ad *Theophraſti* ſcrutanda ac legenda arcana ſolli-
citatum fuiſſe, ac die nocteque illis inſudaſſe, ſed
ne hilum profeciſſe) ſed eos ſolùm commemo-
ro, qui, dum vix auſpicati ſunt vitam, jam ſe
totos *Paracelſo* mancipârunt, ſed, oleo & operâ
perditis, rudiores ac magis inanes dimiſſi ſunt,
dulciſſimo quaſi philtro dementati, aut fatui
cujuſdam igniculi ſplendore in tenebris ſeducti.
Quanquam, ſi ad meridianum *Paracelſi* ſcripta,
theoremata, ac proceſſus exploremus ; tantis
ſcatent abſurditatibus & nævis, ut meritò fi-
dem excedat, hæc à *Theophraſto*, tanti nominis
& doctrinæ Viro, potuiſſe derivari : quin potiùs
à medicaſtris quibuſdam & fumivendulis confi-
cta fuiſſe, quibus ſatis eſſe viſum fuit, tanti viri
auguſto, eo tempore, nomine exceſſus ac pro-
ceſſus ſuos cohoneſtari : prout apertiſſimè do-
ctiſſimus *Helmontius* innuit, effictumque illud
teſtamentum palam aſſerit, quod *Theophraſto*
Paracelſo falſiſſimè aſtruitur: cùm longè alia de
ſe meruerit *Theophraſtus*, Vir Ampliſſimus ;
quem & Germaniæ decus cognominat. Quare
omnes & ſingulos, qui artem Chymicam pro-
feſſi ſunt, amicè exhortor, ne literali ſenſu, in
perſcrutandis quibuſdam *Theophraſto* fortè ad-
ſcriptis monumentis, in Syrtes ac ſcopulos abri-
pi ſe ſinant, ſed fidelioris naturæ veſtigiis potiùs
inhæreant ; cujus manductione & citius & tu-
tius ad optatum finem perventuri ſunt. Sed hæc
per tranſennam, & obiter. Tranſeo ad alia, ex
hoc ſubjecto, ſeu *Cupro*, deſcribenda medica-
menta, quæ ſequentia :

Vitrioli Veneris.

EJus præparationem doctiſſimus *Crollius*, in
ſua Baſilica Chymica, cum Notis *Hart-*
manni, pag. 294. perſpicuè explanat ; quæ qui-
dem præparatio difficilis non eſt, nec tamen ſuo
caret labore & induſtriâ, ac impigrum requirit
hominem : cæterùm parum differt ab illa, quæ
Vitriolo chalybis, ſeu *Martis* debetur, & quam
ſuperiùs (uti ex Indice patebit,) extra Man-
tiſſam hanc, luculenter tradidimus. Unde præ-
fatus Dn. *Crollius* ambo hæc Vitriola ſub uno
titulo & præparatione comprehendit ; in hoc
ſolummodò differentia, quòd *cupri laminæ*
non, perinde ac *chalybs* fruſtulatim candefactus,
ſulphuri immediatè admoventur, ut inſtar bu-
tyri liquefiant ac unà calcinentur ; ſed *lamina-*
tum cuprum, in fruſtula conſciſſum, & cum
Sulphure trito largiter in olla ſtratificatum, ac
igni poſtmodum admotum, paulatim calcina-
tur ; quò poſtea teri & conteri poſſit. Plura
autem, quæ in reiterandis ejus calcinationi-
bus, admixto ſemper novo ſulphure, ut & in
eluendo vitriolo è calcinato cupro, atque cry-
ſtalliſatione ejuſdem, obſervanda veniunt ; ibi-
dem, nimirum in deſcripta à nobis Vitrio-
li Martis præparatione, clarè patebunt revol-
venti.

Spiritus Vitrioli Veneris.

HIc eodem planè modo, quo *Spiritus Vi-*
trioli Martis, deſtillandus eſt, per retortam
nimirum probè lutatam, igne aperto, ad extre-
mam radicalis humiditatis oleique rubri expul-
ſionem, continuato igne, & ad ultimum gradum
uſque adaucto, ſpatio duorum dierum. Obſer-
ventur nec non illa, quæ in *Spiritus Vitrioli*
Martis præparatione fideliter ibidem monui-
mus.

Virtutes hujus Spiritûs in roborando ſtoma-
cho, ad medendum morbis capitis, febribus ex-
tinguendis, hyſtericis ſublevandis, aliiſque mor-
bis curandis ; non ſunt exiguæ ; de quibus vi-
deatur, unà cum annexis cautelis, prædictus
D. Crol-

D.*Crollius*, loco citato: qui omnia ac singula ad amussim exponit.

Crocus, & Sal ex Vitriolo Veneris.

RESiduum, à destillatione *spiritûs Vitrioli Veneris, caput mortuum, legitimus Crocus Veneris est, virtute exsiccante & adstringente pollens: cujus usus utplurimùm in externis, qualia Emplastra, Vnguenta, & Pulveres adstringentes sunt, frequentissimus: est insuper proficuus ad desiccanda ulcera, quæ coposo humore madent;* hac tamen lege, ut cœli injuriis, aërisque inclementiæ, ac astrorum influxui, quamprimùm, peractâ destillatione, è retorta trahitur, non subjaceat; sed illicò vitro exceptum, & debitè munitum, asservetur; ne virtus ejus adstrictiva, aëris & astrorum influxu dispareat. Quemadmodum omne caput mortuum Vitrioli, extremâ ignis violentiâ spiritu suo ac oleo rubro privatum & exhaustum, ita comparatum est, ut, quasi mortuum corpus, nullo sale, protinus à destillatione aquâ simplici superfusâ, prægnans fit aut gaudeat. Quòd si verò idipsum aëris libertati, sydérumque concursui, intercedentibus aliquot septimanis, commissum fuerit, præsertim veris tempore; tum singulari quodam sale nitroso impraegnatur, omni vitrioli odore & sapore exuto & destituto: colore tamen eleganti purpureo, si ex Veneris cyaneo vitriolo caput mortuum fuerit: candidus verò apparebit sal ille, si ex Martiali vitriolo viridi ejus caput mortuum, ad dictum modum, impraegnatum fuerit, à quo, aquâ simplici largiter affusâ, sal copiosè deinceps extrahi, & facilè elixiviari potest. Cujus autem indolis sit *sal* hic *nitrosus aëreus*, id equidem hactenus sufficienter experiri nondum licuit. Hoc interim verum est, quòd ex aëre, à sitibundo siccove capite mortuo, humidum anxiè appetente, Magnetica quâdam virtute attractus sit. Et si quis hunc ipsum salem, è quocunque demum capite mortuo extractus fuerit, proprio suo spiritu destillato, in debita ac proportionata quantitate unire velit; eum operæ haud pœnitebit. Præterea: addito huic sali aëreo *alumine*, ad extremum calcinato, destillando per retortam, ad normam *spiritûs Salis*, vel *Nitri*, singularis spiritus, haud protriti momenti, elici potest, qui *in morbis & febribus calidis ardentibus, eximias obtinebit virtutes.* Addo, quòd singulare menstruum sit, ulterioribus laboribus & extractionibus, non sine fructu & fœnore, accommodabile. Hûc pariter referat B. L. medicamentum, seu Panaceam, quam, in *præmissa n. Appendice ad Animadvers. pag.* 65. *edit. Noricæ*; *pag. verò* 109. *edit. Belg.* ex iisdem *spiritibus Vitrioli Martis, & Veneris*, eorundemque *salibus aëreis*, jam denuò monstratis, ac *croco* denique *Auri* concinnatam, publico donavi: præstantissimum, ad diversos humani corporis affectus persanandos, medium: de quo consulatur *Mynsichtius*, in descriptâ *Vnicornu mineralis* præparatione.

Flores Æris.

DEscribuntur *in Append. n. ad Animadvers. pag.* 43. sub Titulo: *Spiritus Veneris.*

Spiritus Veneris Antepilepticus.

EXcellentem hunc spiritum Medicæ donavi familiæ, in *eâdem Append. n. ad Animadvers. pag.* 43. ubi ipsum unà cum virtutibus ejus, pariter ac modo utendi, luculenter edoctum reperies. Et ne habeant, nescio qui, quod de laboribus & pretio, in extractione & crystallisatione *æris viridis*, repetitaque *vini spiritus* abstractione impendendis conquerantur: idcircò adjicio, quòd & ex crudo saltem isthoc *ære viridi*, in pulverem saltem redacto, hic destillari possit spiritus, modo ibi edocto; qui postmodum, probè rectificatus, parum priori cedet, è *floribus Æris* stillato, cùm quoad virtutes suas ab egentibus intrò assumptus, tum in menstrui vicem, ad solutiones *Perlarum Coralliorum*, &c. ac extractiones *Tincturarum* quarundam, evocandas. Quo & ipso salutariter utere; quod fiet, si illum, juxta *Annotationes præfatæ Appendicis*, ac ad alios labores, in *hac Mantissa* per decursum exaratos, applicabis.

Spiritus Viridis è Venere, seu Cupro.

℞. Limaturæ Cupri purgati lib. unam:
cui admisce
Mercurii sublimati libras tres.

Misceantur exactè in matracio vitreo, & retortæ luto probè obductæ illico immissa, in humido loco aliquandiu, tribus circiter diebus

præter propter, relinquantur, mediocri postmodum igne destillentur: & assurget *Mercurius vivus currens*; spiritus verò acidi omnes, qui antea juncti erant Mercurio, nunc cupro junguntur, illudque calcinando & solvendo acredine suâ, in pulverem crocei coloris, fusibilem transmutant: qui pulvis pòst ex retorta aëri ac syderibus per dies aliquot liberè expositus, graminis virorum induet: quo facto, commisceatur materia illa viridis cum tribus partibus terræ figulinæ (aut potiùs alumine probè usto & edulcorato) vel terræ sigillatæ siccæ; immittanturque retortæ vitreæ luto obductæ, & destillentur: (prout Aqua fortis, vel spiritus Nitri, aperti ignis calore, per gradus destillari solet, præposito priùs, ac probè agglutinato recipiente largo) & prodibit primò *liquor albicans*: adaucto tandem ultimo, & continuato igne fortissimo, subsequetur *viridis*; qui & collo retortæ agglutinatur. Peractâ destillatione, amoveatur vas recipiens, cum spiritu inhærente, antequam retorta penitus refrigerata fuerit; &, si quæ materia viridis in collo retortæ sublimata, cum proprio spiritu eluatur; quò magis afficiatur virore. Porrò *liquorem*, sive *spiritum destillatum*, cucurbitæ vitreæ immissum, calore leni cinerum à phlegmate, hoc est, à spiritu albo, destillationis ope libera: & viridissimus conspicietur; ulterioribus, & magni momenti laboribus destinandus: qui expertum sequentur.

De *Vitriolo viridi dulci, spiritu* nec non *Veneris viridi Philosophico*, multis philosophatur suprà citatus eximius Chymicus *Polemannus*, in Tract. suo: *Novum lumen Medicum*, inscripto: & videtur ille ad horum confectionem primum indigitare spiritum ex partibus potioribus salis Armoniaci, ablato nimirum ab eo priùs urinoso salso spiritu, pro adjectionem cujusdam Alcali, sive salis Tartari. Quem postea spiritum, à sale nimirum Armoniaco nutrito (uti loquitur) destillatum, duplicatum & saturatum appellat; quo cum Venerem, hoc est Cuprum, Philosophicè solvere, & exinde *Vitriolum dulce viride* conficere docet. Sequenti verò capite ejus quinto, rem denuo obscuriorem reddere videtur, dum alium edocet salis Armoniaci spiritum acidum, addito hæmatite. Hunc ipsum autem spiritum faciliori modo parandum, capite antecedente, de *Marte*, dextrè tradidi, substitutâ lapidi Hæmatiti *Ferri rasurâ*. Qualem verò horum spirituum, pro vitriolo viridi dulci conficiendo, prædictus D. *Polemannus* intellectum velit; mihi experiri nondum licuit, prægnantibus causis ac impedimentis variis distracto.

Flores Vitrioli Veneris.

℞. Vitrioli Veneris legitimè parati,
Laminarum Veneris, seu Limaturæ ejus, ana p. æqual.

His mixtis, & vitro immissis, superaffunde phlegmatis Vitrioli, cum spiritu proprio parumper acuati, q. s. ad quatuor digitorum supereminentiam.

Extrahatur *Tinctura cærulea*, quæ, filtrata, præcipitetur cum *Oleo Tartari*, & fundum petent *Flores virorem graminis* referentes; qui, aquâ simplici sæpius affusâ, edulcorandi & exsiccandi. *Purgant per inferiora leniter, & sunt remedium præsens in Vermibus.*

Pulvis Sympatheticus, *fluorem sanguinis, seu hæmorrhagiam omnem coërcens*, ex *Vitriolo Veneris* fieri consuevit, solâ calcinatione ejusdem, *Sole signum Leonis* percurrente, ad albedinem usque, eoque in Pulverem impalpabilem redacto.

Et hæc pauca etiam de *Venere*, seu *Cupro*, dictitata sufficiant. Qui interim plura expetit, adeat Clariss. *Schröder*. Ibi enim Processuum copiam reperiet; quos si Vulcani examini subjicere dignabitur; brevi experietur, quid sustineant, quamque sapiant veritatem.

CA-

CAPUT V.

DE STANNO

S*Tannum Metallum est molle*; minùs tamen ductile reliquis, & veluti aridum, frangibile sub malleo & incude: album est & resplendens, argento fere simile. Constat ex iisdem, quibus cætera metalla, principiis: Mercurio maximâ sui parte; sulphure albo sicco; & sale dulci metallico sui generis. Non multum differt à *Saturno*, seu *Plumbo*, nisi duritie & candore, minorisque ponderositate. Propterea facilimè hæc duo coëunt metalla, amicabiliter in liquatione commiscentur, ac fœderis nexu inseparabiliter uniuntur.

Perpauca ex *Stanno*, pro usu Medico, conficiuntur medicamenta; quemadmodum & in veteri Medicina ferè nullus ejusdem erat usus. *Neoterici*, & quidem Chymiam professi, nonnulla ex eo apparare tentârunt remedia; utpote *Salem*, (qui propriè Vitriolum Jovis, seu Stanni; sicut & saccharum Saturni, verum Saturni seu Plumbi Vitriolum est) *Bezoardicum*, *Flores*, *Mercurium*, & *alia: quorum potiora, adversus uteri suffocationes, intrò sumenda, unicè commendantur. Extrinsecus verò ulceribus sordidis, fœtidis, manantibus, fistulis, & aliis exsiccandis mederi perhibentur.* Pauca idcirco ex hoc subjecto, in præsens, afferam medicamenta; quæ erunt sequentia:

Sal, sive Saccharum Stanni, seu Jovis.

CAlcinetur *Stannum* per se, figulorum more, qui plumbum, super igne leni liquatum, in patella terrea ferreo baculo continuò commovendo & exagitando, donec in pulverem gryseum conversum sit, calcinant. Ex *Stanno* igitur pari modo calcinato, & in pulverem redacto (vera enim & perfecta calcinatio non est) vel saltem granulato, fuso nimirum per chartam, foraminulis perviam, in aquam frigidam Stanno liquato, extrahatur, ope aceti vini destillati acerrimi, dulcedo, saccharum, sal, sive vitriolum Stanni, uti appellare lubet: solutio filtretur, ac, leniter destillando in cucurbita, abstrahatur ad siccitatem salis, vel, relicto pauculo liquore, crystallizetur, ac repetitâ solutione aquâ simplici, filtratione, & abstractione purificetur; & sic pro usu Medico custodiatur. *Præstans est in affectibus uteri; cujus strangulationi & suffocationi medetur.*

Bezoardicum Joviale.

℞. Stanni subtiliter limati uncias quatuor,
Mercurii legitimè sublimati unc. sex.

Misceantur exactè, iisque retortæ vitreæ immissis, destilletur ex arena per gradûs materia butyrosa, butyri Antimonii instar. Hoc butyrum deinde solvatur cum s.q. spiritûs Nitri optimi, guttatim tamen & pedetentim instillando spiritum, donec nullus strepitus sive ebullitio ampliùs per sentiatur: quo facto, abstrahatur in alembico prædicta solutio ad siccitatem massæ albicantis: prolectâ vel abstractâ humiditate, tota massa, in residuo relicta, teratur super porphyrite, ac porrò cucurbitæ vitreæ immissa, spiritu Nitri recenti superfuso, destillando iterum ab omni spiritu & humiditate liberetur, igne ultimò adaucto, ut retorta parum candeat. Massa tandem residua, trita super porphyrite, ac probè edulcorata aquâ simplici, crucibuloque immissa, igni admoveatur, ac horâ unâ vel alterâ leniter ad prunitiem calcinetur, ac ad usum Medicum asservetur.

Præsentaneum esse perhibetur medicamentum in suffocatione matricis: pellit etiam sudores, & febribus medetur ardentibus, à gr. vj. ad x. & xx. propinatum.

Butyrum hoc Ioviale Beguinus cum aqua simplici præcipitat, & in pulverem albicantem insipidum instar Mercurii vitæ, ex butyro Antimonii, edulcorando convertit nec minores aut minùs efficaces in strangulatu uteri possi-

re vires, affirmat. Sunt tamen nonnulli, qui originem hujus *Butyri Iovialis*, sive pulveris ex eo confecti, Mercurio adscribunt: quorum tamen ratio erronea magis, quàm probabilis, esse videtur. Sicuti enim *Mercurius vitæ*, qui ex butyro Antimoniali (quod æquè ex Mercurio sublimato & Antimonio destillatum est) paratur, nihil planè participat de *Mercurio*, sed in re ipsa nil aliud est, quàm pars *Antimonii* subtilior, sive *flores*: ita & hoc, quod ex stanno & Mercurio sublimato, junctim destillando, apparatur, Butyrum, & consequenter Pulvis, ex eo præcipitatus, nil quicq. de Mercurio participat, sed puriores etiam partes sunt ipsius stanni; ipsâ substantiâ Mercuriali penitus ablatâ. Et hoc exinde convincitur, quòd Mercurius sublimatus spiritibus suis corrosivis, in ipsâ destillatione cum stanno, privetur, ipsique hi spiritûs stanno communicentur, ut vivus iterum, & currens factus Mercurius in destillatione denuo se totus prodat, ac pristinæ libertati restitutus conspiciatur. Quemadmodum quotidiè in Chymicis laboribus obvium est, & experientiâ crebra comprobari potest, quòd, quando corpus aliquod minerale sive etiam metallicum, cum spiritu quodam corrosivo solvitur, inque solidam compagem reducitur; eidem verò soluto corpori res alia, seu corpus solutu facilius, adjicitur: spiritûs corrosivi prius solutum corpus, tanquam solidius, ac difficiliùs solutu, deserant, & aliud sibi projectum corpus, tanquam solutu facilius, aggrediantur, ac in illud suam tyrannidem exerceant.

Plura alia ex *Stanno* conficienda medicamina atque labores describi possent; utpote *Oleum ex Gummi Ioviali*, *Sulphur stanni*, *Sal*, *Crystalli*, & *Mercurius currens*: verùm cùm ad amussim, sine fuco ac invidia, à solertissimo Chymico, *Clossæo*, depicta, fideliterque communicata sint, ac Clarissimus *Schröderus* jamjam suæ Pharmacopœiæ Medico-Chymicæ illa punctatim inseruerit; superfluum inde fore existimo, ea & heîc quoque repetere, ac crambem bis coctam apponere. Utilia tamen cùm hæc sint, altiorisque indaginis, Lectorem eò ablegare, eaque ei commendare volui. Sic, quæ de *Iove*, seu *Stanno*, dictu necessaria occurrebant, hisce finio, & ad alia pergo.

CAPUT VI.

DE PLUMBO

seu

SATURNO.

PLUMBUM metallum omnium ferè vilissimum, ponderosissimum; excepto Auro; molle, ductile, obscuri ac nigricantis coloris; constat ex copioso Mercurio, sulphure nigricante fusibili, & sale impuro liquabili. Comparatur *Saturno Macrocosmico*: propterea etiam *microcosmico Saturno*, *Lieni*, prodesse creditur.

Vires habet Plumbum, cùm crudum etiam humano corpori, in forma metallicâ, seu substantiâ suâ, admotum; tum etiam in medicamenta præparatum, insignes refrigerandi, libidinem reprimendi, adstringendi, ulcera sordida cancrosa mundificandi, carne replendi, & ab inflammationibus ac humorum affluxionibus præservandi.

Cerussa, & *Minium*, ex hoc Metallo arte parantur: quemadmodum & *Lithargyrium* non nisi Plumbum sapit: è quibus omnibus ac singulis, *saccharum*, *sal*, sive *vitriolum* (seu quo insignias nomine) æquè, ac ex ipso crudo Plumbo, elici possunt; puriora tamen ex uno, quàm ex alio. Hujus Metalli igitur *usus* in

Medicina etiam Veterum non minimus fuit; major nostris temporibus: cùm *non solùm pro interno usu celebria medicamenta ex eo conficiantur*; *verùm etiam ad externa Emplastra, Cerata, Vnguenta, Collyria*, quorum nonnulla etiam à Plumbo, aut ejusdem prosapia, Minio scilic. Cerusâ, & Lithargyrio, denominationem sortiuntur, frequentissimè adhibeantur. Operæ pretium igitur esse duxi, ut in describendis quibusdam medicamentis ex Plumbo, aut ejusdem descendentibus supradictis, de solutione primùm Plumbi opus inchoemus, eique operam nostram applicemus.

Saccharum Saturni.

DE hoc medicamento, seu *Sacchuro Saturni* rectè cognoscendo, haud pauca disserui, & præfatus sum, in *præmissa Appendice n. ad Animadversiones, pag.* 56. ac singularem & fundamentalem, de Salibus eorundemque generibus ac speciebus, doctrinam *à pag.* 56. *usque ad pag.* 62. construxi; ubi locorum simul & sequentia Problemata decisa: *Vtrum* nimirum, primò, *Saccharum Saturni verum Plumbi sal sit*? Secundò: *an metalla calcinata etiam sal præbeant?* Tertiò, *itidem ostensum; Vitriola non esse salia propriè dicta, sed salia sui generis, impropriè nuncupata, & verè metalla soluta.* Quarto: *Num Saccharum Saturni sit sal ex plumbo extractum; aut plumbum ipsum solutum? &c.* Hæc, tanquam necessaria ac præsens institutum, B. L. revolvat, ne actum agere hic denuò necessum sit. Quod igitur *Saccharum Saturni* attinet, hoc non solùm *ex Plumbo, simpliciter*, more figulorum, calcinato, ac in pulverem gryseum converso, elici potest & solvi, sed etiam *ex laminis plumbi*, aut saltem *plumbo granulato:* sic quoque ex *Cerussa, Minio, & Lithargyrio*; purius tamen ex uno, ac faciliori negotio, quàm ex alio dictorum subjecto: & hoc beneficio aceti simpliciter destillati, vel alterius acidi liquoris. Ex prædictis verò & enumeratis, pro legitimo *saccharo Saturni* conficiendo, subjectis *Plumbum* ipsum meritò eligendum: hâc in electione sequitur *plumbum* paulisper, more figulorum, calcinatum. Quamvis verò etiam ex *minera Saturni* haud difficulter *saccharum* dictum extrahatur: minimè tamen hoc tentandum esse censeo; cùm mineræ metallorum rarò puræ è fodinis eruantur, quin aliis mineralibus, & quidem venenatis, utpote Arsenico, Realgare, & Antimonio, aut Vitriolo quandoque sint inquinatæ. Maneamus igitur in terminis, vel proximo, eoque ubivis locorum obvio, subjecto, Plumbo perfecto: è quo Saccharum Saturni eliciatur modo sequenti:

℞. Plumbum, q. pl. illudque, in laminas tenues diductum, conscissumque in particulas, filo suspendatur super acetum vini destillatum, in olla terrea probè vitreata, vel in vitro largo, ne tamen laminæ acetum attingant, sed proximè super ipsum pendeant: collocentur sic, vitro, seu ollâ vesicâ probè clausâ, retro fornacem, tempore hyberno; vel in locum alium moderate calidum. Hoc facto, vapores ex aceto sursum petentes plumbi laminas permeant, & partes subtiliores ac puriores ejus solvunt, atque subjectum acetum brevi temporis spatio summâ dulcedine imbuunt: *Laminæ* verò *plumbi* conspiciuntur albicantes, cerusâ obductæ. Aceto dein sat sufficienterque dulcedine imprægnato, ac segregato, alia aceti destillati, ad *Animam, vel saccharum Saturni* eliciendum, fiat infusio: idque toties repetendum, quoties libuerit, & in tantum, usque dum *laminæ* maximâ ex parte solutæ ac tenues factæ sint. Hinc omne acetum, Animâ Saturnina, seu saccharo Saturni saturatum colligatur & in cucurbita vitrea abstrahatur, vel ad siccitatem salis, vel tantùm ad oleitatem, seu liquorem crassum, quò in frigore residuus ille liquor crystallizetur. Et hoc modo pulcherrimum adipisceris *saccharum Saturni*: quod verum Saturni vitriolum, ipsumque solutum, & quidem purius Plumbum est. Hoc si aliquoties aquâ simplici destillatâ solvere, per chartam filtrare, ac toties abstrahere, vel crystallizare volueris; multò purius illud efficietur: rebus nimirum heterogeneis omnibus segregatis.

Oleum seu Liquor Saturni simplex.

VUlgo non nisi *Liquor est sacchari Saturni, ad oleitatem abstracti*, vel Oleum in cella, aut humido in loco, in Liquorem resolutum.

Spi-

Spiritus Saturni Ardens.

℞. Sacchari Saturni dextrè parati q. pl.
Ab hoc acetum destillatum cohobando aliquoties abstrahe, affundendo tamen novum semper acetum, donec illud eâdem virtute, acrimoniâ scil. sive aciditate, quâ affusum, destillando transeat. Hinc etiam spiritum vini rectificatum, bis, terve ab eo cohobando abstrahe. Tandem *Saccharum* hoc *Saturni* imprægnatum, addito *alumine* ad extremum calcinato, in proportionatâ quantitate, quâ ejus liquatio impediatur, & vitreæ retortæ immissum, destilletur gradatim: sicque prodibit primò *spiritus ardens*, absque venulis aut striis, in collo retortæ apparentibus; quem deinde sequetur *phlegma*, cum areis seu striis, in collo retortæ conspicuis; subsequeturque hoc *Oleum*, seu *liquor rubicundus*. Quæ omnia studiosè à se invicem, per rectificationem lenissimam, separanda. Quodlibet nimirum seorsim, mutato receptaculo præmisso, in ipsâ rectificatione suscipiendum est, ac usui asservandum.

Virtutes spiritûs hujus ardentis in Medicina tantopere decantatæ non sunt. Quamvis n. nonnulli eximias vires diaphoreticas in Peste, Febribus ardentibus, Lue venereâ, & Melancholia hypochondriaca, illi annumerare ausi sint: mihi tamen in morbis ejusmodi calidis suspectus videtur; quemadmodum spiritus ille ardens: non quidem à spiritu vini per cohobationem abstracto, (cùm & sine hâc cohobatione, & affusione spiritûs vini, saccharum Saturni, simpliciter præparatum, spiritum præbeat destillando ardentem) sed potiùs ab aceto vini destillato, quo solutio, seu extractio sacchari Saturni facta: unde suam trahere originem, omnino existimo; quatenus nimirum particulæ illæ sulphureæ, & oleosæ, ab aceto restrictæ & ligatæ fuerint; donec, solutis à Saturno vinculis, in pristinum esse redierint, ardentem sc. spiritum. Contraxisse tamen ac mutuasse haud exiguas à Saturno virtutes, negare nolim; quin id ipsum affirmare mavelim.

Hunc spiritum nonnulli extractioni Tincturæ Auri, ex ejusdem nimirum croco, inservire asserunt: Oleum verò *flavum & rubrum Epilepticis, Hystericis & Lienosis opitulatur*: siquidem, *externè* etiam *regioni Lienis inunctum, confestim penetrat, obstructiones ejusdem reserat, duritiemque emollit: in ulceribus sordidis cancrosis abstergendis, ut & in inflammationibus oculorum, earumque fistulis lachrymalibus, sanandis, emolumento est.*

Caput mortuum, ab hâc destillatione relictum, plumbeis granulis repletum, violentum nimirum si ultimò adhibueris ignem, reperies; adeoque magnâ ejus parte in plumbum conversum: præsertim si saccharum Saturni absque additamento, quod fusionem ejus impedivisset, destillationi foret traditum.

Balsamum Saturni.

℞. Sacchari Saturni legitimè parati q. pl.
cui superaffunde
Spiritûs Terebinthinæ clari, seu
Olei Juniperi, vel etiam Anisi, aut Citri dest. ad trium vel quatuor digitorum transversorum supereminentiam:

digerantur leni calore cinerum, donec oleum affusum rubicundo imbuatur colore: quod per filtrum separatum & clarificatum, pro usu Medico asservetur.

Balsamus hic in affectibus Pectoris ejusque exulcerationibus, Phthisi nimirum, Vomicâ pulmonum, Empyemate, non leve, sanando atque abstergendo, præstat auxilium.

Magisteria Saturni, quorum Clarissimus *Schröderus, cap. de Plumbo suæ Pharmac. Medico-Chymicæ*, mentionem facit, parvi ponderis atque momenti sunt; & pro mortuâ quasi terrâ, veluti calces & pulveres, ex contrarietate solventium & præcipitantium liquorum & salium tales facti, nisi denuò novâ solutione resuscitentur, æstimanda. In his itaque describendis, operæ pretium non est, ut tempus ac vires atteramus.


Tinctura Saturni.

Hujus *Tincturæ* modos parandi binos, ex communicatione S. Clossæi, Clarissimus Schröderus, *suæ Pharmac. l. 3. pag. 392.* & seq. sub titulo: *Cremor saturni S. Closs. & inde Tinct.*
Itém

Item *Tinct. & Lapis: & Tinctura facilior*; apposuit: ad quos B. L. ablegare, eosque, cùm de nihilo non sint, ei commendare volui. Si quis enim à Closs. fideliter communicata apprimè considerabit, atque opus *Isaaci Hollandi* cum illis conferre dignabitur; reperiet, si sensatus fuerit Philosophus & Chymicus, non leviuscula, sub his paucis, latere arcana.

Flores Saturni.

Calcinatur *Plumbum laminatum*, cum sulphure, stratum super stratum in olla, quoad friabile fiat, instar Antimonii; (vel accipiatur minera Saturni, si pro Mercurio eliciendo flores destinantur) quod subtiliter terendum, ac per cribrum trajiciendum; cui adde salis tosti tantundem, & boli Armenæ duplum. Hæc probè mixta immittantur retortæ terreæ, duplici rostro perviæ, ad formam hîc ære expressam, unà cum sua fornace: fundum retortæ nonnihil planum sit; nec multum simul & semel de mixtura supra dicta retortæ immittatur; sed ita, ut vix quarta ejus pars impleatur, tres verò partes vacuæ maneant.



Hinc rebus sic, ut conspicis, ordinatis, furnoque superiùs clauso, relictis tamen tribus vel quatuor foraminibus, vel spiraculis; ab una parte retortæ, rostro vas recipiens amplum agglutinetur, rostrum verò aliud, ex opposito, operculo saltem claudatur. Substrato dein igne sublimatorio gradatim, quamprimùm nubeculæ in recipiente conspiciuntur, per aliud rostrum, recipienti oppositum, folliculo paulatim & sensim inflетur; & conspicientur flores cum impetu ab alterâ parte ad vas recipiens erumpere. Hoc continuetur, quoad nulli flores ampliùs transeant. Quâ peractâ sublimatione, flores è recipiente eruantur, quovis modo fieri possit, ac, pro ulteriore usu, ad Mercurium currentem Saturni exinde conficiendum, asserventur.

Nota: Ad eandem normam Flores ex Stanno, tum etiam ex Antimonio, commodè sublimantur; è quibus porrò alia medicamenta

conficienda; ut & Mercurius corporum currens, modo, uti sequetur, comparandus.

Mercurius Saturni.

℞. Salis Tartari fusi, ac per solutionem & filtrationem purificati, & denuò coagulati, uncias sex,
Salis Armoniaci uncias duas:
Misceantur exactè in mortario lapideo.
Hinc accipe
Mixturæ hujus, seu Salis, libram semis,
Florum Saturni supra edoctorum,
(vel etiam Stanni, aut Antimonii) tantundem.
Quibus exactè mixtis, & denuò vitro immissis, superaffundatur
Olei Tartari per deliquium facti (beneficio calcinationis cum Nitro) ad digiti unius transversi supereminentiam.
Putrificentur in M. B. diebus circiter xx. Hinc tota hæc mixtura impastetur cum *scoriis Martis tritis* (vel, harum loco, cum *calce viva*, præsertim pro Antimonio) & cineribus, ana part. æqual. immittaturque retortæ vitreæ, luto obductæ, vel retortæ duplo rostro perviæ, (superiùs, pro floribus conficiendis & sublimandis expressæ) & igne moderato urgeatur, quoad in vas recipiens, aquâ semiplenum, erumpat Pulvis, in forma nebularum: qui in aquâ vivificatur, ac in Mercurium currentem transmutatur, studiosè asservandum.

Consulatur hâc de re Clarissimus *Schröderus, loco & capite supra citato, de Saturno, pag.* 393. ubi plures modos, seu, uti vocant, processûs, pro Mercurio Saturni conficiendo, à *Keslero* affert, quem B. L. revolvat.

CAPUT VII.
DE MERCURIO,
seu
ARGENTO VIVO.

M*Ercurius*, seu *Argentum vivum*, est Liquor Mineralis & Metallicus, aqua non madefaciens, omnibus metallis cognatus, præcipuè Auro; quod præ cæteris avidè amplectitur protinus cum illo congreditur, amalgamatur, ac amicabiliter unitur, tanquam verum & homogeneum Auri menstruum. Et licet violentiâ ignis & Vulcani à se invicem denuò segregentur, ac disuniantur, benigno tamen caloris & Vulcani fotu, tam arcto fœderis nexu uniuntur & ligantur, ut ex illis unum tandem inseparabile & perfectum corpus fiat; *verum Aurum Philosophorum.*

Quæ plura, & meritò, hîc loci de *Mercurii* naturâ, loco natali, differentiis, delectu, purificatione & virtutibus ejus; & quanto in usu fuerit antiquitus, quidquid etiam Recentiores de illo sentiant; quibus in morbis sit emolumento; quantaque demum in existimatione sit penes Philosophos per ignem: hæc cuncta ad amussim explicant Clarissimus *Quercetanus*, cap.x. de Argento vivo, pag. 643. & sequentibus. Item Dom. *Schröderus*, lib. 3. cap. xv. pag. 397. recentissimè verò R. P. *Athanasius Kircherus*, in Mundo suo subterraneo: ita, ut plura superaddere nequeam, nisi scripta scribere vellem. Dixisse nobis in præsens sufficiat; *Mercurium, seu Argentum vivum, esse natura Proteum, & mineralium, aut subterranea Monarchia Thaumaturgum, prodigiosum dextera Dei effectum, ac productum. Est liquor ille non madefaciens, Aqua non humectans, mollis & fluxilis, durissima tamen resolvens corpora; verbo denique, natura miraculum, quod Chymicorum scrutinia ferè cuncta eludit; semper tamen superstes, cui-*cun-

cunque etiam corpori unias, *nova anastasi suscitabilis*. His igitur paucis præmissis; & ego quædam, ex hoc subjecto, salutaria, & nostris officinis usualia medicamenta tibi, A.L. communicaturus sum, certò confidens, & hæc, ut utilia, ita & grata fore atque accepta. In ordine itaque primo sit

Mercurius Sublimatus.

HIc itaque vulgaris, nimirum *Corrosivus Mercurius sublimatus*, quamvis ubique locorum obvius ac venalis prostet; illum tamen perspectiores & prudentiores Medici, & Chymiam professi, suspectum semper habuêre & repudiavêre, ob venenatam qualitatem rerum admixtarum, ac summam etiam vim causticam, quâ, generi humano totus adversus, usui Medico interno repugnet; ideoque viri boni remedium esse nequeat. Proinde Doctissimi quique Viri ac Medici, vulgari Mercurio corrosivo non contenti, unicè suadent, ut, vulgò venali Mercurio sublimato excluso, spretaque peregrinâ fide, quilibet probus Medicus, Chymicus & Pharmacopœus, sibimetipsi Mercurium sublimatum dextrè & legitimè conficiat; quem tandem ad ulteriores labores securè trahere, usuique Medico interno adaptare possit. *Sunt* autem *plures ac varii modi sublimandi Mercurium corrosivum vulgarem*; quorum plures collegit sæpe dictus Clarissimus *Schröderus*, *locis suprà citatis*: eos B.L. revolvat. D. D. *Augustani* itidem, in Pharmacopœia August. modum quendam descripsere, quem ulteriùs, *in m. Animadversionibus*, *pag.* 465. elucidavi, eique complementum superaddidi: quippe qui, absque nocuo corrosivo (scilicet) Nitro, unicè Medico usui destinatus, loco multorum, & boni viri remedium esse potest. Ne tamen & hîc mancus sim, ac modus quidam innotescat, quo Mercurius corrosivus pro vulgo sublimandus, & externo ac vulgari usui destinandus; en! sequentes monstrabo:

℞. Mercurii vivi, cum sale & aceto loti, & per corium expressi, libras duas:
solvatur cum
Aq. fortis simpliciter ex Vitriolo & Nitro still. suffic. quantit.

Factâ solutione, abstrahatur in alembico tota humiditas, ad siccitatem Mercurii, in pulverem albicantem conversi: cui porrò admisce

Vitrioli ad flavedinem calcinati,
Salis communis decrepitati, ana libras duas,
Salis Nitri libram unam:

Quæ probè mixta, & in matracio, pistillo ligneo aliquandiu agitata, immittantur cucurbitæ sive terreæ, sive vitreæ, infra lutatæ; & igne aperto, gradatim aucto, sublimatio fiat. Verùm cucurbita ita in furno accommodetur, ne ignis illam totam lambere aut circumdare possit; sed paulò supra, quousque nimirum cucurbita à prædicta mixtura repleta est, ignis saltem cucurbitam illam circumdare possit: ibi igitur furnus undique claudendus, ut pars superna cucurbitæ vacua, extra ignem emineat, relictis tamen à latere spiraculis, ad regendos gradûs ignis: & tali modo feliciter operatio seu sublimatio succedit, breviori tempore, minori labore, igneque ac carbonibus paucioribus: Mercurius verò ad latera cucurbitæ, extra ignem prominentia, unius diei spatio elevatur crystallinus, si gradûs ignis debitè rexeris. Huic porrò sublimato Mercurio, si nondum totus crystallinus appareret, prioribus, in fundo cucurbitæ, reliquiis abjectis, denuò salis communis decrepitati libræ duæ admisceantur; & modo præscripto sublimentur. Qui si crystallinus extiterit, asservandus; sin minùs, & tertiâ vice per se tantùm, aut addito pauculo sale, sublimationi subjiciatur, donec ad placitum ac voluntatem crystallinus & purus evaserit: qui ad alios tandem labores adaptandus, aut externo usui destinandus.

Sublimatur præterea *Mercurius*, absque solutione prægressa, cum aqua forti, modo sequenti:

Accipiantur Mercurii vivi & purgati libræ duæ;

cui, ut citiùs coëat cum reliquis speciebus addendis, & sublimationi dicatis, admisceatur statim particula Mercurii antea sublimati (sicut moris est in sublimatione & præparatione Mercurii dulcis) ad uncias duas circiter; item

Salis Communis decrepitati,
Salis Nitri puri, ana libra una,
Colcotharis, seu cap. mortui Vitrioli parum, &
Vitrioli ad flavedinem calcinati libræ duæ,

Hæc exactè mixta,& in matracio pistillo ligneo tamdui agitata, quamdiu Mercurius non ampliùs vivus apparet, cucurbitæ lutatæ, suo capitello munitæ (& præmisso vitro recipiente, ad excipiendam humiditatem, seu aquam fortem, inter initia exstillantem) immittantur; ac igne aperto, gradatim aucto, furno tamen supra mediam circiter cucurbitæ partem clauso (uti supra ostensum) spatio circiter duorum dierum, sublimatio absolvetur. Quâ peractâ, Mercurio huic jam semel sublimato, & à nigredine separato, abjectis in fundo cucurbitæ speciebus, seu capite mortuo, porrò addantur

Salis communis decrepitati libra una,
Nitri puri unciæ octo, vel decem,
Vitrioli ad flavedinem calcinati libra una semis:

&, uti priùs, probè mixta, trituratione diligenti in matracio, pistillo ligneo, ac cucurbitæ tandem immissa, sublimentur in crystallinam compagem: quod quin ita futurum sit, modò dextrè operatus fueris, ac ignem debitè rexeris, dubium nullum relinquitur.

Hic *Mercurius sublimatus corrosivus*, licet, *intra* corpus simpliciter sumptus, maximè *venenatus*, & summè *causticus* fit; absque tamen emolumento ac usu in Medicina non est, modò non intra corpus, tanquam vi causticâ suâ nocuus, propinetur: *externè*, verò *adhibitus*, *suis non destitutus est virtutibus: in ulceribus præsertim Venereis, sordidis, crustosis, maximam præstabit operam, aquis mundificantibus injectus. In gonorrhæa diuturnâ ac virulentâ curandâ, injectionibus ac liquoribus alceticis medicè immixtus; item unguentis & emplastris, pro excrescentiis absumendis, suas meretur laudes.*

Nec desunt tamen audaculi, qui & intra corpus, lue Venerea infectis Mercurium corrosivum simpliciter sublimatum propinant, in aqua simplici simpliciter solutum, tanquam magnum foret secretum: à quo verò ut quilibet sibi caveat, fideliter moneo. Quamvis enim & hi Medicastri speciosas adducant rationes: experientia tamen sæpe sæpius infelices monstravit successûs & effectûs; quos propriis usurpavi oculis. Proinde, ut & intra corpus sumendus Mercurius sublimatus vulgi salutaris existere possit, necessum est, corrosivos, ac malignos ejus spiritûs, in sublimatione acquisitos, priùs contemperare, & vel penitus annihilare, & in aliud ens veluti convertere, aut penitus ab eo segregare. Quod ut debitè fiat, & ex hoc corrosivo Mercurio multum noxio, dulcis efficiatur, benignus, ac salutaris; sublimatum dulcem experti Chymici ac Medici invenêre: qui quâ ratione, vel modo, legitimè parandus, *Animadversiones nostræ, pag. 465.* luculenter declarant; quas B. L. consulat

Virtutes Mercurii dulcis notissimæ sunt. Non solùm enim in Venerea lue, proprietate substantiæ suæ, specificum remedium est; verùm etiam in morbis chronicis, catharticis, aut pharmacis aliis admixtus, magna præstat. Dosis est scrupulus unus, drachma semis, ad drachmam unam.

Ut is tamen magis benignus, omnisque pravitatis expers, ad internos usûs reddatur; abluatur porrò; seu edulcoretur, Mercurius hic dulcis, priùs, super porphyrite, in pulverem subtilem tritus & levigatus, quaternâ aquæ calidissimæ affusione; ac leniter iterum exsiccetur. Hunc probè *lotum ac edulcoratum Mercurium, Mannam Mercurii, aut Metallorum*, appellare consueverunt; quo securè ac tutò utimur, sine salivationis periculo; nisi corpus antea ad ptyalismum ac salivationem dispositum, & materiæ copiosæ affluxus illam causaturus sit.

Mercurius sublimatus rubeus dulcis, quem *Arcanum Corallinum* vocant, & *Laudanum Mercuriale metallicum*, describitur à Clariss. *Schrödero*, lib. 3. pag. 408. duobus modis; qui ibidem videri possunt. Sit tamen ex his duobus alter dilucidandus, & cum suis manipulationibus hic descriptus talis:

Extrahatur Sal ex capite mortuo Aquæ fortis, quæ ex æquali parte Vitrioli & Nitri destillata fuerit. Hujus Salis accipe uncias quinque vel


vel sex, eique superimprimatur, sub continuâ agitatione, per corium vervecinum,

Mercurii vivi purgati uncia una semis, vel unciæ duæ:

conterendo diu in mortario vitreo, vel in patina lignea, quousque Mercurius vivus non ampliùs conspiciatur. Hinc sublimetur in alembico gradatim, modo supra exactè edocto: & ascendet primò luteus; secundò croceus; tertiò rubicundus sublimatus: quem separatim servabis, reliquis cum pauculo vivo adhuc Mercurio separatis. Et hac operatio spatio 24. horarum vix absolvetur. Dosis gr. iij, iiij, & v. in lue Venerea.

Præcipitatio Mercurii.

NUnc porrò *Præcipitationem Mercurii* quod attinet, quæ meritò sublimatum, vel sublimationem, subsequitur; illa multipliciter fieri assolet: *vel* enim Mercurius vivus per se, nullâ penitus peregrinâ aut heterogeneâ re admixtâ; *vel* etiam adjunctis metallis, præcipuè verò Auro, solâ Vulcani benigni operâ;



vel etiam cum aquis fortibus corrosivis, præcipitatur. *Præcipitatio* vero, quæ *per se*, & *cum Auro* etiam, solo ignis moderati regimine, peragitur, *præ reliquis* (me judice) *amplectenda est.* Sub hâc enim actione & præcipitatione non vulgaria latitare arcana, ipsa nos docet natura. Clarissimus *Schröderus* varios præcipitationis modos collegit, *suæque Pharmacopœiæ Medico Chymicæ, lib. 3. cap. 15. pag. 399. & seqq.* inseruit: interque illos pariter præcipitationem Mercurii per se dextrè descripsit; quem ipsum & ego supra, *cap. de Auro*, indigitavi. Cùm autem instrumentum hoc vitreum, seu *Phiala*, ad hunc laborem, seu præcipitationem, necessaria, tam exactè describi nequeat: Ideam ejus ære incidi, atque, hîc impressam ob oculos poni curavi; quæ talis:

Phialæ igitur huic immittantur Mercurii vivi, decies cum sale & aceto loti, ac toties per corium expressi, unciæ tres vel quatuor, juxta magnitudinem nimirum *Phialæ*, ut ejus fundum solum Mercurio operiatur, ad æquilibrium exactè in arenam collocatæ, ne Mercurius in unam *Phialæ* partem confluat, sed æquabiliter fundum tegat. Subdatur postea ignis lentus; qui progressu temporis nonnihil augeatur, donec Mercurius in pulverem rubicundissimum præcipitatus sit: quod plerumque sex septimanarum, aut duorum mensium, spatio, si continuatâ serie ignem debitè rexeris, ne violentus nimis, nec admodum etiam debilis existat, absolvetur.

Virtutes præstantissimi & rubicundissimi Pulveris hujus Mercurialis haud exiguæ sunt, diaphoreticæ potiùs, quàm purgantes. Luem Veneream eradicat; lumbricos enecat; febresque, repetitâ suâ exhibitione, pauculorum granorum pondere curat. Qui verò eundem Præcipitatum præstantiorem reddere conatur, modo sequenti procedat:

Præcipitatus Solaris.

℞. Auri purissimi, per Antimon. purgati, unciam semis, vel drach. quinque,
Mercurii virginei putrificati, & per corium sæpius expressi, uncias duas,

 seu,

seu, loco hujus,

Mercurius, septies cum Regulo Martis stellato, & Luna subtiliter limatâ, sublimatus substituatur.

Fiat amalgama, uti moris est, in crucibulo, igne moderato, Aurum candefactum in Mercurium actu calidum projiciendo. Hoc amalgama toties lavetur aceto & sale, quousque nulla ampliùs nigredo conterendo & abluendo conspiciatur: hinc siccetur, &, si fieri possit, per telam raram prematur. Huic amalgamati loto, & probè mundificato, porrò adde

Præcipitati superioris rubicundissimi, per se facti, uncias duas.

Conterantur diu multumque in matracio vel mortario vitreo, quoad benè uniantur; immittanturque phialæ planæ, (antea ostensæ) vel ovo etiam Philosophorum Hermeticè clauso, ac per gradus ignis denuò ad siccitatem & summam rubedinem reducantur. Et hic demum Præcipitatus præstantissimus erit, sine ullo corrosivo factus; solius naturæ opus, & medicina ad multorum morborum extirpationem efficacissima. Sapientibus pauca hæc suffecerint. Sub iis enim haud facilè obvia aut vulgaria latent Naturæ arcana. Qui verò in rerum naturalium cognitione exercitatus Medicus est, expertusque in laboribus Chymicis; is facilè ad altiora, assiduis laboribus, & hâc manuductione reali, Naturam semper imitando, pervenire poterit. Quis enim alius, nisi exercitatus Chymicus & Philosophus, sibi persuadeat, quòd in spirituali hoc corpore, aut spiritu corporali, seu aquâ minerali fluidâ candidissimâ, tanta rubedo, sanguinis instar, occultata lateat, solòque moderati caloris fotu, absque ulla violentiâ, calcinatione adhibitâ, ac sine ulla rerum aliarum additione, in conspectum & apricum produci possit? Adeoque in se ipsâ hæc mineralis aqua frigida & sicca est extrinsecus; calida verò & humida intrinsecus. Habet in se omnia, omnes colores in illa latent, volatilis est simul & fixa, & constans: proprii interitus faber, quin & resuscitationis autor & artifex, dummodo talem nanscifcatur Magistrum, qui inter prudentiæ terminos naturæ obicem non opponat; ejusdem æmulator, non Tyrannus ac hostis. Sed hæc per transennam. Ad alia, licet inferioris conditionis his, medicamenta, usualia tamen, digredior. Et cùm in præcipitatione Mercurii versemur, necessum est, simplicis & communioris Præcipitati præparationem indigitare, quî fiat: solvendo Mercurium vivum purgatum in Aquæ fortis suff. quant. abstrahendoque illam à Mercurio tribus cohobiis, semper recenti aquâ forti reaffusâ. Hunc, pluresque alios præcipitatos pulveres Mercuriales, idem Clariss. *Schröderus, loco citato*, describit; inter quos etiam *Præcipitatus Corallinus* est, qui eâdem normâ ac viâ, quâ superior simplex Præcipitatus, apparatur, spiritum saltem Nitri, pro dissolutione Mercurii, & repetitâ quaternâ cohobatione, spiritu eodem recenti semper affuso, loco aquæ fortis, substituendo. Præ cæteris item variis, ibidem descriptis, processibus, decimus illorum mihi arrisit; *Præcipitatus* nimirum *albus*, *S. Closs. Vomitivo Catharticus*: nec non duodecimus, *Præcipitatus incarnatus cum urina sani hominis*: *Aurum* porrò *vitæ Closs. pag.* 404. *lib.* 3. *cap.* 15. qui ibidem omnibus conspicui prostant.

Mercurius Præcipitatus Luteus in Momento.

℞. Mercurii sublimati corrosivi q. pl.

Solvatur, ebulliendo parum, in aquæ fontanæ s. q. vitreo tamen aut terreo in vase. Solutio filtrata præcipitetur cum *oleo Tartari* per deliquium facto, ac guttatim infuso. Præcipitatus Pulvis aquâ effusâ & decantatâ, sæpiusque recenti aquâ reaffusâ, edulcoretur, donec nulla acrimonia sive salsedo gustu ampliùs percipiatur: *Pulvis*, qui remanet, insipidus, siccetur, usuique asservetur.

Ad icteritiam sanandam, obstructionibus reserandis, ac febribus diuturnis curandis, efficax est. Dosis sit à gr iij. vel v. & vj. in Theriaca, semel vel bis in hebdomade exhibita.

Mercurius Præcipitatus Albus.

℞. Mercurii vivi purgati unc. quatuor: solvatur in

Aquæ fortis suff. quantit.

Solutione superinfundatur aqua salsa (de sale communi) quousque totus Mercurius præcipitetur in forma pulveris candidi; quem edulcora, sicca, ac usui Medico asserva.

Turbith Minerale.

Est *Mercurius* communiter etiam *cum spiritibus vitrioli & sulphuris præcipitatus*; uti supra, cum aqua forti, ac spiritu nitri, præcipitationes edoctæ sunt: fiuntque utplurimùm pulveres flavi, qui probè edulcorandi, & lenissimè calcinandi sunt. Quomodocunque igitur apparentur, unam fere eandemque indolem ac virtutes sapiunt.

Turbith Minerale Rubrum in Momento.

℞. Mercurii præcipitati rubri simplicis unciam unam semis,
cui superaffunde
Olei Tartari per deliquium facti tantundem.

Digere per unum alterumque diem; hinc, aquâ simpl. affusâ, edulcoretur, parumque lenissimo igne calcinetur: ultimò spiritus vini rectificatissimus, super ipsum accensus, conflagret, ac Pulvis usui reponatur: *cujus dosis gr. v vj. ad viij.* Vel sequentem tibi modum ostendo:

℞. Mercurii legitimè sublimati unc. duas, solvatur in
Aquæ simplicis, aliquot guttulis saltem Olei sulphuris acuatæ, s. q.

Solutio filtretur per chartam, ac uno alterove die leni calore digeratur: tandem
Olei Tartari per deliquium facti s. q.
guttatim instilla, ut præcipitetur Pulvis rubeus; qui ab aquâ separandus, edulcorandus aquâ sæpius affusâ, ac usui asservandus est: *ad morbos Venereos perutilis. Cujus dosis gr. iiij. v. vj. & viij.*

Panacea ex Mercurio.

℞. Mercurii dulcis, seu, uti vocant,
Aquilæ cœlestis uncias sex,
Reguli Antimonii ritè parati unc. tres:

Misceantur exactè, & in pulverem, super porphyrite diu conterendo, redigantur: quibus dein, cucurbitæ vitreæ immissis, superaffundantur
Spiritus Vitrioli opt. unciæ tres:
digerantur triduo, vel quatriduo, circiter, in cineribus calidis: deinde ex arena destilletur & abstrahatur tota humiditas phlegmatica aquosa, ad siccitatem pulveris, vel massæ: cui, in pulverem redactæ,
Spiritus vini Tartarisatus
superaffundatur, extrahaturque *Tinctura*, repetitâ ejus affusione & decantatione, quousque nulla ampliùs rubedo appareat. Spiritus tincti omnes in M. B. ad siccitatem Pulveris rubei abstrahantur; qui asservetur. *Dosis ejus est gr. iij. iiij. ad v. in morbis diuturnis chronicis sanandis, obstructionibus reserandis & febribus abigendis: item in melancholia hypochondriaca, icteritia, & lue Venerea curanda, efficax est remedium.*

Mercurius Dulcis Solaris.

℞. Mercurii dulcis, iteratis sublimationibus candidissi. facti, uncias duas,
Croci Auri nostri dextrè parati unciam semis.

Misceantur exactè contritione diuturnâ super porphyrite lapide. Hinc phialæ planæ (uti supra) immissa, calore arenæ per mensem, & ultrà, moderato igne in Pulverem rubeum convertantur. *Hac est Medicina præstantissima in morbis è Lue venerea obortis; febribus item diuturnis curandis, & cordi roborando, efficax. Dosis à gr. viij. ad x. & xv.*

Oleum Mercuriale.

Plures inveniuntur, *Oleum Mercurii* parandi, processus & modi, qui tamen unam fere eandemque redolent prosapiam, manipulationibus saltem à se invicem discrepantes. Et licet ejusmodi Liquores *Olei Mercurii veri* nomen vix mereantur; nihilominus, cùm non parum de Mercurio participent; unum atque alterum eorum adstruam, & quidem *ex Notis & Animadversionibus in Poppium, Clar. D. Agricolæ, huc tractos: & sunt tales:*

℞. *Stanni puri Anglici libram unam: hoc liquefieri sinito in crucibulo, igne moderato: cui adde*
Mercurii vivi calefacti tantundem,
ut amalgama fiat: quod multoties cum sale & aquâ calidâ lavetur, quoad omnis nigredo & impuritas ab eo ablata, ipsumque albicans, &, nivis

nivis instar, candidum appareat. Hinc siccetur, inque Pulverem redigatur: cui porrò adde

Mercurii sublimati libras duas.

Misceantur exactè, multum conterendo in mortario vel matracio vitreo. Hæc deinde mixtura collocetur super laminam ferream, & loco humido, vel aëri, exponatur, quo in liquorem resolvatur, & in suppositum vitrum, unà cum Mercurio vivo currente, ruat. Liquor hic resolutus, separato ab eo Mercurio currente vivo, cucurbitæ vitreæ immittatur, & in M. B. leni calore dephlegmetur, liquore crassiore in cucurbita superstite, qui tandem, post XIV. dierum in Balneo digestionem seu macerationem, retortæ parvæ vitreæ infusus, igne arenæ totus in vas recipiens præpositum gradatim pellatur, ultimò igne adaucto fortissimo. Et prodibit Liquor, seu Oleum dulce, præstans in affectibus externis; utpote Cancro, Lupo, Fistulis, aliisque sordidis & exedentibus Ulceribus sanandis efficax.

Utuntur porrò nonnulli hoc Oleo, seu Liquore, ad alios labores Chymicos; ac magni quid, in solutionibus Auri, aliorumque metallorum, sibi promittunt. Cuique de his suum esto judicium.

Ipse Author prænominatus, Clariss. Agricola, *ex Venere, seu Cupri laminis, beneficio hujus liquoris, tanquam Menstrui, Sulphur, seu Tincturam rubicundissimam, extrahere* docet, *cupri laminis dealbatis, seu sulphure & colore suo rubeo spoliatis, in residuo manentibus: quam deinde Tincturam, ad dimidias destillando, abstrahere; residuum verò in salem viridem crystallinum concrescere satagit. Hocque Sal* (loquor Chymicis, non Grammaticis) *seu Vitriolum, phialæ immissum, igne gradatim aucto, variantibus per se coloribus, sensim in rubicundissimum Pulverem subdulcem figere* præcipit. Sit igitur fides penes Authorem.

Aliam præterea Olei, seu Liquoris, Mercurii saccharini præparationem prædictus addit Author; quæ talis:

℞. *Mercurii sublimati dulcis, &*
Sacchari Cand. ana libram unam.

Misceantur exactè conterendo in pulverem, retortæ vitreæ deinde immissa, destillentur per gradûs ignis in vas præpositum recipiens; & prodibit Liquor Mercurialis præstans, interno ac externo usui destinatus: in morbis præcipuè ex Lue Venerea obortis.

Liquor alius, seu Oleum Mercuriale.

℞. Mercurii legitimè, proprio Marte, uti supra edoctum, sublimati, uncias sex,
Sacchari Saturni legitimè etiam parati tantundem.

Mixta exactè, & in pulverem redacta, immittantur retortæ vitreæ, ac ex arena, servatis ignis gradibus, præmissoque recipiente, destillentur; & prodibit Liquor albicans dulcis, omni corrosione seu acrimonia expers. Residuæ in retorta massæ nigricanti, in pulverem priùs redactæ, suum proprium affundatur Oleum destillatum, & peracta digestione leni B. M. per octiduum circiter, denuò ex retorta, observatis gradibus ignis, destillentur in Oleum flavum: quod servetur, cùm ad internos, tum externos usûs haud inefficax. Quæ plura & haud spernenda, aut levia, de hoc Liquore Mercuriali prædictus Clar. *Agricola, cap. de Mercur.* producit, B. L. ipse revolvere, ac usui proprio applicare potest.

Oleum aliud Mercurii dulce.

℞. Mercurii cum Vitriolo & sale fuso sublimati q. s.

solvatur, quantum fieri potest, in
Spiritûs vini ad summum rectificati, & ab omni phlegmate liberati,

Facta solutione aliquali in Alembico, apposito capitello cæco, per mensem circiter putrefiant in fimo equino, vel M. B. lenissimo calore: qua peracta putrefactione, abstrahatur *spiritus vini* in M. B. hoc abstracto ad Oleitatem, residuum urgentiori igne in arena, ex retorta vitrea parva, in aliud vas recipiens pellatur: prodeunte liquore dulci Mercuriali. *Ad Lupum, Cancrum, & Ulcera sordida antiqua persananda utilis.* Keslerus.

Aqua Mercurialis.

Primò destilletur Aqua Stygia, seu Fortis; ex Vitrioli ad flavedinem calcinati,

Nitri

Nitri puriſſimi & purificati, ana libris duabus;

additâ

Aluminis uſti, ſeu ſtrenuè calcinati, librâ unâ.

Aqua hæc ſtudiosè aſſervetur, aut in aquam Regiam convertatur, adjiciendo

Aquæ huic Stygiæ libræ uni,

Salis Armoniaci, per ſolutionem & coagulationem purificati, uncias duas.

In hâc aquâ Regiâ, cucurbitæ vitreæ & oblongæ immiſsâ, diſſolvantur

Mercurii, cum vitriolo & ſale communi tantùm, juxta mod. *n. in Animadverſ.* indigitatum, ſtudiosè ſublimati, unciæ ſex.

Pedetentim, ac per vices, & in cineribus, leniſſimo calore digerantur, donec Mercurius ſublimatus totus ſit ſolutus (ſi tamen, pro diſſolutione dicti Mercurii ſublimati, non ſufficerit Aquæ Regiæ libra una, effundatur, quod ſolutum; reſiduo verò, nondum diſſoluto Mercurio, recens Aqua Regia affundatur, donec totus ſolvatur.) Hæc ſolutio Venerem ad inſtar Lunæ dealbat: peractâ verò ſolutione, immittatur illa phialæ oblongæ, ſuperiùs Hermeticè ſigillandæ, ne quid ex ſpiret; & in fimo equino, vel alio calore humido Balnei, tribus circiter ſeptimanis putrefiat, donec fæces fundum petant, aqua verò ſupernatans clara, cæruleo colore appareat. Quo viſo, & fæcibus ſeparatis, fiat deſtillatio aquæ Mercurialis in cucurbita vitrea, ſuo capitello munita, ac præpoſito vitreo recipiente, & quidem ex arena, obſervatis ignis gradibus, donec tota aqua limpida & clara exſtillârit; quam ſtudiosè, in vitro forti ac probè clauſo aſſervato. *Præſtantiſſima ſiquidem, ad corpora Metallorum & Mineralium in primam ſui materiam diſſolvenda.* Obſervetur tamen, quòd, in aquæ hujus deſtillatione, guttulæ non decidant continuâ ſerie, ſicut in aliarum aquarum deſtillatione contingit. Præterea *notandum venit*, aquam hanc Mercurialem non ſolvere corpora metallorum aut mineralium ſimpliciter in aquam; ſed in viſcoſam illa convertere materiam, à communi ſolutione longè diverſam.

Aqua Mercurialis alia.

PRimò ſeligatur arena pura ex fluminibus, eaque abluatur ſæpius in patinâ larga, quouſque omnis limoſa impuraque terra deceſſerit, & aqua limpida denuo effluxerit. Hujus

Arenæ lotæ accipiatur libra una, vel libra una ſemis,

Mercurii, uti ſupra, cum vitriolo & ſale tantùm ſublimati, libra una:

Miſceantur exactè, conterendo diu in mortario lapideo, immittanturque retortæ vitreæ, ac in arena, igne etiam ſuppreſſionis, ſcilicet ignem infra & ſupra retortam admovendo, deſtilletur ſpiritus fortiſſimus, fumum continuò exſpirans: qui in vitro forti aſſervandus; mutando tamen vitrum ſingulis menſibus. Cùm enim aqua hæc diu in uno eodemque vaſe aſſervata fuerit & detenta; illud confringit, & ſic incaſſum abit.

Hujus, & ſimilium Aquarum Mercurialium, tantus in Medicina uſus non eſt; quin potiùs ad alios labores Chymicos, ſolutiones Metallorum, Auri præcipuè & Argenti, volatilia illa reddendo, quò faciliùs per alembicum trahi poſſint, adaptentur.

Aqua Mercurialis alia: Rudolphi Imperatoris S. M. adſcripta, ex Communicatione Kellæi.

℞. Calcis vivæ albiſſ. libras quatuor:

Immittantur ollæ vitreatæ, & ſuperfusâ aquâ fervidâ, ad ſupereminentiam unius ſpithamæ, leniter coquantur: protinus autem, & inter initia ebullitionis, injiciantur ſucceſſivè

Salis Armoniaci libræ duæ;

factâ ebullitione leni, ſpatio unius horæ, filtretur aqua calcis ſalſa per chartam emporeticam, & in ſartagine ferrea evaporet ad ſiccitatem ſalis; qui, in humido loco, in liquorem denuò ſponte ſuâ reſolvatur.

Hujus Liquoris Oleoſi accipe libram unam, & in eo diſſolve

Mercur. ſublim. inferiùs edocti, & ſuper porphyrite ſubtil. triti, lib. ſemis.

digerantur & putrefiant in cucurbita probè clauſa calore balnei, vel fimi equini, duabus

vel tribus circiter septimanis. Tandem solutioni huic adde chartæ emporeticæ aliquot folia, vel integrum librum, ut totaliter imprægnetur, & in massam convertatur: quo facto, & agglutinato cucurbitæ capitello, præmissoque recipiente, destilletur ex arena, inter initia lenissimè, ad totalem usque Aquæ dulcis prolectionem. Remoto deinde recipiente, cum aqua egressa, & alio vitro protinus agglutinato, igneque per gradus adaucto, excipiatur aqua Mercurialis separatim, tamdiu ignem continuando augendoque, donec nil ampliùs prodeat. Aqua tandem prolecta rectificetur, & ad ulteriores usus studiosè asservetur, in vitro quidem forti, oleo Terebinthinæ intrà oblinito ac iterum siccato, ne brevi, ab aquâ Mercuriali veluti dissolutum, rumpatur, & terræ Aqua dicta commendetur.

Varium atque præstantem hujus Aquæ usum esse, ferunt, *gemmis impuris clarificandis, earundemque Tincturis etiam exaltandis destinatum*: unde *adamantem fuscum aut flavum illustrare; saphiro nitorem adamantis & diaphaneitatem conciliare*, asserunt: *extrahere porrò & elicere sulphur & animam metallorum omnium, &, juxta speciem sulphuris metallici extracti, gemmas sui coloris immersas proprio imbuere colore, aut colorem earum magis intendere*: utpote *solutionem Lunæ fixæ hâc aquâ factam, seu extractam, saphiros albicantes, pallidos, ipsi injectos seu immersos, efficere, unius mensis spatio, cyaneo cælestinoque colore resplendentes; rubinos, solutione Martis: smaragdos, solutione Veneris; margaritas orientales impuras, vel immaturas, solutione matris Perlarum, vel etiam sola aqua hac Mercuriali, purificari ac perfici.* Verùm relata saltem refero. Qui curiosiùs ea experiri voluerit, paucis expensis, laboribusque exiguis, illa effectui dare ac experiri poterit. Licèt enim in omnibus voti sui compos non sit futurus: in solutionibus saltem metallorum & mineralium non incassum laborabit, aut operam ludet: quod L.B. præmonitum volo.

Mercurius Singulariter pro Aqua prædicta Mercuriali Sublimatus.

℞. Mercurii vivi probè purgati unc. quatuor, solvatur in Aq. fortis recenter factæ unciis XVI. Factâ solutione, abstrahatur aqua fortis ad siccitatem Mercurii, inque formam massæ: hinc statim sublimetur vel per se, vel addito sale decrepitato; & sic, ad aquam prædictam Mercurialem, Mercurius dextrè & sublimatus, & paratus erit; quem etiam aliis laboribus accommodare licet.

Pro Coronide, ac fine Capitis hujus, nonnulla de famoso ac tantopere decantato Liquore ALKAHEST (summo Doctissimi Helmontii secreto) superaddere libet, tanquam conceptus ad Praxin nondum redactos: de quo Liquore prædictus van Helmont, *in Progymnasm. Meteori, pag.* 70. haud pauca dissetruit; quæ B. L. revolvat, ac his sua addat experimenta. Sint autem talia:


Primò paretur Alcali ex calce viva & sale tartari, cementando salem tartari cum calce vivâ, vel coquendo; & denuò elixiviando illum cum aqua simplici, ac iterum ad siccitatem, evaporare sinendo aquositatem, redigendo. Et hujus Salis larga satis copia paretur.

Secundò, cum illo ipso Alcali teratur Mercurius vivus, in mortario lapideo nonnihil calido, donec nil ampliùs de Mercurio conspiciatur: impositis hisce protinus vitreæ retortæ, pellatur Mercurius, igne adhibito, in vas recipiens. Hæc operatio sæpius ac multoties repetenda, donec Mercurius limpidissimus, & verè spiritualis, appareat.

Tertio: Apparato Mercurio, & ad summam spiritualitatem redacto, instituatur ejus destillatio per tres invicem luto bono arctissimè connexas retortas, prout figura, hîc æri incisa, & appressa, exhibet; quarum prima supernè habeat canalem, extra fornacem prominentem, per quam Mercurius dictus successive, & per vices, injici possit: quælibet autem retorta habeat ad id opus exstructam fornacem; uti omnia hîc inferiùs conspiciuntur. Mercurius, qui vivus, unà cum aquositate, transit, de novo injiciatur primæ retortæ, per suum canalem, donec ferè totus in aquam versus sit.

Quar-

Figura Instrumentorum:



Quartò; immittatur Aqua hæc Mercurialis phialæ oblongæ, cujus sexta, vel octava pars saltem sit repleta; & phiala per aliquot menses in fimum equinum collocetur, donec tota aqua in spumam conversa fuerit: quo viso signo, continuetur putrefactio usque dum spuma evanescat, & liquor in fundo phialæ denuò conspiciatur: qui tandem, semel atque iterum per retortam, ex arena rectificatus, studiosè asservetur. Plura de hoc Liquore ex prædicto Helmontio petantur.

De Cinnabari.

AD Mercurium *Cinnabaris* jure meritò, cùm *Naturalis*, seu *Nativa*; tum *Artificialis*, sive *Factitia*, referenda. Quemadmodum enim ex *Cinnabari nativâ Mercurius vivus currens, sincerus & purus*; sic ex *Mercurio vivo*, reciprocè, *Cinnabaris factitia* facilis paratu est. Cui itaque volupe fuerit, ex *Cinnabari nativâ*, vel etiam ex *Cinnabari Antimonii*, Mercurium conficere currentem, ad ulteriores labores vulgari præstantiorem; modo sequenti procedat:

℞. Cinnabaris nativæ rubicundiss. Hungaricæ, aut etiam Carynthiacæ, libram unam:
cui, in pulverem subtilem tritæ, adde
Limaturæ ferri, seu Chalybis, uncias octo, vel decem,
Calcis vivæ uncias sex.

Mixta humectentur nonnihil pauculo aceto destillato, immittanturque retortæ vitreæ, ac igne aperto, per gradus aucto, expellatur Mercurius in vas recipiens præpositum, aquâ frigida semiplenum. Mercurius prolectus, separatus ab aqua, per corium semel atque iterum coga-

 tur;

tur: qui vulgari præstantior erit, præsertim si, repetitis sublimationibus, purior reddatur, tum etiam, additione quorundam mineralium, animetur; modo sequenti scilicet:

℞. Mercurii, puri, studiosè è Cinnabari nativa extracti,
Reguli Antimonii Martialis stellati, ana libram unam,
Argenti limati libras duas:

quibus probè mixtis ac amalgamatis, sublimetur Mercurius igne aperto, per retortam, & pellatur in vas recipiens præpositum, aquâ ad mediam partem repletum. Et hæc ipsa *Mercurii sublimatio*, seu *destillatio*, à speciebus prædictis octies, vel decies, repetatur, singulis vicibus *Mercurium* siccando, ac per corium trajiciendo. Sic Mercurius, ut Aquila, liberè volabit, à metallis & mineralibus animatus, spirituosus, nec non purus ac limpidus factus; æthereoque colore fulgidus apparebit. Hunc Mercurium non immeritò Philosophicum dixeris, qui Solem & Lunam in primam sui materiam revocare, & spiritualia rursus efficere potis est, servatâ seminali virtute, ac radicali humiditate. Et hæc, citra parabolas, veritatis avidis Studiosis dicta sufficiant.

Ad *Cinnabarim factitiam Artificialem* nunc revertor; quæ paratur *ex Mercurio vulgi currente, & sulphure communi ac puro*; liquando nimirum sulphuris uncias quatuor, immiscendoque illi Mercurii uncias octo. Ex hac mixturâ, beneficio sublimationis repetitæ, nanscisceris Cinnabarim Artificialem Officinarum. Cujus exactam etiam descriptionem Clariss. Schröderus, *in Pharmacop. sua Medico Chymica, lib. 3. c. 15. pag.* 409. tradit; quæ ibidem videatur.

Oleum Corrosivum Mercurii, & Antimonii, quod *Butyrum Antimonii* vocant, unà cùm Mercurio vitæ, qui & ipse Antimonio sua debet primordia, ad proprium Caput, *de Antimon.* destinavimus.

CAPUT VIII.

DE ANTIMONIO.

JAm ad finem perductis *Metallis*, & absolutis medicamentis usualibus ex iis, ad alia, minùs talia, *semi-Metalla* seu *Mineralia* dicta, progredi, atque etiam horum nobis salutaria & proficua medicamina describere, Mantissæ inserere, & Lect. B. communicare, juris esse existimavi. Quapropter ab *Antimonio*, seu *Stibio*, tanquam cætera mineralia præstantia & virtutibus medicinalibus antecellente, auspicaturus; illico ad salutaria, ex hoc subjecto remedia adstruenda me accingam: quæ etiam, absque fuco atque hyperbolicâ obscuritate, præmissâ priùs *Antimonii* definitione, etymo, genesi, loco natali, atque facultate, fideliter allaturus sum.

Est autem *Antimonium* corpus minerale, metallis cognatum & proximè adnascens, eò quòd ex iisdem (quibus & Metalla) principiis, in visceribus terræ, conflatum sit: pro majori nimirum sui parte, ex *sulphure* inflammabili, tum etiam fixo, solari, & puro: *Mercurio* metallico sulphure minùs copioso; & *salis* parte minimâ, constans; ita, ut censendum sit, Archeum terræ hoc, tanquam ex principiis superfluis metallicis indigestum, corpus ad latera perfectorum metallorum collocasse, in rudem hanc massam conflasse, & veluti ad altiora metalla generanda segregasse; quod tamen, accedente semine & spiritu metallico, in metallum tandem perfectum efformari & transire possit. Etenim experientiâ constat, & avito Majorum usu confirmatum est, *Antimonii mineram*, per incerationem & macerationem salsarum & lixivialium aquarum, ac liquorum, ita maturari, ut pro haud exiguâ sui parte in perfectissima metalla, *Aurum* & *Argentum*, transmutari possit. Cujus rei ipse testis oculatus

tus & arbiter fui Claudifori, Anno 1643. ubi Venerandus Senex ac Medicus, Dn. *Adamus Zusnerus*, nonagesimum quartum illo tempore annum agens, hæc propria experientiâ, & quotidie, haud exiguo substantiarum suarum augmento, comprobavit.

Variis, ab antiquis & recentioribus Chymicis, *Stibium* insignitur nominibus. *Lupum* enim nonnulli, à devorando; quòd cuncta metalla devoret: *Proteum* alii; quòd in varias figuras & colores diversos sese transmutari sinat; *Radicem* quidam *Metallorum*; quia omnibus adjacet metallis: *Saturnum* item *Philosophorum*, & *Magnesiam Saturninam*: *Leonem rubrum*, Paracelsus: *Orientalem* verò *Leonem*, Basilius ænigmaticè indigitare & appellare solebant.

Delectum, & valorem, *Antimonii* quod concernit: illud præ omnibus amplectendum, quod ex Auri-& Argenti-fodinis eruitur, adeoque *Hungaricum*: & quod ex *Transsylvania* venit, præ aliis palmam retinet; eò quòd illud principiis purioribus, *Sulphure* præsertim, & *Mercurio*, à spiritu & semine Auri & Argenti veluti impr ægnatis, gaudeat. Unde ab omnibus etiam Spagyris & Chymicis, ad suos labores, diversaque ex eo conficienda, præparandaque medicamenta, expetitur: imò ad longinquas regiones & oras non exiguis defertur expensis; & summè desideratur. Striis scintillantibus & splendentibus longis utplurimùm præditum est, quando nimirum jamdum igne fusum, & (uti solet) in massam pyramidalem redactum est.

Nativum Antimonium verò aliquando purum & putum particulatim, majoribus, minoribusve frustulis eruitur: nonnunquam saxis & lapidibus aliis montanis commixtum & adnascens, majori mole reperitur. Illud etiam, quod è veris Aurifodinis effoditur, & maculis rubescentibus conspersum ac conspicuum est, ab omnibus expertis Chymicis probatur.

De *Viribus*, ac *Virtutibus*, *Antimonii* multa inferenda essent, explanandumque; utrum hoc tam exitiale venenum sit, uti nonnulli inexperti Osores illud allatrant, atque divulgant: num è contra salutare Naturæ productum, quod humano generi, vel in substantiâ usurpatum, aut exinde derivatis ac dispensatis remediis, magnum sit antipharmacum. Verùm, cùm omnia hæc, & ad amussim, Clarissimus Quercetanus, *cap. 11. de Antim. p. 673.* explanarit, adductis insimul aliorum, cùm Antiquorum, tum Recentiorum præclarissimorum Virorum sententiis: idcircò hoc onere ac censurâ hîc meritò supersedeo, eaque sicco quasi transeo pede; ne & acta agere, & dextrè jam descripta describere videar. Eò igitur B. L. ablegatum volo, ubi omnia & scitu digna, & necessaria, ad unguem exarata offendet ac deprehendet. Hoc unum adverterim ego; eos solummodò relegare *Stibium*, ac contemnere, seu cum reliquis venenis repudiare, quibus angusta domi supellex ac scientia, & qui Philosophiam suam, rerumque naturalium scrutinium, obiter saltem ac tumultuariè comprehendêre. Quid igitur mirum, extra limites prosilire, quibus tam limitatum est judicium? Quo tamen non obstante, ipse ego nonnullos, qui ab *Antimonio* abhorrent, illudque pro deleterio habent, excuso: Periculosæ enim plenum opus aleæ est, ignoto sese concredere pharmaco, cujus virtus & energia adhuc desideratur. Quare qui genium ac indolem, vires, & actiones, *Stibii* dilucidè non penetravit, fugâ sibi consulat potiùs, quàm ut temerè illud amplectatur aut assumat, nec obvio cuique Chymiastro & fumivendulo, talia offerenti, se concredat. Est enim *Antimonium*, (ut & nonnulla vulgariter ex eo parata remedia violenta) tanquam culter in manu pusionis, aut ensis bifidus in dextra stulti, quorum multi propriâ dementiâ intereunt: cùm interim innumeri vitam & sanitatem sibi per *Antimonium* vindicent, & deploratos ac chronicos morbos profligent; ubi dextrè à Spagyris paratum, cauteque fuerit propinatum. Et verò ipsi cæteroquin Chymiæ pertæsi, aut ignari, suffragari cogerentur, eximias dotes, & arcanas vires, contra diros morbos, in *Antimonio* latere; si illud crudum, saltem in minutas particulas confractum, ac in petiâ ligatum, citra torturas, quas Processûs indigitant, aquosis saltem decoctis largiter superadde-

rent; nequaquam verò ex vino propinarent. Tam enim abest, ut, taliter adhibitum, deleterii & nocui quid in *Stibio* deprehenderent; quin potiùs salutariter tam internis, quàm externis, usibus destinarent. Etenim hujus præscriptionis, & querelarum super *Antimonium*, ejusque vulgariter parata medicamenta, causa unica est, mala feriatorum hominum temeritas, atque audacia; qui sine discrimine, & cognitione, cùm ægri & morbi, tum remedii, talia, malâ fide, à quovis fumivendulo parata medicamenta Antimoniata, interno usui destinarunt; è quibus postmodum haud pauci funesti eventûs & casûs Tragici subsecuti sunt. Quorum certè malorum eventuum ipse ego multoties arbiter fui: uti in progressu, ubi de *Antimonio Diaphoretico* acturus sum, dilucidè explanabo. Verùm, quàm salutares è contra effectûs, & præsentaneas gravissimorum morborum medelas, tanquam à divina auxiliatrici manu promanassent, Antimonium, ejusque legitimè & dextrè parata medicamenta, ediderint, & præstiterint; hæc monstrant Doctiss. Senis Rulandi, tum & aliorum præclarissimorum Virorum, posthuma scripta, nec non viva testimonia. Quàm speciosâ quoque panegyri Antimonio, Clar. & Doctiss. Matthiolus, Archiater quondam, Cæsareus, parentârit; hujus copiam tibi refert solertissimus Quercetanus, loco suprà citato. Quare lividorum, aut maleferiatorum hominum querimoniæ nequaquam me morantur, quin ad salubria, ex Antimonio, paranda remedia illicò descendam.

Vitrum Antimonii, sine Additione.

PRimum omnium, & communissimum, quod arte ex *Antimonio* parandum venit, medicamentum, *Vitrum* ejus est. Hoc quomodo parandum, Clariss. Scröderus, *lib.* 3. *c.* 17. *p.* 422. descripsit. Ast, cùm insufficienter explanatum sit, valdeque intricatum, neque illa additio salis communis probanda; idcircò legitimam ejus præparationem, cum omnibus manipulationibus, hîc adstruam; quæ talis:

℞. Antimonii Hungarici opt. subtiliter triti, qu. pl.

Hoc calcinetur leniter, in vase terreo plano & largo, & quidem sub camino, loco patulo, rudicula æneâ, (non ferreâ) continuò agitando, ne in grumos tam citò concrescat. Hoc si ultimò tamen contingat, & Antimonium (ut fieri solet) in grumos abeat; redigatur denuo in pulverem, &, (uti priùs,) in patinâ illâ planâ, continuò commovendo rudiculâ, super igne leni calcinetur: & si iterum concrescat; tertiâ etiam vice, postquam iterum subtiliter tritum, antedicto modo calcinatio reiteranda: in qua non ampliùs, vel difficulter, conglobabitur; sed in gryseum pulverem, cineris instar, convertetur: qui tamen non diu, post peractam calcinationem, asservandus est, ne ab aëre attracto alteretur, ac ægrè postea perspicuitatem vel diaphaneitatem vitream nanciscatur. Propterea illicò, absolutâ calcinatione legitimâ, crucibulo immissus, igni fusorio tradendus est: sic spatio quadrantis, aut dimidiæ horæ perspicuitatem (quam subinde bacillo ferreo inserto, non diu autem intus relinquendo, explorare licet) mutuabit: quâ apparente, statim effundatur in pelvim cupream, & Vitrum erit pulcherrimum, repræsentans quasi Rubinum. Quòd si tamen (uti nonnunquam contingit) ad diaphaneitatem difficulter reducatur, injiciatur illis, dum adhuc in crucibulo liquatum, nonnihil Sulphuris communis frustulatim; prout in præparatione & purificatione Nitri, pro Lapide Prunellæ, fieri assolet, ut conflagret: quod illico *Antimonium* depurabit, diaphanumque *Vitrum* reddet.

Præterea quoque notandum est, quod ferrea Instrumenta, quæcunque etiam illa sint, quibus cùm pro calcinatione, tum vitrificatione *Antimonii* opus, abarcenda & vitanda sint; si nimirum *Vitrum* perspicuum, & non scorias efficere, in votis sit. Unde superiùs, non abs re, & sine ratione, studiosè monui; ne saltem rudicula ferrea, pro exploranda diaphaneitate, crucibulo, & liquato Antimonio nonnunquam, & quidem sæpiùs, immitti solita, diu intus detineatur, sed protinus qualibet vice extrahatur, ne & ipsa ab Antimonio, pro parte saltem ejus immersa, absorbeatur, (quemadmodum aliàs omnia metalla, præcipuè ferrum, *Antimonium* devorat) &, loco vitri, tandem scoriæ, Reguli instar, efficiantur. Hinc etiam vas illud terreum, seu patina larga plana, in

quâ

quâ *Antimonium* calcinandum, ut & crucibulum, in quo liquandum, omni Martiali glebâ, sive scoriis ferri, carere & immunia esse debent. Secus enim, si nigricantia vasa, quæ Cellæ-Figulorum (oppido in Austria superiori, vulgo Haffner-Zell) conficiuntur, metallis, mineralibusque alias liquandis & calcinandis usitata, in igne quidem constantia & durabilia, huic calcinationi & vitrificationi *Antimonii* adaptarentur, neutiquam *Vitrum* diaphanum aut perspicuum efficeretur; quin potiùs massa Reguli obscuri, vel scoriis simillima, acquiratur. Quod & mihi inter initia contigit, donec, experientiâ edoctus, imposterum ab his instrumentis abstinui, & alia longè aptiora vasa, constantia, ac ignem strenuum diu sustinentia, pro his laboribus adinveni, & à figulis studiò confici curavi: ex solâ nimirum terra figulina purâ albescente, vitro & silicibus subtilissimè tritis, terræ dictæ largiter immixtis. Et hæc quippe instrumenta, seu vasa, perfectissima sunt & durabilia, ad quoscunque labores, & similes metallorum ac mineralium liquationes, & destillationes spirituum corrosivorum aptissima. Ne etiam, in ipsâ liquatione, pura metalla, Aurum & Argentum puta, rebus heterogeneis, & quidem scoriis Martialibus, permisceantur, & inquinentur; spissa ob id efficiantur, quippe quod ut plurimùm à ferro, ejusque scoriis, è quibus dicta crucibula nigricantia confecta sunt, unicè causatur. Idcirco necessarium hoc monitum silentio transire nolui, ut advertant Tirones Chymici & Pharmacopœi, quanta circumspectione & prudentia opus sit, in levissimis laboribus Chymicis, & Pharmaceuticis: cùm & instrumenta ac vasa necessaria totum nonnunquam opus morentur, & vel ex toto pervertant; vel pravas saltem qualitates medicamento inter processûs superinducant.

Cæterùm, *Vitrum* hoc, sine additione ullâ (uti edoctum) legitimè paratum, medicamentum quidem efficax est & violentum; non omnino tamen spernendum, si à Medico prudente, debito modo, & justo tempore, usui destinetur; & non cuilibet indiscriminatim, sine ullo respectu, sed naturâ robustioribus, ac morbis pertinacioribus laborantibus, atque afflictis, saltem propinetur. Nec tamen (quod observatione dignum) per se, aut in cruda sua substantiâ; sed Vini unciis duabus, vel tribus pondere granor. iij. iiij. vel v. per infusionem immergi, ab eoque, post aliqualem macerationem, separari, Vinumque illud saltem, relicto *Vitro*, seu pulvisculo, in fundo, exhiberi potest. Solent quippe nonnulli ex hoc ipso *Vitro* Pocula conficere, in quibus si vinum per aliquot horas saltem infusum steterit, ac postmodum potetur, potenter operari deprehenditur. Conficitur præterea ex hoc ipso *Vitro* Angeli Salæ Syrupus Emeticus; ut & plura alia, quæ paulò pòst sequentur, remedia. *Vitrum* hoc à Basilio Valentino S. Bened. Monacho, *in Curru triumph.* laudibus summis extollitur; ut etiam Lapidem suum ignis, Panaceam, seu Medicinam universalem, ex illo conficere edoceat: quem haud gravatim ipse B. Lect. consulat.

Vitrum Antimonii Solare.

℞. Antimonii Hungarici uncias sedecim,
Auri purissimi unciam unam:

Liquefiant, vel fundantur simul in crucibulo, donec *Aurum* ab *Antimonio* devoratum vel absorptum sit. Hinc protinus effundatur *Antimonium*, ne *Aurum* in Regulum abeat, & separetur. Redigatur postea in pulverem subtilem auratum hoc *Antimonium*, & (uti superiùs, in simplicis Vitri præparatione, ostensum,) tribus vicibus probè calcinetur, donec non ampliùs concrescat, aut in grumos abeat, neque fumum exhalet aut eructet. Peractâ hâc calcinatione, immittatur protinus crucibulo, ignique fusorio, ut liquetur, tradatur, superinjiciendo particulam unam atque alteram *Sulphuris*; quò citius nempè purificetur, & perspicuum fiat, rudiculâ ferreâ aliquoties explorando. Hoc habito signo, effundatur in pelvim cupream: & sic vitrum rubicundissimum, Rubini instar, evadet, pro Tinctura Antimonii extrahenda aptissimum.

Ex *Regulo Antimonii* similiter *Vitrum*, cum, & sine, Auri additione parari potest: quod, uti ex Regulo, tanquam parte puriori *Antimonii*, paratum: ita etiam simplici vitrò, quoad

quoad usum Medicum, multò mitius & præstantius erit.

Ex *Mercurio vitæ* similiter, solâ fusione in crucibulo, igne forti, *Vitrum* efficitur album. Ex quo patet, dictum *Mercurium vitæ* verè *Antimonii sobolem* esse; non autem Mercurii; & cum *floribus Antimonii* easdem obtinere virtutes.

Regulus Antimonii Stellatus.

℞. Antimonii Hungarici boni unc. XVI.
Liquefiat in crucibulo, igne forti; cui statim immergantur

Clavor. ferreor. benè purg. & candefact. priùs, unciæ octo;

quibus probè liquatis ac unitis, superinjiciantur

Nitri purissimi, &
Salis Tartari, ana uncia una semis, vel unciæ duæ:

fluant sic probè per horæ quadrantem, aut ultra, igne sat forti, ad instar aquæ; & tandem in Calicem fusorium, sævo illitum, fundantur; calicem malleolo, in ipsâ infusione, continuò percutiendo, sicque promovendo *Reguli* subsidentiam & separationem. Refrigeratis pòst omnibus, eximatur tota massa; cui in fundo adhærebit *Regulus*, superiore suâ parte jamdum stellam obscurè repræsentans: qui à scoriis separandus, & denuo, secundâ ac tertiâ vice, additâ semper, de *Nitro*, & *sale Tartari*, particulâ, fundendus, ac calici fusorio infundendus est; singulis autem vicibus scorias separando. Sic mox in secunda vel tertia fusione *Stella* in superna *Reguli* parte exactè repræsentabitur, ac si arte, juxta dimensionem, figurata fuisset.

Ex hoc *Regulo*, *Vitrum hyacinthinum* colore, ad eandem planè normam, quâ superioris *Vitri* ex *Antimonio* crudo præparatio edocta est, commodè paratur: quod ipsum mitiùs, superiori simplici *Vitro*, in Medicina operabitur.

Ex superiori præterea *Regulo*, ac proprio *Antimonii Mercurio*, quantitate æquali, Clariss. *Agricola Essentiam* haud inelegantem parare docet, beneficio nimirum Spiritûs Vitrioli, amalgama horum duorum præcipitando, & in pulverem rubeum, igne moderato, convertendo. Quem præcipitatum postea cum spiritu vitrioli Philosophico extrahere, tandemque, cum spiritu vini tartarisato, in *Essentiam* elaborare præcipit, varias ipsi virtutes, in morbis Venenatis, Philtris, Paralysi, & Contracturâ, assignans.

Regulus Antimonii sine Marte.

℞. Antimonii Hungarici boni libram unam semis,
Nitri purissimi,
Tartari crudi, sed puri, ana libram unam.

Cuncta hæc, in pulverem redacta, ac probè mixta, detonent. (uti Chymici loquuntur) Hoc, cochlear unum post aliud, ejus mixturâ plenum, prunæ ardenti, in vase terreo, sive etiam in crucibulo, aspergendo conflagret, ad instar pulveris pyrii. Hâc spontaneâ veluti calcinatione peractâ, immittatur massa hæc calcinata crucibulo, & igni fusorio tradatur, donec instar aquæ fluat. Effundatur protinus in calicem fusorium, sive mortarium æneum parvum calidum, sævo priùs inunctum; calicem, sive mortarium, inter infusionem, malleolo semper pulsando, sicque promovendo exactiorem *Reguli* subsidentiam. Omnibus postmodum refrigeratis, separetur *Regulus* à scoriis: qui porrò in pulverem tritus, & novis, seu recentibus speciebus, *Nitro* nimirum, & *Tartaro*, sed pro dimidiâ tantùm sui parte, respectu *Reguli*, commixtus, eodem modo, quo priùs, igne fusorio liquetur, & in calicem, vel mortarium, sævo inunctum & calefactum, fundatur: à scoriis purior jam factus, separetur, ac ad labores alios asservetur. Hinc è scoriis, à *Regulo* separatis, & in aprico aliquandiu relictis, beneficio aquæ ferventis, s. q. superaffusæ, extrahatur rubedo sanguinis instar, coquendo. Cui aquæ tinctæ, per inclinationem aut filtrationem separatæ, acetum destillatum inspergatur; & præcipitabitur *Pulvis* rubeus; qui *Sulphur fixum Antimonii*: quod repetitâ affusione aq. simpl. edulcorandum, ut ab omni salsedine liberetur; exsiccandum tandem, & ad usum asservandum. Vocatur *Sulphur Auratum Diaphoreticum*.

Medi-

Medicamentum est in Peste, aliisque morbis Malignis, ad sudorem propellendum, efficax. Cujus dosis scrupulus semis, ad scrupulum unum: in vehiculo convenienti propinando.

Solutio prædicta *Scoriarum*, antequam aceto præcipitatur, *remedium optimum est in ulceribus exedentibus, magnis, tibiarum & pedum sanandis: si singulis diebus, horâ unâ vel alterâ, pedes & crura exulcerata illi immergantur.* Mirum est, quàm viscosam materiam, veluti gluten, extrahat, ut etiam ligneo, vel ferreo, instrumento illud detergere, vel abradere, necessum sit: quod multoties effectu ipso, ac felici successu, comprobavi.

In Menstruis retentis, ex solutione hac, *lateribus calefactis aspersâ, fumus ab infra susceptus, præsens fert auxilium: potentiùs verò agitur, si illa uteri vaginæ syringe injiciatur.*

Regulus Antimonii per se, sine Additione.

Recipiatur *Antimonii Hungarici*, particulatim saltem contusi, libra una: quæ crucibulo immissa, suprà pulvere carbonum, ad quatuor vel quinque digitorum crassitiem, tegatur, & igni fusorio forti, ad dimidiam horam, vel ultra, tradatur. Postea remota ab igne, frigefiant omnia, &, fracto crucibulo, in medio scoriarum *Regulus* comparabit; qui à scoriis separandus. Scoriæ verò relictæ, & eodem modo, quo suprà, crucibulo novo injectæ, tectæque carbonum pulvere, ad horæ quadrantem igne forti fundendæ sunt. Quibus iterum frigefactis *Regulus*, qui apparebit, separandus. Scoriæ porrò tertiâ, ac quartâ, vice, eâdemque viâ, quâ suprà, pulvere carbonum super aspersо, fundendæ sunt; & *Regulus* semper separandus. Et sic ex unâ libra *Antimonii*, tres ferè partes, (si debitè saltem processeris) *Reguli* puri habebis: qui posthac simul in unam massam, vel *Regulum* (si lubet) fundendus; aut aliis laboribus accommodandus.

Flores, seu Lilium, Antimonii Paracelsi.

Primò in promptu sit Sublimatorium, ex terra forti (de quâ superiùs dictum est) factum; quod in imâ sui parte canalem habeat longum, sursum vergentem, per quem *Regulus Antimonii*, subtiliter tritus, pedetentim injici possit. Comparatum hoc Sublimatorium tradatur igni, in furno aptè concinnato, ne scilicet ignis superiorem Sublimatorii partem, neque ejus capitellum, foraminulo superiùs pervium superapponendum, lambere vel attingere possit. Candente pòst inferiùs vase sublimatorio, injiciatur de *Regulo* trito particula, per canalem, operculo suo protinùs obturandum, ut statim elevetur: quâ sublimata porrò particulâ, *Reguli* plus inspergatur: quod tamdiu continuandum, donec totus *Regulus* injectus, & in *Flores* sublimatus sit: qui ex capitello deinde studiosè colligendi, & adhuc semel (si ita lubet) sublimandi sunt: quo actu etiam elegantiores & præstantiores efficiuntur. Porrò hi *Flores*, sive *Lilium*, phialæ sat amplæ, superiùs Hermeticè claudendæ, immittantur, reverberenturque leniter in arena per ignis gradûs, donec in rubicundissimum Pulverem convertantur: è quo ulteriùs, cum spiritu vini tartarisato, Tinctura elicienda; quæ maceratione, aut circulatione, & abstractione ad competentem consistentiam, in præstantem *Antimonii Essentiam* tandem redigenda est: cujus virtutes facile cuique patebunt.

Flores Antimonii ex Crudo Antimonio, ut & Regulo.

Superiùs, in capite de *Saturno*, seu *Plumbo*, elegantem *Flores Saturni* parandi modum, unà cum Instrumento æri inciso, & expresso, edocui. In hoc instrumento & *Antimonii Flores*, sive ex crudo, sive *Regulo* ejus, non minùs dextrè sublimari possunt: immittendo nimirum *Antimonium*, vel ejus *Regulum*, bicornutæ illi retortæ suprà delineatæ; sine ullâ aliarum rerum admixtione, solo præmisso, à parte alterâ, recipiente, non arctè tamen agglutinato, ut spiraculum relinquatur. Et postquam omnia, (uti figura denotat) in furno accommodata, *Antimoniumque*, igne paulatim substrato, in retortâ prædictâ fusum fuerit; folliculo per rostrum, recipienti appositum, paulatim insuffletur; & illico *Flores Antimonii* ubertim, per canalem, in vas recipiens prorumpunt. Hoc tamdiu folle in-

insufflando continuandum, quoad omnes *Flores*, pro maximâ *Antimonii* parte, propulsi fuerint: qui tandem è recipiente eluendi, ac per repetitam sublimationem rectificandi sunt. Keslerus pag. 40. Cent. 1.

Crocus Metallorum.

HUjus præparatio videatur in *Anim. n. ad Pharmacop. August. p.* 461. & juxta ejus ductum (si lubet) paretur. Cùm verò hic *Crocus* medicamentum tanti ponderis non sit, ut in descriptione illius multùm moremur: ad alia, magis utilia, progrediendum fore, duxi.

Antimonium Diaphoreticum.

HUjus medicaminis plures invenies præparandi modos; qui tamen insigniter inter se discrepant: & nullus Authorum est, qui non proprium invenerit modum atque Processum; quorum Clariss. Schröderus non paucos descripsit; qui mihi haud arrident. Nec mirum est, si imperitus Pharmacopola, aut Chymicus, in similes incidat præscriptiones, & juxta earum modulamen præparationes suas moliatur, ut, pro medicamento salutari sudorifero, violentissimum & insaluberrimum pariat *Vomitorium*, vel ipsum *Deleterium*; præsertim quando paratum simile *Antimonium* diutius asservatur. Tunc enim pristinam, imò pejorem, magisque venenatam ipso crudo *Antimonio* induit naturam & qualitatem. Quâ de re superiùs, plurimis in locis, omnes, qui Medicinam faciunt, admonitos volui: ut in ejus usu valdè circumspecti sint, si de legitimâ ac dextrâ ejus præparatione, ac ætate, illis non satis constet. Et ne error imposterum facilè committatur, & quilibet, quò pedem securè figere possit, habeat; veram ac genuinam ejus præparationem, *in Animadv. præmissis, pag.* 464. cum omnibus suis manipulationibus & notis, clarè præscripsi: juxta quam si dextrè illud paratum fuerit; error tam facilè non irrumpet. Hùc igitur trahenda est.

Antimonium Diaphoreticum Solare, seu Auratum.

℞. Reguli Antimonii puriss. uncias duas,
Auri fini & puri drachmas duas.

Fundantur in crucibulo igne forti, & illico effundantur in mortarium calidum, ne cadat denuò Regulus. Hujus

Reguli nunc aurati, & subtiliter triti, unciis duabus circiter
adde
Nitri purissimi unciam unam,
Cremoris Tartari drachmas quinque.

Mixta hæc, & in pulverem redacta, detonent paulatim, (uti loquuntur Chymici) h. e. cochlear unum post aliud, hâc mixturâ plenum, prunæ vel crucibulo candenti inspergendo. Peractâ hâc primâ calcinatione, massa residuam in pulverem iterum, conterendo, redigatur, additisque illi porrò

Nitri purissimi unciâ unâ,
Cremoris Tartari unciâ semis,

denuò, uti priùs, detonent, sed in crucibulo jam candente, intra prunas collocato, paulatim etiam mixturam inspergendo. Et hæc recentium specierum, *Nitri* scilicet, & *Tartari*, ad massam residuam additio, ut & detonatio, seu calcinatio incrucibulo ignito & candente, tertiâ vice repetatur. Massa hinc residua, & in pulverem redacta, edulcoretur, sæpius affusâ tepidâ aquâ, quoad omnis auferatur salsedo: pulvis verò in fundo albus relictus, separatâ studiosè, per decantationem, aquâ salsâ, exsiccetur, ac, crucibulo immissus, tribus vel quatuor horis, igne aperto, moderatè calcinetur, ad majorem fixitatem, & vim sudoriferam & alexipharmacam ipsi conciliandam. Et sic efficitur *Pulvis subflavus elegans, Diaphoreticus & Cordialis, in Peste, Febribusque malignis præstans. Dosis à scrupulo semis, ad scrup. unum, & drachmam semis.*

Qui multitudine & pluralitate delectatur Processuum parandorum medicamentorum diaphoret. ex *Antimonio*, omnis generis & coloris; is adeat Clariss. Schröderum, qui, *Pharmacop. Med. Chym. lib.* 3. *cap.* 17. de *Antimonio*, innumeros ferè descripsit Processûs. Nos paucioribus, iisque salubrioribus, dextrè, cum omnibus manipulationibus, ac artificiosis præparationibus, ex lege artis præscriptis, contenti sumus; considerantes, quòd Medico Practico prudenti pauca, eaque vera & experta, sufficiant. Idcircò, missis his, ad alia, ex *Antimonio* describenda, transeo.

Oleum Antimonii Corrosivum, quod Butyrum vocant.

℞. Antimonii Hungarici subtiliter triti libram unam,

Mercur. sublimati corrosivi tantundem: Misceantur exactè in mortario vitreo, ac in aëre, vel aprico, aliquandiu relinquantur, quoad ab aëre attracto nonnihil humectentur: immittantur postmodum retortæ vitreæ lutatæ, &, præmisso recipiente vitro, vel ex arenâ, vel potiùs igne aperto, (ut ultimò urgentiori igne *Cinnabaris* sublimatio promoveatur) per gradûs destillentur, prodeunte oleo crasso, Butyri instar, quod in collo retortæ congelatur: idcirco carbonibus candentibus suppositis, ejus liquatio, seu stillatio in præpositum vitrum excipulum promovenda, ne omnia disrumpantur: augendo ignem ultimò, profectò priùs Oleo, seu Butyro, ut retorta per unam atque alteram horam candeat: & sublimabitur ad collum retortæ (quod largum sit) *Cinnabaris* rubicunda, firmiter illi adhærens, unà cum *Mercurio* etiam *vivo*. Peractâ destillatione & sublimatione *Cinnabaris*, Oleum à partibus heterogeneis, putà *Mercurio vivo*, cujus particula etiam cum butyro transit, separetur *Cinnabaris* nec non à vitro seu retorta fracta separatim colligatur, ac quod libet seorsim asservetur.

Cinnabaris Antimonii si pura, per se etiam *medicamentum est Diaphoreticum & Antepilepticum: aliquot granis pro dosi exhibitis.*

Notetur tamen, quòd, si *Oleum* magis clarum, ut & *Cinnabaris* magis pura, desideretur, loco crudi *Antimonii*, Regulus ejus, pro eorum destillatione, sit substituendus. Præterea & *Oleum*, seu *Butyrum*, semel destillatum, denuo vel per se; ut purius: vel etiam additâ *Cinnabari* propriâ; ut rubicundius, & præstantius à sulphure Antimonii reddatur, rectificari, ac in virtutibus suis exaltari potest. Nunc, quæ porrò, ex *Oleo* hoc corrosivo, medicamenta salutaria, ad usum internum, paranda sunt, ordine subsequentur.

Mercurius vitæ simplex & Correctus.

Accipe Olei, seu Butyri, prædicti Antimonii corrosivi q.v. cui Aq. simp. suff. q. & quidem largiter, superaffusâ, præcipitatur *Pulvis* albicans; qui ab aqua acida per filtrum & decantationem separandus, ac, repetitâ affusione aquæ, probè edulcorandus est & siccandus. Hic *Pulvisculus* etymo *Mercurii vitæ* venit, & iisdem ferè, cum *floribus Antimonii*, virtutibus prædìtus est: quemadmodum ex solo *Antimonio*, non verò ex *Mercurio*, ut vulgi opinio est, ortum ducit: quod ipsâ mechanicâ, & experientiâ comprobari potest. Etenim si is simpliciter saltem igni fusorio, in crucibulo, tradatur, illico in Vitrum diaphanum albescens abit & transmutatur: evidentissimo signo, ab *Antimonio* ejus esse genesin. Cæterùm violenter & potenter, cùm per superiora, tum inferiora, operatur, si intra corpus assumatur; sive per se, in substantia; sive vino infusus. Quapropter cautè ac circumspectè cum hoc simplici, & nondum *correcto*, *Mercurio vitæ* procedendum, isque non, nisi naturâ robustioribus, propinandus: ne *Mercurius vitæ* Mercurius Mortis evadat.

Corrigitur hic *Mercurius vitæ*, ut paulò mitiùs, & vel per inferiora tantùm, operetur, si cum dupla *Salis tosti* quantitate diu, multumque, super porphyrite, teratur, & levigetur; *sal* verò iterum, aquâ simplici sæpius affusâ, totaliter abluatur, & *Pulvisculus* remanens, probè edulcoratus, exsiccetur. Sicque vires suas emeticas, ac deleterias quasi qualitates, maximâ ex parte amittit; ut multò benigniùs ac securiùs imposterum operetur. Corrigitur præterea, & malignis suis qualitatibus privatur, à *sale Nitri:* si nimirum *salis Nitri* unciis tribus, in crucibulo, igne aperto, sed moderato, fusis, unciæ duæ circiter *Mercurii vitæ* pedetentim injiciantur, ac parum in igne detineantur: hinc elixiviato, vel eloto, *sale Nitri*, per repetitam aquæ simplicis affusionem, probè edulcoratus & exsiccatus *Pulvisculus* usui Medico asservetur: qui est *Mercurius vitæ correctus*.

Spiritus Vitrioli Philosophicus.

Ordine progredior: cùm medicamentum unum ex alio ducat originem, unusque labor ex alio emergat. Proinde cùm in præcipitatione antecedentis *Mercurii vitæ*, salia me-

diæ naturæ, *Mercurio*, tanquam magnete, in sublimatione ejus attracta, & in altum elevata, utpote sibi ferè similia, & Mercurialia, rursus aquâ affusâ separentur, & in aquam resolvantur: præstat, ut aquam illam, à dictis salibus imprægnatam, studiosè asservemus, & à copia aquæ simplicis, separemus; quòd fit modo sequenti: nimirum; omnis aqua, à præcipitatione & repetita edulcoratione *Mercurii vitæ*, sive per decantationem, sive per filtrum, separata, abstrahatur in alembico vitreo, quousque omnis humiditas, seu aqua elementaris, destillatione prolecta sit, & guttulæ subacidæ stillare & prodire percipiantur: & tunc vel ab ulteriore destillatione & abstractione cessandum, & residuus, in cucurbita, spiritus acidus asservandus; vel, mutato recipiente vitro, spiritus acidus seorsim excipiendus, & destillatione totaliter rectificandus est.

Egregias non solùm virtutes hic in Medicina spiritus obtinet, utpote *in Epilepsia infantum, & adultorum curanda, obstructionibus Hypochondriorum reserandis, & Febribus ardentibus extinguendis*; verùm etiam ad alios labores, tanquam menstruum singulare, utiliter usurpari potest.

Sulphur Antimonii ex Cinnabari.

Cinnabaris *Antimonii* in pulverem redacta, coquatur cum lixivio forti, ex Tartaro calcinato, & calce vivâ, in sartagine ferreâ, horis circiter tribus, vel quousque lixivium rubicundo imbuatur colore: tinctum decantetur, aliudque superaffundatur, & coquatur: quod tamdiu continuandum, quousque lixivium colore rubro non ampliùs imbuatur. *Tincturæ* omnes, dum adhuc calent, filtrentur, & in loco frigido quietè postea relinquantur, donec *Pulvis* rubicundus (qui verum *Antimonii sulphur*) fundum petierit: quod segregatâ aquositate, vel lixivio, per decantationem & filtrum, sæpiusque aquâ recenti affusâ, quousque omnis salsedo ablata sit, exsiccatum *Sulphur* tandem asservetur: uti & *Mercurius vivus*, qui in sartagine conspicietur, partim ex *Mercurio Antimonii*, partim ex *sublimato Mercurio* originem trahens, seorsim custodiendus est.

Diaphoreticum ex Sulphure Antimonii prædicto.

℞. Sulphuris Antimonii præscripti,
Reguli Antimonii Solaris, ana unciam unam,

Hæc in pulverem subtilem redacta, probeque mixta, immittantur retortæ vitreæ: quibus superaffundantur

Spiritûs, seu Olei, sulphuris per campanam facti,
vel etiam
Spiritûs Vitrioli dephlegmati, unciæ tres.

Digerantur calore leni septimanâ circiter unâ: postea abstrahatur spiritus totus; qui tamen reaffundendus & abstrahendus; & hoc vel secundâ, tertiavè vice repetendum est, augendo ultimò ignem, ut retorta horis X. circiter candeat. Massa in fundo relicta, & aquâ rosaceâ sæpius lota, usui asservetur: cui tamen (si lubet) Bezoar Orientalis veri, & Occidentalis, ana drachmæ duæ circiter admisceri possunt. *Sudoriferum est præstans: hinc in morbis venenatis & malignis, ubicunque sudore proliciendo opus, cum emolumento adhibetur.*

Panacea ex Antimonio, & ejus Butyro.

℞. Butyri Antimonii, à sua propria Cinnabari rectificati, uncias sex:

cui, immisso alembico vitreo, superaffundantur

Spiritûs Vini summè rectificati, & ab omni phlegmate penitus liberati, libræ tres, vel quatuor.

Misceantur exactè concutiendo, donec in coagulum album, cremoris lactis instar, convertantur; digerantur calore leni, in vitro bene clauso, diebus octo; singulis tamen diebus concutiendo: hinc in B. M. tota humiditas, seu spiritûs omnes, lenissimè abstrahantur, quandiu aliquid humidi transit, & in residuo *Pulvis* albicans, seu *Terra candida*, à Philosophis *Sancta* nuncupata, remaneat.

Huic

Huic porrò terræ, cucurbitæ vitreæ humili immissæ, affundatur

Spiritûs Vitrioli rectificati, & ab omni phlegmate liberati, q. s. ad trium digitorum transversorum supereminentiam.

Digerantur in arenâ, leni calore, unâ circiter septimanâ: agglutinato dein capitello, præmissoque vitro recipiente, evocetur tota humiditas, seu *Oleum Vitrioli*, quoad terra ignea essentificata, massæ instar, in residuo maneat. Hæc massa à fracto vitro studiosè separata, & in pulverem subtilem redacta, pro dimidia sui parte phialæ luto obductæ, relicto à latere phialæ speculo (uti Chymici loquuntur) ad explorandam mutationem colorum apparentium immittatur, & in arena, igne moderato continuo, paulatim tamen aucto, s. a. tamdiu assetur, quousque ab uno in alium colorem, tandem in rubicundum, mutata fuerit: & *erit medicamentum, ad diversorum morborum agmina profliganda, efficacissimum*. Keslerus.

Panacea alia ex Butyro Antimonii.

℞. Butyri, seu Olei, Antimonii corrosivi, à suâ Cinnabari semel rectificati, libram semis:

cui superaffundantur in cucurbita vitrea

Spiritûs vini summè rectificati libræ tres, vel quatuor.

Fiatque coagulum, sæpius agitando: digeratur pòst leni calore, duarum circiter septimanarum spatio, in vitro seu cucurbita satis alta, & probè clausa, quoad iterum in liquorem resolvatur. Hinc abstrahatur spiritus destillando ex cineribus, donec in residuo maneat *Pulvis* albissimus. Huic in fundo superstiti porro affundatur

Olei proprii, seu Butyri Antimonii resoluti, libra semis, seu unciæ sex:

quod iterum, peractâ digestione hebdomadali, in arena fortiter abstrahatur; idque bis tervè repetendo, quousque materia veluti fixa in residuo maneat: quæ porrò, phialæ inclusa, tamdiu in arena, igne satis intenso ac continuo, gradatim alternis diebus aucto, assetur & calcinetur, donec tota materia rubea fiat. Jam verò, ex hoc pulvere fixo & rubro, eliciatur *Tinctura* rubicundissima, cum spiritu proprio, in præcipitatione *Mercurii vitæ* acquisito, repetitis vicibus affuso, quousque spiritûs affusi rubedine non ampliùs inficiantur. Spiritûs tincti omnes ad mellaginem, seu liquorem crassum, in cineribus abstrahantur: residua autem *Tinctura*, ut magis subtilizetur, porrò cum spiritu vini summè rectificato & tartarizato extrahatur, repetitis vicibus spiritum affundendo, quoad coloretur. Spiritûs tandem tincti omnes ad liquorem crassum rubicundissimum abstrahantur; qui studiosè asservetur & custodiatur: vel, (si lubet) retortæ vitreæ parvæ immissus, igne arenæ in *Oleum* dulce, & rubicundissimum, destilletur.

Bezoardicum Minerale.

℞. Butyri Antimonii corrosivi uncias tres:

cui cucurbitæ vitreæ parvæ immisso affundatur

Spiritûs Nitri optimi tantum,

quousque *Oleum*, seu *Butyrum*, totaliter solutum fuerit, nec ulla, ex contrarietate spirituum, effervescentia vel ebullitio ampliùs percipiatur. Hinc in arena abstrahatur *spiritus Nitri* omnis ad siccitatem massæ albissimæ. Hæc è vitro recepta massa, ac super porphyrite probè trita, cucurbitæ parvæ denuo indatur, superaffundendo illi *spiritus Nitri* recentis ad supereminentiam duorum circiter digitorum transversorum, iterumque destillando abstrahatur: quod & tertiâ vice repetendum, augendo ignem ultimò, ut retorta veluti candeat; quoad omnes spiritûs expellantur. Massa residua albissima super porphyrite probè trita, ac crucibulo immissa, igne aperto per unam atque alteram horam leniter calcinetur, ac, in vitro probè clauso, usui asservetur.

Est medicamentum sudoriferum & alexipharmacum, in morbis venenatis & contagiosis summè proficuum ac salutare. Datur à scrupulo semis, ad scrupulum unum, & drachmam semis: modò legitimè fuerit paratum.

Sal Antimonii.

EX massa, quæ à destillatione *Butyri Antimonii* in retorta residua mansit, *sal Antimonii* elici potest; idque beneficio aceti destillati, cum *spiritu Nitri* paulisper acuati: & hoc eò feliciùs & citius, si dicta massa, in pulverem redacta, priùs bis tervè cum *sulphure* calcinetur, ad modum, uti chalybs cum sulphure conflagrat, pro vitriolo ejus parando, admiscendo qualibet vice sulphuris unciam unam semis, massæ Antimoniali libræ uni. Abstracto dein aceto destillato, post extractionem nimirum *salis*, remanet materia salina subflava, quâ cum aquâ simplici denuò solutâ, filtratâ, & ad cuticulam iterum solutione abstractâ, concrescant, in loco frigido, *Cristalli Salini*; qui diligenter asserventur.

Purgant lenissimè: Infantibus etiam exhibiti in vermibus, hydrope, aliisque morbis, ubi purificatione sanguinis opus est, salutares existunt.

Sal Antimonii ex Vitro, & Spiritus Vitrioli Antimonialis Purgans.

℞. Vitri Antimonii, sine additione ullâ, suprà, edocti, q. v.
cui in cucurbita vitrea parva superaffundatur
Spiritûs Vitrioli dephlegmati ad duorum digitorum transversorum supereminentiam.

Digerantur leni calore cinerum, diebus aliquot, quousque spiritus nigro imbuatur colore: qui per filtrum separandus, ac usui asservandus est. *Cujus dosis gut. v. vj. ad x. mundificant sanguinem, educunt tartareas & superfluas humiditates; uti etiam vermes: hinc & podagricis, ac vaga arthritide laborantibus, conducit.*

Ex residuo verò vitro, ab extractione relicto, *sal Antimonii* conficiatur, modo sequenti: nimirum; *Vitro* relicto admisceatur pars quarta sulphuris triti, & in patella terrea, super igne leni, calcinetur, continuò agitando spatulâ vel rudiculâ ferreâ, quousque sulphur totaliter conflagraverit. *Vitro* residuo, probè iterum trito, denuò sulphuris tantundem, seu quarta pars, admisceatur, eodemque modo, quo suprà, calcinetur: quæ calcinatio ter quatervè repetenda. Tandem ex *Vitro* hoc probè calcinato, cum s. q. aceti destillati, repetitis vicibus affusi, extrahatur *sal Antimonii*: acetum per destillationem abstrahatur ad siccitatem salis; qui porrò aquâ simplici aliquoties solvatur, filtretur, & in *Cristallos* reducatur. *Purgat leniter, & etiam gravidis & infantibus securè propinari potest, à gran. v. ad x.* Agricola.

Sulphur Antimonii.

DEstilletur primò *Aqua fortis* ex ana *Nitri* & *Aluminis*, admixtâ Boli, vel Aluminis calcinati, suff. q. sec. artem. Huic Aquæ forti pars quarta Salis communis admisceatur, ut in ea leni calore solvatur. Jam verò, accipe *Antimonii* pulverisati q. v. cui, alembico vitreo immisso, guttatim & pedetentim affundatur aqua prædicta Regia, ut solvatur, quantum nimirum solvi poterit. Solutio protinus decantetur, & filtretur (certas ob causas) cui statim, infusâ largâ quantitate aquæ simplicis calidæ, separabitur *Sulphur*; quod studiosè separandum, &, repetitis vicibus, aquâ simplici edulcorandum, ac usui asservandum est.

Sulphur Antimonii aliud.

℞. Antimonii Hungarici triti, vel, ejus loco,
Reguli Antimonii, libram unam:
cui affundatur pedetentim
Olei Tartari per deliquium facti tantundem, vel plus;

& super igne leni exsiccentur, quoad massa rubea remaneat. Massa hæc in pulverem subtilem redacta, coquatur in sartagine ferreâ, cum suff. q. lixivii fortis, repetitis vicibus, quousque rubedo in lixivio appareat. Tincto lixivio inspergatur acetum destillatum, ut præcipitetur *Pulvis* rubeus; qui ab omni salsedine, repetitâ aquæ simplicis affusione, liberetur, ac usui asservetur. Porrò: qui hoc, vel aliud, *Antimonii sulphur*, quocunque modo paratum, in præstantius medicamen ulteriùs elaborare vel redigere vo-

voluerit; id assequi valebit, affundendo illi spiritum, seu oleum, *Vitrioli* dephlegmatum: quod aliquoties ab eo abstrahatur, ad fixitatem *sulphuris*. Ex hoc *fixo sulphure Tinctura*, cum spiritu Vitrioli Philosophico, vel etiam cum spiritu Veneris, eliciatur; spiritùs tincti ad mellaginem abstrahantur: quibus abstractis, cum spiritu vini rectificato denuo *Essentia* rubicunda eliciatur; & abstractione etiam hujus, ad justam consistentiam reducatur *Essentia*, studiosè asservanda, ac usui Medico accommodanda.

Balsamum Antimonii.

℞. Sulphuris Antimonii, modo præcedenti, vel ex Cinnabari ejus, uti suprà, parati, unciam unam;
cui adde
Salis Tartari tantundem.

Misceantur exactè, super igne leni, in patella terrea. Huic mixturæ, cucurbitæ vitreæ immissæ, affundatur
Spiritûs Terebinthinæ ad duorum vel trium digitorum supereminentiam.

Digerantur leni calore cinerum, quousque *Spiritus* rubicundo imbuatur colore; qui effundendus, ac usui asservandus est. *Præstat in morbis Pectoris, exulcerationibus Pulmonum, aliarumque partium internarum læsionibus; à gutt. 6. ad x. & ultrà, sumptum.*

Tinctura, seu Essentia, Antimonii.

℞. Vitri Antimonii rubicundiss. sine additione parati, vel, quod melius,
Vitri Antimonii Solaris, sup. edocti, q. s.

Redigatur in *Pulverem* subtilem, & aliquoties cum spiritu Veneris, ex ære viridi destillato, humectetur, totiesque iterum in calore leni exsiccetur. Ex hoc vitro, porrò, cum s. q. prædicti spiritûs Veneris, repetitis vicibus affusi, eliciatur, leni calore, *Tinctura* rubicunda (in vitro satis alto, & probè clauso, ne spiritûs exhalent) quousque spiritûs tingantur. Hi spiritûs tincti omnes leni destillatione ab trahantur, ad remanentiam liquoris crassioris, sanguinis instar. Spiritus Veneris abstractus ad eosdem, & consimiles labores, & extractiones, asservetur, virtutibus suis haud diminutus. Liquor verò residuus *Antimonii*, sulphure solari plenus, aut imbutus, porrò cum Spiritu vini summè rectificato extrahatur, (quod in momento quasi contingit, quemadmodum spiritus vini, quamprimùm *Tincturæ* priori abstractæ affusus, illicò summâ rubedine inficitur, *Pulvisculus* nec non flavus, qui in primâ abstractione spiritûs Veneris, una cum liquore rubro remansit, potiori sui parte in spiritu vini resolvitur.) Abstracto denuo spiritu vini, ad remanentiam liquoris crassioris, remanet *Tinctura Antimonii* rubicundissima, sanguinis instar, quæ à *Pulvisculo* flavo subsidente separanda, & studiosè asservanda est. *Præstat in morbis chronicis & diuturnis: sanguinem, insensibiliter operando, purificat. In Epilepsia præterea, Paralysi, & Febribus diuturnis, summo cum fructu exhibetur.* *Pulvis* verò remanens flavus diligenter etiam asservetur. Hic Sulphuri Auri cognatus est. Namque si spiritus vini lenissimo balnei calore penitus à prædicta *Tincturâ* abstraheretur, Pulvisculus ille flavus rubescens in residuo maneret, iisdem, quibus *Tinctura* ipsa, *virtutibus pollens.* In spiritu vini resolubilis est, & *magnarum virium:* proinde tanquam præstans medicamentum asservandus. Quâ ratione autem præfata *Tinctura* Auro artificiosè jungenda; superiùs, *in cap. de Auro*, declaratum est.

Essentia Antimonii alia.

Accipe *Antimonium*, seu ejus *Mineram*; fundatur in crucibulo, igne forti, & in acetum, *spiritu Nitri* nonnihil acuatum, infundendo, extinguatur: acetum sit in ollâ satis largâ, operculo superiùs clausâ, foramine tamen pervio, per quod *Antimonium* infundi possit. Atque hæc *Antimonii* fusio, & extinctio in aceto, sæpius repetatur, quousque acetum rubicundissimo colore tinctum fit. Hoc peracto, abstrahatur illud in alembico vitreo, leniter destillando per cineres, donec ferè totum acetum transierit ad mellaginem, seu etiam massam duriusculam solidam residuam Huic massæ reli-

relictæ, seu residuæ, affundatur *spiritus Veneris*, ad duorum vel trium digitorum supereminentiam: extrahatur Tinctura rubicunda, repetitis vicibus spiritum affundendo, & decantando, quousque tota *Tinctura* extrahatur: Hinc spiritûs tincti omnes, in alembico vitreo, destillando ex cineribus, ad remanentiam liquoris crassi, abstrahantur; ex quo porrò cum spiritu vini summè rectificato, repetitâ ejus affusione, Tinctura elicienda; ac tandem & hoc spiritu vini ad remanentiam liquoris rubicundissimi abstracto, *Tinctura* relicta, magnarum virium, asservanda est.

Nota: Nonnulli relictam hanc, à prima abstractione aceti, materiam crassam, illicò retortæ vitreæ parvæ, immittere, & exinde, igne arenæ, liquorem rubicundum destillare præcipiunt. Existimem tamen, præstantiorem multò *Essentiam Antimonii* futuram, si crassa & fæculenta massa, ab abstractione aceti relicta, porrò cum spiritu Veneris, modo supra præscripto, extracta, nec non etiam cum spiritu vini subtilis reddita fuerit. Et hæc tandem, per retortam, in liquorem rubicundum, ex arena, destillari posset; aut, sine destillatione, usui Medico destinari.

Oleum, seu Essentia, Antimonii alia.

Accipe Mineræ Antimonii Hungarici, ex Aurifodinis erutæ, libram circiter unam: comminuatur saltem in particulas, seu frustula parva, ad instar fabarum, seu nucis avellanæ magnitudinem. Hoc modo confracta minera stratificetur s. a. in vase terreo forti, cum libris duabus *Vitrioli* probè purificati, & ad flavedinem calcinati: claudatur olla operculo; & in arena calcinentur, seu, (uti loquuntur) cementententur per gradûs ignis continui, spatio duarum septimanarum, igne gradatim aucto, quousque *Antimonii* particulæ rubefiant. Quo facto, separetur *Antimonium*, seu particulæ ejus, à *Vitriolo*, & in *Pulverem* subtilem, conterendo, redigantur. Huic calcinato & trito *Antimonio*, vitro alembico immisso, superaffundatur aceti destillati s. q. seu, quod longè melius, spiritus Veneris, ex ære viridi, vel etiam spiritus Vitrioli Philosoph. ad quatuor digitorum transversorum supereminentiam; lenique calore digerendo extrahatur *Tinctura*. Tinctus spiritus decantetur, & alius superaffundatur; qui si iterum tinctus appareat, auferatur: & tamdiu hæc actio continuetur, donec spiritus ultimò affusus rubedine non amplius tingatur. Tincti spiritûs omnes destillando ad liquorem crassum leniter abstrahantur. Liquor verò residuus cum spiritu vini rectificato puro superfuso denuò extrahatur, ejusque *Essentia* seu *Tinctura* eliciatur; ut eò magis subtilietur, & corpori humano approprietur, tanquam per vegetabile, spiritum nimirum Vini, naturæ nostræ amicum. Abstracto autem & hoc spiritu vini, ad remanentiam liquoris crassioris rubicundi, qui præstans est *Antimonii Essentia*, immittatur, prægressâ fermentatione diuturnâ, retortæ vitreæ, & ex arena, seu cineribus, destilletur in *Oleum*, seu *Liquorem*, rubicundum & pretiosum. Et *Antimonio* relicto & extracto, igne autem reverberii, sed leniter, priùs calcinato, extrahatur *sal Antimonii*, beneficio aceti destillati; qui iteratò cum aqua simplici solvatur, filtretur & clarificetur, ac ad crystallinam puritatem reducatur, tandemque Tincturæ suæ dextrè aduniatur: quod facilè beneficio spiritûs vini, aliquali circulatione, & tandem ejusdem spiritûs vini per M.B. leni abstractione, fieri poterit. Et sic pretiosa hæc *Tinctura* s. a. Spagyricam elaborata, meritò laudibus & encomiis extollenda est. Videatur de hac *Tinctura* Bas. Valent. *in addit. cap. de Antimonio*, & *cap. etiam seq. de Vitriolo*: item de *magno Mundi secreto, de Phalaja sua*, &c.

Essentia Antimonii Emetica.

℞. Flor. Antimonii alb. dextrè parat. uncias duas semis,
Tartari albi Veneti subtiliss. triti uncias quinque.

Coquantur cum s. q. aq. simpl. repetitis vicibus affusæ. Depletiones omnes filtratæ ad remanentiam unciarum sex leniter exhalent; quibus adde

Sacchari Canarii alb. uncias sex,

&, leniter iterum ebulliendo in patella terrea,

ad

ad *Syrupi* consistentiam reducantur. *Purgat per superiora & inferiora leniter; idcirco in febribus tertianis & quartanis, intermittentibus, diuturnis, hypochondriorum obstructionibus, nec non in mania & melancholia hypochondriaca, haud exigui est momenti. Dosis à drachma semis, ad drachmam unam, &, unam semis, in aquâ, vino, jusculo, aquâ laxativâ, aut quocunque alio vehiculo propinata.*

Mercurius Antimonii.

℞. Salis tartari probè purificati uncias tres,
Salis Armoniaci, probè purificati per repetitas solutiones, unciam unam semis,
Olei, seu Spiritûs, Salis drachm. sex; (cujus beneficio congreditur spiritus vini cum salibus)
Spiritûs vini rectificati uncias tres.

Mixta hæc in cucurbita parva, coagulentur; phlegmate saltem prodeunte, remanet sal alcali, facilè in aëre liquescens. Jam verò accipe

Salis hujus alcali jam edocti, &
Florum Antimonii, uti suprà, per bicipitem retortam, cum folle insufflando expulsorum, ana partes æqu.

Misceantur exactè, immittanturque vitreæ cucurbitæ: quibus superaffundatur

Liquoris Tartari (qui nimir. ex Tartaro & Nitro invicem detonarit, parati, & in cella resoluti) tantum, ut unum saltem digitum superemineat.

Putrefiant in M. B. calore leni, duarum vel trium septimanarum spatio. Hinc mixtura hæc cum scoriis ferri, & calce vivâ, singulis priùs tritis & cribratis, impastetur, & exinde massa efficiatur, quâ postmodum globuli efformentur, per retortam benè lutatam, igne aperto destillandi, quoad *Mercurius* in vas recipiens aquâ semiplenum, transeat & expellatur; qui studiosè asservandus.

Mercurium Antimonii alius parandi modus.

℞. Reguli Antimonii, sine ferro parati, libram unam,
Capitis mortui ex Tartaro, inferiùs edocendi,
Salis Tartari puri, &
Salis Armoniaci purificati, ana uncias quatuor.

His mixtis, & in pulverem redactis, atque cucurbitæ vitreæ immissis, affundantur

Aceti destillati puri, &
Urinæ hominis sani, vinum bibentis, ana q. s. ad duorum digitorum transversorum supereminentiam.

Vitro posteà optimè clauso, digerantur in M. B. per mensem circiter. Quâ peractâ digestione, recludatur vas, &, additis mixturæ huic

Capitis mortui ex Tartaro,
Scoriarum Ferri, &
Calcis vivæ, ana librâ unâ,

macerentur adhuc unâ vel alterâ septimanâ, & tandem, abstractâ priùs humiditate ad siccitatem massæ, seu pulveris, residuum pellatur per descensum in ollam aquâ semiplenam, in quam Mercurius, vi ignis superni detrusus, sese insinuare possit; qui tandem studiosè colligendus, lavandus, & ad usum asservandus est.

Nota, Caput mortuum Tartari illud est; si ex Tartaro puro & crudo saltem spiritûs per retortam destillando expellantur, oleo crasso in residuo relicto. Idem fere præstant cineres clavellati, qui sunt massa illa salis, seu Alkali, quæ ex Polonia fertur, confecta ex cineribus Ulmi, Fagi, & Quercuum, &c. vel alius sal Alkali, quicunque denique ille sit. Optimum autem omnium, pro hisce laboribus, illud est, quod ex fæcibus vini adusti calcinando paratur, Alcali.

Notetur præterea, de *Mercuriis corporum*; quòd *Argentum vivum vulgare*, etiamsi sit materia Auro & Argento proxima, temperamenti tamen est præter modum frigidi & humidi, atque adeò indefinitum, & longè magis

ab Argenti & Auri concoctione distat, quàm *Mercurius*, seu *Argentum vivum*, à reliquis metallis, aut *Antimonio* ipso, arte prolectum. Si igitur consilium foret, *Argentum vivum* vulgare in Argentum vel Aurum concoquere, vel maturare; necessum esset, illud priùs summè purgare, ac à nimia frigiditate & humiditate vindicare: alioqui enim concoctione nimium contumax esset. *Argentum vivum* verò *corporum*, vulgari magis est coctum; quin etiam inter se aliud alio magis aut minùs digestum est. Omnia tamen vi ignis vaporetenus feruntur sursum; alia celeriùs, quæ minùs cocta; alia tardiùs, vehementiorisque vi ignis, quæ magis decocta sunt. Atque hac de causa *Argentum vivum vulgare*, quod valde indefinitam habet humiditatem, omnium celerrimè fugatur ignis potentiâ. Nihil enim aliud moliuntur Argyropœiæ aut Chrysopœiæ periti, quàm ut reliquorum metallorum materia in materiam Auro & Argento proximum devergat; eaque à causa efficiente moveatur & perficiatur. Hanc enim proliciendi Argenti vivi methodum prisci hujus artis Professores silentio præterierunt, adeoque nec scriptis tradiderunt: & consultò quidem; cùm totius artis arcanum & aditus ad posteriora sit. Videatur Geberus, *pag.95*. de sublimatione Marcasitæ.

Et hæc haud exigua, de *Antimonio*, adscripta medicamenta mihi sufficere visa sunt. Nonnulla verò, quæ, *in Animadv. præmissis*, antea tradita sunt; utpote, *Catharticum universale*, *Essentia purgans, &c.* illa hùc referri possunt. Nunc verò, ut scriptionis operam contraham; B. L. qui fortè plura ex *Antimonio* desiderare posset, ad alios Authores ablegatum volo: Clarissimum videlicet Agricolam, Keslerum, Glauberum, & alios, hâc tamen additâ admonitione & consilio, ne omnibus ex tot, infinitisque processibus fidat, præsertim à Clarissimo Schrödero ex aliis iterum descriptis, partim ænigmaticè, partim verò tumultuosè ac incompletè; ut Oedipo maxima ex parte potiùs opus habeant, quàm ut ab expertissimo etiam Chymico, juxta tenorem traditum, elaborari possint. Satis igitur mirari nequeo, quòd vir tantæ doctrinæ tot inutilibus rebus, & processibus, à quolibet fumivendulo fortè communicatis, describendis operam suam occupare voluerit; quin chartæ, sibi, & posteris, pepercerit. Hæc revera, & similia, artem Chymicam minimè fulciunt, nec instruunt Tirones artis, sed quàm maximè omnia turbant & perturbant, artem ipsam ludibrio exponunt, & Tirones Chymiæ à veritate, lectione & laboribus utilium seducunt. Proinde parciores ut simus, in rebus publico donandis, conducibilius multò est, quàm ea, quæ non intelligimus, peregrinâ saltem fide acquisita, cursim describere; quibus cum multis, & mundo, imponitur, certo unitatis & fortunarum dispendio. Enimverò, quæ salutem vitamque mortalium respiciunt, citra ambages, & juveniles metaphoras, liberali stylo dictare competit; ne verborum, aut mysteriorum, ambiguitate tam Ægri, quàm Medentes, in transversum rapiantur. Veniam B. L. dabit de veritate liberè ac bonâ mente sentienti & dissertanti.

CAPUT IX.

DE VITRIOLO.

Vitriolum, seu *Calchantum*, *Atramentum sutorium*, præcipuum in Chymia subjectum est; ita, ut à nonnullis etiam pro altera columna præstantissimorum in eâ conficiendorum medicamentorum habeatur, metallis cognatum & proximum. A quibusdam *sal Mineralis*, & *Metallorum*, ast falsò, nuncupatur, eò, quòd corpus sit, tribus constans principiis, (uti ipsa metalla) *Sulphure* scilicet, *Sale*, *& Mer-*

& *Mercurio*; adeoque non uniforme, uti salia, quibus propriè salis etymon competit, corpus habens. Etenim si ipsam *Vitrioli* Substantiam, Naturam, Proprietates, & Qualitates, intimè consideremus; re ipsâ experiemur, illud à natura & proprietatibus salium quorumcunque, propriè sic dicendorum, tanquam corporum homogeneorum & uniformium, planè alienum esse. Constare autem *Vitriolum* ex tribus Chymicorum principiis, nullâ opus est demonstratione. Quemadmodum enim ad oculum patet, ac experientiâ quotidianâ elucet, cuncta metalla verè, & realiter, in *Vitriolum* resolvi, atque denuò in metalla, pristinam substantiam, ac Esse converti possunt. Si igitur metalla ex tribus Chymicorum principiis conflata sunt; necessariò & *Vitriolum*, in quod metallorum corpora resolvuntur, verè & realiter, secundum naturam & proprietates *Vitrioli nativi*, ex iisdem constare debet principiis; juxta *axioma* verissimum: *Rem quamlibet ex iisdem constare principiis, in quæ arte resolvitur.* Proindè, cùm *Vitriolum*, (quodcunque demum illud sit) in metallum convertibile, exclusis spiritibus acidis, sulphureis, nitrosis, salinis, &c. &, vice versâ, metalla cuncta, quædam totâ suâ substantiâ; quædam verò pro maximâ sui parte, in *Vitriolum* verè, beneficio spirituum acidorum, sive mineralium, sive vegetabilium, resolvantur: sequitur infalliibiliter, omne *Vitriolum* solutum esse metallum, sive ex uno, sive ex pluribus metallis, aut eorum principiis, rebusque aliis heterogeneis, in visceribus terræ, ope spirituum acidorum mineralium conflatum, & in aquam mineralem transmutatum sit. *Vitriolo* ergò nullo modo Salis, tanquam uniformis corporis, nomen competit: sed est corpus compositum, solutum nimirum metallum; quodcunque denique sit *Vitriolum*; quocunque etiam in loco effossum; sive ex aquis mineralibus coquendo paratum.

Hinc varia sunt *Vitrioli* genera & species, pro diversitate minerarum, & metallorum, è quibus originem ducunt, discrepantia. *Cæruleum*, Saphyri instar, præsertim Cypriense, Cupri & Auri soboles: *Viride*, Martis productum: *Album*, ex argenteis mineris primordia trahens: & intermixta plura, juxta species metallorum tincta, è quibus plus vel minus participant. Sic quoque *Saccharum Saturni*, *Plumbi* propriè *Vitriolum*, ipsumque Plumbum est solutum: quoniam in plumbum verum est convertibile: de quo plura *in Append. n. ad Animadv. sub tit. de diff. salium, in genere* præmissa sunt: quæ B. L. revolvat.

Usus Vitrioli varius est ac multiplex, Mechanicis notissimus: interno usui minimè destinatur. *Vitriolum* quidem *album*, emesin excitatum, intrò assumitur: priùs tamen repetitis solutionibus probè purificatum. *Martis Vitriolum*, *ex chalybe* arte paratum, crebro usui est, tanquam resolvens & deobstruens medicamentum. Quæ verò usui interno, ex *Vitriolo*, destinantur medicamenta, salutaria magis sunt, & in re Medica amplectenda. Opinione siquidem & suasu Paracelsi, integra medicamentorum officina ex illo foret construenda, ac si plurima in eo laterent arcana, quòd omnia metalla, eorumque principia, pro diversitate specierum Vitrioli, spiritualiter & virtualiter æquè, ac corporaliter, in eo stabulentur; & hoc quidem promiscuè, in communioribus Vitrioli speciebus: quemadmodum vix ullum *Vitriolum* reperitur *nativum*, aut *vulgare*, quod uni saltem metallo existentiæ suæ debeat primordia, quin & de aliis metallis & mineralibus nonnihil participet. Vereor autem, ne aliquando de mineralibus venenatâ qualitate præditis, utpote Arsenico, labem contrahat: ideò in eam facilè descenderim sententiam, consultissimum fore, ut, qui ex *Vitriolo* quopiam, vel *Martiali* viridi, aut *cæruleo* ex Venere, celebre quoddam medicamentum paraturus est, *Vitriolum* ad hoc *arte paratum*, beneficio *sulphuris*, aut sui spiritûs, sibi procuret: quamvis & *Cypriense Vitriolum*, quod de Auro participat; item *Hungaricum*, Aurifodinis proximum, & *Romanum*, sulphure Auri dives, suas mereantur laudes. Quemadmodum spiritûs, qui ex prænominatis *Vitrioli* speciebus destillando eliciuntur, pro maximâ licet sui parte spiritûs sint ipsius *sulphuris*; de virtute tamen & efficacia metallorum, peculiariter illis inhærentium, spiritualiter ac virtualiter, haud parum participant. Quapro-

pter omnes *Vitrioli*, ejuſque *ſpiritus*, peculiares operationes & virtutes metallis, eorumque principiis, potiùs adſcribendæ aut attribuendæ ſunt; non verò ſoli *Vitriolo*, ut Vitriolo, tanquam minerale eſſet à metallis naturâ ſuâ ſegregatum; ſed metallis in vitriolum ſolutis & converſis.

Quibus jam præmiſſis fundamentis, juris eſſet, & præſtaret quidem, ut ſtatim ad nonnullorum medicaminum, ex *Vitriolo*, deſcriptionem calamum dirigerem, & imprimis *Spiritum Vitrioli*; tanquam familiariſſimum medicamentum, ritè deſtillandum edocerem. Cùm autem varia adhuc reſtent, quæ, de *Vitrioli natura*, & *eſſe*, admonenda: idcirco & illa præmittenda, è re fore duxi. Advertant igitur inprimis illi, quorum intereſt, & qui Medicinam faciunt, quòd, uti haud exigua eſt ſpecierum *Vitrioli* differentia, ſecundum diverſitatem minerarum, ubi effodiuntur, & aquarum ac fontium mineralium, è quibus coquendo parantur: ita quoque ſpiritûs earum, aliavè medicamenta ex illis parata, in virtutibus ſuis ac qualitatibus omnino diſcrepare; adeoque veris conſentaneum eſſe rationibus, ipsâ atteſtante experientiâ; *Spiritum Vitrioli Martis* roborando hepati, ventriculo, & lieni, aperiendiſque obſtructionibus hypochondriorum. *Spiritum* verò *Vitrioli* cœrulei *Veneris*, ut & *Lunæ*, ſeu *Argenti*, aut *Solis*, cerebri ac cordi confortando magis conducere, & appropriatum eſſe: *Mixtum* verò, & *commune Vitriolum*, ejuſque *ſpiritus*, de pluribus participare metallis & mineralibus, (vereor, ne de arſenicalibus) ac ob id non ſemper eſſe admittendum. Proinde in electione *Vitrioli*, pro *ſpiritu* ejus deſtillando, aliâve medicamenta ex eo paranda, ad hunc vel illum affectum idonea, haud parum ſitum eſt: ideoque delectu opus; cùm omnes *Vitrioli* peculiares virtutes, (uti ſæpius innui) non à *Vitriolo*, ut Vitriolo, ſed à metallo, de quo *Vitriolum* participat, aut ex quo metallo arte paratum, certiſſimè promanent. Quapropter conſultum foret, quò magis de bonitate & puritate *Vitrioli* nobis conſtaret, adeoque etiam de medicamentis tranſcendentibus, ſeu inde emergentibus; ut ex ipſis metallis, beneficio ſulphuris, aut cujuſdam ſpiritûs benigni; *Vitriolum*, pro deſtillando ſpiritu, aut alio medicamento ex eo parando, aut huic vel illo morbo deſtinando, arte, & peculiariter, pararemus. Sic certò feliciori, in Medicina, & Praxi, ſucceſſu, ſimilibus uteremur medicamentis & ſpiritibus, quàm ſi ea nobis obtrudantur, quæ ab obvio quovis extemporaneo Chymico & fumivendulo, inter nemorum receſſus, & latibula, parantur; nullo habito delectu, ſive purum, aut impurum, ſit vitriolum; homogeneumne, an reliquis mineralibus inquinatum, quod deſtillationi applicatur. Verùm rei cardo totus in eo vertitur, ut levi pretio talia medicamenta divendi poſſint, & vitæ ac ſanitatis potiùs, quàm æris, fiat diſpendium. Taceo fraudes quæ ſubrepunt, dum *Vitriolum* adulterant, *Alumen*, ac *Nitrum*, ſubreptitiè illi admiſcendo, quo majorem copiam *Spiritus* nanciſcantur; ac laborem contrahant & compendifaciant. Nauci interim pendunt, ſalubris, an corroſivus, & cauſticus, ſit *Spiritus*, pravisvè qualitatibus infenſus: parum de rectificatione ſolliciti; confuſum chaos Apothecariis divendentes. Quæ quantopere Medicos incurios fallere ac decipere poſſint, judicet is, qui in re Medica & Chymia expertus eſt. Et hinc illæ lachrymæ, cur plurima medicamenta Spagyrica promiſſis haudquaquam reſpondent; & nobiliſſima etiam ars eapropter vulgi ludibrio indies exponitur. Quòd ſi verò metalla ipſa appropriatis ſuis menſtruis in *Vitriolum* reſolvamus, utpote Martem, Venerem, ac Lunam, id eſt, Chalybem, Cuprum, & Argentum, beneficio *ſulphuris*, debitâ ac dudum edoctâ calcinatione, aut ejuſdem ſpiritu: aurum verò ſpiritu ſalis legitimè deſtillato: ſtannum & plumbum aceto, ſpiritu vitrioli, aut ſalis, nonnihil acuato, & ex hoc denique qualicunque *Vitriolo* ſpiritum legitimè & artificiosè deſtillemus: tunc faciliori, profectò, viâ, methodo metallorum ſubtiliſſimas eſſentias in liquorem verè potabilem, & innocuum, redigerem valebimus. Nam tametſi non totum metallum, in *Vitriolum* ſuum reſolutum, ita volatilizatum ſit (quod probè novi) ut, in deſtillatione ejuſdem Vitrioli, in ſpiritum, pro maximâ ſui parte, cum ſpiritu deſtillando tranſeat, nec vel totum ei imprimatur

tur metallum, aut in ſpiritum reſolvatur: nihilominùs tamen virtutes quædam, & ſubtiliores metalli partes, ſpiritui huic arctiſſimè imprimuntur, virtualiter quidem, non materialiter aut corporaliter eique inſeparabiliter adhærent & connexæ manent: ut ob id haud exiguos effectûs in Medicina continuo & frequenti ejus uſu experiri liceat: & vel maximè, ſi cuilibet morboſo generi ſuus ex metallo appropriatus ſpiritus, ſive contrarietate pugnando, ſive ſimilitudine naturam roborando, conſervandoque, ſive obſtructiones reſolvendo, deſtinetur. Notum præterea eſt in occultiori Philoſophia verſatis Spagyris, quanta virtutum opulentia in metallis, & quidem in pauciori eorum quantitate, coarctata & implantata ſit; ſi à vinculis ſuis, quibus incluſa ſunt, liberentur, & in ſuam potabilitatem verè redigantur: ut etiam unum vel alterum granum, ſive guttula, hominem ad extrema deductum reficere, vel, continuato ejus uſu, à graviſſimis morbis (habito nimirum reſpectu morbi, & remedii, ex determinato metallo) vindicare poſſint.

Fontes Medicati ac *ſalubres*, qui, flante divino pneumate (ſpiritus enim Domini ferebatur ſuper aquas) ad multorum languentium ſolamen prorumpunt ubique, & ſcaturiunt, nutuque ac directione dextræ Dei illico è terra ebulliunt, annon primas medendi dotes ac qualitates à ſpirituoſa ac vaporoſa metallorum ſubſtantiâ, quâ ſubtiliſſimè tinguntur, derivant? Alluunt enim ejuſmodi fontes, ſubterraneis innumeris venis diſcreti, metallorum corpora, aut eorum volatilia adhuc principia; hæcque per minima ſeſe illis inſinuant; ſuaque ſigilla aquis ac fontibus imprimunt, turgenteſque ſpiritûs, viliori glebæ ac limo defixos, ſegregant, ac ſibi maritant.

Quod de *Fontibus medicatis* ac *ſalubribus* infero & aſſero; hoc & ad *Acidulas* optimo jure transferendum judico: aut afferant minùs creduli à congruo rationem diſparem, geneſin ac genealogiam aliam horum fontium, quàm quòd ſint Tincturæ quædam, & imprægnatus liquor, è quo mineralium ac metallorum virtus, natura, & craſis reſplendet: quæ quidem non corporatura ſua, aut materialiter illis inſunt, ſed potentiâ, virtualiter, ac impreſſivè. *Aquæ* præterea *Thermales* omnes, nunquid ex ſolis mineralibus, ſulphure quidem potiſſimum, exoriuntur? Annon potiſſimum metalla, per ſulphura & ſpiritûs ſuos in terrarum antris reſoluta (è quorum violentiâ reſolutione ingens illa efferveſcentia & calor exoritur: quod uſu quotidiano in Chymicis laboribus demonſtrari poteſt) illarum fervidarum aquarum unica & adæquata cauſa efficiens ſunt? At quis interim tam demens ſit, ut doceat, quòd *Aquis Medicatis*, *Acidulis*, & *Thermis*, entitativè, meterialiter, & corporaturâ ſuâ, metalla, ac mineralia inſint, eaſque conſtituant: adeò, ut, in earum analyſi ac reſolutione, ea dementia in individuo reſiliant ac ſuperſint, & (ut cum mechanicis loquar) manibus contrectari ac ponderari poſſint? Quanquam hoc dogma tam ſublime, ingenioſum, ne dicam, abſurdum non ſit, quin ſuum repererit Profeſſorem, aut Aſſeclam, Dom. ſcilicet Gabrielem Raphaelem Schmuzium à Poyſtorff, Medicum, quem honoris titulo commemoro. Hic pretioſus vir *in Commento ſuo, & abortivo fœtu, de Thermis Carolo Badenſibus* (ubi in Zwelferum, contra jus & fas, immemor Dei ac conſcientiæ, invehitur, ac pollutis & incircumciſis labiis, ore mendaciſſimo, verbis detractoriis, quamplurima effutit, ac confingit) hoc ſtupidum dogma viris ſapientiâ & praxi Chymicâ emeritis ultrò perſuadere attentat: eò, quòd lapidem Thermalem, trium librarum pondo, donoacceptum, & rigoroſo ſcrutinio commiſſum, ratione & manuum ſuarum proprio labore reſolverit, in eoque realiter inexiſtere deprehenderit,

Nitri uncias decem ſemis,
Squam. ferri uncias octo
Aluminis uncias quatuor ſemis,
Salis Nitri uncias quatuor,
Vitrioli uncias tres ſemis,
Stibii uncias duas ſemis,
Bituminis uncias tres,
Sulphuris unciam unam.

Quæ, rigoroſo calculo, & ad amuſſim, computata, uncias pendunt triginta ſeptem: Lapis autem ipſe, trium librarum pondo, continebat uncias triginta ſex. Adeoque Dn. Schmuzius,

divinâ Palladis arte, uno diverbio, omnes Philosophos confutavit; iisque graphycè demonstravit; *Totum distingui realiter à partibus constitutivis*; cùm tamen partes, factâ analysi & separatione, integrâ unciâ exsuperent totum, seu compositum; manifestâ hyperbole & grandiloquio. Hæc quasi per transennam, ac ad modum parergi, attigi, mi *Schmuzi*. Plura, eaque particularia, verissima tamen, reperies in Apologemate; quod neque desideranti quidem obtulit honorandus quidam Amicus meus, suppresso nomine, ac sub Anonymi schemate: quem si nosse ambias; utique non deerit: interim vel ex umbrâ corpus dimetire. Reperies interim, Dn. *Schmuzi*, illic locorum, quàm iniquus sis Christianus; quàm mordax ac lividus Thraso: eò, quòd virum probum, non lacessitus, ex insidiis præstolatus, circumveneris: quàm innocens, ac in cunis Philosophus sis; cujus primum in naturâ lallare, mentiri fuit, quot verba, tot figmenta proferentis. Deprehendes ibidem, quàm alienum ac dissonum à Physico sit, docere; mineralia realiter, substantificè, seu entitativè, *Thermis* ac *Lymphis* inesse: adeò quidem, ut, solutâ unione, ac beneficio destillationis, in prima entia, ac principia constitutiva pristina, realiter suscitari possint: prout præfixus Catalogus, aut elenchus, tuus contentorum Lapidis exhibet. Taceo, quòd partes integrantes ipsum compositum, post consumptivam destillationem, ignis torturam, ac exhalationis dispendium, superarint integrâ unciâ; factâ, sine dubio, partis ac unciæ unius naturali replicatione: prout è sententia *Dn. Schmuzii* consequitur. Plura denique ibi reperies, *Dn. Schmuzi*, quæ Zwelferi indemnitatem ac innocuum jus defendunt; & probrosam contrà licentiam tuam, ac petulantiam, vivis coloribus depingunt. Quare pluribus non immoror famoso schediasmati tuo refellendo; quod in *Tractatulo* tuo, *de Thermis Carolo-Badensibus*, ad Mundi totius valvas publicasti, *lymphatus detractor*: nec jure naturæ utor, par pari referendo. Hoc unum te, cum *Seneca*, hortor: *Alteri vivas benigniter, si & tibi vis vivere.* Nam probrosa oratio Echo dicitur, eosdem reddit, & reproducit, sonos. Speculum est, nulli parcens Thersiti; ac, ut *Grammatici* loquuntur, *interrogatio & responsio casu consentiunt.*

Ignoscat interim B. L. ex accidenti nonnihil devianti. Paucula enim hæc, pro parte innocentiæ meæ, & vindiciis, allegare volui: ne calumniator ac detractor hic obsequium se his Deo præstitisse arbitraretur, si ultrò conticuissem.

Prius igitur argumentum tractandum reassumo; spiritûs nimir. metallicos, qui non ampliùs in Ens, aut totum, è quo migrarunt, substantificè ac perfectè coalescere possunt; sed in spiritualitate suâ perseverant, donec, adventante, seu ambiente contrario, fermento aut spiritu lapidifico, in tertiam quandam substantiam commigrent ac desciscant. Veruntamen, dum sic Philosophor, B. L. nolim te sensu aliquo sinistro abripi; quasi existimem, totum metallum, in destillatione sui, arte parati, Vitrioli potabile fieri: minimè; sed quòd *spiritûs*, ex *Vitriolo* cujusque metalli eliciti, ejus virtutis ideam, ac signaturas metalli, non materialiter, seu corporaturâ, sed virtualiter, ac spirituali quodam sigillo, exprimant ac æmulentur, quæ saltem, per supradictos spiritûs acidos, metalla in Vitriolum resolventes (sulphuris nimirum, salis, & aceti, quibus metalla in vitriola resoluta sunt) tanquam per vehicula, in violentâ destillatione rapiuntur, & cum illis perpetuo fœderis nexu junctæ ac unitæ manent. Ut igitur *spiritum Vitrioli Antepilepticum*, cerebro & animalibus facultatibus roborandis, tibi compares; præstat, ex *Luna*, seu *Argento*, tum etiam ex *Venere*, *Vitriolum* priùs, beneficio sulphuris, legitimè parare; ex hoc porrò spiritum s. a. prolicere: qui tum reverà præpotentes Lunæ, aut Veneris, virtutes æmulabitur, ac in supradictis cerebri affectibus, & roborandâ facultate animali, haud parum præstabit. Et sic de aliis metallis, eorumque Vitriolis, ac destillatis exinde spiritibus, sentiendum est. Quibus sufficienter explanatis, hæc, quoad universalem, de Vitriolo, dilucidationem sat dicta sunto. Igitur ad particularia medicamenta, ex Vitriolo paranda, nunc transitum paro, quæ erunt sequentia, sed pauca: cùm ex universali hâc doctrina quibet expertus

pertus Medicus & Chymicus sibi plura, & vel ex quolibet metallo singularia, ac specifica, medicamenta comparare possit; modo, quo, sat clarè & perspicuè, in præmissis non solùm indigitavi, sed & ulteriùs proponam; ut de obscuritate, aut difficultate, nullus conqueri queat, ad amussim cuncta explicaturus.

Spiritus Vitrioli.

QUamvis plurimi Authores, in suis Tyrociniis, *spiritus Vitrioli* destillationem edocuerint; adeoque superfluum videri posset, scripta toties repetere velle, aut cramben bis coctam recoquere: nihilo tamen minùs, cùm haud pauca restent, circa legitimam hujus spiritûs destillandi normam admonenda; nec in hâc describenda operæ parcam; quin, quæ ab aliis omissa, scitu tamen necessaria sunt, heîc superaddam. Paretur igitur modo sequenti:

Eligatur primò *Vitriolum*, pro destillando ejus spiritu, *legitimum & purum*; quod (juxta superiorem admonitionem,) in fodinis metallorum salubrioribus enatum, aut ex earum aquis mineralibus vitriolatis coquendo paratum sit, halitu arsenicali non inquinatum. Inter quæ maximè *Hungaricum*, *viride*, & *cæruleum*, *Romanum*, vel etiam *Cyprium*, probatur. Aut, quò meliores & salubriores spiritûs, qui unius metalli naturam & proprietates solùm referant vel æmulentur, paremus, præstaret, ex *Marte*, seu *Chalybe*, tum etiam *Venere*, seu *Cupro*, *Vitriolum*, beneficio *sulphuris*, per calcinationem, (uti superius, suo loco, edoctum,) conficere: è quibus deinde spiritûs, longè salubriores communibus, legitimè destillandi.

Quodcunque igitur *Vitriolum* bonæ notæ in promptu sit; calcinetur illud priùs, vel super igne leni, in ollâ non vitreatâ, veluti coquendo, donec spissum & siccum evadat, in massam duram conglobatum, coloris cineritii flavescentis: vel retrò fornacem, tempore hyberno, quoad albescat, & in pulverem subtilem convertatur, totaque saltem humiditas elementaris leni cocturâ, aut calcinatione, exhalârit. Calcinationem *Vitrioli* in sole, tempore æstivo, pro spiritu destillando, non approbo. Quemadmodum enim *Sol* ex vegetabilibus, à radicibus suis evulsis; ita quoque cunctis aliis ferè volatilibus rebus, ipsi diu expositis, suas extrahit potiores virtutes, essentias, colores, & quidquid æthereæ, aut substantiæ volatilis, influis benignioribus astris, mitior natura iis contribuit, easque velut impraegnavit. Eapropter hâc calcinatione à Sole abstinendum esse puto.

Vitriolum nunc, suprà dicto modo, in ollâ ad duritiem, & cinereo-flavescentem colorem calcinatum, iterumque in pulverem redactum, retortæ terreæ, vel vitreæ, luto, superiùs etiam edocto, ex terra figulina, vitro, & silicibus tritis, parato, obductæ, vel terreæ Waltenburgicæ (quæ vasa vitri instar spiritûs continent, ac nequaquam permeare sinunt,) indatur, ad dimidias saltem illam implendo, & furno reverberii, seu igni aperto, s. a. accommodetur, claudaturque furnus in parte supernâ, foramine rotundo in medio saltem aperto servato, quò ignis retortam undique allambere & circumdare valeat. Hinc recipiente permagno, & largo collo, retortæ agglutinato; subdatur ignis primò admodum lenis; paulatim tamen, phlegmate prodeunte, per gradûs augeatur, & ad horas x. vel xii. continuetur, donec nimirum phlegma, guttatim prodiens, totum exstillarit, & nullæ ampliùs percipiantur guttulæ, nubeculis albicantibus, igne paulatim adaucto, prorumpentibus, ac totam retortam replentibus. Hæc destillatio per duos dies, & ultra, ultimò extremâ ignis violentiâ, ac omnia liquanda forent, continuetur, donec tota radicalis humiditas, spiritus & oleum, impropriè ita dictum, expulsa fuerint, neque prædictæ, in recipiente, nebulæ ampliùs appareant. Quo viso, ignis paulatim subtrahatur ac fatiscat, & vas recipiens cautè amoveatur, & quidem antequam omnia refrigerata sint; ne spiritûs, violentiâ ignis expulsi, à capite mortuo sitibundo, intra retortam residuo, attracti, retrocedant, ac illi denuò sese insinuent: quod certissimè futurum tibi persuaseris, me ipso, & experientiâ, teste.

Abſolutâ deſtillatione, *ſpiritus* ex recipiente, in alembicum, vel retortam vitream, transfuſus, in cineribus leni igne dephlegmetur, donec guttæ acidæ exſtillare percipiantur: hinc, aucto igne, expellantur nec non ſpiritûs acidi, donec oleum craſſum, rubicundum, acidiſſimum, in reſiduo maneat. Singula hæc ſeorſim aſſerventur, tum phlegma ſulphureum *Vitrioli*, tum ſpiritus, ac oleum magis concentratum in retorta reſiduum; quodlibet ſuo uſui deſtinandum: quorum virtutes non ſolum Medicis; verùm etiam Vulgo, patent ac notiſſimæ ſunt. Quòd ſi verò ex *Vitriolo* cujuſdam metalli, *arte facto*, ſpiritûs ſingulares fuerint deſtillati; quilibet prudens etiam Medicus illos morbis, quibus propriè deſtinati ſunt, accommodare noverit. Hoc tamen adhuc, quoad ſpiritûs hos, ex *Vitriolo* quodam *metallico*, *arte facto*, ſingulariter deſtillatos monendum eſſe duco: nimirum, neque abſtractionem phlegmatis, neque ſpirituum rectificationem, neceſſariam fore; eò, quòd phlegma ſpiritûs contineat ſulphureos, ſummè penetrantes, & non inutiles, quorum fugacitate & tenuitate ſpiritûs acidi, ſuo craſſiori oleo etiam juncti, penetrantiores ſunt, corpuſque faciliùs permeare, ad cerebrum etiam pertingere, & ad intima quæque corporis penetralia faciliùs pervenire poſſunt. Nec porrò exiſtimandum, ac ſi oleum magis fixum ac craſſum horum ſpirituum valde nocuum ſit aut corroſivum, & ſeparatum quid à ſpiritibus acidis *Vitrioli*; aut alterius conditionis, vel virtutis: neutiquam! Nihil enim aliud illud eſt, quàm acidus magis, & veluti concentratus, ſpiritus, impropriè oleum dictus; imò nobilior pars ſpiritûs, ſulphure & eſſentiâ metalli, è quo *Vitriolum* arte priùs paratum, dives & ditiſſima. Hanc igitur nobiliorem horum ſpirituum partem à reliquis ſeparare ſpiritibus magis volatilibus; nefas, ac inconſultum fore, judico. Nec eſt, ut ejus aciditatem vereamur, tanquam nocuum corroſivum: cùm & *ſpiritûs Vitrioli*, quicunque etiam illi ſint, licet rectificati, & à ſuo oleo per deſtillationem ſeparati; intrò tamen aſſumi neutiquam poſſint, niſi vehiculo qualicunque diluantur. Ita ergò & oleum hoc, ſive acidus magis & concentratus ſpiritus, non alias, nec peregrinas, aut malignas à ſpiritu, obtinet qualitates, niſi quòd magis potens ſit, pluri indigeat vehiculo, quo diluatur, & minori doſi ſit propinandus. Imò, (uti ſuprà aſſerui) propter tincturam, & ſulphur metalli, quo ipſo ſpiritu ditior eſt, potioribus etiam virtutibus gaudere, omnino cenſendum. Verùm hæc, de *ſpiritibus*, *ex artificiali Vitriolo* cujuſque metalli deſtillatis, non verò de quibuſcunque, à quolibet *Vitriolo*, rebus heterogeneis quandoque & malignis, inquinato, deſtillatis Vitrioli ſpiritibus, dicta ac confirmata ſunto.

Abſoluto nunc, & edocto, *Spiritu Vitrioli*, quomodo is ritè ac dextrè deſtillandus, reſtat, ut reſiduum à deſtillatione *Caput mortuum*, (ita dictum) ſeu *Colcothar*, pauliſper intueamur, ac perveſtigemus. Hoc igitur, & quod à deſtillatione *Vitrioli Martis* reſiduum, verus ejuſdem *Crocus adſtringens* eſt: ſi verò à *Vitriolo Veneris*, aut *Cupro*; *Crocus Veneris*, aſtringente pariter virtute præditus, appellari poteſt: à communi verò quodam Vitriolo, *Colcothar*, *terra Vitrioli*, & *Caput mortuum*, dici meretur; quamvis non vera ſit mortua terra. Nam ſi aëri, & aſtris, aliquandiu exponatur, quoad ſufficienter impraegnetur, ac denuò, uti priùs, violenter per retortam deſtilletur; idem ferè ſpiritus, qui antea, prolicietur. Propterea ſi terra illa, ex *Vitriolo Martis*, aut *Veneris*, à peracta deſtillatione reſidua, pro adſtringentibus Crocis vult aſſervari; neceſſum omnino eſt, ut ab omni aëre libero & humido, in vitro probè clauſo, aſſervetur & præſervetur. Secus enim, ſi, aëri expoſita, ſalinâ humiditate impragnetur, virtute omni adſtringente amiſsâ, contrariâ ei, & reſolvente, illico imbuetur. Hinc etiam quodcunque *Colcothar*, ſeu *Caput mortuum Vitrioli*, ita dictum, ſi, uti ſtudiosè præcepi, extremâ ignis torturâ, & violentiâ, uno atque altero die continuatâ, ejus ſpiritus & oleum per deſtillationem expulſa fuerint; omni ſale ſtatim à deſtillatione vacuum ac deſtitutum eſt, adeò quidem, ut, ſi illud protinus, peracta deſtillatione, aquæ cuidam immergatur, & coquatur, aut elixivietur; nulla prorſus ſalſedo exinde eliciatur, aut extrahi

trahi

trahi possit. Quapropter si ex capite vitrioli mortuo, protinùs à destillatione, salina quædam eliciatur substantia; signum est infallibile, *Vitriolum*, seu ejus *Caput mortuum*, spiritu suo, seu oleo magis fixo, & crasso, totaliter non esse privatum, nec omnia sufficienter in destillatione fuisse expulsa; sed remansisse portionem quandam *Vitrioli* adhuc integram, quæ, si extracta, ac veluti elixiviata fuerit beneficio aquæ simplicis, ac in salinam formam redacta, à vulgo pro sale Vitrioli habetur, *Gilla Theophrasti* dicta: *Vitrioli* tamen naturam, refert, &, tanquam violentum medicamentum Emeticum, non, nisi robustioribus naturâ hominibus, exhibendum in Officinis asservatur. Quod si verò id ipsum *Colcothar*, seu *Caput mortuum Vitrioli*, aëri libero, & astris, per unam alteramvè septimanam exponatur, à pluviis autem, & radiis solaribus arceatur; imprægnatur illud, & imbuitur, copioso sale, à Vitrioli autem naturâ, sapore, & virtute, planè alieno. De cujus natura & proprietatibus plura, *in Animadv. nostr. pag.* 387. *&* 411. item *in Append. ad Animadvers. pag.* 58. præmissa sunt; quæ B. L. revolvat.

De Oleo Vitrioli Dulci.

Haud ita levis quæstio potest oriri: num ex *Vitriolo communi* Oleum quoddam dulce, aut spiritus talis, absque tamen additione rerum heterogenearum, destillando elici possit? De quo ipse dubius, illud facilè asserere vix ausim: quamvis plures ab Authoribus hinc inde extent modi descripti, quomodo fieri illud queat, ac parandum sit. Utrum verò effectus respondeat promissis; fides sit penes Authores. Doctiss. *Helmont. in Tractat. Duum-viratûs*, modum quendam indigitare videtur laboriosissimum. Verùm quia ille, cum *Armoniaco sale*, & repetitâ spiritûs à capite suo mortuo cohobatione, (ne dicam destructione) peragitur; ob id etiam minimè arridet. Clariss. *Hartmannus* cum *urina puerorum*, & *ferri limatura*, hoc efficere conatur. Sed & hic rem acu, profectò, non tangit: siquidem *spiritu Vitrioli*, *sali urinæ volatili* juncto, contrarietate naturali, quà acida & salsa se mutuò destruunt, ambo, & spiritus Vitrioli, & sal urinæ, in aliud Ens transmutantur: *Spiritus* porrò *Vitrioli limaturam Martis* violenter aggreditur, solvendo & rodendo, ac non, nisi aliud efficit *Vitriolum*: adeoque *limatura ferri spiritum Vitrioli* verè *dulcem* reddere nequit: quin ipse in aliud quid transmutetur. Clariss. *Agricola*, *Tract. de Vitr. pag.* 327. *& seqq.* haud pauca etiam de *spiritu Vitrioli dulci*, ejusque virtute & proprietatibus, affert; ac tandem ejus parandi modum addit: qui præ aliis admittendus foret, si *sal Vitrioli*, quem hic Author ex Colcothar protinus à destillatione extrahere jubet, ex tali capite mortuo, quod, extremâ ignis violentiâ omni spiritu & oleo privatum, ac aëri & astris expositum, iterum imprægnatum fuisset, pro hoc labore & fine eliceretur. *Keslerus*, *Cent.* 3. *pag.* 32. item *Cent.* 4. *pag.* 62. & 67. diversos modos proponit; qui tamen omnes suas difficultates patiuntur, nec nodum solvunt. Clariss. prætera *Schröderus*, *suæ Pharm. Medico-Chymicæ lib.* 3. *cap.* 26. *pag.* 492. *& seqq.* plurimos *olei Vitrioli dulcis* processûs & modos inseruit; è quibus L. A. sibi eligat, quem ad rem suam esse arbitrabitur: quamvis & illi omnes etiam peregrinis & heterogeneis rebus admixtis, cum jactura & dispendio ipsius spiritûs, & defectione ab indole naturali, perficiantur. Quapropter cùm res ardua sit, ex hoc subjecto, seu *Vitriolo*, tale quid elicere, seu producere, quod à naturâ non habet, nec ipsi implantatum est: idcircò satius esse puto, hoc labore potiùs supersedere, quàm difficillima & impossibilia moliri, ac inutilia hâc de re scribere. Nihilo tamen minùs, si omnino *spiritus Vitrioli dulcis* desideretur; hunc, profectò, ex nullo alio subjecto, quàm ex *Vitriolo Martis*, *arte facto*, per calcinationem cum sulphure, adipiscemur. Is etenim *spiritus*, ex *Martis* nimirum *Vitriolo* legitimè destillatus, unà cum aciditate, quâ naturaliter gaudet, dulcedinem quandam refert maximè perceptibilem. Proinde si idem spiritus cùm proprio suo (superiùs edocto) *sale*, ex imprægnato nempe, ab astris, capite mortuo extracto, essentificatus, additaque particulâ spiritûs vini, aliquandiu circulatus fuerit; majori certò dulcedine;

& præstantioribus imbuetur virtutibus, & usui Medico inserviet. Interim quæ, *cap.* 4. *de Venere*, de hoc *Spiritu Vitrioli dulci* præmissa sunt, revolvantur.

Eodem planè modo multi invanum laborant, & irrito se torquent conatu, in apparando, seu destillando, *Spiritu Vitrioli viridi*; ac si magni quid in viridi delitesceret colore De quo tamen videantur Clariss. *Schröderus*, *cap.* 16. *pag.* 490. *Agricola*, Tract. *de Vitriolo pag.* 483. *Keslerus*, *Cent.* 1. *pag.* 51. at quorum processûs omnes experientiæ non respondent, sed valdè hallucinantur. Proinde supervacaneis his nil addo; sed potiùs ad alia transitum paro.

Spiritus Vitrioli Coagulatus.

℞. Salis Vitrioli, ex capite ejus mortuo summè calcinato, & ab astris impraegnato, legitimè extracti, uncias tres;
cui affundatur
Spiritûs Vitrioli rectificati tantundem,

&, in cucurbita vitrea, ex cineribus tota abstrahatur humiditas, destillando ad siccitatem salis. Residuo sali in cucurbita uncia una circiter recentis *spiritûs Vitrioli* superaffundatur, ac eodem modo, quo priùs, destillando superflua humiditas ad siccitatem salis abstrahatur: ac *sal* residuus, seu *spiritûs Vitrioli* coagulatus, repetitis solutionibus, filtrationibus, ac coagulationibus purificatus, in vitro probè clauso ad usum asservetur.

Moliuntur nonnulli aliam *spiritûs Vitrioli* coagulationem, cum parte æquali *salis Nitri* purissimi: abstrahendo nimirum spiritum, seu potiùs phlegma ejus aquosum, & ad *Nitri* siccitatem destillando; hinc aucto igne & continuato, donec *spiritûs Nitri* ignei, in forma vaporum rubicundissimorum, subsequantur, & vel totaliter expellantur, remanente spiritu acido *Vitrioli*, cum *Nitri* corpore, suo spiritu igneo privato. Nam cùm *spiritus Nitri* ignei volatiliores multò sint *spiritibus Vitrioli*; idcircò illi, (Nitri spiritûs) levi ignis pulsu hos (Vitrioli spiritûs) antevertunt, & naturali veluti instinctu aufugiunt. Virtutes, ut & dosis, hujus *coagulati spiritûs*, cùm notæ sint, ac cuilibet perspectæ; sicco transeo pede.

Spiritus Vitrioli Essentificatus.

Ejus præparatio, unà cùm virtutibus, & utendi modo, *in Append. præmissa ad Animadv. pag.* 46. edocta est; quæ hùc trahenda.

Clyssus Vitrioli, seu Spiritus Vitrioli Essentificatus.

℞. Vitrioli Hungarici viridis Martialis q. v.

Solvatur in aquâ simpl. filtretur, & iterum s. a. crystallizetur, fæcibus, seu Ochrâ, sive terrâ flavâ sulphureâ, separatâ: & hic labor, solvendo, filtrando, separando fæces *Vitrioli*, illudque denuò crystallizando, tertiùm repetatur. Tum *Vitriolum* hoc, probè purificatum, calcinetur in olla, super igne leni, ad medium inter flavum & rubrum colorem. Quo facto, solvatur porrò cùm s. q. aceti destillati, filtretur, & crystallizetur, idque tertiâ vice repetatur, donec fæces nullæ ampliùs conspiciantur; ac rursus in olla, super igne leni, ad flavedinem, seu siccitatem, calcinetur. Hoc deinde in pulverem redactum, immittatur retortæ vitreæ, ac, in arena destillando, expellatur ejus phlegma sulphureum, spiritûsque volatiliores quantum quidem in hoc ignis gradu fieri potest. Phlegma hoc, spiritûsque volatiles sulphurei prolecti, residuo in retorta Vitriolo semicalcinato, ac priùs iterum in pulverem trito, reaffundantur & restituantur. Quæ tandem juncta, & siccata, retortæ vitreæ, luto obductæ, denuo immissa, destillentur igne aperto, per gradùs aucto, ultimò violentissimo, perduos circiter dies continuando, donec omnes spiritûs ad extremum expulsi fuerint, qui asservandi. Relictum Caput mortuum aëri libero & astris exponatur, ut impraegnetur; è quo tandem sal candidus aëreus, beneficio aquæ simpl. extrahatur; qui etiam, repetitâ solutione, filtratione, & crystallizatione, probè purificetur. Jam verò recipe

Hujus salis aërei purificati uncias tres; cui affunde

Spiritûs proprii, superiùs asservati, uncias duodecim.

Digerantur, circulenturque deinde in phiala probè sigillata, calore moderato, per integrum mensem. Et evadet medicamentum nobile, per filtrum saltem clarificandum, ac in vitro probè clauso ad usum asservandum.

Præstat in paralysi, spasmo, palpitatione cordis: in tabe, & affectibus ventriculi corrigendis, summo est emolumento, à gut. vj. ad x. repetitis vicibus in convenientibus vehiculis exhibendo.

Essentia Vitrioli, seu Oleum, aut Liquor Vitrioli dulcis.

℞. *Vitriolum* ad rubedinem leniter calcinatum, vel *Caput mortuum Vitrioli*, ita dictum, à quo spiritûs volatiliores saltem expulsi fuerint, relicto oleo, vel spiritu, magis rubicundo & fixo, dicto in capite mortuo residuo, q.v.

Ex hoc, aliqualiter etiam in aëre impraegnato, capite mortuo extrahatur salsedo vitriolata, & essentia etiam Vitrioli, repetitâ aceti destillati affusione & decantatione, quousque sapor vitriolatus, seu salsedo, etiam in aceto extrahente, gustu percipiatur. Extractiones omnes filtratæ, in alembico, vitreo, balnei calore, destillando abstrahantur ad crassum liquorem & mellaginem; qui liquor residuus, addito sabulo, vel alumine usto, & ad extremum calcinato, retortæ vitreæ, luto obductæ, immittatur, ac igne aperto, gradatim aucto, in *Liquorem rubicundum* destilletur, & studiosè asservetur.

Præsens est remedium, in Calculo, Epilepsia, Hemicrania, Ulceribus internis abstergendis, & ad sanguinem purificandum, aptissimum. Dosis à gr. x. ad xx.

Essentia Vitrioli alia.

℞. Vitrioli Martialis, seu Hungarici, ad rubedinem calcinati, q. v.

cui affundatur *spiritus Vini* probè rectificatus; & extrahatur, digerendo moderato calore, *Vitrioli Essentia*, spiritum repetitis vicibus affundendo, & decantando, quousque neque sapor, nec color, in spiritu extrahente percipiatur. Extractiones omnes filtratæ, in M.B. per alembicum, aut cucurbitam, destillando abstrahantur, ad *Liquoris* crassioris remanentiam: qui porrò, addito *alumine usto*, & *extremè calcinato*, per retortam in Liquorem rubicundum, & dulcem destillandus est. *In affectibus superiùs denominatis efficax.*

Essentia Vitrioli alia.

Ex *Vitriolo Martiali*, seu *Hungarico* puro, ad flavedinem in olla f. a. calcinato, destilletur per optimè lutatam retortam, & igne aperto (ut artis est) *Spiritus* & *Oleum* ejus magis ponderosum: ultimò nimirum uno atque altero die igne violentissimo continuato: qui *Spiritus* interim studiosè asservetur. Ex capite hoc mortuo summè calcinato, & ab aëre & astris debitè impraegnato, eliciatur, beneficio aquæ simpl. *sal candidus aëreus*, omni Vitrioli sapore expers; qui, repetitis solutionibus, filtrationibus & coagulationibus, ad summam reducatur puritatem. Huic *sali* affundatur porrò, in vitro, seu cucurbita oblongâ, proprius destillatus & asservatus *spiritus*, pedetentim quidem, & per vices, illum instillando. Digerantur hinc, macerenturque calore balnei, vitro probè clauso, per duas circiter septimanas. Hinc retortæ vitreæ immissa, destillentur ex arena, igne ultimo violento, ut retorta candeat. *Liquor*, & *Spiritus*, destillando prolectus, ac cucurbitæ vitreæ immissus, in B.M. vel in cineribus, dephlegmetur, quousque residuus spiritus maximè rubicundus & crassus appareat; qui, in locum frigidum collocatus, spatio aliquot dierum crystallos ad fundum & latera cucurbitæ deponet. *Spiritus* residuus supernatans à crystallis separetur, & porrò in cineribus ad dimidias circiter abstrahatur: qui (*spiritus* abstractus) interim asservandus est. Cucurbita verò, cum residuo illi adhærente spiritu, in locum iterum frigidum, ad crystallizandum, collocetur. Crystalli à supernatante adhuc spiritu iterum separentur & asserventur; *spiritus* verò residuus porrò in ci-

neribus ad dimidias circiter abstrahatur, & frigidum in locum ad crystallizandum collocetur: quod toties repetendum, usque dum totus fere spiritus per cineres abstractus, & crystalli ejus collecti sint. Hi jam collecti crystalli, & ad summam puritatem, repetitâ solutione & coagulatione, redacti, immittantur iterum cucurbitæ vitreæ, & superaffundatur iis successivè & pedetentim spiritus proprius, in crystallizatione repetitâ abstractus; item spiritus vini summè rectificati dimidium circiter, respectu proprii *spiritûs Vitrioli*. Digerantur postea, & calore leni circulentur, in phiala alta, satis ac probè clausâ, duarum circiter septimanarum spatio, donec omnia debitè unita, & in *Liquorem rubicundum* conversa sint: qui, tanquam præstans *Vitrioli Essentia*, studiosè asservanda.

Epilepsiæ, *Maniæ*, *Melancholiæ hypochondriacæ*, *Vertigini*, *Podagræ*, *aliisque Morbis chronicis & radicatis medendis efficax est. Dosis à gut. x. ad gr. xx.*

Nota: si ex verò *Martis Vitriolo*, arte facto, *Essentiam* dictam, juxta præfatam normam apparaveris; præstantior illa erit, & meritò *Martis*, seu *Chalybis*, *Essentia* dici meretur. Eâdem ratione & methodo observatâ, tum ex *Luna*, seu *Argento*, tum etiam ex *Venere*, præstantissima confici possunt medicamenta, determinatis morbis accommodanda: modo assidui & industrii simus, nec manum contrahamus, levibus territi expensis; qui aliàs, in rebus parandis erroneis, ac apocryphis processibus, prodigi sumus & hospitales.

Sulphur Vitrioli Anodynum.

℞. Vitrioli Martialis, seu Hungarici, optim. libram unam.

Solvatur in s. q. aq. simpl. solutio filtretur & asservetur: postea cum hac *aqua Vitriolata* sæpius laminæ ferreæ, vel etiam limatura Martis pura, humectentur, & toties leni calore iterum exsiccentur, usque dum in massam rubicundam conversa sint. Nunc huic in pulverem tritæ massæ superaffundatur aceti destillati q. s. ad quinque digitorum supereminentiam, in vitro satis largo & magno; digerantur calore satis intenso, quousque acetum tingatur; quod, dum adhuc calet, effundendum, & aliud superaffundendum; idque sæpius repetendum, donec acetum affusum nullâ amplius rubedine tingatur. Porrò solutionibus, seu aceto tincto, instilletur Oleum tartari guttatim, & præcipitabitur *Sulphur Vitrioli* instar pulveris flavi: quod per residentiam & decantationem, seu inclinationem liquoris supernatantis, vel etiam per filtrum, & chartam emporeticam, separatum, aquâ tepidâ sæpiùs affusâ probè edulcoretur, quousque nullus sapor aut acrimonia sive à sale, sive aceto, vel à vitriolo, ampliùs percipiatur. Exsiccetur hinc, & phialæ inclusum, in arena nonnihil ad rubedinem calcinetur: quod brevi fiet, & efficietur. Et hoc est *Sulphur Vitrioli anodynum* dictum: ex quo porrò, cum spiritu vini, ac beneficio salis tartari, vel etiam cum spiritu Veneris, *Essentia*, & nobile medicamentum apparandum venit. Quòd si verò *Sulphur Vitrioli*, aut etiam *Martis*, seu *Chalybis*, inflammabile desideretur; accipiatur loco Vitrioli vulgaris, *Vitriolum Martis, arte paratum*; quod itidem solutum, & Martis laminis, seu limaturæ, affusum, cum iis sæpius exsiccetur. Hinc acetum huic massæ sæpius affundatur, donec omnis rubedo extracta sit: quod tinctum acetum sine præcipitatione per B. M. ex parte evaporet; & præcipitabitur per se *Pulvisculus*, seu *Sulphur flavescens*, quod, aquâ simplici sæpius affusa, ab omni vitrioli & aceti acrimoniâ liberatum, exsiccetur, ac, phialæ inclusum, leniter calore arenæ ad rubedinem calcinetur.

Notetur; quod non minus ex *Ferro*, seu *Chalybe*, in ejusdem *Vitrioli* confectione, sed cum *spiritu Vitrioli*, *Sulphur* inflammabile facili negotio apparari possit; nimirum ex residua materia nigricante & fœtidâ, exsiccando hanc nigram glebam; quæ postea aut per se, vel addito sale quodam, sublimanda. *Keslerus.*

His ad calcem perductis, habes, A. L. ex substratâ *Vitrioli* materiâ pauca, nec tamen ubivis obvia, remedia, juxta naturæ & artis leges ad amussim dispensata. In horum communicatione, omni amphibologiâ & ambagibus

bus abstinens, amicæ sinceritati & candori studui: prout legenti obvium fiet. Quo quidem in negotio cæteris Authoribus palmam non cedo, qui vel obscura tradunt, vel diminuta edunt, vel confusè docent; ut in tanta rerum farragine meritò lector anceps & perplexus hæreat, cui manipulationi fides tandem debeatur. Quâ in re multum Clarissimus Schröderus cespitavit; qui, corradendo inutiles prorsus processus, tempus inaniter trivit, ac Tirones seduxit; dum in fallacibus hisce processibus elaborandis sumptus & operam lusêre. Proinde delectu opus est, nec, quis scripserit, sed quâ arte, & methodo tradita fiunt, & an verba factis conciliari possint, sedulò prospiciendum. Verùm quis aliquando Sirenibus vel unam saltem aurem non reserat: cùm Argi lumina vel centum dulce sopore gravi tumularit modulamen? Tam enim speciosos titulos, magnifica verba, & suaves pollicitationes, captiosis processibus suis appingunt, ut vel consummatos Chymicos in consensum trahant, & erroris consortium. Hujus genii *Vulpecula* nuper prodiit, quæ Salis Viperini novissimi antiquissima (nugacissima, profectò) fundamenta, præterito edidit anno; in quibus, præter fastuosa promissa, & temerarias hyperboles, ne micam veritatis reperias. Amice Lector: *fœnum in cornu-gestat: niger est: hunc tu, Romane, caveto.*

CAPUT X.

DE SULPHURE.

Sulphur, singulare & admirandum naturæ productum & minerale est. A priscis naturæ indagatoribus & Sapientibus nomen, τὸ Θεῖον, meruit. Tantæ in operando virtutis & energiæ est, ut ejus activitatem nihil remoretur, terra contremiscat, orbique subterraneo dominetur. Docuerunt hoc nos multarum Civitatum, Castellorum, ne dicam, Regionum, funestâ catastrophe actæ tragœdiæ; quæ hoc Vulcano abolitæ, subversæ, &, hiante ad centrum Universitatis quasi terrâ & abysso, absorpte sunt. Fumant etiamnum Vesuvii ac Ætnæ funesti apices, subjectisque incolis climactericos minitantur annos, periodica incendia, sulphureosque torrentes, latè omnia populantes. Plura, eaque particularia, ac verissima, refert de his R. P. Athanasius Kircherus, universalis Ingenii ac Talenti vir, Scriptorum decus, *in Mundo Subterraneo, secundo præfat. sua cap.* Interim totus terrarum orbis *Sulphure* abundat, plus tamen in hoc, quàm illo, loco conspicuo: quod *Thermæ sulphureæ* ferè innumeræ, quæ omnes, pro maxima sui parte, ex *Sulphure* subterraneo accenso constant, & ortum ducunt, cujus odorem etiam spirant, & montium ardentium, sulphurearumque fossarum, multitudo demonstrat. A Priscis & Neotericis Philosophis, *Sulphur Terræ pinguedo, Adeps, Resina, & Oleum*, quibus nimirum homogeneum, & suo modo correspondet, definitur. *Constat* illud, ut eidem Doctissimo Kirchero placet, *ex quatuor differentibus substantiis, sive Elementis: Igne, Aëre, Aquâ, & Terrâ.* Meâ interim sententiâ, *Sulphur*, pro maximâ sui parte, ignis concretus, subterraneus, & terrestris est, ac ita definiendum, cui suas Natura habenas, limites, ac repagula objecit terrestriores partes, ne in actum mox & apertum incendium erumpere possit, nisi ab elementari quodam, aut actuali igne à vinculis solutum actuetur. Interim sub vilioris terræ glebæ forma, igneas virtutes, ac æthereas actiones, producit, utpote, siccando humidiora, & laxa adstringendo, depurando impura, congregando homogenea, glutinando & uniendo, fracedini, & putredini è diametro, tum curativè, tum præservativè, adversando. Quòd autem hæc mea asser-

tio suo nitatur fundamento, constat ex destillatione ejus *Spiritûs acidi per campanam.* Nam vix, ac ne vix quidem, ex integrâ librâ *Sulphuris* uncia una, vel uncia una semis, dicti *spiritûs*, quacunque artificiosa manu aut industria ejus destillatio instituatur, elici potest: residuum verò, quod remanet, terrestreitatis tam exiguum est, ut ex pondere multarum librarum conflagrantis *Sulphuris* vix tantum terræ residuæ à conflagratione ejus restet, ut drachma una vel altera salis elici possit; reliquum verò totum *sulphuris* in igneum chaos & elementum transferatur, & per aëra dispergatur. Hanc sententiam etiam confirmo ex præfato Doctiss. & profundissimo Philosopho, Kirchero, qui ipsum *Sulphur* pariter *Ignem naturæ esse invisibilem*, sapientissimè asserit. Quâ ratione verò *sulphur* principium rerum naturalium, præcipuè metallorum & mineralium; dici & esse possit, & quo modo ad generationem rerum omnium sublunarium concurrat; quot modis *sulphur* fiat, & generetur; quibus in locis; species ac differentiæ ejus: hæc cuncta idem Doctissimus Kircherus, loco suprà citato, *libr.* nimirum 9. *sect.* 3. *pag.* 146. item *lib.* 11. *sect.* 2. *pag.* 252. egregiè ac doctrinaliter explicat & explanat: quò B. L. ut scriptionis vela contraham, ablegatum velim. Interim ad specialia quædam *medicamenta ex sulphure* dextrè describenda me convertam, & sequentia pauca hîc adstruam.

Purificatio Sulphuris.

SVlphur crudum diversimodè ab insito, nimioque fœtore, ac impuritate, purificatur. Nonnulli enim per *spiritum vini*: alii *beneficio Ceræ*, terrestreitatem & fœtorem illi adimunt: alii per *sublimationem*, & *rarefactionem* illud subtilius reddere autumant: item alii cum *urina puerorum*, & *aceto destillato*, aut *lixivio*, *sulphur* sæpius coquendo, ad albedinem perducunt: iterum alii cum *aqua calcis vivæ sulphur* tritum sæpius coquendo & despumando, segregata aliquoties calcis vivæ aquâ, aliaque superaffusâ, ad tantam puritatem, albedinem, & liquabilitatem illud perducunt, ut omni fœtore expers, instar ceræ super igne lenissimo liquetur. Quæ purificatio, ut, ratione calcis vivæ, peculiares suas habet causas, de quibus alibi plura disserui; ita etiam præ omnibus amplectenda.

Ut autem B. L. modos supradictos, quibus *sulphur* purificare nituntur, clarè perspiciat: ordine omnes hîc sistam. Cum *spiritu vini* taliter procedant:

Sulphur flavum liquefacito in patellâ terreâ, super igne leni, ne accendatur: liquefactum projiciatur in *spiritum vini*, à quo iterum separetur & siccetur: qui labor secundâ, tertiâ, ac quartâ vice repetatur, quousque *sulphur* omnem fœtorem in spiritum vini deposuerit: quod, à spiritu vini segregatum, ad celebriora medicamenta conficienda asservandum.

Cum *Cera* verò tali modo procedatur: Accipiantur *Ceræ flavæ*, & *sulphuris* crudi pulv. ana partes æquales: liquefiant in patella terreâ lenissimo igne (cavendo tamen, ne *sulphur* accendatur) & in aquam calidam projiciantur. Sic *sulphur* à *Cera* separatur, & fundum petit, *Cerâ* supernatante, fœtore ac impuritate à sulphure plenâ. Hic tamen labor (si lubet) repetendus secundò, donec *sulphur* omnem suam in *Ceram* deposuerit immunditiem. Et sic ad ulteriores usus perfectum habebis.

Tandem *per sublimationem*, & quidem sæpius *repetitam*, vulgari Chymicorum more, plurimi *sulphur* subtilius ac purius efficere conantur (an benè, vel malè, ex sequentibus patebit) nimirum admiscendo eiden talia, quæ liquefactionem ejus impediant: inter quæ, nonnulli *Colcothar*, seu *Caput mortuum Vitrioli*; alii verò, & quidem prudentiores, *salem communem*, vel *gemmæ, decrepitatum, sulphuri* adjungunt, & commiscent, quò minùs in actu sublimationis, levi ignis impulsu, in unam confluat massam, & liquetur, aut, igne etiam concepto, Flores suos eructare planè recuset. Et verò sciendum, quòd inter illa, quæ sulphuri communiter, pro sublimatione, junguntur, *sal communis*, seu *gemmæ*, decrepitatus præ cæteris præstet; vel etiam *alumen probè ustum & calcinatum*. Et hæc quidem non aliam ob causam addenda veniunt, nisi ad

ad impediendam tum promptam sulphuris liquationem, tum pronam etiam inflammabilitatem; non verò, quòd singulares, ab adjectis, virtutes sibi alloiare necessum habeat. Quamvis non negarim, plus virtutis ab uno, quàm ab alio, horum admiscendorum *sulphuri* accedere posse: vel saltem, quò feliciùs sublimatio à rebus magis congruis admiscendis succedat, ac major copia florum juxta admiscendorum homogeneitatem accedat. Totus hujus rei, seu sublimationis, cardo in eo vertitur, ut tale quid *sulphuri*, pro ejus sublimatione, adjungamus, quod illi de virtutibus suis, ac energia, ne quicquam detrahere, vel etiam ex parte destruere valeat: nec etiam tale subjectum, in quod *sulphur* ipsum, suo nimirum spiritu acido, agere, adeoque vi adjecti dissipari, aut in aliud aliquid transmutari possit; quò minus consequenter *Flores* eleventur.

Verùm enim verò, quæ de sublimatione *sulphuris* in genere, quibuscunque etiam additamentis, & quàm artificiosè illa fiat, habenda sint; ingenuè aperiam.

Communiter, & juxta opinionem etiam Clarissimorum Virorum, ac Chymicorum, *Flores Sulphuris* plerunque crudo ac vulgari *sulphuri* in Medicina anteponuntur, & pro *sulphure*, à terrestribus suis recrementis purgato, unanimi consensu proclamantur. His tamen non obstantibus, si rem exactiùs pensitemus; negandum non est, quin haud pauca *sulphuri*, in ejus sublimatione, quanta quanta illa sit, decedant, ac in residuo maneant, saleque suo, veluti nativo maximâ ex parte privetur: ut in eam facilè descenderim sententiam, (salvo tamen aliorum rectiùs sentientium judicio) *sulphur crudum* & *purum*, &, si in promptu sit, & haberi possit, *nativum*, transparens, & purissimum, majoris fore efficaciæ ac energiæ, pro aliis etiam salubrioribus medicamentis ex eo conficiendis, quàm sint ipsi *Flores*, multoties repetitâ sublimatione elevati. Sic Antiquitas & Primores nostri, ut & nunc Calones ac plebecula, majores, profectò, in *sulphure crudo* experti sunt, & indies experiuntur, virtutes, quàm in ipsis *Floribus* obviæ deprehenduntur: & hoc quidem ob causas jam prædictas, privationem sc. rerum non inutilium, quæ natura provida *sulphuri* implantavit; &, citra virium ejus jacturam, omnino separari nequeunt.

Porrò disquirendum est: quòd si *sulphur* omnino sit sublimandum; quænam, pro ejus sublimatione, legitimè addenda, quò minùs *Sulphur* ipsum labefactetur, & ab indole sua deflectat, aut peregrinas ab admixtis induat contrahatque qualitates.

Clarissimus Quercetanus, Schrôderus, ac plures alii, Chymiam professi, *sulphuri*, pro sublimatione, frequenter *Colcothar*, seu *Caput mortuum Vitrioli*, addere consuevêre: an bene, vel perperam; ex fundamento disquirendum est.

Colcothar, seu *Vitriolum calcinatum*, (meritò etiam metallum calcinatum, cujuscunque quoque generis & speciei sit, scoriis quidem maximè refertum, dixeris) si hoc verum, uti verissimum, & mechanicâ ipsâ comprobari potest, reductione nimirum vitrioli, in pristinum Esse & metallum redit. Quidnî igitur sulphur, in ipsâ sublimatione (ubi, licet non æquè potenter, ac si accendatur, agat; suos tamen quodammodo eructat acidos spiritûs) metalla illa calcinata, & mineralia, quæ occultè in colcothare, seu vitriolo calcinato adhuc latent, aggrediatur & solvat; prout aliàs accensum sulphur metalla quædam rodere, ac dissolvere solet; atque ita agendo patiatur, & ex parte destruatur; quò minùs in altum elevari possit, & sublimari? Proindeeò omnino respiciendum est, ut talia *sulphuri* pro sublimatione ejus admisceamus, in quæ *sulphur* ipsum non agere, nec reactione admixtorum pati, atque majori ex parte dissipari & destrui possit. Et talia erunt *sal communis*, seu *gemmæ*, *decrepitatus*: item *alumen probè calcinatum*, excluso penitus capite mortuo, seu vitriolo calcinato: quorum salium nimirum admixtione, aut aluminis calcinati, plus duplo *Florum sulphuris*, & quidem elegantiorum, nanciscemur, quàm si colcothar, vel etiam sabulum, pro sublimatione sulphuri fuisset adjectum. Quapropter si *sulphur* omnino sublimandum, ea studiosè arceantur, quæ sulphuri ac sublimationi ejus refragari, & ne quicquam virtutis contribuere possunt, utpote

pote colcothar, sabulum, &c. *Sal* verò *decrepitatus* à cujus spiritibus sulphur ipsum in viribus suis magis intenditur, ei potiùs ad misceatur.

Sublimatio tandem ipsa *sulphuris* quâ ratione legitimè instituenda, sylvarum accolis, ac inter nemorum recessus degentibus, pyrotechnitis gregariis, à quibus utplurimum Pharmacopœi hos sibi comparant *Flores* (quamvis consultius foret, ut quilibet Pharmacopœus non solùm hos *Flores*, verùm & alia communiora medicamenta Chymica, propriis elaboraret manibus. Quæ enim peregrinâ fide ad nos deferuntur, utplurimum adulterata sunt) notissima ac trita est: nimirum, ut in sublimatorio, seu cucurbita terrea, aut vitrea, luto obducta, apposito capitello vitreo largo, calore arenæ per gradus aucto, perficiatur, duas circiter *salis decrepitati* partes uni parti *sulphuris* commiscendo. Alios, & plures, sublimandi modos Clarissimus Schrôderus, *in sua Pharmacop. Medico-Chymica, lib.* 3. *cap.* 28. *pag.* 502. *& seqq.* exactè describit; quo locorum etiam diversi, ac varii coloris, *Flores*, utpote *Vitriolati*, *albi*, *saccharati*, *benzoinati*, *myrrhati*, & *compositi ex variis speciebus*, edocentur. E quibus L. B. sibi eligat, quæ ad scopum & rem suam esse arbitrabitur. Hoc tamen cavendum, ne heterogenea planè simplicia sulphuri pro sublimatione jungantur; à quibus nimirum *sulphuri*, ejusque *Floribus*, non, nisi fœtor, & coloris inelegantia, ne quicquam verò virtutis accedere potest: ut sunt *saccharum*, *crocus*, *aloë*; quæ, & plura alia, in sublimatione veluti comburuntur, ac in sua principia, oleum fœtidum, ac spiritum talem aquosum, tanquam entia peregrina à toto composito, resolvuntur: quorum neutrum proprias rei integræ subsistentis virtutes æmulatur, sed peregrinas & inutiles; quia impune & illegitimè igne torquentur, quorum natura Vulcano non paret, nec ad similem destillationem aut sublimationem, heterogeneo subjecto commixta, apta nata sunt; sed planè contraria: ita, ut denuo *Axioma* illud tritum verificetur; *non quodlibet cuilibet aptè commisceri; nec ex quolibet quodlibet fieri posse.* Consultius proinde est, & magis probabile, ut, avitâ Majorum simplicitate contenti, *saccharum*, *crocum*, & *alia*, *Floribus sulphuris* simpliciter commisceamus, è quorum simplici unione potiores in *sulphur* redundant virtutes, quàm ipsa sublimatione perperam institutâ. Et hæc de *sublimatione sulphuris*, ejusdemque *Floribus*, ut scriptionis operam contrahamus, sat dicta sunto.

Progredior ad *destillationem Sulphuris*, *ejusque spiritum*; qui & ipse peculiarem destillandi normam exposcit, diversam ab omnibus aliis destillandi modis; *per Campanam* nimirum vitream, cui patina larga vitrea est substernenda; supra illam autem patinam crucibulum, mediam superappensæ campanæ concavæ partem respiciens, collocandum; in quod *sulphur* particulatim injiciendum, &, ut conflagret, accendendum; ut sic, ardendo suos eructet acidos *Spiritûs*, qui, cùm fumus à sulphure conflagrante, in prædicta campana, (tempore utplurimum humido ac pluvioso) in liquorem, seu spiritum ponderosum, & acerrimum, sese resolvit, in subjectam vitream patinam vel concham, in cujus medio crucibulum, sed parumper in altum, cum sulphure flagrante, collocatum, paulatim stillat; sed exigua in copiâ, ita, ut ex librâ unâ sulphuris vix uncia aut uncia cum dimidia, utut artificiosè operatus fueris, restet spiritûs. Quorsum verò migrarint reliquæ sulphuris partes integrantes & substantificæ, unicâ tantùm unâ ejus spiritûs superstite, (cum paucis & exiguis recrementis vel cineribus; è quibus, si magna copia colligatur, parum salis sulphuris elixiviatur) non ita planum est; neque ex aëre, quò necessariò translatæ, tanquam igneæ particulæ, revocare eas licet. Tentarunt quidem plurimi sagacioris ingenii Chymici alios ejusdem *spiritus destillandi* modos (quorum nonnullos Clarissimus etiam Schrôderus, *loco suprà citato*, descripsit) omnibusque viribus eò elaborarunt, quò omnes *sulphuris* spiritûs subtiliores, qui in destillatione *per Campanam* maxima ex parte in auras volant & abeunt, conservarent strictiùs: verùm multi frustra adhuc suam impenderunt operam; cùm & mihi res sæpe irrita cesserit. Posteritati igitur artium cultura, ac ulterior rerum inventio, relinquenda est.

Cæ-

Cæterùm quæ de *natura*, *virtutibus*, & *encomiis*, *rectoque utendi modo*, & quæ plura, circa usum hujus spiritûs notatu digna, essent afferenda; illa Clarissimus & Doctissimus Quercetanus, *in sua Pharmacop. cap.* 16. & 17. ubi de spirituum acidorum præstantia ex professo tractat, quæstionibus pro & contra ventilatis juxta ac dilutis, utrum spiritûs acidi, è mineralibus prolecti, præstent iis, qui ex vegetabilibus habentur, fundamentaliter ac fideliter explicat. Quò illos, qui spiritûs omnes minerales acidos allatrant, &, tanquam summè corrosivos, ac insalubres, damnant, ut magis erudiantur, amandavero: at è quibus addiscent, falsum esse, quòd sumpti hi spiritûs intra corpus ventriculum & intestina, juxta ridiculas eorum assertiones, terebrare, ac homines tandem ad Cymbam Acherontis deducere valeant. Nunc de quibusdam aliis, ex *sulphure* parandis, medicamentis salubrioribus tractaturo, primum se sistit

Balsamum Sulphuris.

QUod ut debitè conficiatur, *in præfatis n. Animadv.* luculenter edoctum est; nimirum, ut *sulphur*, beneficio *salis tartari*, reseretur, & in massam obscurè rubentem, *Hepar sulphuris* dictum, convertatur: ex quâ massâ postea, quocunque oleo spirituoso destillato, e. q. terebinthinæ, juniperi, succini, anisi, citri, abietis, vel terebinthinæ flavæ balsamicæ, per retortam stillatæ (pro balsamo Vulnerario) imò etiam unctuoso aliquo expresso, *Sulphuris Essentia*, *Tinctura*, ac *Energia* tota calore lenissimo elicitur, ac prænominatis oleis quibuscunque imprimitur; tanquam menstruis analogis & homogeneis.

Virtutes Balsami Sulphuris pectus & pulmones utplurimum respiciunt: anhelosis, purulenta exspuentibus, & phthisicis unicè dicatur; quamvis & vulneribus externis abstergendis, à putredine conservandis, & conglutinandis, præsens sit Balsamum. Circumforanei verò, & Agyrtæ, qui uni medicamento sexcentas adscribunt virtutes, turpi saltem lucro inhiantes & dediti; quod uno, non pluribus, instructi sint medicamentis, aut balsamo hoc, ejus virtutes satis decantare, & vel contra omnem morborum sentinam divendere, non erubescunt. Prudens verò Medicus norit, quid de immensis virtutibus, quas suis attribuunt medicamentis illi, sentiendum sit. Miserrima verò plebs, facilè fidem blateronibus, & agyrtis adhibens, facillimè etiam fallitur, sanitatis & vitæ detrimento. Hujus autem mali aut excessus origo ampla sunt agyrtarum Privilegia, subreptitio modo à Magistratibus vel Principibus acquisita. Optandum proinde foret, ut se hisce impostoribus severiores ac rigidiores exhiberent imposterum, in largiendis similibus privilegiis, ne tantopere toti mundo, miserrimæ præsertim plebi, imponeretur, cum magnâ fortunarum & æris jacturâ. Eò enim nunc perventum est, ut quævis fæx hominum, miles, anus, Lippus ac Tonsor Medicinam faciat; illisque fas sit, impunè occidere; ac ob id etiam Ars Medica omnium nobilissima ac difficillima, ad quam addiscendam non unius hominis ætas, ac vita sufficit, vulgi ludibrio exponatur, & vel dolosa proclametur. Obiter hæc dicta sufficiant, ad *Lac Sulphuris* transituro.

Lac Sulphuris.

L*AC* appellatur à colore, quem in præparatione & præcipitatione suâ præ se fert, dum solutio *Sulphuris*, cum sale Tartari, vel etiam cum calce vivâ, & aquâ simplici, facta, aceto inperso præcipitatur; in quâ præcipitatione *solutio Sulphuris lactescit*, & pulvis albicans fundum petit, qui *Lac Sulphuris* appellari consuevit. Ejus parandi modum, qui breviter hîc descriptus extat, Clariss. Schröderus, Quercetanus, & alii diversimodè depingunt, Tironibus aliàs Pharmaceuticis notissimus. Verùm quidnam de hoc *Lacte*, aut *Præcipitato Sulphure*, sentiendum sit, ex fundamento eruendum est.

Neminem nunc latere puto, quemadmodum *in præmissis n. Animadvers.* sufficienter demonstratum est, quòd vulgaria Chymicorum *Magisteria*, utpote Perlarum, Corallorum, oculorum Cancrorum, Matris perlarum, aliarumque

rumque Gemmarum; item cornu Cervi, ungulæ Alcis, & his similium, contrarietate heterogeneorum liquorum ex solutione præcipitata, calces sint inutiles, mortuæ planè & effœtæ, nullâ arte, neque etiam fortissimo ac corrosivo spiritu, ampliùs resolubiles. Cujus rei veritatem ipsa evincit experientia, & evidentissimè in Magisteriis Ossium, nim. cornu Cervi, & Alcis ungulæ palam fit; quippe quæ adeò usta sunt, in suâ nimirum præparatione, ac confusione contrariorum liquorum solventium & præcipitantium, ut usto cornu Cervino, in furno figuli calcinato (quod ipsum etiam cunctis suis virtutibus, *sale* nempe suo *volatili*, *Oleo*, & aquâ fœtidâ expulsis, privatum est) in omnibus simillima sint, & mortuæ calces; è quibus, neque extremâ ignis torturâ quidquam extorqueri, neque denuò aceto, spiritu nitri, aut aliis corrosivis aquis & spiritibus, dissolvi póssunt. Cùm igitur *Lac Sulphuris*, de quo nobis ex instituto nunc sermo est, eandem subeat præparationem & præcipitationem: parum aliter de hoc etiam sentiendum; sed eidem judicio submittendum est. Nam quamvis *sulphur* per appropriata sibi, & homogenea veluti, menstrua, salem tartari, aut calcem etiam vivam, beneficio aquæ simplicis, legitimè quidem solvatur, & sic solutum *sulphur* haud exiguos effectus, medicinales edere possit: contrario tamen liquore idipsum denuo præcipitatum, pro maximâ etiam sui parte destruitur, ut vix tertia ejus pars viribus salva constet, ac virtutes & operationes *sulphuris* proprias edere possit; reliquæ verò duæ *Lactis sulphuris* partes *calx* sint emortua & inutilis, in igne constans, indissolubilis, omni proprietate *sulphuris* orbata. Periculum is ipse faciat, qui fidem laboribus nostris non adhibere velit. In momento enim veritatem videbit, si *Lac* hoc Vulcano simpliciter, aut etiam sublimationi, tradiderit. Non proinde hæc loquor, ac si omnes omnino virtutes huic *Lacti* derogare velim. Hoc saltem inferre volo, quòd vel *crudum Sulphur*, vel ipsius *Flores legitimè sublimati*, longè majoribus virtutibus polleant, quàm hoc ipsum *Lac sulphuris*, tanto labore, ac non exiguis expensis comparatum. E quibus nihilominùs palam fit, quàm incauti sæpe hallucinemur, in nimis artificiosis nostris medicamentorum præparationibus; quibus simplicia in virtutibus suis potiùs castrantur & diminuuntur, quàm ut subtiliora aut efficaciora illa reddantur. Sed infers fortè à posteriori; nimir. effectu, & experientiâ ipsâ, constare, quàm evidenter *Lac sulphuris* tussientibus ac phthisicis profuerit, virtutibus *Sulphuris* conspicuum. Quod oppositum ex supra dictis partim concesserim; partim verò negârim. Nam pro exiguâ *sulphuris* indestructi parte residuâ in *Lacte* hoc saltem aliquid virtutis possidebit: pro maximâ autem sui parte inefficax, & planè effœtum, esse medicamentum; omnino assero, ipsâque experientiâ probo. Etenim diuturnâ Praxi edoctus sum, exiguam huic præcipitato Pulveri, aut *Lacti*, inesse vim ac energiam: quam multò efficaciorem vel à *sulphure crudo*, vel ejusdem *floribus*, quotidie experimur. Nec mihi, spectatori diligenti, & arbitro, constat, magnum quid unquam vel solo hoc *Lacte* præstitum, vel quemquam à morbis pectoris gravioribus fuisse liberatum. Incredulus sum, nunquam subscripturus Veterum traditionibus, si recta ratio, experientiâ confirmata, aliud suadeat, & refragetur. Juret, per me licet, in verba Magistri, prostituto pectore, qui volet: Ego è contra naturæ ausculto, ejusque ductum sequor. Recordentur tamen hâc occasione eorum, quæ superiùs paulò, de *purificatione sulphuris*, cum aqua calcis vivæ peragendâ, indigitavi; & quòd, solutionem *sulphuris* non inconsultè cum calce viva instituendam fore, statuerim: quatenus nimirum *sulphur crudum* & *tritum*, vel ejusdem *flores* additâ duplâ, vel triplâ, quantitate calcis vivæ, coquendo cum aquâ simplici, repetitis vicibus affusâ & decantatâ, quousque rubedò in decoctione appareat legitimè quippe solvatur, & ejus essentia extrahatur. Ex hoc etenim fundamento Balnea sulphurea, aquis Thermalibus, seu Thermis sulphureis, virtute & operatione simillima, confici possunt: si solutioni huic *sulphuris*, factæ cum calce vivâ, & aq. simpl. s.q. affusâ, nullus contrarius liquor præcipitans ac heterogeneus, qui sulphuris essentiam, aut ipsum sulphur solutum, destruat, & omnibus suis virtutibus privet & præcipitet, sed aqua saltem simplex, vel decoctum aliquod ex herbis balsamicis, ac radicibus, aliisvè robo-

rantibus aut resolventibus speciebus, largiter superinfundatur. *Præstant* autem *hæc balnea sulphurea*, uti experientia ipsa testatur, ac edocuit, in *Calculo Renum*, *Podagra*, *doloribus Arthriticis* (præsertim si solutio sulphuris cum sale Tartari facta fuerit) *Colica passione*: (corpore benè purgato) *membra contracta & debilitata roborant*, *ulcera sordida antiqua mundificant*, *& siccant*: *scabiem fœdam tollunt*, *aliaque cutis vitia abigunt*: *internis nec non obstructionibus viscerum reserandis emolumento sunt*; *externo nimirum fotu*. Opportuna balnea hæc instituenda erunt in Regionibus, quæ Thermis naturalibus aliàs destitutæ: pergrata & proficua insuper hominibus, quorum res domi angusta habetur: ne Thermas longè remotas frequentare necessum habeant. His igitur, L. B. utere, cum successu in multis.

Tinctura Sulphuris Tartarizata.

Paretur inprimis *Hepar Sulphuris*, ex unâ parte *Sulphuris crudi*, aut *Florum* ejusdem, & ana, seu duabus partibus, (si lubet) *Salis Tartari puri*, leniter simul liquando in patellâ terrea, cavendoque, ne flammam sulphur concipiat. Ex hoc *Hepate*, vel massâ, in pulverem redactâ, extrahatur, beneficio spiritus vini rectificati, repetitis vicibus affusi, *Sulphuris Rubedo & Essentia*; quæ, peractâ extractione, à copia spiritûs vini per abstractionem in M. B. liberanda, ac usui Medico asservanda est. *Præstat in morbis contagiosis, ac peste ipsa*; *à quâ præservat*: *obstructiones viscerum naturalium reserat, ac morbis etiam pectoris medetur.*

Nota: Clariss. *Agricola*, in suo, de *Sulphure*, *Tractat. pag.* 397. eandem *Essentiam* in *Oleum* tandem, seu *Liquorem rubicundum*, per retortam destillare docet: cui haud exiguas virtutes adscribit. *Pag.* item 361. aliam ex *Sulphure*, cum *spiritu Vitrioli fixato*, *Essentiam* haud spernendam habet. Quæ cuncta, & plura alia, de *Sulphure*, exinde petenda sunt.

Oleum Sulphuris Rulandi Verum.

℞. Olei Rosacei libras duas,
Terebinthinæ still.
Pulv. Sulphuris Citrini pellucidi, ana uncias tres.

Coquantur in arena, vitreoque in vase, ad saturatam rubedinem.

Nota: Commodius & præstantius parabitur *Oleum* hoc, sine fœtore, quem aliàs præ se fert, juxta Authoris mentem, diuturnâ coctura paratum; si *Sulphuri*, in patellâ terreâ leniter liquato (ne flammam concipiat) *sal Tartari*, pondere competente, vel æquali, priùs immisceatur, ac *Hepar*, seu massa obscurè rubens ex ambobus efficiatur; è qua facilè, oleis supradictis affusis, sulphuris rubedo, & *Essentia*, leni calore, sine coctione aut ebullitione, adeoque sine fœtore, elicitur; præstantius, ac si diuturnâ coctura fuisset paratum.

Valet autem, juxta Autographum Authoris, *in cancro*, *fistulis*, *ulceribus antiquis*, *sordidis & incurabilibus*. Ex hoc *Oleo Emplastrum dia-Sulphuris* Rulandi *conficitur*: cujus descriptio vera alibi patebit.

Et hæc quoque, de *Sulphure*, perpauca huic Mantissæ inserenda erant: in quibus non tam varietas processuum, qui alibi ad nauseam usque leguntur; quàm alia, circa sulphurea medicamenta observatu scituque digna & necessaria, descripta sunt; quæ L. B. boni consulat.

CAPUT XI.

DE SAL-NITRO, vel SALE NITRI.

SAL-*Nitrum* occultâ proprietate cum Sulphure inimicitiæ dissidia exercet; eorumque vis unita tanta est, ut horrendæ tempestates, ac urbium, montiumque subversiones, iis adscribi meritò possit. Hoc, inquam, *Nitrum* sal Terræ est, sed φλογιστὸν, ex terris pinguibus exortum. Igni immediatè injectum, in ignem veluti conversum, totum avolat; si purum: sin minùs, & aliquid in residuo remanserit; tantum de sale communi, aut alumine, participabit. Dicitur autem *sal Petra*, propriè autem *sal Terræ* magis dici meretur, cùm ex terrâ immediatè decoquatur. De generatione hujus, & modo fiendi, naturâ & proprietatibus, item præstantiâ, consulantur doctissimi viri: Quercetanus, *in sua Pharmac. Spagyr. pag.* 578. *& seqq.* Schröderus, *in Pharmac. sua Medico Chymica, lib.* 3. *cap.* 23. *pag.* 471. Doctiss. nec non Philosf. Kircherus, *Tom.* 1. *Mundi sui subterr. lib.* 6. *sect.* 2. *cap.* 3. de Sal-Nitri generatione, naturâ, viribus præpotentibus, disertè & fundamentaliter discurrit. Quæ cuncta, pro majori rerum naturalium intelligentia & scrutinio, L. B. revolvere & consulere potest. Mea quantum, de hoc admirabili sale, exigua fert sententia, asserere audeo, *Sal-Nitrum esse* salem sui generis, à principio mundi, vi verbi divini, FIAT, terræ implantatum; medium inter volatilem & fixum: non fixum planè, quoniam, igni immediatè inspersus, avolat, & cum strepitu veluti diffugit: nec volatilem verè, quia igni, mediante crucibulo, admissus, sat diu ac incorruptè in illo persistit & liquatur; sal neque salsus totus, neque omnino acidus est; sed acido-salsus; neuter inter utrumque. Ex terra quidem elixiviatur, sed aëreus est, igneusque gustu, si igne in crucibulo cremaveris, percipitur: aëreum verè dixeris, quia facilè auras petit, igni immediatè injectus; & quòd ex aëre similis verè sal colligatur, rebus nimirum extremè siccis ex calcinatione, & sitibundis, sese insinuando, easque veluti impraegnando. Igneum verò appelles, quòd igneas edat operationes, non solùm in laboribus Chymicis, & Cerberus appelletur; sed, teste Doctissimo Kirchero, omnium commotionum, meteorologicarumque impressionum, igne arrepto, tum in subterraneis, tum supra, in aëreæ regionis districtibus, causa sit. Quemadmodum spiritûs nitrosi, uti subtilissimi sunt, & facillimè terræ poros transpirant; ita in aëris subvecti sublimia, ignearum impressionum effectus causant: vel, si iis, ob firma subterrestrium partium obstacula, penetrare non liceat; tum exitum sibi, ruptis montium repagulis, vi & necessitatis jure, quærunt. In corpore autem humano frigidas ut plurimum edit operationes, calorem scilicet fugando, vel alliciendo. Eruitur ex terra pingui, ab aëre & astris impraegnatâ. Et, licet copiosius ex stabulis jumentorum, ovium præsertim, eliciatur; terra tamen, propriè ejus matrix, salsedinem urinosam jumentorum sibi (scilicet Nitro) similem reddit, vi fermenti sui proprii nitrosi, terræ insiti: quia neque volatilis, neque fixus, sal urinæ Nitro æqualis est, nec ex utroque mixtus, Nitro correspondet: adeoq; propriè salem terræ ipsum statuas; cùm etiam ex terra sola; sed adæquatâ, nullis tamen jumentorum urinis impraegnatâ, eliciatur. Quemadmodum, teste prænominato Doctiss. Kirchero, quarundam regionum terra, & aqua etiam fluminum, tam copiosè abundant *Nitro*, ut veluti sponte illud erumpat, & in superficie terræ ac flumi-

num

num rivis copiosè veluti efflorescat. Et hæc de *Nitri* Genealogia. Pleniorem verò de illo informationem; & quomodo differat à sale communi, & Alumine; quodnam eorum præstet; ejus probæ; de variis, in arte Pyrobolicâ, usibus; & plura alia, præfatus Rev. Kircherus, *locis supracitatis*, eruditissimè explanat. Quò etiam L. B. ablegatum volo. Nunc verò stat firma sententia, quædam etiam salutaria ex *Nitro* conficienda Medicamina proferre, & communicare.

Nitri Purificatio.

PRima *Nitri purificatio* in humido perficitur, repetitâ solutione, filtratione, & crystallizatione. Solvitur in aqua communi, vel pluviali destillatâ, vel etiam in aquâ aliquâ aliâ stillatâ refrigerante, & odore fragrante: utpote, Rosarum, Liliorum convallium, Sambuci, Chelidoniæ, &c. iisque sine additione, n. m. stillatis. Ubi tamen notandum venit, quòd, si cum prædictis aquis stillatis *Nitrum* sit solvendum, per filtrum purificandum, & aliquali aquositatis exhalatione denuò crystallizandum; nec major copia earundem aquarum affundenda sit, quàm ad solam *Nitri* dissolutionem, & quidem in calore leni peragendam, sufficiat; ne fragrantia, & magis spirituosæ aquarum partes, in diuturnâ coctione, aut earum abstractione, exhalent, sed potiùs cum *Nitro* ex parte unitæ maneant, illudque in virtutibus suis nobilitent, & intendant. Altera *Nitri purificatio* in sicco, & igne ipso, perficitur, beneficio sulphuris, Nitro in crucibulo super igne liquato, & ebullienti, particulatim & per vices injecti; nimirum: *Nitrum commune*, sed *purum*, immittatur crucibulo terreo, igníque moderato, in fornacula venti, admoveatur, ut per se liquefiat, &, instar aquæ, in crucibulo fluat: cui injiciantur sæpius, ac repetitis vicibus, particulæ, seu frustula sulphuris crudi seu vulgaris, ut conflagrent: hinc inde in superficie *Nitri* liquati oberrantes fæces Nitri, partim dissipantes, partim præcipitantes. Dum verò hæc fiunt, exploretur sæpius ferreâ rudiculâ, aut cochleari; num *Nitrum* ad perfectam purificationem sit perductum: quo habito signo, effundatur paulatim in tabulas. *Nitrum* hoc *sicco modo, & igne purificatum, Lapis Prunellæ, sal Prunellæ, Nitrum Tabulatum, seu Præparatum, à Medicis & Chirurgis appellari consuevit*; Officinis usitatissimum: igneum verò, & magis mordax, quàm illud, quod repetitis solutionibus & crystallizationibus clarificatum. Et quamvis ignea illa mordacitas, in hoc, tali modo parato, Nitro conspicua, ipsâ saltem præparatione illi sit impressa, & accessione aquarum solventium pereat & annihiletur: consultius tamen fore arbitror, ut, si ad usum Medicum, præsertim internum, *Nitrum* destinatur; illud potiùs, quod repetitis solutionibus & clarificationibus per filtrum purificatum, huic, in igne, & per ignem, in siccitate mundato Nitro, aut lapidi Prunellæ, præferatur.

Nitri Essentificatio.

NItrum Salinæ est substantiæ, in quibuscunque liquoribus, aquosis, vinosis, succis expressis, & decoctis vegetabilium resolubile; liquabile porrò in igne: ita ut subjectum sit instar ceræ, cui variæ figuræ & asterismi, cùm in sicca igneâ illa eliquatione, tum in humidâ sua ac aqueâ solutione, imprimi possunt. Ut autem palam fiat, quibus modis utraque *Nitri Essentificatio*, cùm in humido, tum sicco, instituenda; id modi subsequentes indigitabunt.

Nitrum cum Acetosella Essentificatum.

SOlvatur *Nitri* purificati & Tabulati libra una, in succi Acetosellæ probè depurati libris quinque vel sex: solutio leniter exhalet in vase vitreo, ad cuticulam; residuum in frigidum locum collocetur ad crystallizandum. Crystallis separatis, remanens liquor porrò parumper exhalet & crystallizetur. Hoc toties repetendum, donec totum *Nitrum*, cum succo Acetosellæ in crystallos redactum, aut solâ liquoris exhalatione in salinam consistentiam & siccitatem conversum sit. Hoc semel *insuccatum Nitrum*, si porrò cum recenti

ſucco Acetoſellæ ſolvere, & ſupradicto modo cryſtallizare, aut ſolâ exhalatione aquoſitatis ad ſalinam ſiccitatem reducere volueris, efficacius illud certò effeceris. *Præſtat in Febribus ardentibus & Tertianis, phlogoſin viſcerum naturalium, tum & cordis, contemperat, & à putredine præſervat: in morbis quibuſcunque calidis opportunè exhibendum.*

Nitrum Roſatum.

℞. Roſarum rubearum recentium, tempore vernali & æſtivo, uncias XII.
vel
Roſar. rubear. ſiccat. tempore hyberno, uncias quinque vel ſex;

quibus inciſis, & vaſi vitreato, ſeu ſtanneo, immiſſis ſuperaffundantur Aquæ ferventis libræ circiter ſex, vel octo,

Succi Citri, ſeu Limon. recenter expreſſi, libra ſemis.

Factâ maceratione, colentur & filtrentur: in colatâ hâc, & filtratâ ſeu clarificatâ Roſarum tincturâ diſſolve

Nitri puriſſimi, cum ſulphure in igne purificati, libram unam.

Filtrentur denuò; ac per lenem exhalationem, ſeu repetitam abſtractionem aquoſitatis, in cucurbita vitrea, *Nitrum* cryſtallizetur, aut, leniter abſtrahendo omnem aquoſitatem, in ſiccam ſalinam conſiſtentiam reducatur. Hoc ſemel *inſuccatum Nitrum Roſatum*, eâdem operâ, quâ antea (ſi ita volupe fuerit,) recenti Tincturâ Roſarum, pro majori virtutum impreſſione, in ſuccari poterit.

Præſtat in morbis calidis, viſcerum naturalium æſtubus, hepatis, faucium, & tonſillarum inflammationibus; & dyſenteriæ, ſeu diarrhϾ, etiam malignæ, opitulatur.

Nitrum cum Papavere Erratico Inſuccatum.

Fiat Infuſio fortis Florum Papaveris Rhœados, beneficio Aquæ ſimpl. ferventis, ad libras circiter quinque: quâ cum ſolvatur

Nitri puriſſimi libra una:

ac, uti ſuprà oſtenſum, repetitâ & leni exhalatione humiditatis, in alembico vitreo, cryſtallizetur: &, ſi lubet, idem labor, recenti Tincturâ ſolvendo & cryſtallizando hoc jam ſemel inſuccatum Nitrum, repetatur.

Efficax eſt hoc Nitrum in compeſcendis inflammationibus internis, hæmorrhagiis quibuſcunque, pleuritide, peripneumonia: medetur & aliis morbis calidis, ab intemperie viſcerum naturalium calidâ obortis: in febribus item tertianis, & ardentibus, auxilio eſt.

Nitrum Violatum.

Paretur ad eandem normam, quâ etiam præcedens Roſatum, vel illud, cum Papavere Erratico inſuccatum Nitrum: cum forti nimirum, & repetitâ Violarum Martialium infuſione; additis nonnullis unciis ſucci Limoniorum.

Nitrum cum Scordio Inſuccatum.

Parabitur ad eandem normam, quâ ſal Nitri, cum Acetoſella imprægnatum, & hoc commodè ac dextrè, cum ſucco Scordii recenter expreſſo & depurato. *Efficax* autem *eſt in morbis ac febribus malignis, Hungaricis: quin & in peſte ipſa haud exiguo ex emolumento.*

Nitrum Alexipharmacum compoſitum.

℞. Rad. Scorzoneræ uncias tres,
Imperatoriæ,
Enulæ campanæ,
Contrajervæ,
Zedoariæ, ana uncias duas,
Herb. rec. Galegæ,
Scordii,
Rutæ,
Centaur. min. ana uncias quatuor,
Cort. Arantiorum,
Citri, ana recent. & extim. unciam unam ſemis.

Ex omnibus inciſis fiat Decoctum forte, cum ſ. q. ſimpl. Aq. repetitis vicibus affuſæ & colatæ, quouſque tota virtus & efficacia ſpecierum ſupradictarum, repetitâ coctione, extracta ſit. Colaturæ & decoctiones omnes conjunctæ albumi-

buminibus ovorum probè clarificentur. Cum hoc decocto clarificato solvatur

Nitri puriſſimi libra una, vel libra una ſemis,

ac per repetitam exhalationem aquoſitatis denuo cryſtallizetur, aut ad priſtinam ſalinam conſiſtentiam & ſiccitatem reducatur, viâ ac modo ſuperiùs oſtenſo: & *valebit in morbis ac febribus malignis exæſtuantibus, vehiculis appropriatis immixtum.*

Nitrum Catharticum.

℞. Fol. Senæ ſine ſtipit. elect.
Rad. Aſari, una uncias tres,
Hellebori nigri uncias duas ſem.
Mechoacannæ albæ uncias duas,
Cremoris Tartari unciam unam.

Inciſa, coquantur repetitis vicibus cum ſuff. quantit. Aq. ſimpl. ad totalem virtutum extractionem: colaturæ omnes & junctim cum albumine ovorum optimè clarificentur; quo cum decocto ſolvatur

Nitri puriſſimi libra una;

& denuo, abſtractione repetitâ ſuperfluæ humiditatis, cryſtallizetur, aut in ſalinam planè & ſiccam conſiſtentiam reducatur. *Laxat alvum, penetrat corpus; vim calidam infringendo.*

Nitrum Martiale Aperitivum.

℞. Nitri puriſſimi Roſati, cum recent. Roſ. parati, uncias ſex,
Vitrioli Martis, legitimè cum ſpiritu vitrioli parati, uncias duas.

Mixta, ſolvantur in
Succi Endiviæ,
Cichorii ſylv. ana depurat. ſ. q.

& vel abſtractione repetitâ denuo cryſtallizetur, vel exhalatione totius humiditatis in ſalinam conſiſtentiam ſubdulcem reducatur. *Prodeſt hepati excalefacto, & debilitato; ejuſque obſtructiones reſerat & confortat.*

Nitrum Antimoniatum.

℞. Flor. Antimonii alb. dextrè parat. unciam unam,
Cremor. Tartari uncias duas.

Mixta, coquantur in ollâ terreâ, ſeu etiam ſartagine ferreâ, cum Aqua ſimpl. repetitis vicibus, recenti ſemper aquâ affuſâ, & decantatâ, quouſque tota virtus & efficacia è floribus extracta ſit: cum decoctionibus depuratis & filtratis ſolvantur

Nitri puriſſimi unciæ quatuor;

& leni abſtractione ſuperfluæ humiditatis in priſtinam ſalinam ſubſtantiam reducantur, aut pedetentim, ut ſuprà edoctum, cryſtallizentur.

Purgat per ſuperiora & inferiora leniter; quemadmodum præſtantius non eſt Antimonii corrigens, quàm ipſum Nitrum. *Datur à ſcrupulo uno, ad drachmam ſemis, & drachmam unam; in grato vehiculo diſſolutum.*

Nitrum Antimoniatum aliud.

℞. Nitri puriſſimi uncias ſex.

Liquetur in crucibulo ſuper igne leni; cui pedetentim & per vices injiciantur

Vitri Antimonii, ſine addit. parati ſeu
Flor. Antimonii alb. unciæ duæ:

quæ probè unita, & liquata, ut in unam coëant maſſam, effundantur in mortarium æneum; maſſa refrigerata teratur in pulverem; & cum ſ. q. Aquæ ſimpl. ſolvatur, filtretur, & denuò abſtrahendo aquam, in cryſtallinam compagem Nitrum elixiviatum reducatur, relicto Antimonio in reſiduo, ſolâ ejus virtute Nitro communicatâ. *Vires ex ſuperiori patebunt.*

Nitrum Perlatum.

℞. Salis Prunellæ, ſeu Nitri purificati, uncias tres,
Magiſter. ſolubilis Perlar. Orient. unciam unam.

Salvantur ſingula ſeorſim in ſ. q. Aquæ Roſar. fragrantiſſ. binæ ſolutiones jungantur, ac in alembico vitreo ad ſalinam conſiſtentiam abſtrahantur. *Præſtat in morbis calidis, & febribus ardentibus; ubi debilitas virium conjuncta eſt.*

Nota: Eodem planè modo & Nitrum Corallatum parari poterit.

Ano-

Anodynum Minerale, seu Nitrum Fixum.

IN præparatione *Antimonii Diaphoretici*, trinâ ejus detonatione (uti Chymici loquuntur) seu calcinatione, eluitur tandem in ipsa Antimon. Diaphoret. edulcoratione *sal Nitrum fixatum*, quod *Anodynum minerale* vocant. Hoc *efficax* pariter *est in febribus ardentibus atque malignis*.

Nitrum Fixatum.

EJus præparationem Doctiss. P. Kircherus, *in Mundo suo subterraneo*, *Tom. 2. lib. 12. sect. 5. part. 1. cap. 6. experim. 5. pag.* 432. exactè describit: accipiendo nimirum *Nitri* libram unam; illamque liquefaciendo in crucibulo, igne moderato, & paulatim ei *Flores sulphuris* injiciendo, donec sulphur non ampliùs accendatur. Hinc ab igne remotum *Nitrum*, solutione, filtratione, & crystallizatione purificandum, usuique asservandum est.

Flores Nitri.

NItrum in *Flores* cogendi singularem describit modum idem Doctiss. Kircherus, *Tom. 1. lib. 6. sect. 2. cap. 3. pag.* 309. quem inde B. L. desumat.

Nitrum Cachecticum Chalybeatum.

HOc etiam describit Clariss. Schröderus, *loco paulò suprà citato, pag* 475. Melioris autem informationis gratiâ, addo modum sequentem:

℞. Salis Prunellæ, seu Nitri, unc. tres semis,
Vitrioli Martis uncias duas,
Salis, seu Arcani duplicati sequentis, uncias duas semis.

Terantur subtilissimè, & immittantur cucurbitæ vitreæ: hinc in arenâ, calore per gradûs aucto, aliquandiu calcinentur ad rubedinem, dando ignem ultimò paulò fortiorem, ut liquentur in massam. Fracto denique vitro, eximatur, cùm refrixerint omnia, *Lapis rubicundus*, & asservetur pro usu Medico. Vires hujus, ac usus, *ibidem*, patebunt.

Arcanum Duplicatum Holsat. Antifebrile.

HOc medicamentum, seu *Sal Antifebrilis*, ex capite mortuo Aquæ fortis extractus, *Salem catholicum*, *Salem sapientiæ*; item *Salem duplicatum*, seu *de duobus*, appellare consuevere. Illum describit Mynsicht. *in suo Armament. Medico-Chymico pag.* 10. *sect.* 1. quem B. L. consulat. Item Clariss. Schröder. *in sua Pharmacop. Medico-Chymica*, *lib.* 3. *cap.* 23. *pag.* 474. talem adducit parandi modum, quem Experientiss. Chymiatro, Domino Joël Langelott. Ducis Holsatiæ Archiatro meritissimo, acceptum refert: quos L. B. *citatis locis*, videre habet.

Verùm cùm haud exiguæ difficultates circa hoc medicamentum, ejusque parandi modum, ventilandæ restent: idcirco illud sub incudem rationis & judicii revocare, stat sententia.

Pro *primo* extra controversiam est, quòd medicamentum hoc ex capite mortuo Aquæ fortis, ex Vitrioli & Nitri partibus æqualibus destillatæ, cum aquâ saltem tepida simplici, eliciatur & elixivietur. Verùm rarò ex solo Vitriolo & Nitro, absque Alumine, aut aliis, Aqua fortis destillatur. Sed transeant hæc levia; cùm ad hoc medicamentum *Aqua* talis studiò apparari possit. *Secundo:* posito; ex prædictis duobus ingredientibus tantùm, *Vitriolo* nimirum & *sale Nitri*, *Aqua fortis* destilletur; non tamen tam violento ignis gradu ultimò urgentur, ut omnes spiritûs corrosivi Vitrioli, ejusque radicalis humiditas, cum oleo crasso corrosivo, expellantur, & caput eorum mortuum sapore vitriolato, cuperoso, omnimode privetur; quin ipsum maximè corrosivum, & vitriolo adhuc plenum, in residuo maneat: ex quo non tantùm salina substantia, & tale medicamentum, quod desideratur, diaphoreticum aut diureticum, eliciendum, sed ipsum vitriolum indestructum, & quidem Salem vitrioli Emeticum elixiviari necessum est. *Tertio:* sunt, qui negant (falsâ tamen opinione obcœcati) spiritum Vitrioli unà cum spiritu Nitri in destillatione Aquæ fortis prodire; sed solius Nitri spiritum esse & con-

constituere Aquam fortem, eamque omni spiritu Vitrioli esse destitutam. Si hæc sententia firma esset & recto staret talo; prior nostra ex asse confirmaretur. Verùm moderamine opus est: nimirum; transire quidem spiritûs volatiliores Vitrioli, unà cum spiritibus Nitri, tanquam ductoribus levioribus; crassiores verò, & magis ponderosos, ac corrosivos, Vitrioli spiritûs in residuo manere, capiti ejus mortuo, ob defectum ultimò ignis violentissimi, adhuc inclusos. Quapropter cùm Vitriolum, Nitro junctum, utut Aqua fortis igne quodammodo violento destilletur, non multum tamen immutatum, peractâ destillatione, in residuo maneat, spiritibus Vitrioli saltem levioribus expulsis; sequitur infallibiliter, quòd ex residuo hoc capite mortuo non pura salsedo, nec purus sal, eliciatur, sed salsedo vitriolata, vitriolo æmula, emeticâ potiùs virtute, quàm diaphoreticâ, aut diureticâ, plena & dives. Ex hoc fundamento concludo, omnino consultum esse, ut ex quolibet horum subjecto, *Arcanum* hoc constituente, sal proprius & verus sigillatim & legitimo modo extrahatur; qui tandem debito & proportionato pondere commisceri, & ulteriùs elaborari possent. Sic enim excluderemus omnem Vitrioli cuperosum, ac planè insalubrem, salem, & vitriolatam substantiam, ventriculum potiùs exiguo pondere & dosi invertentem, quàm febres qualitate specificâ & sudoriferâ excutientem. His igitur præmissis fundamentis, ratione & experientiâ suffultus, suadeo, ut *Arcanum* hoc modo sequenti paretur: nimirum,

Ex capite mortuo Vitrioli extremè calcinato (uti superiùs, in capite de Vitriolo, nec non in præmissis Animadvers. luculenter edocui) omnique Vitrioli sapore & qualitatibus destituto, aëri verò & astris aliquot septimanis exposito, quo exactè imprægnetur, eliciatur sal aëreus, dulcis, & nitrosus, Vitrioli sapore expers, adeoque Vitrioli Emetica virtute omnino destitutus. Hoc interim sale aëreo asservato, porro ex capite mortuo, à destillatione spiritûs Nitri relicto, sal pariter elixiviando aquâ communi proliciatur, & crebris solutionibus & filtrationibus probè purificetur. Hi duo sales in ordinem redacti, tandem commisceantur; accipiendo salis Vitrioli aërei uncias duas, salis verò Nitri, legitimè etiam extracti, uncias tres. Mixta, immittantur cucurbitæ vitreæ, & in arenâ, aucto igne per gradûs, die unâ vel alterâ leniter calcinentur, ut circa finem fundum cucurbitæ aliquo modo candescat: &, postquam omnia refrixerint, vitro fracto, *Sal* eximatur, super porphyte teratur, & asservetur. Ex hujus usu in Medicina majus emolumentum spero, quàm communiter parato arcano: eoque magis, si huic jam parato *Sali*, juxta mentem Authoris Mynsichtii, & quidem ejusdem unciis quatuor, *Croci* solis legitimè parati uncia semis uniretur. Tum enim beneficio ignis arenæ figendo, præstantius medicamentum efficeretur. Cujus *virtutes* ex Mynsichtio patent.

Crystalli Nitri, seu Draco Fortificatus.

HOrum descriptionem vide apud Clariss. Schröderum, *in suâ Pharmacop. Medico-Chymica, lib.* 3. *cap.* 23. *pag.* 474. à S. Closseo ipsi communicatam: quam L.B. consulere velit.

Terra Foliata Nitri S. Gloss.

HUjus itidem, *ibidem*, delineationem vide, nim. apud sæpius citatum Authorem, Clarissim. Schröder. *loco citato*, quæ talis:

Nitrum in crucibulo super igne moderato liquetur: quo liquato, toties carbones vivi injiciantur, quò inardescat, donec flagrare desinat & fixetur. Quod restat Nitrum, in crucibulo cum carbonibus fixum, in aceto destillato solvatur, filtretur, & in cucurbita vitrea ad siccitatem Nitri abstrahatur: cui postmodum recens iterum acetum destillatum affundendum, & abstrahendum est; idque toties repetendum, donec acetum eâ, quâ affusum, acrimoniâ destillando transeat. Quo facto, spiritus Vini itidem à Nitro dicto, in cucurbita residuo fusili, semel atque iterum destillando abstrahatur. Sic in fundo, aucto paulisper

igne, residebit terra talcosa, fusilis instar ceræ; quæ ab impuritatibus omnibus, repetitâ solutione, filtratione, & coagulatione, separanda, & ad usum asservanda venit. Valet in obstructionibus tum hypochondriacis, tum mesentericis: calorem viscerum exæstuantem reprimit; &, medicamentis aliis admixta, eadem ad loca remota ducit, eorumque operationes promovet.

Nitrum Vitriolatum.

QUomodo & hoc, quod *spiritus Vitrioli coagulatus* meritò dici ac appellari potest, parandum sit; quæque ejus virtutes, usus, ac dosis: hæc omnia Mynsichtius, *in suo Armamentario Chymico, sect. 1. pag. 24. & seqq.* exactè descripsit: quem ut ipse L. B. consulat Authorem, hisce suadeo.

Spiritus Nitri.

HUjus *Spiritûs*, tum & *Salis*, exactam destillationem; & quæ circa hos spiritûs necessariò admonenda erant, ea jam omnia fideliter, & ad amussim, *in prioribus n. Animadvers. pag. 427.* B. L. descripsi & communicavi. Ideoque, cum scitu dignissima juxta, ac necessaria sint, ea Lectori Amico diligenter revolvenda commendavero. Ex iis enim patebit, quodnam subjectum Nitro & Sali, etiam vulgari, pro spirituum eorum destillationibus, adjungendum sit, ne spiritûs eorum acidi & corrosivi, antequam vi ignis elevantur, & in excipulum transeant, suum admixtum corpus aggrediantur, solvant, & solvendo cum eo coagulentur, & in aliud Ens transmutentur, adeoque agendo repatiantur & destruantur, eoque minùs eorum spiritûs elevari, & in excipulum transire possit. Hæc, quàm vera sint rationi, & experientiæ consentanea, Mercurii sublimatio, tum & plures alii labores Chymici, mechanicè demonstrant. Hæc autem cùm à nemine Chymicorum hucusque revelata sint, *loco citato* omnia explanata patebunt. Idcirco etiam scriptionis operâ compendifactâ, ad alia transeo, iisque & capiti de Nitro finem impono. Plura tamen, quæ de Nitro & Alumine inferenda essent, ex Clarissimo Schrödero, *pag. 476. & seqq.* peti possunt; quò etiam L. B. ablegatum volo.

CAPUT XII.

DE TARTARO.

NOn infimum in Medicina obtinet locum *Tartarus vini.* Vix enim modernis temporibus, à Medicis cultioris doctrinæ, medicamentum Laxativum, Purgans, aut Diureticum, seu Præparans, præscribitur, quin *Tartarus*, sive simplex, sive ut plurimum ejus *Cremor*, vel etiam *Vitriolatus Tartarus* ei adjungatur, & incrementum addat.

Quid autem *Tartarus* sit, & quid sub hoc nomine & Medici & Chymici indicent; item quanta Tartari differentia; nec non de ejusdem, ex vegetabilibus desumpti, speciebus, ortu & generatione: ea omnia exactè declarat Clarissimus Angelus Sala, Medicus & Chymiater Celeberr. *in sua Tartarologia, sect. 1. cap. 1. & 2. pag. 120. & seqq.* quibus superaddere plura, supervacaneum omnino esset. Idcirco, ne actum agam, ad *Tartarum vini*, missis omnibus ambagibus, me converto, &, (præmissis tamen definitione, differentiis, ac utilitatibus Tartari) quædam salutaria medicamenta, ex eo conficienda, statim annectam: ad quæ, tanquam ad sacram anchoram, Medicus in plurimis morborum monstris confugere tutò possit. Inprimis itaque, & vulgariter loquendo, *Tartarus vini* illa est residentia, quæ ex quolibet vini musto lateribus doliorum undique sese apponit, &, lapillorum crystallinorum duritiem referens, mox ob-

scuro

ſcuro colore, mox candido magis, juxta vinorum differentiam, ſe ſiſtit & in conſpectum venit. Præter hoc, non exigua etiam portio hujus *Tartari* in fæcibus vini latet, quatenus ob copiam & gravedinem fæcum, motu quaſi violento, & raptu, à cryſtallizatione præpeditum, lateribus doliorum apponi, & in ſolidam ac cryſtallinum compagem converti, & adhæreſcere non potuit. Præterea ex quolibet vino vetuſto fermentato, abſtracto priùs ab eo ſpiritu vini, Tartarus purus & putus, leni & repetita exhalatione aquoſitatis, nec non ex fæcibus aceti deſtillati vini nigerrimis, talis Tartarus artificioſâ ſeparatione producitur & colligitur: qui Tartarus non, niſi puritate, inter ſe differt, & pauculis aliis accidentibus ad invicem diſcrepat. Subſtantiam *Tartari* duriuſculam, ſolidam & cryſtallinam, *vini Salem* dixeris, aciditate tamen conſpicuum & prævalentem, guſtum & ſaporem gratum vinoſum referentem: puri verò & ſimplicis ſalis, quà ſalis, naturam excedit; adeoque meritò non ſimplex & uniforme, ſed compoſitum corpus, vegetabile dicendum, conſtans iiſdem, quibus & reliqua, principiis, *Spiritu* ſcilicet, *Oleo*, & *ſale fixo*: quæ omnia in deſtillatione, tanquam verâ Tartari analyſi, in apricum prodeunt & conſpiciuntur. Porrò magna eſt *Tartari* differentia, eaque juxta diverſitatem tam Vinorum, quàm Regionum, in quibus vina creſcunt & naturaliter producuntur; item etiam ratione puritatis, molis, ſive magnitudinis, atque virtutis. Quò enim perfectiora & ſalubriora vina; eò præſtantiorem etiam Tartarum gignunt atque producunt: adeoque haud parum in electione Tartari, ſi Medicinam præcipuè ſpectes, aut uſui humano, & Medico, illum adoptare velis, poſitum eſſe exiſtimes. Præſtantior itaque, & inter reliquos ſalubrior, & cæteris præferendus *Tartarus* eſt, qui *ex vino Rhenano* & *Italico* producitur: quippe qui non ſolùm purior, in majorem molem & cryſtallinam compagem concretus, ſed ſapore magis acidulo & grato præditus eſt; & gratiorem, fragrantemque veluti reddit ſpiritum vinoſum, viribus ſeu virtutibus præpotentiorem ipſo ex vulgari Tartaro deſtillato ſpiritu.

Bonitatem Tartari Clariſſ. Angelus Sala, *in præfato ſuo Tractatu, Tartarol. cap.* 4. *pag.* 124. ſequentibus deſcribit, ubi ait: *Optimum autem Tartarum ab omnibus tam Medicis, quàm Chymicis, unanimi conſenſu habetur illud, quod continuâ ſerie coagulatum dolii lateribus, aut fundo ejuſdem, in longitudinem protenſum adhæreſcit: maximè eſt ponderoſum; duritieque ſuâ non cedit lapidi; ab eaque, quâ vinum tangit, parte plurimis apicibus, adamantis inſtar, acuminatum ſplendet; quodque confractum, non apparet, inſtar ſpongiæ, poroſum, aut terrâ refertum, ſed ſubſtantia ſuâ eſt ſolidiſſimum: contrita etiam minutiſſima ejuſdem particula ex tempore, certæ ſimilis, candeſcit. Has notas habent omnia illa, quæ à vinis Rhenanis colliguntur, Tartara: quæ etiam cæteris, quando crudis uti voluerimus, longè præferenda.*

De *Tartari* crudi utilitate, ac qualitatibus, in Medicina, idem ſupradictus Doctiſſ. Sala, *cap.* 5. ita diſſerit:

Tartaro hoc non ſolum Aurifabri, Vitriarii Veneti, ſive Cryſtallopœæ, ſerici item Tinctores, aliique Artifices Mechanici pro cujuſque artificio diverſimodè utuntur: verùm etiam maxima ejuſdem eſt in Medicina utilitas; unumque eſt ex illis medicaminibus, quæ diverſis donata ſunt qualitatibus, contrarioſque habent effectûs. Nam quoad ſubtilem, aciduſculam, & penetrativam, quæ in ipſo latet, ſubſtantiam, non multum diſſimile eſt frigidæ & ſiccæ qualitati, ut & ſubtilitati optimi ac puriſſimi aceti; quâ linguam aridam recreat, ſitim à cauſa calida excitatam reſtinguit, fervorem ac ebullitionem bilis reprimit, appetitum revocat, dolores ventriculi ſedat, viſcidos, tenaces, ac mucilaginoſos humores attenuat ac reſolvit, interiorum viſcerum obſtructiones reſerat, alioſque producit effectûs aceto familiares. Deinde ratione qualitatum calidarum, ac inciſoriæ ſalis, quæ in aciditate tartari latitat, acrimoniæ, obſeratos in corpore, à materia frigida exortos flatûs non ſolùm meliùs diſcutit; verùm etiam omnis generis crudos tartareoſvè humores incidit, & alio quovis medicamine feliciùs ac commodiùs blandiſſimè educit. Hacque eſt cauſa, cur plurimi è

Dogmaticis Medicis hoc tartarum ita extollant, idque lenientibus, ad acuendam eorundem energiam, stimuli loco, felicissimo successu admisceant. Cujus rei exempla habemus in Pharmacopœia Augustana; ubi longo usu ac experientiâ comprobatus reperitur Pulvis Senæ præparatus Montagnanæ, inibique à Medicis Augustanis descriptum, ac multis nominibus recommendatum Tartarum. Tartarum verò hoc excellens etiam, ac utile esse purgans medicamentum, præter alia exempla, meo id ipsum proprio sanctè attestari ac affirmare possum. Cùm enim in juventute mea per quinquennium passione Colicâ multoties miserrimè discruciarer, nullisque medicamentis, aliàs maximè juvantibus, ab eadem liberari ac curari possem: singulari cujusdam magnarum qualitatum, patriâ Lucensis, in Italia, Senis consilio ℥ vj. subtilissimè pulverisati crudi Tartari assumebam; cujus effectus aliorum omnium, antè assumptorum, purgantium longè erant excellentiores. Hoc enim assumpto, in longum, & quidem inconsuetum, tempus cessabant acerrimi cruciatus; redeuntibus verò iisdem, reiterando hujus usum, immunem à tantis ærumnis, per biennium, vivebam vitam. Ast aliquando ad Perstrenuum vocatus virum, Dn. Zachariam Geitz Kößlern / *Equitem auratum, & S. R. I. ab Ærario, p.m. podagrâ in arce suâ* Hannßheim/ *laborantem, multò atrociùs, quàm hactenus unquam, cùm prædictis doloribus torquerer, tentatis aliquot, quæ ad manus erant, tam internè, quàm externè, sed frustra, remediis; recordabar usus mei Tartari: ac tum temporis offerebatur quippiam tartari à vino Ungarico, separati, cujus, non consideratâ ejusdem impuritate, nec, quam habet cum vino Rhenano longâ disparitate, ex tempore prædictam dosim cum brodio carnis, absque ullo alio additamento, assumebam: quo satis benignè aliquot vicibus sum motus, materiaque peccans exoptatè expulsa; ita quidem, ut ab acutissimis hisce doloribus plenariè liberatus, nihil ampliùs de tantis cruciatibus viginti nunc sex annis perceperim, &, divinâ gratiâ, ab eo tempore satis placidè vixerim. Quam mihi factam allevationem, meo quidem judicio, adscribo remotioni causæ per tartarum factæ: quia tantas passiones à viscosa, tartarea ac frigidâ, in intestinis collectâ, ac iis tenacissimè adhærente materiâ progenitas certò credebam; quam materiam tartarum præmemoratâ suâ qualitate resolutam, ac attenuatam eliminavit; quod aliis medicamentis fuerat impossibile. Ut ita remotâ ex fundamento causâ materiali, remotum etiam sit exinde natum accidens. In hisce & aliis morbis, à prædictis causis ac flatibus ortis, plurimis ejusdem usum consului ægrotis, laudandosque semper, quos præstitit, sum expertus effectûs: nihilque, quod remorari usum ejusdem possit, invenio; nisi quòd fortè delicatulis, ac nauseabundis, molesta sit nimia ejus dosis. Assumendum enim, quando, absque ullo alio additamento ac stimulo, verè purgantis munere fungi debet, ab ℥ ß ad ʒ vj. & ℥ j.*

Optandum itaque esset, ut purgans ejusdem facultas in minorem reduci posset quantitatem. Hactenus autem exoptatam adire non licitum fuit Corinthum: aliis etiam præclusum invento aditum. Hucusque Clariss. Angelus Sala.

Purificatio Tartari, id est: Cremoris & Crystallorum Tartari præparatio.

QUòd Chymici (qui rerum Medicinalium utilem quærunt nucleum, & medicamenta simplicia ab impuritatibus, quibus referta prostant, studiosâ sedulitate, utile nimirum ab inutili segregando, liberant) purificationem Tartari, & Cremoris, ac Crystallorum, præparationem variis modis moliantur; id ex prædicto Clariss. Ang. Sala, & aliis quamplurimis, patet. Cùm autem studiosus Lector meritò, non gaudeat pluralitate processuum, qui ad unum eundemque finem conspirant, sed uno, eoque vero, modo parandi hoc vel illud medicamentum contentus esse possit; idcirco dexterrimam *Tartari purificationem*, *Cremoris* & *crystallorum Tartari præparationem*, quam, *in præmissis nostris Animadvers. pag.* 466. ad unguem usque, cum omnibus suis manipulationibus, & annexis insuper necessariis & scitu dignis notis, descripsi, L. B. commendare volui. Namque si bene perpenderit,

derit, manumque operi ipsi applicuerit; haud meliorem, brevioremque invenerit modum, hanc Cremoris & Crystallor. Tartari purificationem, & præparationem, instituendi. Proinde, ne actum agam, aut cramben bis coctam apponam; ad alia transeo. Et quidem, cùm, *in præmiss. n. Animadvers. loco citato, pag.* 466. docuerim, Tartarum crystallizatum, seu Cremorem Tartari peregrinis virtutibus imbuere; ac eidem vim vel catharticam, vel magis diureticam, imprimi posse, mediantibus Decoctis rerum catharticarum & diureticarum, vel succis etiam expressis, cum iisdem Tartarum dissolvendo, coquendo, ac iterum crystallizando, vel ad siccitatem abstrahendo: idcirco quomodo hoc effectui dandum; sequentes demonstrabunt formulæ. Et licet nonnunquam colore alieno Tartarum, hoc vel illo succo, aut decocto, solutum, tingatur; nihilo tamen minùs, si in porphyrite teratur, iterum albescit, aut quandoque nonnihil rubescit; & haud ineleganti nonnunquam colore, majoribusque etiam virtutibus, imbutum prostabit.

Tartarum Diureticum cum Fragis.

℞. Tartari albi Rhenani, aut Veneti, seu Italici, libram unam:

crassiusculè contusus coquatur fortiter in vase fictili, seu terreo cooperto, cum

Succi Fragorum recenter expressi libris sex,

horâ unâ circiter; & statim per colatorium purum transmittatur & coletur, quantum dissolutum fuerit. Percolatum Tartarum in alio vasculo, vitreo nimirum, vel terreo; factâ prius unicâ ebullitione, sensim refrigescere sinito. Frigefactis omnibus, eximatur Tartarum percolatum, & asservetur; succus verò residuus, unà cum Tartaro residuo nondum dissoluto, denuo coquatur, & transcoletur quidquid dissolutum fuerit, & in calore etiam sensim crystallizetur: quod tamdiu continuandum, donec Tartarus totaliter dissolutus & transcolatus fuerit. Deficiente verò succo, vel mucilaginoso reddito, propter repetitam coctionem & exhalationem aquositatis; diluatur is aquæ communis s. q. Et tali modo optimè succedet operatio: & etiam habebis *Tartarum* insuccatum & *diureticum*: quod asserva.

Haecque eadem methodo, cum diversis aliis *succis*, utpote *Ribium*, *de Rubo Idæo*, *Citri*, seu etiam *Limon. Cichorii Sylvestr. Endiviæ*, *Acetosellæ*, *Tartarum* insuccare, alienis virtutibus imbuere; vel illum ipsum in virtutibus suis diureticis efficaciorem reddere possumus.

Et quod de *succis expressis* dictum, pariter ad *Decocta* referendum. Sic *decocto* forti *Rosarum rubearum*, ex recentibus Rosis parato; vel earum *Infusione* clarificatâ; aut infusione etiam forti *Violarum Martialium*, *spiritu Vitrioli* nonnihil acuatâ, *Tartari* solutionem & crystallizationem eâdem operâ perficere; eique nomen *Tartarum Rosatum*, & *Tartarum Violatum*, imponere possumus: quæ haud exiguis virtutibus diureticis, hepar insuper, & reliqua viscera, roborandi, alvumque potiùs solvendi, dotata erunt.

Sin *Tartarum* magis *solutivum*, & *purgantem*, reddere animus sit; hoc assequemur præfatâ pariter methodo ac via; *decoctionibus* nimirum, aut *infusionibus*, rerum quarundam catharticarum, vel unius, vel plurium simul: exempli gratiâ: Accipiamus *Radic. Mechoacæ albæ* lib. semis: hæ in frustula conscissæ coquantur, repetitis vicibus, cum s. q. *Aq. simpl.* additâ *Tartari puri Veneti*, seu *Italici*, crassiusculè contusi librâ unâ; & per colatorium linteum, vel pannum transcolentur, decoctionem sæpius repetendo, donec totum tartarum dissolutum & transcolatum fuerit: deficiente verò aquâ, recentem substituendo, verùm in, quàm paucâ fieri potest, quantitate aut copia, ad majorem virtutem *laxativam Tartaro* imprimendam. Idem etiam sermo sit de *Radicibus Asari recentibus*, *Hellebor. nigri recent.* & quæ de illarum censu sunt; *Rhabarbaro*, *Rhapontico*, *Ebuli Radic. succis* item *expressis Gratiolæ* & *Mercurialis*.

Nota: Observetur tamen, quòd, si portio Tartari coctione forti soluta, & in frigore ab aquâ illâ denuò separata fuerit, uti naturaliter contingit, & de natura Tartari est; illa aqua remanens, pro residuâ Tartari dissolutione

ne adaptanda, & ultimò tandem Tartaro, ex integro soluto, vel totaliter, aut saltem pro majori parte, evaporare sinenda sit; quò majores virtutes in Tartarum commigrent.

Tartarum Chalybeatum.

℞. Vitrioli Martis, cum spiritu vitrioli, vel cum sulphure, parati unciam semis:
solvatur in
Succi Endiviæ recenter expressi & depurati, seu
Acetosellæ, s. q.
Solutionem hanc incorpora cum
Cremoris seu acidi Tartari unciis tribus,
ac leniter, in vitreo vase, calore lenissimo, exsicca & asserva. Præstans est in obstructionibus hypochondriorum, & suppressione mensium: aperit, & alvum laxat.

Tartarum Antimoniatum.

℞. Tartari Cremoris, seu
Veneti albi, libram unam,
Flor. Antimonii alb. uncias duas.
Coquantur in s. q. aq. simplic. repetitis vicibus, semper recentem aquam affundendo, donec totus Cremor solutus, & per chartam emporeticam transcolatus sit. Hinc aqua tota leniter à transcolato tartaro exhalet, aut abstrahatur ad siccitatem *Tartari*: qui super porphyrite levigandus, ac usui asservandus est. *Purgat leniter per superiora & inferiora: præstat in febribus diuturnis, & tertianis intermittentibus, alisque morbis chronicis & radicatis: à scrupulo semis, ad grana xv. & scrupul. unum.*

Spiritus Tartari.

QUomodo is destillandus, omnibus Pharmacopœis notissimum est: nimirum, ut Tartarum, crassiusculè confractum, retortæ vitreæ, luto obductæ, immittatur, &, agglutinato largo recipiente, igne aperto, primò lenissimo, per gradus deinde sensim adaucto, destilletur; prodeuntibus *Spiritibus* volatilioribus, & non admodum fœtidis: qui, antequam oleum crassum, cum nebulis obscuris, prorumpat, mutato protinus recipiente, seorsim asservandi; destillatio verò, alio recipiente illico præmisso & agglutinato, igne magis aucto & violento, continuanda, donec & *Oleum Tartari* crassum, ac *Spiritus* fœtidi, nebulis crassissimis in recipiente apparantibus & conspicuis, transierint totaliter. Absolutâ destillatione, omnibusque frigefactis, separetur *oleum* fœtidum ac crassum à suo *spiritu*, per tritorium, vel chartam emporeticam aut filtrum; ut alibi ostendi: ac per retortam, ex sabulo, seu arena, admixtis oleo priùs cineribus, ad exsiccationem ejus ferè totalem, dextrè rectificetur: *quod præstat in obstructionibus Lienis & Hepatis, externè inungendo; Emplastris item & Vnguentis spleneticis ac hepaticis admiscendo.* Ejus porrò virtutes Clarissimus Sala ita describit:

Sunt nonnulli, qui hujus Olei guttas aliquot exhibitas, ad dolores colicos, stranguriam, dysuriam, aliaque è flatibus orta symptomata, ut etiam uteri strangulatum, maximè dicunt utile. Eo hactenus nunquam sum usus, nec aliis utendum præscripsi: attamen quia aliàs Oleum succini, ut & alia ex Gummatibus elicita balsama, quæ non minùs, quàm hoc, calidæ nimium ac penetrantis qualitatis sunt participia, gravissimoque, ac maximè ingrato nares feriunt odore, summo judicio ritè exhibita, nihil nocent: similiter etiam Oleum hoc tartari, quod tamen ex nullo deleterio subjecto destillatum fuit, tutò probari posse, existimo.

Oleum hoc Tartari quia, cutis poros efficacissimè aperiendo sudores promovet, ejus itaque usus maximè est commodus externè: si scilicet unguentis ad scabiem, aut luem Veneream, admisceatur. Non minori etiam cum fructu adjungitur emplastris, duros callososque tumores dissolventibus. Ex eodem etiam ipso egregium paratur unguentum contra chiragram & podagram tumorosam: si scilicet nodosi tumores, à materia pituitosa coagulatâ frigidâ, articulis impacti hæreant.

NB. Sunt, qui rectificationem hujus *Olei* invesica cupreâ, affusâ quantitate largâ aq. simpl. præcipiunt & perficiunt. Verùm hæc re-
ctificatio

ctificatio amethodica planè est; quemadmodum olea, per retortam primitus destillata, ponderosa nimis & crassa, vix ac ne vix quidem hâc humida destillatione transeunt, quin major eorum copia, picis instar, in residuo maneat, prodeunte pauculo oleo flavo rubicundo, sed potioribus etiam virtutibus suis orbato, tanquam ab aqua alluente, quæ eodem odore & sapore imbuta prostabit. Et quamvis graviori odore prædita sint olea per retortam destillata & rectificata, & empyreuma spirent; minùs verò fœteant olea cum aqua rectificata: nihilo tamen minùs, non tam ad pulchritudinem & odorem magis gratum, quàm ad virtutes & efficaciam salubriorum medicamentorum, prospiciendum esse, omnino judico; de medicamina habeamus virtutibus suis orbata, sed efficaciâ & virtutibus integris adhuc gaudentia. Verùm enim verò, quæ in destillatione *spiritûs* & *olei Tartari*, ne tantopere fœteant, aut empyreuma spirent, observanda sint, *in præmissis n. Animadv. pag.* 428. fideliter detexi: nimirum, ut pro eorum destillatione *Tartarum* accipiamus aut seligamus, vel purum putum *Italicum*, aut *Rhenanum*, multis recrementis heterogeneis non refertum & inquinatum: vel *Cremorem* ipsum ex *Italico*, *Veneto*, aut *Rhenano Tartaro* unicâ solutione confectum & purificatum. Hic enim defæcatus, & ab adhærentibus heterogeneis impuritatibus purificatus *Cremor* & *Crystallus Tartari*, destillationi commissus, non graveolentem, sed fragrantem, & vinosum præbet *spiritum* ac *oleum* minùs fœtens. Quæ ambo nativis & majoribus viribus prædita erunt, quàm si ex crudo & inquinato Tartaro forent destillata. Etenim quàm purum etiam seligas Tartarum, haud exiguis tamen recrementis, & heterogeneis rebus, permixtum deprehendes; à quibus demum in destillatione insignis ille fœtor ortum habet. Propterea, ut hoc evitemus; præstat *Tartarum Italicum*, unicâ solutione & crystallizatione purificatum, destillationi adaptasse. Quemadmodum, ut denuò repetam, ipsâ experientiâ, & proprio Marte, comprobavi, quòd *Cremor* & *Crystallus Tartari*, qui ex *Italico Tartaro* (tanquam præ omnibus aliis magis puro, albicante, crystallino, inque majorem molem concreto) præparatur, majoribus non solùm polleat virtutibus; verùm etiam *Spiritus*, ex tali cremore stillatus, verè fragrantem & vinosum spiret odorem amabilem, longè diversum ab illo, qui ex vulgari quovis Tartaro, aut ejus Cremore, fuerit destillatus. Et hæc digna sunt observatu.

Si de *rectificatione spiritûs Tartari* sermo sit, illa tantopere necessaria non est, si juxta nostram superiorem admonitionem non solùm ex purificato Tartaro Spiritus fuerit destillatus; sed & fœtidus ac fœculentus spiritus separatim ultimò, unà cum oleo, exceptus: qui ipse autem, ultimò nimirum prolectus spiritus, rectificatione summopere eget; sive is per se, in alembico vitreo, ex arena; sive à suo capite mortuo residuo; seu potiùs à sale Tartari purificato, semel atque iterum rectificetur: quò non solùm fœtorem empyreumaticum deponat; verùm etiam potiores virtutes penetrantes & resolventes, à proprio suo sale, illum veluti volatilem reddendo, mutuet, iisque nobilitetur.

Aliam hujus spiritûs rectificationem ponit Clariss. Schröderus, *in sua Pharmacop. Medico-Chymica*, *lib.* 4. *pag.* 220. quæ ita se habet: *Ex capite mortuo Tartari, à destillatione spiritus & olei relicto, extrahatur sal, quod, solutionibus ac coagulationibus purificatum, conjungatur cum spiritu suo proprio Tartari, ac Oleo; digerendo in B. M. vase clauso, donec sal totus solutus sit. Cum hoc liquore impasta argillam siccam, formaque globulos, & illico destilla ex retorta, igne nudo, (uti spiritus Nitri.) Prodibit, cum spiritu & oleo, sal ferè totus spiritualiter, impposterum à spiritu Tartari inseparabilis: oleum fœtens separa à spiritu, ut moris.* Hæc ille.

Vires quod spectat spiritûs Tartari, de illis Clariss. Sala talia habet: *Prædictus Tartari spiritus habet in se egregias qualitates, salinas, incidit quibus, penetrat, attenuat, aperit, resolvit, discutit & purificat, nec sibi ex hydroticis par habet. Permeat enim spiritualiter universum corpus, membrorumque internorum principalium, ut & venarum, obstructiones aperit, totiusque corporis habitum ab omni immunditie, ac subtilibus superfluitatibus, per sudorem*

ſudorem & urinam reddit immunem. Ideoque pro curandis hydrope, tympanitide, arthritide, paralyſi, ictero, ſcorbuto, lue Venereâ, impetigine, ſcabie, aliiſque cutis impuritatibus, ut etiam in contracturâ artuum, ex materia flatulenta, humorali ac fluidâ, non verò tartarea coagulatâ, & in articulis fixâ, ortâ, præter uſualia purgantia, & alia, quæ methodus medendi in curandis hiſce morbis requirit, tam interna, quàm externa, medicamina, eſt ex optimis, certiſſimis, & in qualitatibus ſuis maximè innocuis, quæ in rerum natura huic ſcopo utilia inveniri, vel arte præparari poſſunt, ſpiritus hic primaria medicina; reliquiſque omnibus prævalet.

Doſis: Propinatur in aquis deſtillatis appropriatis, vel brodiis carnium, vino, decoctis, aut infuſis, pro judicio Medici, à ℈ j. ad ℥ j. plus minus; pro ratione circumſtantiarum: reiteraturque toties, quoties ejuſdem repetierit neceſſitas.

Spiritus Tartari Alexipharmacus.

℞. Spiritûs Tartari ritè deſtillati libram unam ſemis;
cui adde
Rad. Zedoariæ,
Angelicæ,
Baccar. juniperi, ana unciam unam,
Cortic. Citri recent. extim.
Arantior. recent. ana drach. ſex,
Macis drachmas tres.

Factâ maceratione brevi, in cucurbita vitrea, fiat deſtillatio in arenâ leniter, ad ſiccitatem ſpecierum; cavendo, ne ultimò comburantur ſpecies, & empyreuma ſpiritus ſpiret: proboſcidi tamen capitelli immittendo ſequentia, in petiâ ligata:

Cortic. Citri recent. extim. drach. duas,
Croci opt. Auſtr. drachmam ſemis,
Camphoræ ſcrupulum unum.

Spiritus prolectus aſſervetur. *Vtiliſſimus eſt pro curandis febribus malignis, contagioſis & peſtilentialibus. Totum corpus penetrat, malignitatem à corde removet, & per commoda emunctoria expellit. Doſis à drachma ſemis, ad drachmam unam, & unam ſemis.*

Sal Tartari.

In reſiduo capite mortuo, à deſtillatione ſpiritûs & olei Tartari, latitat ejus *Sal* in quantitate, & larga copia: qui, præmiſsâ aliquali adhuc calcinatione, ſeu reverberatione dicti capitis mortui, aquâ ſimplici repetitis vicibus aſfuſa, elixiviandus, probè filtrandus, & tandem, in ſartagine ferreâ leniter coquendo & evaporare ſinendo aquoſitatem, ad ſalinam ſiccam ſubſtantiam reducendus eſt.

Oleum Tartari per Deliquium.

Quòd ſi caput hoc mortuum, à deſtillatione ſpiritûs Tartari reſiduum, ſeu aliud Tartarum calcinatum, anguſto acuminato ſacculo lineo incluſum, & in cella, ſuppoſito vitro, ſuſpenſum, aliquandiu relinquatur; in albicantem & clarum liquorem, qui ſub digitis, pinguedinis inſtar, tactu percipitur, diſſolvetur & diffluet: qui liquor reverâ *Oleum* non eſt, ſed, propter ſuam unctuoſitatem, hoc nomen ſaltem adeptus; in ſe ipſo autem nihil aliud eſt, quàm *ſal Tartari*, humiditate aëris in cella imprægnatum, ac in liquorem ſolutum, valdè abſterſivum. De cujus uſu, virtutibus, ac utendi modo, & pluribus, quæ circa illud obſervatu digna ſunt, eruditè diſcurrit præfatus Angelus Sala, *in ſua Tartarologia, pag. 133.* ſequenti modo:

Crebrior ejus uſus eſt externus, quàm internus, in abſumendis ſcilicet ſpongioſis carnis, aliiſque, in ulceribus inveteratis excreſcentiis, ſive hyperſarcoſibus, iiſdemque mundificandis ac firmandis. Summè etiam eſt utile, admixtum epithematibus vel emplaſtris, tam in forma liquida, quàm ſolida, tumoribus aquoſis adhibitis. Hoc ſiquidem ſal validiſſimè ſiccat, diſſolvit ac diſcutit. Cuti exoptabilem conciliat nitorem, eandemque levigat & purificat. Quamobrem ſexui muliebri, in extirpandâ præcipuè faciei, colli, ac manuum impetigine, maximo eſt in uſu: maximo etiam cum fructu permiſcetur aquis ac unguentis, ad ſcabiem à craſſo phlegmate ortam. Vbi verò ſalſi, ſeroſi, ac ſubtiles, ut in ulceribus diu manantibus ac ſerpentibus videre

dere licet, humores dominantur, in illis omnimodè est ab hoc abstinendum, quia eosdem reddit acriores, ac hujusmodi in ulceribus calorem maximè detrimentosum adauget, doloremque subministrat, acerbiorem. Plus etiam damni, quàm utilitatis, ejusdem ferre usus potest, dum mulierum constitutionis plethoricæ, tenerrimæque cutis, facies faciunt excandescere, & rubras excitant pustulas. Pro universali itaque præparativo uti eo non possumus.

Maximus aliàs hujus liquoris, ut & ipsius salis, antequam in formam liquoris fuerit dissolutum, in multis operationibus Chymicis, præsertim verò ubi aliqua metalla, cum suis corrosivis prius dissoluta, veniunt præcipitanda, ut commodiùs dehinc, quando sub formâ pulveris fundum petierunt, à liquore separari possint: ut in auro & chalybe præsertim videre licet, usus est. Hoc etiam sale quidem corallia & perlas, destillato aceto prius dissolutas, præcipitare solent. Sal enim Tartari, sive siccum, sive dissolutum, perlis & coralliis additum, illa candidissima, instar pulveris, ad fundum præcipitare facit; quem multa aquâ postea edulcoratum, ratione suæ subtilitatis, magnifaciunt. Quando verò, mea quidem opinione, hæc ita consequendæ inprimis subtilitatis gratiâ peraguntur; existimo ego, melius fore, si corallia & perlæ, aqua aliqua destillatâ super lapide porphyrio (ut Pharmacopœi hactenus sunt soliti) optimè trita, in ejusmodi subtilis pulveris formam redigerentur, quam si, pro subtilisandis his ipsis, aceto destillato & sale tartari uteremur; de quibus in coralliis & perlis semper aliquid hærere solet: ut ita, mutato illorum naturali temperamento, conformem cum nudè tritis operationem edere haud possint: quod in aphorismis meis Chymiatricis sedulò monui. Quòd si Magisteria hæc, pro acquisitarum, in solutione & præcipitatione, qualitatum ratione aliis scopis quispiam destinaverit; liberum id esto Medico, qui iisdem pro discretione ac judicio uti scit ac didicit. Tandem denique sal tartari ingreditur etiam mixturam vasorum vitreorum crystallinorum; eodemque utuntur tinctores, aliique artifices Mechanici: de quibus hic ulterior dicendi locus non est.

Tartarus Vitriolatus, seu Sal Tartari Vitriolatus.

De hoc medicamento ubivis decantato, & familiari in omnibus Officinis, plurima præfatus sum *in Animadvers. n in Pharmacop. August. pag.* 454. sub tit. *Magist. Tartari, D. D. Augustan.* quæ, cùm lectu digna sint, & scitu necessaria, B. L. revolvere poterit. Hoc tamen Pharmacopœos ingenuos etiamnum advertere velim; quòd feliciori successu hoc medicamentum paretur ex *sale sicco Tartari*, quàm ex *oleo* ejus, seu *liquore*: sicut in prioribus etiam innui. Etenim ex *liquore Tartari* si illud conficitur, facillimè in aëre liquescit, & plurimas parit, in parandis ex eo medicamentis siccis, incommoditates: quemadmodum omnia talia medicamenta, vel pauculis horis in aprico & aëre relicta, humiditatem contrahunt inelegantem, nec in charta coërceri possunt, quin in liquamen mox diffluant. Quapropter ut hæc evitentur, & Tartarum paremus vitriolatum crystallinum, suis virtutibus resolventibus constantem; en! modum sequentem:

℞. Salis Tartari probè purificati & sicci uncias sex, vel octo:

cui, vitro largo immisso, superaffundatur pedetentim & successivè, ne nimium incalescat,

Spiritûs Vitrioli, vel Sulphuris opt. q. s. quousque nulla ampliùs ebullitio, seu strepitus, ex affusione spiritûs advertatur, ac *sal Tartari* à *spiritu* sufficienter saturatus sit. Quo facto, siccetur saturatus sal in lenissimo calore; qui denuo, s. q. aq. simplicis superaffusâ, solvatur, filtretur, & leni exhalatione aquositatis crystallizetur.

Virtutes hujus salis Tartari vitriolati notissimæ sunt: *Generale digestivum* illud proclamant D. D. Augustani; & *ad omnes obstructiones solvendas, in calculo, nephritide, ictero, mensium retentionibus, febribus, hydrope, splenis duritie, multo cum fructu* exhiberi, asserunt. *Medicamentis purgantibus aliis admixtum, ea in operationibus suis multùm intendit. Dosis scrupulus semis, ad scrupulum unum.*

Tartarus Vitriolatus Emeticus Purgans.

℞. Salis Tartari libram unam.
Liquefiat in crucibulo super igne: cui statim pedetentim injiciantur
Vitri Antimonii sine additione parati unciæ duæ.
Et, postquam liquefacta & benè mixta fuerint, bacillo ferreo ea commovendo, illico effundantur. Hinc massa refrigerata teratur, in aquâ simplici solvatur, filtretur, &, quando exhalavit leniter aquositas, ad pristinam salis siccitatem reducatur. Cui sali pedetentim & successivè instilletur
Spiritûs Vitrioli, vel Sulphuris q. s.
donec nulla ampliùs ebullitio seu effervescentia ex affusione spiritûs advertatur. Hoc signo apparente, exsiccetur massa salina Vitriolata; quæ denuo solvatur aquâ communi, filtretur, & leniter ac successivè, dum aquositas exhalarit, crystallizetur, aut in salinam statim siccitatem reducatur, usuique asservetur. *Purgabit leniter*; maximè *per inferiora*: quemadmodum Antimonium tali modo dupliciter correctum est; per salem nimirum Tartari, & spiritum Vitrioli. Hinc *præstabit in morbis chronicis, diuturnis, melancholiâ hypochondriacâ, febribus quartanis, & tertianis intermittentibus diuturnis. Dosis scrupulus semis, ad scrupulum unum.*

Tartarus Vitriolatus Antimonialis alius.

℞. Flor. Antimon. alb. uncias duas,
Cremor. Tartari uncias quatuor.
Coquantur in s. q. aq. simpl. repetitis vicibus, ad omnem virtutis prolectionem. Colaturæ omnes calidæ filtrentur per chartam emporeticam. Cum hoc verò decocto solvatur
Salis Tartari libra una,
& ad pristinam salis consistentiam & siccitatem, leni exhalatione aquositatis, reducatur. Huic porrò sali, *Essentia Antimonii* imprægnato instilletur pedetentim & guttatim
Spiritûs Vitrioli, vel Sulphuris q. s.
pro sufficienti saturatione salis (uti suprà dictum.) Hinc exsiccetur massa salina, ac denuò solvatur aquâ simplici, filtretur, & leni evaporatione aquositatis, vitreo in vase, ad salinam siccitatem reducatur, ac usui asservetur. *In virtutibus & dosi, superiori non absimilis erit.*

Tartarus Vitriolatus Solutivus.

℞. Rad. Mechoacæ albæ unciam unam,
Asari drachmas sex,
Hermodactyl.
Rhabarb. ana drachm. quinque,
Cremoris Tartari drachm. sex,
Incisa & contusa crassiusculè coquantur in s. q. aquæ simplic. repetitis vicibus affusæ, quousque omnes virtutes extractæ sint. Decoctiones & colaturæ collectæ, ac junctim, cum albuminibus ovorum probè clarificentur & filtrentur. Hoc cum Decocto clarificato & filtrato solvantur
Tartari Vitriolati unciæ quatuor:
& leniter, humiditatis, seu aquositatis evaporatione, vitreo in vase, ad pristinam salis siccitatem & consistentiam reducatur, usuique asservetur. *Operatur resolvendo, & educendo per inferiora feliciter.*

Tartarus Vitriolatus cum Succo Mercuriali.

℞. Tartari Vitriolati, seu salis Tartari, cum spiritu Vitrioli suffic. impraegnati & saturati, uncias sex:
solvatur cum
Succi herb. Mercurialis recenter express. optimè depurati & clarificati, libris duabus:
ac leni calore, & exhalatione aquositatis, ad siccitatem salis reducatur. Servetur usui. *Laxat alvum leniter.*

Nota: Plures modi, quâ ratione *Tartarus Vitriolatus* in virtutibus suis solutivis, diureticis, ac resolventibus, sit augendus, hîc adduci possent. Verùm quia ex præmissis omnia clarè patent; &, juxta eorum ductum, quilibet peculiarem Tartarum Vitriolatum sibi apparare poterit; idcircò pluribus supersedeo, & ad alia progredior.

Bal-

Balsamum Tartari.

℞. Olei Tartari per deliquium facti libram unam, uncias duas:
hoc fundatur super
Cremoris Tartari, seu Tartari crudi Veneti albi, subtiliss. triti, libram unam.

Factâ maceratione per biduum, loco calido, totaliter iterum in Massam salinam, exsiccando, convertantur. Ex hac massa, in pulverem redactâ, extrahatur *Tinctura*, vel cum *spiritu vini*, pro *usu interno*; vel cum *acete destillato*, aut etiam cum *aquâ* aliquâ *destillatâ*, pro *usu externo*; quousque rubedo aliqua in menstruo affuso appareat. Tincturæ postea omnes, seu tincti spiritûs, aut aqua, seu acetum tinctum, quocunque demum illorum extraxeris, ad *mellaginem*, seu *syrupi*, aut *liquoris crassioris*, consistentiam abstrahantur; qui usui asservandus. *Est medicamentum anti Podagricum*, *anti-Nephriticum*, & *laxativum*: *medicamenta purgantia violenta reddit benigna*, & *lenit, quò mitiùs operentur.* Hinc *in morbis diuturnis*, *chronicis*, *sive per se*, *sive aliis medicamentis admixtum*, *eximias obtinet vires*; *tum internè propinatum*, *à scrupulo uno*, *ad drachmam semis*; *tum externè*, *membris dolentibus podagricis*, & *tumoribus duris œdematosis*, *dextrè applicatum.*

Tinctura Tartari.

Commodissimè illa extrahitur ex *Tartaro* simpliciter, in furno figuli, & fortiter deinceps etiam calcinato, donec variegatis coloribus appareat; & quidem cum *spiritu vini*; repetitâ extractione, & affusione recentis spiritûs, quousque rubedo in extrahente spiritu appareat. Spiritûs postea tincti omnes in B. M. ad justam *Tincturæ* consistentiam abstrahantur; quæ studiosè asservetur. *Confert in ciendâ urinâ*, *melancholia hypochondriaca*, *obstructionibus hypochondriorum* & *mesenterii. Hydropi* & *Scorbuto medetur. Dosis à scrupulo semis, ad scrupulum unum.*

Sal Essentialis Vini.

Hunc Tibi, A. L. candidissimè revelo, *in Apologia n.* adversus quendam *Ottonem Tackenium*, qui se *Hippocratem Chymicum* seditiosè & arroganter, alienis spoliis, fuco ac pennis, inauguravit. Hanc ut legas excursionem nostram, Regiæ Pharmacopœiæ annexam, amicè hortor. Plurimis enim cùm Philosophicis, tum Medicis rationibus & argutiis abundat, nec non clavis est perfectissima, quâ Animadversionum, & reliquorum nostrorum operum, abdita penetres, & felicissimè reseres. Non dubito, quin te delectatura sit rerum varietas & delectus? quanquam forsan justis parentabis gemitibus Zwelfero Tuo, quem pro tot officiis, Reipublicæ Medicæ positis, innocuè & crudelissimè vides ab ingratissimo Thrasone arietari. Sed reperit suum hæc fera domitorem, ne ultro præsumat nocere, & innocuos laniare.

Sal Tartari Volatilis.

Quid de hoc *volatilizato Sale Tartari*, de quo Doctiss. ac Celeberrimus, re & famâ Philosophus & Medicus, Helmontius, in suis operibus multum gloriatur, illumque nobis studiosè commendare videtur; adeò quidem, ut nobis vice dissolventis ipsius universalis esse possit; licet ejus præparationem nullibi indigitârit, sed, more solito, duro & novercali in posteritatem animo, occultarit, & ancipites nos dereliquerit: de hoc, inquam, quid sentiendum & tenendum sit, & quâ viâ ac methodo is apparandus, fideliter communicavi *in præmissa Pharm. n. Regiæ Classe XV. p. 719.* & *seqq.* quam L. B. haud gravatim revolvere dignetur.

Plura alia, necessaria simul ac utilia, ex arte Chymica parata medicamenta, invenies in *n. Appendice ad Pharm. Augustan.* & Mantissa Spagyrica. Ea igitur cum cæteris hoc n. in opere hinc indè citata & allegata loca relegere & hûc referre, Te rogatum volo.

Hisce, Amice Lector, Coronidem ac ultimam imponimus manum Lucubrationibus no-

nostris; quas indefesso hactenus conatu ac vigiliis, velut totidem temporis spoliis continuavimus. Nondum, fateor, abrupissem filum, quin Miscellaneorum & rarissimorum Medicaminum seriem ac classem ultimam attexuissem, magno, non dubito, Philiatrorum emolumento; nisi me irrequieta Praxis, & negotiorum moles, tantùm non opprimeret; vel potiùs, nisi inglorii Thrasones & Zoili, malevolorum & petulanter insanientium turba, velut totidem sapientiæ probra & spurii fœtûs, omnem everterent genium, ac deluderent conatum; dum propria solùm adorant, quæ verò alieno Marte præclarè gesta, emissitiis ac fascino plenis oculis suis & supercilio contumeliosè despiciunt. Quos ut imposterum cautè devitem, lassatos repono artûs, ac pennam pro nunc recondo, deinceps in pacis umbra, & sapienti otio, respiraturus. Dabit interim DEUS his monstris, & Hydræ, Herculem: quibus triumphatis, uberiora pandam arcana, nec non victorias lætumque Pæana decantabo. Tu interim, Amice Lector, nostris lætus gaudeto manipulis & laboribus; quos inter lachrymas, & nunquam detersis sudoribus, seminavimus. Vale, & vive benignus tuo, qui pro te has tulit excubias, Zwelfero.

Dixi.

IN-

INDEX GENERALIS,

Numerus prior est Pharmacopœiæ Augustanæ; posterior Regiæ, tam in generali quam speciali Indice.

CLASSIS XVI.

CLASSIS XVII.

CLASSIS XVIII.

CLASSIS XIX.

CLASSIS XX.

Index Capitum in

MANTISSA SPAGYRICA.

INDEX SPECIALIS,

Sive particularis, Simplicium, & Compositorum, aliarumque rerum notabilium: Tam in Pharmacopœia Augustana quam Regia, contentarum.

Auri

Chy-

Ele-

Lau-

M.

N.

P.

Pulvis

Satur-

in

T.

Tin-

A P-

APPENDIX
AD
ANIMADVERSIONES
IN
PHARMACOPOEIAM AUGUSTANAM,

Ejusque

ANNEXAM MANTISSAM,

In qua

Quæ in illis aliquanto forſan obſcuriora & manca viſa ſunt, tantò dilucidiùs & enucleatiùs expanduntur, & perſpicuis notis illuſtrantur, ut non ſolùm ad priorum exactiorem notitiam facere, ſed novis inſuper ſecretioribuſque remediis, & doctrinis affatim adaucta, Philiatrorum gratiæ eſſe poſſint.

Operâ & ſtudio ejuſdem Authoris

JOANNIS ZWELFERI
PALATINI, M. D.

ANNO DOM. CIƆ IƆ C LXXII.

Serenissimo, Potentissimo Principi,

DOMINO DOMINO

LEOPOLDO,

Hungariæ & Bohemiæ Regi : Archiduci Austriæ : Duci Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, & Wirtenbergæ, &c. Comiti Tyrolis, &c.

NOviter in Medicæ artis censuram prodeunti labori meo, ut publici favoris viam benignitate Regiâ aperias, facilè exorari TE sines, REX SERENISSIME POTENTISSIME: Tu enim clementiâ illâ DOMUI AUSTRIACÆ innatâ, non poteris non dignari clientem, qui ad votum TUUM, juxta illud, Suprema Lex Salus populi esto, avidissimè conspirat; dum errores circa genuinam componendorum & præparandorum medicamentorum Methodum passim committi solitos, quibus populus in dispendium æris & valetudinis sæpè sæpius præcipitatur, in lucem omnium profert, detegitque, ut hac etiam in parte subditi TUI feliciùs vivant. Quod verò audaciore fronte in MAJESTATIS TUÆ conspectum se sistere, & ad virtutis AUSTRIACÆ pluribus, faxint Superi! coronis laureandæ, tholos suspendi gestiat opella hæc mea, eo optatu, ut reperiat illic asylum, & sub REGIIS anciliis tutamen contra tot apertam hâc in causâ veritatem cum juge orbis allatrantium Zoilorum odium & invidiam, non opus erat incitamento alio, quàm quòd primâ editione apud SERENISSIME FRATRIS (invidentibus Terræ Cœlis tantum thesaurum, ideoque inter indigetes ἐν τοῖς ἁγίοις transpositum) Regiam Clementiam non passa repulsam, Successori per Singularem Numinis providentiam sapienter Nobis proviso totam sese debere humillimè protestetur, agnoscatque eodem tramite sibi tendendum

auctæ, quo præiverat antè. Qua propter hanc opellam meam auctam, dum ad REGIUM obsequium reverenter demitto, eamque in debitæ subjectionis tesseram clementissimè recipi & foveri exopto, simul etiam indefessis precibus Regem Regum, ut MAJESTATEM VESTRAM, AUSTRIACÆ DOMINATIONI FIRMAMENTUM, subditis Principem, Orbi toto & generi humano Delicias, longævâ felicitate pennare jubeat, & conservare dignetur humillimè oro, addito eodem, quo priorem dedicationem concluseram voto,

Ut Regna adjungat Regnis, nova Sceptra Coronis!

REGIÆ MAJESTATIS VESTRÆ

æternum devotus

JOANNES ZWELFER.

PRÆ-

PRÆFATIO.

Benevole Lector.

Qui iſtis temporibus, neſcio quo genio malè perſuaſi arbitrantur, ſaluberrimam præparandorum & componendorum medicamentorum artem à Veneranda antiquitate ut inventam, ita ſatis excultam ad id faſtigii exſurrexiſſe, ut qui ei aliquid conatur addere, is cum Gigantibus impiam Cœlo monomachiam movere dicatur; ſed, hic & nunc Jovi Statori aram ponendam, nec cogitandum de plus ultra, & omninò Veterum veſtigiis inſiſtendum; Illi, inquam, non exiguam ingerunt Rei Medicæ injuriam, dum recentioribus ingenii ſui divino igniculo ſuſcitati fœtum, in publicum emolumentum conferentibus, litem movent; à qua tamen immunes & abſolutos eſſe jubent Galenum & Arabes, quorum hi in Galenum, iſte in Hippocratem additamenta, id eſt, eandem culpam committentes, fecerunt. Profectò ſi & hi ætate ſuâ ſimiliter ſenſiſſent, næ, vix umbram veritatis haberemus, ipsâ veritate in putei fundo, ſeu ignorantiæ tenebris adhuc immersâ. Erat nimirùm ſeculo Hippocratico Medicina embryonis inſtar, à divino Sene veluti recens concepta, rudi membrorum adumbratione confuſa, quam dein, veluti urſi partum informem, Galenus, Hippocraticæ Majeſtatis aſſertor, lambendo, id eſt, libris de Compoſitione Medicamentorum & aliis, paulò diſtinctiorem reddidit & perfectiorem; ita tamen, ut & poſteris Arabibus Mauritaniſvè locum reliquerit minimè anguſtum, ſuæ etiam ſegetis meſſem in horreum medicum convehendi. Cùm enim apud Hippocratem & Galenum vix audias præter Peplium, Colocynthidem, Eſulam, Veratrum & ſimilia extremarum quaſi torturarum inſtrumenta, quorum uſus tot præcautionibus vix ſatis circumſeptus etiam peritis adhuc horrori eſt, iſti Arabes locuplete benigniorum remediorum ſuppellectile rem medicam ditârunt auxeruntque: undè quòd incognitam Rhabarbari radicem ſciamus purgare flavam bilem ſuaviter; Senæ folia ſine querela eſſe vacuando humori atro; Laricis fungum Agaricum ad phlegmaticam ſaburram non violenter evertendam dicatum; Saccharum, Mannam, Caſsiam, & ſexcenta alia Pharmacopolii pyxides eleganter non minùs quàm abundè diſtinguere, totum experientiæ eorundem debemus, qui, quæ in Veterum mentem haud deſcenderunt, labore improbo aperuerunt, ſuis vigiliis priorum induſtriam ſuppleverunt, &, ut paulò jucundiora remedia extarent, effecerunt. Sed quid hæc noſtra commemorem? quis illorum vel aquæ Roſaceæ ſaltem eleganter deſtillandæ rationem tradidit? quis Olei Still. Eſſentiæ genuinæ, Magiſterii veri & ſimilium artificium literis conſignavit? Undè meritò ſentiendum, multa illos ſciviſſe, plura latuiſſe.

tuisse. Etenim DEUS *suorum bonorum in tempore, pondere & mensura pro sanctificantis suæ voluntatis benè placito Dispensator justissimus non totum sese in codices Veterum (ut araneus telam suam,) exhausit, quin huic & futuris seculis quædam reservaverit. Consideremus porrò & oculis nostris subjiciamus præparationes antiquorum, quid aliud sunt, quàm externas tantùm sordes abradere? superficietenùs impuritates abluere? noxias qualitates Sacharo & Melle (ad palati solummodò decipulam, quicquid interim contracto præcordiorum horrore & nauseâ sentiat stomachi Oeconomius) non dico corrigere, sed duntaxat fuco quasi oblinire? Coquus certè, qui animalium interanea sincera, id est amurcâ fecum adhuc fœta, tetro eorum sapore per multitudinem aromatum tantisper sopito, & fœtore per Ambræ Moschique suaveolentiam suppresso, mensæ tuæ apponeret, multis stultus hic Magirus vapularet. Quod si morbo decumbentibus (ne, quod animo stat minuere, plus generetur excrementi, neve hebetiores ad solidioris cibi concoctionem impuresque vires penitus opprimantur) exhibemus non cibos sanorum trituratorum modò coctos, sed abjectis siliquis in Contusæ, Consummata, aut Gelatinas redactos offerimus, cur idipsum operâ non minùs necessaria non liceat in præparatione medicamentorum? Undè Galenus cum animadverteret, naturam à primo generationis exordio, & in ipso matris utero spagyricam therapiam exercere, & per varias alimenti jam assumpti metamorphoses, antequam in deperditæ substantiæ locum, optimam etsi minimam illius portionem nostri corporis partibus adjungit, in ventriculo, hepate, corde, pulmonibus, arteriis, venis, & singulis denique partibus, tanquam variis digestionum culinis, multiplicem inutilium ab heterogeneis partibus perficere separationem, intimo animi voto exoptavit simia & imitator fieri naturæ. Viderat sagacissimus salubrium Indagator, simplicia medicamentorum corpora, quemadmodum nobis à natura suppeditantur, non pura, sed compluribus excrementis mista: sæpè in unius medicamenti corpore, sub unâ quâdam communi formâ plures partes essentiales diversarum virtutum, non à naturâ sed ab arte naturam perficiente, separabiles contineri, sæpè qualitates sibi invicem, aut naturæ nostræ manifestâ vel occultâ antipathiâ peculiariter adversas, & non raro plùs mali in medicamento, quàm in morbo latere: idcircò propter inconvenientem facultatum compositionem certas nostri corporis partes lædere vel juvare, neque semper crudum & integrum simplex quibusvis individuis posse adhiberi, stimulo sciendi compulsus,* 1 Simpl. 17. scripsit, se promptissimè omnia pericula subiturum, si quam machinam vel artem posset invenire, (*de aceto loquens*) sicut in lactè contrariarum partium, seri coaguli, & butyri separationem instituendi. *At facili sanè negotio Galenus hujus voti compos fieri potuisset, si ea, quæ de Theriaca ad Pisonem c. 18. scripsit, ad elegantiorum medicamentorum præparationem transtulisset, cum dixit:* Ignis multa efficit meliora, & interdum latentem rerum naturam detegit, quæ-

dam

dam etiam, in quos volumus usus, ignis apta reddit. Aurum quippe igne à nobis examinatur, & hoc pacto purum ab impuro separatur: Nonnulla quæ nutrimenti causa sumimus, igne nobis idonea redduntur: Panis & pecudum pisciumque carnes, quamdiu cruda sunt, non appetuntur, at ubi cocta fuerint, etiam in nutrimentum cedunt. Denique multa reperiuntur ad structuram medicamentorum attinentia, quæ, donec priscam suæ naturæ rigiditatem servaverint, acerrima sunt & corporibus inimica, ignium autem virtute temperata, nobis idonea fiunt. *Sed Pyrotechniæ laboribus deterritus in vulgaribus subsistit, & non solùm ingratum, sed etiam agonisticum catharctici haustum exhibuit, quo paulò delicatior æger, viso etiam vix poculo, solâ nauseabundâ saporis & odoris phantasiâ exhorrescens, & quasi aliquâ vi magneticâ concitatus* ἄνω ϰ̀ κάτω, *susque deque quicquid intra ventriculum boni malique nullo discrimine continetur, eructat; dum interim hodierni temporis Medici, ingenioso Pyrotechniæ beneficio, ad omnium morborum genera, non solùm è familia plantarum & animalium, sed etiam è mineralium & metallorum regno, saluberrima morborum remedia, parvâ & jucundissimâ saporis dosi promptissimè in actum deducenda, veteribus penitùs ignota adinvenerunt: Ex quibus feroci purgantium veterum impetu valere jusso, in ægrorum incomparabile solatium gratissimæ potiones concinnantur, & per prudentem simplicium præparationem artificiosam eorundem compositionem, gustûs, odorisque lenocinio, dosis parvitate & operandi celeritate antiquorum nauseabundis formulis jucundissimâ permutatione substituuntur. Nec dum tamen exhausta est omnis nova excogitandi & præclara inveniendi facultas* Multum egerunt, inquit Seneca, qui ante nos fuerunt, sed non peregerunt: multum adhuc restat operæ, multumque restabit; neque ulli nato post multa secula præcidetur occasio aliquid adhuc adjiciendi. *Hinc cùm tanta Dispensatoriorum & Pharmacopœiarum farrago sit, ut pleraque talia volumina tenebris potiùs opprimenda, quàm nova in lucem videantur edenda: Et præterea haud pauca in illis omissa, plurimaque perperam tradita sint; Idcircò volui & ego, cùm in præmissis* Animadversionibus, *tùm* hac Appendice *meas adinventiones ex vera ratione & experientiâ conscriptas, nemini tamen adhuc visas vel animadversas ad solatium deliciumque generis humani Doctorum Virorum censuris & examini subjiciendas in publicum orbis theatrum proferre. Et licet etiam* præmissæ in Pharmacopœiam Augustanam Animadversiones *non paucis fortè in arte peritis sufficiant, ut juxta illarum regulas compositiones imposterum concinnè conscribere, nec minus dextrè & artificiosè elaborare, queant: Verùm, cùm etiam sint non pauciores, qui mentem meam nondum intimiùs advertant, seipsos sinistro judicio, quod sæpenumerò inaudire oportet, prodendo, ac prætereà plurima necessaria notatuque digna restent adjicienda, propterea ratus sum, me non ineptè facturum, si præmissis Animadversionibus, ubi forte*

alicui obscuriores videntur, lucem clariorem adferam, adjunctis rationibus perspicuis, monitiones illas & regulas ad amußim rationis Physicæ & experientiæ directas, imò unicè necessarias esse; Et tandem quæ manca & rudia quasi mansêre, plurimis remediis secretis, aliisque scitu haud indignis excolam. In quibus omnibus si quidpiam in proximi commodum, cujus utilitati me semper devinctum agnosco, excogitatum intellexero, utrique nostrûm gratulabor: Si verò meliora nosti Lector candide, ea citra sarcasmum & livorem communi ægrorum saluti candidè etiam communica, & ex meo voto semper vive felix, donec vivas Mannâ & Melligine tangas.

APPENDIX AD ANIMADVERSIONES IN PHARMACOPOEIAM AUGUSTANAM, *Ejusque* ANNEXAM MANTISSAM.

Additio ad Classem Primam, de Syrupis Alterantibus.

QUòd Medicamentorum plures compositiones veteratâ consuetudine in publicis pharmacopoliis prostent, licet de illis intra annum vix præscribatur uncia aut drachma haud minima hucusque Pharmacopœorum fuit querela: Namque facilè advertere est, sumptu non exiguo pro superfluis plurimis fieri expensas, ità ut cui Pharmacopœo copia æris facti non sit, totus illis exhauriatur, impos ad magis necessaria futurus. Inter tales compositiones primum, ordine & multitudine inutili, tenent locum Syruporum alterantium haud pauci, qui vel rarissimè à Medicis in usum trahuntur, sive ii tradantur oblivioni, sive quòd, cùm copiam Sacchari ad sui conservationem, quâ incorrupti in unum vel alterum annum durent, requirant, nauseabundam & vel insalubrem constituant medicinam. Proindè, licet is ego non sim, cui data sit potestas reformandi pharmacopolia, omninò tamen consultum, & è rebus Medici, Pharmacopœi & Ægri bonis esse firmiter asseverо, præstare, carere pluribus compositionibus, quæ raros veniunt in usus; eorum autem loco, si quando tempus & ratio ita postulat, præparare ex ingredientibus illorum Apozemata cum pauciore Saccharo, ut quæ in plures annos non asservanda, sed in pauculos dies dispensanda destinantur & præscribuntur. Inter illos Syrupos autem non minimi momenti est is, qui de *Absinthio* dicitur, præstantissimus sanè ob ejus ingredientia, in roborando ventriculo, ni nimiâ quantitate Sacchari illa opprimerentur. Potest autem efficacissimus potus vel Apozema stomachicum, ex iisdem Syrupum hunc ingredientibus, solo dempto vel diminuto Saccharo, parari, quod palato jucundius, ac insuper in effectu efficacissimum existet. Modus autem sit talis:

Apozema Stomachicum.

℞. *Absinthii Pontici seu Romani, aut si mavis nostratis libram semis,*
Rosarum rubearum uncias duas,
Spicæ Indicæ drachmas tres.

Incisa saltem parumper, vasi sive stanneo, sive terreo vitreato immittantur, & superfusis
Vini clari veteris opt.
Succi Cydoniorum recent. ana fervent. libris tribus semis,

Stent in infusione loco calido, vase benè obturato horis tribus vel quatuor, pòst colentur, colaturæ addendo
Sacchari albiss. unc. quatuor circiter,

 Vel

Vel quantum Patienti & Medico libuerit; nam *Saccharum* saporis & dulcedinis gratiâ tantùm, ad demulcendum saporem ingratum & amarum additur. Item instilletur

Spiritus Vitrioli q. s.

Pro grato sapore, ad majorem viscerum corroborationem, filtretur per manicam Hippocratis, aut per residentiam depuretur, fiatque potio clara non injucunda, ventriculum & hepar insigniter roborans.

Nota: Si superioribus speciebus vel ingredientibus infusioni destinatis, plura ventriculum roborantia simplicia addere libuerit, utpotè *Cinamomum*, *Nucem Mosch. Calam. aromat, &c.* licet. Addo hæc & similia subsequentia, ut Juniores praxin medicam inchoantes habeant formulas & exempla Medicamentorum saluberrimorum ex tempore parabilium, juxta quæ, si fortè effœta illa ac vetustate corrupta medicamenta & composita illis non arriderent, sua ægro & tempori accommodare possit.

Syrupum *Acetositatis Citri* quod spectat, in cujusdem *Animadversionibus succum Citri* in M. B. ad tertias abstrahere non abs re præcepi, antequam *Saccharum* illi adjiciatur: Nam *succus Citri* quò submissiore ignis gradu, nullo addito *Sacchar*o, destillando abstrahitur, eò clarior permanebit, nullaque rubedine inficietur, aciditate insuper suâ integrè in residuo manente; secus eveniet, si is aperto igne Saccharo commixtus lentè & diu coquitur, solent enim *acidi liquores Saccharum* evidente rubedine inficere, si diutiùs cum eo digerantur aut coquantur.

Succus Citri cur in M.B. ad tertias pro Syrupo abstrahendus.

In præparatione *Syrupi Acetosæ ex succo*, item *Acetosellæ*, si Pharmacopœi imitari velint modum in *Animadversionibus Syrupi de Melissâ & Betonicâ* indigitatum, haudquaquam perperam fiet, quippè quò majores virtutes in Syrupum vel aliam medicamenti consistentiam coarctari possunt, eò majus Patienti vel ægroto emolumentum, & cùm Medico tùm Pharmacopœo laudem conciliabunt.

Syrupus Acetosæ & Acetosellæ qualiter parandi.

In Syrupi *Acetosi simplicis* præparatione hoc observetur, ut si Pharmacopœi *Saccharum purissimum Canarium* addere parcant, malintque, quod quidem non perperam fit, quodammodo impurum, *Mellis* aut *Farinæ* uti vocant, sumere, ut illud *albumine ovi*, *aquæ s. q.* affusa clarificent, & ad consistentiam tabulati coquant prius, quàm *acetum* addant, ne res quædam heterogeneæ, *Saccharo* impuriori commisceri solitæ, ab *aceto*, dum illi non clarificato, sed adhuc impuro affunditur, solvantur, & consequenter Syrupo pòst maneant non sine incommodo permistæ.

Syrupus Acetosus simplex.

Saccharum cum Aceto non clarificandum, & cur?

Quod ad Syrupum *Acetosum compositum* Mesuæ attinet, hoc, Lector Amice, antequam sinistrum feras judicium, observes velim: Nimirùm *acetum sive crudum sive destillatum Vegetabilibus* affusum, non perinde ac si *Mineralibus*, aut *Perlis* sive *Corallis* admotum esset, destrui, & in aliud ens solvendo prædicta converti, sed integrâ aciditate servatâ, viribus insuper extractarum partium sulphurearum prægnans, longè aliter, ac succi expressi acidi per Alembicum transire: distinguendum itaque inter acidum naturâ suâ, & acidum arte aut fermentatione factum; hinc dextram hujus Syrupi in Animadversionibus præscriptam præparationem concipies & commendabis.

Acetum Vegetabilibus affusum in aciditate non destruitur.

In destillatione aceti & succorum acidorum ingens est differentia.

Sequens Syrupus *Acetosus Diarhodon* quæstiones nobis ventilandas præberet haud paucas, ob *acetum* & *succos* admixtos; verùm cùm paucis comprehendi nequeat, & præscriptâ præparatione non mutatis mutandis vix accuratiorem addere queam, utut sæpiùs eam apprimè consideràrim, hoc unicum, ut loco *simplicis aceti vini*, *destillatum* substituatur, monere debui.

Fernelii Syrupus *Dialthææ*, ingredientibus ejusdem benè pensitatis, prout etiam in *Animadversionibus* demonstratum, legitimè parari nequit, idcircò admonitum velim, ut qui vel illo opus habet, aut eo carere non vult, sequentem emulsionem brevi parabilem ex iisdem Syrupum ingredientibus, sibi confici curet, modo sequenti:

Syrupus Dialthææ in emulsionem convertitur, contra urinæ ardorem.

℞. *Rad. Althææ,*
Graminis,
Asparagi,
Glycyrrhizæ,
Uvarum passarum mund. ana unciam semis,
Cicerum rub. unciam unam,

Cyma-

Cymarum Althææ,
Malvæ,
Helxines,
Pimpinellæ,
Plantaginis,
Adianti utriusque ana
Manip. unum.

Coquantur in *s. q. aquæ simpl. ad libras quatuor*, colaturâ clarificatâ interim servatâ. Jam verò.

℞. *Semin. quatuor frigid. major. excort.*
minorum an.
drach. tres.

Contundantur opt. in mortario cum *decocto superiore asservato*, fiatque emulsio, quæ colanda: colaturæ adde

Sacchari albiss. Canar. unc. quatuor.

Misceantur pro potu eorum, qui ardore urinæ laborant.

Quam ob causam in Syrupi *Aperitivi Magistralis Mindereri* dextrâ præparatione nostrâ, *succos* una cum *aceto scillitico*, *speciebus aliis ejusdem Syrupi* affundere, & ad *libras duas* circiter *liquoris* in arena fortiter abstrahere præceperim; *prioris* tamen *aquæ abstractæ librâ unâ* asservatâ, paucis, quàm fieri poterit, dum explico, adverte. Studui unicè in præparationibus hujus & similium Syruporum, ne vel minimum de virtutibus ingredientium coquendo vaporetenùs exhalaret, aut quocunque alio modo deperderetur, sed quantum fieri potuit, licet in rebus quandoque apertè invicem repugnantibus, cuncta sarta tectaque servarentur: Itaque ut subtiliores partes cùm *aceti* tùm *succorum* primâ statim destillatione forti, in arena prolicerentur, *reliquum verò remanentis liquoris* in Alembico, à speciebus per colaturam & expressionem liberati & clarificati in vase terreo vel vitreo *ad libram unam* exhalaret, studiosè attendi: Namque *prior libra aquæ abstractæ* subtiliores spiritus *succorum & specierum reliquarum ingredientium*, nec non *aceti scillitici*, ob fortiorem destillationem in arena admistos habebit; *residuum verò in fundo Alembici decoctum expressum, clarificatum, & ad libram unam coquendo abstractum*, terrestriores vel crassiores, summè tamen utiles & roborantes eorundem partes, ut & *aceti scillitici*, continebit, quæ in unam denuò coadunata liquorem, non possunt non vires suas, debitè exhibita, exserere.

In præparationibus medicamentorum rerum virtutes integrè conservandæ sunt.

Syrupo *Arantiorum ex succo*, quò majores virtutes illi imprimantur, possunt *aquositate succi Arantiorum ad libram unam* circiter per Alembicum in M. B. abstractâ, *residuo in cucurbita succo* aliquot unciæ *corticum eorundem, scil. Arantiorum*, immergi, aliquandiu simul digeri, & cum *s. q. Sacchari* sine ulteriore ebullitione in Syrupum redigi, ad normam Syrupi *Acetositatis Citri* Dispensatorii nostri novi; *Succo enim, à quo Phlegma quasi ad libram unam* in M. B. abstrahere præcepi, nil de virtutibus ejusdem demitur, deceditvè: Si verò quispiam eximias in *abstractâ aquositate Arantiorū*, virtutes latere putaverit, licet *ille ipse liquor aquosus* aliàs in Syrupi ad consistentiam justam decoquendi præparatione exhalare debeat, is *aquam illam* vel *succum destillatum*, ac unà cum Syrupo ægrotantibus exhibeat, sic nulla subintrabit perdendæ rei cogitatio.

Syrupus Arantiorum è succo.

Succo Arantiorum, abstrahendo ejus aquositatem, nil de virtutibus demitur, sed in residuo manet.

Sequentes de *corticibus Arantiorum* Syrupi *Animadversiones* elegantiâ non minore, quàm artificio, memorandum ejus continent præparandi modum, dignum qui posteris studiosè commendetur. Etenim si prima cum *corticibus Arantiorum* destillatio, *vino* præsertim *aquæ* substituto (vel si mavis *vino jam tùm destillato Malvatico*, si *Phlegma à vino destillato residuum cum corticibus* nauseosum & inutile existimares,) instituatur, insignis profectò odorifera & penetrantissima aqua indè elicietur destillando, id quod etiam obtusæ nares dijudicare queunt: *illa ipsa autem abstracta aqua virtutibus corticum Arantiorum subtilioribus carminativis & cordialibus jam imbuta*, majoribus insuper viribus novâ *corticum eorundem* immersione impraegnatur, & tandem, ne ullius rei fiat jactura, quàm operæ pretium sit asservari; nobilitatur porrò Syrupus partibus etiam terrestrioribus *corticum Arantiorum* perindè necessariis roborantibus, *decocto* sc. sæpedictorum *corticum*, quod cum *Sacchαro* exhalare debet, ut saltem extractum *eorundem cort. Sacchαro* commixtum maneat, antequam *prior à corticibus destillata spirituosa & penetrantissima, recentibus insuper corticibus essentificata*

Syrupus de corticibus Arantiorum.

tificata aqua, competente in quantitate *dicto Saccharo* commisceatur. Meritò proindè hunc Syrupum, & similem in modum alia parata medicamenta, quorum haud exigua copia in nostris *Animadversionibus* prostat, essentiæ nomine insignire possumus; quippe omnia, quæ ad veræ alicujus essentiæ comparationem desiderantur, uberrimè in illis continentur: Hinc etiam Syrupum de *floribus Arantiorum* similem in modum conficiendum esse arbitror, qui ipse non minoribus roborantibus & confortantibus, imò majoribus illò, taliter paratur, viribus erit dotatus.

Syrupi *de Cinamomi* præparatio, paulò compendiosiore viâ quàm in *Animadversionibus* indigitata est, institui potest. Imitatus enim sum in dictis *Animadversionibus*, antiquas reiteratas infusiones, in præparatione ejusdem ab Authoribus studiosè præceptas, ut eò lucidiùs errores, contrariis nimirùm juxta se positis, elucescerent; secus enim, si mei arbitrii res fuisset, haud parùm ab antiquâ methodo, tàm quoad compositionem, quam præparationem ejusdem jam tùm declinassem. Poterit igitur, si volupe fuerit, parari juxta sequentem præscriptionem:

Syrupi de Cinamomo dextra præparatio.

℞. *Cinamomi opt. & acutissimi crassiusculè concisi, uncias decem.*

Cui Cucurbitæ vel potiùs retortæ vitreæ immisso, superaffundantur

Aquæ Cinamomi libræ duæ,
Vini Malvatici libra una,
Aquæ Rosarum unciæ duæ.

Factâ pòst digestione unâ alterâvè die, abstrahantur in arenâ & quidem per retortam vitream *libra una semis, vel libræ duæ*, igne paulò fortiore, *quâ aquâ spirituosâ* interim asservatâ, eximatur *residuum in fundo retortæ Cinamomum à destillatione relictum*, atque affusâ s.q. *aquæ simpl.* coquatur, *decoctum ejus colatum* clarificetur, & cum

Sacchari libris duabus semis,

evaporet ad consistentiam *Sacchari* pristinam sive tabulati, cui demùm de *superiore aquâ spirituosâ Cinamomi* tantùm addatur, quantum pro justâ Syrupi consistentiâ sufficere videbitur, scilicet *librâ unâ semis, vel ad summum libra una & unciæ septem vel octo*, ac solâ dissolutione *Sacchari* sine ullâ ebullitione fiat Syrupus præstantissimus.

Auctarii loco adjicio & hanc cautelam, quòd si fortè in destillatione, quam paulò fortiore igne & per retortam in arenâ perficere jussi, ob *Olei Cinamomi* gravitatem, quod nec leni destillatione balnei prodire, nec nimis in altum scandere potest, *oleum quoddam Cinamomi* una cum *aqua* prolicceretur, &, ut solet, fundum peteret, illud prius esse separandum, & ex eo *Elæosaccharum* conficiendum, ne vel fundum petat aut Syrupo supernatet, sed per minima cum Syrupo uniatur.

Oleum Cinamomi ob sui gravitatem leni destillatione per balneum non prodit.

Notetur præterea, *spiritu quodam ardenti rectificato*, sive *Rosarum* sive *vini rectificato*, *oleum Cinamomi* posse dissolvi totaliter, quæ ipsa solutio Syrupo crassiori addi & commisceri posset, quò exactiùs per intima & minima unirentur: Hæc tamē non eâ de causa addenda existimavi, ut ubique locorum Pharmacopœi, sine Medicorum consensu Syrupum hunc Cinamomi, cum *solutione olei ejusdem spiritu vini peractâ* conficiant; sed ut saltem appareat, quâ ratione res contrariæ, heterogeneæ, *scil. aqua & oleum* uniendæ, imò, quâ ratione ex *solo Cinamomi oleo* vel Syrupi vel essentiæ præstantissimæ confestim sint parandæ, morbis à frigidâ causâ obortis, præsertim in senibus, proficuæ.

Oleum Cinamomi spiritibus ardentibus illicò dissolvi potest.

Quod Syrupum *Coralliorum* attinet, quamvis eundem in *Animadversionibus* legitimè parare edocuerim, nihilominùs cùm fortè ob *succum Berberum*, quem authores in præparatione ejusdem adhibent, non omnibus naturis, præsertim fœminis, quibus hic Syrupus utplurimùm dicatus, conducibilis sit; idcircò quasdam alias præparationes addam minimè spernendas, è quibus quilibet eum sibi eligat modum, quem è re sua, ægrisque magis profuturum esse, existimabit. Utpotè

Syr. Coralliorum vera præparatio.

℞. *Vini Malvatici unc. octo vel novem,*
in quo vel
Cortices Citri recentes extimi, vel
Cortices Arantiorum recentes, aut
Cinamomum, Macis, Melissa, Rorismarinum, sive aliud simplex intentioni & arbitrio cujuscunque Medici accommodatum, infusa steterint.

In

In quo vino dissolve
Magisterii veri solut. n. Coralliorum rub. suo loco edocendi, unc. duas.
Hoc soluto adde
Sacchari albissimi contusi lib. unam.
Ac solâ dissolutione *Sacchari* in leni calore fiat Syrupus.

Nota: Quòd loco *vini Malvatici*, *aqua Cinamomi*, *succus Granatorum*, *succus Cydoniorum*, *Melissæ*, *aut alius cordi*, vel ægrotantibus aliis *visceribus*, quibus hic Syrupus destinatur, *conducibilis liquor*, sive per se, sive rebus aliis adhuc essentificatus, uti suprà, substitui possit; vel etiam taliter paretur:

℞. *Cort. recent. Citri,*
Arantiorum extim. ana uncias duas.

Alia Syrupi Coralliorum confectio. Quibus concisis superaffundatur *vini generosi seu Malvatici libra una*, & per arenam in Alembico vitreo abstrahantur *unciæ circiter novem*, rostro capitelli immissis,
Gran. Kermes legit drach. duabus,
Croci Austriaci drachmâ unâ,
in petia ligatis,
Cum *liquore hoc abstracto* solvantur,
Magist n. solut. Corall. unc. duæ,
& additâ
Sacchari albissimi librâ unâ.

Fiat Syrupus cordialis præstans, solâ *Sacchari* dissolutione consistentiam adepturus.

Syrupi de corticibus Citri præparatio. Quantum ad Syrupum de *corticibus Citri*, is quidem, qualiter dextrè parandus, in præmissis *Animadversionibus* indigitatus est, quò Lectorem ad Syrupi de *corticibus Arantiorum* dextram præparationem relegavi; melioris tamen informationis gratiâ addam & hîc similem præparationem, quæ talis:

℞. *Cort. Citri recent. extim. uncias sex.*

Quibus concisis & Cucurbitæ vitreæ immissis superaffunde
Vini albi generosi, sive quod melius,
Vini Malvatici libram unam semis.

Et factâ brevi digestione abstrahantur destillando, sive in baln. sive in arenâ *unc. decem circiter*, rostro capitelli immissis, & in petia ligatis.
Granor. Kermes legitim unciâ semis,
Moschi Orientalis granis aliquot,
Ambra etiam si lubet granis quinque.
Liquori egresso summè odorifero & fragranti injiciantur
Eorundem corticum Citri recent. extim. uncia tres.

Ac post brevem digestionem, ab iisdem colaturâ *liquor* separetur, quo interim pretioso & fragrante liquore asservato, accipe *residuos à destillatione & extractione cortices*, eosque *s. q. aquæ simplicis* affusâ parumper coque, decoctum cola, clarifica, & cum
Sacchari albissimi librâ unâ.

Ac consistentiam Tabulati denuò percoque, cui tandem adde
Superioris asservati fragrantis & pretiosi liquoris uncias septem vel octo circiter.

Ac solâ *Sacchari* dissolutione confice Syrupum præstantem.

Nota: Quòd si fœminis destinaretur hic Syrupus, odorata, quæ illas afficere solent, omittenda sunt. Item, si gratiæ saporis quispiam plus studeret, quàm virtuti, ac residuorum corticum à destillatione & digestione decoctum ob amaritudinem parvi penderet, illi ex solo destillato & essentificato liquore præstantissimum perindè conficere licet Syrupum, & cordi roborando efficacissimum, & palato gratissimum, cujus si unciam semis, vel unciam unam mensuræ integræ vini, aut cuivis alii liquori sive aquæ commiscueris, odore citreo illam uberrimè imbues, sanisque & infirmis ob gratiam summam & efficaciam conducibilem parabis.

Cautela de succo Granatorum. In præparatione Syrupi *Granatorum* Pharmacopœos admonitos volo, ne *vinum*, vel potius *succum Granatorum* ab obvio quovis Mercatore coëmant, neve ex Italia transportari curent, utplurimùm nauseabundum, ingratum, aut nescio quâ spurcitie inquinatum, quod ferè ex omnis generis situ & putredine corruptis *malis Punicis* expressus sit: Sed potiùs ipsimet ex *recentibus Granatis* illum exprimat, atque exindè Syrupum amabilem conficiant.

Syrupi de Hyssopo præparatio. Syrupum *de Hyssopo* in *Animadversionibus* nostris meritò rejecimus, alium autem obiter insinuavimus, qui talis esse potest:

℞. *Succi Hyssopi depurati libras duas.*

Cui immergantur,

Rad.recent.Apii,
Fœniculi,
Petroselini ana unciæ duæ,
Glycyrrhizæ unc.una sem.
Herb.recent.Hyssopi unciæ quatuor,
Capillor.Veneris unc.una.

Factâque brevi digestione abstrahatur destillando in balneo *libra una semis* circiter; *liquori expresso* denuò

Hyssopi recentis unciæ sex

immergantur, ac digestione brevi peractâ, *liquor* per colaturam & expressionem separetur, interimque asservetur: Hinc *residuum à destillatione & ultima expressione* affusâ, s. q. *aquæ simpl.* coquatur: *Decoctum* post *expressum* & album ovorum studiosè clarificatum, cum

Saccharis albi libri duabus,

ad consistentiam tabulati penitùs evaporet, cui demùm junge *liquorem superius asservatum*, pondere competente, *libram unam & uncias quatuor circiter*, ac solâ dissolutione *Sacchari* confice Syrupum. Cui reliqua hujus Syrupi ingredientia, juxta antiquam descriptionem, tantoperè arrident, is ex iisdem ingredientibus decoctum ex tempore conficere potest (omissis seminibus mucilaginosis, scilic. Malvæ & Cydoniorum) ac cum hoc Syrupo propinare.

Syrupi de Mentha majoris Mesue vera præparatio.

Obiter præostensam Syrupi *de Mentha majoris Mesuæ* præparationem, in *Animadversionibus* ejusdem, nunc exactè annectere operæ pretium duxi, quam sic instituas:

℞. *Succorum Cydoniorum maturorum libras tres,*
Granatorum acido dulcium lib. quatuor semis,
vel
Granat. acidorum & dulcium ana libras duas, uncias tres,
Vini destillati libram unam, scilicet

Quod *à libris tribus vel quatuor vini antiqui destillando sit abstractum*, & hoc eam ob causam, ne *vini partes spirituosiores* in diuturnâ illâ coctione exhalent, *vappa verò inutilis nauseabunda*, ventriculum potiùs subvertens, quàm roborans, Syrupo admixta remaneat. *In succis his & vino destillato dicto* horis 24 macera

Menthæ recentis odoratæ libram unam semis libras duas.

Mentham hic exsiccare non est opus.

Quæ ipsa etiam non prius siccanda est: Si rerum enim sive herbarum odoriferarum & sulphurearum partes subtiliores unicè expetendæ, & conservandæ levi exsiccatione multùm deperduntur & exhalant, consequenter & illa nobilis planta per exsiccationem in viribus multum diminuitur: Nec memini, me unquam in peritissimis & approbatissimis Botanicis legisse, plantam hanc scatere humiditate supervacanea, ventriculum suis flatibus turbante. Et esto, haberet quid superflui, ad aliquorum fortè Authorum mentem, quod levi exsiccatione & calore evanesceret, id spirituosum utique erit, si tam citò potest exhalare, aut evanescere, id est, levi exsiccatione, quâ vix calorem percepit, nonne quæso id ipsum subtile & spirituosum quoque evanescet in diuturnâ illâ coctione, ubi novem libræ ad minimum coquendo in auras pelli debent, antequam Syrupi consistentia competens acquiratur? & quidem cum primis, cum subtiliora omnia, reliqua crassiora decocta & succos, velocitate fugæ antevertant, in quem finem igitur siccanda sit priùs, judicium esto penes æquum Lectorem; sed hæc pro informatione, veluti per parenthesin: Transeo ad compositionem & præparationem superius inchoatam, itaque *succis superius denominatis*, cum *supradicta Mentha* immerge & macera etiam

Rosarum rubear. exsiccat. uncias duas.

Si verò *recentes Rosas rubras*, quæ meliores, substitueris, *uncias quatuor vel quinque earundem* accipias: factâ pôst digestione suffic. & immissis rostro Alembici, si libet

Galliæ moschat. granis xv. circiter,

abstrahe destillando per Alembicum *lib. duas*, præter propter, *prioribus* tamen *unciis quatuor* egressis *magis spirituosæ & odoriferæ aquæ* seorsim asservatis: *Residuum* in Alembico à destillatione *expressum & albumine ovorum clarificatum*, cum

Sacchari albissimi libra una semis.

Coque ad consistentiam Syrupi crassiorem, in vase terreo vitreato, cui demum adde adhuc

Sac-

Sacchari albi uncias sex, &
Superioris aquæ prius egressæ & asservata uncias quatuor.

Ac solâ *Sacchari* dissolutione sine ebullitione ulteriore confice Syrupum stomachalem præstantissimum. *Reliqua abstracta aqua odorifera*, quæ aliàs inutiliter coquendo debuisset exhalare, potest unà cum Syrupo ægrotis propinari: Nam plus de illa in Syrupum cogere inconsultum fore existimo, ob succos plurimos. Quos alias cum Saccharo ad eorum spissitudinem exhalare hîc necessum est: si tamen res mei arbitrii esset, plus *Sacchari*, (ad *libram* circiter,) ego adjicerem, foret nihilominus efficacissimus Syrupus. Velim proindè, Lector Amice, cuncta, quæ hocce & alibi exarato scripto à me dissignata sunt, illa, inquam, æquo animo perpendas, & attentâ lance trutines, ut mentem meam, quò tendat, penitiùs assequaris. Nam unâ exactè perceptâ simili præparatione, fores ad plures alias elaborationes tibi patulas esse comperies, ipsusque fateberis, hæc cuncta, à rerum naturalium non prorsus ignaro, ad amussim considerata esse & expensa.

Tu verò Zoile, quisquis es, cui canino dente scripta hæc rodere pro titillatione est, meliora, si Vires, adde, nec mea tuo metiaris ingenio: Qui si meliora addideris, veris laudibus gratoque encomio in te exornando nunquam deero ingratus; sim minus, & calumniis nudis rem aggrediaris, etsi par pari referre non ita foret difficile, solo tamen te contemptu, ut Luna canum latratus solet, præterire sat mihi vindictæ fuerit.

Quòd subsequentes Syrupos alterantes omnes concernit, eorum errores, & dextræ in Animadversionibus annexæ præparationes abundè patent, secundum, quas alias similes & compositiones & præparationes, instituere quivis in arte peritus poterit. Est enim Syrupus, vel in consistentiâ suâ, vel in vehiculo aliquo conveniente potiùs dilutus, medicamenti genus ægrotantibus gratum, ac insuper nostrâ methodo paratum salutare; cum virtutes rerum, præsertim vegetabilium, eo modo dextrè coarctentur, & in composito integrè conserventur. Interim me non movet, si qui mediocriter in arte versati Pharmacopœi, lucri cupidine nimiâ quandoque in transversa facilè flexibiles, ac insuper Latini sermonis ignari, nostrarum Animadversionum compositiones propter laborem inutilem odiosas, & ob difficultatem præparationum esse rejiciendas aut omittendas, protervè ogganniant, etiam inscitiæ suæ excusationes prætexendo, quo minùs dexteriore & indigitato modo medicamentorum præparationibus nunc insudare obligati videri debeant: non movet me, inquam, hoc, dum de peritioribus & magè solertibus viris Pharmacopœisque verè mihi constet, quòd nec difficultate laboris non ita, ut inexperto apparet, tædiosi deterreantur, nec cujusdam obstinatè tritâ, licet ineruditâ viâ procedere jubentis authoritate, à vero tramite dimoveantur; quin elegantiâ præparationum mearum allecti, & conscientia insuper stimulati, sua medicamenta ad præscriptarum regulas dirigant, & componant, secuturi etiam inposterum sana consilia, nullo dispendio expensarum gratis facto, nec ideò justo lucro privati.

Pharmacopœis peritius & sedulis præparationes nostræ nec majore labore nec sumptu constabunt.

Mella quod spectat, eorum præparationes perindè satis dextrè & artificiosè, in præmissis non lippis perspiciendæ, tonsoribusque & mulieribus palpandæ, sed peritioribus & versatis Pharmacopœis, luculenter traditæ sunt, ut quantum possibile fieri potest, nunc viribus ingredientium, ex quibus parantur, uberrimè imbuta prostare possint. Si quis saltem in arte & re medicâ peritus *Mel Menthæ*, *Mel* item *Rosatum*, *Citratum* intimius ac æquo animo inspicere dignabitur, quâ dexteritate & arte nimirùm virtutes rerum balsamicarum integrè, sinè ulla deperditione virium, in compositis conserventur, aliud non poterit, quàm mihi adstipulari: Inprimis enim *aqua à rebus balsamicis destillatione prolecta*, spirituosarum earum partium prægnans, majoribus adhuc *à floribus*, *herbis*, sive *corticibus* ipsi immersis, imbuitur viribus: quæ ipsa *aqua spirituosa & essentificata*, *melli* vel *Saccharo* tandem abundè, jam tùm etiam partibus terrestrioribus & roborantibus, summè perindè expetendis, imbuto, artificiosè, sine ulteriore coctione, ne quidquam de facultatibus remedii exspiret, adunatur, ita ut Chymicorum ferè more, uti loquuntur, & fixum & volatile,

De Præparatione Mellium.

tile, tria itidem, juxta vulgarem illorum opinionem, principia in unum coarctata prostent, purum ab impuro & fæcibus verè separatum sit. Hæc vera, me judice, methodus est, quâ Chymiâ & Galenicâ ars pharmaceutica in fœdus tandem coire & coalescere possint, ut pace restitutâ orbi, & inter Medicos, turpissimo invidiæ monstro depulso, amicitia cunctis mortalibus prospera contrahatur. Nec spero fore, ut quispiam vel inter Medicos Chymicos, hasce præparationes rudes, vel inter puros Galenicos, violentas aut nocivas proclamando, eas in dubium vocare præsumat. Utinam igitur non quis loquatur, sed quid verè dicatur, invidi Zoili, depositâ omni invidiâ & odio, unicè considerarent, profectò & hæc, cum universo mortalium generi, ægrotis præcipuè, tùm illis ipsis in emolumentum, laudem & honorem cedere, facilè & meridianâ luce clacius animadverterent.

Oxymelle, &c. *Oxymella*, *Iuleb*, *Miva*, *Rob*, &c. ea omnia suis *Animadversionibus* sufficienter insignita sunt: subit autem mirari, ut verum fatear, quod, cùm videant, & fateri necessum habeant, antiquis hæc esse multò meliora & efficaciora, paratu etiam non difficilia aut obscurè tradita, nihilominus multi cum millibus potius errare, quàm hæc sequi, honori sibi ducant. Perpendant quæso accuratiore mentis acumine præditi, quanta sit differentia, inter illorum & nostrorum *Iulapium Rosarum*, *Iulapium* item *de vino*, *Miva Cydoniorum* cùm simplicia, tùm aromatizata, & sexcenta alia, quantaque antiquitùs virtutum vegetabilium, aliarumque rerum nobilissimarum fuerit facta deperditio, quàm viribus effœta adhuc hæc & similia medicamenta in pharmacopoliis prostent, & contrà, quàm dextrè & accuratè, virtutibus suis integrè & cumulatè ex quibus parantur nunc servatis, in Medicam orchestram allata sint; modo ac methodo insuper facili & intelligibili, minimè obscurâ, cui quivis in arte instructus firmiter insistere possit. Etenim si quispiam, ingenio vel tantillum acutiore, velit hùc accedere, offendet is meherclè mox in maximos & detestandos errores, in coctione & exhalatione saltem vini veteris, & aquarum odoriferarum & spirituosarum, committi solitos, quos silentio præterire, cùm in nobilissimæ Artis dehonestamentum, tùm in Christianam charitatem peccatum detestandum sit, nequaquam possum. Nunc verò salva ac tecta conservabit cuncta, qui me sequetur, & abjecto Cortice nucleis vescetur. Parcant quæso nonnulli de veritate rei liberè sentienti & loquenti: dent hoc Posteritati, cui satisfacere ac proximo ex corde inservire honesta mens dictat & obligat, id quod velatis & noxio silentio involutis veterum quibusdam erroribus, minimè consequi licebit. Et certè, quo lucidiùs & clariùs res summoperè nociva (prout revera est,) demonstratur, palamque redditur, ac ante oculos, velamine detecto ponitur, eò majore animi indignatione illa in posterum vitanda: bonum verò ambabus ulnis amplexandum esse, stat sententia. Contrarium autem efficit, qui crambem insulsam in ore toties recoquit, illam tamen tandem, dum nec calida nec frigida est, non evomit. Itaque satius esse arbitratus sum, Deo, Proximo, Posteritati & Veritati satisfacere, quàm cum aliis inanis gloriolæ cupidine sibi adulantibus pseudo-antiquorum famam in detrimentum mortalium generi conservare.

Veritati undè producta odium non conciliandum, præsertim si suppressa nocumento sit.

Additio ad Classem secundum.

Absolutâ Classe primâ, ad secundam transeo, in qua statim sese offert Syrupus florum Acaciæ ventilandus, qui licet ad normam Syrupi de *Melissa* aut *Betonicæ simplicis* parari possit, uberioris tamen informationis gratiâ, præparationem aliam non minùs elegantem subnecto, quæ talis esto:

Syrupus florum Acaciæ.

℞. *Florum Acaciæ recent. libras duas.* Eosque conspersos nonnullis unciis sive *aquæ*, sive *vini destillati aut Malvatici*, destilla ad siccitatem ferè usque in Alembico, & si lubet, *aqua prolecta recentibus denuò floribus Acaciæ (libræ uni & semis circiter)* reaffundatur, & abstrahatur, additis *unciis nonnullis*, *floribus destillandis, de nucleis fructus Acaciarum contusis*, quibus odor & fragrantia aquæ, cerebro grata, multum intenditur: *Aquæ huic odorifera prolectæ* immergantur porrò:

Florum recent. Acaciæ unc. quinque circiter.

Et factâ digestione in Alembico optimè clauso per diem unum vel alterum, denuoque expres-

pressione *aqua à floribus* liberetur, quâ asservatâ interim fragrantissimâ & essentificatâ aquâ, accipe porrò

Florum dict. Acaciæ recent. lib. duas,

& affusa *s. q. aquæ simplic.* para decoctum forte, quod expressum & albumine ovorum opt. defæcatum cum

Sacchari albissimi libris tribus,

coque ad consistentiam ferè tabulati, cui postremùm adde *aquæ superiùs asservatæ odoriferæ & essentificatæ, quantum suffecerit* pro Syrupi consistentia justa adipiscenda, sicque sine ulteriore coctione effice Syrupum gratum, ac insuper viribus præstantem & Antepilepticum.

In præparatione Syrupi *Emetici Angeli Salæ* quispiam fortè hærere posset, proinde eam sic annecto:

℞. *Pulv. Vitri Antimonii sine addit. juxta Animadversiones nostras parati, unciam unam,*

Aceti simplicis destillati unc. viginti.

Stent infusa simul in vitro die unâ vel alterâ, loco calido, ut ferè ferveat acetum, aliquoties tamen infusionem commovendo, ob vitri ponderositatem, quod fundum illicò petit & conglobatur, pòst adde etiam:

Santali rubri raspati,
Rosarum rubearum ana unc. semis,
Croci Austriaci drachm. semis,
Zedoariæ,
Sem. Angelicæ ana drach. unam sem.

atque adhuc aliquot horis digere: digestione factâ coletur & filtretur *acetum*, *filtrato aceto* viribus *Antimonii* & *reliquarum specierum* imbuto adde

Sacchari albissimi uncias viginti.

Et in vase terreo vitreato coque ad consistentiam Syrupi, cui pro aromatizatione odoris & saporis gratia

Oleor. Still. Cinamomi scrupul. semis,
Zedoariæ,
Angelicæ ana gutt. v.
Rosarum ver. guttas vj.

Sacch. pulv. unc. uni prius commixta adde & fiat Syrup. emeticus, justæ consistentiæ.

Acetum destillatum prævalet

Quòd si, benevole Lector, à me fortassis exposcas, ad ponendas rationes, quam ob rem quædam immutaverim, in hac Syrupi præparatione, nimirùm quòd *acetum destillatum* aceto *rosaceo* substituerim, *speciebus reliquis atque Rosis rubris*, prægressâ unius alteriusvè diei digestione *aceti* cum *Antimonio* solo, demum adjectis; & cur quædam *olea destillata Sacchara* (ad instar Elæosacchari) commixta, Syrupo jam perfecto, tandem addiderim, omissâ penitùs *Rosarum aquâ*, quâ cum *Saccharum* erat coquendum, fortè non inani excusatione factum meum tibi probaverim. Primo nimirùm loco affero *acetum Rosarum*, non solùm *ex crudo aceto* confectum, verùm etiam *Rosarum, essentiâ & substantiâ* saturatè jam imbutum, ad extractiones rerum ulteriores præsertim mineralium, *aceto destillato*, quod adhuc à re peregrinâ liberum, multò inferius esse, quod ipsum aliis in locis fusiùs monstratum.

hic aceto rosato crudo.

Deindè quod alio in loco, nî fallor in Classe Decoctorum, allatum est, illud menstruo extrahenti esse prius injiciendum (si pluralitas specierum extrahendarum aut coquendarum adsit,) à quo compositum potiores suas virtutes mutuare debet, quod & rationi consonum est: Cùm itaque hîc *Antimonii vitrum* sit basis hujus Syrupi, ergò id ipsum *extrahenti aceto* committatur ante reliqua, ut uberiores in Syrupum refundat virtutes, non quidem quod inexpertus rei fortè sibi imaginari posset, malignas, aut nimiùm violentas, sed nativas, juxtà proportionem dosis competentis & subjecti vires sumentis: Ideoque *species reliquas* correctionis causâ addi solitas, cùm parùm corrigendo, aut vim *Antimonii* infringendo præstare queant, non statim inter initia, sed postquam *acetum destillatum Antimonii viribus* saturatè jam dum fuerit imbutum, *infusioni* adjicere præcepi. Prætereà *Elæosaccharum*, *ex oleis destill. nonnullorum ingredientium confectum*, Syrupo jam perfecto addendum existimavi, gratiâ saporis & odoris, non correctionis; de iisdem ingredientibus autem nonnulla infusioni superiori detraxi, ne iisdem coctioni commissis, unà cum aliis, vis eorum balsamica & volatilis in auras evanesceret; relicto Syrupo omni eorundem sapore & odore destituto. Demùm *aquam Rosarum*, quâ cùm *Saccharum* erat dissolvendum & ad consistentiam tabularum Manus

Christi decoquendum, planè omisi, cum *aceti vel infusionis* satis sit pro dissolutione *Sacchari*, imò ab *eo aceto* scilic. aliquot uncias adhuc coquendo evaporare necessum sit, antequam Syrupi consistentiam indipiscatur, sicque tota consequenter *Rosarum aqua*, ejusque fragrantia præprimis, coctioni commissa, velocitate fugæ reliquias *decocti vel aceti* tanquam spirituolior, anteverteret, quem igitur in finem addita sit, judicium esto penes Benevolum Lectorem. *Antimonii vitrum*, quâ ratione legitimè corrigendum sit, de eo suo competente loco agemus.

Syrupus Florum Persicorum. Syrupus *florum Persicorum*, dextrè & laudabiliter ad normam Syrupi *de floribus Acaciæ* jam jam paulò superiùs edocti parari, potest; frequentioribus tamen infusionibus, ut majores vires laxativas adipiscatur, confectionem ejus absolvere non nocet.

Plura in hâc classe secundâ annotanda non censeo, quippe quòd reliqua in *Animadversionibus* sufficienter notata sint, non prætermissis neque transgressis, quæ ad fidelem & sufficientem informationem pertinere videbantur: Legantur saltem, releganturque ea ab illis, quorum interest, sincero judicio, nec perfunctoriè, sepositio tantisper affectu maligno, &, quòd excæcat, odio; sic veritate procul dubio agnitâ, non ibunt ita toti in veterum errores, neque subscribent nudis eorundem opinionibus.

Additio ad Classem 3. 4. & 5. IN classe præterea tertiâ, quartâ & quintâ, pauca adjicienda videntur, nisi ut rogem humanè mihi condonandum esse quòd in *Animadversionibus Electuarii Lenitivi ex Tamarindis*, *Mensuram unam Augustanam*, *quatuor libras ponderis medicinalis continere existimârim*, decepto mensurâ Viennensium, quæ tot libris correspondet: Aliàs, quod ad rem attinet ipsam, uti nonnulli sibi imaginantur, erratum non est tantopere, quin potiùs sic errando majores virtutes Electuario conciliatæ sunt; nam *duæ libræ cum unciis septem vini*, vix ac ne vix quidem sufficient pro extractione virium *trium unciarum foliorum Senæ*, ut idcircò error hic inposterum pro doctrina esse possit, & ut speciebus extrahendis & docoquendis, catharcticis præsertim, competentem quantitatem menstrui extrahentis affundant, si vires rerum extrahendarum totaliter elicere in votis habeant. Cæterùm, si quæ fortè sint in compositionibus harum classium, quæ correctione ulteriore indigent, cùm quoad compositionem tùm præparationem, illa jam in aliis classibus & compositionibus correctrice spongiâ detersa sunt, partim verò ex subsequentibus colligi poterunt; idcircò brevitatis studio benevolo Lectori cuncta, ut diligenter perlustret, commendo, indubius, quod uni deest ex aliis supplementum haud difficilè inventum iri.

Author excusat errorem in Electuario Lenitivo ex Tamarindis commissum.

Additio ad Classem sextam. IN classe præterea sextâ, ubi de *Pilulis* seu *Catapotiis* agitur, pauca admodum annotanda censeo; cùm omnes compositiones suis *Animadversionibus* locupletatæ, & ab erroribus, quantum fieri potuit, liberatæ sint: Addam nihilominus nonnulla, quæ fortè scrupulum movere possent.

In cæteris occurrit Melichii sententia in *Animadversionibus* pilularum *de Agarico & Aggregativis majoribus & minoribus Mesuæ*: Is succos & aquas in conficiendâ massâ pilulari planè excludit, Syrupos substituendo, nullâ additâ ratione singulari, aut quare; hinc cùm viderem, Syrupos ob crassam eorum consistentiam esse ineptiores ipsis succis aut decoctis vel aquis pro pastâ pilulari efformandâ, proindè rationibus firmis hanc sententiam reprobavi; addo in præsens, quòd Syrupi speciebus siccioribus permixti, facilè ac brevi valdè totaliter ad duritiem usque exsiccentur, ob Sacchari naturam, ex quibus Syrupi confecti, atque adeò pilularum massæ faciliùs pòst corrumpantur, quàm si humidæ ac molles nonnihil, uti decet, ut pilulæ exinde efformari possint, conservarentur. Accedit & hoc difficultatis, quòd semel exsiccatâ massâ pilulari, quæ cum Syrupo in justam consistentiam & massam redacta est primitùs, eam denuò Syrupo aliquo, firmâ persistente hâc Melichii sententiâ humectare necessum esset, si vel pilulæ exindè formari, vel massæ in justâ consistentiâ, uti quidem moris est; conservari deberent, nevè etiam facilè corrumperentur: Cùm autem brevi temporis spatio massæ pilularum, cum Syrupo aliquo confectæ, juxta Melichii sententiam duriores & nimis siccæ

eva-

evadant, ut adeò sæpiùs in anno denuò cum Syrupo aliquo veluti insuccari, & ad justam pilularum consistentiam redigi debeant, proh! in quantum excrescent pilularum massæ uno anno, tempore præsertim æstivo? Nam Syrupi pro maximâ eorum parte Saccharum sunt, virtutibus licet ingredientium specierum imbuti, quod non nego; nihilominus, ut in forma pilulari Syrupi propinentur, id equidem veræ rationi conforme non videtur. Persisto itaque in conceptâ sententiâ, asserens, *decocta succos inspissatos & crudos, aquas item stillatitias, pro pilulis sive earum massis efformandis, Syrupis esse præferenda; Mel verò, quod & Melichius admittit quamvis in crassitie & consistentiâ Syr. pis par sit, illis tamen pro speciebus etiam quibuscunque in massam pilularem cogendam, maximè præferendum*: Etenim hoc utilitatis à Melle præ Syrupis consequimur, quod sive pilulæ, sive earum massæ, beneficio mellis cujusdam in formam & consistentiam earundem redactæ, ob unctuositatem mellis nativam difficilè exsiccentur, aut aridæ fiant, sed diu multumque cùm hyberno tùm æstivo tempore humidæ nonnihil, uti decet, maneant, neque situm contrahant, quòd aliàs massis pilularum, quæ solâ aquâ aut succis quibusdam non inspissatis in corpus vel consistentiam aut massam earundem coarctantur, ut plurimùm contingit, præsertim si Aloë, vel planè non, vel diminutè nimis addatur: Namque Aloë, tanquam succus inspissatus concretusque, non saltem se ipsam, sed & alias species à situ & corruptione præservare potis est. Similiter plurimi alii succi inspissati eàdem cum Melle & Aloë substantiâ unctuosa & durabili ad multos annos præditi, non ineptè ad pastas pilularum efformandas adaptantur, cùm per se plurimis, ob saporem amarum, uti Aloës, sint ingrati, viribus autem eximiis polleant, ita ut non paucæ virtutes pilularum massis illis ipsis succis inspissatis imprimi possint. Deficientibus autem succis recentibus inspissatis tempore hyberno, extracta aut decocta herbarum, (non autem sulphurearum aut odoriferarum) ad siccorum inspissatorum vel mellis consistentiam abstracta, eorum, scilicet succorum vices supplere possunt, sed eo modo, quo in prioribus *Animadversionibus* innui, nempè ut Aloë sive succo crudo non inspissato, sive decocto, sive aquâ aliquâ appropriatâ nonnihil priùs diluatur, quò exactius reliquæ species siccæ, extracta item & succi inspissati illi, scilicet Aloë, commisceri, atque sic invicem cuncta mutuò sese complecti possint: Exemplo sit subsequens formula massæ pilularum:

Additio ad Classem sextam.

Pilulæ Hydragogæ.

Pilulæ Hydragogæ.

℞. *Succ. inspissat. Absinthii,*
Agrimoniæ,
Ireos nostrat.
Extr. seu decoct. inspiss. Rad. Hermodact.
Ebuli,
Cort. med. Sambuci,
Centaurii minoris
ana unc semis,
Elaterii seu succi inspissati Cucum. asinini drachm. unam semis,
Aloës opt. pellucidæ uncias tres.

Diluatur priùs *Aloë* nonnihil cum *decocto Centaurii minoris non inspissato*, cui jungantur *succi inspissati, extracta aut decocta superiùs denominata*, & leni calore ignis, non Solis, (plùs enim Solis, quàm ignis calore Vegetabilibus à sua stirpe vel radice evulsis de viribus detrahitur) ad debitam consistentiam abstrahantur, addendo (si lubet) *de pulveribus seu oleis destillatis*, quæ congrua videntur; utpotè pilulis hisce hydragogis, ante totalem autem earum exsiccationem

Pulv. Masticis,
Myrrhæ,
Succini albi ana drachm. tres,
Magisterii Galappæ amygd. subacti drach. unam semis.

Et postquam competentem consistentiam jam nacta est massa, nec amplius in calore detinenda, superadde

Ol. still. Cinamomi,
Calami aromat.
Caryoph. ana drach semis.

Misceantur omnia exactè, fiatque massa justæ consistentiæ,

Dosis scrupulus semis ad scrupulum unum & drach. semis.

Hæc sit formula, qualiter ex diversis rebus, in unum effectum tamen conspirantibus, pilularum compositiones & præparationes instituendæ, quamvis si mihi daretur optio, ex paucioribus, duobus scilic. vel tribus saltem ingredientibus medicamenta composita absolverem.

In præparationibus nostris dexterrimis Pilularum *Aloëphanginarum* non mirare, Lector amice, quòd *exiguam quantitatem vini albi* (respectu specierum) *speciebus aromaticis* affundere, & binis vicibus ab iisdem abstrahere præceperim: Scio equidem, quòd *pauculæ illæ unciæ vini* vix sufficiant, ut *species* illo humectentur: è contra verò etiam me non latet, tantum humiditatis, à dictis speciebus aromaticis destillando abstrahi posse, quantum affusum est, præsertim si ignem paulò fortiorem adhibueris, aut igne aperto, si mavis per retortam lutatam, destillationem peregeris, sine combustione tamen specierum, ne Empyreuma contrahat abstractus liquor, retorta nimirum in altum satis collocatâ, igne præterea ritè adhibito, quem modum destillandi luculenter proposui in *Animadversionibus aquarum destillandarum in genere*: proindè cum mihi *pauculæ illæ unciæ vini à speciebus destillati vel adstracti*, sufficere viderentur ad *Aloën* & *species reliquas* in massam efformandam, ac insuper experientiâ edoctus adverterem, *aquam abstractam hanc*, omnem odorem & fragrantiam, consequenter etiam virtutes sulphureas & volatiles *dictarum specierum aromaticarum* continere, superfluum duxi, plùs, quàm quod necessum foret, *liquoris vel vini* iisdem *speciebus* affundere, ne quidquam de virtutibus specierum deperditum iret, aut pilulis non imprimi posset. Cæterùm dexteriorem præparationem harum pilularum *Aloëphang.* excogitare vix poterimus. Si quis autem loco *vini speciebus aromaticis* affundendi, *vinum jam tùm destillatum*, aut *aquam aliquam* substituere voluerit, per me licet, ego non sine prægnante ratione *vinum* cæteris *liquoribus* hîc præferendum omninò existimo. Præterea breviter monui in *Animadversionib. præmissis harum pilularum*, illas, scil. pilulas, mense Majo, Junio, & Julio insolando perficiendas, aut in Sole exsiccandas, perperàm & inconsideratè præcipi; ratio est, quòd calore Solis, vel radiis ejusdem, vegetabilibus cunctis, præsertim, si à Sole immediatè attingantur, non minimum detrahatur: quod luculenter apparet in coloribus florum & herbarum, si ad altiora investiganda mentem elevare nolimus. Quis enim Pharmacopœorum adeò ignarus est, qui experientiâ non observârit, *Rosas rubras*, *Violas purpureas*, *herbas & plantas viriditate summâ ornatas*, radiis solaribus expositas, coloribus suis nativis maximâ ex parte, ac etiam fragrantiâ spoliari? contrarium verò evenire, si leni calore ignis eorundem exsiccatio instituatur, atque ita coloribus suis nativis, salvâ insuper majore fragrantiâ, ad longum tempus asservari? Circulatio universi, generationes scil. & corruptiones, beneficio Solis, ignis nimirùm elementaris & universi peraguntur; his enim detrahit, in altum revocaturus, quæ anteà tribuit, illis vigorem addit, excitaturus scintillam caloris nativi, cujus beneficio attractrice facultate cuncta pollent. Exhalationes igitur omnes, elevationes potius dixeris à Sole: Color ignis repellit, sursum elevant radii solares, eæ igitur & plures aliæ Solis & ignis discrepantes operationes qui observare noluerit, procul dubio mente captus est, & à verâ Philosophiâ alienus toto errat cœlo. Proindè pauculis his præmissis, Pharmacopœos monitos volo, ne exsiccationes vegetabilium Solis calore, præsertim si radiis ejus immediatè tangantur, peragant; nam præterquam quod Solis calor Vegetabilibus à suâ radice evulsis nec quicquam communicare possit, ea insuper suis virtutibus balsamicis subtilioribus penitùs spoliare aptus natus est, experientiâ quotidianâ teste: Etenim non solùm Vegetabilia à matrice sua evulsa, tanquam volatiliora, verùm etiam mineralia etsi fixiora, Sol suis privat partibus tenuioribus, quæ aliàs magno impetu ignis ab iisdem segregari debent.

Calor Solis ejusque radii vegetabilibus, à radice sua evulsis, multùm detrahunt.

Circulatio universi beneficio Solis peragitur.

Exhalationes terræ & aquarum potius elevationes sunt à Sole.

Vegetabilia in Sole non sunt exsiccanda.

Non dubitò autem, quin plurimi his meis assertionibus contradicturi sint, rationibus ducti à rebus quoque mineralibus, quorum nonnulla vi ignis in terram mortuam veluti redacta, aëri verò & radiis Solaribus exposita denuò

quasi

Terræ mortuæ quandoque revivifcunt.

quasi revivifcunt, & quibus jam dudum spoliata fuêre, iisdem paulò post uberrimè imprægnantur virtutibus. Verùm enim verò, hæ & plures aliæ opiniones à mea sententia, experientiâ firmatâ, me abducere neutiquam possunt, & si dixero, omne siccū suum attrahere & appetere humidum: Matrices mineralium non penitùs orbari vi ignis seminali suâ virtute multiplicativâ: Terram eructare vi calore Solis attrahentis spiritus quoque minerales, qui ab astris denuò deprimuntur, aut proprio motu, calore Solis vel ejusdem radiis elevatoriis amotis, tempore nocturno, deorsum tendunt: Esse Circulationem universi, ut quæ interdiu vigore Solis elevantur, mox Sole vel ejusdem radiis destituta aut privata, astrorum influxu deprimantur, vel etiam proprio motu tanquam gravia deorsum tendant, recreentque sitibunda, veluti à Sole exhausta corpora, sic omnibus objectionibus satisfecero. Plura de Sole quidem, ejusque calore & virtute mirabili, naturali tamen agente, animus concepit, quod nimirùm mundum hunc nostrum, globum terrestrem, utpotè rotundum, reliquas etiam stellas, corpora nimirùm itidem gravia, nullibi affixa aut suffulta, Sol, maximus ignis globus & centrum universi (ad mentem Doctissimi Mathematici Copernici,) in suspenso detineat, inque gyrum rotet, ad instar ignis naturalis, qui & levia & sat gravia, habitâ proportione substantiæ ac magnitudinis agentis & patientis, in suspenso quoque detinet, aut sursum pellit, inque gyrum rotat: Verùm cum hæc à scopo nostro declinare & quibusdam paradoxa videri possint, cum tamen vera hæc dictitet ratio, & quotidianâ experientiâ in magnis incendiis, pulvere pyrio, luculenter demonstrari, ac insuper bombardarum machinis comprobari possit, paucis tantùm quæsitum hoc, è nemine adhuc ventilatum aut tactum, sed simpliciter Motori primo, Divinæque voluntati adscriptum, ejusque jussui, physicè movere, & tanquam Thesin Mathematicis accuratiùs dispiciendam, proponere operæ pretium duxi, transiturus ad alia.

Paradoxum de Sole.

Pilulæ de Ammoniaco Quercetani ob salia adventilantur.

In Pilulis *de Ammoniaco Quercetani* hoc prætereà animadverto, quòd *salia quædam* illis admisceantur, quæ massis pilularum, non quoad virtutes, sed quoad consistentiam, si *salia legitimè parata sint*, non *sulphure aut spiritu quodam acido* adulterata, contrariantur, ut *mixta* humidæ ferè semper digitis adhærentes pilulæ maneant, toties licet ad siccitatem abstractæ, *ob liquabilitatem dictorum salium*, & vim attractivam: potest tamen, si necessariò *salia* essent addenda, incommodum hoc *pulvere aliquo exsiccante*, utpotè *Cinamomi*, *Rosarum rub. aut alio*, *quo conspergi pilulæ solent*, (quæ tamen non diu asservandæ, sed protinùs exhibendæ sunt) nonnihil præcaveri, eas tamen *auri foliis* obducere necesse non est, nec consultum: sat erit illas pulveribus dictis conspersas mox in usum trahere.

Massæ quædam pilularū, utpotè de *Colocynthide* & *aliæ*, quæ *diversa gummata* recipiunt, majori dexteritate parandæ sunt, cùm *diversa gummata*, *diversos* exoptent *liquores* pro illorum dissolutione, nec *uno eodemque liquore aut succo*, *porri scilicet*, dissolvi possunt: Exemplo sit *Gummi Sagapenum & Bdellium*, illud *resinosam* habet substantiam, hoc verò *aquosam* & *viscosam* ad instar *gummi Arab.* hinc illud potiùs *oleaginosâ substantiâ*, *spiritu item vini*, vel etiam *Terebinthinâ*, hoc verò *aquosâ*, id est, *succo quodam* aut *aquâ* solvi potest; verùm cū *olea* aut *Terebinth.* ipsa, pro pilulis efformandis sint minus idonea, idcircò *vinum* aut *acet. still.* pro *similium gummatum resinos.* dilutione, vel impropriâ dissolutione, adhibere possumus.

Crocus autem, qui plurimas pilulas ingreditur, sigillatim nonnihil diluendus est, vel cum *vino* vel *succo aliquo*, quo cum pilulæ vel earum massæ aliàs in pastam rediguntur, ut eò meliùs cuncta se invicem complectantur.

Pilulæ de Tartaro Quercetani ventilantur.

Pilulæ de *Tartaro Quercetani* ad mentem nostram correctæ & paratæ, suis egregiis certè constabunt viribus, & exemplo esse possunt, juxta quod plurimæ similes compositiones vel præparationes institui queant: Etenim *species earum omnes*, tùm alterantes tùm confortantes *s. q. aquæ affusâ* priùs legitimè extrahuntur: *Aromatum deindè & Styracis Calamitæ* vires, additâ *particulâ vini*, destillando evocantur, cum quâ *humiditate spirituosâ & essentia aromatum imbutâ*, *reliquæ species*, utpotè *Aloë à superioribus decoctis omnibus &*

aromatibus jam dum *insuccata*, nec non *Myrrhâ diluta*, & quæ sequuntur, legitimè in massam, omnibus apprimè servatis & collectis viribus; coarctantur, ut nil quicquam de iis perditum eat. Si quis verò *aromata* cum *Styrace*, nec destillationi nec decoctioni committere, sed potiùs, (omisso extracto eorundem exiguæ virtutis, quod aliàs pilulis per decoctum eorum etiam communicaretur) *olea eorundem destillata* jam confectæ massæ in competente quantitate addere voluerit, is, me judice, pilulas efficiet efficaciores, præsertim si loco *Styracis*, non *oleum ejus stillatum*, sed saltem *resinam ejusdem* paratu facillimam, uti eam in *Animadversionibus Theriacæ* edocuimus, substituerit. Quæ ipsa autem *resina*, quò exactiùs massæ uniretur, & cuncta alia se invicem ad minima tangerent & complecterentur, ventriculo insuper ingestæ aut deglutitæ hæ pilulæ faciliùs dissolverentur, posset cum *oleis reliquorum aromatum destillatis*, utpotè *Cinamomi, Macis & Caryophyllorum*, nonnihil dissolvi, hâc quantitate servatâ, nimirùm, *ut resina Styracis drachma sex ol. still. Macis & Caryophyllorum ana drachm. una*, *Cinamomi drachma semis, plùs minusvè prout libuerit*, accipiantur. Perpende Lector, quàm artificiosè res invicem jungi queant, si ducem rectam rationem sequamur, observando & considerando insuper, non quodlibet ex quolibet fieri, nec quodlibet pati à quolibet, sed determinatum determinato homogeneo dextrè commisceri, prout in *Animadversionibus* præmissis, earumque Præfatione innui.

Additio ad Classem septimam, ubi Extracta perlustrantur.

ET hæc de legitimâ pilularum præparatione superaddita sufficiant, transeundum nunc ad classem septimam; In quâ plurima notatu digna occurrunt ventilanda. Quorum proindè interest, ii cuncta quæ allata sunt in *Animadversionibus*, & jam jam addentur, æquâ lance perpendant & attentè perlegant, antequam sinistrum ferant judicium. Nam non ita scripsi, ut illa quilibet lippus & tonsor etiam lynceis mox oculis perspecturus sit, aut quælibet mulierculæ illicò imitari possint, sed doctis & in arte peritis. Adeoque imprudenter & perperàm à quibusdam in jus vocor, quasi cuncta arcana pharmaceutica, illis Pharmacopœis jam dum nota, ita propalaverim, ut vel quævis anus illa nunc norit concinnare & præparare. Etenim, quòd meos Censores advertere vellem, tantùm abest, ut vulgus aut quælibet fœmina illa elaborare sciant, quin potiùs hæ ipsæ præparationes, juxta verissimas pharmaceuticæ genuinæ methodi regulas (à nemine tamen unquam animadversas aut luculenter scriptis comprehensas) & fundamentalem doctrinam hîc traditam institutæ, solertem & peritum, non minùs doctum efflagitent Pharmacopœum, eumque à vulgari carbonario distinguant, ipsiusque Artis nobilissimæ dignitatem & præstantiam à culinariis servitiis eximiè vendicent, inque pristini honoris gradum integrè restituant. Proindè repercusso & hoc telo, vanâ irâ in me vibrato, non parcam ulteriùs operæ meæ, quin potiùs plurima notatu digna & necessaria superaddam, præsertim in hac classe de *Extractis*, cui non pauca, ad majorem & plenariam informationem pertinentia, adstruenda duxi. Præprimis *resinosa extracta* sese sistunt ventilanda, eaque nimirùm, quæ vel ex mera resina constant, utpotè *extractum Agallochi, Euphorbii, Galbani, Gummi Gamandræ, Guajaci, Mechoacæ albæ & nigræ, Myrrhæ, Opopanacis, Sagapeni, Scammonii, Turbith*, vel saltem ex parte resinosa sunt, uti *extracta ferè cuncta composita*, paucis exceptis, *Diapœonias* nimirùm & *Laudanum opiatum*.

Resinosa extracta examinantur.

Porrò *resinosa extracta* vel saltem pro maximâ eorum parte, ex *rebus resinosis* constantia, distinguenda sunt; quædam enim eorum *ex rebus odoratis balsamicis*, quædam verò ex *inodoris*, conficiuntur: Ex odoratis balsamicis (ut plurimùm Cephalicis & Hystericis) sunt, *Agallochi*, seu *ligni Aloës*, *Myrrhæ, Opopanacis, Sagapeni, Galbani, &c.* disquisitione igitur dignum occurrit, utrum hæc *extracta* sine virium suarum jacturâ, ita ut nil de essentia & virtute rei extrahendæ perditum eamus, parare liceat, cum rerum balsamicarum essentiæ in tenuibus & subtilioribus consistant partibus, quæ leni etiam calore ignis pulsæ, æthera petunt, relictâ terreâ mole, spiritu balsamico viduatâ: Verùm quantumcunque rem consideratè etiam perlustro, vix tamen modum, qui voto meo ex omnibus satisfaciat, invenio.

Extractorum differentia.

Quâ-

Quâcunque enim arte opus aggrediamur, vix ac ne vix quidem cuncta conſervabimus ſalva, ſi debitam extracti conſiſtentiam ſpiſſam indipiſci propoſitum eſt, ſiquidem menſtrua ſolventia vel extrahentia nullâ aliâ viâ, niſi deſtillando & abſtractione à re extractâ ſeparari queunt, quâ tamen ſimul & unà partes ſubtiliores ejuſdem rei extractæ evehuntur & abeunt. Nihilominus habitâ diſtinctione rerum extrahendarum, proponam duos modos non inelegantes, quibus votum doctrinæ cupidi ſufficienter ut expleatur ſpero. Primus igitur modus talis eſto: Nimirum ut *ex re extrahendâ reſinoſâ & odoriferâ balſamicâ*, *oleum*, ſi ejus quidpiam aliàs *res* inſit, deſtillando proliciatur, verbi gratia: accipe

Extractorum reſinoſorum & balſamicorum dexterrima præparatio.

Ligni Aloë: gummoſi, vel
Gummatis cujuſdam libram unam,

à quo deſtillando, ſive per ſe, nullâ additâ *aquâ*, ſed ſaltem *particulâ vini ſpiritu rei aſperſa*, ex retortâ vitreâ in ſegmentis humidis M. B. locatâ, vel etiam igne aperto, ſi ignem debitum admovere ſcias, ſine combuſtione; ſive etiam *affuſa ſ. q. aquæ ſimplicis*, proliciatur una cum aqua *oleum eſſentiale*, aquæ ſupernatans; quò interim ſervato, extrahatur cum *ſpiritu vini* repetitis vicibus affuſo *reſiduum à deſtillatione*, ad totalem virtutum terreſtriorum prolectionem. *Eſſentiæ vel extractiones omnes junctim filtratæ* ad conſiſtentiam competentem extracti vel reſinæ in M. B. leniter deſtillando abſtrahantur, *reſinæ* demùm *in fundo Alembici relictæ* jungatur ſuum deſtillatione prolectum & *proprium oleum eſſentiale*, ſive per ſe, ſive *Sacchαro* prius ad inſtar *Elæoſacchari* commixtum, & uſui reponatur extractum, viribus è quibus confectum cùm terreſtrioribus roborantibus, tùm ſubtilioribus recreantibus uberrimè imbutum.

Portio oleorum ſtillat: eſſentialium aquis cum quibus deſtillantur inſeparabiliter

Notandum tamen, cùm *aquæ* in deſtillatione *olei eſſentialis*, uti ſuprà, prolectæ, non parùm *olei ſubtilioris*, inſeparabiliter ferè adhærere ſoleat, è re meliuſque eſſe omninò, ut ſine affuſione *aquæ*, *ſimiles res* in retortâ vitreâ, additâ ſaltem particulâ *ſpiritus vini* pro humectatione earum, deſtillationi committantur: Vel, ſi *olea ſimilia deſtillata eſſentialia* aliàs in Pharmacopoliis non adulterata proſtant, præſtat, ut ejuſdem *olei anteà ſtillati* compotens portio, *extracto* proprio ad majorem virtutum impreſſionem ſuperadjiciatur.

permiſcetur & adhæret.

Alter modus, qui inſtar *eſſentiæ liquidæ*, & uſui medico perindè non ineptus eſt, ſubſequens eſto:

℞. *Ligni Aloës opt. gummoſi uncias tres*,
Cui minutim conciſo ſuperaffunde,
Spiritûs vini rectificati uncias ſex vel octo,

Eſſentiæ reſinoſarum rerum, quâ ratione paranda.

vel ſi mavis *ſpiritum Roſarum*, aut *Ceraſorum*, vel etiam *ſpiritum Liliorum convallium* ſubſtituas, & in Alembico juncturis undique & diligenter luto clauſis, igne arenæ totus proliciatur ſpiritus, odore & ſapore præſtans, ad ſiccitatem ligni: Quò interim *ſpiritu ſcil. fragrante* ſtudioſè aſſervato, extrahatur repetitis affuſionibus *ſpiritûs vini recentis relictum à deſtillatione lignum*, ad totalem reſinoſæ ſubſtantiæ prolectionem; hinc in M. B. *extractionum omnium ſpiritus* deſtillando denuò provocetur, quouſque reſina ſive extractum reſinoſum ſpiſſum in fundo Alembici appareat, tùm *reſina vel extractum* in fundo Alembici relictum, *ſpiritu fragrante ſuperiùs aſſervato* præviâ digeſtione ſolutum & filtratum, uſui reponatur, tanquam eſſentia legitimè confecta & præſtans, quæ tamen *eſſentia*, quod admonitione dignum, & ſcitu neceſſarium eſt, non *aqueis vehiculis* commiſcenda eſt, dum ægrotantibus eſt propinanda, ſed *ſpiritibus utcunque ardentibus*, aut *aquis ſpirituoſis Apoplecticis, Epilepticis, Hyſtericis, Elix. vitæ Matthioli* & ſimilibus; vel etiam *Syrupo craſſiori* admixta legitimè & debitè exhibebitur: ſin verò minùs hoc fiat, & *eſſentia talis aqueis vehiculis puris* commiſceatur, tota ejus reſina ab aquea humiditate præcipitata, uſui medico, cùm in exhibitione, tùm operatione planè inepta redditur. Hæc ipſa cautela in exhibitione ſpiſſi & reſinoſi extracti perindè cum primis obſervenda, ne Medicus Pharmacopœum, tanquam malè præparati medicamenti arguat, nec æger inutilis remedii repetita ſumptione torqueatur; & ne uterque ſpe ſuâ in operatione decidant, & fruſtrentur.

Extracta reſinoſa aqueis vehiculis non commiſcenda.

Quod reliqua *extracta* ſpectat *reſinoſa*, ex *rebus non ſulphureis aut odoriferis* parata, quædam

Extracta reſinoſa omnia

dam eorum totaliter exſiccata in pulverem rediguntur, utpotè *Scammonii*, *Galappæ*, *Gummi guttæ*: quædam verò ſiccitatem totalem, ut in pulverem permanentem commodè redigi queant, haud nanciſcuntur, nimirum *Mechoacæ albæ*, *Turbith*, *Agarici*, *Ligni ſancti*, *&c.* *Illa* luculenter ſatis & dextre edocta ſunt alibi in *Animadverſionibus Mantiſſæ*, ſub titulo Magiſterii Galappæ: *Hæc* verò quâ ratione dextrè paranda, ne uſui repugnent Medico, hunc ſequere modum:

ſiccitatem totalem haud nanciſcuntur.

℞. *Radic. Mechoacæ albæ vel*
Ligni ſancti gummoſi uncias ſex,

Conciſæ immittantur Cucurbitæ vitreæ, quibus ſuperaffundatur

Spiritûs vini rectificati q. ſ. ad ſupereminentiam quatuor digitorum transverſorum.

Stent in digeſtione unâ atque alterâ die in loco calido, *ſpiritus tinctus* deindè per filtrum ſeparetur, *aliuſque* ſuperaffundatur, ac factâ digeſtione & extractione perindè colaturâ ſegregetur, hocque toties repetendum novâ *ſpiritus vini* affuſione, donec eſſentia omnis extracta ſit; *Colaturæ poſt omnes* filtratæ & Alembico vitreo immiſſæ, leni balnei calore deſtillando ad *libram unam* circiter abſtrahantur, *reſiduo in Alembico liquori* innatabit *reſina*, quæ à liquore ſtudioſè ſeparanda, & in ſcutella igne arenæ moderato totaliter exſiccanda, ut in pulverem redigi queat; *reſiduus verò liquor* à quo reſina ſeparata eſt, ulteriùs ad extracti ſpiſſitudinem exhalet, cui *reſina* ſubtiliter pulveriſata, & *amygdalis dulcibus* (quod benè obſervandum) ſubacta, *pulveris* nec non *Sacchari particulâ* additâ optimè commiſceatur: ſin minus autem *reſina*, prout ſæpè contingit, totaliter exſiccari & pulveriſari queat, ſolvatur *illa* denuò, dum liquida adhuc eſt, portiunculâ *rectificatiſſimi ſpiritûs vini*, & extracto reſiduo ſpiſſo adunetur ſuper igne leniſſimo, cum ſpiritus vini promptiſſimè exhalabilis auras petat, addaturque perindè extracto ſic perfectè parato, *particula Sacchari pulveriſati*, quò faciliùs poſt, ſi non in *aqueo planè vehiculo*, ſaltem in *Syrupo* vel *Melle*, aut etiam in *ſpiritu vini* illud diſſolutum ægrotantibus commodè propinari & exhiberi poſſit: Namque niſi legitimè & debitè ſimilia extracta ſolvantur, ne *reſinæ ab aqueo liquore* præcipitentur exiguum effectum ab illis nobis promittere poſſumus, cùm reſinæ, ut alibi etiam admonui, in ſuâ reſinoſâ ſubſtantiâ hominibus exhibitæ, parùm vel nihil operentur, imò ventriculo & inteſtinis aliquando ſeſe firmiter agglutinantes, varia incommoda, dolores colicos acerbiſſimos, & fluxus alvi immoderatos, ſyntheticos, ſi reſinæ purgantes fuerint, *Galappæ* vel *Scammoneæ*, inducere ſolent: Medicus proindè, qui ſimilia extracta reſinoſa præſcripturus eſt, ſi effectum felicem ab illis expectare velit, cùm ad præparationem, tùm exhibitionem aut diſſolutionem illorum legitimam, attentos habeat oculos, ſecùs parùm laudis & emolumenti indè conſequetur.

Extracta reſinoſa quâ ratione legitimè exhibenda.

Extracta reliqua *compoſita*, utpotè *Diacarthami*, *Cholalogi* & quæ *Scammonium*, *Turbith* aut *Mechoacannam* inter reliqua ingredientia admittunt, juxtà modum jamjam præſcriptum, aut ſecundum *Animadverſiones Extracti Diacitri* legitimè & dextrè parari poſſunt. Plura, quæ ad legitimam *extractorum* præparationem pertinent, fideliter in ſingulorum *extractorum Animadverſionibus* annotata ſunt, proindè ſtudioſè obſerventur, quæ ratione *Specierum Diambræ*, aliarumque rerum planè inutilium compoſitionibus intermixtarum, admonui; nec non, quæ in *Animadverſionibus extracti Marocoſtini* recenſui incongrua, & quàm dextrè illud parare edocuerim, quibus benè obſervatis, habebimus poſthac verè regia medicamenta efficaciſſima, in quibus & Medicus & Patiens fiduciam ſuam firmiter collocare poſſit, ſpe ſuâ haud fruſtratus.

Extracta compoſita.

Decocta in claſſe ſequente octavâ, ab erroribus apprimè liberata ſunt, proindè eorum *Animadverſiones*, cum particulares, cuilibet ſcilicet compoſitioni decoctorum affixas, tùm univerſales, utpotè quæ generaliter de omnibus decoctionibus loquuntur, diligenter attendas cenſeo, nec non obſervatis aliarum compoſitionum *Animadverſionibus*, quæ majorem rerum agendarum & naturalium dilucidationem afferre poſſunt: Etenim cuncta attentè & diligenter cum judicio perlecta, quæ ſparſim in præmiſſis & hâc ipsâ appendice tradita

Additio ad Claſſem octavam de decoctis.

dita sunt, votum cupidi discentis in omnibus sufficienter explebunt, ita ut nihil desit, quod ad veram & legitimam medicamentorum compositionem & præparationem pertinet, à nemine unquam tàm luculenter & sincerè posteritati communicatum.

Additio ad Classem nonam de pulveribus.

HInc ad alia transeo, classem scil. nonam de *pulveribus* tractantem, quæ & ipsa brevioribus *Animadversionibus* generaliter perlustrata est, cùm supervacaneum esse existimârim, entia citra necessitatem multiplicare, ac scripta scribere: si quis verò clariorem de dextra pulverum præparatione informationem anhelaret, is adeat *Dispensatorium nostrum novum*, ibidem de speciali cujuscunque pulveris compositione & præparatione sufficientem capiet informationem, quæ hâc in classe de *pulveribus* mutatis mutandis ingredientibus, aptè inferri non potuis.

Additio ad Classem decimam Eclegmatum & Lohoch.

QUocirca porrò me confero ad *Lohoch* classis decimæ, quorum *Animadversiones*, licet veras eorum præparationes, edoceant; lubet tamen nonnulla superaddere, quæ majorem informationem & exactiorem *Lohoch* parandi modum palàm faciant. Parentur itaque *Diacodia Ioannis Baptistæ Montani & Galeni* tali modo, utpotè:

Diacodion Joannis Baptistæ Montani.

℞. *Capitum papaveris albi sine seminibus, Num. xx.*
Siliquarum dulcium uncias tres,
Glycyrrhizæ rasæ uncias duas.

Omnia concisa coquantur in *lib. circiter octo aquæ fontanæ*, ad medias, *decoctum expressum & albumine ovorum clarificatum ad libram unam* evaporare permitte, in vase tereo (nam si quæ diu concoqui debent, in æneis vasis aut instrumentis coctionis non perficiantur, propter rubiginem pectori summè nocivam, quam & acida & dulcia in æneis instrumentis diu retenta & cocta, contrahere possunt,) quòd serva: Jam accipe etiam

Semen Papav. albi unc. tres circiter,

vel quantum viginti capita papaveris grandiora inclusum habebunt, quod in mortario lapideo, si fieri possit, contunde, affusâ, uti moris, successivè *portiunculâ superioris decocti* ad pultis minutissimæ formam, quam per setaceum, prout in præparationibus pulparum moris est, cum *decocto superiore* transmitte & coge, ut fiat emulsio crassa albicans, cremoris lactis ad instar, huic tandem adde

Sacchari albiss. libram unam semis.

Et solâ dissolutione *Sacchari* igne lenissimo sine ebullitione confice *Diacodion*, oculis & ori gratum ac efficax.

Diacodion Galeni Simplex.

℞. *Capitum Papav. albi rec. Num. xx.*

Quæ seminibus priùs exinanita & concisa, coquantur in s. q. *aquæ simplicis* ad remanentiam *duarum* circiter *librarum: Decocti colati & alb. ovorum clarificati libra una semis*, cum

Mellis puriss. despumati lib. duabus,

coquantur ad pristinam mellis consistentiam, vel paulò crassiorem, *dimidiâ librâ decocti* servatâ, quâ cum

Semina Papav. albi recentia è capitibus suis superius excepta,

in mortario optimè in pulpam subtilem & liquidiorem contunde, & per setaceum cogendo trajice, quam superiori melli Papaverino commisce, sicque dextrè paratum *Diacodion* asserva.

Nota: si cuipiam magis arrideat idem *Diacodion* cum Saccharo conficere, is instituat ejus præparationem ad normam superioris *Diacodii* Joannis Baptist. Montani.

Diacodion ex Sapa Vini fiat modo sequenti, nimirum

Ex *capitibus Papaveris, suo semine spoliatis*, paretur *decoctum ad libras duas* circiter, in cujus *decocti libra una semis* solvantur *succi Glycyrrhizæ uncia duæ*, & *sapæ vini dulcis libræ duæ*, commixta coquantur ad pristinam seu crassiorem sapæ consistentiam, cui addatur *pulpa seminum Papaveris è capitibus suis superius exceptorum*, cum *decocti superioris asservatâ parte* per setaceum transmissa, sicque etiam legitimè paratum *Diacodion* usui servetur.

Diacodion Actuarii paulò artificiosiorem præparationem exoptat, quantumvis & illa præparatio, quæ in *Animadversionibus* ejus est præmonstrata, non sit spernenda: potest autem institui tali pacto:

Diacodion Actuarii.

Diacodion Actuarii.

℞. *Capitum Papaveris recentium, seminibus exemptis, Num. xiij,*
Rosarum rubearum unciam semis;
Radic. Consolid. majoris,
Balaustiorum ana drach. duas,
Myrti,
Dauci ana unc. unam semis,
Sumach,
Florum Altheæ ana drach. tres,
Seminis Portulacæ drach. unam.

coquantur, crassiusculè incisa & contusa cum *s. q. Aquæ* ad remanentiam *librarum circiter duarum*, cum *decocti hujus clarificati particulâ* paretur ex *seminibus Papaveris*, jamjam è *superioribus suis capitibus* exceptis *pulpa liquida*, per setaceum transmittenda, quâ interim servatâ, solvantur cum *reliquo clarificato decocto*

Succ. Acaciæ,
Glycyrrhizæ,
Hypocyst. ana concret. drach. una,
ac cum
Mellis despumati libris duabus.

Coquantur ad crassam mellis consistentiam, admiscendo, dum adhuc calet,

Pulv. Boli Armeni unciam semis,
Corallii utriusque,
Sanguinis Draconis ana drach. duas,
Croci Austriaci drach. unam,
Cinamomi opt vel quod meliùs foret,
Elæosacchari Cinamomi drach. duas.

Sicque conficiatur *Diacodion* ad præscriptum usum haud ineptum.

Quòd pondus *quorundam ingredientium* duplicârim, factum est ideò, quòd *ea in substantiâ & formâ pulverum* non addiderim, sed *decoctioni* unà cum *capitibus Papaveris* destinârim ad majores virtutes & gratiam insuper *Diacodio* conciliandam, quod ob quantitatem pulverum ingratum esset futurum, ac insuper inefficax: *Decoctiones* enim sive *extractiones* promptiùs, quàm *pulveres* penetrant, viresque suas exerunt: Reliquorum verò *ingredientium pulveres*, decoctionibus, (præsertim quæ *aquâ simplici* instituuntur) non æquè ac reliqua accommodatos, in substantiâ admiscui, quia nec *Bolus* nec *Corallia* ab *aquâ* solvi, aut multum ab iis, *Coralliis* præsertim, extrahi potest, uti nec *à sanguine Draconis gummoso*: *Cinamomi* etiam vires in decoctione penitus penitùsque exhalant, ut & *Crocus* coctioni commissus nonnihil deperit; hinc illa, quippe quæ reliquis ingredientibus minùs sunt nauseabunda, in substantia, in pulveremque redacta, huic *Diacodio* addidi.

Ex hâc dextrâ hujus *Diacodii* præparatione, solidum *Diacodium*, qua ratione parandum, patebit

Lohoch sanum & expertum.

Lohoch sanum & expertum modo sequenti laudabiliter confici potest, utpotè

℞. *Hyssopi,*
Glycyrrhizæ, ana unciam semis,
Iujubarum,
Sebesten ana Num. xxx.
Passular. majorum enucleat.
Ficuum pinguium,
Dactylorum ana uncias duas,
Capillorum Veneris manip unum,
Calaminthæ,
Rad. Ireos Flor.
Sem. Lini ana drach tres,
Fœnugræci drach. quinque.

Concisa quæ conscindenda, & contusa quæ contundenda sunt, coquantur in *s. q. aquæ puræ* ad remanentiam circiter *librarum duarum*, decoctum coletur, ac *albumine ovorum* optimè clarificetur: Hinc ex

Pinearum mundat. unciis duabus, &
Amygd. dulc. decorticat. uncia una,

in mortario optimè, & subtilissimè contusorum, beneficio *superioris decocti trium circiter unciarum* confice pulpam seu emulsionem crassissimam instar cremoris lactis, per setaceum transmittendam, quâ factâ, & interim paulisper asservatâ, cum *reliquo decocto clarificato*,

Sacchari albissimi libras duas,

coque ad consistentiam Syrupo quodammodo crassiorem, cui Syrupo dum adhuc calet, im-

mergantur ac commiſceantur, *pulpa ſeu emulſio craſſa Pinearum & Amygdalarum ſuperiùs aſſervata*, item, pulveres ſequentes, nimirum:

Pulv. Liquiritiæ ſubtiliſſ.
Amyli ana drach. ſex,
Ol. ſtill. Cinamomi,
Aniſi,
Fœnic. ana ſcrup. unus, prius cum *Pulv. Sacch. albiſſimi drach. ſex circiter* commiſtorum

Et efficietur ſic *Lohoch*, nomini ejuſdem correſpondens.

Tragacanthum & Gummi Arabicum reddunt Lohoch ſanum nimis glutinoſum, cum tempore.

Nota: ſi quis *pulv. Tragacanthi & Gummi Arabici* admiſceri voluerit, per me licet, ſed edulium conficiet ingratum & glutinoſum, eò magis, quò diutiùs aſſervandum; nam inter initia ob Syrupi lentorem prompte illa in viſcum non convertuntur, ſed ſucceſſu temporis, glutinoſa nimis unà cum Syrupo evadunt: Proindè ſuadeo, ut modo inſinuato, auctâ quantitate & pondere *reliquorum ingredientium*, nimirùm *Pinearum, Amygdal. dulcium, Pulv. Glycyrrhizæ, Amyli, Ireos*, ut quæ Saccharo vel Syrupo magis correſpondent quoad competentem compoſitionis normam, hoc *Lohoch* conficiant, quippe quod & ori gratum, ac viribus non exiguis futurum *Olea ſtill. Cinamomi, Fœniculi & Aniſi* in Elæoſaccharum prius converſa ultimò adjeci, eorundem autem ſubſtantiam totam ex quâ, primæ decoctioni detraxi, ne tota eorum vis & efficacia, in ſubtili partium tenuitate conſiſtens in coctione exhalaret, ſicque medicamentum eorum viribus effœtum redderetur, in attenuandis præſertim & incidendis craſſis humoribus, quod ipſum per ſe aliàs craſſum & viſcidum, eò magis ſi *gluten Tragacanthi & Arabici gummi* adderetur. Et lubens informari cupio, quomodo craſſiſſima & viſcoſa medicamenta, quorum non exigua copia in diſpenſatoriis extant, (quibus vires illæ incidendi & attenuandi cordatè adſcribuntur) craſſos pectori aut viſceribus naturalibus & vitalibus impactos humores attenuare & incidere poſſint, cùm inſuper etiam omnia ſimilia medicamenta ventriculo immediatè ingerantur, nec citiùs prædicta viſcera attingant, uſque dum digeſtionem & mutationem ſui in ventriculo perpeſſa, prout reliqua ſimilia eſculenta vegetabilia, concoctionibus & mutationibus obnoxia, in chylum & ſanguinem pro parte convertantur, an conſequenter per totum corpus diſtributa, in nutrimentum corpori tandem cedant; exigua inſuper eorum particula, ſi doſes eidem medicamento aſſignatas penitiùs conſidero, partes affectas attinget. Magna proindè audacia in aſſignandis medicamentorum ſimilium virtutibus perſpicitur, quæ occulta interim debacchatur in ægrorum ſalutem: Ob id plurimi etiam ineſcati, qui deſcriptis laudum varietatibus nimium ſe circumveniri paſſi, decipientur & decepti ſunt: Memores ſimus aurei præcepti, quod contraria contrariis curanda ſint, conſequenter craſſa & viſcida tenuibus attenuanda & incidenda, habitâ interim proportione materiæ peccantis, & medicamenti operantis, quoad quantitatem & qualitatem.

Craſſa & viſcida tenuibus incidenda & attenuanda, non itidem craſſis & viſcoſis.

Additio ad Claſſem undecimam.

Claſſis undecima, quæ de ſpeciebus aromaticis agit, & plurimis inutilibus compoſitionibus potiùs oneratur, quam ornatur, ſuis *Animadverſionibus* generalioribus & ſuccinctis jam diſcuſſa eſt, quas benevolo Lectori unicè commendo, qui ipſus evidenter perſpiciet, non tàm in præparatione, quàm compoſitionibus earundem ſpecierum errores haud leves eſſe commiſſos, quorum alios annexæ *Animadverſiones* in lucem producunt, alii verò ex novis ſpecierum compoſitionibus Diſpenſatorii noſtri palam fiunt, quò benignum Lectorem relego, & ſubſequentem.

Additio ad Claſſem duodecimam.

Claſſem duodecimam *Trochiſcorum* pariter pauciſſimis percurro, in quâ ſi *Animadverſiones* noſtras ſuper illam factas, æquâ rationis & judicii lance trutinaveris, re ipsâ deprehendes, vix quidquam, quod ad dextram *Trochiſcorum* compoſitionem & præparationem facere poſſit, omiſſum eſſe; detectis inſuper erroribus haud levibus in eorum methodo tùm componendi tùm præparandi commiſſis, adeoque cuncta quæ ibidem prolata ſunt Phyſicè & Medicè, Lectori potiùs commendare, quàm plura addere è re fore exiſtimavi: Etenim non ſolùm quæ ad legitimam *Trochiſcorum* compoſitionem & præparationem ſpectant, lucidiſſimè detexi, ubi monſtravi etiam, non quodlibet cum quolibet aptè com-

commiſceri poſſe, verùm etiam quæ nemo ante me *de viperis & ſerpentibus* perveſtigavit, ea theoricè & practicè, experientiâ & rationibus firmata, fideliter publico donavi. Examini quæſo ſubjiciat, quiſquis exacto judicio pollet, quæ, abſque longo verboſarum ambagium ſyrmate, *de viperis & ſerpentibus* publici juris feci; conferat autem ea cum illis, quæ apud diverſos Authores *de viperis* tractantur, & manifeſtè deprehendet, eos vel ab aliis inconſiderato calamo ſua exſcribere, aut opinione pravâ novos errores procudere. Quòd ſi quiſpiam autem authoritatem veterum occulatæ veritati pertinaciter opponere præſumat, id quod ſæpè & hodiè inaudire oportet, cùm hactenus ſit numerus ſanè exiguus eorum, qui damnatis veterum tenebris, ubi eos errare deprehendimus, in apertâ luce clariſſimâ ambulare ſatagant; quin potiùs cum millibus errare, quàm cum uno vel paucis ſapere firmiter decreverint: Is profectò in venerandam Antiquitatem multùm iniquus eſt, utpotè, quæ paſſim in ſuis ſcriptis paratam ſe conteſtatur audire ſaniora conſilia. Contulerunt igitur primi Authores ſua fideliter in œconomiam Medicam, tunc quidem temporis optima, ſed quæ tempore ſuccedente exornare & meliora reddere nulla lex vetat. Et quis tanto mentis ſtupore torpebit, qui ſi *Trochiſcos viperarum* veterum accuratiore mentis acumine æquiter ſaltem inſpiciat, detectâ inſuper fraude, quæ in illorum præparatione committitur, eos nihilominus adhuc juxta modum antiquum paratos, *Trochiſcis* vel *pulveribus* meis viperarum fideliſſimè edoctis præferendos, ac Theriacæ Andromachi admiſcendos cenſeat? abhorret profectò animus talia perpetrari, quæ non niſi maligno aliquo ſpiritu inſtigante in humani generis perniciem extremam cedere poſſunt, ut, undè vitæ ſalus ſperanda, exitium obrepat & adventet. Quæ plura addi poſſent in hâc & ſequenti claſſe decimâ tertiâ, ea Diſpenſatorium novum ejuſdemque Appendicis compoſitiones dilucidabunt.

Additio ad Claſſem decimam quartam.

CLaſſem quòd concernit decimam quartam, eam perindè parùm percurrere libet: In illa autem primùm ſeſe offert *Theriaca*, medicamentorum omnium Regina olim dicta, de quâ, quid ſentiam, in *Animadverſionibus* ejuſdem liberè mentem expoſui, legitimâ pariter ac convenienti ejus præparatione fideliter edoctâ. Aſt quamvis in deſcriptione & præparatione ejus dextrâ veram rationem ducem ſecutus ſim, quod nemo ſanæ mentis, qui cum judicio illa perlecturus eſt, inficias ibit; plurimis tamen ſurdis fabulam narravi, eò quòd à conceptis ſemel erroribus, luculentiſſimè licet demonſtratis & detectis, quamplurimi abduci ſe neutiquam patiantur, ſed in ſummum humani generis detrimentum, hucuſque cantilenam anteceſſorum, partim pertinaciter meliora ſcientes, partim inſcienter, quòd nondum dignati ſint ſaniora lectione diligenti percurrere, turpiſſimè obſtrepant, & obnitantur, Pharmacopœis præcipientes, ut more antiquo ſimilium & præcipuorum medicamentorum præparationes adhuc inſtituant, inſcii, & incauti, ſic multorum peritiorum Pharmacopœorum ac Poſteritatis riſui ſeipſos exponere exſibilandos, ut quæ tàm ſeriorum præceptorum ſimplicitatem & in arte hallucinationem jam jam agnoſcit, & inpoſterum ſepoſita obedientiæ non neceſſariæ, imò noxiæ larvâ, magis magiſque deteſtatura eſt. Et quæ ratio eſt in *Theriaces* compoſitione & præparatione, entia citra neceſſitatem multiplicare? primò additione *Trochiſcorum ſeu Magmatis Hedychroi*, cùm propemodum *omnia* eorundem *Trochiſcorum ingredientia Theriaces* compoſitioni anteà inſerta ſint, pauculis exceptis, rebus nimirùm cùm qualitate ſuâ, tùm pondere nimis exiguo, huic *Theriaces* compoſitioni indignis & ſuperfluis, uti ex reſolutione noſtrâ accuratè patet. An non igitur conſultiùs foret, *quantitatem ſimplicium ſpecierum*, utramque compoſitionem ingredientium, competenter in ipſa *Theriaces* compoſitione & præparatione augere & junctim in pulverem redigere, quàm illa ipſa, *quæ Trochiſcos Hedychroi conſtituunt ſimplicia*, ſigillatim prius in maſſam & Trochiſcos cum *vino Falerno* redigere, exſiccare & denuò pulveriſata iiſdem *Theriaces ſpeciebus ſui generis & ſpeciei* commiſcere. Nam præterquam quòd

Trochiſci Hedychroi perperam ſigillatim Theriacæ admiſcentur.

harum

harum specierum (scilicet *Trochiscos Hedychroi* ingredientium) Trochiscatio seu efformatio in *Trochiscos*, planè insipida sit, cùm denuò in pulverem redigi debeant, earum insuper virtutes in exsiccatione *Trochiscorum* multùm exhalent, & consequenter effœtæ reddantur; sunt enim *species utplurimùm aromaticæ*, quarum efficacia in subtili partium tenuitate consistit, promptè exhalabilis, quamque exhalationem *dictarum specierum* maximè promovet, vehiculi instar, *vinum Falernum*, quippe quod ipsum non solùm penitùs penitusque in exsiccatione *Trochiscorum* exhalare debet, relicto pauculo crassamento tartareo *Trochiscis* admixto, verùm unà secum rapit *potiores & subtiliores Opobalsami, cæterarumque tenuium partium specierum* exoptandas virtutes, quod ipsa dictat ratio. Porrò *Trochiscos de viperis* quod attinet, hi quamvis fideliter ad mentem Galeni cum *parte quarta panis biscocti*, respectu *carnis viperinæ*, confecti essent, qui tamen reverà non sunt, illos nihilominus rationabiliter approbare nequeo: Nam, dic amabò, quæ virtutes eximiæ & alexipharmacæ, *à pane biscocto* sperandæ? aut quid is corrigere potest? cùm, si cujusdam veneni particeps esset *caro viperarum*, illud panis potius attraheret aut retineret, tanquam venenorum verum attractivum, juxta doctissimorum Virorum assertionem, & quotidianam tempore pestis experientiam. Desuntne nobis in tanta ubertate præstantissimorum remediorum, quibus DEUS largiter nos donavit, *simplicia alexipharmaca pane aptiora*, quorum beneficio *caro viperina* in massam & Trochiscos cogi, diutiusque asservari, ac à situ & corruptione in longum tempus conservari possit? quippe quod additione *panis* minimè consequimur, sed ipse (scilicet *panis*) brevi situi & corruptioni obnoxius, in vermium escam cedit. Nonne igitur consultius foret, *pulverem viperarum* saltem legitimè præparâsse & simpliciter asservâsse, (qui si *sale quodam* conditus est, in multos annos incorruptè perstabit) vel *illum pulverem* beneficio cujusdam *Gummatis Theriacam* aliàs ingredientis, in *Trochiscos* efformâsse, si diutius illos asservare animus sit; quæ cuncta fideliter & diversimodè ad delectum in *Animadversionibus* horum *Trochiscorum* edocui, ut uter arrideat modus, quis alterum amplectatur. Si igitur, Lector amice, ex hâc *Trochiscorum de viperis* præparatione, juxta mentem Galeni fideliter etiam instituta hæc sequantur incommoda, quid boni nobis promittere possumus, si *decuplâ aut duodecuplâ quantitate panis biscocti, caro viperarum* excipiatur? & quidem necessariò, cùm aliàs impossibile sit, ut *caro viperina, unà cum jure*, in quo decoctæ fuerint *viperæ*, cum præscriptâ quantitate *panis, quartâ scilicet parte respectu carnis viperinæ*, in massam & *Trochiscos* efformari possit, quod fusiùs in antecedentibus *Animadversionibus* monstravi, & quam oculis propriis contemplatus sum, adulterationem manifestissimè detexi, adeò, ut quilibet nunc, qui mihi fidem adhibere nolit, ipsus periculum facturus, rei veritatem experientiâ comprobare possit. Transeo ad *Trochiscos de Scilla*, quorum loco *pulpam Scillæ* in correctâ *Theriaces* præparatione non sine prægnante ratione substitui: Etenim *Ceparum* omne genus in exsiccatione maximâ ex parte exhalat, relictis *membranulis inutilibus & effœtis, spiritu suo* nares aliàs feriente orbatis, quod in præscriptâ ab Authoribus *Trochiscorum de Scilla* præparatione evidenter demonstrari potest, modò is, qui eos paraturus est, *exactum pondus Scillæ*, & *farinæ Orobi* vel *Dictamni radicis* observet, experietur à *Scilla* exiguum quid unà cum *farina Orobi vel Dictamni* post exsiccationem *Trochiscorum* remanere, uti fusiùs in eorundem præparatione, & *Animadversionibus* super eosdem factis evidenter demonstravi. Etenim, quod de *farinâ Orobi vel Dictamni* in exsiccatione Trochiscorum nil quidquam exhalare, ac nec in pondere diminui possit, experimentum facere in facili est; nam quotiescunque *farinam sive Orobi, sive alterius cujusdam leguminis cerealisvè* humectaveris & denuò exsiccaveris, idem pondus, quod anteà erat, post exsiccationem in residuo manebit: adeoque non incongruum fore arbitror, *pulpam*

Trochisci de viperis ventilantur.

Panis venenorum attractivum, non correctivum.

Trochisci Hedychroi perperam sigillatim Theriacæ admiscentur.

Trochisci de viperis in præparatione nimia panis quantitate addendâ adulterantur, vel illegitimè parantur.

Trochisci de Scilla.

Scillæ pro medietate ejusdem *Trochiscorum*, pro alterâ autem parte dimidiâ, pulverem *Dictamni albi*, *vel farinam Orobi*, utpotè ex quibus prædicti *Trochisci* unà cum *Scilla* parari consuevêre, his de *Scillâ Trochiscis* substituere, si *Scillæ vires* necessariò *Theriacæ* virtutes alexipharmacas adauctur æ sint, de quo tamen meritò dubitari possit, interim tamen fides sit penes Authores.

Gummata dum solvuntur non diu coquenda sunt.

Cæterùm, in præparatione *Theriaces* observetur, ne *Gummata*, utpotè *Sagapenum*, *Opopanax*, *Galbanum* in eorundem dissolutione multùm coquantur, sed selecta priùs & pulverisata, quod temporè hyberno fieri potest, in *vino Cretico*, *vel essentia viperina*, cum *vino Cretico paratâ* saltem diluantur, super igne lenissimo, ne diuturnâ coctione vires eorundem præcipuæ subtilioresque composito detrahantur, spiritu nimirùm & oleo violentâ coctione evanescentibus: Si verò denominata *Gummata* unà cum *Resina Styracis*, *Mastiche*, *Olibano* & *Bitumine Iudaico*, non nemo junctim in *Terebinthina* & *Opobalsamo* solvere intenderet, is, me judice, non ineptum opus perageret, cùm *Therebinthina* sit de naturâ *Gummatum resinosorum*, propterea facilè in eâ illa liquantur & verè dissolvuntur, quod nec *vinum* nec *acetum* efficere potis est. Et hæc quoad nonnulla & præcipua, *Theriaces* compositionem ingredientia superaddita sufficiant, reliqua petantur ex præmissis ejusdem *Animadversionibus*.

Theriaca Romana.

Transeo porrò ad *Theriacam auctam* à Medicis Romanis & Bononiensibus, quæ ipsa *Theriaca multis rebus* vel *ingredientibus*, *nullâ planè alexipharmacâ virtute præditis*, præter alia indigna *Theriacam Andromachi* ingredientia aggravata est, utpotè, quod singulariter considerandum & reprehendendum est, SUCCO INFUSIONIS ROSARUM INSPISSATO. (res ludicra & risu digna.) Item, *Iride Florentinâ*, *Succo Glycyrrhizæ*, *Agarico*, *Myrobalanis*, *Sem. Anisi*, *Fœniculi*, *Gummi Arabico*, *Radice Asari*, *Scabiosa*, *Cornu Cervi usto* aliisque complurimis, adeò, ut si quis eam penitiùs secundum ingredientia ordine examinare intenderet, informe chaos atque mistura, nescio quo nomine indigitanda, exsurgeret: sed indigna sunt hæc pluribus verbis, nam brevibus complecti nequeunt, idcircò relegantur potiùs nimis auctæ hæ compositiones, & obliterentur, ne posteritati in risum cedant. Ego verò non is sum, qui venerandæ Antiquitati quidquam detrahere præsumam, monstravi saltem errores prægrandes, quibus illi, qui *Herostrati*, Ephesiani illius templi incensoris instar, gloriolam in dedecore captaturi Antiquos ad invidiam onerant, & quem illi meriti non sunt, despectui & opprobrio exponunt; non enim tot tantosque errores vel *Galenus* vel *Hippocrates*, quoad medicamentorum compositionem & præparationem, commiserunt, ut plagiarii audiant, quamvis ab initio Medicinæ tanquam inventores tantoperè versati non fuerint, ut rem vel artem simul invenirent, simul excolerent, integrè, & ad totalem perfectionem perducerent: Hinc meritò, licet erràssent, veniâ digni honestam excusationem promeriti essent. Sequens *Theriaca Diatessaron Mesues* compositio inter præcedentem & sequentem ipsam etiam *Theriacam Andromachi*; quoad compositionis concinnitatem, & *ingredientium Alexipharmacorum* competentem quantitatem, facilè primas tenet, quamvis & sequens *D. D. Augustanorum Theriaca* suas mereatur laudes, modò inutilia quædam superaddita resecarentur, ac insuper pondus quorundam ingredientium immutaretur.

Theriaca Diatessaron Mesuæ ob compositionis concinnitatem commendatur.

Mithridatium Damocratis Panacæam mehercle nobis promitteret, si vera essent, quæ de immensis ejus virtutibus ad tot tantaque morborum monstra profliganda deprædicantur; reverà Dii essent Medici & Numine pleni, si talis medicina illis suppeteret, quæ solâ tantos in naturam humanam conjuratos hostes, propellere possent; ast facilè ruit tantùm medicamenti elogium, dum effectum promissis in plerisque non respondere deprehendimus, & experientia consulitur testis. Quod *Trochiscos Cypheos Mithridatii* præcipuum ingrediens spectat, de his eadem, quæ de *Trochiscis Hedychroi Theriacam* ingredientibus dicta sunt, afferri possent: verum cùm in *Animadversionibus ejusdem Mithridatii* ventilati sint, illis nunc supersedeo, & plura quæ

quæ essent in *Mithridatii* compositione & præparatione digna correctione, ex sequentis *Antidoti Mattbioli Animadversionibus*, quæ plurimorum compositorum absurditatem palàm faciunt, petantur.

Diacorum Mesuæ nobile confortativum stomachi.

Diacorum Mesuæ nobile medicamentum stomachicum confortativum nobis suppeditat, ac juxta *Animadversiones nostras* paratum, ori & oculis gratum existet. *Aquam à radicibus Pastinacæ & Acori decoctam*, non immeritò asservare, & *cum Melle* ad pristinam ejus consistentiam coquere jussi, majorem enim Medicamento & Electuario addet efficaciam: Namque *omnia vegetabilia* cum *s.q. aquæ* decocta, suas *aquæ* communicant virtutes, quarum alia quæ terrestriora ad extremam veluti humiditatis vel aquæ affusæ exhalationem, integris & nativis virtutibus adhuc prædita, in residuo manent: alia verò sulphureæ & subtilioris naturæ, coquendo cum aqua maximam partem, quæ subtilior & tenuior, exhalant, & in auras pelluntur, remanente parte saltem crassiore, de quibus fusiùs in *Animadversionibus aquarum destillandarum* in genere actum est.

Quæ vegetabilia coctioni apta sunt.

E numero itaque *Vegetabilium*, quorum virtutes, largiter licet decoctorum in residuo manent, sunt *hæ & plurimæ aliæ radices*, proindè *earum decoctum* virtutibus *radicum* prægnans, cum *melle* potiùs coquendo exhalandum, & virtutes *radicum* illi imprimendas, quàm inutiliter effundendum esse existimavi, quod ipsa ratio suadet: Quò minùs enim medicamenta simplicia & composita in virtutibus castrata & mutilata sunt, eò certiores & potentiores effectus ab usu eorum experiemur. Cætera quæ in hâc classe decimâ quartâ *Antidotorum* supersunt composita, suis *Animadversionibus* locupletata, & erroribus vindicata sunt, ita tamen, ut quod in uno desideratur, ex aliis peti possit.

Medicamenta in virtutibus non sunt castranda.

Appendicem classis decimæ quartæ, quæ de *Salibus Theriacalibus* agit, pariter à nævis & erroribus sufficienter, uti puto, repurgavi, adeò, ut plura addere in præsens supervacaneum censeam, quamvis in facili esset, plura *ex viperis medicamenta & salia composita* publici juris facere; verùm illa ibidem sincerè præscripta abundè sufficere mihi videntur. Habes enim, Lector amicè, ibi loci, non solum plenariam ac veram de *naturâ viperarum* informationem vel doctrinam, sed & efficacissima & saluberrima ex iis paranda *salia volatilia & theriacalia*, *composita & simplicia*, sine fuco aut ambage sincerè depicta, quæ quantum differant, virtute, efficaciâ, & dexterrimâ præparatione ab Antiquorum *salibus Theriacalibus*, judicium esto penes æquum Lectorem, qui si cuncta incudi rectæ ratio-nis & judicii subjiciet, sine præconcepta opinione, facilè ultroque in veritatis partes ibit, eique adstipulabitur: Felices sanè essent Medici & ægroti, si similia medicamenta alexipharmaca illis suppeterent, quæ verè Regia sunt, substantiâ & effectu, tàm exiguo prætereà pretio redimenda, ut etiam in pauperum usus dispensari, illisque adjumento esse possint.

Ingens differentia inter salia Theriacalia Antiquorum & Anthoris.

IN classe porrò decimâ quintâ, quæ *aquarum destillandarum* compositiones & præparationes complectitur, nonnulla adhuc quæ majorem rerum naturalium notitiam afferre possunt, ut superaddam, movet me primò *Aqua Acovistica sive ad auditum Minderери*; In hâc namque præter plurima absurda alia commissa, video, *Acetis Scillitico & Rutaceo urinam capræ*, quæ invicem planè contraria sunt, perperàm & inconsideratè affundi: Nam *urina cujuscunque perfecti animalis* in destillatione *spiritum* præbet *salinum acrem*, acetosorum & acidorum spirituum omnium mineralium tùm vegetabilium destructorem & planè contrarium. Etenim, si *urinam parumper fermentatam* (quæ aliàs in destillatione spiritum salinum acrem, vel sal etiam summè volatile albicans eructat) *spiritibus acidis quibuscunque* commiscueris, neutra, & à parentibus diversa soboles progeneratur, ac ambo, cùm *acidus* tùm *urinæ spiritus* in ens alienum transmutantur contrarietate naturali, nempè qua acida & salsa in se invicem agunt, & se mutuò destruunt, hinc ex ambobus mixtis & destillationi commissis, *phlegma saltem inutile* elicitur, relicto in residuo *sale quodam urinæ aliqualiter fixato*, quod per Alembicum simplici vel humidâ hâc destillatione pelli minimè potest, sed in residuo manet totum; adeoque liquet, quam im-

Additio ad Classem decimam quintam.

Ex acidis & salis neutrum quid generatur.

prudenter connubium contrariorum liquorum ab Authore institutum sit. Quòd si tamen nonnemo, omninò ex hisce aquæ hujus præscriptis ingredientibus plurimis ad effectus ipsi assignatos salutarem expeteret aquam, nec præscriptâ in *Animadversionibus* infusione contentus esset, is se gerat tali modo:

Aqua ad auditum, seu Acovistica Minderi correcta.

℞. *Herb. recent. Majoranæ,*
Origani,
Polii montani,
Rorismarini,
Rutæ,
Salviæ hortensis,
Flor. recent. Lavendulæ,
Sambuci ana manip. sem.
Spicæ Rom. pugill. unum,
Baccar. Lauri,
Iuniperi ana unciam semis,
Rad. Ireos Florent.
Cyperi rotundi,
Valerianæ,
Levistici ana drachmas duas,
Sem. Fœniculi,
Raphani,
Rutæ ana unciam semis, priùs contusorum cum portiunculâ aqua Epilept. Langii,
Castorei,
Galbani ana drachmas tres,
Nucleor. Persicorum contusorum priùs ad pultis formam, cum portiunculâ Aquæ Langii, vel Spiritûs Iuniperi, uncias duas,
Ceparum concisarum aut contusarum uncias duas semis,
Camphoræ drachmam unam.

His omnibus concisis, quæ conscindenda, & contusis, quæ contundenda sunt, superaffundantur,

Spirit. urinæ puerorum, vel si mavis,
Spiritûs urinæ capreæ, aut
Vrinæ saltem destill. spirituos. lib. una
Succi Raphani,
Aquæ vitæ Langii ana unciæ tres,
Spiritûs Iuniperi ex baccis unc. sex.

Et junctim brevi digestione præmissâ per Alembicum vitreum juncturis optimè clausis destillentur, addendo,

Spiritûs Rosarum unciam semis.

Destillata hæc aqua, affectibus aurium, earumque nervorum obstructionibus salutaris, in vitro benè clauso studiosè asservetur. Hanc autem *aquam*, si in usum trahi debeat, auribus nequaquam (uti nec quidquam aliud) largiter infundendam esse censeo, cùm membranula super annulum & subjecta officula expansa, Tympanum dicta, subtilissima sit, adeoque facilè rebus aut liquoribus acrioribus infusis, totaliter destrui & erodi possit, auditu ex toto abolito. Consultius proindè fore arbitror, ut saltem frustulo panis tritici è furno recenter extracti illa inspersa illicò auribus applicetur, & alligetur calidè, sicque ut calore panis & aquâ spirituosâ simul agente, crassi humores nervos & meatus auditorios obstruentes, incidi attenuari, atque per insensibilem transpirationem, vel retrocedentes ad palatum per sputum & salivam evacuari possint. Quam ob rem non ineptè quis egerit, si similibus in affectibus, aquam illam ori immiserit, pro majore attenuatione & attractione humorum crassorum ab auditoriis meatibus (intra membranulam Tympanum sitorum) qui per Tympanum vix ac ne vix quidem illo illæso vel exeso, transsudare possunt. Quod autem nonnulla ingredientia, utpotè *Rad. Cyclaminis, Bryoniæ, Pyrethri, & Cucumeris asinini, Colocinthidem, Aceta item Scillæ & Rutæ* excluserim à compositione, non abs re factum esse arbitrare; quia partim terrestriora illa spiritu penetrante balsamico carentia, nil quicquam virtutis aquæ destillandæ impertiri possunt, sed eorum virtutes concretæ in residuo manent; partim verò *spiritu urinæ*, utpotè *aceta*, contraria & destructiva sint, uti fusiùs superiore monitione præcautum. *Cepas contusas* in paulò largiore quantitate, *succo earundem* esse substituendas, non sine ratione existimavi, cùm *Cepæ* valdè viscosum in expressione præbeant succum, residuum autem ab *expressis Cepis*, iisdem gaudeat spiritibus subtilioribus, quàm succus ipse. *Nucleos Persicos, Semina item Rutæ & Raphani* ad instar pulticulæ cum portiunculâ aquæ aliàs addendæ, prius contusa adjeci ob majorem, quem taliter contusa semina & nuclei

clei in destillatione præbent, odorem & saporem, ac consequenter majores etiam virtutes.

Notandum porrò: quòd si aqua præscripta ori immittenda foret pro attenuatione & attractione humorum crassiorum & viscidorum in meatibus internis auditoriis, *illi sc. aquæ radices Pyrethri* prius esse immergendas aliquandiu: *Radices enim hæ* ab aqua extractæ, majorem illi conciliabunt efficaciam, quàm si unà cum aliis speciebus destillationi essent commissæ, cùm illarum acrimonia, multoties licet destillentur, semper in residuo maneat.

Aqua seu potius *Essentia Antidotalis Alexipharmaca D. Petri Matthioli*, quàm imprudenter sit instituta, ex ejusdem *Animadversionibus* videre est, in quibus quidem haud perperàm ex *Antidotorum ingredientibus*, *dempto melle & Syrupo de corticibus Citri*, essentiam extrahere consultius duxi; sed cùm dicta *Antidotus* tanta farragine inutilium, nullâque virtute Alexipharmacâ præditorum ingredientium superbiat, adeoque paratu tædiosa sit, aliam proindè longè concinniorem & præstantiorem, nec non paratu faciliorem in præsens superaddam, quæ talis esto:

Essentia Antidotalis Alexipharmaca.

℞. *Rad. Angelicæ,*
Imperatoriæ,
Levistici cum toto,
Zedoariæ ana unciam unam,
Herb. recent. Scordii,
Salviæ,
Rutæ ana unciam unam semis,
Cort. recent. Citri uncias duas,
Cinamomi acuti unc. unam semis,
Caryophyllorum unciam semis,
Maceris,
Nuc. Moschat. ana drach. sex,
Camphoræ drachmam unam.

Incisa crassiusculè & contusa immittantur cucurbitæ vitreæ, quibus superaffundantur,
Spiritus Iuniperi ex baccis,
Vini opt. rectif. ana lib. duæ,
Vini Malvatici libra una semis.

Digerantur in calore leni, vitro benè clauso, die unâ vel alterâ, hinc destillentur in arena ad siccitatem specierum; *Liquori egresso spirituoso* immergendo
sex viperas recenter mactatas unà cum cordibus & hepatibus earum vivis; diligenter autem ab exuviis intraneis, capitibus & caudis repurgatas.

Ac in illo emori permittantur: taliter namque *spiritus viperarum vivificus liquori* integrè communicatur. Factâ pòst aliquali digestione, sequentia superinjiciantur, utpotè
Rad. Angelicæ uncia una,
Anthoræ,
Contrajervæ ana uncia semis,
Helenii,
Morsus Diaboli,
Scorzoneræ,
Zedoariæ ana uncia una,
Herb. recent. Rutæ,
Scord. ana unc. duæ sem.
Bacc. Iuniperi uncia una semis,
Lauri uncia semis,
Cort. Citri recent. unciæ duæ,
Sem. Citri uncia una,
Myrrhæ rubræ splendidæ uncia una,
Maceris drachmæ duæ.

Et denuò in loco satis calido, sex circiter dierum spacio, digerantur: cuncta autem immissa Alembico vitreo suo capitello munito, & præposito recipiente, commissurisque undique clausis, ut si quid *spirituosi liquoris* sursum elevetur in digestione calida aut ferè fervida, in excipulum transeat, liquori in Alembico reaffundendo, *qui liquor* tandem per colaturam & expressionem à speciebus & viperis immersis segregandus, & *Syrupis sequentibus* edulcorandus est, utpotè
Syr. de Scordio simpl.
Cort. Citri ana n m. parati uncias quatuor.

Fiat *Essentia Alexipharmaca* præstantissima, quæ studiosè filtranda ac usui asservanda est.

Essentia alia *Alexipharmaca* pro vilioris fortunæ hominibus ita parari potest:

Essentia Alexipharmaca vilior.

℞. *Spir. urinæ puerorum vel hominis sani,*
Iuniperi ex baccis,
Aquæ Rutæ cum vino still. ana libras duas.

Quibus immergantur sequentia crassiusculè incisa & contusa, nimirum

Rad. Angelicæ,
Zedoariæ ana uncia una semis,
Herb. recent. Scordii,
Rutæ ana unc. quatuor,
Cort. Citri recent. extim. unciæ duæ semis,
Baccarum Iuniperi,
Myrrhæ rubræ ana unciæ duæ,
Maceris uncia semis,

Et peractâ digestione, vel ebullitione unicâ factâ in Alembico vitreo suo capitello munito, & præposito recipiente, colętur essentia, speciesque fortiter exprimantur, additisque tandem

Syr. de Scordio n. m parati. unc. octo,
de Cort. Citri unciis tribus.

Fiat *Essentia Alexipharmaca*, quæ studiosè filtranda ac usui asservanda est.

Aqua Antiscorbutica Dorncreilii. Aqua *Antiscorbutica Dorncreilii*, quædam assumit ingredientia, quæ præter aquam elementarem in simplici hâc destillatione nihil præbent, utpotè *Polypodium, Cort. Rad. Capparum, Crocus ex parte, succus Fumariæ, Serum lactis*, proindè, me consule, consultius esse ex quibusdam hujus aquæ simplicibus, nimirùm *Radice Raphani sylvestris acri, Cochlearia, Beccabunga, Nasturtio aquatico, Chamædry, Semine Fœniculi, Cardamomo, Croco*, omnibus minutim contusis & conscissis, conditum *cum saccharo vel melle* conficere, quod ad præfatos affectus Scorbuticos, longè majoribus polleret viribus, quàm ipsa eorum *destillata aqua*; eoque magis, si singulis diebus unà cum cibis usui illud ægrotantibus destinaretur; posset nihilominus *illud ipsum conditum*, si quis liquidis magis delectaretur, *cum vino* aut *Sero lactis* confestim dilui, & colatum ad instar potionis exhiberi.

Aqua Astmatica ulterior dilucidatio. Aqua *Asthmatica* tot ac tantis erroribus referta est, ut vix integra pagina illis saltem enumerandis sufficiat: *Animadversiones* super eam factæ, illorum errores potiores dilucidant; qui verò ex iisdem palàm fieri nequeunt, ex sequentibus quarundam aquarum compositionibus correctis, & omnium maximè ex *Animadversionibus* super aquas simplices destillandas in genere factis, facili negotio peti possunt, quò Lectorem brevitatis causâ remitto. Præscripta tamen informatio ibidem, de vegetabilium nonnullorum terrestriorum destillatione in genere factâ, non eò tendit, ac si illius Aquæ *Asthmaticæ* destillationem cum omnibus ingredientibus eo modo instituendam & perficiendam existimarum, verùm ut is, qui destillationibus, rerumque destillandarum ignarus, apta aut inepta vegetabilia uni eidemque destillationi destinata, discernere haud valet, plenam habeat informationem, & tànquam in theatro propositos productosque errores ex subsequentibus eò melius, ac accuratius dignoscere possit; quocircà in præsens, quod minimè conticendum, scituque necessarium est, silentio præterire nequeo, nimirùm, quòd sicut plurima esculenta vegetabilia planè nulli destillationi apta sunt, ita nec quædam in prædicta Aqua *Asthmatica* quasi digito præmonstrata ingredientia, è quorum serie sunt, *Amygdalæ, Passulæ, Pruna, Dactyli, &c.* quippæ quæ à Creatore Summo esui destinata sunt, dissoluta verò à suo composito & corpore vi ignis, aut fortiori paulò destillatione ibidem indigitatâ, longè alias & peregrinas proferrent operationes: Eadem ratio esto de *nonnullis Radicibus & Plantis, Glycyrrhizâ, Iride, Althæâ, Consolidâ, Betâ, Brassicâ*, & innumeris aliis; Undè suadeo, ne præcipitanter nimis simplicia quædam medicinalia, præsertim esculenta, Vulcani torturæ subjiciantur, sed simpliciter sapore & dulcedine eorum aut quovis alio gustu amabili non destructo, nec multis rebus heterogeneis confusa in usum trahantur: Sint nobis exemplo *Saccharum, Passulæ, Ficus, Amygdalæ, &c.* quæ licet vel centies cum liquore aliquo iis affuso destillarentur, nequaquam tamen sive de dulcedine aut sapore, sive de virtutibus eorum quidquam destillando per Alembicum elevaretur, sed *Saccharum integrâ virtute & dulcedine præditum in pristinam formam solidam reducibile*, in residuo maneret: *Passulæ verò, Amygdalæ* & qui de genere horum sunt fructus, quamvis destillata cum liquore quodam illis affuso formam mutent externam, & in pultem, ac si diu multumque cocta fuissent, contabescant, dulcedine tamen servatâ, & viribus integris in residuo prostant, quod manifestè patet in pulpis

Esculenta vegetabilia nulli destillationi apta sunt.

medi-

medicinalibus ferculisque plurimis culinariis mensæ & esui deputatis; illa enim parando, diu multumque coquuntur sine virium deperditione, coctio autem quævis supponitur & est etiam reverà destillationibus, sive per balneum sive per arenam illæ fiant, violentior: Ergò si in coctione similium rerum, vires, odores & sapores earundem non exhalant, vel in auras pelli possunt coquendo, multò minùs eæ simpliciter destillatæ cum quodam affuso iis liquore, ad nutum & voluntatem cujusvis cervicosi imperantis, (qui suo imperio naturam audientem cupit, ut eædem res nunc coctæ in residuo maneant integris viribus adhuc prædictæ, nunc leniter destillatæ in auras & aquam virtuosam abeant ad artificis lubitum) per Alembicum vapori exhalanti communicatæ transibunt. Porrò, etsi prædicta vegetabilia, violentiori destillationi (quam in *Animadversionibus aquæ Asthmaticæ* edocui, & de alterius speciei vegetabilibus plurimis intelligi debet) committantur igni scil. aperto, sine liquore addito, nequaquam tamen & hoc modo proprias & nativas eorundem vires, sapores & odores in destillato adipisceris, sed potiùs, naturali corpore & composito dissoluto violentia ignis, ex dulcissimis rebus, liquorem acidum empyreuma redolentem, & oleum fœtidum, neutro tamen sui simplicis virtutes totius & nativas habente, sed rei destillatæ contrarias & peregrinas, ad suos usus licet non fortè totaliter inutiles, acquires: Proindè suasor sum, uti suprà, & prædictis in *Animadversionibus aquæ Asthmaticæ* innui, ut similia esculenta, fructus & herbæ, ad quæ à Summo Creatore ex terra germinare jussa sunt, victui nimirùm animantibus, vel saniore modo medicinæ accommodentur, & vel fercula ad nutrimentum & delicias sanis, vel medicinalia juscula ægrotis simpliciter, utplurimùm in culina ex iis dextrè conficiantur, nec adeò præposterè, prout vel sexcenties factum, simplici destillationi, quam posteritas ridebit, committantur. Et esto præterea ex *prædictis fructibus & vegetabilibus ferè cunctis*, premissâ diuturnâ fermentatione, *spiritus tandem ardentes* beneficio destillationis elici possint, adhuc tamen & hoc etiam modo voti nostri nondum compotes erimus, nondumque certi, aliquid nativæ facultatis ad hanc intentionem, cui aliàs servire debent, per Alembicum transiisse, cùm *omnes spiritus ardentes*, ex quibuscunque etiam vegetabilibus naturâ suâ aliàs in excellenti gradu frigidis; stillati, calidissimi sint, adeoque cum *spiritu vini* pares utplurimùm producant operationes, subjectis suis ex quibus destillati, planè contrarias, quod in *spiritibus Pomorum*, *Fragorum*, *Frumenti*, *Rosarum*, *&c.* manifestum sit. Nemo enim *prædictorum spiritus ardentes*, simplicibus suis ex quibus prolecti, quantum ad qualitates & operationes attinet, æquiparabit, multò minùs si ex frigidioribus naturâ suâ herbis destillati essent, pari passu pro refrigerio ægrotis Medicorum quispiam propinabit. Porrò & hoc notatu dignum est, quod *dictorum simplicium spiritus ardentes*, non nisi ex magna illorum copia, adjecto insuper singulari fermento, & diuturnâ præmissâ fermentatione, impetrari possint; adeoque liquet, quòd posito, ex illorum magna copia quasdam nativas virtutes, unà cum spiritibus eorum destillando prolici, non æquè illud ex minutissima illorum quantitate, respectu copiæ ad spiritus ardentes eliciendos necessariæ, consequemur: Stabit igitur nostra de similium vegetabilium destillatione rata sententia, donec veriora & probabiliora quis attulerit.

Ex præmissa *aquæ Asthmaticæ* ejusque speciebus informatione facilè colligere est, quàm concinna sequentis *Balsami Embryonum* compositio sit, cui plurima similia ingredientia, sine omni planè simplicissima Philosophia immixta sunt, ut mirari subeat, à quo spiritu ad compositionem hanc conflata sint. Reperiuntur tamen nonnulli, qui grande piaculum à me commissum vociferantur, quod inter reliqua incongrua, etiam *conservam Rosarum* pro hac *aqua*, vel in genere omni destillationi ineptam judicârim; cum tamen nemo unquam *Rosas* à destillatione arcuerit, sed eas ipse aquis destillandis adaptârim: Verùm facilis est & in promptu responsio, me scilicet non loqui *de Rosis simpliciter*, sed *de Rosis cum dupla quantitate Sacchari* oneratis, non, inquam, de *Rosis*, sed de *Saccharo*, *Rosis* pro *con-*

serva earundem paranda, in dupla quantitate addito, quod penitùs penitusque in residuo manet, uti supradictum, quæ vel famulis pharmaceuticis notissima res, sermonem facere; ad quid igitur perditio hæc? nonne *Rosæ* tempore veris & æstivo florent? & illis non prostantibus vel florentibus, tamen recentes per integrum annum in pharmacopoliis incorruptè asservantur, pauculo *sale communi* conditæ, quod ipsum *sal Rosis* necquicquam detrahit, nec tantillum de eo in destillationibus tanquam re fixa, per Alembicum transit. Quæ igitur ratio, *conservam Rosarum*, ex una tantùm parte *Rosarum*, duabus autem partibus *Sacchari* constantem, *Rosis recentibus* substituere, & miseris ægrotis, illis inquam, quibus res est angusta domi, *conservâ Rosarum* etiam, utpotè *Rosis recentibus* decuplo cariore, non tam quidem vitam, quàm ad vitam protrahendam substantiolam imprudenter subtrahere? Cætera quæ in hac speciosè & ubivis tantoperè decantatâ compositione erant admonenda, ex præmissis ejusdem *Animadversionibus* elucescunt; superest ut aliam adhuc efficassimi *Balsami Embryonum* structuram adjiciam, quæ talis:

Summo vere, & æstivo post tempore, successivè collige:

Balsamum Embryonum.

Flor. recent. Paralyseos uncias sex,
Liliorum convall. libram unam semis,
Viol. Mart. unc. quinque,
Arantiorum unc. sex,
Lavendulæ uncias octo,
Pæoniæ uncias sex,
Rorismar. cum foliis uncias quinque,
Rosar. Damas. lib. duas,
Tiliæ,
Tunicæ ana uncias octo,
Salviæ cum floribus,
Herb. recent. Majoranæ,
Melissæ ana unc quat.
Rad. recent. Pæoniæ uncias duas,
Cinamomi opt. uncias quinque,
Nuc. Moschat. uncias tres,
Macis,
Cardamomi,
Cubebarum,
Caryophyllorum,
Zedoariæ ana uncias duas,
Cort. Citri recent. extim.
Arant. extim. recent. ana uncias quinque,
Sem. Carui,
Coriandri,
Fœniculi ana uncias duas.

Horum quædam incisa & contusa, nonnulla etiam integra, utpotè *flores Liliorum convall. & Arantiorum* (ob odorem ingratum, quem acquirunt, si contundantur) immittantur Alembico vitreo capaci, superaffundendo

Vini Malvatici boni libras octo,
Spirit. Cerasorum nigr. ard.
Fragorum ard.
Aq. Basilici,
Melissæ,
Menthæ ana sine additione aquæ simpl. destillatarum libram unum semis.

Relinquantur infusa in cellario, donec omnia successu temporis debitè collecta & unita sint, tùm destillentur per arenam, in Alembico vitreo, ad specierum siccitatem, capitello ejusque rostro immissis, vel aquæ jam destillatæ aliquandiu immersis

Rad. recent. Pæoniæ,
Visci quercini,
Ligni Aloës gummosi ana unc semis,
Croci Austriaci drachma una.

Destillatum servetur usui, quod quotiescunque in usum vocabitur, *Syrupo meo de Cinamomo*, vel *de Corticibus Citri*, aut *Arantiorum*, vel alio quodam prægnanti mulieri grato Syrupo dulcoretur. Erit præstantissimum *Balsamum Embryonum*, vel *aqua cordialis*, roborando fœtui materno ergastulo adhuc incluso, refocillandæque matri non tantùm, verùm & cuique ægrotorum languori & debilitati utriusque sexûs, si non tantoperè exæstuent, succurrendo idonea & accommodata.

Qua ratione Animalia destillanda.

Aquę *Caponis* compositio & destillatio quàm perperàm instituta sit, *Animadversiones* ejusdem luculenter commostrant: Asserui autem in iisdem, *animalia* simpliciter, modoque ab Authoribus sæpiùs præscripto vel ad totalem

totalem ipſorum exſiccationem deſtillata, nil præter *aquam elementarem* exſudare, niſi fortè viventia adhuc *liquori alicui* immerſa, inque eodem ſuffocata, vel viva illicò deſtillationi commiſſa, *ſpiritum vivificum ſummè volatilem* fundere; aut ipſi liquori communicare poſſint: Hæ aſſertiones ut cum majore emolumento conſtent clariùs, quædam Naturæ ſecreta, Medico ſcitu ſummoperè neceſſaria, Tibi, Lector Amice, communico. Primò equidem compertum eſt, quod *viventia animalia, ſalutifera* puto, in *liquore aliquo* ſuffocata vel ſubmerſa, ſine deſtillatione etiam, *inſignes vivificas liquori* communicent virtutes, teſte Galeno, & plurimorum Medicorum aſſertione, qui *vinum in quo viperæ ſubmerſæ & ſuffocatæ fuerint*, leproſis felici cum effectu propinârunt: quo modo etiam fœminæ Anglicæ ad pulchritudinem corpori & faciei conciliandam, *vino illo viperino*, tanquam coſmetico interno, frequenter utuntur. Authoritatibus his adjungo meam experientiam, fidemque facio, me *ex vini illius viperini* frequenti uſu (cujus dextram præparationem fol. 215. *Animadverſionum* fideliter proſecutus ſum) inſignes ac felices obſervare operationes: Quid ni *ex aliis animantibus, nec non inſectis quibuſdam*, deſideratos quotidie experimur effectus? ſi vel *oleo* vel *alteri liquori* illa immerguntur & ſuffocantur, diverſa præſidia medica ex iis conficiendo: quibus ad altiora inquirenda manu veluti ducimur, ut nimirùm ad exemplum dictorum *ex nonnullis volucribus junioribus è nido recenter exceptis* ſimili & ſequenti modo, quem mox ſum expoſiturus, plura & efficacia nobis conquiramus remedia Medicinâ verè excolendo. Secundò, quòd *viva animalia & quidem juniora* deſtillationi commiſſa ſola *ſpiritum vivificum ſummè volatilem* præbeant, veræ rationi conſonum eſt, & inſuper experimentis, ſi quis fidem mihi derogaret, comprobari poteſt: Experimur namque in hoc genere medicinarum multa latere arcana, modò propiùs quàm per tranſennam naturam inſpexerimus. Ut autem unum atque alterum exemplum adducam, brevioribus quàm fieri poterit, accipiantur *hirundinum juniorum è nido recenter exceptarum, quotquot haberi poſſunt*, iiſque integris & vivis Alembico vitreo immiſſis, applicato capitello, receptaculoque vitreo præpoſito, & juncturis undique luto benè clauſis, ſubitò & derepentè in M. B. inſtituatur deſtillatio, continueturque, donec omnis humiditas profecta ſit, quæ ſtudioſè in vitro anguſti orificii, cerâ & veſicâ optimè clauſo, aſſervanda eſt, vel protinùs in uſum trahenda. Ad eundem modum *ex catellis, quinque vel ſex dies natis*, animalibus nempè ad craſin humanam proximè accedentibus, calore & ſpiritu nativo uberrimè adhuc præditis, deſtillando præſtantiſſima elicitur *aqua, inſipida*, nec odore vel ſapore ingrato imbuta, ad inſtar aquæ fontanæ, quæ quantis virtutibus excellat, ex eo liquet, quòd ſi membris dolore atrociſſimo podagrico obſeſſis pennâ ſaltem illinatur, vel linteolo in ea madefacto parti dolenti applicetur, ſine ligatura, in inſtanti ferè præſentiſſimum percipiatur levamen, doloribus evaneſcentibus. Præterea utraque aqua, ſive *ex hirundinibus ſive catellis vivis* ſtillata ſit, & internè exhibita in Epilepſia tùm infantum tùm adultorum, virtutibus non exiguis pollet, mitigando & compeſcendo furentem Archeum; hinc & plurimis affectibus aliis atrocibus, hyſtericis præſertim proficua eſt, hâc tamen lege, ne rebus alienis & heterogeneis permixta, ſed ſola, nullâ re additâ peregrinâ, exhibeatur: Etenim tantæ ſunt rerum medicinalium è diverſis præcipuè remediorum regnis, contrarietates, ut vix exercitatiſſimo Philoſopho & Chymico, niſi experientiam ſcientiæ ſpeculativæ jungat, in conſpectum & ſenſum veniant, adeoque longâ & diuturnâ experientiâ opus ſit, qui determinatum determinato, ac homogeneo dextrè adaptare poſſit & nôrit, nî ex congerie & farragine diverſarum rerum inutile & confuſum chaos efficere velit. Porrò & hoc notatu dignum eſt, quod cùm hæ aquæ ſpiritum vivificum & conſequenter ſummè volatilem contineant, eæ ad longum & diuturnum tempus viribus ſalvis aſſervari nequeant, utut arctè & ſtudioſè vitra, quibus aſſervantur, obturentur, ſed ut protinùs ac deſtillatæ ſunt (quò citiùs, eò meliùs) affectui ſive interno ſive externo adaptentur, neceſſum eſt,

cùm ultra duas vel ad summum tres septimanas vires non retineant, cujus me ipsum non una sed crebrior admonuit experientia. Hæc, Lector amice, tibi dono arcana & publici juris facio, ut ad majora semper aspirare possis. Haberem quidem uberiorem in amplissimo hujus materiei campo disserendi occasionem, verùm cùm brevitati etiam in hac *Appendice* studeam, illis nunc supersedeo.

Transiturus ad *Chylostagma Diaphoreticum D. Raimundi Mindereri*, in cujus *Aqua Animadversionibus* potiorem compositionem ingredientium partem commendavi, quamvis plura sint præter *Theriacam & Mithridatium*, quæ destillationi inepta sunt, utpotè ex succis, *succus Limonum, item Nucum juglandium & Acetosæ*: Ex radicibus, *radix Tormentillæ, Gentianæ, Dictamni*, *Boleti Cervini*, *cortices Fraxini & Sambuci*, *&c.* proindè non abs re *ex speciebus residuis à destillatione*, extractum præparare præcepi, quod majoris in peste efficaciæ fore asserui, quàm sit vel ipsa *Theriaca*, si cum sua propria aqua extr. propinetur, adeoque quod uni, scilicet aquæ à speciebus still. deest, extractum relictarum à destillatione specierum supplere potest.

Aquæ *Cordialis temperatæ* compositio à suis erroribus sufficienter in *Animadversionibus* liberata est: noviter autem descripta ejusdem aquæ formulâ σφάλμα *typographicum habet*, *in pondere* Croci *commissum*, ubi *uncia una semis*, *pro drachmâ unâ semis* malè posita est; verùm, cùm me absente irrepserit, & in mendis emendandis citra etiam voluntatem meam non admonitum sit, Benevolus Lector me excusabit. Nec præterea me vitii aut erroris arguet, quod loco *succorum acidorum*, *Citri nempè & de Rubo Idæo*, *&c.* qui nil planè in destillatione nisi *insipidam aquam veluti elementarem* præbent, imò loco *quarundam etiam aquarum*, *earundem plantarum spiritus* substituerim, tanquam *aquis* quodammodo potentiores & penetrantiores, his præsertim in affectibus, qui ob subitaneum virium lapsum ac defectum spirituum vitalium & animalium, uti est Apoplexia, Epilepsia, Paralysis, &c. quibus affectibus Author *aquam* hanc proficuam futuram censet, præsens & penetrans auxilium, quale calida hæc & spirituosa medicamenta promittunt, exposcunt. Quòd si verò quispiam temperatiorem *aquam cordialem* exoptaret, en! habeat sequentem formulam:

Aqua Cordialis temperata.

℞. *Aquar. flor. Arant.*
Tunicæ,
Lilior. convall.
Cerasorum nigrorum,
Melissæ citrat.
Rosarum,
Violarum ana legitimè & sine additione aquæ simpl. still. libram unam,
Vini Malvatici libras duas.

Quibus immergantur successivè,
Herb. recent. Basilici,
Majoranæ,
Melissæ ana unciæ tres,
Flor. recent. Anthos cum foliis,
Arantiorum,
Borraginis,
Buglossæ ana uncia una semis,
Rosar. contus. & sale cond. libra una,
Tunicæ unciæ quatuor,
Cinamomi acuti unciæ tres,
Cort. rec. Arantiorum,
Citri extim. ana unc. quatuor,
Nuc. Moschat. unciæ duæ,
Macis uncia una semis.

Et factâ digestione sufficiente, destillentur in arena, juncturis vasorum luto benè clausis, ne quid exspiret, capitello tamen, & porrò *aqua* jam dum destillatæ immissis & immersis
Croci Austriaci drachmis duabus,
Ligni Aloës gum. odorif. drach. tribus,
Moschi & Ambræ si lubet ana scrupulo dimidio.

Aqua perfecta servetur usui, cordi roborando præstantissima, tùm internè assumpta vel pota, tùm externè regioni cordis & pulsibus admota.

In sequentibus *aquarum compositionibus* observentur singularum *Animadversiones*, in quarum nonnullis post peractam destillationem, *aquarum positarum* à speciebus suis reli-

ctis

ctis extracta beneficio cujusdam menstrui vel spiritûs conficere, atque unà cum *aquis* propriis ægrotantibus propinare non abs re esse censui, prout superius in *Chylostagmatis Diaphoretici Animadversionibus* liquet: Etenim uti jam sæpiùs & ad nauseam inulcatum est, non omnia vegetabilia suum in simplici destillatione emittunt vel eructant saporem & odorem, consequenter nec virtutes, sed quædam concreta integris viribus prædita in residuo à destillatione manent, quod luculenter patet, cùm in amaris, dulcibus, acidis, tùm adstringentibus, & omnium maximè in catharcticis manifestissimum hujus assertionis argumentum patescit: Proindè ne planè inutiliter *aquarum compositiones* illa ingrediantur, extractum ex residuis à destillatione peractâ speciebus, conficere jussi, eò, quod unà cum sua *destillata aqua* in quantitate competenti exhibitum, omnium ingredientium vires, si in unum conspirent effectum, nobis promittere possumus. Res quidem, fateor, eminùs petita, & satiùs esset, illa vegetabilia quæ destillationibus simplicioribus in virtutum suarum largitione non obtemperant, penitùs omittere, & ex iis sigillatim extracta conficere, ne utilium rerum extracta, extractis inutilibus, utpotè eorum vegetabilium vel ingredientium, quæ per destillationem suas universas jam edidêre vires, commisceantur, & consequenter utilium rerum extrahendarum extractum, extracto inutili, scilicet earum rerum, quæ per Alembicum destillando suas vires & saporem & odorem emittunt, saltem gravetur, & cùm in pondere & quantitate, tùm sapore etiam ingrato & magis nauseabundo succrescat & augmentetur. Verùm cùm mei arbitrii in opere *Animadvers.* esse noluerim, ingredientia cunctarum compositionum immutare, vel quædam illorum è compositis elidere, quippe quod rarò, & non nisi meritò, rationibus sufficientissimis suffultus tentavi, idcircò ubi aliqualiter saltem composita in suis ingredientibus salva conservare potui, illa, quàm fieri potuit, modo meliore digessi, ut vires imposterum cunctorum ingredientium in compositis salvæ conserventur, & vel nequicquam de iis quod utilè foret, inutiliter perderetur, aut gratis esset adjectum.

Aquæ *Hirundinum* omnes juxta meas *Animadversiones* paratæ, non exiguis viribus pollebunt, modò illud observetur, quod paulò superiùs in hac Appendice de *vivis animalibus destillandis* Lectori obtuli, & *hirundines vel integræ & vivæ per se* destillentur, vel illicò, postquam vel vivæ vel laceratæ in destinatum liquorem destillandum immissæ fuerint, destillatio, rebus omnibus prius in ordinem redactis, sine mora inchoëtur. *Acetum autem, præcipuè Scilliticum*, cujus amaritudo nequaquam per Alembicum transit, sed in residuo manet, omitti potest sine nocumento ullo, prout in *tertia* harum *aquarum hirundinum compositionis Animadversionibus* pridem edocui: Namque *acida omnia salsis contraria*, illa scil. *salsa* in aliud ens transmutare solent, *acido* reciprocè destructo, ut neutrum horum pòst, nec *acidum* nec *salsum* nativas suas vires amplius exserere possit: *Spiritus autem vivificus hirundinum* non nisi ex *subtilissimo sale volatili* constare potest, cùm omnia animalia, prout in analysi animalium edocui, ex meris volatilibus, & quidem pro maxima eorum parte, ex *sale volatili*, *spiritu fœtido inutili*, (si sale suo volatili per sublimationem privatus sit,) & *oleo fœtido* sale volatili etiam pleno, constructa & conflata sint, quæ proni *acida* ferre nequeunt, sed ab iis contrarietate nativâ, quâ acida & salsa se invicem in virtutibus suis propriis destruunt & persequi solent, vel diminuuntur vel alterantur. Atque hinc liquet, quàm maximè in compositionibus medicamentorum cavendum sit, ne tam facilè cuncta cùm vegetabilia, tùm animalia & mineralia indifferenter uno in lebete coquenda, conglomeremus, nisi prius optimè perspectâ & cognitâ contrarietate ac heterogeneitate, quâ unum alteri, *acidum* nempè *salso*, *salsum acido*, *fixum volatili*, *amarum dulci*, &c. contrariatur, ut hinc ens veluti neutrum actione & reactione constituant, ac per consequens peregrinas pòst edant operationes.

Quapropter cùm arduum sit cognoscere & nemini adhuc satis perspectum, quomodo res naturales, intra etiam limites unius ejusdemque regni in se invicem agant, consilio magno nobis sit, prout sæpiùs mentionem feci, ut sim-

Præstaret ad imitationem plebis, apud quam non rarò optima experimenta oberrant, uno eoque certo simplici uni obviam ire morbo, quàm receptas trium ulnarum fabricare.

simplicitate in re medica contenti in congestione tot, tantarumque diversarum rerum labore inutili supersedeamus & parciores nos præbeamus, atque vel uno simplici simpliciter ad quod à DEO conditum est, vel saltem paucioribus, inter se tùm manifestè tùm occultè non contrariantibus, medicinam faciamus, prout pauperes & rustici, quibus non rarò à Summo Medico ex merâ commiseratione remedia saluberrima revelantur, quibus magna in magnis præstant morbis, quandoque in opprobrium Medicorum. Hinc quoque facilè adducor ut credam, si à tot seculis elapsis à quo Medicina instituta est, vel Medicorum innumeri unum saltem subjectum medicum aut simplex intimè magis & penitius exploràssent, prout veneranda egit Antiquitas, pridem jam ars medica perfectionis culmen attigisset longè faciliùs, quàm compilatione tot tamque diversarum rerum & compositorum indistinctâ farragine. Ast fortè ingratitudo nostra non meretur, ut tanta Naturæ miracula nobis pandantur & in aperto maneant (quæ saltem pauperibus divinitùs inspirantur,) sed vel invidiâ occultentur, tellurí illa tandem sepeliendo, vel incongruâ aliarum rerum additione denuò obliterentur, cùm nemo doctus habeatur Medicus à vulgò, qui ubi uno vel duobus saltem aut tribus rem totam benè concludere posset simplicibus, morbo cuidam sufficienter oppositis, ducenta vel plura nesciat coagmentare omnis generis vegetabilia, animalia & mineralia, quorum tamen discordia evidens non rarò affert nocumentum, dum istud attrahit, illud expellit vel propellit, dissipat aut per Diaphoresin agit, hoc adstringit, illud laxat, &c. adeoque quod uni morbo curando, unum à Summo Conditore creatum est simplex medicamen sufficiens, id ipsum inutili & haud innoxia diversarum rerum commixtione in actione & operationibus suis nimiopere impeditur, & vel totaliter inefficax redditur, quippe quod non solùm diversis aliis heterogeneis qualitatibus manifestè vel occultè contrariis ab energiâ & vigore actionis deturbatur, verùm & in dosi competente, quâ necessum esset, & morbi ferocia efflagitat, propter quantitatem diversarum rerum aliarum admixtarum, propinari minimè potest, licet ab adjunctis plurimis in actione suâ propriâ non præpediretur: Quo fit, ut nil certi ab effectu plurimorum compositorum nobis promittere possimus, & tùm Patiens tùm Medicus ambo spe suâ frustentur, ille insuper quandoque in vitæ discrimen ac sanitatis dispendium conjiciatur, hic verò vulgi ludibrio exponatur, ut ipsa etiam Medicina merè audiat conjecturalis. Rerum medicinalium incerta dimensio qualitatum primarum, compositorum medicamentorum initialis causa, in medica arte vel scientia plus damno quàm emolumento fuit: Nam prætterquam quòd planè incerti simus, utrum hoc vel illud vegetabile in primo vel secundo, tertio aut quarto gradu calidum, frigidum, humidum aut siccum sit, latent nos insuper occultæ earum vires & qualitates utplurimum, quibus totâ suâ substantiâ & approprietate huic vel illi affectui aut morbo contrariantur, nullo habito respectu primarum qualitatum: Etenim certum est, & à Medicis sanioribus tritum jam, Alexipharmaca non agere contra venena aut venenatos morbos, quatenus vel calida vel frigida, humida vel sicca sunt, sed quòd qualitate occultâ à totâ substantiâ promanante, venenis, venenatisque morbis contrarientur, quam dotem illis non contulit rixosum quatuor qualitatum elementariarum conjugium, sed jussus seu FIAT Verbi Conditoris, ipsis liberalissimâ bonitate in potestatum vitalium, constitutâ cuique dierum serie, spirituum attenuatione dilabentium solatium indidit, & suo velut sigillo insculpsit. Hoc si verum, uti verissimum, quidni par ratio sit in cunctis aliis morbis, qui omnes ferè ad mentem doctiss. & acutiss. Helmontii, venenatæ cuidam Ideæ originem suam debent, ut hinc sua quilibet morbus exposcat Antidota vel specifica medicamenta, totâ suâ substantiâ illi contraria vel opposita, & proindè non frigida ut frigida morbis æstuantibus vel calidis semper opponenda, sed specifica, morbisque totâ suâ substantiâ contraria sint adhibenda; quippè cùm calor ut calor non sit ipse morbus, sed morbi aut materiæ morbificæ productum, sive ut cum eodem

Affingere simplicibus certum gradum elementaris qualitatis, neglectâ eorum dote specificâ noxium in medendo.

dem pyrotechnico Helmontio loquar, Archei nostri nisus, conans peregrinum expellere hospitem, ejusque materiam conjunctam: Sit nostrum itaque unicum studium, ut si fieri possit, morbis cunctis majori diligentiâ sua specifica investigentur remedia, quippè vel simpliciter, vel eorum essentiis, extractis aut decoctis propinatis, longè feliciores ab iis habebimus effectus, nec tot imposterum committentur in compositionibus ob rerum contrarietates, errores, quorum non pauci etiam cernuntur in sequenti *aquæ Lithargyri* compositione, quos licet in *Animadversionibus* super eandem *aquam* factis obiter quasi spongiâ absterserim, nihilominus ut penitiùs & clariùs detegantur, & majorem in arte destillatoriâ tyrones acquirant informationem, operæ pretium esse duxi (quamvis *aqua* illa parvi sit momenti, & eorum usus vel ab authoribus ipsis ignoretur) eam paulò accuratiùs ad incudem rectæ rationis & judicii revocare. Conflata autem est illa *aqua Lithargyri* ex rebus pro maximâ earum parte destillationi ne quaquam obedientibus, inter se etiam contrariis & invicem repugnantibus, utpotè *salsis* & *acidis*. Et ut primùm sermonem inchoëmus de *Lithargyro auri & argenti*, quæ aceto acerrimo superfundenda, in infusione per biduum relinquenda, & tandem acetum ab iis destillatione evocandum sit: Hæc ipsa destillatio ut malè instituta, ita pessimum sortietur finem; Nam *Lithargyrus*, metallum veluti est, id est, plumbum, respectu vegetabilium res fixa, adeoque destillationi præceptæ perperàm commissa: Ex eo *beneficio aceti destillati* solvitur vel extrahitur *dulcedo* quædam *saccharina*, ita ut acetum illi superfusum, omni aciditate privetur & dulcissimum acquirat saporem, humiditate autem aceti ab eo abstracta (dico humiditate aceti, quia reverà saltem humiditas vel phlegma aceti abstrahitur, relicto aceti acore unà cum *Saccharo Saturni* in fundo, qui in aliud esse transmutatus est) prout aliàs soluta metalla per aquas fortes, abstrahi solent, remanet *plumbi vel Lithargyri vitriolum*, quod aliàs *Saccharum sive sal* appellari consuevit: Istud *Vitriolum*, *Saccharum sive sal* (quodcunque etiam nomen illi indideris; non enim variat hæc solutio à quacunque alia, quorumcunque metallorum, cum idipsum *Saccharum Saturni* in pristinum metallum & plumbum redigi possit) vel centies destillatum *cum quodam affuso liquore*, semper *idem sal sive Saccharum*, ejusdem saporis, ponderis & virtutis in fundo Alembici, humiditate totaliter abstractâ, remanet: Quod si verò *idem sal siccum* violentiori igni & destillationi tradatur, *spiritum prabet rubrum ardentem*, ad instar *spiritus vini*, penetrantissimi odoris empyreuma spirantem, qui *spiritus aceti soboles est*, & cum *plumbo* sese indissolubili, nec nisi destructorio igne separabili nexu conjunxerat in ejusdem solutione, in fundo autem vasis destillatorii *plumbum* remanet, nigredine & spurcitie quadam contectum, quodque denuò *cum aceco stillato* solvi, & *idem sal* sive *vitriolum* ex illo effici potest quod anteà, puriùs tamen priore; nam *Lithargyrus* multis scoriis, sale item peregrino terrestri scatet, hinc *ex plumbo ipso, minerâ plumbi, cerussâ & minio*, perfectius & præstantius *Saccharum* elicitur, quàm ex *Lithargyro*. Atque hinc manifestè patet, hanc *Lithargyri* destillationem *cum aceto* perperam esse institutam, sine rerum naturalium cognitione, & utrumque nimirùm *acetum* & *Lithargyrum* inutiliter huic compositioni adjecta, & planè deperdita esse. Porrò, quod secundum obtinet locum in hac compositione *Alumen plumosum est*, res inter mineralia fixissima, omnem strenuam ignis violentiam spernens, imò, quo violentiore igne illum crematur, eò candidius & perfectius evadit, nihil ferè à suo pristino esse immutatum: Quod si ita est, uti verissimum experientiâ teste, quid simplici hâc destillatione per Alembicum, *aquâ Rosarum* insuper affusâ, etiamsi millies destillaretur, aliud elicietur, quàm *aqua Rosarum* in virtutibus suis nec aucta nec diminuta, de pondere ejus exiguo scil. drachmâ unâ nil dicturus sum, uti nec etiam de pondere *salis gemmæ*, quod ipsum *sal gemmæ* perindè simili destillationi adaptandum planè ineptum est; quotiescunque enim illud cum liquore aliquo solvitur, & denuò violentissimâ coctione, aquam evaporando,

Saccharum Saturni est plumbi vitriolum.

coagulatur seu exsiccatur, *item sal uti anteà* in fundo vel residuo manet, necquicquam immutatum, neve in virtutibus diminutum aut salsedine privatum: siquidem si *spiritus salis* destillandus est, is per retortam igne violentissimo ex *sale sicco cum terrâ insuper figulinâ vel bolo, aut potius alumine calcinato*, in dupla vel tripla quantitate permixto, destillari consuevit, nullo modo per Alembicum, liquoribus insuper sali affusis, rebusque planè heterogeneis additis, *salis spiritus* elici poterit. Sequentem post *sal gemmæ* locum in hac compositione occupat, *Thus masculum*, quod ipsum etiam hic simplici destillatione in Alembico, tanquam *resina* aut *Gummi resinosum*, exiguum quid emittere potest, nisi aliâ viâ *oleum* ejus & particula *spiritûs acidi*, per retortam nimirùm destillando fortiore igne expellatur, *thure* tamen re siccâ permixto, quæ ejus liquefactionem impediat, secùs malè cederet destillatio. *Camphora Thuri* sequens hujus compositionis ingrediens, perindè admixto *bolo* vel *terrâ sigillata* in oleum destillatur, tanquam *resina* vel ipsa *Naphtha*, aquis impermiscibilis, nisi fortè odore quodam illas imbuat. Proxima *Camphoræ* est in compositione *aqua Rosarum*, quæ sola sine virium deperditione destillando elicitur prout affusa est, odore exiguo peregrino, à *Thure* & *Camphorâ*, imbuta. Colophonem verò imponit huic compositioni *oleum Tartari*; utrum autem *liquor salis Tartari*, qui vulgò oleum nuncupatur abusivè, sive *verum oleum destillatum fœtidum*, quod nec ego existimem, huic compositioni jungi debeat, decisio sit penes Authorem; quodcunque tamen horum intelligant, neutrum huic destillationi per Alembicum aptè committi potest: nam si *liquorem salis Tartari* addiderimus, ejus humiditas saltem elementaris, *à sale Tartari* in aërea liquefactione attracta, per Alembicum destillando transit, remanente *sale Tartari* in fundo Alembici residuo, nec quicquam in virtutibus quantitate aut esse suo diminuto; etenim *sal Tartari res fixa*, strenuam ignis violentiam uti metalla fixa sustinere potest, quippe quod à *Tartaro igne violentissimo cremato* extractum, adeoque quod semel atque iterum tantùm ignis violentiam sustinuit, non illicò pòst aquâ illi affusâ destillatum, ad cujusvis imperantis nutum volatilisabitur, & per Alembicum unà cum aquâ illi affusâ, destillando transibit, prout alibi de *Spodio*, *Cornu Cervi usto*, & similibus sæpiùs inculcatum est. *Oleum verò Tartari stillatum fœtidum*, si quis fortè addendum fore compositioni existimaret, non autem *liquorem ex sale in humido frigido loco resolutum*, eodem in errore versatur; nam nec ipsum in simili destillatione unà cum aquâ sursum scandit, aut destillando per Alembicum elici potest, sed necessum est, ut per retortam, cineribus aut aliâ re solidâ vel siccâ prius permixtum, ejus destillatio, si necessariò foret destillandum, perficiatur. Et tandem, posito, ambæ *aquæ*, nimirùm *prima quæ de Lithargyro cum aceto, & alia secunda*, quæ *ex cæteris ingredientibus cum aqua Rosarum & oleo Tartari* destillari præcipitur, viribus suarum ingredientium nativis uberrimè essent imbutæ, illæ tamen invicem commixtæ, (cùm, uti suspicor, commisceri debeant, aliàs enim sub uno titulo utraque destillatio non esset comprehensa, propterea hâc etiam in parte Author mancus est,) præcipitatum ad instar *cerussæ* efficerent, cum destructione vel annihilatione aciditatis primæ, & salsedinis secundæ destillationis sive aquæ: Nam si solutioni *Lithargyri cum aceto factæ*, *liquor Tartari*, vel uti vocant, *oleum Tartari* infunderetur, *plumbum cum aceto ex Lithargyro solutum* illicò præcipitaretur in forma pulveris albicantis seu *cerussæ*, quia *sal Tartari & acetum*, (licet ab uno subjecto ambo profecta,) invicem commixta, illicò sese mutuò amplexantur, levi contrarietate oboriente; hoc autem amplexu fit, ut aciditate, quâ plumbum solutum est, & illud liquoretenùs secum retinet, à salsedine *tartari* destructa vel immutata, *plumbum* anteà *solutum* deserat, fundumque ad instar *Cerussæ* petere sinat, quippe quod denuò in pristinum *metallum* & *plumbum* pro parte sui, igne violento reducibile est. Perspicies ergò, Lector candide, ex præmissis fundamentis, quàm insigni errores in hâc unicâ & vix cassâ nuce dignâ compositione, quæ verè non meretur, ut operam meam in erroribus ejusdem recensendis

ſendis & enucleandis impenderim, commiſſi ſint, ac meritò cùm illa nulli uſui ſit, operæ meæ parcere potuiſſem; verùm ut illi, qui rerum deſtillandarum exactam notitiam non habent, ex præmiſſis manifeſtè agnoſcant, non quodlibet cum quolibet dextrè & legitimè commiſceri poſſe, nec quodlibet cuilibet generi deſtillationis aptè committi, ſed meliore quàm ſermocinali Philoſophiâ pro legitimâ & dextrâ medicamentorum compoſitione & præparatione opus eſſe; idcircò paulò exactiùs hanc indignam compoſitionem examini veræ Philoſophiæ ſubjicere operæ pretium duxi, cùm ex præmiſſorum diligenti lectione, non pauca, quæ veram & legitimam componendi medicamentorum methodum concernunt, palàm fiant, cui quilibet veritatis ſtudioſus, qui æquo animo & ſaniore judicio præditus in verba antiquorum jurare non conſuevit, ſecurè inniti poteſt: Hoc inſuper ſibi perſuaſum habeat, quod juxta *Terentium: Non omnia apud Antiquos meliora, ſed noſtra quoque ætas multa laudis & artium imitanda tulerit poſteris.*

Eaſdem ferè cum prioribus *aquis deſtillatis* laudes meretur *aqua Nephritica Brenggeri*, quam ut ſeveriori inquiſitioni etiam ſubſternamus, non inconſultum duximus, cùm illius præmiſſæ *Animadverſiones* paulò generaliores factæ, ejuſdem errores ſigillatim & diſtinctè non dilucident, qui tamen diſtinctiùs explicati, multis praxin medicam initiantibus informationi eſſe poterunt, ne poſthac in ſuis medicamentorum præſcriptionibus, præſertim *aquarum deſtillandarum*, adeò turpiter hallucinentur. Aſſerui autem in præmiſſis ſuper *aquas deſtillandas* in genere, non omnia vegetabilia in deſtillationibus nutui noſtro auſcultare aut parere, multò minus uni eidemque generi deſtillationi illa ex æquo committi, ſumpto nimirùm judicio ab odore & ſapore vegetabilium, tanquam infallibili teſtimonio; quippe nonnulla illorum & ſapore & odore ſuas imbuunt *aquas* ab iis deſtillatione prolectas, utpotè *Cinamomum, Aniſum, Fœniculum, &c.* Quædam ſolùm odorem fundunt deſtillata, relicto ſapore in reſiduo, utpotè *Abſinthium, Roſa, &c.* Reliqua planè deſtillationibus inepta, nullum vel ſaporem vel odorem eructant, ſed integris virtutibus in reſiduo ſive decocta ſive deſtillata manent, è quorum ſerie haud exiguus eſt numerus, utpotè *fructus pulpoſi, dulces, amari, acidi, & adſtringentes.* Item *olera quamplurima*, quæ omnia exactè noſſe oportet, ſi utile quid in compoſitionibus præſcribendis & efformandis præſtandum, ſecùs infiniti committentur errores. E numero autem illorum ingredientium, quæ & ſapore & odore ſuo *aquam* hanc imbuunt, ſunt tantummodò *Cinamomum, Fœniculum, Macis, Terebinthina*, &, ſi *ſal Succini*, *volatile puto*, ex deſcriptione pulveris contra calculum primæ compoſitionis huc revocare velis. Secundam ſeriem, quæ nimirùm odorem tantùm *aquæ* dictæ communicant, ſunt *baccæ Iuniperi, lignum Saſſafras, nuclei Ceraſorum, Perſicorum & Prunorum ſylveſtrium.* Tertium ordinem, utpotè quorum ſapore & odore *aqua* illa totaliter deſtituitur, virtute & efficaciâ in reſiduo manente, reliqua omnia hanc compoſitionem ingredientia conſtituunt: nimirùm, *radices Althææ, Ononidis, Petroſelini, Malvæ & Saxifragiæ; ſemina Ceparum, Cynosbati, Milii Solis & Urticæ; baccæ Alkekengi & Hederæ; cortices Frangulæ & Tamariſci; lignum Guajacum & Nephriticum; ſucci Fragorum, Limonum, Aſparagi, Raphani & Veronicæ:* Imò ex deſcriptione *pulv. contra calculum*, illa quæ anteà huic compoſitioni non inſunt, huic ordini annumerari poſſunt, nempè *Liquiritia, Pimpinella, ſemina Erucæ, Dauci, Violarum purpurearum, Lactucæ, Papaveris albi, quatuor frigida majora, & Hyoſciami; Herniaria Hollerii, Gummi Ceraſorum & Tragacanthum, Terebinthina ad duritiem cocta; magiſterium oculorum Cancrorum, lapides Iudaici, Spongiæ & Nephritici; Cantharides & Saccharum candi.* Et ne exiſtimes, Lector benevole, hanc aſſertionem invalido niti tibicine, inſpicias ipſe quæſo compoſitiones & præparationes plurimorum *Syruporum Decoctorum, & Electuariorum* Diſpenſatorii Auguſtani, reipsâ experiêre, has ſpecies ferè omnes, pauculis exceptis, decoctionibus frequenter & ſæpiſſimè fuiſſe adaptatas, mecum-

Aquæ Nephriticæ ſimplicia congrua, & incongrua enumerantur.

que totus miraberis, quòd putemus, eorum vires in decoctione, vel illa decoquendo, ubi majore ignis acrimoniâ tamen opus est, non exhalare, (uti reverà non dependuntur,) easdem autem in destillatione, quæ calore minore peragitur, excipere à suis concretis, & destillationis beneficio exaltatas velimus, cùm quæ in coctione nihil virium evaporant, in destillatione minùs ex se dare possint. *Succorum enumeratorum*, præcipuè *Fragorum*, *Limonum*, & *Veronicæ*, è quibus Syrupi *additâ dimidiâ parte Sacchari* decoquuntur, partes tres circiter eorum in *Syrupi* ad consistentiam decoctione ut evaporent necessum est, relictâ quartâ tantùm parte unà cum *Saccharo in Syrupum* confecto; Quòd si verò illa humiditas, (scilicet tres partes, relictâ tantùm parte quartâ,) quæ vaporetenùs exhalare debet, *à succis dictis, & decoctionibus aliis plurimis & similibus speciebus vel ingredientibus paratis*, eximiis virtutibus prædita esset, (uti fateri necessariò cogimur, si *hujus* & *aliarum aquarum compositiones* erroribus dictis non refertas existimamus,) profectò iniqui valdè sumus in proximum, dum tantam *succorum & reliquorum decoctorum* quantitatem inutiliter sæpiùs vaporetenùs decoquendo in auras pellimus, & consequenter nec sanitati nec æri proximi ægroti parcimus; quippe natura rerum ad cujusvis imperantis citationem nullatenùs comparet, nec sese mox accommodat, ut nunc superiùs enumeratarum specierum vel simplicium virtutes si coquuntur, in residuo decocto impresso servet, mox verò iisdem leniter destillatis, efficaciam earum totam per Alembicum transmittat, quod paulò superiùs etiam impugnavi. Jam verò contrariorum eadem ratio esto, ubi *Aromata & quæcunque sulphureæ naturæ spiritu gaudent volatili*, decoctionibus imponuntur, quod quàm sæpè factum sit, ex plurimis patet. Liceat igitur dolere ob tam miserandas compositiones plurimis prorsus indignas, ut eruditorum Virorum oculos offendant, nec aliâ, quàm Vulcani luce dignissimas: Sic enim non tantùm Pharmacopœi in inutiles expensas inducuntur, sed etiam ægris ipsis, ac Medici studii tyronibus deplorandæ injuriæ imponitur, cum naturalium corporum, (quorum natura & constitutio non Aristotelicis argutiis, nec cerebralibus scribentium & describentium disputationibus eruitur, sed pyrotechnicâ analysi in Vulcani officinâ nudâ producitur in conspectum,) ignarus adhuc totus credat, non potuisse ab antiquis errores committi, adeoque malit sequi plures unus, cumque ipsis errare, quàm benigniter audire unum benè docentem, id quod rursum in plurium seductionem cedit & redundat.

Res destillandæ non semper parent nutui nostro.

Plures essent *aquarum compositiones*, similis censuræ summoperè indigæ, sed ne nauseam legenti moveamus, similem crambem sæpiùs decoquendo, multa intacta relinquimus, quæ ex præmissis haud difficilè peti possunt: Itaque extremam manum huic classi imponens, transeo ad classem decimam sextam, quæ de *oleis coctis & expressis* agit, in qua quidem pauca restant, quæ ulteriore correctione indigent; hoc solùm addere arbitratus sum, ut si *ex animalibus vivis, v. gr. Scorpionibus, Lumbricis, Lacertis*, vel similibus *olea* conficienda, ea violentioribus coctionibus non committantur, sed tantummodò in *oleis destinatis* emori & suffocari permittantur solâ insolatione in vitro benè clauso, aut digestione aliâ, ne *spiritus vivifici oleo* communicati diuturnâ & violentâ coctione denuò exhalent & in auras pellantur. Item, si *carnes animalium oleo* incoquendæ sint, eæ illicò recenter mactatis animalibus, dum quid *de vivifico spiritu* adhuc participant, in frustula dissectæ *oleo* immergantur, & solâ digestione, vase benè ligato, ne quid exspirare possit, *oleum* conficiatur, ita enim *olea* majoribus viribus imbuta, ac si multum coquerentur, prostabunt. Oleum *Scorpionum simplex Mesuæ* parcam nimis recipit quantitatem *Scorpionum*, *XXX enim Scorpiones ad libras duas olei* haud sufficere mihi videntur, plures igitur, *centum vel ducentos Scorpiones circiter duabus libris olei Amygdalarum* si quis immergat, *efficacius oleum* sibi comparabit.

Additio ad Classem decimam sextam de oleis coctis.

Oleum Scorpionum simplex parcum nimis recipit numerum Scorpionum.

Oleum porrò *Mastichinum & ex Styrace, aliaque ex resinosis, & in oleo solubilibus gummatibus* paranda olea, nullà penitùs indigent coctione vel ebullitione, nevè *vino*

Oleum Mastichinum & Styracis.

vino affuso opus habent, cùm *& Masliche & Styrax* promtè *in oleo* liquefiant, & indissolubili nexu invicem uniantur; non igitur *vino* opus, quod saltem eorum unionem, scil. *Mastichis & olei*, donec *vinum* penitùs exhalârit, impediat, imò unà in violentà coctione *vinum* quod exhalat, secum rapiat subtiliores ac spirituosiores *Mastichis & Styracis* partes, quibus ut *oleum* postmodùm destituatur necessum est.

Oleum Laurinum, quâ ratione paretur.

Oleum *Laurinum* è numero expressorum est, ejus proin parandi modus per diuturnam scilicet coctionem, ex malâ forte informatione Dispensatorio insertus est, relinquamus itaque oleum hoc parandum plebeis in Italia, qui explosâ hâc coctione, per expressionem illud æquè uti alia expressa olea conficere norunt.

Additio ad Classem decimam septimam de Vnguentis.

TRanseo ad classem decimam septimam *Vnguentorum*, in quâ perindè nonnulla annotanda restant, non quidem quoad dexteriores *unguentorum præparationes*, quàm quæ anteà in singulorum illorum *Animadversionibus* dextrè traditæ sunt, verùm quoad majorem Lectori informationem & plenariam de compositione & præparatione *unguentorum* dilucidationem: Ne autem fusior hîc sim, ea paucis & in genere perstringam; Ac primùm in quibusdam *unguentorum* compositionibus *succi vegetabilium cum oleo* ad omnimodam humiditatis exhalationem coquendi præcipiuntur, uti in unguento de *Alabastro* & *aliis*, ast hâc coctione sive exhalatione *succorum ab oleis*, non immeritò, nec sine ratione reprobatâ, *ipsas herbas vel flores* competente pondere substituendas non abs re censeo: Etenim *succi ex herbis vel floribus, præsertim odoriferis & balsamicis expressi*, eandem cum *herbis ipsis vel floribus* non redolent fragrantiam; dubitari proin meritò potest, utrum *succi* integras cum *herbis* è quibus expressi, virtutes in se reconditas habeant, aut eosdem vel majores effectus, ac *ipsæ herbæ vel flores in substantia* producere possint, præsertim si externè admovenda sint. Contrarium sustineo, ipsaque dictat ratio; nam *sicca pars terrestrior* suâ æquè ac *liquida subtilior* virtute gaudet, in genere roborantium & adstringentium, ubi potiores virtutes *residuis ab expressione plantis* attribuendæ, quàm *succo ipsi ab iisdem expresso*. Porrò *succi vegetabilium* tanquam aquosi, nullo unquam *cum oleis consortio* connectuntur, ut vel centies invicem commixta, denuò naturâ suâ segregrentur, nullâque omninò arte ita commisceri aut uniri possint per se, ut per minima commixta maneant, undè nemo in eam opinionem descendat, aut sibi persuadeat, *succorum virtutes medicinales* in *olea* transmigrare, illisque dextrè communicari, quid? quòd licet invicem, *olea scilicet & succi* coquantur ad totalem *succorum & humiditatis* exhalationem, ut aliàs moris est, nihilominus evidens fit separatio *olei à succo exspissato, picis nigræ instar fundo vasis adhærente*, nullaque arte *oleis* permiscibili, id quod indicio est, exiguum quid *oleis* fuisse *à succis* impertitum. Præterea nec *color plantarum aut florum*, (qui licet pro accidente habeatur, in quibusdam tamen *oleis & unguentis* summoperè expetitur, utpote in oleo *Hypericonis, ruber, in unguento Populeo, viridis, &c.*) *à succo* oleis & unguentis, loco *herbarum* adaptato, sperari potest, sed necessum est, ut *ipsi flores*, vel *herba contusæ*, aut minutim potiùs concisæ *oleis vel axungiis* permisceantur. Imò & hoc notatu dignum est, in acquirendo vel potiùs imprimendo colore herbarum vel florum unguentis, ut *olea*, (si ex oleo & cerâ conficienda sunt unguenta,) *ceræ priùs* permisceantur, antequam *herbæ* vel *flores* illis infundantur, quo meliùs & colore & virtute *ab herbis & floribus* unguenta imbuantur: cujus monitionis ratio hæc est, quòd citiùs *axungia quadam*, utpotè *oleis solidior*, colore, odore, & virtute cujusdam vegetabilis, fragrantis præsertim & sulphureæ naturæ, per infusionem aut coctionem imbibi possit, quàm *olea quæcunque*; sic *olea cerâ permixta*, solidiora evadunt, *axungiis* simillima, & consequenter ad extrahendos vel recipiendos colores & odores, ne dicam majores herbarum aut florum virtutes, aptiora multò sunt. Ob eandem etiam causam *olea summè odorifera*, utpotè *florum, Citri, Arantiorum Iasmini, &c.* quæ aliundè ex Italia utplurimùm ad nos devehuntur, cum *oleis puris vel liquidis* confici

Succi expressi cum oleis nunquam verè permiscentur.

Præstat herbas concisas cum oleis digerere, quàm succos expressos cum iisdem coquere.

Baccæ Ben aptum sunt receptaculum odoris & suaveolentiæ ex odoratis concipienda.

fici haud possunt, sed requiritur ut *Amygdalæ*, vel quod melius, *baccæ Ben* sæpiùs cum *floribus supradictis*, stratificentur; *à quibus baccis* vel *amygdalis*, odore & virtute florum sat sufficienterque imbutis, *olea tandem fragrantissima* exprimuntur. Est & hoc Profumatoribus Italis, uti appellari consuevêre, solemne, ut si *baccas Ben* in promptuario non reperiant, nec *Amygdalas* tamen adhibere desiderent, pro *similium oleorum gratum odorem spirantium* confectione, cum *oleo de Ben Gossipium* humectent, quo *Gossypio* & *floribus odoriferis* stratum super stratum aliquoties, semper *recentes flores*, rejectis prioribus, substituendo faciant, atque ita *oleum denuò jam summè fragrans ex Gossypio illo* exprimant, ad multos annos durabile: nam *oleum de Ben* hoc præ cæteris oleis virtutis habet, ut ad multos annos incorruptè perstet, nec rancorem, situm, aut odorem fœtidum ingratumque contrahat, cùm & per se omni odore careat, neque etiam prout *reliqua olea expressa ferè omnia, ut & quædam destillata*, viscidum & crassum evadat. Quibus experimentis liquido constat, *olea per se* ob eorum lentorem non apta esse menstrua ad eliciendos odores, colores, & virtutes *ex vegetabilibus*, prout alibi etiam monui, tantoque minus, si non *ipsa vegetabilia herbæ vel flores* cum totâ suâ substantia, sed *succi eorum expressi* saltem *oleis* addantur, & ad omnimodam humiditatis, & succi liquidioris exhalationem invicem coquantur. Proindè etiam in præparatione *unguenti de Alabastro*, quod ansam mihi præbuit, ut hæc scitu necessaria admonerem, illa observanda sunt, & ut evidens exemplum habeamus, sequens modus edocebit.

Vnguentum de Alabastro.

℞. *Olei simplicis Olivarum puri recentis & non rancidi lib. unam semis,*
Ceræ citrinæ & novæ odoratæ uncias octo circiter, plus minusvè, prout liquidius vel solidius unguentum desideras.

Quibus simul lenissimo igne liquatis immerge sequentia, minutissimè concisa, utpotè
Flor Rosar. Damasc. rec. unc. quatuor,
Chamomillæ recent. unc. quinque,
Herb. rec. Rutæ viridis,
Betonicæ vir. ana unc. quat.

Et si libet *radici Althææ* tanquam incongruæ huic unguento substituatur
Herb. recent. Majoranæ, vel etiam
Flor recent. Sambuci uncias quatuor.

Digerantur in loco tepente septimanâ unâ vel alterâ, factâ post unicâ ebullitione, in Alembico, si lubet, suo capitello munito, (ut ea quæ transit humiditas fragrans, residuo expresso restitui & reaffundi possit,) exprimantur, unguento expresso
Eandem dictorum florum & herbarum quantitatem.

Immerge, lenissimo tepore digere, ac factâ denuò in Alembico unicâ ebullitione, cum reaffusione particulæ humiditatis quæ transiit unguento expresso, coletur, exprimanturque herbæ & flores, expresso adde
Pulv. lapid. Alabastri puri & subtiliss. triti uncias quatuor.

Fiat continuâ agitatione pistillo ligneo, donec refrixerint unguentum nobile capitale, cujus drachma una majores vires, quàm integra uncia simpliciter parati, de se spondebit & profundet.

Nota: poterit, si cui volupe fuerit, *lapis prædictus alabastri*, antequam huic unguento admisceatur, cum *succo aliquo ingredientium herbarum*, aut etiam cum *succo Solani* aliquoties imprægnari & denuò exsiccari, pro majore virtute unguento conciliandâ; ita enim *succus is veluti inspissatus* & cum *Alabastro* exsiccatus, unguento per minima commisceri, ac suas exserere vires potis est.

Porrò in quibusdam *unguentorum compositionibus diversa vegetabilia* uni eidemque infusioni & coctioni destinata sunt, nullâ habitâ consideratione, quæ vel sulphureæ, balsamicæ aut terrestrioris sint naturæ, quippe quæ diversimodè, quòd sæpe in aliis medicamentorum compositionibus admonui, tractari velint; Illorum enim virtus, utpotè *quæ balsamicæ naturæ sunt*, quod ex odore utplurimùm percipitur, levi coctione exhalat, & in auras pelluntur, remanente parte terrestriore, affectibus quibus destinatur planè inutili; *Horum* verò scilicet *terrestriorum vegetabilium*

lium efficacia integra, diu licet multumque decoquantur, semper in residuo manet; proindè veræ rationi consonum est, ut dum in unguentorum compositionibus tàm diversa vegetabilia etiam consarcinantur, ea perindè dextrè tractanda & distinguenda sint, ne parte penetrantiore & subtiliore depulsâ, putamina veluti, nobis relinquantur, abjectis nucleis, & unguenta potiorum ingredientium virtute subtiliore balsamicâ, destituta, & Medicum & ægrum fallant. Exemplo perindè nobis sint diversa hujus classis unguenta, utpotè *Aregon Nicolai*, *Viride Reginæ*, *&c.* quæ diversas & planè contrarias recipiunt plantas, *calefacientes*, *refrigerantes*, *humectantes*, *exsiccantes*, *adstringentes*, *laxantes*, *&c.* de quarum qualitatum combinatione meritò quis quæstionem instituere posset, quâ ratione illis affectibus ex materiâ frigidâ ortum ducentibus, quibus utplurimùm destinantur si Authoribus habenda fides, conducere possunt: Verùm cùm & nunc mei instituti non sit, propriè de qualitatibus sive primis, sive secundis plantarum, ac per consequens de incongruâ illarum conglomeratione multa differere, maneo in concepto proposito, nimirùm quo modo hæc prædicta unguenta legitimè conficiendâ sint, ne, cùm aliàs *herbæ odoriferæ*, *balsamico spiritu & oleo gaudentes*, plurimis *aliis refrigerantibus plantis* obtundantur, & insuper multum decoctæ *balsamica earum vis tota* penitùs exspiret, sed unà cum unguento remaneat, tanquam summoperè expetita: Proindè in prædictorum unguentorum legitimâ præparatione, *ingredientia sive species eorum* distinxi, & quæ *terrestrioris naturæ*, quorum vis nimirum in adstrictione & roboratione consistit, primæ infusioni & decoctioni destinavi, quippe quòd diuturnam decoctionem ex naturâ suâ ferre possunt sine virium jacturâ; quæ verò *naturæ sulphureæ & balsamicæ*, quorum vis præcipua prompte exhalat, leniter etiam decoctorum, secundæ infusioni adaptavi: Primam infusionem coctione ad omnimodam ferè humiditatis rerum ingredientium exhalationem absolvi, secundam solâ digestione aut maceratione, vel etiam levi ebullitione in Alembico vitreo, ut quæ ebulliendo exhalat fragrans humiditas, denuò unguento tanquam potior efficacia eorum restitui possit, ne ullarum rerum aut virtutum fiat deperditio, sed cuncta sarta tectaque in composito conserventur.

Labar mihi non de qualitatum & effectuum combinatione, sed de unguentorum præparatione artificiosâ & legitimâ.

Sequuntur nunc *Emplastra & Cerata*, unguentis paratu difficiliora proindè artificio elegantiore opus habentia, quibus tamen eædem *observationes*, quæ unguentis jam dum adjectæ sunt, accommodari possunt, non intermissis operis manualibus aliis, quæ in singulis *emplastrorum & ceratorum præparationibus* in præmissis fideliter manifestavi. Etenim si quis antiquas compositiones, adjectasque earum præparationes per transennam saltem inspexerit, reipsâ deprehendet, ea partim paratu difficillima, partim impossibilia esse. Et quantumvis nonnulli Medicorum suo officio satisfecisse arbitrentur, scribendo, *fiat secundùm artem*, considerare tamen vel maximè hîc tenerentur suam authoritatem, nec ità ministris pharmacopœis prostituere illam, quasi Justinianus codex jubeat, mandetque apothecariis, præscriptiones Medicorum emendare, vel commissos in compositione errores, præparatione dexteriori corrigere: Idcircò in hâc re summè necessaria, (ubi quot capita, tot sensus, ita etiam tot diversæ præparationes à Pharmacopœis quibusdam, non omnibus certe perindè doctis, in similibus erroneis compositionibus & adjectis præparationibus institutæ sunt,) non inique fecero, experientiâ non levi instructus, si tandem aliquando non solùm errores, larvâ detectâ compositionibus, in lucem protulero, verùm etiam saniore modo compositiones & ingredientia in ordinem redegero, atque dexterrimo & facillimo modo illarum præparationes instituero: Hæc mea instituta in hâc classe *Emplastrorum*, tum etiam *Ceratorum*, non minùs quàm in aliis classibus prosecutus sum; in tantum enim ordinem, erroribus priùs lucidissimè detectis, compositiones plurimas *Emplastrorum* inordinatissimè conscriptas, & vel principio & fine, omnique componendi & præparandi ratione carentes, redegi, ut & juniores Medici non solum in componendis vel præscribendis similium *Emplastrorum* compositio-

Additio ad Classem dec. octavam & dec. nonam de Emplastris & Ceratis.

Non benè nec tutò semper committitur Pharmacopœis jus parandi formulas Medicorum f. l. a.

tio-

tionibus, verùm, & pharmacopœi, eorumque ministri in præparatione certam normam habeant, quam securè sequi possint. Enimverò cùm in plurimis *Emplastrorum* præscriptis formulis, uti dictum, nec ordo, nec legitima præparandi ratio observata additaque sit, & vel cuncta pharmacopœorum dubioso & differenti arbitrio commissa sint, utpotè in *Emplastris*, *Apostolico Nicolai*, *Catagmatico seu ad fracturam ossium Renodai*, *Ceroneo Nicolai*, *Diachylo magno*, & omnium maximè *de Ranis cum Mercurio*, multisque aliis *Emplastris & Ceratis*, proindè ingredientia hæc Emplastra, homogeneis ab heterogeneis separatis, in certas classes, prout vera & artificiosa præparandi ratio postulat, distinxi, interpositis autem singulis classibus veris præparandi modis, secundùm naturam homogeneorum, & heterogeneorum, (quæ non nisi experientiâ longâ ac insuper veris physicis rationibus cognosci possunt,) ita ut nunc vel leviter instructo artifici pharmacopœo, *paratu aliàs difficillima emplastra, facillima sint*, lege artis diligenter conscripta, quæ cùm abundè sufficiant, plura his duabus classibus superaddere haud necessarium duxi.

Additio ad Classem vigesimam & ultimam de præparatis.

IGitur ad classem ultimam, de *præparationibus quorundam simplicium*, transitum paro, in qua præter alia, quæ jam tum in ejusdem *Animadversionibus* allata sunt, pauca adhuc annotare consultum visum est: Nimirùm, plurima sunt in hâc classe subjecta vel simplicia in medium producta, quibus ad instar ceræ, cui sigilla, ita & illis aliarum simplicium salubrium virtutes facillimè imprimi possunt, rebus præsertim siccioribus, utpotè *Agarico*, *Aloë*, *Bolo Armena & similibus*, è quibus sanè egregia medicamenta forent paranda. Sit igitur *Agaricum* primum subjectum, quod aliàs capiti & cerebro expurgando dicatum est, quippe qui sive in Trochiscos sive in aliam aliquam massam efformandus, commodissimè non *infusione Zingiberis*, sed *vel decoctis*, vel *succis aliis capiti & cerebro* expurgando destinatis, sæpiùs insuccari, & denuò leniter exsiccari poterit; per se enim haud ita efficax est, ut etiam drachma una ejusdem intra corpus sumpta, (nauseabundè ob levitatem & quantitatem, cùm in molem magnam consurgat, saporè insuper sit amaro ingratoque,) parùm operetur, idcircò cum decocto aliquo, sive *radicum Asari*, sive *Mercurialis*, sæpiùs imbui, & denuò exsiccari poterit. Modus sit talis;

Agarici præparatio.

℞. *Rad. Asari libram semis.*

Concisæ coquantur in ſ q. *aquæ fontis vel fluminis*, repetitis vicibus affusæ, ad totalem virtutum prolectionem, decoctiones omnes colatæ & clarificatæ ad libram unam vel alteram leniter evaporent, cum quo residuo

Agarici albissimi radulâ comminuti libra una plus minusvè.

Insuccari, denuoque exsiccari, & in Trochiscos efformari poterit, spreto colore albicante, qui aliàs in trochiscato Agarico desideratur, cùm efficacia colori meritò sit præferenda. Si verò cuipiam *Asarum* non arriserit, is *alio simplici cathartico*, pro morborum causis eandem præparationem moliri poterit, atque ita, quod ab Agarico sperare jubent, multo fœnore adipiscemur, & exoptato potiemur successu.

Aloës præparatio.

Ad eundem modum *Aloë*, *sive Succotrina*, *sive Epatica* illa sit, in viribus suis, & secundum intentionem cujuscunque Medici, non solùm *infusione Rosarum aut Violarum*, sed *decoctis quibuscunque catharcticis*, unicuique morbo singulariter appropriatis aut contrariis insuccari poterit, nimirùm ad Melancholiam Hypochondriacam, *decocto Hellebori & Foliorum Senæ*: ad Hydropem Ascitem, *decocto vel succo Cucum: Asinini, radicum Ebuli, cort. Median. Sambuci, Galappæ & Mechoacæ essentiâ cum spiritu vini ob resinosam eorum substantiam extractâ*; *succo Mercurialis*, *succo vel decocto Asari* pro febribus quotidianis aut quartanis; pro capite & cerebro expurgando, *essentiâ Agarici*, item *decocto Asari*, *&c.* Porrò & *rerum aromaticarum* viribus pro corroboratione ventriculi & capitis, ipsa inebriari potest, verùm alio modo quàm in *pilulis Aloëphanginis* præcepêre, ubi spirituosa & aromatica vis tota, pessimâ illâ insolatione diuturnâ penitùs tollitur & annihilatur: Quâ ratione autem illud in effectum dare liceat, ne parte balsamicâ aromatum depulsâ, eorum effœto & inutili decocto nos saturemus, habes, Lector amice, dexterrimum modum in præmis-

sis

sis nostris *Animadversionibus* super dictas *pilulas Aloëphanginas*, quem imitari in facili est: Quòd si verò aliam formulam exoptares, en! subdo sequentem:

℞. *Rad. Asari uncias duas,*
Calami aromat.
Galangæ ana unciam unam,
Absinthii nostratis,
Menthæ odoratæ ana drachmas sex.

Coquantur in *s. q. Aquæ* repetitis vicibus, ad omnimodam virtutum protectionem, decocto adde

Aloës succotrinæ uncias sex,

Vel si mavis loco ejus,

Aloës Epaticæ tantundem,

Et leniter evaporare sinito ad siccitatem ferè pristinam, posteà accipe

Ligni Aloës gummosi unciam unam,

Et cum *s. q.* spiritus vini extrahatur essentia ejus resinosa, quâ cum diluantur

Pulv. Croci Austriaci drachmæ tres,
Myrrhæ rubræ uncia una,
Masticho drachmæ sex.

Et prædictæ Aloë insuccatæ jungantur, iterumque ad siccitatem ferè leniter exsiccari sinito, massæ huic tandem junge

Pulv. Nuc. Moschat.
Cardamomi,
Macis ana drachmas tres,
Ol. Still. Cinamomi,
Caryoph. ana scrupulos duos,
Absinthii,
Menthæ ana scrupul. unum,
Macis,
Cubebar. ana drach. semis,
Balsami Indici de Peru drach. duas.

Fiat ex omnibus exactè permixtis *massa pilularum* justæ consistentiæ.

Plura addere in facili esset, verùm hæc *de Aloë* mihi sufficere videntur, cùm quilibet prudens Medicus, cui regiones, anni tempora, & ægrorum temperamenta perspecta sunt, sua medicamina facilè eò dirigere possit.

Millepedum seu Asellorum præparatio. *Millepedes seu Aselli* cum *vino myrrhato* aut cum *vino, in quo Petroselinum, Apium, Saxifragia, Ruta muraria*, aut simile quoddam diureticum maceratum fuerit, cùm pro diuturniore conservatione, tùm majore virium imprægnatione præparari queunt, modo tali:

℞. *Vini albi generosi libras duas.*
Cui immergantur
Myrrhæ rub. uncia una,
Rad. Apii,
Cichorii,
Petroselini ana drachmæ sex,
Sem. Anethi drachmæ tres,
Tartari albi Veneti uncia una.

Digerantur die unâ vel alterâ, colat. post adde

Asellorum libram semis,

Et in vitreo vase unà exsiccentur calore leni, sive in M. B. serventurque usui.

Nota: si forte non nemo *solo sale* eos condire voluerit, cùm animalia sint, licet imperfecta, is *sale marino vel gemmæ*, aut etiam *sale urinæ fixato*, eos conspergat, addito insuper *vino myrrhato*, quò perfectiùs uniantur.

Boli Armenæ præparatio. *Bolus Armena* quâ ratione legitimè paranda, ejus præmissæ *Animadversiones* exactè indigitant; verùm cùm puris Alexipharmacis præparationem ejus molitus fuerim, præstat, ut ad alios affectus nunc perindè illam accommodemus aut efficacem reddamus, utpotè ad sistendum fluxum sanguinis, ad sanguinem internum à contusione vel lapsu coagulatum, ad casum, Dysenteriam, Diarrhæam, vulnera item interna: Et quidem ad sistendum fluxum sanguinis tali modo:

Bolus Armena pro sistendo fluxu sanguinis nimio sive Hæmorrhagiæ.

℞. *Ros. recent. rubearum libram semis,*
Rad. rec. Cichorii flore albo, unc. quinq.
Papav. errat. uncias duas.

Fiat cum *aquâ simplici* decoctio repetita, quoad omnes vires prædictarum specierum excoctæ sint, *decoctionibus colatis & clarificatis* adde

Succi Sempervivi majoris,
Endiviæ,
Lactucæ ana uncias quatuor.

Cum his mixtis & unitis liq. irroretur sæpiùs,

Boli Armenæ lib. semis, vel lib. una.

Et denuò in leni calore exsiccetur, ut in pulverem redigi queat.

VEL

Irroretur sæpiùs Bolus Armena cum *decocto forti Cancrorum fluviatilium*, vel etiam *spermate Ranarum*, *sponte resoluto*, *& per linteum saccum transfluxo*, utpotè

℞. *Spermatis Ranarum mense Martio collect. suffic. quantitatem.*

Quod imponatur sacculo linteo & spontè transfluere permittatur.

Huic aquæ libris duabus jungatur
Aluminis puri vel si mavis
Nitri puriss. cryst. unc. una vel altera,
cum qua aqua
Boli Armenæ lib semis, vel libra una,

Irroretur sæpiùs, & denuò totaliter exsiccetur, ut in pulverem redigi queat, servetur usui.

Bolus Armena ad sanguinem internè coagulatum.

℞. *Rad. Apii,*
Acetosæ,
Plantaginis ana unc. unam,
Herb. Card. Mariæ,
Chærefolii ana recent. unc. duas,
Sanguisorbæ unciam unam.

Incisa coquantur in *s. q. aquæ simpl.* repetitis vicibus, quoad vires omnes excoctæ sint, cum colaturis ad libram unam circiter exhalatis irroretur sæpiùs,

Boli Armenæ libra semis
& exsiccetur.

Bolus Armena ad Dysenteriam, & immodicam Diarrhæam.

℞. *Rad. Bistortæ,*
Acetosæ,
Cynoglossæ,
Lapathi acuti,
Plantaginis,
Tormentillæ ana unc. unam,
Herb. recent. Plantag. min.
Millefolii,
Pyrolæ,
Flor. recent. Quercûs ana manip. duos, vel uncias duas.

Incisa coquantur cum *s. q. aquæ simplicis* repetitis vicibus, cum *decocto clarificato & ad libram unam abstracto circiter*

Boli Armenæ libra semis, aut lib. una.

Sæpius irroretur, & denuò exsiccetur pro usu.

Nota: Qui eandem Bolum Armenam virtute *unius vegetabilis*, v. gr. *Scordii*, *Rutæ*, *Myrrhæ*, *Radicum Contrajervæ*, *Anthoræ*, *Bistortæ*, *Citri corticum*, *&c.* impraegnare voluerit, is facilè ad eundem, quem præcepi modum, assequi poterit.

De *Cauterio* nobili ex *Cineribus fraxini*, hoc insuper notandum venit, nimirùm quòd cinis is recenter combustus, (nam paucis saltem diebus vigorem servat,) illicò modulo nimio inclusus ad magnitudinem Ciceris, paulisper salivâ saltem madefactus, pro fonticulis excitandis, ad debitum locum applicari debet. *Cauterium.*

Pro confectione *Magisterii lapidis Lazuli* seu *Ultramarini* alium adhuc modum priori dexteriorem subnectere libet, qui talis: *Magisterium lapidis Lazuli seu Ultramarinum verum.*

℞. *Terebinthinæ,*
Picis Græcæ,
Resinæ Pini,
Mastichis el. ana uncias quatuor.

Misceantur omnia, & coquantur in patella lento igne, parum tantum, ne comburantur, ut fiat massa tenax, coletur pòst per linum & qualum, malaxeturque opt. & diu, ac in aqua frigida posteà asservetur. Jam

Lævigetur *lapis Lazuli cæruleus & purus*, super porphyrite, cum *aquâ simplici*, subtilissimè, (nam nisi subtilissimè & diu lævigetur, vix ad optatum succedit præparatio,) *hujus lapidis subtilissimè lævigati*, *exsiccati*, *inque pulverem redacti*, *& massæ descriptæ superioris ana partes æquales*, malaxando manibus optimè uniantur sine igne, relinquanturque aliquot septimanis, (quò diutiùs, eò meliùs.) aquæ frigidæ immersa, posteà cum aquâ tepidâ inter initia, ultimò semper calidiore, manibus massam malaxando, eluatur *pulvis cæruleus impalbabilis pulcher*, *Ultramarinum dictus.* Notetur autem, quòd qui primò eluitur pulvis sit elegantior in colore secundo, & hic tertio, ac sic consequenter, proptereà singuli separatim asservandi.

Plures quæ supersunt in hac classe simplicium præparationes, eæ ab erroribus vindicatæ

tæ suis *Animadversionibus* gaudent, quæ Lectori diligenti abundè sufficient.

Additio Ad Mantissam. TRanseo ad *Mantissam*, quæ ipsa etiam sua peculiaria medicamenta *Chymicè parata* continet, tredecim classibus distincta, quarum prima de *Spiritibus simplicibus*: Secunda *de spiritibus compositis*: Tertia *de Elixiriis*: Quarta *de Essentiis*: Quinta *de Tincturis*: Sexta *de Oleis destillatis*: Septima *de Balsamis simplicibus*; Octava *de Balsamis compositis*: Nona *de Feculis*: Decima *de Magisteriis*: Undecima *de Salibus*: Duodecima *de Floribus*: Decima tertia *de Crocis*, *Vitris & Pulveribus aliis chymicè paratis*, *item Crystallo Tartari*, & *Cornu Cervi philosophicè calcinato* agit.

Spiritus simplices. Quod *spiritus simplices* spectat eorum dexterrimos destillandi modos præmissæ nostræ *Animadversiones* luculenter commonstrant & edocent, lubet nihilominus in gratiam grati & benevoli Lectoris unum atque alterum Spiritum medicinalem superaddere: Memini me mentionem facere cujusdam menstrui secreti *in Animadversionibus præmissis*, quodque p. 452. ænigmaticè insinuavi; hoc inquam *menstruum* quanquam jubebat malignorum ingratissimorumque cuculorum canina invidia, inter secretiora arcanorum scrinia tantisper abditum ulteriore adhuc tempore captivum detinere, nec tam citò in meridianam lucem emittere: dum tamen omnem vindictam ingratitudinis & odii, undeundè mihi pro benefactis injuriosè illati, DEO relinquendam, (qui omnia tempore, modo, pro meritis novit compensare,) suadet rectè factorum conscientia, ut bonitati publicæ rem præstem gratam; *Spiritum prænominatum* publici juris faciam, cui magna remediorum pars, tanquam columnæ non exiguæ innitetur, & fit hunc in sequentem modum:

Spiritus Veneris. ℞. *Æris viridis opt. quantum placet.*

Quod contusum immittatur Alembico vitreo, cui superaffundatur *acetum destillatum* ad digitorum aliquot transversorum supereminentiam, factâque digestione aliquâ effundatur *acetum tinctum* per inclinationem, *aliudque* superaffundatur, digeratur, & per decantationem separetur, hoc toties repetendum, donec *acetum* non amplius tingatur, & ferè tota *æris viridis* substantia dissoluta sit, impuritatibus in fundo Alembici vel filtro remanentibus: Solutiones omnes decantatæ & filtratæ in Alembico abstrahantur, (sive in patellâ cupreâ per lenem coctionem, quia vitrea vasa, ob sulphur proprium, quod fundum petit Alembici, utplurimùm rumpuntur,) ad cuticulam apparentem, & in loco frigido crystallizari permittantur. *Chrystalli*, refrigeratis omnibus, ab *adhærente liquore separati*, excipiantur, leni in calore siccentur, *residuus à Crystallis liquor jam effusus*, denuò paulisper abstrahatur, Crystallique colligantur, quoad totum ferè in Crystallos abierit, qui *flores æris* dici consuevêre.

Porrò *Crystallis his* sive *floribus æris*, Alembico vitreo immissis, superfundatur *spiritus vini rectificati q. s.* ad supereminentiam trium vel quatuor digitorum transversorum, idque bis terve, pro majore volatilizatione & impregnatione, ab iis destillando abstrahatur. *Hi Crystalli* tandem in pulverem redacti indantur retortæ vitreæ lutatæ vel loricatæ, & igne aperto, ast leni, destillentur per gradus, quoad *totus spiritus* prolectus sit, qui in Alembico vitreo per arenam probè rectificandus.

Vires Spiritus Veneris. Hic laudatissimus Spiritus in medicina non solùm magnarum virium est, cùm *Epilepticis*, *Apoplecticis*, *Hystericis*, *Hypochondriacis summè opituletur* legitimè & debitè exhibitus, verùm etiam tanquam *acetum esurinum & liquor Alkahest* (de quo tanta ubivis terrarum miracula deprædicantur) se habet; solvit *Perlas* integrè illi injectas blandè, *Corallia item*, *oculos Cancrorum*, & plura alia, non ut *reliqui spiritus acidi & corrosivi*, qui solvendo & agendo, reactione solvendorum patiuntur, & vel totaliter destruuntur, inque aliud ens convertuntur, ac indissolubili nexu cum *solutis Perlis*, sive *Corallis* sese uniunt inseparabiliter, sed amicè tanquam eorum familiaris, non autem destructor adhibetur, utpotè à quibus destillando eâdem virtute & acrimoniâ ferè, quâ affusus, abstrahi, adque consimiles usus adaptari potest. Nolim tamen ego asseverare, quòd penitùs impermutabilis, aut indestructibilis sit hic spiritus;

solet enim crebrioribus solutionibus adaptatus nonnihil debilitari, viresque suas quodammodo amittere. Præterea in extractionibus quorundam mineralium pro tincturis, is idem spiritus præ reliquis omnibus menstruis magnam prærogativam habet, uti suo loco sequetur, quando de tincturis quibusdam mentionem facturus sum: Et ut summatim dicam, tanquam expertus in multis affectibus, qui Herculea etiam remedia rident & contemnunt, ad hunc spiritum tanquam asylum, si quis accurrerit, medicamentum reperiet quovis pretio redimendum: Hoc fruere Lector amice secreto, & favore mei pro fideli communicatione benevole persevera.

Suppeditat experientia nostra alios duos spiritus, sibi tamen invicem contrarios, quorum unus acidus, alter salsus, solâ admixtarum rerum varietate, ex uno subjecto, sale nimirùm Armeniaco destillando producendi, horum præparationes sunt sequentes?

Spiritus Salis Armeniaci acidus.

Spiritus salis Armeniaci acidus.

℞. *Salis Armeniaci puri libram unam, Frumenti vel tritici lib. duas vel tres.*

In pulverem redacta ambo, immittantur benè commixta Alembico vitreo (loricato, uti loquuntur Chymici, vel luto obducto,) suo capitello amplo, proboscidem largam etiam habente, munito, qui collocetur in furnum supra ignem apertum s. a. præpositoque recipiente amplo, destilletur per gradus ignis, *phlegma & spiritus*, ultimò extremâ ferè ignis violentiâ urgendo, sic potior pars *salis Armeniaci residui, & nondum in spiritum resoluti* ad capitellum sublimatur, inque excipulum particula ejusdem unà cum spiritu etiam transit; refrigeratis omnibus eximatur *spiritus*, & in Alembico vitreo, phlegmate prius leniter abstracto, quousque acidæ guttulæ transeunt, totaliter rectificetur; relictum in Alembico *sal nigricans, cum aquâ simplici* solvendum, filtrandum, & ad siccitatem salis albissimi in vitreo vase abstrahendum est; *hujus salis uncia una vel altera, libra uni spiritûs ejusdem acidi rectificati* uniri poterit, & sic legitimè ac debitè *acuatus spiritus*, in operationibus præstantior & nobilior existet. *Reliquum verò sal & quod ad capitellum sublimatum est*, ab impuritatibus & nigredine per solutionem & filtrationem, uti artis est, liberatum, porrò *recenti frumento vel tritico* permistum, denuò in spiritum destillari potest, uti priùs: atque hæc quoad genuinam ejus præparationem. Quoad *virtutes, magnarum hic spiritus virium est in Obstructionibus lienis, hepatis, mesenterii, &c. In Febribus cùm continuis, tùm intermittentibus, Colicâ passione, Nephritide, & ad plures alios humani corporis affectus, qui ab obstructione aliquâ ortum ducunt*, eum prudens Medicus adhibere norit, licet non impensè illum collaudem.

Virtutes Spiritus salis Armeniaci acidi.

Sequitur nunc ejusdem Salis Armeniaci Spiritus Salsus priori contrarius, cujus præparatio talis.

Spiritus Salis Armeniaci salsus.

Spiritus salis Armeniaci salsus.

℞. *Salis Armeniaci puri libram unam, Salis Tartari tantundem.*

Mixta confestim immittantur retortæ, proboscidem largam habenti & præposito recipiente destillentur per arenam leniter, igne ultimò paulisper aucto, & transibit spiritus unà cum *sale volatili, odore, sapore & substantiâ, ad instar spiritûs & salis urinæ volatilis*. Refrigeratis omnibus sal & spiritus ab invicem separandi, aut, addito aliquo liquore sal volatile solvendum, & liquoretenùs ad instar spiritûs asservandum est; vel totum, quod destillando transit, per phialam oblongam in sal volatile sublimetur, & in formâ siccâ custodiatur. Præstans remedium utrumque est, sive sal siccum, sive spiritum liquidum adeptus sis; *à putredine præservat, fermenta acida omnia extinguit, Hystericis passionibus, Epilepticis, Apoplecticis & Suffocationi matricis* medetur, quandoque solo odore penetrabili, ac summâ volatilitate præstans existit. Et cùm *putredinem summoperè abarceat, Pestis verò venenum sit putredinale*, quis spiritum hunc vel ipsum etiam sal volatile in hoc diro morbo, nulli hominum generi parcenti, ab usu quotidiano proscribere audeat, uti & *spiritum urinæ*, qui sponte suâ sublimatur, naresque ferit.

Virtutes hujus Spiritus salsi.

ferit. Quæ plura medicamenta ex hoc ſale ſive ſpiritu, vel etiam ex ſpiritu & ſale volatili urinæ, quâdam metamorphoſi paranda ſint, ea ſuo competente loco de ſalibus tractaturus ſum.

Hi ambo ſpiritus edocti ex *ſale Armeniaco, acidus & ſalſus*, ex uno ſubjecto licet producti, ſibi invicem tamen contrarii ſunt, ac ambo juncti ſeſe mutuò deſtruunt, & in aliud eſſe convertuntur: propterea Pharmacopœi ſalſa & acida diſtinguere ſciant neceſſum eſt, ne ſpiritum hunc ſalſum pro acido, & viceverſa acidum pro ſalſo ſubſtituant, inter quos haud minima eſt differentia.

Spiritus Salis Nitri.

Spiritus *Salis Nitri*, quâ ratione legitimè deſtillandus, ut intra corpus, tanquam ſummum aperiens tutò ſumi poſſit, en! accipe modum ſequentem:

℞. *Salis Nitri opt. & puri libras duas vel tres,*
Teſtarum nondum crematarum (vulgò **Scherben von ungebrandten Töpfen oder Häfen**/) *libras quatuor vel ſex.*

In pulverem redacta miſceantur, immittanturque retortæ vitreæ loricatæ cum largiſſimo collo, (enimverò obſervavi, quòd quò largiùs collum retortæ ſit, circa ejus ventrem præcipuè, eò feliciùs ſuccedat operatio vel deſtillatio, & rubicundior proliciatur ſpiritus, vel etiam Alembico vitreo optimè lutato & capitello amplo cum largiſſimo collo munito, fiatque præpoſito recipiente capaciſſimo, deſtillatio ut artis eſt igne aperto, inter initia autem leniſſimo, donec *phlegma* prolectum ſit, & vas recipiens rubeſcere incipiat, tùm mutetur vas recipiens vel idipſum evacuetur & eluatur, quo *Spiritus rubicundi* ſeorſim excipi poſſint, continuetur deſtillatio igne tandem violentiſſimo, donec omnes *ſpiritus* prolecti ſint, & *nulla guttula flava vel rubra* ampliùs perſpiciantur, & vas recipiens ex parte rubedinem amiſerit, (nam totaliter clarum haud redditur, etiamſi vel ſeptimanâ integrâ retortæ allutatum relinqueretur, ignisque continuò admoveretur,) tum ſtatim amoveatur vas recipiens *cum ſpiritibus ſummè volatilibus*, ne retrocedant: Caveat autem ſibi, qui è recipiente *ſpiritus hos* in aliud vitrum effundit, ne à *ſpiritibus hiſce ſummè volatilibus, nebulæ craſſiſſimæ ad inſtar effumantibus, & copioſè veluti deglutitis* ſuffocetur, vel ſpiritus ipſos effundat aut diſſipet, cerebrum inſuper ac pulmones haud parùm lædat. Serventur tandem *hi ſpiritus* in vitro forti, cerâ opt. munito, ne exſpirent, eruntque coloris rubicundi, ſi debitè & modo præſcripto operatus fueris.

Hic *Spiritus Nitri* æquè in medicinâ ac in operationibus chymicis, eximiis ſuis pollet virtutibus, aurum autem non attingit; ut autem illud ſuaviter ſolvat, & veluti in butyrum convertat, ulteriùs elaboretur modo ſequenti:

℞. *Spiritus rubicundi Nitri uncias ſex,*
Salis Gemmæ uncias quatuor.

Aqua Regia vera.

Sal Gemmæ priùs contuſum retortæ vitreæ imponatur, cui ſuperaffundatur *ſpiritus dictus*, & mixta benè per arenam in vas recipiens amplum per retortam deſtillentur ad ſiccitatem *ſalis gemmæ*, ſervetur pòſt in vitro forti benè clauſo. Hæc eſt vera & genuina *aqua Regia*, quâ *Aurum* ad quoſvis labores chymicos ſolvi poteſt ſuaviter. Ut autem præfatus *ſpiritus Nitri* ad uſum internum exactiùs elaboretur, præſertim *doloribus colicis ſedandis, & obſtructionibus pertinacioribus aperiendis*, hunc ſequere modum:

℞. *Spiritus Nitri rubicundi unc. duas,*
Aquæ Meliſſæ ſine addit. ſtill. uncias quatuor,
Spiritus Fragorum unciam unam.

Spiritus Nitri circulatus.

Mixta immittantur in phialam largam & altam, digerantur leniſſimo in calore, phialâ benè clauſâ, per ſeptimanam circiter, ſervetur pòſt uſui, qui in *affectibus colicis & obſtructionibus præſtantiſſimum eſt remedium*, à drachma ſemis & amplius pro doſi propinatum.

Nota: In deſtillatione *ſpiritus Nitri cum ſale Gemmæ* pro aqua Regia hoc obſervandum eſt, quod præfatorum magna quantitas ſimul & ſemel rectificationi vel deſtillationi non ſit committenda, ob impetuoſam eorum ſpirituoſitatem, propterea nec arctè nimis

juncturæ recipientis claudendæ; secus oleum, quod dicitur, & operam perdiderimus.

Spiritus Vitrioli essentificatus.

Spiritus *Vitrioli* summè dephlegmatus, eodem modo, quo *spiritus Nitri cum sale Gemmæ* destillari & rectificari potest, admonitionibus autem & laborandi regulis iisdem observatis, quæ superiùs paulò annotatæ sunt. Hic autem spiritus cùm summè volatilis sit, & vel continuò effumet, atque vix in vitris fortiter & arctè clausis coërceri vel asservari possit, præsertim ad loca longinqua vectus, idcirco consultum duco, ut liquoribus aliis, affectibus nimirùm, quibus destinatur, proficuis, uniatur, Exempli gratia:

℞. *Spirit. Vitrioli essentificati supradicti unciam unam,*
Aquæ Melissæ sine addit. still. unciam unam semis,
Spir. Rosarum drachmas duas.

Mixta digerantur in phiala oblonga, & benè clausa, post digestionem suff. servetur usui; *Nephriticis & Colicis doloribus, plurimis insuper obstructionibus* medetur hic spiritus.

Spiritus Urinæ destillationem in classe de Salibus benevolus Lector reperiet. Et hæc de Spiritibus pro nunc sufficiant.

Spiritus Compositio.

Spiritus Compositos quod concernit, libet perindè nonnullos experientiâ comprobatos adjicere, uti sequetur.

Spiritus Alexipharmacus Compositus.

℞. *Scordii nostratis,*
Rutæ hortensis ana recent. unc. duas,
Rad. Angelicæ,
Levistici,
Cort. rec. Arantiorum ana unc. unam,
Citri unciam unam semis,
Myrrhæ rubræ unciam unam,
Camphoræ unciam semis,
Macis,
Nuc. Moschat.
Cardamomi ana drachmas duas,
Caryophyllorum drachmas tres.

Crassiusculè incisa & contusa, infundantur in
Spiritûs Iuniperi rectificati,
Sambuci seu granor. Actes ana libra una semis.

Factâ digestione sufficiente, destillentur ad siccitatem specierum, capitello ejusdemque proboscidi immissis, spiritui jam dum destillato nec non aliquandiu, immersis
Rad. Anthoræ,
Contrajervæ,
Zedoariæ ana drachmis tribus,
Croci Austriaci drachma una.

Spiritui tandem essentificato pro indulcoratione, adde si lubet
Syr. nostri de Scordio &
de corticibus Citri ana uncias duas.

Servetur usui in vitro benè clauso.

Spiritus Hystericus.

℞. *Rad. Valerianæ,*
Zedoariæ ana unc. unam semis,
Allii recentis drachmas sex,
Ceparum unciam unam semis,
Herb. Melissæ,
Matricariæ,
Menthæ,
Pulegii ana recent. unc duas,
Castorei,
Myrrhæ rubr. ana unciam unam,
Galbani drachmas sex,
Camphoræ drachmas duas,
Cinamomi opt.
Macis ana unciam unam,
Caryophyllorum drachmas tres,
Coriandri unciam semis.

Crassiusculè incisa & contusa, infundantur in
Spirit Iuniperi libris duabus,
Cerasorum nigr.
Aquæ flor. Tiliæ ana libra una.

Factâque digestione diebus aliquot in Alembico vitreo, destillentur ad siccitatem specierum, capitello ejusdemque rostro immissis, & spiritui tandem destillato immersis
Croci Austriaci drachma una,
Castorei drachmis tribus,
Ligni Aloës drachm. duabus,
Opii Thebaici correcti drachma una.

Servetur usui *Spiritus*, *affectibus hystericis* perquàm utilis.

Transeo ad Elixiria, quorum præmissæ *Anim-*

Animadversiones veras eorundem præparationes perindè commonstrant; quòd si vero plura desiderarentur, en! superaddo sequentia.

Elixir Vitæ Regium.

℞. *Spir. vini opt. rectificati libras duas,*
Ros. recent. sale condit. libram unam.

Abstrahatur, brevi factâ digestione, *spiritus à Rosis*, per Alembicum vitreum, rostro capitello immissis, & destillato spiritui tandem cum subsequentibus aliis immersis,

Ambræ gryseæ drachma semis,
Moschi orientalis scrupulo semis,
Item spiritui egresso,
Ligni Aloës gummosi uncia semis,
Flavedinis rec. Citri extim. uncia una semis,
Arantior unc. semis.

Per diem unum atque alterum infundantur, factâ pòst colaturâ, instilletur spiritui colato & essentificato fragranti,

Olei Cinamomi destillati non adult. drach. una.

Quod statim in eo dissolvetur, nulla guttulâ ampliùs apparente. Et fiat sic *Elixir præstantissimum verè Regium.* Qui illud *Syrupo nostro de Cinamomo*, vel *de corticibus Citri* edulcorare voluerit, poterit ejus uncias sex circiter addere; ita enim illud palato gratius efficietur.

Elixir Stomachicum.

℞. *Spir. vini opt. rectificat. libras duas,*
cui instilletur
Olei Cinamomi veri drachma una,
Macis still drachma semis.

His probè mixtis & solutis superadde

Syr. de Cinam. n. m. parati unc. tres,
vel loco hujus
Sacchari albissimi uncias duas semis,
soluti in
Aqua Cinam. cum vino still. unc. trib.

Fiat *Elixir nobile stomachicum.*

Elixir Uterinum seu Hystericum.

℞. *Spiritus Cerasorum ardentis,*
vel ejus loco
Spir. Iuniperi ardentis lib. unam sem.
cui immerge
Croci Austriaci drach unam semis,
Castorei drachmas quinque,
Opii Thebaici n. m. parat. drach unam,
Elæosacchari succini drachm. sex.

Mixta digerantur aliquandiu, filtratum post Elixir usui asservetur, quod cum Syrupo aliquo conveniente edulcorari & gratius reddi potest. Quòd si autem *Extracta Castorei & Croci* in promptu sint, posset tale Elixir confestim pro unâ vel alterâ dosi parari, utpotè

℞. *Spir. vini rectificati*, vel qui melior,
Spir. Cerasor. nigr. ard. unc. unam sem.
in quo dissolve vel dilue
Extr. Castorei drachmam semis,
Croci scrupulum unum,
Opii n. m. parati scrupul. semis,
Olei Cinamomi gutt. V.
vel hujus loco
Elæosach. Succini drach. unam semis.

Misce & filtretur pro duabus vel tribus dosibus, in vehiculo amabili exhibendum.

Nota: Quòd *Opium per exhalationem narcotici sui spiritus super patellam ferream igne lent paratum*, Laudano cuicunque ferè sit æquiparandum præsertim si *spiritu vini* diluatur, & per filtrum à fœcibus indissolutis segregetur.

Elixir Hepaticum & Spleneticum.

℞. *Myrrhæ rubræ,*
Gummi Ammoniaci ana unc. unam,
Croci Austriaci drachmas duas,
Flor. Rosarum rub. unciam unam.

Contusa & incisa extrahantur cum *spiritu vini rectificatissimo*, repetitis vicibus affuso, quousque non amplius tingatur, & virtutes omnes extractæ sint: *Extractiones junctim ad remanentiam libræ unius circiter* destillando abstrahantur. Posteà diluantur in

Spiritus salis Armoniaci acidi, suprà edocti, unciis sex,
Succ. inspiss. Agrimoniæ,
Absinthii,
Verbenæ,
Hep. nob. ana drach duab.

Et *superiori Essentiæ post abstractionem relictæ*, jungantur, quæ junctim, tribus circiter diebus leni in calore digesta & unita filtrentur, eritque paratum Elixir, quod asservandum. In *Hepate & Liene roborando, eorumque obstructionibus pariter reserandis non minimas obtinebit vires*, à scrupulo uno ad drachmam semis, vel drachmam unam pro dosi sæpiùs exhibitum, in vehiculo conveniente saporem ejus amarum & ingratum nonnihil demulcente.

Absolutis *Elixiriis*, *Essentias* ordine servato aggressurus sum. Harum vel infinitæ formulæ & processus addi possent, verùm cum plures *Essentiarum* formulæ sparsim traditæ sint in præmissis, solam nunc *Essentiam Martis* mihi huculque servatam, quæ & *Tinctura Martis* appellari potest, addam, estque talis:

Essentia Martis Aperitiva.

℞. *Limaturæ Chalybis nullâ re peregrinâ permixtæ uncias quatuor circiter, vel sex.*

Cui vitro amplo & largo immissæ superaffundantur guttatim & pedetentim, ne nimiùm effervescat, & inflammetur

Spiritûs Nitri opt. unciæ tres,
Vitriol, rectif. unciæ duæ.

Spatulâ ferreâ sæpiùs materiam in fundo commovendo, ne nimiùm indurescat, & vitrum rumpatur vel dissiliat, quod utplurimùm fieri assolet: Spiritibus omnibus instillatis, diluatur massa antequam nimis compacta fiat cum

Phlegmatis Vitr. sulphurei unc. decem, vel loco hujus
Phlegm. spiritûs salis Armen. acidi tantundem.

Et efficietur *Essentia rubicunda*, si debitè operatus fueris, vel saltem flavissima, *obstructionibus Hepatis, Lienis, Venarum mesaraicarum vel Mesenterii, Menstruorum muliebrium, tumoribus, nec non durissimis externis* emolliendis & resolvendis efficacissima. Memini enim me tumorem durissimum in carpo manus, quem ganglion vocant, solâ *hujus essentiæ* applicatione linteolis duplicatis in eâ madefactis, abegisse & sanâsse, sed cavendum ne linteamina ea tangantur, cùm illa maculis flavis, nulla loturâ delebilibus inquinet. Notandum porrò, quod *cum solo spiritu Nitri & phlegmate Vitrioli*, vel *phlegmate spiritûs salis Armeniaci acidi*, omisso *spiritu Vitrioli*, hæc essentia confici possit. Hanc essentiam denique, si quis ad usum muliercularum præstantiorem & efficaciorem reddere voluerit, is conficiat essentiam Martis Corallinam, modo sequenti:

Essentia Martis Corallina.

℞. *Magist. solub. Corall. rub. veri sub proprio titulo edocendi, drach. sex,* solvatur in
Aquæ Cinamomi opt. unc. una semis, solutioni adde
Essent. Martis superiùs edoctæ uncias duas.

Misceantur in *Essentiam hepaticam deobstruentem*, quæ vices *Tincturæ Martis & Coralliorum* re & nomine supplebit.

Nota: Quòd *Essentia Martis* superior, si destillanda abstrahatur, nullum ferè *Vitriolum* post se relinquat, uti reliquæ *Martis* vel *Chalybis* solutiones *solo spiritu Vitrioli* peractæ eo quod hæc subtilior, magisq; volatilis sit, quam aliæ solutiones, consequenter summè penetrabilis. Hæc pauca de Essentiis dicta sufficiant.

Tincturas quod concernit, de illis apud Chymicos vulgares aurei passim excrescunt montes, & magna est dicacitas, præsertim *de Tinctura Coralliorum, Lunæ, Martis*, & similibus, de quibus tamen ingenuè hoc sentio & statuo, nunquam a me visam, ne dum lectam, *veram sive Coralliorum Martis aut Lunæ Tincturam*, meræ nimirùm solutiones sunt, & vel levissimâ operâ ac cito parabiles, processus licet ostentent speciosissimos, vix dimidii anni spatio elaborandos vel perficiendos; proindè ad hoc oculos mentemque advertere Chymicos oportet, in quâ plurimi adhuc ignorantiâ vel inadvertentiæ caligine hallucinantur, *aliud esse solvere, aliud extrahere*: Etenim qui *Tincturam cujusdam rei* efficere satagit, is eandem è *corpore vel subjecto* extrahat, relicto *colore corpore suo* privato, necessum est: hoc nisi fiat & apertè demonstrari possit, non est quòd ullus

Tinctura vulgares mera solutiones sunt; suo tamen modo validæ aliquot.

ullus glorietur, de verâ hâc vel illâ *Tincturâ, sive Auri, Argenti, Martis, vel Coralliorũ, &c.* quippe quæ omnes quotquot adhuc in libris Chymicorum legere licuit, meræ solutiones sunt, quibus nullo modo speciosum *Tincturæ* nomen competit, quo mundo egregiè imponunt, ipsi inscientes. *Solutiones* tamen has non proindè omnes vilipendo, aut penitùs inutiles censeo; Nam si *solutiones Coralliorum & Metallorum*, utpotè *Martis Vitriolum, & Saturni seu plumbi saccharum, Mercurius ipse solutus* haud parum in Medicina præstent, quidni & *Aurum aliqualiter saltem solutum, & in pulverem vel Crocum, aut etiam in Bezoardicum, uti vocant, solare cum Antimonio,* imò in *aurum fulminans* redactum, *Bezoardicum item Lunare, Vitriolum Lunæ, &c.* efficere plura poterunt, modò dextrè & artificiosè elaborata, dextrè etiam & debitè adhibeantur.

Multa falsa affinguntur putatitiis tincturis.

Hoc discursu verò præmisso, non tibi Lector Vellus aureum è tincturis meis polliceor, cùm jam pridem ex adversariis meis expunxerim illos, & etiamnum summo vel odio vel miseratione dignos censeam, qui inanis gloriolæ vento turgidi merâ dicacitate tot processus in libris suis consarcinant, eosque tantis encomiis celebrant, plenisque buccis deprædicant, nec tamen tantillum penetrant, utrum hoc vel illud naturæ consentaneum sit nec ne, scripsisse nimirùm & nomen suum frontispicio libri præfixisse, multi suo se muneri satisfecisse existimant, firmiterque sibi persuadent, etiamsi sive verum sive falsum distinguere ipsi nesciant, undè vel infinitos defraudant ipsi decepti, & in ignorantiæ cæcitate hæsuri. Verùm si quis plurimorum Chymicorum libros à mendis liberare satageret, Augiæ stabuli expurgandi laborem humeris suis imponeret, cum indies ferè nova mendacia promulgentur. De *Tinctura itaq; Coralliorum & Martis* quid sentiam paulò superiùs, clariùs autem in præmissis *Animadversionibus* mentem meam exposui; supervacaneum itaque censeo fusiùs de eo disserere, sit nobis interim illarum *Tincturarum loco Essentia prædicta Martis Corallina*, dum aliam *Tincturam Martis* magis realem & efficaciorẽ aliâ vice ero propalaturus: Nec tamen planè deficiam nunc, quin unam atque alteram *Tincturam* efficacem Tibi Lector communicem; Et primò *Tincturam Antimonii*, quæ talis:

Tinctura Antimonii.

℞. *Vitri Antimonii sine additione parati, rubini instar, fol. 461. Animadv. edocti q. s.*

Cui in pulverem subtilem contrito superaffundatur

Spir. noster Veneris rectificat. & suprà paulò descriptus, ad trium circiter digitorum supereminentiam.

Digerantur in loco calido, quietè sine agitatione & commotione, (quod studiosè notandum, quamvis *vitrum dictum Antimonii pulverisatum*, fundo vasis compactè adhæreat,) donec flavo vel rubicundo colore imbuatur *spiritus*, hoc per inclinationem effuso, alius superaffundatur, hocque toties repetendum, quoties *spiritus affusus* tingitur, quod secundâ & tertiâ vice sat lentè contingit; *spiritus tincti omnes* in Alembico abstrahantur, non tamen ad totalem siccitatem, sed aliqualem liquoris remanentiam: Cui remanentiæ *spiritus vini rectif.* superfusus, illicò is rubicundissimo imbuetur colore, crassamento flavo deposito, vel remanente, quod per filtrum separandum, *tinctura autem cum spiritu vini extracta*, denuò ad complacentiam vel liquorem rubicundissimum abstrahenda, usuique servanda est.

Nota: Non inconsultum foret, *Tincturam hanc* ad mentem *Basilii Valentini in Curru Triumphali Antimonii, in Oleum verum Stibii* ulterius elaborare, nec dubito, quin magna præstet.

Tincturam Martis vel Chalybis adstringentem, si desideras Lector, sequentem habeas.

Tinctura Martis Adstringens.

℞. *Limaturæ Chalybis puræ q. pl.*

Quæ vitro largo immissa humectetur *cum Spiritu n. Veneris superiùs paulò edocti*, iterumque exsiccetur, idque bis terve repetatur, donec *limatura in crocum* veluti conversa sit, cui in pulverem redactæ superaffunde

Eundem Spiritum n. Veneris.

Ad supereminentiam quatuor circiter digitorum transversorum, qui prævia digestione rubicundissimo imbuetur colore, *tinctus spiritus* effundendus, aliusque superaffundendus est, donec nulla rubedo in extractione amplius appareat; *tinctura omnes collectæ & filtratæ* per arenam, in alembico vitreo, abstrahantur ad crassitiem competentem, quæ porrò cum *spiritu vini* extrahenda, filtranda, & ad Oleitatem vel liquorem rubicundissimum per destillationem vel abstractionem reducenda est. Hæc *tinctura* non *aperiente* sed *adstringente facultate pollet*; igitur *in fluxu hepatico, Diarrhæa immodica, Dysenteria, menstruo ac hæmorrhoidali fluxu nimio, Hæmorrhagia immoderata magno* erit usui.

De Oleis destillatis. Olea destillata quod concernit, illa in præmissis pariter ventilata & edocta sunt, nihilominus ut etiam *Podagricis & Hypochondriacis, qui duritie lienis* laborant, auxilio sim, duo *Olea* communico, multoties à me experta *Saponis* nimirùm & *Tartari*, quæ talia:

Oleum Saponis Veneti Antipodagricum.

℞. *Saponis Veneti libram unam,*
Silicum friabilium, scil. qui ignem ferro attriti non emittunt, & cultro raspari possunt, libras duas vel tres.

Mixta & retortæ vitreæ loricatæ immissa, destillentur per gradus, igne aperto, *Oleum egressum empyreuma spirans*, in aliâ retortâ, *cineribus permixtum* rectificeturque, usui asservetur.

Præstans est *Oleum Antipodagricum*, externè membris podagricis & summè dolentibus, in initio & vigore Paroxysmi, pennâ aliquoties illitum, *sistit dolorem, & membra à tophis & contracturâ podagricâ præservat, nec parti affectæ materiam peccantem impingit, verùm illam salsedine suâ materiæ morbificæ, nimirùm acidæ, è diametro oppositâ destruit, cutim perspirabilem reddit, ut eò faciliùs membris inhærens peccans humiditas exhalare possit, nec intus detineatur, detentaque tandem & exsiccata tophos podagricos efficiat.*

Oleum Tartari Spleneticum.

℞. *Olei Tartari, ex Crystallis vel Cremore tartari unica solutione parati, stillati libram semis,*
Cui adde
Cineris sarmentorum vitis q. s. ad massam efficiendam, vel ut ad siccitatem reducatur oleum.

Et per retortam vitream in arena rectificetur, servetur *ad usus externos*, quod *regioni Lienis* in *ejusdem obstructionibus & scirrhosis affectibus* illitum sæpius, haud parum præstare, experientiâ edoctus sum: qui verò illud aliis *rebus penetrantibus, utpotè Camphorâ, Succini Oleo, &c.* permiscere voluerit, is sine dubio, quantum quidem externis medicamentis concessum, plura efficiet.

De Balsamis. *Balsama* tàm interno quàm externo usui destinata, & quæ ad eorum legitimam præparationem pertinent, alibi edocta & annotata sunt, visum est nihilominus unam alteramvè adjicere compositionem, & dexterrimam *simplicium balsamorum* præparationem, uti sequetur:

Balsamum Antapoplecticum.

℞. *Moschi Orientalis non adulterati scrupulum unum.*

Hic solvatur in *s. q. Spiritus Rosarum*, in mortariolo ad formam pulticulæ (in defectu dicti Spiritus, *aquam Rosarum vel Cinamomi, aut aliam aquam apoplecticam* substituendo,) pòst addatur particula de *Oleo Nucis Moschat. expresso*, aliàs addendo, cujus pondus sequetur paulò inferiùs, hæc benè mixta interim serventur separatim, hinc solvatur in eodem mortariolo

Ambræ gryseæ drachma semis,
cum
Ol. still. Cinamomi scrupulo uno,
Caryophyllorum scrupulo sem.
Coriandri,
Lavendulæ,
Majoranæ ana gr. xv.
Succini rectific. scrupulo uno.

Huic pulticulæ sensim & sensim adde sequent.

Ol. Nucistæ duriusculi non adulterati sed legitimè expressi drach. tres,
Zibethi orientalis, non rancidi, nec adulterati, scrupulos duos,
item
Superiorem solutum Moschum, in pultem cum Ol. Nucistæ conversum.

Misceantur optimè in mortario, & tandem super lenissimum ignem in patella ferrea parùm liquefiant, pro accuratiore unione, ne quicquam autem exhalet, illicò refrigescere permittatur balsamum, patellæ nimirùm cui inest dictum balsamum aquæ frigidæ immersâ, donec refrixerit, quod denuò spatulâ agitandum, pyxidi immittendum ac usui asservandum est.

Nota: Qui ad suavitatem odoris & fragrantiam magis, quàm ad virtutem inclinant, pro *Oleo Succini*, *Oleum Rosarum verum* substituant. *Oleum verò Liliorum Convall.* quod quidem pro hoc balsamo summoperè commendant, in perpaucis officinis pharmaceuticis prostat, & adhuc sub judice lis est, utrum hoc Oleum sine aliarum rerum additione per se legitimè destillari possit.

Pro sexu fœmineo, qui odorem *Moschi, Ambræ & Zibethi* ferre nequit, tale balsamum apoplecticum paretur.

Bals. Antapoplecticum pro sexu fœmineo.

℞. *Ol. Nuc. Mosch. legit. expressi drachmas tres semis,*
Still. Cinamomi,
Coriandri,
Lavendulæ,
Majoranæ,
Rorismarini,
Salviæ,
Succini ana scrupulum sem.
Camphoræ scrupulum unum sem.
Bals. Ind. de Peru scrup. duos.

Misceantur omnia exactè s. a. sine igne, fiat balsamum pro usu asservandum.

Balsamum Matricale seu Hystericum.

℞. *Ol. Nuc. Mosch. legit. expressi drachmas duas,*
Axung. Castorei recentis non rancidæ scrup. unum,
Camphoræ drachmam semis,
Ol. Still. Galbani,
Lavendulæ,
Macis,
Majoranæ,
Menthæ,
Succini ana scrupul. semis.

Misceantur sine igne, ultimò tamen parumper liquefiant, & illicò refrigerari permittantur. Servetur balsamum.

Balsamum Loimicum seu Antipestilentiale.

℞. *Olei Nucistæ legitimè expressi q. s.*

Coquatur in patella ferrea cum *Decocti herbæ Rutæ recentis s. q.* donec *oleum* proprium odorem ferè amiserit, majore autem duritie contractâ, pro largiore impressione *Oleorum destillatorum* (nam quò duriùs solidiusque *Oleum Nucis expressum* est, tanquam legitimum balsamorum corpus, eò plus de *Oleis destillatis* illi imprimi potest, consequenter nobiliora & efficaciora evadunt balsama, cùm tota balsamorum virtus & efficacia ab *Oleis destillatis* dependeat,) siccetur *illud coctum Oleum* in calore leni, vel in Sole, pro majore detractione proprii odoris. Jam accipe

Hujus parati Olei drachmas tres,
cui commisceantur
Camphoræ scrupulus unus,
Ol. Still. Angelicæ,
Juniperi,
Rutæ,
Succini,
Zedoariæ ana scrup. semis.

Misceantur exactè in Balsamum antiloimicum lenissimo in calore.

Balsama simplicia utpotè Caryophyllorum, Citri, Majoranæ & similia, ut dextrè & legitimè conficiantur, observetur sequens modus:

Balsamum Rutæ.

℞. *Ol. Nucistæ legitimè expressi & duriusculi q. pl.*

Nam si illud molle & unctuosum, certissimum & infallibile signum est, *illud vel butyro*

vel oleo quodam adulteratum & permixtum esse, quod huic labori planè inutile, sed raró rarissimè à Mercatoribus legitimum & non adulteratum acquiritur, nisi in Pharmacopoliis studiò exprimatur. Hoc *Oleum expressum* coquatur cum *s. q. Decocti herbæ Rutæ recentis*, (si *balsamum Rutæ*, vel *decocto Caryophyllorum*, si *Balsamum eorum*, sicque de aliis dicendum, conficere volueris,) donec tota ejus fragrantia & *Oleum subtile spirituosum* exhalârit, quod siccetur in Sole, vel alio leni calore ne liquefiat: Huic tandem Oleo nativo odore, sapore & virtute privato, friabili ad instar pulveris, immisceatur

Ol. still. Rutæ quantum satis.

Pro legitima & debita balsami consistentia, addendo ultimò pro colore viridi nativo imprimendo

Magist. ejusdem herbæ viridis, p. 449. Animadversionum edocti. q. s.

Fiat balsamum nobile, nativis suis virtutibus uberrimè præditum. Atque hoc modo omnia balsama simplicia debitè & dextrè confecta prostabunt.

Nota: Non immeritò præcipio *Oleum Nuc. Mosch.* cum *decoctis* potiùs, quàm cum *Aquis destillatis herbarum* decoquendum esse, eò quòd *aquæ jam dum semel destillatæ*, in coctura penitùs exhalent, nihil residui de virtutibus suis relinquentes, *decocta verò herbarum* vel aliorum vegetabilium, licet eorundem partes spirituosiores, si sulphureæ sint naturæ in vaporem resolutæ decoquendo æthera petant, nihilominus crassiores & magis terrestriores partes (minimè contemnendæ in quibusdam, præsertim si intra corpus *Balsama* sumenda sunt,) unà cum *Oleo dicto Nucistæ* permanent, & *Balsama* in virtutibus intendunt; nam omnia *Balsama* ad eandem normam parata, tàm interno quàm externo usui destinari possunt.

Et hæc quoque de *Balsamis simplicibus & Compositis* realiter dicta sufficiant, studiosè à quolibet Pharmacopœio observanda, ne imposterùm fœtida & putida *Balsama*, prout in plurimis Pharmacopoliis deprehenduntur, sed præstantiora & artificiosiora conficiat, quibus & Medico & Ægro satisfaciet, sibique honorem & laudem conciliabit: Etenim eò nunc res devenit, ut vel quilibet Agyrta & Circumforaneus, similia putida, rancida, & effœta *Balsama* conficere nôrit, in summum dedecus & detrimentum Pharmacopœorum & ægrotorum.

Devenio ad *Feculas*, inutile & effœtum medicamenti genus, de quibus meam sententiam veris rationibus firmatam jam pridem præmisi: An enim quispiam, qui mente sibi præsens, crediderit, *Radicem aliquam succo suo per expressionem orbatam & siccam*, efficaciorem fore *radice integrâ sua virtute adhuc gaudente, succoque suo in se per exsiccationem concreto?* Fecula ergò nihil aliud est, *quàm subtilior, non virtutis sed corporis seu radicis saltem pars*, quæ dum per sacculum linteum *contusa & raspata radix* exprimitur, unà *cum succo* transfluit, posteà verò *succo suo* per effusionem & decantationem privatur & totaliter orbatur; iisdem autem & non minoribus *relicta ab expressione radix* virtutibus gaudet, quæ tamen abjicitur, tanquam *succo suo orbata*, & *consequenter viribus jam exhausta radix* esset. Vegetabilium *Magisteria*, præsertim herbarum & Plantarum (quæ ipsa ego non magni æstimo, & accidentaliter saltem ea descripsi fol. 449. *Animadversionum*) majoris efficaciæ in natutura sua fore existimo, quàm sint *Feculæ* hæ tantoperè decantatæ, siquidem tota veluti herbarum substantia excocta aut extracta, per contrarietatem salium (*salis* nimirùm *Tartari & Aluminis*, quorum prius *salsum*, alterum *acidum* sui generis *sal* est, denuò præcipitatur, ac consequenter quasdam virtutes proprias præcipitatum in se reconditas habebit, quod porrò intra corpus humanum sumptum, tanquam vegetabile, licet præcipitatum à calore nostro, facilè subigi, & in actum denuò deduci potest, cùm neutiquam corrosivis aquis combustum sit: Enimverò quæ fit per *salia salsa* vel *per aquam salsam* extractio vegetabilium, & itidem per *salia acida resoluta* eorundem præcipitatio, non æquè destructoria est, quàm quæ per *corrosivas aquas & spiritus*, quarundam rerum fit solutio, utpotè *Corallorum, Perlarum, Ocul. Cancrorum, &c.* & itidem per corrosiva eorundem præcipitatio, quibus nimirùm *aquis corrosivis & spi-*

Feculæ radicum nugæ sunt.

Feculis Magisteria vegetabilium paulò plus præstant.

Vegetabilia præcipitata per salina non destruuntur æquè ac præcipitata in aquis corrosivis soluta.

& spiritibus, subjecta prædicta comburuntur, quæ uti *metalla* in pristinam formam vi ignis fusorii haud reducibilia sunt, sed *uti Corallia, Perlæ*, *&c.* quæ Vulcani torturam sustinere nequeunt, destructibilia.

Hæc Plantarum aut vegetabilium *Magisteria*, de quibus nobis ex accidente jam sermo fuit, ansam & materiam præbent nonnulla *de Lapide Bezoar* differendi, cum ejusdem *Lapidis Bezoar orientalis & adulterini puto*, eadem *Plantarum Magisteria* materiam esse ex quâ fraudulenter conficiatur, omninò mihi persuadeam, cùm non semel à fide dignis & veritate cupidis Viris eadem mihi relata sint: Etenim, si quispiam vanâ persuasione non obcæcatus, saniore judicio computum instituere non aggravabitur, non difficulter in numeros poterit redigere, *quot milleni dictorum Lapidum*, uno anno saltem, in Germaniâ, Italiâ, Galliâ, Hispaniâ, Indiis, & plurimis aliis vastissimis Regnis ac Regionibus, quarum Incolis & populis ad rusticos usque Lapis dictus nunc in usu est, medicamenti vice absumantur, *quotque millia eorum millium*, ut non dicam *centenarii aut saltem libræ* penes infinitos Mercatores, Indiarum & Europearum Regionum venales, adhuc quotidiè prostent & asserventur: Contrà verò si considerabit *animal istud*, *ex quo Lapides depromuntur*, *esse sylvestre ad instar capræ*, *nec nisi venatu acquirendum*, in insula quadam Indiarum orientalium, imò non nisi occisum sive mactatum *suos Lapides* (tamque raros, ut potiùs Regiæ Cameræ abscribantur, quàm ut promiscuè vulgò in rapinam concedantur,) suppeditare, procul dubio is imposturam vel ex ipsa rei impossibilitate benè pensitata illicò animadvertet, siquidem nec mihi persuadere possum, etiamsi cuncta Indiarum Regna *hisce animalium* (quorum Regnorum & animalium tamen, si navigationibus Indiarum, illisque qui Indias orientales perlustrarunt habenda fides, numero pauca sunt,) plena essent, *tot lapides* ab iis depromi posse. Exemplo nobis sint Damæ vel rupicapræ sylvestres nostræ Alpinæ, vulgò Gemsen / quot quæso Regiones saltem in Germania sunt, quæ similia animalia producant? eorum quædam venatorum industriâ capta, vel sclopetorum globis jaculatoriis occisa, *pilas* etiam in se reconditas habent, (vulgò Gembskugeln,) puerperis difficulter parturientibus summum refugium: ast quam *raræ & caræ sunt hæ pilæ*? adeò ut nisi pretio & precibus, difficulter tamen, una quandoque *earundem pilarum* sit indipiscenda, & ipsarum vel paucissimæ, ob usum earum à Medicis & à vulgo obstrusum adhuc & absconditum, in Medicina consumantur. His rationibus ductus persevero in meâ præconceptâ opinione, *Lapidem nimirum Bezoar orientalem* pro majore parte esse adulterinum, factitium, ab Hebræis fortè Lusitanis singulari arte & industriâ, ex similibus supradictis *Plantarum Magisteriis*, corticetenùs & per juxta appositionem conflatum, atque perpoliendo suo orientali lustro vel colore ornatum, & quòd verus Lapis Bezoar vix, nisi Magnatibus Indiæ, Persiæ, & Regibus nostris, quibus ab Indis dono mittuntur, in promptu sit. Ex *quibus Plantis* autem *hoc Magisterium pro efformando Lapide*, conficiant, studio nobis sciscitandum foret: Si ex *Plantis alexipharmacis*, utpotè, *Scordio*, *Rutâ*, & similibus præparationem eorum molirentur, non irem inficias, quin multa etiam in medicina, sudorem commovendo & pellendo Venena *hoc ipso factitio Lapide* præstari posset. Sed hæc obiter *de Lapide Bezoar orientali* sic dicta sufficiant, quæ non tàm persuadendi, quàm investigandi & veritatem inveniendi gratia huic Appendici adjecta volui.

Structura Lapidis Bezoar orientalis.

Verus Lapis Bezoar ipsâ raritate rarior.

Nunc ordine servato sese offerunt *Magisteria vulgaria & officinalia* quorum censuram tamen in eorundem *Animadversionibus* præmisi, verâ interim *Magisteriorum*, *scilicet Coralliorum*, *Perlarum*, *& reliquorum Lapidum pretiosorum*, præparatione hucusque mihi reservatâ, *ob menstruum secretum*, quod ænigmaticè saltem in præcedentibus adumbravi: verùm cùm nunc in hâc Appendice plurima præstantissima & Regia medicamenta Reipublicæ Christianæ communicârim, hac in parte etiam desistere nolui: Itaque sine ulteriore examine *vulgarium Magisteriorum*, quæ firmis & invictis rationibus experientiâ

comprobatis, jam tum totaliter tanquam *inutiles & mortuas calces* rejeci, ad veram & realem eorundem præparationem celeri pede transeo, quæ talis:

Magisteriorum solubil. vera præparatio.

℞. *Coralliorum, Margaritarum, vel quodcunque simile subject. volueris, q.pl.*

Cui sive integro sive contuso, & cucurbitæ vitreæ immisso superfunde

Spiritûs vel Menstrui n. superiùs edocti ex floribus aris q. s. ad supereminentiam trium vel quatuor digitorum transversorum.

Digerantur in loco tepido non calido, die unâ atque alterâ, & solvetur haud exigua portio rei immissæ, imò plus quàm *alii spiritus etiam acidissimi & corrosivi* aliàs solvere solent, & si paulò diutiùs in calore etiam leni relinquantur, convertitur *spiritus hic* unà cum *Corallis vel Perlis solutis*, (quarum Perlarum interiorem substantiam & pulpam solvit, relictis putaminibus sive corticibus perlarum integris, ast vacuis, solutioni innatantibus, ac si integræ adhuc forent Perlæ,) in *butyrum seu coagulum album*; hoc si eveniret, nec effundi posset solutio, apponatur statim cucurbitæ cui coagulum hoc, unà licet cum indissolutis *Perlis aut Corallis* inest, capitellum, ac per M.B. abstrahatur *spiritus affusus* ad totalem siccitatem rei solutæ, transibit is eadem ferè aciditate & quantitate quâ affusus est, relictâ in Alembico *materiâ albissimâ*, quæ dein *affusâ aquâ simpl. destillata, vel rore majali itidem destillato* solvatur, solutum filtretur, & denuò per M. B. ad siccitatem abstrahatur: Hæc Magisterii dissolutio cum aquâ simplici vel rore majali destillato, ejusdemque abstractio, toties repetatur, donec nulla aciditas vel sapor à spiritu menstruo solvente percipiatur, cùm *illud menstruum scil. solvens* totaliter à *re soluta* abstrahi possit, planè alio modo ac reliqui spiritus acidi & corrosivi, qui solvendo & agendo, reactione solvendorum patiuntur & destruuntur, imò totaliter in aliud esse convertuntur, nullâ arte à simili re solutâ separabiles, eique insuper haud parùm nocivi; *Spiritus autem sive Menstruum prædictum* præterquam quod totaliter à re solutâ abstrahi possit, innocuum illud planè est, & per se laudabile Medicamentum antepilepticum & stomachicum, adeò, ut abstractio ejusdem ad ultimam veluti guttulam à rebus illo solutis per repetitas affusiones aquæ simpl. solutiones, filtrationes & abstractiones tantoperè necessaria non sit, si à curioso non expetatur. *Remanentia à prima solutione*, si quid residui nimirùm & indissolutum *à Perlis vel Corallis aut alia re solvendâ* remanserit, denuò *priore abstracto spiritu superfuso*, totaliter solvatur, solutum filtretur, abstrahaturque, ac reaffusione aquæ simpl. ejusdemque abstractione edulcoretur: Spiritus autem solvens porrò servandus, aliisque similibus solutionibus accommodandus est. Atque hic est dexterrimus *Magisteriorum solubilium* parandi modus, quorum *Magist. drachma una* plus efficere potis est, quàm *uncia vel plus vulgarium penitus inutilium & insalubrium præcipitatorum Magisteriorum*, cùm hæc intra corpus sumpta, tanquam mortuæ calces, *ventriculum saltem & intestina albugine obducant, graventque diu indissoluta illis adhærendo, aut si è ventriculo elabantur, mesaraica vasa obstruendo, concoctionem impediendo*, morbos *tandem gravissimos inducere apta nata sint*. Hæc uti verissima sunt, ita memorabile exemplum ob oculos benevolo Lectori pono. Incidi nimirùm duobus circiter annis abhinc, in virum prænobilem & doctum, magno officio in Aulâ Cæsareâ fungentem, is auxilio medico ex me requisito, conquerebatur de gravedine pectoris & stomachi, nauseâ, ac in appetentiâ ciborum, cum febre lentâ, continuâ, quamvis aliàs optimâ victûs ratione, medicamentis item confortantibus, &, quem proferebat tandem, pulvere cordiali & cephalico uteretur. Hunc utut naturâ debilem, magisque autem à morbo debilitatum deprehenderem, nihilominus necessarium duxi, universale remedium curæ præmittere, eò quòd in ipso ventriculo, ejusque ore superiore crudam materiam hærere, sumpto indicio à nauseâ, suspicarer; quæsivi proin ex Nob. Pat. utrum lene Vomitorium (cùm quidam vanâ Medicorum quorundam persuasione vomitoria maximoperè obhorreant,) quod bis, tervè ad summum per superiora & toties per inferiora operaretur, non recusaret? annuit,

Historia nocumenti à Magisterio vulgari.

annuit, adjunctâ tamen seriâ protestatione, ne plures quàm tres vomitus causaret. Postero die exhibitâ medicinâ horis matutinis ad optatum illa successit, bis enim per superiora, terve per inferiora suas absolvit blandas operationes: à meridie cùm Nobilem Patientem inviserem, benè habentem, magnum se levamen circa præcordia persentire referebat: Conjux ejus nobilis adstans, detectâ pelvi argentea monstrabat, quæ per superiora sat copiosè prodierant excreta, ferè ad duas libras viscidi & crassi humoris, cujus imum ad digiti crassitiem pulvis, ad instar cinerum albicantium, pro sedimento erat; quæsivi joco, utrum fortè cineres cibis aut ferculis pro condimento admiscerentur. Excrementa infernè excreta dum deindè cupidus perlustro, ea ipsa etiam non aliter ac si copiosè cineribus essent permixta apparebant. Nobilis Dominus Patiens, cùm omnes admiratione teneremur, undè copia hæc pulveris, excrementis, tùm vomitu rejectis, tùm infernè excretis admixta proveniret, his verbis prorupit: Cineres quidem commedere insolitus sum, pulverem verò preciosum ejusdem ferè coloris mihi ordinatum in proximis Comitiis Ratisbon. singulis quasi diebus assumpsi, atque statim illum in scatula cum recepta monstrabat: erat autem pulvis hic pretiosus confectus, *ex Magisterijs Perlarum & Coralliorum*, *Cornu Cervi usto præparato*, *& Pulvere Epileptico Marchionis*, ita manifestè à juvantibus, tanquam medicinâ exhibitâ, & nocentibus, utpotè pulvere prædicto pretioso, & morbus ejusque Symptomata, & causa morbi nobis omnibus in conspectum veniebant, non levi indignatione Patientis, quòd haud exiguo pretio & sumptu sæpius in dictum pulverem facto, ferè mortem sibi adscivisset. Quibus præmissis firmiter demonstrantur, quæ *de Magisterijs vulgaribus* non solùm, verùm etiam *de Lapidibus & Gemmis pretiosis præparatis* in *Animadversionibus*, verè ratione & experientiâ ductus, præmisi, quæ tamen si quispiam spernere velit, per me licet, sufficit me fideliter plurima notatu digna communicâsse & vera scripsisse. Reliquorum *Magisteriorum* præparationes accuratè traditæ sunt in præmissis, quò benignum Lectorem remitto, & ad *salia* celeri cursu transeo.

Historia nocumenti à Magisterijs vulgaris.

Vera de Salibus doctrina.

Præstat autem de *Salibus* generalem doctrinam subnectere, cùm non Galenici solùm, verùm & non vulgares Chymici, qui apicem Chymiæ se digito tetigisse arbitrati sunt, maximoperè in eorundem descriptionibus hallucinati sint, & promiscuè *omnis generis solutiones*, *Vitriola*, *Tartaros*, *&c.* quæ propriè *Salia* non sunt, *salibus* tamen adscripserint. Sciendum igitur in universum, *Salia* duplicis tantùm esse generis, *Salia nimirùm volatilia*, *& Salia fixa*. *Salia* porrò *volatilia* iterum duplicia, *Salia volatilia purè salsa*, & *Salia volatilia acido-salsa*: Itidem *fixa Salia* duplicia, *Salia purè salsa* nimirùm, & *Salia acido-salsa*. De *Salium horum* differentiis paulò pòst plura, *Salia illegitima* prius ventilaturus, inter quæ primum occupant locum *Salia essentialia*, *ex succis vegetabilium vel herbarum parari solita*, quippe quæ propriè *Salia* non sunt, sed *Tartarus*, licet ea multum *salis*, priùs tamen calcinata, suppeditent, non secus ac *Tartarus vini*, qui etiam inter *Salia* propriè sic dicta numerari nequit, quamvis pro majore sui parte, prius calcinatus, in *sal* convertatur, ante calcinationem autem *corpus sit ex variis rebus heterogeneis conflatum*, utpotè *Oleo fœtido*, *Spiritu aquoso empyreuma redolente*, *terrâ mortuâ*, *& sale fixo*, quæ omnia verâ analysi in conspectum producuntur, operâ Vulcani: Eodem modo *Sal quoddam essentiale* ex magna copia succi cujusdam vegetabilis, ut *Tartarus ex vino* parari consuevit, qui *succus Tartarum* suum, uti *vinum* succus nempè magni illius vegetabilis ad fundum & latera doliorum deponit, ad instar crystallorum, præsertim coctione vel destillatione prius pro majore parte abstractus planè similem in modum uti ex remanentiis crassis nigris *aceti*, à destillatione ejusdem relictis, aquæ affusione, coctione & filtratione crystalli tandem colliguntur, quas Chymici *Sal Aceti* nuncupant, verè tamen *Tartarus Vini vel Aceti*, & non *sal* sunt: Ita etiam *crystalli hæ ex succis quibuscunque vegetabilium* paratæ, quas *salis essentialis* nomine hucusque dignati sunt, *Tartarus* propriè est ejusdem vege-

Distinctio Salium.

Salia essentialia vulgò dicta sunt Tartarus.

vegetabilis, ex iisdem rebus heterogeneis, utpotè *Oleo fœtido*, *spiritu aquoso*, *terrâ mortuâ*, *& sale fixo*, uti *Tartarus vini* conflatus, qui vires autem ejusdem plantæ non exactè refert, prout nec *Tartarus vini*, *vini* virtutes collectas & concentratas integrè repræsentat.

Sal Coralliorum examinatur.

In numero porrò Salium illegitimorum sunt *Sal Coralliorum*, *Perlarum*, *Ocul. Cancrorum*, *&c.* quæ dissolvendo prædicta *cum spiritibus corrosivis*, *aceto item destillato*, parantur, uti suo loco edoctum; & quamvis ex *Coralliis cum sulphure aliquoties calcinatis*, sicut in prægressa Mantissa *Sal Coralliorum* Authores parandum præcepêre, *Sal* veluti extrahi possit, illud ipsum tamen *vera solutio* est *corporis totius Coralliorum*, non *Sal*; nam quodcunque etiam *metallum* cum *sulphure* calcinatur, deflagrante nimirùm sulphure ab eo aliquoties, solvitur, & in *Vitriolum* convertitur illud pro parte sui magis vel minus, prout *metallum* solutu facile vel difficile est, *à fumo sulphuris ardentis*, *qui* nihil aliud, quàm *verus & legitimus spiritus Sulphuris* est, in campana si excipiatur coagulabilis, seu in liquorem resolubilis; Sic *Corallia*, tanquam solutu facillima à quovis *acido spiritu*, aut ab hoc *sulphuris ardentis fumo* solvuntur, & in *soluta Corallia*, si *aquâ affusâ* veluti elixiviantur, convertuntur, secus contingit, quando *Corallia aut Margaritæ vel Oculi Cancrorum* Vulcani violentiâ simpliciter calcinantur absque *sulphure*; tunc enim in similia *salia vel solutiones* converti haud possunt, sed potiùs calcinatione violentâ totaliter destruuntur, & ad instar *Calcis vivæ & terræ mortuæ* se habent, nullâ arte nec *aquâ simplici* amplius solubilia: Itaque cùm *Salia* impropriè sic dicta *Coralliorum*, *Perlarum*, *&c.* solâ & verâ dissolutione totius corporis vel substantiæ necessariò confici debeant cum *spiritibus acidis corrosivis*, & neque ex *Coralliis vel Perlis calcinatis simpliciter*, *aquâ affusâ Sal* elui aut solvi possit, idcircò *solutiones* sint & maneant, quæ neque inter *Salia fixa*, neque *volatilia* connumerari, nevè *Salia propriè* dici possint. Utrum autem *Sal quoddam* in intimis harum rerum visceribus, (scil. Perlarum, Coralliorum, &c.) lateat, magna & Philosophico-Chymica quæstio est, quæ si in utramque partem ventilanda esset, non unâ paginâ foret opus, haud brevibus coërcenda, idcircò pro nunc saltem assero, sicuti *ex saxis*, item *metallis* difficillimè *Salia* confici possunt, ast cuncta facilè dissolvi, & quædam in *vitriola*, utpotè *metalla*, converti, itaque neque ex *Coralliis*, *Matre Perlarum*, *quæ saxa marina sunt sui generis*, *& Oculis Cancrorum*, *itidem suæ speciei lapillis*, *salia* sic propriè dicta & intellecta, paratu facilia aut possibilia erunt.

An detur verum Sal Coralliorum & Perlarum?

Saccharum Saturni an verum Sal sit.

Hæc præmissa ut nonnihil lucidiora fiant, *Sal* sive *Saccharum Saturni* ventilandum aggredior, ubi statim quæritur, nùm & *illud verum Sal sit Saturni vel plumbi*, cùm Author ejus in Mantissa Hermetica, *ex cineribus plumbi aperto igne sine alio adjecto combusti præparatis*, (uti loquitur,) *cum aceto destillato sal extrahere*, *& septies aquâ pluviali solvendo*, *filtrando*, *& lenissimè in balneo evaporando edulcorare* præcipiat. Tria in brevi hoc processu incudi rectæ rationis & judicii admovere necessum est; Primùm, utrùm *Metallum* quoddam verè calcinari, & in cineres veros redigi possit, è quibus *Sal* extrahendum: Secundum, nùm extractio *ejusdem Sacchari vel salis Saturni*, sit vera extractio, an tantùm solutio: è quibus palam fiet, an *Saccharum vel Sal plumbi* propriè & verè *sal* sit, an verò *Vitriolum* seu *solutum metallum*: Tertium, utrum hoc sive quodcunque aliud *Sal* aut etiam *solutio*, iteratis solutionibus, filtrationibus & evaporationibus edulcorari possit? Primum quod spectat calcinationem metallorum, nùm illa verè *in cineres* calcinari, & *sal verum* ex illis elici possit; hoc ut clarum fiat, sciendum, Metallorum quoddam esse fixissimum, utpotè *Aurum*, quoddam fixum, nimirùm *Argentum*, item *Æs sive Cuprum & Ferrum*, *Auro* tamen in fixitate cedentia, ex parte impura & terrestriora uti *æs* & *ferrum*: Quædam his volatiliora, utpotè *Stannum* & omnium maximè *Plumbum*. Fixissimum itaque Metallum *Aurum*, utut diu multumque calcinetur, idem metallum remanet sive *Aurum constans*, Vulcani activitatem & violentiam planè respuens, & si quidquam fortè, forti & diuturnâ nimis calcinatione

Utrum Metalla calcinata sal dent.

de eo perderetur, nullas tamen *scorias* quæ sciam, multò minùs *cineres* post se relinquit, è quibus *sal* extrahendum in facili foret. Fixa non tamen fixissima Metalla, in quorum seriem primariò *Argentum*, *Cuprum* etiam & *Ferrum* collocavi, illa strenuâ aut diuturnâ ignis violentiâ calcinata, vel penitùs cum totâ sua substantiâ avolant, vel ex parte, utpotè quæ magis impura & terrestriora sunt corpora *Ferrum & Cuprum*, in *scorias* convertuntur aut in *Crocos*, neutiquam in *Cineres*, è quibus *verum sal* eliciendum. His volatiliora *Stannum* & *Plumbum* forti calcinatione vel reverberatione ferè totaliter avolant, pauculis *scoriis* relictis, leni verò calcinatione, prout figuli solent, in *pulverem & quasi cineres* convertuntur, continuâ tamen agitatione & commotione rudiculâ ferreâ supra ignem lenem, *qui pulvis* autem violentiori igni traditus, in suam pristinam formam metallicam, *plumbum* scilicet, redit. Ex quibus patet, *pulverem hunc plumbi* non esse *cineres veros*, sed *metallum sive plumbum radicalis suæ humiditatis particulâ privatum*, cujus particulæ humiditatis metallicæ privatio causa est, ut *tantillum metalli*, si *pulvis hic metallicus* igni fusorio denuò tradatur, in *scorias* convertatur, non verò in *cineres*, reliquum autem pro majore parte sui in *pristinum metallum* abeat: his ita se habentibus verè liquet, quod *metalla*, quæcunque etiam illa sint, in *cineres veros* neutiquam converti possint, sed tantùm in *scorias* vel *Crocos*, qui *Croci* tamen nil nisi *scoriæ* sunt, in minutissimos atomos conversæ, & veluti in terram mortuam insipidam, è quibus *Sal aquâ affusâ* elici nequeat; & si quid etiam *aquis fortibus*, *acidisque spiritibus aliis*, *scoriis dictis vel Crocis superfusis* solvatur, idipsum tamen *Salis veri* naturam non sapit, sed *soluti metalli*, *Vitrioli* nempè, in *scoriis* adhuc relicti: *Vitriola* autem cujuscunque metalli non sunt *vera Salia metallorum*, sed *metalla ipsa soluta cum totâ substantiâ*, quæque denuò in pristina metalla converti possunt vi ignis: Enimverò si quis vel *Auri* vel *Argenti* unciam unam in *Aquis Regiis vel fortibus* totaliter solverit, *illa*, abstractâ aquâ forti nonnihil, in *vitriola* totaliter convertuntur, & denuò violentiori igni commissa, in *pristina metalla* eodem numero vel pondere, eademque substantiâ redeunt: Ita etiam *Saccharum sive sal Saturni*, uti appellant: quod sive ex *plumbo ipso*, sive ex *scoriis ejusdem*, *Lithargyro*, *Cerussâ*, *Minio*, (quæ non ineptè *Croci plumbi* appellari possent,) beneficio aceti extractum, vel potiùs solutum sit, facillimè paulò violentiori igni traditum, in *plumbum verum* abit & redigitur. Vana proin jactantia quorundam Chymicorum est, qui metalla in sua tria principia realia, *Sal, Sulphur & Mercurium* verè solvere, eaque omnia separata & distinctè corporaliter commonstrare satagunt; quæ dulcia verba & aurea promissa me olim, multosque alios inescârunt & allexêre, haud minimo cum damno, ast vexatio dat intellectum. Adeoque his suffultus rationibus & experientiâ denuò assero, *Metalla* quæcunque illa sint, calcinari quidem posse, non verò *in cineres* converti, è quibus *Sal verum* extrahi queat, sed *quædam illorum* in *scorias* abeunt calcinata, quæ *scoriæ* autem *particulam metalli* adhuc absconditam habent, quæ beneficio cujusdam *acidi spiritus* solvi, in *vitriolum* converti, ac denuò in pristinam suam formam metallicam reduci potest.

Vitriola non sunt Salia.

Hinc porrò secunda quæstio nonnihil ventilanda se sistit, utrum nimirùm *Sacchari Saturni* extractio sit vera extractio, an verò solutio; pro cujus meliore informatione observanda sunt, quæ paulò superiùs de Tincturis attuli, quòd nimirùm aliud sit *subjectum vel corpus aliquod solvere*, *aliud Essentiam vel Tincturam ex eo elicere vel extrahere: Saccharum itaque Saturni* habito respectu ad *calcem plumbi*, *Lithargyrum*, *Cerussam*, *Minium*, quæ *aceto destillato* totaliter solvi nequeunt, sed major pars eorundem in residuo manet, posset dici extractum latè sumptum, interim tamen *verum solutum est metallum & plumbum*, quodque levi operâ in *pristinum metallum & plumbum* reduci potest, quippe ex hoc perindè illud convincitur, quòd *aquâ simplici non corrosivâ* ex prædictis rebus, utpotè *Lithargyro*, *Minio*, *Cerussâ*, *vel plumbo calcinato*, *Saccharum vel sal illud* haudquaquam extrahi possit, sed *spiritu acido* opus sit, à quo

An Saccharum Saturni sit sal plumbi extractum, an plumbum solutum.

metallum, in *scoriis dictis* residuum, verè solvi, & *vitriolum plumbi* converti valeat, quòd *Vitriolum* tamen sit *verum plumbum solutum*, patet, quia in pristinum esse sive *plumbum* reducibile. Sit itaque *Saccharum Saturni* verum *Vitriolum plumbi*, imò *ipsum plumbum solutum*; non verò *sal ex cineribus suis extractum*, quia ex ipso *crudo plumbo nec quicquam calcinato*, eâdem operâ, idem *Saccharum Saturni* vel potiùs *vitriolum*, *eodem aceto destillato* solvi & confici potest, quod ex *plumbo calcinato* vel ejusdem *scoriis*. Superest tertium quæsitum, utrum *hoc Saccharum*, vel potiùs *Vitriolum plumbi* edulcorari possit, repetitis solutionibus *aquâ simplici*, filtrationibus & coagulationibus, prout in processu hujus *Sacchari Saturni* studiosè præceptum est. Eam ipsam quæstionem ventilavi in præmissis *Animadversionibus*, ubi de *Croco Martis*, & *solutionibus Coralliorum* egi, & mirabar sæpissimè, quòd Chymicorum plurimi, qui apicem Chymiæ tanquam Antesignani digito sese attigisse arbitrati sunt, hanc ineptam edulcorationem tàm studiosè sæpiùs præceperint, ignari, quòd si *tale vitriolum* (vel etiam solutio) foret edulcorandum, necessario *à suis acidis spiritibus* deberet separari, ast *spiritibus acidis* separatis, quid in residuo manebit nisi *pristinum metallum*? in forma pulveris aquis dulcibus vel non corrosivis indissolubile, vi ignis autem in pristinam formam reducibile? itaque repetitis his solutionibus, filtrationibus & coagulationibus *Vitriola & solutiones* puriora nonnihil quidem redduntur, & à suis mixtis impuritatibus separantur, non verò edulcorantur, vel centies licet hic labor repeteretur.

Sal Vitrioli emeticum Salæ.

Et hæc de *Saccharo Saturni* dicta sufficiant, nonnulla dissertурus de *Sale Vitrioli Vomitivo Angeli Salæ*, quod perindè impropriè *salis* nomine insignitur: Etenim *Vitriolum caeruleum* (quod me judice nihil aliud est quàm *cuprum* quandoque etiam ex *Vena argentea* ortum ducens, in visceribus terræ *à spiritu sulphuris* solutum, quemadmodum *viride Vitriolum à venis ferri* est, eodem *spiritu sulphuris* in terræ antris dissolutum) è *cupreis venis exortum*, majori quidem vi emeticâ & adstringente pollet, quàm *viride Vitriolum*, quod potiùs facultate resolutivâ gaudet, nihilominus si idipsum *caeruleum Vitriolum* ad omnimodam spirituum acidorum expulsionem, sive destillando illud pro spiritu, sive saltem reverberando trium vel quatuor dierum spatio in igne illud detineretur fortissimo, nullo modo *sal* ex eo elici posset, quod vi emeticâ præditum esset, siquidem *tale vitriolum ita exactè reverberatum*, & *aquâ simplici* illicò superfusum, nec quidquam *salis* suppeditat, aut ex eo elici potest, quòd *Salis* aut *Vitrioli* sapiat indolem, nisi prius aliquandiu astris illud expositum & ab iis impraegnatum fuerit, tunc *sal* quidem ex eo elici potest, à *vitrioli* autem naturâ totaliter alienum, ad instar *Nitri*, quippe quod neque *Vitrioli* saporem, neque vim emeticam ullam habebit, de *quo sale* cujus naturæ sit, & quid de eo sentiam, plura egi in *Animadversionibus super Colcotharis indulcati praeparationem pag.* 411. Item super *Empl. Oppodeldoch pag.* 387. Quòd si verò *vitriolum hoc caeruleum* vel aliud quodcunque leniter saltem calcinaveris, uti Author præcipit, donec nimirum in pulverem bruneum seu obscurè purpureum illud convertatur, quæ calcinatio unius vel duarum horarum spatio absolvi potest, tùm quidem *aquâ simplici* affusâ, *sal quoad apparentiam* saltem elicietur, reverà tam adhuc *vitriolum* est, quod ex sapore ac cunctis ejus accidentibus & proprietatibus cognosci potest, hinc meritò illud non *sal vitrioli*, sed *vitriolum vomitivum* nuncupandum, quippe quod communiter in officinis pharmaceuticis ex *vitriolo jam dum albo*, (quod de natura lunari est,) parari consuevit, nullâ prægressâ calcinatione, sed repetitis solutionibus, filtrationibus & coagulationibus, diciturque *vitriolum album vomitivum*, non *sal Vitrioli*. Ex quibus denuò patet, quòd sicuti *metalla*, ita etiam *vitriola*, quæ reverà nihil aliud sunt, quàm *soluta metalla*, calcinari nequeant, ut verè *sal* ex iis eliciendum, sed vel in *pristina metalla*, vel in *scorias* abeant, quæ *scoriæ* quandoque particulam humiditatis vel substantiæ metallicæ retinent, è quibus denuò *aquis fortibus vel spiritibus acidis Vitriolum*, non *sal propriè* solutione elici potest, in parvâ

Vitriola communia sunt soluta metalla in visceribus terræ.

licet

licet quantitate: pro particulâ metallicæ humiditatis in *scoriis* residua.

Absolutis *salibus* impropriè dictis, discussisque erroribus qui à multis seculis fixas egerunt radices haud in minimum initiantium Medicorum & Chymicorum detrimentum & damnum, ad *Salia vera propriè sic dicta*, undè digressus sum, reditum paro: Dixi autem superiùs *Salia vera & legitima* duplicis tantùm esse generis, *volatilia & fixa*, & ea ipsa vel *purè salsa*, id est, *salsa salsa*, vel *acido-salsa*: *Volatilia salia*, & quidem *purè salsa* utplurimùm ex *Animalibus* depromuntur; nam quæcunque *Animalia*, vel eorundem *partes* destillationi committuntur, *salia* præbent *volatilia salsa urinosa*, quorum præparationem veram & legitimam vide in *Animadversionibus* super Append. Class. XIV. juxta quem modum ex *cunctis animalibus salia volatilia* elicienda sunt, ast çaveat sibi, qui *ex verè venenatis animalibus*, *vivis præsertim destillationi commissis*, similia *salia* conficere satagit, ne sibi, aliisque mortem inopinatè & inscius adsciscat, solo odore eorum percepto, cùm summè penetrabilia sint. Ex *urina animalium*, *præcipuè hominis*, sive Vinum, sive Cerevisiam, aut limpidam bibat aquam, haud exigua quantitas *salis volatilis salsi*, prolicitur levi operâ, & hoc equidem sive *ex urina fermentata*, sive *recenter micta*: *Si ex urina recenter micta sal istud* conficiendum, procedas hunc in modum: utpote *urinam recenter missam* (tempore præsertim hyberno, æstate enim illicò à calore fermentatur,) inde Alembico vitreo suo capitello munito, & in B. M. ad crassitiem mellis abstrahatur, *residuum crassum* interim asservetur, donec ejus *ex magna urinæ copia* repetitis destillationibus, unâ alterâvè librâ collecta fuerit, quod *cineribus* permiscendum, ac Alembico cui inest in arenam collocato igne lenissimo sublimandum est, & illicò scandet ad capitellum *sal volatile* in magnâ copiâ, sublimatio continuanda, donec nihil amplius *de sale* sursum elevari perspiciatur, excipiendo quandoque *sal volatile* in capitello, ne rostro ejusdem *à sale* obstructo, capitellum & alemb. diffiliat, rumpaturque. Breviori viâ si quis procedere velit, is *urinam recenter missam* evaporet saltem in patellâ ferreâ supra ignem lentum ad dictam crassitiem mellis, (nam unâ die *tantùm urina* leniter coquendo evaporare potest, quantum aliquot dierum spatio destillando per baln. vix ac ne vix quidem abstrahi,) quod *residuum urinæ cineribus* perindè commixtum, & Alembico vitreo immissum, primùm in arenâ, secundâ vice autem in phialâ satis altâ sublimetur & rectificetur, separato prius *Oleo fœtido*, quod in primâ sublimatione unà cum *sale volatili* ad capitellum scandit, antequam per phialam rectificatur: segregatur autem *oleum* commodè *à sale* per filtrum ex charta bibula, *sale volatili* cum *simplici aquâ* soluto. Ex *Vrina porrò fermentata*, si lubido fuerit *sæpiùs dictum sal* conficere, hoc modo procedatur; nimirùm, *urina hominis sani masculi tempore æstivo aliquot dierum spatio fermentata*, Alembico vitreo satis amplo immittatur, ac in arena lenissimo igne (ne nimium effervescat, aut in spumam conversa impetuosè, uti solet, elevetur & transcendat) destillatio instituatur, quæ eò usque continuanda, quoad *spiritus salsus* gustu percipiatur, reliquo verò vel residuo effuso, *alia urina* fermentata Alembico immissa destilletur: Hinc copia aliqua, *hujus urinæ spiritûs* collecta & semel etiam jamdum rectificata in phiala oblonga satis, igne moderato, inque arena *sal ejusdem volatile* sublimetur, quousque aliquid de *sale candidissimo* sursum elevari perspicitur, quod facilè in ipsâ sublimatione vel operatione cernere licet, asservetur postea studiosè in vitro cerâ & vesicâ optimè clauso, secus, vel sponte evanescit.

Simile planè *sal volatile urinosum ex sale Armeniaco*, addito *sale Tartari*, sublimare in facili est, uti superiùs paulò, de spiritibus simplicibus disserendo, edoctum est, quò benevolum Lectorem ablego. Hæc itaque *salia volatilia*, sive *ex urina quadam*, sive *ex animalibus aut eorundem partibus*, *sanguine*, *carne*, *ossibus vel cornubus*, item *Armeniaco sale*, confecta sint, ut ad scopum nostrum collinemus, *purè salsa* sunt, cum acida aversentur, illisque contraria sint, destruendo cuncta fermenta acida, & spiritus corrosivos omnes, quos in

Salia volatilia purè salsa.

Sal volatile Vrinæ quot modis parandum.

in aliud esse planè commutant, *illis ipsis salibus* reciprocè in salsedine destructis, ac in alienam naturam conversis. Quibus morbis autem *hac salia purè salsa & volatilia* opponenda sint, prudens Medicus non ignorabit, is præsertim qui juxta divini Hippocratis doctrinam, *Acidum & Salsum*, non *nudas semper qualitates* in morbis consideraturus est.

Salia volatilia acido-salsa.

Sequuntur *Salia volatilia acido-salsa*, è quorum numero pauca sunt naturâ suâ, excepto *sale Armeniaco*, nisi arte talia efficiantur, quippe quod *suis contrariis spiritibus acidis corrosivis* effectum dare licet, siquidem *quodcunque horum salium volatilium salsorum purè, spiritibus acidis & corrosivis*, sive *Vitrioli, sulphuris*, sive *salis* sit, junxeris, in quantitate sufficiente, guttatim nimirùm *spiritus acidos salibus prædictis* affundendo, quousque nulla effervescentia amplius percipiatur, convertuntur illa in quid aliud, & efficiuntur *Salia acido-salsa, volatilia tamen adhuc*, quæ postmodùm contrarietatum nescia totum corpus inde pertitis viribus penetrare, & ad ultimas aut extremas corporis humani partes pertingere, ac insuper omnium digestionum excrementa crassa abstergere & abradere valeant. Horum legitimam præparationem luculenter edocui in supracitatis *Animadversionibus Classis decimæ quartæ*, ejusdemque *Appendice*, quas Amicus Lector consulat.

Salia purè salsa sunt omnia Alkalia.

Transeo ad *Salia fixa*, quæ itidem prout suprà dictum, vel *purè Salsa*, vel *acido salsa* sunt: *Purè salsa sunt omnia lixivialia & Alkalia salia, ex plantis, herbis, lignis, radicibus, & in genere quibuscunque vegetabilibus, Tartaro utplurimùm, prægressa eorundem calcinatione aut combustione, inque cineres conversione parata*, quorum verum parandi modum superiùs in præmissis edocui, admotâ cautione ne *cineres sulphure* (præsertim magnâ ejusdem quantitate, juxtà indignam & pessimam cujusdam Chymiatri informationem) admixto conflagrent & calcinent, neu, quod ineptius ex ejusdem Chymiatri informatione *Salia lixivialia, Alkalia*, cum *aquâ forti* commisceant & crystallizent, cùm eo modo à naturali suâ indole & Alkali destruantur & in aliud quid à naturâ suâ primævâ convertantur: Etenim *fumus sulphuris ardentis*, uti ad ravim usque demonstravimus, *verus & legitimus Spiritus sulphuris* est, qui non solùm *metalla* (sulphuri huic flagranti commixta) rodere & solvere, verùm etiam *omnia salsa & Alkalia salia* destruere, aut saltem in quid aliud naturam eorum convertere potis & efficax est; non secus ac si *ipsissimus spiritus Sulphuris* illis affunderetur, idipsum de inconsideratâ admixtione vel affusione *aquæ fortis* sentiendum est; longè enim alias operationes *salia acido salsa*, alias verò *purè salsa lixivialia & Alkalia salia* virtutes sortiuntur; igitur *salia hac* ob solam pulchritudinem, crystallizationem nimirùm (hoc modo prædicto enim parata facilè in crystallos abeunt) à naturâ eorum immutare, & in nativis suis virtutibus destruere, ingentis stupiditatis specimen est.

Salia acido-salsa fixa.

Sequuntur tandem *Salia acido-salsa fixa*, è quorum numero perindè *naturalia talia* sunt, *& arte talia parata*: Inter *naturalia talia* sunt *sal commune*, *sal Gemmæ*, & ferè *omnia salia terræ & maris*, *Nitrum* itidem, quod potiùs inter *hac salia fixa*, quàm *volatilia*, rationibus minimè destitutus colloco; hæc inquam *salia* reverâ *acido salsa*, non *purè salsa* esse, facilè experientiâ, & rationibus demonstrari potest: nam cùm *acida* & *salsa* tantoperè invicem contrarientur, ut ubi ubi sese mutuò attingunt, se invicem etiam destruant, quod ex *omnibus acidis & salsis liquoribus* invicem commistis luculenter patet, hæc autem *denominata salia spiritus acidos* non solùm non destruant illis permixta, verùm cum iis conjunctìm destillata eos potentiores & acidiores reddant, quid evidentius in rerum naturâ esse potest, quàm quod *his salibus* jamdum *de aciditate* tantùm fuerit insitum, quantùm illis naturaliter competit, huic plus, alteri minus; ad unius cujusque speciem, & providæ Naturæ in terræ visceribus ordinationem, ac naturam *salium* susceptionem. Porrò ex *iisdem salibus acido-salsis fixis spiritus acidi corrosivi* destillatione facilè eliciuntur, *ex salibus verò purè salsis* nequaquam, quamvis plurimi Chymici in hac sententia hucusque detineantur, verùm falluntur, siqui-

ſiquidem ultra rei cujuſdam inhærentias naturales, è re aliquâ quidquam extrahere poſſe, repugnat Philoſophicis & Naturalibus principiis, & viceverſa.

Concludunt tandem doctrinam hanc *de ſalibus, ſalia fixa acido-ſalſa arte talia elaborata*, è quorum ſerie *Tartarus Vitriolatus*, ſeu potiùs *ſal Tartari vitriolatum* unicè ſe offert, quod in uſu & parari ſolitum in officinis pharmaceuticis, quamvis *omnia ſalia fixa purè ſalſa*, eodem modo vitriolari (ut ita more conſueto loquar,) poſſent, & à naturali ſuâ indole immutari, ſi eximiæ in iiſdem virtutes, taliter immutatis, eluceſcerent. *Tartari Vitriolati* dexterrimam præparationem abſterſis erroribus in ejuſdem deſcriptâ præparatione commiſſis tradidi in præmiſſis ſub proprio titulo, quas conſulat Lector Amicus.

Reſtant *Salia ſalſa fixa, propriis ſpiritibus acidis eſſentificanda*, quæ perindè inter *ſalia fixa acido-ſalſa* connumerari, ac ex quolibet Vegetabili parari poſſent, de quibus quidem haud pauca dicenda, & plurima notatu digna medicamina annectenda forent, verùm cùm alias cornu copia adſit præſtantiſſimorum medicamentorum, nonnulla ſilentii involucro pro nunc commiſſa volo, Colophonem doctrinæ de Salibus imponens, cui tamen benevolus Lector quæ in præmiſſis *Animadverſionibus* eâdem de re edocta ſunt, adjungere, & exindè plenariam informationem haud difficilè capere poteſt.

De *Floribus Chymicè paratis* plura addere, præter ea quæ præmiſſa ſunt, haud neceſſarium duximus, idcircò ad ultimam Mantiſſæ claſſem, quæ *de Pulveribus Chymicè præparatis, præcipitatis, ſublimatis, &c.* agit, tandem celeri pede tranſeo, pro cujus ſupplemento pauca *ex Antimonio* conficienda medicamenta ſuperadditurus ſum, cætera de *Pulveribus aliis* huic Claſſi contentis, nota tu & ſcitu digna præmiſſæ *Animadverſiones* habent edocentque, quas Lector adeat. Dixi in præmiſſis ſuper *Syrupum emeticum Angeli Salæ*, quod ſi quis *Antimonii vim venenatam* verè infringere velit, *aromatum* additione id non tentet, ſed ope *ſolius Nitri* correctionem ejus inſtituat, proindè pro confirmatione ejuſdem aſſertionis, nonnulla talia *medicamenta Antimonialia, præſtantia æquè ac ſecuriſſima* publico donare è re Lectoris ſcire avidi fore judicavi, cùm pauciſſima aliàs vomitoria medicamenta, blandè & ſecurè operantia, in officinis pharmaceuticis proſtent, præſertim *ex Antimonio*, quæ legitimè correcta ſint, ut tutò & ſecurè à quibuſvis delicatioribus etiam & Junioribus, intra corpus ſumi poſſint: hinc factum eſt, ut ipſi etiam Medici vomitoria medicamenta, ac eò magis quæ *ex Antimonio* confecta, ſummoperè abhorreant, nevè in ſummâ neceſſitate ea præſcribere audeant, cùm tamen aliàs præſentiſſimum præſidii genus ſit per vomitoria, corpora ſaburrâ humorum excrementitiorum (quæ ferè magis ſurſum, tanquam viâ quâ eundum compendioſiore, quàm deorſum per tot inteſtinorum mæandros vergere ſolent, ſi præſertim ex recentibus corruptis aſſumptis ſint de genere bilioſorum & ſeroſorum) plena evacuare. Etenim à priſcis & verè-antiquis medicis in longè frequentiore uſu & laude habita ſunt vomitoria medicamenta, quàm à modernis plurimis, quippe hi ea tanquam ſummè nociva vel ob leviſſimam ægrotorum indiſpoſitionem, vetant potiùs, quàm quòd illa vel tantillum commendare, uti digna, aut in uſum trahere dignentur, verùm quantoperè neceſſaria & ſalutaria ſint vomitoria debitè & frequenter exhibita, non meas adducam millenas experientias, (quarum vel nulla malè ceſſit,) ſed venerandæ Antiquitatis præcepta, ac inſuper Modernorum quorundam hujus ſeculi Claſſicorum, uti vocant, Authorum de Vomitoriis encomia, qui talia habent, utpotè *Hippocrates lib.* 4. *Aphoriſm.* 17. *Si cui febris experti eveniat cibi faſtidium, & ſtomachi morſus, & tenebricoſa vertigo & oris amaritudo, huic purgatione per ſuperiora opus eſt. Idem eodem libro, Aphoriſm.* 18. *Dolores ſeu affectiones quæ partibus ſupra Diaphragma oboriuntur, quæcunque purgationis ſunt indigentes ſuperiore pharmacia opus eſſe ſignificant: quæ verò infrà purgationem infernam requirunt.* Item, *Fernelius Meth. med. libr.* 3. *cap.* 3. *Quæ verò facilis &*

moderata obtigerit, saluberrima est, & purgationum omnium præstantissima, (loquitur autem de Vomitoriis) *noxios quippe humores ex ipsis fontibus sinceros elicit & vacuat, omnem quæ in ventriculi capacitate in ejusvè tunicis hæret illuviem imprimis expurgat, è præcordiorum membranis, è cavis jecoris ac lienis, & ex pancreate omnis generis supervacuos humores sinceros elicit; quos plerunque nec hiera nec aliud vehementissimum ullum etiam frequens pharmacum in alvum exturbare potest. In ventriculum enim ex his locis viæ breves ac expeditæ magis quàm in alvum directæ sunt, per quas facilis est vomitio. Quanquam autem primum ab interioribus evellit, consecutione tamen caput, reliquumque corpus levat. Quocirca omnibus opitulatur affectibus, qui à præcordiorum impuritate ortum acceperunt, languenti appetentiæ, nauseæ, cibi fastidio, crebræ vomitioni, ventriculo præcordiisque distentis, ictero, cachexiæ, febribus intermittentibus, hemicraniæ, vertigini, incubo, epilepsiæ, suffusioni, omnibusque capitis affectibus, qui præcordiorum sympathiâ contracti sunt, & quos è præcordiis in reliquum corpus effusa impuritas protulit. In quocunque igitur affectu languescit appetentia, vomendique desiderium fatigat, si pharmaco non satis fit, vomitione curandum. Nam quæ purgatio non eluit, vomitio exstirpat, & quæ illinc non facilè labuntur in alvum, promptè in ventriculum remeant.* Tanti igitur vomitionis vis æstimanda. Porrò iis qui vomitoria vel penitùs excludere non verentur Medici, Quercetanus respondet, rationibus illorum rejectis & explosis, in Pharmacopœia dogmatica restit. *lib. 1. cap. 16. sequentibus: Vacuatio per vomitum in longè majore frequentioreque usu erat, quàm jam apud nos. Nonnulli inter Medicos recentiores eam idcircò abdicare videntur, quòd corpus plus æquo, ut opinantur, commoveat & disturbet, nec non molestissima plura inducat symptomata: adductis præterea his ratiunculis, nostras regiones multò frigidiores esse quàm Græcorum, cujus nationis Hippocrates frequentissimè eâdem vacuatione utebatur, & infiniti post illum alii Græci Authores ipsius exemplum secuti: addunt etiam homines nostrarum Regionum esse multò pituitosiores & minus ad vomitum proclives. Sed his rationibus & argumentis parum ponderis inesse nemo non videt: quæ idcirco tanquam frivola explodentur, cùm è contrà hujus vacuationis usus utilissimus & summè necessarius sit ad plurimos affectus gravissimos & desperatos profligandos, licet vel iis remediis concitari debeat, quæ timidulis illis & meticulosis Medicis ex auditu tantùm incutiunt horrorem. Sed quomodo se naturæ amicos illi jactitant, cum relictis iis quæ maximâ agendi vi & potestate excellunt, quorumque ne periculum quidem facere audent, potius ejusdem sint inimici? Sic enim tantum naturæ sunt adulatores, qui imbecillis nimis & invalidis præsidiis eam frustra propugnare conantur, nec potentibus satis armis illius hostem ferocissimum adoriri cogitant: qui interim velut invictus cuncta illorum eccoprotica, imò vomitiva blanda & adulantia ridet & respuit, quibus elisis vix secundò ad eadem auxilia refugere audent.* Omnium autem maximè & sat distinctè, adjunctis quibusdam cautelis, vomitoriorum laudes, utilitates & præstantiam in operando depingit *Angelus Sala in singulari quodam tractatu Germanico, quem fundamentalem explicationem quorundam præstantissimorum medicamentorum Chymicorum intitulat, impresso Anno 1624. in Wandesbeck Danorum,* quem Lector curiosus pro majore informatione consulat. Verùm enim verò cùm præter laudes, utilitates & præstantiam in operando dicti præsidii vel medicamenti generis à Viris supracitatis Celeberrimis pauca superaddita sint, quæ ad scopum nostrum collimarent, de quo non pauci conquesti sunt huc usque, nos supplementum sine invidiâ & cupidine lucri ut illis superadderemus, nostri & Christiani in rem Medicam officii inter esse putavimus, & sint sequentia utplurimùm ex *Antimonio* dextrè elaborata medicamenta & legitimè correcta, ita ut tutò & securè tùm senibus tùm junioribus, infantibus nec non adhiberi possint. Utpotè:

Pul-

Pulvis Emeticus Correctus.

℞. *Vitri Antimonii sine additione legitimè parati uncias duodecim,*
Nitri purissimi uncias tres semis.

Singula prius seorsim in pulverem redacta, commisceantur exactè, pòst collocetur ollula non vitreata intra carbones accensos vel ardentes, cui, si candet, *de superiore pulvere* cochlear unum post aliud pedetentim inspergatur, donec omnia paulatim immissa & candefacta sint; remotâ dein ollulâ ab igne & refrigeratâ materiâ quæ flava veluti vel albicans apparet, pulverisetur, & cum *aquâ tepidissimâ*, (non *calidâ nimis aut fervidâ*, quod studiosè observandum, secùs vis emetica ejus tota tollitur,) edulcoretur, & quidem confestim, ne diu *aquæ immersa materia edulcoranda* hæreat, sed quamprimùm fundum petierit *pulvis*, aqua ab eo decantanda ac pulvis impalpabilis siccandus est. Observandum etiam quòd ponderosior ejusdem pulveris particula quæ illicò in edulcoratione dum aqua cum leviori magis & impalpabili pulvere decantatur, fundum petit, separanda sit, ne pulveri impalpabili permixta maneat.

Hoc *Antimonium taliter paratum* nobile & securissimum vomitorium est, ita ut infantulis competenti in dosi per infusionem, vel in Syrupum modo sequenti redactum, tutò propinari possit. Dosis *à granis XV. ad scrupulum* pro adultis, cum *unciis circiter tribus Vini ferventis* infusum per noctem, *quod vinum* manè à *residente pulvere* clarum decantari aut filtrari poterit, pulvere in fundo relicto: Junioribus verò decem vel duodecim annos natis, *scrupulus semis pulveris*, *& vini ferventis uncia una semis:* Infantibus autem duorum circiter vel trium annorum, *grana quatuor, quinque vel sex*, cum *drachmis quinque vel uncia una vini ferventis* infusa sufficient. Verùm cum nonnulli abstemii sint, *vinumque* abhorreant, poterit unica saltem dosis *hujus vini emetici*, scil. *uncia tres cum Sacchari albi uncia una*, in Syrupum percoqui, cui refrigerato Syrupo si lubet, *Aquæ Cinamomi* vel *Rosarum portiuncula* pro odore & sapore grato ipsi conciliando admisceatur, & in vehiculo ad lubitum Patientis vel assumentis propinetur. Syrupum ex illo pulvere emetico correcto, qui imposterum in officinis prostare posset, traditurus sum in Dispensatorio nostro novo, quem Lector amicus ibi reperiet.

Essentia Emetica ex eodem Pulvere Prædicto.

℞. *Pulv. emetici jamjam superiùs edocti uncias duas semis,*
Ex quo cum
Vini albi libris sex,

Repetitis tamen vicibus affusi, extrahatur in calore ut *vinum* veluti ferveat, essentia, & vis emetica; *huic Vino virtute vel vi emetica pulveris dicti impragnato* adde

Olei Tartari Doctissimi Sennerti, ad siccitatem autem salis nigricantis abstracti, (cujus descriptionem videsis p. 446. Mantissæ) *uncias sex.*

Et denuò ad siccitatem *salis* leniter evaporent, hoc sal dein in locum frigidum collocetur, ut in liquorem solvatur, quod brevi admodùm contingit, filtretur liquor per chartam emporeticam, & usui asservetur: cujus dosis drachma una ad drachmas duas vel tres, cum aquâ aliquâ laxativâ, vino vel alio vehiculo conveniente & grato. Infantibus scrupulus dimidius ad scrupulum unum, sine ullâ pertimescentiâ diri alicujus effectus propinari potest, felici cum successu, si debito tempore, viribusque nondum prostratis exhibeatur, illudque Hippocratis observetur, *si quid movendum est, moveatur in principio, &c. Eoque ducatur, quò natura vergit.*

Notandum de *hoc pulvere correcto*, & de aliis medicamentis ex eo paratis, quod non per superiora tantùm, sed etiam per inferiora operetur, quandoque & in quibusdam subjectis tantùm per inferiora, aliquando & raro solùm per superiora, &, ut millies millies expertus sum, ubi materiam excernendam disposi-

tam

tam deprehendit, indè eam quâ vergit evacuat & expellit.

Notandum præterea, quòd si quis hoc pulvere emetico correcto careret, licet paratu facilis sit, ejus loco *Flores Antimonii albos* substitui posse, pro supradictâ Essentiâ, sed in minori paulò quantitate (*drachmas sex* circiter accipiendo *Florum* pro *uncia una dicti pulveris*) cum *illo pulvere correcto* paulò violentiores sint, suntque *hi Flores Antimonii*, uti alibi etiam notavi, *verus pulvis Algoretti*, licet nonnulli qui de eo scripsêre, auri sobolem illum nuncupent, & quidem meritò, cum *Stibii*, *Antimoniique* nomen apud aliquos Artis pulcherrimæ osores, præsertim ignorantes, tàm malè audiat, ut qui solum modò illud ore excidere permittit, mox è cœtu medentium proscriptus ad veneficos amandetur: quia tamen hoc de *Antimonio* judicium non in alia officina, quam Cerebri ad Lunæ crescentis & decrescentis mutabilitatem tornati excuditur, & vix alius de re magis perversè & perfrictâ fronte loquitur, quàm qui ejusdem minimam habet cognitionem, idcircò nullo canum similium hoc sidus allatrantium convicio à veri tramite dimotus, hoc in præsens asserere non erubesco: *Antimonium* verè unam & principalem esse columnam universæ Medicinæ, quippe ex eo tanquam Protheo, diversis duntaxat præparationibus, diversarum operationum medicamenta saluberrima, utpotè *Antiloimica*, *Antivenerea*, *Diaphoretica*, *Purgantia & Vomitoria blanda*, *sanguinem universum mundificantia*, *Vulneraria*, *pectoralia*, imò *universale medicamen seu Panacæa ipsa* erui possunt. Nec constat *ex Vegetabilibus* unicum emeticum, quod minore cum periculo exhiberi possit, quàm *Antimonium dextrè & debitè præparatum*, nunquam enim tormina ventris, convulsiones, hypercatharsin, fluxumque nimium colliquativum, causabit, etiamsi vel aqua frigida superbibatur; ipse enim ego soleo utplurimùm post peractam similis vomitorii operationem, si sitis urgeat, *Iulapium* vel *aquam frigidam crudam*, cum pauxillo *Sacch*aro*, *Succo Citri*, *Corticibus Citri*, & *Spiritu Vitrioli* permixtam, ægrotantibus studiò propinare, nunquam non cum successu felici.

Suppetit experientia adhuc aliud medicamentum ex *Antimonio & Tartaro*, quod tale:

Tartarus Emeticus Purgans.

℞. *Vitri Antimonii sine additione n. m. parati uncias quatuor,*
Nitri purissimi unciam unam,

Mixta & in pulverem redacta detonentur, uti supra edoctum, materia calcinata flava pulverisetur subtiliter, cui adde

Salis Tartari puri uncias quatuor,
Aquæ simplicis libras tres,

Et in vase terreo, vel vitreo, coquantur, spatulâ continuò illa agitando, ad totalem siccitatem *salis & pulveris*; hinc solvatur *massa hæc salina* cum *aqua simplicis s. q.* solutum filtretur, clarumque reddatur, & à pulvere separetur, quod denuò ad siccitatem pristinam *salis Tartari* evapora; *Huic sali virtute emeticâ impragnato* instilla guttatim.

Spiritus Vitrioli q. s.

Quousque nulla effervescentia amplius percipiatur, quo signo apparente exsiccetur *massa salina* leniter in vitreo vase, & in pulverem tandem redacta usui asservetur, cujus dosis scrupulus unus ad drachmam semis.

Cremor Tartari Purgans.

℞. *Vitri Antimonii sine additione n. m. parati uncias quatuor,*
Nitri purissimi unciam unam,

Mixta inque pulverem redacta detonentur, ad modum suprà edoctum, *materia residua flava* in pulverem subtilem redigatur, & *in mensuris duabus vini albi & clari* parum coquantur, colato pòst & à pulvere separato *vino* immerge

Cremoris Tartari uncias quatuor,

Et Alembico vitreo immissa, in arena vel vesica cuprea stanno obducta coquantur ad dissolutionem *dicti Cremoris Tartari*, ac in illo ipso vase sensim refrigescere permitte, ut nonnihil crystallizetur *Tartarus*, qui refrigeratis

geratis omnibus eximendus, à liquore separandus, & siccandus est, inque pulverem redigendus.

Nota: Ad eundem modum *Cremor Tartari* variis rerum virtutibus imbui potest, cùm ex Mineralibus tùm Vegetabilibus depromptis.

Quòd si quispiam autem quærat, in quem hostem hæc *ex Antimonio* deprompta tela & remedia dirigi, & ad quos morborum insultus hebetandos & repellendos primâ acie collocari debeant, is consulat præclarissimos Scriptores, *Salam quæ de Rosa sua Minerali habet*; *Schröderum quæ de Floribus Stibii ex plurimis Authoribus collecta refert*: Quæque denique solertissimus *Glauberus de Antimonio* plurimis in locis inculcat, eorum inquam modesto calamo & moderatis encomiis, laudes hisce remediis partem attribuat, & minimè à veritate deviabit, nec quid adversi experietur, dummodò quibus, quando, & quantum conveniat, & ex legitimæ methodi præceptis exhibendum sit, probè dispiciat & assequatur.

Si verò non nemo *in Antimonium*, ejusque è Medicina extirpationem ignarus juràsset, illi ex Vegetabilibus *Elixir* quoddam *Emeticum* communicare vel addere non detrecto, quod modo sequenti parandum:

Elixir Emeticum Vegetabile, vel ex Vegetabilibus.

℞. *Cort. rad. Esulæ recentium unc. duas*, quibus superaffundantur

Aceti destillati unciæ quatuor,

Et in vitreo vase, aceto leniter exhalato, denuò exsiccetur; His superadde

Radicum Asari uncias tres,

Contundantur *ambæ radices* in pulverem grossum, & cum *s. q. spiritus vini* repetitis vicibus affusi, extrahatur earum essentia tota, quousque nimirùm *spiritus tingatur: Extractiones omnes* in Alembico vitreo ad consistentiam Extracti abstrahantur, *quod Extractum* de novo solvatur cum

Aquæ Cinamomi opt. ex vino still. unciis tribus,

Ac per chartam bibulam filtretur, ususque asservetur.

Aliud Elixir Potentius Helleborinum.

℞. *Radic. Helleb. nigri uncias quatuor*, *Helleb. albi unciam unam sem.*

Quibus parùm contusis superaffunde pro correctione

Aceti stillati uncias octo,

Et *aceto* prius leniter in vitreo vase exhalato, non effuso *à radicibus*, eæ siccentur; Quæ postmodum cum *s. q. spiritus vini* repetitis vicibus affusi extrahantur, ad omnimodam earum virtutum prolectionem, & quousque *spiritus affusus* colore inficitur: Extractiones omnes in Alembico vitreo ad consistentiam Extracti abstrahantur, *extractum residuum* cum

Aquæ Cinamomi addito vino destillatæ unciis sex,

Denuò solvatur, filtretur, ususque reponatur.

Pro Colophone hujus *Appendicis in Mantissæ Animadversiones*, Medicamentum reale, citra etiam constitutum meum, Tibi, Lector Amice, communico, quod tale:

℞. *Vitrioli Hungarici cærulei, vel etiam Vitrioli Veneris ex cupro parati q. s.*

Quod debitè calcinatum, destilletur per retortam vitream optimè lutatam, vel Waldenburgensem, *in Spiritum vel Oleum subrubrum*, spatio trium vel quatuor dierum, ultimò per diem & noctem vel diutiùs extremâ ignis violentiâ, ad omnimodam radicalis humiditatis expulsionem, *Spiritu hoc vel Oleo egresso*, interimque asservato, excipiatur è retorta *caput mortuum planè insipidum*, & aëri, astrisque illud sesquimestri spatio exponatur, interdiu autem à Sole præservetur; hoc facto superfundatur illud *aquâ pluviali vel rore majali* & *Sal elicietur de vitrioli naturâ planè alienum, ad instar Nitri, gustu amabili*, quod interim asserva. Posteà accipe *antedictum destillatum spiritum*, qui cum *Aquâ simplici vel pluviali* permisceatur, ac in ea *Martis vel Chalybis limatura vera, nullâ re heterogeneâ permixta*, solvatur, *Martisque Vitriolum viride*, uti moris efficiatur, quod semel atque iterum in aquâ pluviali solutum, & denuò crystallizatum purum & splendidum reddatur.

Ex *his cryſtallis* vel *Vitriolo Martis*, denuò modo priore, igne fortiſſimo per aliquot dies noctesque ad omnimodam & totalem radicalis ſuæ humiditatis expulſionem, *Oleum vel ſpiritum deſtilla rubicundum*, qui optimè dephlegmatus interim aſſervetur & cuſtodiatur.

Porrò *ex capite mortuo, omni Vitrioli ſapore* (quod benè obſervetur,) *libero*, *ab aſtris uti ſuprà impragnato*, eodem modo quo ſuperius extrahe *ſal guſtu amabile nitroſum.*

His *duobus ſalibus & ſpiritu rubicundo legitimè paratis*, porrò ejus conjunctionem aggredere, modo ſequenti.

Accipe igitur *de duobus ſalibus ſuprà aſſervatis ana unciam unam*, quibus optimè mixtis & vitro apto immiſſis, ſuperaffunde *ſeminis virilis vel ſulphuris rubicundi*, aut *ſanguinis Leonis ſuprà etiam parati unciam ſemis*, item addantur vel adjiciantur, *Croci Solis ſimpliciter parati ad mentem noſtram vel Glauberianam drachmæ duæ*, tum vitro hermeticè ſigillato, igni philoſophico admoveantur, qui ſecundùm gradus regatur continuò, quoad materia coaguletur in unam maſſam, vel lapidis formam.

Quem Lapidem in fontina priora dilue, vaſi novo include, & brevi tempore illuſtriorem nobilioremque redde.

De cujus præſtantiâ ac virtutibus conſule *Mynſichtium*, in deſcriptâ *Unicornu mineralis præparatione.*

His ultimam hanc *Claſſem Mantiſſæ, hancque Appendicem* finio; Tu interim, quiſquis es Lector candide, hæc qualiacunque, quæ ultrò in Tuum & Ægrotantium commodum meditari & addere conatus ſum, eo animo accipias rogo, quo profecta ſunt, nimirùm candido & ſincero, Tibique & Toti Facultati Medicæ inſerviendi promptiſſimo: Quod ſi verò nonnulla haud arrideant, ea tamen interim boni conſulas, donec ipſa experientia & veritas, quæ verè mihi norma & laboris hujus duces & comites fuêre, meque ab omni livore & contumeliâ vindicaturæ ſint, pluraque & realia magis ſuppeditent, atque his fave & vale!

INDEX

Omnium rerum notabilium, compositorumque medicamentorum in Appendice hâc Animadversionum contentorum.

Meli-

DISCUR-

DISCURSUS APOLOGETICUS
JOANNIS ZWELFERI,
MEDICINÆ DOCT.

adversus

HIPPOCRATEM CHYMICUM
OTTONIS TACHENII:

Ejusque adulterini Salis Viperini novissimi Fundamenta, ut ait, antiquissima.

Cui & accessere ejusdem

JUSTISSIMÆ VINDICIÆ

contra

FRANCISCUM VERNY

Pharmacopœum Monspeliensem.

Annexo etiam

APOLOGEMATE EPISTOLICO

ANONYMI.

DORDRECHTI,

Apud VINCENTIUM CAIMAX, Bibliopolam.

Anno cIɔ Iɔ c LXXII.

Ἔγνων, ἀνέγνων, κατέγνων.

Vidi, Legi, Damnavi.

Præmonitio Authoris ad Lectorem.

PAucis hisce præmonitum volo, quòd, quæ Typo minusculo, Cursivo dicto, hâc in Apologia scripta apparent, Textus ac verba sint propria Tachenii; cùm quæ in ipsius Opusculo, Hippocrate Chymico, quod ex instituto, graviter lacessitus, refutandum suscepi: tum etiam, quæ in Tachenii Epistola de famoso liquore Alcahest, ad Celsissimum Holsatiæ Principem, Fridericum, Slesvicensem, Anno 1652. exarata, Hamburgi impressa, propriaque jurati Notarii attestatione confirmata: nec non in ejus Apologia contra Virum integerrimum, D. Helvig Dietericum, Anno 1655. & Echo ipsius ad Vindicias prædicti D Dieterici Venetiis Typis mandata verè contineantur. Si quæ igitur vitia circa communia Grammatices, & inprimis Orthographiæ, principia in his dictis hinc inde Tachenii propriis Textibus occurrant, studio illa in suo vigore, prout verè & realiter ibi continentur, etiam hîc relicta sunt, ne vel jota, nec punctum quidem, Textibus desit, aut mutilati videantur; nisi unus atque alter forsitan incuriâ vel Typographi, vel Correctoris, irrepserit error. Quas itidem Defensio justa, seu Vindiciæ undiquaque approbatæ, contra Verny Gallum exhibent, literas minusculas, ex Gallico in Latinum. Versionem & Textum esse Vernianum, æquè Benevolus Lector judicato.

Spectabilibus & Excellentissimis Viris, Inclytæ & Antiquissimæ Medicorum Facultatis Austriaco-Viennensis:

D.D. Paulo de Sorbaith, *Phil. & Medic. Doctori, Ejusdemque Practicæ Professori Primario, Augustiss. Eleonoræ, Imperatricis, Viduæ Personæ Medico, ac p. t. Inclyti Collegii Medici Viennensis Decano spectabili.*

D.D. Ramoldo van der Borcht, *Sacr. Cæs. Majest.* LEOPOLDI *Archiatro, & Proto-Medico*

D.D. Christiano Rechberger, *Augustiss. Imperator.* LEOPOLDI *Archiatro, & Collegii SubSeniori.*

D.D. Antonio de Pozzis, *Sacr. Cæs. Majest.* LEOPOLDI *Archiatro.*

D.D. Tobiæ Czaschelio, *Sacr. Cæs. Majest. Personæ Medico.*

D.D. Marco Aurelio, *Gisgonio, August. Eleonoræ, Imperatricis, Archiatro.*

D.D. Bernardo Schlütter, *Inclytæ Facult. Med. Seniori.*

D.D. Balthazari Mannagettæ, *Sacr. Cæs. Majest. Aulæ Medico.*

D.D. Francisco Ganser.

D.D. Christophoro Leopoldo Heffner, *Sacr. Cæs. Majest. Aulæ Medico.*

D.D. Petro Leonhardo de Montquintin.

D.D. Laurentio Stuber.

D.D. Ferdinando Slabio, *Physico Neostadiensi.*

D.D. Joann. Melchiori Schubert.

D.D. Valentino Laurentio Wagner.

D.D. Joh. Conrado Kremer, *Theor. Profess. Prim.*

D.D. Joh. Jacobo Stumpff.

D.D. Ferdinando Friderich Ilmer, *Theor. Profess. Ordin.*

D.D. Nicolao Beckers, *S. C. Majest. Aulæ Medico.*

D.D. Joh. Adamo Spenholz, *p. t. Physico Jaurinensi.*

D.D. Joh. Georgio Schoneich.

D.D. Joh. Christophoro Resch, *Urbis Medico Loimico.*

D.D. Laurentio Wolffstrigel.

D.D. Matthæo Ludovico Ursino.

D.D. Georgio Sebastiano Jung.

D.D. Zachariæ Mannagettæ.

D.D. Joh. Claudio Rhoe.

D.D. Joh. Habersack.

D.D. Jacobo Heinrico Kielmann.

D.D. Joh. Ferdinando Sculteto.

D.D. Paulo Esaiæ Plöckner.

D.D. Augustino Francisco Vogel.

D.D. Heinrico Wenceslao Postmitio.

D.D. Joh. Christoph. Nabroth.

DIsquirenti diu multumque mihi, ubinam gentium Areopagus, aut unde justissimi causarum arbitri accederent, Vestra mihi affulsit æquitas, Viri Sapientissimi, utpote quibus longæ artes, consummata sapientia, avita & constans fama, in medendo felicitas & principatus (Soli adde-

rem

rem ſplendorem, ſi veſtris inſiſterem encomiis) liberum dedit calculum, & jus ſuffragandi, nec non literatas cauſas dirimendi. Sereno itaque animo, & tranquillatâ mente, cauſam meam ad Vos devolvi cupio, & *Tachenii* cujuſdam Miſo-Chymici petulantias, &, in Rempublicam Medicam, (quam, dum me impeteret homo arrogans, ſeditiosè arietavit) probra & convitia ſiſto; nec non *Vernii*, Monſpelienſis Pharmacopœi, ſimpliciſſimam & ridendam ſuperbiam, quâ (homo nec Latini idiomatis gnarus) ZWELFERI lucubrationes refutavit. Riſi in *Tachenio*, iniquiſſimo homine, temerarios auſus & irritos conatus; in *Vernio* ruſticum & præcocem honoris ambitum, famæque pruriginem, quâ Scriptoris nomen præmaturiùs affectavit. Sortem interim meam ſuſpexi, quòd cum Doctiſſimis Viris parem ſubirem aleam, atque livori paterem. Quis enim non novit, quòd cum ſapientia invidia adoleverit? Viros, artes profeſſos, Momos ubique, & Zoilos, Satyricos & obtrectatores ſuſtinuiſſe? Ipſe Homerus, Antiquitatis Parens, Magni Alexandri pupilla, divinus Hippocrates Cous, Plato diviniſſimus, ſuâ profanati divinitate, ſacrilegos habuêre obtrectatores. Græca Methodicorum Schola, & Medici, à Catone Cenſorio, ſine diſcrimine, homicidæ dicti, quòd, primi Medicorum, remediorum variam penum invenerint; cùm Cato omnem in ſimplicitate ſalutem collocaret. Et: ut quid vetuſta narro? Dicat nobis vicinus Andreas Libavius, Germanæ ſapientiæ Gemma, Medicus & Chymicus Illuſtris, quid, poſt tot labores, & innumera merita de Republica Medica, ab obſcuro Henningo Scheunemanno; quid à Grammano (nondum excocto Paracelſiſtâ) quid à Biſterfeldio; à Goclenio; quid à Guiberto Lotharingo, retulerit. Loquatur Quercetanus, quid à ſuo Riolano: enarrent Scholæ, quid à Theophraſto & Helmontio perpeſſæ. Et, ut innumeros taceam, referat nobis recentiſſimus Fortunatus Plempius, quid à Maſtige ſuo ſuſtinuerit:

nuerit: quid à Jacobo Sylvio (cujus invectivas Tyrannicam doctrinam vocat Sanctorius) tanti nominis Anatomicus, Vesalius, innocuè supportarit. Ut innumeros taceam. Probra à tergo, maledicta coràm, fucos experti sunt ignavos, qui apum industriosos labores consumerent. Duram, fateor, suscepimus Provinciam, spectabiles Viri, cùm Tachenium ad frugem reducere nostro Apologemate contendimus, adversus quem plurimi Europæ Medici (aut quæ non Universitas calamum exacuit, ut ejus petulantiam reprimeret: attestante hoc, impressis monumentis, Helvico Dieterico?) dimicarunt: cùm interim Tachenius afflictione, cum Pharaone, sit factus durior; cum Nabal, post increpationes, obstinatior; &, ut ait Petrus Ravennas, in Epistolâ, Perversum corrigere, nil aliud sit, quàm stimulare insanum; quàm oleum adhibere camino, & ventis incendia superare, &, ut Seneca, de Moribus, desinat remedio locus, ubi, quæ fuerunt vitia, mores fiunt. Placuit tamen, Mediolanensis Præsulis acquiescere Placitis, qui ait: Rescindenda est insipienti potestas, non adjicienda libertas. Insipientis enim, in libertate, ruina vehementior. Neque irritum est consilium sapientissimi Hugonis, *lib. Institut.* quando, Si difficile, inquit, est, cor malitiâ induratum ad formam disciplinæ, & speciem honestatis, incurvare; necesse est, quùm dura materia facilè ad formam non flectatur, ei acrioris flammæ incendium, & mallei gravioris percussio, adhibeatur. Nisi enim hoc præstemus, vitia, ut ait Cordubensis, transmittimus ad Posteros; dum præsentibus culpis ignoscimus: bonisque obsumus, dum malis parcimus. Hanc igitur triumphatam servorum bigam, ac illiterata mancipia, ad Vos defero, Æquissimi Arbitri, & spolia divido. Confido, quòd nostris successibus & Victoriæ, quam latiùs prosequor, oculis animisque comites, fausta quæque ominaturi sitis. Interim Valete, Europæ lumina, & hæc, affectuoso obsequio, ad

DEDICATIO.

Vos deferentem ZWELFERUM, ſemper devotiſſimum amplissimo nomini Veſtro, conſtanter redamate. Sic vovet

Dabantur è Muſeo meo, Viennæ
Auſtr. die XXIV. Menſ. Junii.
A.D. M DC LXVII.

Spectabil. & Excellentiſſ. Domin.
Veſtrarum Inclytæ & Antiquiſſimæ Facult. Viennenſ.

addictiſſimus

Johannes Zwelfer, D.

PRÆ-

PRÆFATIO
AD
LECTOREM.

GEminos Tibi ſiſto Fratres, *Amice Lector*, *quos diu ignorantiæ utero concluſos tandem enixa eſt malitia*, Tachenium *nimirum*, *Medicum*, & Verny, *Pharmacopœum*, *par nobile fratrum.* Tachenius *homo durus & aſper*: *piloſum aliquem & hiſpidum Eſau dixeris*, *qui calcaneo ſapientum inſidiatur.* Verny *ſimplex*, *at ſuperciliosus Idiota*: *Nabal aliquem deſcripſeris*, *qui Hebraicè* dementum *ſonat juxta illud*: *Sunt quidam* Docti, *quos gloria vexat inanis. Mirabere forſan*, *A. L. quòd præfervidum lavacrum*, *& acerrimum lixivium*, *recens natis deſtinârim*, *quin vel pumice ad ſpaſmum uſque defricuerim*; *ſed mirari deſines*, *ubi indolem hominum noveris*, *vocem eorum audieris*, *petulantiam experiêre.* Tachenius *enim*, *jam in cunis robuſtus convitiator*, *præterquam quòd invitum Zwelferum*, *diu multumque ſtimulatum ac laceſſitum*, *ad hæc ſollicitârit*; *poſtquam ſcholas*, *& Medicos noſtros*, *(quos feſtivo ſarcaſmo* Canonicos *appellabat) ſtrenuè traduxerat*; *poſtquam doctrinam ediderat numeris Platonicis obſcuriorem*, *erroribus horridam*, *ſordidiorem Phormionis thoro*, *& Augiæ ſtabulo*; *dum poſt ampla promiſſa (Charetis pollicitationes dixeris) poſt magnifica decantata ſecreta*, Atticus *tandem manum aperiens*, *de penu ſua remedia & theſauros promiſſos porrigeret*, *arcana ſcilicet pro callis pedum*, *Saponariæ*, *& Vitrariæ Regulas*, *de Lixiviis tractatum*, *& hujuſmodi rara & abdita plurima*: *non fuit convitium*, *non hyperbole*, *non petulantia*, *quam in Reformatorem (ſic ſuum olim amiciſſimum Zwelferum hiſtrio & ardelio cognominat) licentiosè non exercuerit. Adeò*, *ut in conſtantiſſimum Virum etiam cadere non poſſit*, *quin huic morioni pro ſtultitia ſua reſpondeat*; *quidquid Epictetus in contrarium hortetur*; *cujus tota Philoſophia*, *hoc laconiſmo*, *& uno abſolvitur diverbio*: Suſtine & Abſtine. *Prolixior itaque fui in reprimendo* Tachenio, *& armis inculpatæ tutelæ tractandis*: *culpam fateor*, *B. L. ſed id iniquiſſimi hominis ampliſſima depoſcebat temeritas*; *cui etiamnum pro meritis non reſpondi. Interim jucunda utili immiſcui*, *ne te noſtræ tæderet prolixitatis. Tu*, *Amice Lector*, *auditá hâc noſtra Apologiâ*, *& juſtiſſimis Vindiciis*, *calculum ſubducito*, *&*, *an acti labores noſtri*, *quos iteratò Europæ impendimus*, *tam famoſum libellum*, *& infames pagellas*, *quales* Tachenii *eſſe reperies*, *promeruerint*, *judicato. Interim Vale*, *Tuique ſtudioſiſſimum Zwelferum ama.*

Et Tu, Tacheni, *speculum*, *quod Tibi objeci*, *lætus arripe*, *ac*, *quantum ab homine ac probo Viro degeneraris*, *contemplare*: *recole*, *quàm amara*, *immatura*, *austera*, *& iniqua adversus amicum*, *non provocatus*, *non stimulatus*, *ultrò citroque*, *pro libidine ac maligno animo scripseris*; *quàm ridiculè tibi cesserit illa*, *quam*, *præcoci gloriolæ pruritu*, D. D. *Augustanorum susceperas clientelam*, *alienâ infamiâ*. *Nota verba Reformatoris*, *signa mysteria*, *rumina iteratò doctrinam*; *det*, *obsecro*, *vexatio tibi deinceps intellectum*, *quem luminosum precor*. *Hanc interim*, *quam scripsi*, *exegesin*, *quam coram*, *& super tecta*, *prædicavi*, *tuis*, *obsecro*, *in aurem concredito*; *&*, *si potes*, *Vale*.

OTTO-

OTTONIS TACHENII HIPPOCRATIS CHYMICI REFORMATIO: SEU ADULTERINI SALIS VIPERINI REFUTATIO A JOANNE ZWELFER, DOCT. ET MEDICO,

Brevi Apologemate adumbrata.

Revivíscis ergò, ac lucem rursus subis, *augustum Chymicorum jubar*, *Europa decus*, *magne Hippocratis Vindex*, TACHENI? Resurgis iterum prodigiosâ anastasi, *melior Chymicorum Phœnix*, ex infami busto, & cinere, (olim *Berlini*) & in apricum prodis, Cimmeriis dignissime tenebris? Prodis iterum in scenam, ac theatrum, *Tacheni*, non jam ampliùs *histrio*, & *scurra*, ut tua quondam ferebat indoles, non jam ampliùs *Epicuri de grege Candidatus*, non *maledicus*, non *convitiator*, sed *novus bonarum artium Mysta*, *Chymiæ Mecænas*, *redivivus Hippocrates*, *Vir*, *cujus augusto nomini universa assurgat Europa*? Sic est. Perlegi, mi *Tacheni*, eruditissimi ingenii tui, ac genii, fœtum; tuum, inquam, *Hippocratem Chymicum*, seu *antiquissima novissimi Salis Viperini fundamenta*; imò recentissima mendacia, & posthuma magni HELMONTII furta, & rapinas; quæ miro artificio, nexu, ac fraudibus, in unum colligasti fasciculum, nec non in seriem distinxisti: adeò, ut, nisi te Cuculum clarè nossemus, tuum hunc fœtum esse, crederemus; qui tamen, alienis incubans ovis, peregrinos fœtûs exclusisti. Perlegi, inquam, libellum tuum, numeris omnibus absolutum, in quo aphoristicâ brevitate, & rarâ perspicuitate, feliciter in Compendium ea redegisti, quæ vastis amplisque tomis pauci ævo nostro absolvêre: &, quod totius Operis est complementum, tui olim familiaris, *Zwelferi*, (licet injuriâ temporum proprium tibi exciderit nomen, dum *Reformatorem* compellas,) memoriam nondum penitùs deposuisti, sed, amico dialogismo, per discursum, tecum inducis sermocinantem, veterum, nullus dubito, memor beneficiorum, dum in *Antenoris urbe* mensæ eidem accumbens, meum sæpius auxilium implorabas. Verùm non succenseo, mi *Tacheni*: novi genus, & indolem tuam. Neque enim aliis assuevit hoc genus hominum, in Pastorum mappalibus & haris collectum; hæc, inquam, Ardelionum turba, quæ, mulorum instar, ubi ad præsepe domini ingluviem explevêre, recalcitrant, seque belluas ostendunt, ad genium properantes.

Et verò, quid agis, quid moliris *Tacheni*? Num tibi claudicat ingenium; delirat linguaque mensque? Num callum obduxisti, perfrictæ frontis homo, ac, perruptis honestatis repagulis, omnem repudiasti verecundiam,

ac pudorem proſcripſiſti: Num ad *δυσελπίας*, ſeu deſperationis, barathrum delapſus es, unde pedem referre nequeas? Num ſonticus morbus tuus curationem, ac manum Medicam reſpuit, dum iteratò recidivus, ſcurrilitate pleniè furis & exæſtuas? Profectò, *Tacheni*, dum labia doloſa tua contemplor, parum dixero, ſi te *opprobrium & peripſema Sapientum, portentum literati Orbis, maculam Athenæi & Lycæi Medicorum, ἀνθρωπόλεθρον*, ſeu *hominum peſtem, natum ut viperam, & venena, ut obvios quoſque venenato halitu, & contagioſo ſibilo, contamines*, palam pronunciavero. An non à convitiis, criminationibus, ſarcaſmis, & mille ſcurrilitatibus, abſterrere te debebat, non Apologia, ſed vaſtus liber, tuarum nequitiarum facundiſſimus & locuples interpres, editus *Hamburgi* (per Clariſſimum Virum, *Helvicum Dietericum, Regis Daniæ quondam, Electoris Brandenburg. aliorumque Principum Archiatrum*, Anno 1655. quem tu virum, polluto ore, & linguâ doloſâ, prout ſolet contaminata hujus ſæculi, & venenata colluvies, conſpurcare tentaſti, pleno interim alveo in te Autorem redundantibus convitiis? An leve quid, & joculare arbitraris, dum ſuſtinere cogeris, quòd *Berlini famoſæ pagellæ tuæ, raro ſpectaculo, in favillas redactæ ſunt?* Nondum Europâ exulas, *Tacheni*, & cubilia ferarum, ac monſtroſa ſubis antra, nulli deinceps honeſto Viro conſpicuus; cùm te tot Principum auguſta Reſcripta, (Helvicum Dietericum conſule) pœnâ Talionis, &c. damnandum decreverint? Et quæ te non proſcripsêre Tribunalia? Quæ Univerſitates non condemnarunt? Quæ magnifica Medicorum Collegia mores tuos contaminatos calamo memorando non caſtigârunt? Forſan memoriâ exciderunt, quæ tibi inclyta Facultas Medica *Gieſſenſis*, ſub dato *Gieſſæ*, Nonis Januarii 1653. inſcripſit elogia; dum te *Heroſtratum* (formalia allego) *Incendiarium, Virum nequiſſimum, hominem furioſum & deſperatum, cui ne ipſa quidem Panacæa afferre poſſit remedium*, publico inſtrumento denunciat: quòd *Caſſellanum* Collegium, datis *Caſſellis*, eodem anno, te *Caculam, Deſtillatorem, Medicaſtrum, qui diuturno Viperarum contubernio mores indueris uſque adeò ferinos, ut, quod doctrina expugnare non vales, calumniis conſpurcare non erubeſcas*, palàm aſſerit: quòd Decanus & Collegium Reipublicæ *Norimbergenſis*, ſignatis *Norimbergæ*, 23. Junii, 1653. te *belluam infamem beſtiam infrunita fronte, Canem latrantem, Theonino dente famam Virorum doctorum impetentem*, delineat: quòd celeberrimi *Francofurtenſes ad Mœnum* Phyſici, ſubſcriptis 16. Septembris, 1653. tuis perlectis petulantiis, uno ore & voce te *Scurram* denuntiant: quòd magnus Saxonico-Gothanus, & Schwarzburgicus Archiater, Excell. D. *Balthaſar Glaſſius*, datis *Gothæ*, 27. Decembris, 1654. te *Aſinum calcitrantem cui non ſit recalcitrandum*, depingit: quòd Excell. Vir *Ioh. Albertus Huſwedel*, Potentiſſimi Suecorum, &c. Regis, & Hamburgenſis Reipublicæ Practicus, ſcriptis *Hamburgi*, 9 Septembr. 1653. te *Nugivendulum, Aſinum rudentem, contra quem non rudendum, feram calcitrantem, in cujus calces non ſit eundem, ſtultum homuncionem, omnis honeſtatis & bonæ mentis hoſtem capitalem*, ſcribit: quòd acutiſſimus *Conradus Theodorus Lunckerus*, Eloquentiæ & Medicinæ Profeſſor in Academia Marpurgenſi, in literis *Marpurgi*, Idibus Maji, 1653. datis te *famæ & boni nominis Prædonem, Pſyllum, venena tantùm ſugere natum*, &, quæ cætera, taceo, honori tuo conſulens, palàm ediſſerit; & ſubjungit, *totum Tachenium, quantus eſt, non, niſi ex malitia & Atheiſmo conſtare, vitæ ac famæ latronem*. Hæc ille: Candidiſſimus denique Vir, & inculpatæ vitæ, *Helvicus Dietericus*, quòd, poſtquam te à Juriſconſultis Helmſtadienſibus, Colonienſibus, Ingolſtadienſibus, pœnâ Talionis, ac infamis trabis, afficiendum eſſe, demonſtraſſet, *Orbis impoſtorem, mendaciorum Patrem Sycophantam, Falſarium, Nequam, Corvorum eſcam*, definit, ac anathema ſuum, aut exorciſmum, quo in te fulminabat, abſolvit. Plura afferre, vetat pudor: Neque enim tot Raviſius Textor abundat Epithetis. Hæc verò nondum digeſſeras, &, ecce, noviſſimè, paraphrenitico ſimilis, & furioſo, ut canis, redis ad vomitum, ut ſus ad volutabrum luti, & indigeſtam crapulam tuam, ac olidum virus, lymphatus in Zwelferum revomis.

mis. Quid aliud tantorum Virorum suprà recensitis elogiis tuis, ac justissimæ censuræ, addere mihi licet, quàm illud magni Lipsii:

Perniciosiorem hoc homine si quis viderit,
aut gloriarum pleniorem, quàm illic est:
Me sibi habeto; Ego me illi mancipium dabo?

Et hic est Magnus ille *Otto Tackenius*, nunc *Tachenius*, *redivivus Hippocrates Chymicus*, *novissimus Salis Viperini Vindex:* quem multi antehâc delinearunnt; nos depinximus. Hujus effigiem cùm totus desideraret orbis; ipse verò, laudum suarum verecundus præco, *Tachenius*, opusculo suo præfigere neglexerit: nos illum describere voluimus, ac *Ottonem* effigiare. Nam

Sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat.

Aut, si *Mantuano* Poëtæ, & *Virgilianis* versibus, majora in arte tribuere, animus sit, hæc est *Ottonis forma:*

Prima hominis facies, &, pulchro pectore, Virgo
Pubetenus; postrema, immani corpore, Pistrix.

Hisce, *Amice Lector*, novi hujus Hippocratis Chymici typum, lineamenta, & effigiem, basilicè, & ad autographum, conformiter delineavimus, adeò, ut ne à Zeuxe majora desideres. Nunc à penicillo ad Calamum, à tabula ad nostrum Rabulam, digrediamur, ejusque doctrinam & lucubrationes eventilemus.

Edidit igitur *Venetiis*, sub signo *Minervæ*, Noctua, *Tachenius*, libellum quendam, anno 1666. in quo Hippocratis Coi, divini illius Senis, insignia & nomen sibi arrogat scelestus blatero, dum clandestina furta, & rapinas, è magno Hippocrate, (meliori jure dicendo) *Helmontio*, sub schemate *Hippocratis Chymici*, seu, *novissimi Salis Viperini*, *antiquissimis fundamentis asserendi*, evulgavit. In hoc opusculo potior ejus instituti ratio fuit, ut librum meum, *Animadversiones* nimirum *in Pharmacopœiam Augustanam*, *Regiam Pharmacopœiam*, & *Appendices*, toti hactenus Europæ utilissimos & gratos labores, nequiter, seditiosè, ac temerariè, arroderet & cavillaret Tenebrio. Ne proindè Respublica Medica, ab ejusmodi pestibus se affici, sentiat; ne uberrimus fructus lucubrationum nostrarum intercidat, quem hactenus sensit Illustris Studiosorum Indoles; ne hæc fera impunè grassetur & sæviat; ne denique omnem famam arrodat contumeliosus Furcifer; hanc Apologiam, violenter stimulatus, illi destinavi, ac cum *Tachenio* non tam in arenam, quàm judicium, descendo; suadente hoc mihi Tullio, *l. 3. Offic. Non esse rem ullam tanti, aut commodum ullum expetendum, ut viri boni & splendorem & nomen amittas*; assentiente Plauto: *Si bonam famam mihi servavero, sat ero dives.*

Ad *primum* igitur Tachenii *Caput*, seu *primum Hippocratis novi Aphorismum* digredior, citatis iis tantùm ad judicii tribunal, & æquitatis forum, in quibus magnus hic Machaon palàm, & apertè, nec non nequitiosè, me suggillare attentavit: cæteris multis relictis, quæ, arcano dolo, ex Helmontio descripsit; ut mihi, labori, ac tempori consulam, memor illius Democriti: πολυτελέστατον ἀνάλωμα τοῦ χρόνου; seu: *sumptuosissima jactura temporis.* Est igitur *primum Hippocratis novi Caput* tale:

CAPUT I.

Occasio Scribendi.

TAm ardua est omnium scientiarum perfecta cognitio, ut priùs tota hominis vita deficiat, quàm vel unius disciplinæ radicalem cognitionem, quæ disputabilis non foret, ex libris tantùm chartaceis (a) investigare queamus. Socrates, tùm omnes fermè disciplinas sic perscrutatus esset; tunc primùm ab Oraculo sapientissimus omnium judicatus est, cùm, se nihil scire, palàm fateretur. Quod mihi hîc videtur Ecclesiastes confirmare: (b) *Intellexi*, inquit, *quòd omnium Operum Dei nullam possit homo invenire rationem eorum, quæ fiunt sub Sole: & quantò plus laboraverit ad quærendum, tanto*

Tantum scit homo, quantum ipse operando mente ac manu

certè innotuit.

a non sunt tamen rejiciendi.

b cap. 8. v. 17.

tanto minùs inveniat. Etiamsi dixerit sapiens, se nosse, non poterit reperire. Hanc sciendi difficultatem cognovit etiam divinus Hippocrates (c) in nostra Medicina, ut eam veritus non sit, Democrito, per literas, ingenuè confiteri; Neque enim, quantumvis, inquit, jam senex, ad artis Medicæ summam perveni. Et Idem, (d) Vitam nimis brevem, pro unica saltem scientia, ex fundamento addiscendâ, agnovit. Hinc motus est, (e) ut honorari, atque laudari jusserit omnes, qui investigare conati sunt sapientis Naturæ arcana opera: additque, quòd immeritò ullus aliquis ipsorum reprehendatur, propterea, quòd hæc invenire non potuerit. Aliter sentit Scriptor, qui Augustanam Pharmacopœam reformavit, is liber excusus Goudæ, apud Guilielmum Vonhoven, Anno Domini 1657. Hujus libri occasione, elapsis diebus, Amicus meus spectatissimus, Ioannes de Lanou, Bibliopola celeberrimus Vrbis petiit à me, utrum operæ pretium judicarem, ut hîc prælo subjiceretur, &c. Ego quidem titulum audiveram; at scriptum hactenus non videram. Otii enim tanti non fuit, ut in similibus tempus fallerem. Hâc occasione, inquam, succisivis horis, dictum Volumen, non sine admiratione, evolvi, & in hoc, pravam illam notavi consuetudinem, quibusdam admodum familiarem, & contra Hippocratis decretum, ut, quicquid probè quisquam, magno labore, & studio invenerit, posteritatique & publico bono, scriptis tradiderit, illud statim, non quidem ratione, & experientiâ, sed monstrosis calumniis, & conviciis, apud ignarum vulgus traducant, lacerent & vilipendant, ut famam aliquam (Herostrato similes) ex alieni nominis ruina aucupari possint. His vestigiis incedit etiam Reformator Augustanæ Pharmacopœiæ, qui non solùm in Veteres, sed etiam in Modernos, Hippocratis & Galeni sequaces ita debacchatur, ut nullum ferè convitium excogitari possit, quo hos non adspergat: quem cum olim perficiendi modum Viperini salis, sub metaphora, docuissem, (apertè negassem) nunc pro fuco proclamat; imò imposturâ impedire, ne publici juris fiat. (f) Ego ingenuè fateor, quod Reformator hic saltem verum dicit. Nam quicquid Medicos olim, laboris amantes, illustres reddidit; illud ipsum impostores dolosè adulterant, hos timuit meus Hippocrates, ea de causa medicamentum Antipestilentiale, quo cum divinos sibi acquisivit honores, subticuit: quam feliciter, & securè curaverat, ut testantur Epistolæ.

c. in Episto.

d. 1. Aph. 1.

e. l. 1. de diæta.

f. Pharmac. fol. 487.

Impostores timuit Paracelsus, qui insanabilia corporis contagia, mirificâ arte sustulit, ut sonat Epitaphium, quod Salisburgi in Nosocomio, apud San. Sebastianum, Lapidi insculptum spectatur.

Imposturam timuit, nostris temporibus, Lazarus Riverius, qua de causa Febrifugum sub metaphora edidit.

Sic prudentissimè abscondit Helmont. Liquorem, quem, cum Paracelso, corrupto nomine, Alcahest appellat; qui tamen ab impostoribus tutus non est: quin pro eo, à Reformatore, acetum substituitur. (g) Hinc malo meo edoctus, mei Pædagogus factus; animo revolvi sapius istud Eschemreuteri, ad Gratarolum: Leviori jure scis, Bononiæ latam sententiam, eum proditorem patriæ appellatum, furcâ dignum proclamatum, qui primus Filatorium (est machina, quâ seta bombicina fusis artificiosis in fila trahitur) in Germania, Tridenti sccl. præpar.

g in Appendice. fol. 72.

Vnde, non sine causa, timidulus, ne, præ torpore, & ignavia mea, ad manus impostorum dimanaret, abscondi hactenus, quod Medicum nobilitat: & præcipuè, ne dignus atque indignus eandem subirent sortem. Importuna autem Reformatoris efflagitatio (h) effecit, ut ex magno Experimentorum & Observationum mearum cumulo excerperem, quæ (ut dicitur) mihi canerem, in quâ meum ipsius usum destinaram, ad publicam utilitatem nunc profero; servato tamen Hermetis præcepto: (i) quòd nimirum sapientia Autoris major debeat esse suo libro. Fatum autem inevitabile quò trahit, eundum.

h Pharmac. 487.

i. Libro radicum

Nunc verò hunc laborem assumo libentiùs, quò errantibus viam rectam demonstrem, & in eandem, si fortè aberraverint, revocem; ut etiam, qui hanc artem hactenus persecuti, errores aliquando emendent, ac sapere incipiant; ut &, qui eam exercent, naturæ fundamentis firmatam intellexerint, ut ab impostorum, & sophistarum, dolis & fraudibus in futurum tuti sint. In hoc autem labore potiùs causâ veritatem,

Soli illi docent qui per causas & principia certa docent. Aristot. in proœmio

Meta-physicorum. *tem, quàm locutionis ornatum, quæsivi: Veritatis enim sermo, ait Euripides, simplex existit, nec interest, in dicendis veris, quali sermone utamur, præsertim, quòd Cicero Eloquentiam in Philosopho non desiderat; multò minus Celsus eam, in Medico. Nam cùm de re agitur, inquit Plato, frustra elegantiam, aut ruditatem verborum attendimus; saltem ut rebus, & doctrina satisfiat. Nec amœnas disputationes, aut odiosas altercationes, me diffudi; sed, quicquid sensibus occultiùs se obtulit, illud, experientiâ duce, vestibus spoliavi, & veritatem rerum planè nudam ante oculos conspicientium exposui, adeò, ut singulis, omninò omnibus, innotescat. Hæc brevitatem optat; non disputat: atque hoc servavi.*

Instam ad causam tria verba sufficiunt ait Pindarus.

Huc ergò adeste, Veritatis Amatores: vos admiranda, & jucunda, vestris oculis aspicietis, & manibus tractabitis, quæ abscondita, & occulta à sensibus, & cognitione hactenus steterè. Nunc ipsum opus aggrediendum.

QUasi diceret, cum divino Sene, quem, ut Simia, in purpura, *Tachenius* per omnia æmulari studuit: *Vita brevis, ars verò longa*; scientia, immensa, vita autem nostra brevis ævi, & nonnunquam ephemera. Ut proindè scientiæ amplitudini angustioris vitæ nostræ spatia minimè commensurari valeant. Sed an non de te, *Hippocrates Chymice*, illud Græcorum verificatur: Λόγοις μὲν Ἑρμόδωρος ἐμπορεύεται: hoc est, *Sunt Hermodori verba mercimonium?* Quid, quæso, præter inanes sibilos, & verba crepas? Quis nescit, quòd artis, & scientiarum, prima Theoremata, ac plena cognitio, infinitas recondant difficultates, paucisque, in tam fugaci vitæ curriculo, ad intima penetralia detur aditus? Quid ludis, & nugaris, cum Mercenario tuo, in terminis, ac vocibus, *Tacheni?* Nosti ne, quid in Philosophia sit, dicere: *radicalis cognitio?* Profectò longè aliud sonat in *libris chartaceis*, ac *virgineus*, ubi castissimæ Palladi obsequium deponitur, quàm tu hîc applicas. Sed, heus, *Tacheni*, an tibi infusa scientia obtigit, cum Salomone? An Jovis Diphtheram inspexisti, quòd tàm audacter chartaceos libros, *Papyracee Doctor*, exsibilas? Reliqua, quæ, ab Inductione, Socratis exemplo, affirmas; & autoritate Scripturæ vera sunt. Disce hoc ipsum & tu, ab Oraculo, quòd, sicut Socrates sapientissimus habitus fuit, ipsis etiam attestantibus Superis, qui tamen, se nihil scire, palàm professus est, ita tu, *Tacheni*, omnium sis stolidissimus, & bipedum nequissimus, qui omnia scire, & sublimem scientiam, tibi arrogas, Viros doctos, & Pædagogos tuos (uti sequentibus demonstro) turpiter aspernâris, ac sic artem brevissimam fingis, quam tamen nemo unquam emensus est. Et verò, si verax esses, ac ingenuus, minimè inficias ires, quòd longè dispar fuerit instituti tui ratio ac scopus; non scilicet, ut vitam brevem, ac artem longam esse, demonstrares; sed ut *Zwelferum* (quem *Reformatorem* nuncupas,) in *Augustanum* animadvertentem, propriâ quadam, & nonnullorum adhuc, titillatione forsan, ac pruritu, pro libidine, & rabie tua, carperes ac allatrares, ac primus palmam eriperes ei, qui *Zwelfero* insultaret.

Quid enim aliud, quàm petulantem æmulationem, & livorem, sonat temeraria illa tua *transitio*, quæ *pag.* 2. *lin.* 18. habetur, dum ais: *aliter sentit Scriptor, qui Augustanam Pharmacopœiam reformavit, &c.* Edissere, amabo, Convitiator, in quo à magno Hippocrate resiliat, & aberret, Augustani Reformator. Signa locum, cita paginam. An in eo forsan deliquit, quòd te *Doctorem ad Lyram*, *Graculum*, & *Rabulam* in pulpitis, & foro, tanquam Medicorum Sydus, &, divinâ prosapiâ oriundum, Coum non adorâvit? Præcocis nimium talenti es, *Tacheni*. Neque enim illicò ex omni trunco fingitur Hippocrates. Si benè, & studiosè, Augustanum, ejusque Animadversiones, tractasti; si recens evulgatum Opus nostrum evolvisti: reperies, quàm absurdè scripseris, quàm audacter mentitus sis. Quid enim magis consuetum mihi fuit, quàm, cum Hippocrate, communem lugere sortem, eò, quòd vita nostra arctis limitibus circumscribatur, latissimis verò, scientia: &, recentissimè, in *recusis nostris Operibus*, humanam imbecillitatem deploro, quæ tanta est, ut rarò perfectum enitatur fœtum; utplurimum embryonem producendo, cui ætas, tempus, & magistra rerum, Experientia, obstetricatur, ac últimam imponit manum.

Quod ſi benè perpendas, aliud, non eſt, dicere, quàm artem eſſe longam, & arduam, vitam verò brevem, fluxam, & labilem.

Procedit Convitiator ad alterum Paragraphum, *pag. 2. lin. 23* ubi ait: *Hujus libri occaſione, elapſis diebus, Amicus meus ſpectatiſſimus, Ioannes de Lanou, Bibliopola Celeberrimus Vrbis, petiit à me, utrum opera pretium judicarem, ut hic prælo ſubjiceretur? &c.* Venit ad *Tachenium*, hominem nauci, & teruncii, fraudulentum, & verſipellem, centies convictum, (riſum teneatis, Amici!) venit celebris, ac ſpectatiſſimus Vir, Bibliopola? Quorſum? ad Oraculum, ad Magog, ad novum Hippocratem? Quod, obſecro, contubernium honeſtati, cum laſcivia; iniquitati, cum innocentiâ; viro probo, cum famoſo *Tachenio*? An credibile, quòd, annorum quindecim ſpatio & intercapedine, quibus Reformatoris Animadverſiones primitùs conſpexêre prælum, non obtigerit Vir honeſtior, conſiliis aptior, hoc *Ottone*? Tu ſolus Areopagita, cui æquitas, & rectum judicium, cum dote obtigit; ut velut ad Diphtheram, & Oraculum, Bibliopolæ confluant, reſponſa præſtolentur, conſilia hauriant, ipſi cæteroquin oculatiſſimi? Non quærunt Bibliopolæ, inſenſate *Tacheni*, an operæ pretium ſit, ut hic liber meus imprimatur. Minimè; ſed urgent, inſtant, hortantur, ut recudi ac prælo ſubjici, maturem. Tam enim gratus toti Europæ fuit, ut multa millia in Belgio, & ſuperiori Germania, impreſſa fuerint, nec tamen unicus ſuperſit, innumeris ejus relicto deſiderio. Tantum igitur cavillatio tua, & livor, apud me profecit, ut ſtatim, lecto puerili hoc paragrapho tuo, illud Stagyritæ mecum ruminaverim, *lib. 3. Ethicor. c. 2. Belluæ, ac pueri, Conſilii non ſunt capaces, nec electionis.* Proindè me ſtatim ad opus novum recudendum accinxi, ut tantò citius tibi ilia creparent. Interim autem, quantum ad iniquiſſimam ſententiam tuam, de Reformatoris editis Animadverſionibus; à ſuffragio Illuſtrium Medicorum, & Pharmacopœorum (*queîs ut corrigias calceamentorum ſolvas*, Tacheni, *indigniſſimus es*, prout ipſe confiteris, *in Epiſtola tua, ad D. D. Timplerum*; in qua (ſcis, quid depreceris) iis innumera perhibentur teſtimonia, eaque lucu-lenta. Primas tenet, toto orbe conſpicuæ, & Antiquiſſimæ Facultatis Medicæ Viennenſis commendatio, quæ iteratò hanc mihi attribuit adoream, ac Palladis minerval, quæ talis:

Cenſura prima Inclyt. Facult. Medicæ Viennenſis.

ANimadverſiones in Pharmacopœiam Auguſtanam, & annexam ejus Mantiſſam, cum Diſpenſatorio novo, Domini Ioannis Zwelfer, Medicinæ Doctoris, &c. à Collegio Medicorum Viennenſium deputati Doctores diligenter perlegerunt, & nihil in iis Religioni, vel bonis moribus, repugnans; ſed plurima, non ſolùm Medicis, Praxin exercentibus, & Pharmacopœis ſcitu neceſſaria; ſed etiam ægris admodum profutura, invenerunt. Quapropter utrumque Opuſculum publicis typis digniſſimum cenſemus. In quorum fidem haſce Patentes, Collegii noſtri ſigillo munitas expediri; & manu Decani ſubſcribi, mandavimus. Dab. Viennæ, 5. Aprilis, Anno Domini, 1651.

Joan. Guil. Mannagetta, Doct.
p. t. Collegii Decanus.

Altera:

Cenſura ſecunda Inclytæ Facult. Medicæ Vienn.

ANimadverſiones in Pharmacopœiam Auguſtanam, & annexam ejus Mantiſſam, primùm reviſas, unà cum Appendice ad Animadverſiones; nec non Pharmacopœiam Regiam, ſeu Diſpenſatorium novum locupletatum & abſolutum, cum annexa Mantiſſa Spagyrica, Dn. Ioannis Zwelfer, Medic. Doctoris, propriis Obſervationibus & Experientiâ confirmatum, aliqua, ex Collegio Medicorum Viennenſium, membra ab initio uſque ad finem ſtudioſè perlegerunt, nihilque in his bonis moribus, aut Fidei Catholicæ, contrarium, vel repugnans; verùm multa non ſolùm Medicis, Praxin exercentibus, ſcitu ſummè neceſſaria; ſed etiam ægris admodum profutura, invenerunt: ideoque hæc Opera typis digniſſima cenſemus. In quorum fidem haſce Patentes, Collegii noſtri ſigillo munitas, expediri, & manu Decani ſubſcribi, mandavimus. Dab. Viennæ, 16. Iunii 1666.

Joan. Ludwig, Phil. & M. Doct.
pro tempore Decanus.

Si

Si hæc tibi non ſint pro voto, inſpice, præter innumera, Clariſſimi Viri, D. Joannis *Rhodii* (noſti, quem virum commemoro,) ampliſſimum ſuffragium, dum in Analectis ſuis, & Notis, in Ludovici Septalii Animadverſiones, & cautiones Medicas Patavii, Anno 1652. Typis Frambotianis excuſis, *lib. 2. titul. de medicam. præpar. ac compoſitione*, talia habet:

Doctiſſ. Ioan. Rhodii Cenſ.

M*Ultiplicis uſus argumentum, poſtremus hic Animadverſionum labor, nunquam ſatis dignis effertur laudibus, dum ea potiſſimum plurimis, validiſſimisque rationibus ad partes vocantur, quæ non ſine aliquo errore hactenus, longâ conſuetudine, à Pharmacopæis recepta. Summos hac Viros, poſt Galenum, variè, per omnes occupavit ætates; è quibus cultioris ævi ſcriptor eſt Ioan. Fernelius, &c. At quoniam non ſolo res ingenio peragitur, ſed manus dexteritate, præceptis ea complecti, difficile fuerit: etiamſi, bono eventu, id tentarint* Bricius Bauderonius, Hieronymus Caſtellus, Georgius Melichius, A. Schenckius; *atque, noſtrâ ætate, Chymiatri:* Andreas Libavius, Joſephus Quercetanus, Joh. Beguinus, Oſwald. Crollius, Joann. Hartmann. *Doctor meus,* Zacharias Brendel; *Viri Celeberrimi,* Guern. Rolfinck. *noſtri, ingenio Poſteritati redditus,* Petrus Poterius, Duncanus Bornetti, Petrus Joannes Faber. *Hæc enim talia fermè ſunt, quæ Medicis ἄγραφα καὶ ἄλογα. Fundum interim hunc, ſine dubio, ditabit Clariſſimus* Joannes Zwelfer, *elegans Medicus, qui pridem, ſolerti manu & mente nobiliſſimæ Artis partis exercitatione ingenuè compendifecit.* Hæc ille.

Plura teſtimonia ſi expetis, *Tackeni*, quæ te convincant, cùm ſis Caucaſo abruptior, & Pharaone obſtinatior, forſan & aures tibi jam occalluerint; innumera producere poſſem: pauca interim depromo, non, ut rumores aucuper, ſed ut, velut digito, labia doloſa tua premam, ac fauces tibi obturem. Ex his autem ſunt:

Excellentiſſ. Viri, D. D. Daniel. Geygeri, quem Hungaria, ob felicitatem, & dexteram Praxin, obſtupuit, de dato 14. Calend. Decemb. 1652. qui ſic ad *Zwelferum* ſcribit:

U*Tiliſſimum Excell. T. laborem ſummoperè commendavi, dignumque judicavi, ut, ad Aram Apollineam ſuſpenſus, immortalitate donetur. Certum enim eſt, innumeros, craſſos, & turpes errores in almam noſtram irrepſiſſe Medicinam, imprimis Pharmaceuticam diuque jam, à multis bonis exoptatam & deſideratam fuiſſe competentem Reformationem, & ad frugem meliorem reductionem. Tentârunt hoc non infeliciter* Sennertus, Quercetanus, Mynſicht, Sala, & *alii. Imò memini, olim à Clariſſimo* Philippo Menzelio, *Profeſſore Ingolſtadiano,* & Thoma Mermanno, *Archiatro Electorali, ſimile quid tentatum, ſed humanæ conditionis injuria, non abſolutum fuiſſe. Proinde ſummis encomiis digniſſimum, & Lauro decorandum, Exc. Dn. D. Te judico, quòd, his præclariſſimorum Luminum veſtigiis inſiſtens, etiam aliquid fæcum Augiæ huic ſtabulo ſubtrahere, huicque inclytæ Arti nitorem addere volueris. Quod quidem tantò perfectiùs & feliciùs abſolvi potuit; cùm, juxta Proœmium dictæ Pharmacopœiæ, ſedecim integris annis, laborioſâ & improbâ ſedulitate tam legendo quàm manum ipſam admovendo magnam Tibi hac in parte, experientiam comparaviris. Pro qua inſigni bonitate, & juvandi promptitudine, & Ego, & tota Medica familia, gratias Exc. T. ingentes, & immortales, meritò debemus.*

Ex literis Excellentiſſ. Dn. Doct. Schmidt, Dantiſcani, de dato 8. Febr. 1652.

O*Blata, ab Amicorum quodam, ad bihorii ſpatium, mihi ſunt Animadverſiones Tuæ, in uſitatiſſimam, noſtris in officinis, Pharmacopœiam Auguſtanam, ut, quid de iis ſentirem, exponerem audacter. Breve fuit tempus; unde nec debitè ponderari omnia potuerunt: nec, tenuitatis meæ mihi conſcius, meum, in re tanta tale eſt judicium, repoſui, quod peti debeat. Legi tamen eas curſoriè, & relegi in eis plurima. Gratulor initio mihi ſtatim, inventum tandem aliquem, qui rem hanc maximè neceſſariam aggredi non dubitaverit: cùm quantam ex futilibus, non paucis, compoſitionibus perceperim nauſeam teſtes, apud nos, ſint plurimi. Taceo, quòd, plurima ſine neceſſitate, imò præter rationem omnem, una in compoſitione congeſta eſſe quæ vel ſanis nauſeam movere poſſint ſæpe moleſte tulerim. Hoc tamen magis me affecit,*

quòd

quòd calida frigidis, siccis humida, confusa, agris propinanda exhibita fuerint; idque speciem, nescio cujus, eruditionis præ se tulisse, nemo non existimaverit: cùm tamen farrago talis, jure merito jam dudum risu & cachinnis digna fuerit. Futilem tamen hunc errorem, demisso capite, arietum ad instar, & magni secuti sunt, & nefas, quidquam mutare, existimarunt. Salivam mihi sapiùs moverunt inepta pleraque Electuaria, inutiles Pilularum massa; specierum farragines; & quod ineptiarum est reliquum. Dolui non rarò, Medicinam nostram, imò magis agros, rebus talibus conspurcari. Dolui plura ad pompam magis, quàm necessitatem, ne dicam, præter rationem fieri. Nunc (immane quantum!) gaudeo, expletum esse plurimorum desiderium, detectos esse errores, nec paucos, nec leves. Tibi verò, Amicorum optime, *gratulor, de reportata, ex labore hocce, gloriâ. Talem te nempè gessisti, ut nemo non obstrictum se tibi agnoscat; quamvis non dubitem, fore etiam plurimos, queîs, discere pudor erit, quiq; cavillandi occasionem arripient: hos tamen, cùm rem pro se ipsam loquentem habeas, vel solo contemptu refutasse, sat erit, &c.*

Taceo Excellentiss. Viri, & Medici Scaphusiani, Dn. D. Wepfer/ eruditissimam & prolixam, de me, Panegyrim: ut & fusam Dn. Doctoris *Irmbler.* Epistolam, dato 17. Octobr. 1657. stylo excellenti & acuto; uti vir est omni exceptione major: in qua suum *Zwelferum* plus hactenus dictis evehit. Tamen verba formalia horum amborum Clariss. & Excellentiss. Virorum expressa, summatim, ac breviter, hîc apponere volui. Et sunt:

Excell. Dn. D. Joan. Jacobi Wepfer. Physic. Scaphusian. Ordin. de dato 3. Junii, Anno 1654.

PErplacuit Excell. T. opera, quam in Purganda Pharmacopœia Augustana locavit. Multi, ex praclaris Medicis, jam à seculo, Pharmacopœorum informationem desiderarunt, & sparsim, inveteratos errores tetigerunt; nemo autem eò audacia, dicam rectiùs, fortitudinis, pervenit, qui Authoritati Augustanorum, quæ omnibus, paucis exceptis, sacrosancta habebatur, se opponeret. Laudanda Exc. T. industria, & benè merendi studium, erga totam Medicam Rempublicam. Mecum omnes boni Exc. T. perpetuum virium robur vovebunt; quò reliquis, qua erudito sub pectore versat cuncta, mortali generi publicis scriptis prodesse queat.

Excell. Dn. D. Joan. Chrysost. Irmbleri, de dato 17. Octobr. 1657. in Olmüz.

SVmmas meritò tenemur, boni omnes, Exc. T. agere gratias pro illo labore, quo Pharmaceutici nostri oculi aperti sunt, ut componendorum & praparandorum medicamentorum naturam videamus propemodum nudam. Et quanquam fuerint, & sint, Medentes, qui hanc vel illam Compositionem particularem, juxta leges Augustani, malè fieri, prospexerint, ac proindè melioraverint; Excell. tamen V. glaciem totaliter perfregit & totum stabulum purgando, partem Medicina Pharmaceuticam elucidare, & puram nitidamque Mundo ausa est exhibere. De communicatione Secretorum, ut vocantur, non dico. Plures sunt indigni eorum; nempè, qui, quicquid eorum proprium non est, pro nihilo habent ferè, de artificio, non artifices, malè judicantes. Boni verò gratiam sibi factam & agnoscunt, & in salutem agrorum præparant. Atque utinam mihi res angusta domi non obstaret, haberet Exc. V. qui famam editionis classico divulgaret, tanquam ex merito, &c.

Excell. atque Experientiss. Dn. D. Bartholomæus Moser, Profess. Publ. Dilling. Anno 1662.

LAtorem harum, Juvenem egregium, (qui in Pharmacopœia nostra Dillingana Tyrocinium suum absolvit, & operâ ac industriâ sua nobis abundè fatisfecit; jam verò studio Philosophico picturato, in alma Vniversitate Viennensi, Medicum quoque adjungere, promptiore tamen Marte, quàm subsidiis promptuario, animum induxit) tametsi, pro merito suo, Viennam, np. Patriam, revertentem obtinuit, quibusvis literatorum Patronis & Mæcenatibus meliore notâ commendare non supersedissem: idipsum tamen in Clarissima Dominatione Tua eò liberaliùs exordior, quòd optatam jampridem occasionem, eâdem operâ, jam nactus sum, ut Clarissima & Excellentissima Dominationi Tua mentem meam, super opus suum Exercitationum Pharmaceuticarum,

præ-

præstantissimum, & nunquam satis laudandum, apponere, simulque benè precari possem.

Quamvis n. feracissimum hoc seculum Scriptorum, tàm in Medica, quàm in aliis Facultatibus, numero abundet penè innumero: asseverare tamen possum id sine palpo, me in hac, & palæstra Medica, jam ultra decem lustra sudantem, nihil hactenus vidisse, quod mihi gratius, rei Medicæ utilius, imò magis etiam necessarium, hac ipsa correctione fuerit. Siquidem compositiones medicamentorum tàm multæ, & apparatu, tituloque splendidæ ac pretiosæ, propter incognitam, accuratiùs præparandi, normam, ideoque hactenus rudem & illegitimam, tàm in Veteribus, quàm Recentioribus Medicis traditam, nec non à Modernis receptam, & usitatam, non solùm imperfectæ & mancæ, sed non rarò etiam inutiles, ne dicam, miseris ægrotis damnosæ, Pharmacopœis præscriptæ fuerunt; quæ nunc Clarissimæ Dominationis Tuæ labore, industriâ, limaque dexterrimâ perfectionem suam, à me ipso, cum Quercetano, jampridem desideratam, nactæ sunt.

Sint fortè Obtrectatores lividi, vel arrogantes Zoili, qui errores suos non capiunt, aut capere nolunt; & cum errantibus pertinaciter errare, quàm veritati subscribere, malunt; parùm refert: ringantur, & rumpantur malevoli. Clarissima Dominatio Tua nihilominùs partam hoc labore gloriam, & laudem suam, apud omnes bonos, & æquos arbitros, veritatis amantes, inviolatam æternum servabit. Proindè hortor etiam Clarissim. Dom. T. ut, quoniam rebus Chymicis præparandis dexteriorem, longo usu & αὐτοψίᾳ, notitiam & scientiam acquisivit (sine prolixa tamen ejusmodi medicamentorum farragine, quorum copiâ ingenti, inutili, & fastidiosâ, cum encomiis suis parùm fidis, integra referta jamdudum sunt volumina) sed ipsam potiùs tractandorum Mineralium & Metallorum genuinam rationem, prout in Animadversionibus suis fecit, in publicum proferre, nobisque communicare velit.

Ad quod ut feliciter proficere possit, vitam Clar. Dom. T. prosperam & incolumem à DEO *T. O M. ex animo precor: cui nos unicè commendo. Dilling. 21. Maji 1662.*

Nob. & Excell. Dom. Tuæ

ad officia grata promptissimus

Barth. Moser, M.D. Prof. Publ.

Εὐζωΐαν καὶ Εὐπραξίαν.

Munus Tuum Literarium, dudum Viennâ ad me transmissum, Excell. Zwelfere vitè accepi; quod, ut vidi, ambabus (ut ajunt) sum amplexus ulnis, imò ad os meum appressi & exosculatus sum: adeo gratum mihi fuit donum illud, abs tàm amica manu, ac è tàm longinquis præsertim oris; quo in, ut video, bis honorificam mei mentionem facere, haud gravatus es, (ut verum fatear) ex amico affectu Tuo magis, quàm meo merito. Quippe, ob exiguam illam, quam Ego, in isto elimando, Tibi locavi, opellam, vix promerui, ut mei esses memor, nedum, ut tàm honorificè nominis mei memoriam illi insereres. Quo ipso tamen duplici nomine Tibi me de novo reddidisti devinctum, perpetuoque debendæ gratiæ reum. Vix credis, Amicorum Ocelle, quantis labor iste tuus tam egregius, à laudatis viris, quibuscum hinc inde mihi literarum intercedit commercium, commendetur encomiis, & quantopere Tu illo ipso plures eorum, qui in castris Apollineis sacra faciunt stipendia, tibi devinxeris. Qui, ob id, hunc ingenii Tui fœtum in oculis & sinu gerunt, in τεκμήριον perpetuæ, & nunquam intermoriturǽ, memoriæ Tui. Perge, perge, Amice optime, ævum hoc ulteriùs illustrare ingenii Tui monumentis; &, quæ adhuc premis, servasque recondita, propediem benigniter exprome, & publici fac juris; nec quicquam rabiosos Zoilorum morare insultus, pluriumque mordacia verba: quin contrà audentior ito, proximique Tui, quantum potes, promoveto commoda. Sic Te supremum Numen juvabit, nomenq; Tuum inclyta fama evehet ad æthera. Vale. & animitus salve, mi Zwelfere, *&c. & amare perge*

Hadersleb. Holsat. 1653.
Calamo properante, ipso
die Circumcis. Domini.

merito Tuo Tibi addictissimum

Henricum Custerum, D.

Nobiliss. Excell. Experientiss. Dn. D. Adamus Spenholtz, Viennensis Facultatis Medicus; nunc autem, extra Patriam, apud Jaurinenses Physicus, dato 24. Martii 1666. ita ad me scripsit:

Reddita est mihi Epistola Tua elegantissima, Clarissime Doctor, aviti candoris, & germanæ synceritatis, tessera. Mirum dictu! quantum lætitiâ diffluebam, quòd ex ea percipere licuerit, te denuò majora in re Medica excolenda (cùm maxima jam præstiteris,) pro prælo meditari. Faxint Superi, incomparabilis Vir, ut, qui jam olim nutantibus Medicinæ firmamentis, melior Atlas, succollasti, &, ut quondam Theseum, Gnosia Virgo, è Labyrintheis plexibus Medentes duxisti filo; sic deinceps Numen appareas, homo homini Deus. Utinam, Excellentissime Zwelfere, æquus omnibus sit oculus, & non quis scripserit, sed quid scripserit, animadvertant; elatiore inflati spiritu, saniora non respuant consilia, nec eruditi detrectent, sine sensu sibi ipsis sapientes. Habent certè quod mirentur, in scriptis Zwelferianis, Philosophi; quod æmulentur, magni nominis Chymici. Et pauci hactenus Scriptorum (suus cuique sit honos) Te adæquarunt, quantum memini, supergressus nemo. Quanti autem doctissimas Animadversiones Tuas, & Notas, faciam, ut demonstrem; illud de his, quod, de Homeri Iliade, magnus olim Macedo, mihi dicendum venit: diem me perdidisse, reor, quo Zwelfero non vacavi. Age, quod agis, & cæptum curriculum ad bravium usque prosequere. Et, si te fors, cum columbis, censura vexarit, illud indubitatum habeto: quòd, invideri, sit Excellentiæ nota, ærarium gloriæ, & famæ nunquam intermoriturę possessio Vale, Doctissime Virorum, & Trophæa Tua ad emorientis usque Oceani oras, ad Herculis Columnas, extendito, donec aliquando palmam cedas, maximæ spei, & raræ educationis, paternarum Virtutum ex asse hæredi, filiolo Tuo, qui etiamnum ex rudi adhuc massa, quasi præfulgidus Adamas, resplendet: ut verissimum sit, animum sapientem nasci, non arte parari; nec imbelles generare columbas, Aquilam. Hunc ut in ævum Cælites sospitent, cordialissimè auguror. Valeto.

HÆc si quis æqua lance perpenderit, certissimò comperiet, quòd nefarii hujus, impiique Tenebrionis, *Tachenii*, conatus, quos, in scribenda Epistola, de famoso liquore Alkahest, ad Sereniffim. Ducem Holsatiæ Sleswicensem (acriter instando, ut typis mandetur Hamburgi, stylo infami) impendit; quòd temerarii ausus, novi Hippocratis, quos in Pseudologia sua, seu propudioso Apologetico scarasmo, quo innocuum, totique Europæ spectabilem Virum, *Helwig Dietericum*, contra jus & fas, impetuosè lacessit, attentaverat: quòd monstrosæ denique calumniæ, quibus, ad Vindicias, Echo ejusdem, plenis buccis resonat; quibus adversus Viros maximos, & super candelabra constitutos; quin imò adversus inclyta Medicorum Collegia, celeberrimas Universitates, & Respublicas, licentiosè debacchatur: quod, inquam, tantam fidem, vires, ac pondus, non obtineant in conspectu Solis, & universi literati Orbis, quantum Reformatoris Opus, & lucubrationes, quotidiè affectus, & authoritatis, à summis & imis, ut Reformatoris Animadversiones indies divulgentur ampliùs, & emergant; Cavillatoris verò, & Calumniatoris, *Tachenii*, monstrosi partus, & infames chartæ, sollicitè demergantur, supprimantur, aut cum infamia crementur.

Subjungit hoc eodem capite, *pag.* 3. *lin.* 3. Calumniator, dirigente tamen manum, & calamum, mercenario Scribâ: *Hac occasione, successivis horis, dictum volumen, non sine admiratione, evolvi.* Et infrà: *His vestigiis incedit etiam Reformator Augustanæ Pharmacopœiæ, qui non solùm in Veteres, sed etiam Modernos, Hippocratis & Galeni sequaces ita debacchatur, ut nullum ferè convitium excogitari possit, quo hos non aspergat, &c.*

Evolvisti tumultuariè, & incuriè, *Tacheni*, opera mea, & saltim ut canis ad Nilum. Quid mirum, si parum inde hauseris emolumenti? Nam si tibi quieta foret indoles, si honestatis ardor, si veræ scientiæ cupiditas, neutiquam talia per transennam, & superficialiter, ac quasi aliud agendo, tractasses. Quis igitur demiretur, quòd errores erroribus, absurda absurdis, cumules; quod illa innocuis chartis meis

meis affingas, & imputes, quæ infamibus pagellis tuis omni jure debentur? Evolvisti, non sine admiratione, dictum volumen. Est enim hic avitus stultorum mos, ut ea mirentur, quæ ingenium suum superant. Vitulina capita, & vaccina, attonita stupent, ad novam, ut ajunt, portam. Est hæc consuetudo maledicorum, ut, quod non capiunt, carpant; quod attingunt, calumnientur. Ait enim Rabula, *quòd in Veteres, ac Modernos, Hippocratis & Galeni sequaces ita debacchatus sim, ut non supersit convitium, quo hos non aspergam.* Quis unquam proborum ac doctissimorum Virorum; (testentur Gallia, Germania, Italia, Anglia, quin universa Europa, ubi Reformatoris doctrina percrebuit) quis unquam molestiùs stylum meum pertulit, quis, sibi gravem fuisse calamum nostrum, conquestus est? Solum te, Hydram, *Tacheni*, multis nequissimis ac stolidis capitibus infamem, ac cornutum, ac rancidum *Schmuzium* (ut vel ex Socio conspicuus esses, ac Collegâ) si excipiam, nemo hactenus fuit, qui vestris mendaciis conformia effutiret. Erue, nequissime, justam censuram, ex superiùs allato suffragio Excellentiss. & Doct. Viri *D. Daniel. Geigeri*, M. Doct. apud Cimbros Oraculi, & Venerandi Senis, quod super Opera Reformationis (cum tamen & ipse ex Celeberrimo Augustano Collegio, quod, velut Columna, fulciebat, membrum fuisset) fideliter mihi tribuit. Innumeros alios causæ meæ patronos verecundo silentio involvo, ne & eos convitiorum plaustris oneres, ac *Asinos, Stultos, jucundos Sodales, Muscas conspirantes* (ita petulans *Tachenii* Vindiciarum Echo resonat) prostituto ore, compellare possis. Interim autem, quòd notorios, & cuivis obvios ac conspicuos errores, quibus, velut infami lolio, passim Authores scatebant ac luxuriabant; quòd, inquam, errores, proprio etymo, errores dixerim, ac, nemini palpando, veritatem peroraverim; non est actum conviciandi libidine, aut cavillandi: neutiquam; sed solo unoque communis boni ac emolumenti studio, ne tot Zizaniis incultus Medicorum ager squaleret, Medicis imponeretur, Ægrisque pessimè consuleretur, sæpè ad incitas, & vitæ discrimen, adactis. Neque enim vereor, mi *Tacheni*, ea denuò recolere, ac palam effari, quæ, citra notam, & calumnias, prodire à Reformatore non posse, querulus, clamitabas. Dixi enim, & repeto: Tam ulcerosum, & prostitutum est seculum ac ævum nostrum, ut nunc scientiæ sint turpis quæstus, artes mercimonia, Medici multi (tu Coryphæus es, & signa præfers, *Tacheni*,) impostores; qui quandoque non tam quærunt salutem Ægrorum, quàm subsellia honorum; non tam sanitatem, quam speciosi nominis, ac respectus, vanitatem. Unde videre est, suo quemque passim abundare sensu, speciosis remediorum formis (quas Receptas indigitant) Officinas undique, libros, ac tomos, scatere; quæ, præter sesquipedalia verba, & magnificos titulos, (ita Tuus *Hippocrates Chymicus*: insignes ac ingeniosi tituli; stulta marginalia se habent) aliud non præ se ferunt, quàm ut Tyrones Medicos argute deludant, morbis incrementa tribuant, ac sæpè Patientes præmaturâ morte pessundent. Quòd hæc, & similia, sedulus Reformator candidè animadvertit; quòd abusus hosce detexit, reformavit; quòd meliora substituit; quòd denique Medico, Ægris, Vitæ, & Mundo, obsequium præstitit: Conviciator, Ironicus Reformator, sudes in Oculo, huic Nyctalopi, Blateroni, ac Mimo, *Tachenio*, fuit. Nam ipse jam pridem universam scientiam Medicam, & bonas Artes, scientiarum Præses, ac Antistes, in sui clientelam acceperat. Verùm indulgeamus aliquid imbecillitati hominis. Nam occurrit mihi illud, Hipponensis Præsulis: *Quid Stulto propius, quàm velle, & non posse, nocere?* Et illud Senecæ, *Epist.* 14. *Nunquam in tantum invalescet nequitia; nunquam sic contra virtutes conjurabitur: ut non Philosophiæ* (Pharmaciæ) *nomen venerabile, ac sacrum maneat.* Tu, mi *Tacheni*, cum paucis leviculis, *Musca* es, *in Apulia*, *Atomus*, *in littore maris*, *Pulex subsaltans*, *in Theatro Universi*, nec non in *Medicina*, *Pusio*. Magnifica proinde verba tua, ac Gygantæa vox, quam tibi affingis, omnibus risum movet, & cachinnos. Nocere vis; sed nequis,

Nequissime. Vana est sine viribus ira tua: atterit te, & opprimit, quin imò conculcat, tantorum Virorum, sanè in Medicina Procerum, majestas. Abscede igitur, Solis splendorem non sustines, *Noctua.* Tot enim augusta habet Præconia Reformator; tot literata Testimonia; quin imò vocem Populi, Universitatum assensum, Doctorum tributarios affectus, Europæ totius Celeusma, & festivum Pæana: ut mirari non opus habeas, si in calumnias, & probrosum tuum caput, vetus illud Græcorum detorqueam, & tantum æstimem convitia tua, ac

Εἴ με γυνὴ βάλλοι, ἢ παῖς ἄφρων.

Hoc est,

Si me Mulier, vel verberet Infans.

Succensere igitur non debebas Reformatori, quòd tot dissonas, ac inconcinnas, & vel per centurias nonnunquam ingredientium sibi adversantium constitutas formas remediorum modestè redarguit. Ipsum Te priùs in sinum manum tuam reponere decebat, & trabem ex oculo amandare, quàm talia scriptitares; memorem, quòd tu pejora his, quòd pessima scripseris; indiscriminatim nimirùm viros doctos suggillando. Veni mecum, vide, applica Ephot, lege, qualia effutias: *Profectò,* ais, *Congressiones simplicium, ad ignari lubitum facta, Reges infatuant, & exanimant,* pag. 234. lin. 3. Et iterùm, lin. 9. *Receptarum combinatores, tanquam sortilegos, Consulo, fugiendos & propellendos; qui de suis prodigiosis compositionibus de malis nostris negotiantur, & super Vitam nostram mittunt sortes. Impossibile est, inquam, ut de sola Vrtica ostendi, aliquid certi statuere posse, nisi sola opinione, & conjectura.* Hæc tu magnificè blateras, sed genericè nimis, profectò, & universaliter: limitare debebas propositionem tuam. Falsum est enim, omnium Doctorum Virorum Composita, & Magistralia pharmaca, esse reprobanda; uti nec omnia approbanda. Opus est delectu, ac manuductore, quo alia probamus, alia rejicimus; quanquam, *inconstantissime mortalium, Tacheni,* te ipsum arguas, Tibique contradicas, *pag.* 238. *lin.* 1. ubi totus in encomia Theriaces effusus es. *Quemadmodum,* dicis, *ex diversis simplicibus, per fermentationem coünitis, fit Theriaca, cui unicus rector prædominatur; hinc ab Avicenna magna Virtutis prædicatur, ut in præfatione notavi, &c.* Ex quo manifestum fit, te Mendacem esse, plenum contradictionibus, ac, præter voces, & sibilos, nil majus tua scripta possidere. Miser proindè es: (loquor cum *Sid. lib.* 5. *Epist.*) Miser, inquam, es, qui antè compulsus es docere, quàm discere; tanquam sterilis arbor, cùm non habeas opera pro pomis, spargis verba pro foliis; cùm non adsit medulla sensuum, abundat spuma verborum. De cætero, quæ, ac quanta elogia debeantur Theriacæ, fusius alibi, ex instituto, tractatum reperies. Interim ego semper eò annisus, totis viribus inclinavi (testimonium mihi perhibent *Animadversiones* meæ) ut æmularer naturam, genuinus Philosophiæ cultor, ac per omnia unitati, & medicamentorum uniformitati, studerem ac consulerem. Quod dum sollicitè præstiti, nulli injurius, multis tamen proficuus, neminem D. D. Augustanorum suggillando, aut in particulari commemorando: eas tamen abs te retuli injurias, probra ac convitia, quasi in te famosum aliquem Liquorem Alcahest, seu infamem, criminibus & calumniis horridam, Apologiam, ore sacrilego, evomuissem.

Neque verò his cancellis lingua dolosa tua, *progenies Viperarum, Tacheni,* potuit cohiberi: ultra temeritas tua te sollicitavit, ut in propria nimirum sævires viscera, ac Deo, naturæ, & humano consortio injurius, ac perduellis, Præceptorem tuum, magnum Scriptorem, Helmontium, à quo fortè omnem haustisti sapientiam; cujus sententiis, stylo, eruditione, operâ, ac inventione, novum tuum Hippocratem Chymicum (arcano furto, & alieno ære) divulgasti & comparasti: hunc, inquam, Virum, qui tibi unus, pro mille, Pædagogus & Bibliotheca fuit, in memorata sæpius *Epistola* tua, *de famoso liquore Alcahest, Invidiosum, Mendacem, sui immemorem, nimium credulum Helmontium,* (stylo Orco digno) sine fronte & verecundia compellares. Et, ne parerga, & peregrina, tibi loqui videar, ac, more tuo, hyperbolicus esse; proprii textûs tui subjungam

jungam formalia. *Profectò*, inquis, *invidiam hujus Viri* (nimirum Helmontii) *admiror*, *quòd vix audet materiam nominari*, (scilicet liquoris Alkahest) *& nihilominus conquerit de difficultate præparandi*, *immemor continuæ suæ increpationis*, *de caritate & liberalitate erga proximum.* Item: *Liquor Alkahest Helmontii est non ens: Facile credulus Helmontius*, *quæ scripsit*, *non intellexit: verum non deprehendi*, *quod scripsit Helmontius de Sale Spiritûs Vini. Neque hoc verum est*, *quod Helmontius scribit*, *quòd Spiritus seu Oleum Vitrioli attactu Mercurii degeneret in alumen. Plurima in Helmontio*, *cum animi aversione*, *ad nauseam usque examinavi*, *ubique perspexi*, *quod insomniis*, *citra experientiam*, *nimiam fidem adscripsit.* His encomiis & scommatibus Magistro optimo parentavit posthumus discipulus,& ingratus plagiarius, *Tachenius*. Quid igitur obstupescimus, si in exteros injurius, si in Europæ Medicos, si in Universitates, calumniosus extiterit, qui tanta in Magistrum evomuit; uno levique motivo ab Helmontio divisus, quòd non illicò secretam clavim ad abdita libri sui mysteria, huic dignissimo Secretario, & naturæ Mystæ, crediderit. Non tibi, profectò, frater,

Non tibi per ventos assa columba venit.

Ora, atque labora: Vitam & vitia emenda; &, juxta Senecæ monitum & hortamentum, *Ep. 76. Mores primùm, mox sapientiam disce; quæ sine moribus malè discitur. Est* Enim, ut inquit divinus Paræmiastes, *Timor Domini principium sapientiæ.* Et verò, quod si benè memini, ac verba tua perpendero, *nove Hippocrates*, hoc ipsum vetas, &, *pag. 229. lin. 6.* doces, *secreta non esse detegenda*, *nisi in parabolis*, *allegoriis*, *metaphoris*, *involucris*, *& similibus figuris.* Digna tanto Magistro doctrina! Semper enim N. quærit A. & fur latebras, & infamis angulos, & mendax allegorias, & impostor metaphoras, & convictus involucra, & rabula parabolas. Ut quid igitur, si eadem sensisti, tanto Viro, Helmontio, succenses? Ut quid tanti Viri severiora acta, lucubrationes, ac scripta, nugas, crepundia, insomnia esse, arguis? Meo judicio inaniter grunnis, latras, ab barris; *Tacheni*; cùm eadem dictaveris, in novo Hippocrate tuo Chymico (si tamen tuus est, & non Creditoris Helmontii) *non esse detegenda secreta*, (hoc est, furta tua) *nisi in parabolis & allegoriis.* Vides igitur, mi Hippocrates, Chymiaster, quantum hic denuò vapules; vides quòd iterum veneris

ὗς ὑπὸ ῥόπαλον: hoc est, *Sus sub fustem.*

Neque mitius judicium doctissimo Quercetano formavit Aristarchus, *Tachenius*. *Quercetanus*, inquit, *quoque tot arcana promittit*, *& in examine vix Alga reperitur.* Et tu, *Tacheni*, non Algam, sed Paleam præbes, & Carduos: non Hippocratem, quem in fronte promisisti, multò minus salis novissimi Viperini antiquissima fundamenta; sed Histrionem, & Scenicum Thrasonem, exhibes.

Pergis præterea de Basilio Valentino Benedicto; *quòd & ille non habuerit caritatem*, *quando jusserit accipere terram*, *intellexit aquam*: Suspirando igitur de illo, scribis, *Tacheni*, his verbis: *Bone Deus*, *quare permittis crudele facinus in miseros infirmos? quando Basilius scripsit de Butyro Antimonii*, *sub falsis nominibus occultavit particularia medicamenta*, *&c.*

De Crollio hæc: *Quicquid sibi rarum videbatur*; *in fasciculum congessit*, *sine ulteriore examine.*

Quibus Hartmannus *sua crepundia nexuit*, *non docendi gratia*, *sed ut chartam macularet*: *quid stolidius somniari potuit unquam? &c.*

Quid Petrus Faber *non fabrefecit mirabilia*, *citra tamen notam ullius veritatis?*

Observavi quod plerique omnes qui de Chymia tractarunt proximi caritatem neglexerunt, *& mera somnia Posteris reliquerunt*, *sibi quædam in cerebro destillarunt*, *& ita mendacia sunt introducta. Et hæc est causa*, *quare Chymia à plerisque Medicis spernitur*, *ut figmentum (quasi Medicina Galenica ubique vera foret*, *quia licet*, *ut sit post Hippocratem bis mille annorum exercitata tamen nullus est qui revera ad unius individui temperamentum dignoscendum possit pervenire.)*

Et hæc sunt scenicæ levitatis argumenta, probra, & insaniæ, *Tachenii*, lymphati & novi Hippocratis, è redivivo *Hipprocrate Chymico*, è *famoso liquore Alcahest*, deprompta; quibus toti Medicorum scholæ, & emeritis Practicis, quin ipsi Galeno, & sequacibus, turpi sarcasmo imponit, nec non & sibi illudit: dum se unum, & solum, Physicum jactitat, & Hygiææ sacris initiatum; reliquos verò ne unius individui temperamentum nosse, temerariè ac superciliosè statuit, & convitiatur. Verùm hæc licet decumana sint probra, & famosa perjuria; majora nihilominus in Magnif. illum Virum, *Helvic. Dietericum*, multorum Principum, Electorum, quin & Regum, Archiatrum detorquet, in *Apologia*, seu potiùs Pseudologia sua, dum eum nimirum *Abcdarium, Agyrtam agyrtarum, & Medicastrorum omnium astutissimum, abjectissimæ sortis Homuncionem, Alcumistam, Crabronem, Caninam bestiam, Chymiæ titulo turgidum, Asinum, Leonis pelle suffultum, Cinistonem, Circumforaneum, Colluviem omnium scelerum, Detrectatorem, Deceptorem, Expiscatorem, Falsarium, Furem, Fumivendulum, Grammatistam, qui grammata novit, instar pueri, Triumviratus latronem, &c. Hominem naturam, ipsa canina pejorem, habentem, imò Satanæ, non autem imaginem repræsentantem humanam, Impostorem, Mendacem, Mendaciorum Magistrum, Medicastrum Medicastrorum spectrum, Monarcham ordinarium Mundi, Nebulonem, Odiosum, Pseudochymicum, Stentatorem rudem, Stolidum pecus, stultum & insulsum Caput, excæcatum ambitione, Chirosophum, Gloriosum, Arrogantem, vanum Ostentatorem, Anguem Psyllum, Conspiratorem, perfidum & malignum Calumniatorem, honoris Detrectatorem, Infidum, Graculum, Inquietum turbidum & iniquum Authorem, Plebejum futilem & verbosum Nugatorem, Convitiatorem, Imperitum, Mendacissimum, insulsum Blateronem, Pepone insulsiorem, Sacrificulum, scabiosum Grammaticum, calumniarum Seminatorem, Camelum saltantem, Aurificem, Matulam, tumidam Bullam, quadratum Polyphemum; quantum quantum, nil, nisi Mendacem, Merdarium, Præstigiatorem, miserum Lachrymistam, qui Tartarum comburere nesciat, Virgularum substitutorem, Asinum Balaam, Fumivendulum magnum, Cerberum, Atheum, Sycophantam, & Nequam pessimum, apud DEUM impudentem temerariumque Fanaticum, Simulatorem pietatis, Tartareum, Scholasticum, cujus Præceptor Satanas, Mendaciorum Princeps, dignus ut catenis in Tartarum præcipitetur, insulsum Iumentum, insanum, injustum, & temerarium Iudicem & Proditorem, Stultum, Nugivendulum, & Vaniloquum, Mendacem ubique, inauratum Scarabeum, Amicum non habentem vestem Nuptialem, Stultum, quem gloria vexat inanis, Furem pessimum, Detractorem alieni honoris, stolidum Pecus,* Tachenii *Mastigem, Falsarium falsariorum, Asinum desidiosum, Grammaticum & Scabiosum, mendaciorum Mercatorem,* Cerebrum *in lingua gerentem, stercorarium Poëtam, Thrasonem, Doctorem quæsarium, Accusatorem mendacem, mendaciorum Sartorem, aureum Asinum, magnum Ardelionem, mirificum Grammatistam, miserabilem Censorem, Miserum Falsarium Aulicorum Philosophum, Hydram. Amicos* verò Domini Doctoris *Helwig.Ieterici* ii nominat, utpote *Impotes, & Perfidos Blatterones, Susurrones, Asinos, & jucundos Sodales.* Ita etiam Excell. Virum, Dn. Doct. *Knefelium*, Regis Poloniæ quondam Archiatrum, vocat *Fraudulentum Triumviratus Latronem, & quòd totam Poloniam ferè spoliaverit suo Clisso, Famicidam, &c.* Item Excell. D. *Templerum*, Herum olim suum, & Præceptorem, à quo, si quid in Chymicis pollet, cuncta mutuatus est: illum, inquam, vocat *Sapientum Octavum; qui vitia mendaciorum, Senex jam, non deposuerit; quibus gaudeat in hunc diem: mendaci lingua in Parentem sæviendo; Graculum graculo insidentem; Furem, &c.* Ab his detractor, & infamis diffamator, ad Collegia Medica descivit, utpote *Hamburgense, Helmstadiense, Norimbergense*; ab his iterum, factus robustior, & audaculus latrunculus,

lus, in *Universitates Inclytas* irruit, nimirum in *Helmstadiensem*, *Marpurgensem, &c.* Reverendissimum *Ministerium Hamburgense*, innumeros Viros doctos, *Iuris Consultos*, *Collegia Iurisperitorum* quamplurima, *Coloniense*, *Ingolstadiense*, *Marpurgense*, *Principum*, *Electorum*, *ac Regum*, *Secretarios*, *Notarios Publicos*: &, ut compendio utar, contra omnes denique eos hic furiosus Onager recalcitravit, qui, veritati litando, innocuos mores, scientiam, & artis excellentiam, magni Viri, *Helwig. Dieterici*, coram Magnatibus, Principibus, ac Regibus, ultrò testati sunt. Et, (quod portentum est temeritatis) nullo habito Personarum discrimine, ipsis etiam verendis *Principum*, & *Electorum*, *Mitris*, quin nec *Regio* pepercit *Diademati*; dum eos omnes, quod veritatis partes tuiti sunt, in suâ, quâ reboavit, *Echo*, scurrili sibilo, nominat *Mendaces*, *Muscas conspirantes*, *Asinos*, *jucundos mendaciorum Sodales*, *Blaterones*, *quorum judicia tam aestimet*, *quàm habitûs foetidissimos cloacarum Diaboli*, additque, *quòd magna stercoris terri copia requireretur, ad obturandum proterva ora maledicorum convitiatorum*, *&c.* Et hi sunt Aphorismi, ne dicam Orcismi, quos hactenus citavi, *Am. Lect.* & noxius *Hippocrates Chymicus*, Praeceptore Cacodaemone, meditatus est, & professus; ut non immeritò quemvis admiratio teneat, quî fieri possit, ut in uno nequissimo individuo, ac supposito, tanta temeritas, arrogantia, & scurrilitas concentretur: quamquam mira est vis superbiae, quae, ut Cassianus, *super Psalm. cap.* 18. ait, de Angelo Diabolum fecit, omnium malorum mater, scelerum fons, vena nequitiae. Quid mirum, & novum, igitur est, non ex Angelo, sed homine omnium bipedum nequissimo, ac ad omnia scelera & facinus potentiam inchoatam habente, superbiam fecisse Cacodaemonem. Et, ne, quid nimis me dixisse, arbitreris, *Tacheni*, auriculam tuam ad illam, quae de mendaci ore tuo reflectitur, *Echo, pag.* 31. *&* 32. applica; &, quàm te ipsum graphycè descripseris, ausculta. *Diaboli opinio est*, inquis, *quosvis alios Calumniatores appellare* (& cur me in nassam, & nequitiae consortium, pertrahere gestis, dum me Calumniatorem palàm, sed falsò asseris?) *quòd etiam tales fore cuperet omnes*; *sic*, *& ejus filii bonos persequuntur*, *in eos invehuntur*, *sibique laudem comparasse putant*, *quòd alios carpserint*, *&c.* Et qui alios sic audet appellare (scilicet Calumniatores) vel se ipsum talem hoc ipso palàm facit. An igitur ipse non natus sis, *Tacheni*, ad lacessendum impetuosè viros probos, & rabiosâ maledicentiâ insanias? An non coeca tua ambitio ignorantiae nebula sit? &c. Nunc, mi *Tacheni*, subducamus calculum, ponamus rationes, formemus consequentiam. Diabolus est, qui alium, Calumniatorem esse, arguit. Ergo *Tachenius* Cacodaemon est, vel ejus cauda, qui Reformatorem palam Calumniatorem esse, docuit; sed falsissimè. Ex ore tuo te judico, *nequissime Spirituum*: si tamen Spiritus es, & non totus caro. Deficiebat tibi forsan Commilito, &, me sub signis tuis militare, gestiebas? Neutiquam hoc spera, meliora mihi dictitat illibata conscientia & honestatis ardor. Nam, ut S. Bern. *in hom.* ait: *Injustum est*, *servire Diabolo*, *qui nullo placatur obsequio.* Sufficit tibi, quem conduxisti; mercenarius Scriba, vestros non ambio fasces, subsellia, aut Duumviratum. Nam *corrumpunt bonos mores consortia prava.* Optarem enim & illi, quem tibi associasti, corrivali, ut meliores mores induat, nec tam infami labore vitam terat & tempus; memor humanae divinaeque legis, quibus à proximorum contumeliis, famae rapinis, & honesti nominis exterminio, sub aeternae damnationis reatu, latâ sententiâ, prohibemur; quae dum contemplor, vestris abscedo valvis, & consortium vestrum devito. Interim quòd malitiosè scribatis, *quòd Reformator Augustana Pharmacopoeia in Veteres & Modernos Hippocratis & Galeni sequaces ita debacchatus sit*, *ut nullum ferè convitium excogitari possit*, *quò hos non asperserit*, *&c.* judicet inter me & vos ille, qui solus novit abdita cordis, scrutans renes & corda, DEUS. Hic inquam, sententiam ferat, qui iniquitatem vestram scrutabitur in lucernis Jerusalem; cui uni ac soli cognitum est, quo labore, & sudore, quibus vigiliis,

giliis, & impensis, quâ sinceritate, & proximi dilectione, ea, quæ in lucem protuli, invenerim, dispoluerim, & absolverim: quemadmodum hoc tota agnovit Europa, & literatus orbis: amplum laborum meorum prœmium & stipendium. Neque verò ad tam sacra simul, & augusta, appellarem tribunalia, si avita Romanorum lex suo adhuc constaret vigore, quâ severè mandatum ac cautum fuit, ut notoriis, ac convictis calumniatoribus, infame stigma, (teste Lipsio) & litera K. in fronte, publico spectaculo, inureretur: quanquam vereor, mi *Tacheni*, ne, si pro meritis & calumniis tuis, Romana justitia te castigasset, non unam tantùm literam, sed omnes, ab Alpha usque ad Omega, inussisset: verùm res quidem ardua est, effronti inurere frontem.

Transitum apparat Cavillator ad ulteriora scommata, queis Reformatorem impetit, *pag.* nimirum 3. *lin antepenult.* sequentibus: *Quem cùm olim, perficiendi modum Viperini Salis sub metaphora docuissem (apertè negassem) nunc pro fuco proclamat, imò impostura impedire, ne publici juris fiat, &c.* Et *pag.* 5 *lin.* 15. denuò pergit, dicens: *Unde non sine causa timidulus, ne præ torpore, & ignavia mea ad manus impostorum dimanaret, &c.* Porrò, *pag.* 7. *lin.* 12. pergit, magnâ præsumptione, sequentibus: *Huc ergò adeste veritatis amatores, vos admiranda & jucunda vestris oculis aspicietis, & manibus tractabitis, quæ abscon-sa, & occulta à sensibus & cognitione hactenus stetêre, &c.*

Adeste nunc igitur, &, me vel Præcone, vel amico Hortatore, amicas aures præbete, Doctissimi Europæ Viri, & sapientiæ Candidati, audite monstrum è suggestu, è pulpito rudentem, Rabulam mendacem, hominem, cui nec ara, nec fides. Adeste, vocat vos *Tachenius*, *mendaciorum Pater*, *notorius Impostor*, *Falsarius*; abscondita vobis, & à sensibus occulta, nota faciet *Histrio.* Sed quæ Mysteria vobis revelabit *Rabula*? *Perficiendi modum Viperini Salis, quem, sub metaphora, me docuisset potiùs, apertè negasset, &c.* Sed ut Te, Amice Lector, omni amphibologia & hæsitatione exuam, candidam tibi veritatem nudissimis verbis sistam, quid sibi hic *Convitiatoris* paragraphus velit; ac velut ab ovo rem edisseram. Anno circiter 1644. aut 1645. nisi me fallat memoria, cùm dictus *Hippocrates Chymicus* primùm Patavium venisset, mihi antehac ignotissimus, (silentio prætereo, quo sidere & asterismo, quove Comite, discesserit Bremâ, Kieliâ Holsatiorum, Gedano, Fischhusiâ Billaviæ, Regiomonte Borussiæ, Koavia, & Vilnia Lithuaniæ, Varsaviâ Poloniæ, & Viennâ Austriæ. Nobis apprimè constat, & illi maximè: plerumque nimirum Mercurio retrogrado, & Venere ascendente) cùm, inquam, Patavium attigisset, illicò ad ædes meas, seu Cameram locantem, ut vocant, & elocatam, se contulit, &, ut solet hoc genus hominum, blando & sereno vultu, salutationem amicam ab Excellentissimo & Magnifico Viro, D. D. Joan. Guilielmo Mannagetta, Archiatro Cæsareo, deposuit: multa, eaque sincerissima, verba subnectens, omnem mihi obtulit sinceritatem, (Vulpes!) nec non subjungens, quantum meam ambiret familiaritatem, utpotè advena adhuc, & peregrinus. Sors tulit, ut me, laboribus Chymicis intentum, offenderet. Occasionem igitur capillatam arripuit illicò, ac de *Helmontio*, & de *Sale Viperino*, discursum orsus est, multis ambagibus: an nimirum hunc apparaverim, & quodnam de eo meum foret judicium. Ego, nihil sinistri suspicatus (Quis enim, cum Momo, cor dolosum intuitus est?) sincerè respondi: me quidem ex animalibus aliis diversis, eorumque partibus, Cornubus, Carne, Urina, &c. dudum novisse sales volatiles destillare, illosque etiam quodammodo fixare; verùm non sine additione, sed superaddito quopiam spiritu: Item, quòd magna subrepat impostura cum sale Viperino; eò, quòd dictus sal Viperinus, quem magno precio ex Italiâ in Germaniam dimittunt, utpotè merx fraudulenta & adulterina, merus sal marinus sit, in cujus muriâ aliquot Viperas incoquant, &, abjectis demum Viperis, salem denuò crystallizent. Respondit *Hippocr. Chymicus*, se non credere, quòd nossem salem volatilem ita fixare, & à fœtore liberare. Ego verò regerebam, me id in praxim velle redigere, supposito, ut & ipse, reciprocè, modum, quem nosset, fixandorum

rum salium volatilium mihi concredere velit. Dictum, factum. Inivimus, stipulata manu, Germanoque pectore, & sinceritate, pactum, de reciprocâ communicatione fixandorum salium. Irrequietus igitur *Tachenius*, eò, quòd curiosus esset videndi hunc modum, stimulare me non desiit. Igitur salem volatilem, quem eo tempore paratum, Urinæ, habebam, arripui; cui pedetentim affuso spiritu Vitrioli, ad sufficientem saturationem, aut imprægnationem, illum protinus, exhalando aquositatem superfluam, in salem quodammodo fixum, vitreo in vase, ipso præsente, coagulabam. Hoc videns *Hippocr. Chymicus*, in hæc verba erupit: hoc non putassem; seu, in vulgari Germanico: **das hatt ich nicht gemeinet.** Sed nunc tuum est, D. *Tackeni*, inquiebam (jam autem *Tacheni* se scribit, novo etymo) ut tuum mihi, pari fidelitate, modum commonstres, quo Salis Viperini, vel alterius, fixatio tua perficiatur. Ipse verò, nescio, an imposturam, an aliud quid, veritus, rem de die in diem differt, amicâ semper pollicitatione me pascens. Interim, dum honorificè eum semper excipiebam, Romam profectus est. Quæ autem ibidem sale suo Viperino, sine sale Viperino, præstiterit, Romani Celeberrimi Medici testabantur, & Cardinalis Mitra. Româ redux Patavium, ad me denuò confugit. Pristinam iterum in eum benevolentiam & beneficia contuli, de victu, & necessariis, eidem prospiciens: Herum me *Tachenii* dixisses. Vix elapsâ unâ aut alterâ septimanâ, accidit, ut cujusdam Mercatoris Veneti, Germani tamen, Ministrum, etiam Germanum, Melancholia hypochondriaca, cum delirio faceto ac jocoso, laborantem Patavium ducerent, curæ meæ committendum. Considerans ego Patientis statum, & morbi difficultatem, omnem diligentiam & operam pollicitus sum; non tamen citra prognosticum: rem nimirum esse arduam, morbum chronicum ac diuturnum, qui & ipsâ morâ sit futurus magis contumax & diuturnior, nisi in tempore prospiciatur. Hanc occasionem arripuit Commensalis meus fidelis, nunc *Tachenius*, abiit ad quendam Scriniarium, Germanum, cui dictus Patiens commissus fuerat, ac clanculum famam meam, velut cuniculos agendo, subruere conatus, prognosticum meum rejecit, ac nimis audax & rigorosum dixit; eò, quòd ex ignorantia mea, ac indebita morbi cognitione, procederet. Contrarium igitur de Patiente, & morbo, afferebat Prognosticum, magnis additis promissis, quòd intra unam aut alteram septimanam sanitati eum donare vellet, si suæ committeretur curæ. Rei hujus seriem à Scriniario protinus, & fideliter, intellexi; verùm silentio componebam, cautius tamen, quàm solitus eram, hunc familiarem Commensalem tractando. Subodorabat protinus hæc Vulpecula, quòd omnium machinationum & tentaminum conscius fuerim: quare, vel ut majora ab hinc tentare liceret, vel ut, quem nutriebat, conscientiæ vermiculum opprimeret; rem ipse mihi aperire statuit. Assidens igitur mihi in prandio, die quodam, incipit his me alloqui: D. Zwelfer, mihi oblatus est Mercator quidam Germanus melancholicus, delirans, ad curandum: Suscipiamus igitur ipsum nos ambo, & brevi restituemus ipsum sanitati. Ego subridens, regessi: *Dne. Tacheni*, si tam brevi spatio hunc Patientem à tam contumaci morbo perfectæ sanitati tibi restituere fidis, ac præstiteris, uti promisisti, verissimum erit, me nec morbum, nec curam, uti dixisti, intelligere. Proindè lubens soli tibi curam cessero, omnem interim felicitatem apprecans. Hæc fidelis, & sincerissima, quam retuli, responsio tanto magis, pessimè sibi conscium, *Hippocrat. Chymicum* in fermentum egit. Proindè statim aliam sibi, ut vocant, Cameram locantem, & victum, constituit, manifestè conspiciens, quòd tam fraudulentâ societate gaudere nolim; ac *Tachenii* sim pertæsus. Curam igitur alacriter orditur; verùm non unâ aut alterâ, ut pollicitus erat, septimanâ, sed mensibus ac mensibus, me, & tota Germanicâ natione, fideliter arbitris. Cùm autem affectus de malo in pejus semper vergeret, nec ipse tamen dormire videretur Medicus, opprobrio suo pallium & velamen excogitat, ac Patientem incusat, quod lautè nimis cibaretur, & molliùs tractaretur; quæ morbo, ac stultitiæ, non conferrent. Quare aliam, sed præ-

præpoſteram, methodum inſtituit: Patientem, læto delirio afflictum, cellæ obſcuræ, velut ergaſtulo, includit, ut ſic riſum, & lætas cogitationes, exueret; ciboque tenuiſſimo & ſimpliciſſimo tractare jubet. Verùm afflictiſſimus Patiens, tam ſtupidi Morionis ac Medicaſtri (cui potiùs, profectò, ad unguem hæc Cura competebat) ſui jam curationem nauſeans, inſanire totis viribus, reboare, ac tumultibus omnem viciniam in ſpectaculum & commiſerationem trahere; adeò, quidem, ut ex carcere denuò liberari eum oportuerit. Verum & hac non ſuccedente curandi methodo. Hippocratico nova, miſer Patiens, poſt multa perpeſſa incommoda, ac vanum ſalis Viperini uſum, multò, quàm antehac, ſtultior Venetias tandem dimiſſus eſt. Quo autem plauſu tota Germanica natio hunc *Tachenium*, novum Hippocratem, ſit proſecuta, ipſe conjecturam facito, L. Amice. Parum enim abfuit, quin, præ fermento, ipſe *Tachenius* ſtultiſaret *Huc adeſte ergò Veritatis amatores, vos jucunda & admiranda veſtris oculis aſpicietis, & manibus tractabitis, quæ abſconſa & occultæ curæ à ſenſibus & cognitione hactenus ſletere: p. 7. lin.* 13. Jucundum, ſine dubio, & admirandum, ubi Medicus & Patiens pro ſtultitia duellant.

Hæc, tam dextera, curatio infenſum mihi magis reddebat *Hippocratem Chymicum*. Unde non modò promiſſam ſalis viperini fixationem (quam, ſanè, ignorabat) communicare diſtulit, ſed etiam famam meam, ac honorem, incidit clanculum, pro viribus: ſalem etiam meum Viperinum, quem præparabam, & Collegialibus meis, dum Collegia ibidem celebrarem, exhibui, ac ſcripto communicavi, iteratò ſprevit, & annihilavit; Patientes, (ſuo ſtipatus Patriotarum ſatellitio) qui ſe curæ meæ committere geſtiebant, omni ſtudio avertit; verbo denique, nihil petulantiæ prætermiſit; ut meritò ſibi Gentilitium, quod habebat, ſymbolum inſcribere poſſet: *Sumus in mundo.* Interim mihi pro clypeo, & galea, fuit patientia & benedictio divina, probè docto, quòd malevolorum inſultûs nubecula ſint, citò tranſitura. Non tamen deſtiti, promiſſi memorem facere *Tachenium*; licet ſurdo fabulam canerem.

Poſtremo, cùm *Hippocrates* noſter *Chymicus* de Doctorali eminentia, gradu, & excellentia, rem conſideraret exactiùs, ad eam adſpirare cœpit, ſed deterruit eum via, modus, & examen, quo ad hæc aſcenditur. Minus enim erat habilis. Quare amicitiam denuò mecum inſtaurabat *Novus Veterator*, ac ea, quæ ſine numero mihi promiſerat, multis verbis confirmabat, ſaltem in hoc Doctoratûs tentamine maſculè illi aſſiſterem. Ego huic homini ex animo omnia remiſi, ac ſinceram denuò familiaritatem cum eo colui. Unde, quidquid Librorum, Scriptorumque ei defuit, ſubminiſtravi; Examinis puncta tradidi, Objectiones, Caſuum explicationes, reſolutiones, modum Reſpondendi, edocui; infinitas penè curationes, aut casûs, cum eo, repetitorio more, tractavi; verbo denique, nihil eorum prætermiſi, quæ ad conſequendam hanc dignitatem neceſſaria videbantur. Quo labore tantum effeci, ut in æquilibrio eum ſervarem, dum per Pontem Doctorandus duceretur, ne in præceps ageretur: & factus, ſeu creatus eſt Doctor. Habito gradu, peperêre tandem aliquando montes, qui diu parturiebant, &, ut ſolet fieri, natus eſt ridiculus mus, & *Tachenius* mihi ſalis Viperini volatilis, vel aliorum ſalium volatilium, fixationem communicavit, nudè, tersè, ſine gloſſa, ambagibus, allegoriis, ænigmate; *(acidum informat alcali)* verbo denique, ſuo more, fideliſſimè, uti ajebat. Sic igitur doctrina ſonabat:

Accipe, inquit *ſalem volatilem Viperarum, communi modo paratum*, quem diſſolve in *Aqua ſimplicis* ſ.q. nec plus, nec minus affundendo, ſaltem ut in liquorem diſſolvi poſſit. Hunc liquorem ſalinum infunde phialæ longiſſimi colli, ut tres partes maneant vacuæ; deſuper affunde *Olei Tartari deſtillati fœtidi*, ad altitudinem unius digiti circiter; clauſam phialam ſuperiùs probè, ne quid exſpirare poſſit, in cineres colloca, & per menſem, vel ſex ſeptimanas, in calore moderato, ſemper pauliſper aucto, detine; & fixabitur ſal volatilis, cùm caloris ſicci beneficio, tùm etiam olei tartari, quod prohibet, ac impedit, ejus aſcenſum. Tandem ex phiala effuſum ſalinum liquorem ab oleo ſeparabis, filtrabis, vel clarificabis,

ficabis, & ad ſiccitatem reduces. Quis non crederet, aliquid veritatis ſubeſſe ſpecioſo huic Proceſſui; qui hujus doctrinæ priùs non feciſſet periculum, aut meo exemplo cautior eſſet redditus? Quis tàm amicis blandimentis non annueret? Quis tàm nudis, ſine allegoria & ænigmate, (non ſine mendacio tamen) verbis ſe ultrò non manciparet? Credidi ego, & deceptus ſum, non obſtante, quòd jurejurando confirmaverit perjurus. Abii proindè Ego illicò, & propriam, ad opus deſtinatum requiſitam, fornacem, ſeu Athanorem, altâ turri eminentem, fabricavi: quo carbonibus refer. to, octo, vel decem, diebus continuis, uti & noctibus, æqualem, & moderatum, ſervabam calorem; quem non ſolùm uno menſe, aut ſex ſeptimanis, ſed ultra tres menſes, conſtanter ſic moderabar, ne meâ culpâ quid deficeret. Cùm verò, elapſo tertio menſe, calorem ſtudio nonnihil augerem, ad experiundum, num alæ huic avi volatili ligatæ forent; mox cum faſtidio perſpexi, quòd eadem, quæ priùs, volatilitas perduraret. Indignatus fraudes, & impoſturam, rem *novo Hippocr. Chymico* oretenus, non ſcriptis, communicavi, adjunctâ humanâ poſtulatione, ne me falleret, & ex condicto in inanes expenſas imponeret, atque labores. Ipſe verò (ut ſolet hoc hominum genus) jurando ac perjurando inſtitit; non fore alium modum, quo ſali huic volatilitas adimeretur, quàm hunc; non gravaret proindè, uno aut altero menſe ignem continuare. Ego, licet prudenti jam conjecturâ de fixatione hâc deſperarem, ſatisfacere tamen volui *Tachenii* voto, ne quid occurreret, quod excuſationis in medium afferre poſſet. Quare non uno tantùm menſe, ſed tribus, & medio adhuc, hunc laborem reaſſumpſi; ſed, ut priùs, irrito & vano conatu, perdurante eâdem volatilitate, ut ante ſolebat; niſi quòd *Oleum Tartari*, naturâ ſuâ craſſum, adhuc craſſius deprehenderetur. De quo *Oleo Tartari* diſſerit *Idiota*, & *ridiculus Chymiaſter*, quòd in *ſaponem* degeneravit. Sed quod fundamento, & artis terminis, loquatur tam abuſivè *ridiculus* hic *Blatero* de ſapone ſuo, *inſulſus Saponarius*, judicent Viri ſapientiſſimi, & plauſus dent Blateroni, ac mille cachinnos; quòd ignorat, impoſſibile eſſe, nec in rerum naturâ, ut ex Oleis deſtillatis, & ſalibus volatilibus, ſapo conficiatur. Vah! quàm temulentum eſt hoc cerebrum; quàm hirſutum ingenium *novi Hippocratis*. An non vides, quòd ſal volatilis illico avolaret in prima ſui coctura, nec habeat vim & naturam abſterſivam: uti etiam *Oleum* quoddam *deſtillatum* non habet eandem unctuoſitatem, prout *Olea expreſſa*. Non ſunt imbuta *Olea deſtillata* ſale terræ nitroſo, prout *Olea expreſſa*; cujus beneficio cum alcalibus ſalibus congredi, miſceri, ac uniri poſſint. Nec ſales volatiles ſunt alcalia, aut vim ullam abſterſivam habent; nec lixivium ex illis abſterſivum parari, aut unctuoſitas, ſeu pinguedo, illis ablui poteſt. Quare tibi habeat, ac reſervet, *rudis* hic *ſaponarius Philoſophus* ſaponem ex Oleo Tartari fœtido deſtillato, & ſale volatili quodam, paratum: hoc ipſe ſe abluat, donec tot infames maculas abſtergat & eluat, mente deinceps, & experientiâ, cultior. Hæc per parentheſin, de miro Hippocrate: vos autem riſum teneatis, Amici.

Nunc cœptum inſtitutum proſequor. Poſtquam igitur comperi, quòd trabale mendacium, & impoſturam, cum hac fixatione, mihi *ridiculus Cinifio* affixiſſet; patientia læſa in furorem verti cœpit. Quare auſterioribus verbis hunc amicum tractandum cenſui, quem ſimilibus ferè alloquebar: Vides, *D. Kackeni* (jam verò *Tackeni*) quàm ſis falſus Amicus; quàm nulla obſerves amicitiæ jura, & ſacras leges; quàm ingratus ſis mortalium; quàm iniquè tot in te collata officia, & mutua obſequia, rependas & obſerves. Parum tibi erat, famam incidere; exiguum & leve, palàm mentiri; nihil ducebas, fortunæ meæ, &, progreſſibus, inſidiari, & poſtliminio ſemper deterior redditus, meo damno, ſudoribus meis, meiſque expenſis, experiri volebas, quod ignorabas, diſcere, quod neſciebas? Num ſcilicet ſales volatiles ſint per ſe fixandi, hoc dubitabas, hoc nunquam tentabas; interim nequitiosè me traducebas. Hæc DEO committo, reddet ipſe ingratitudini tuæ paria, vindex à tergo DEUS, *Tacheni*. Hæc dum ampliori

exegesi tibi exaggerarem, quid excusationis occurrit; quid pro innocua fama tua attulisti? Da gloriam Deo, & edissere: buxo pallidior hæsitasti, deceptivos oculos demisisti, humores attraxisti; verè juxta symbolum tuum dixisti: *Summus in mundo: &, Curfecisti?* Hæc est vera historia de Viperino sale. Sic me Deus amet.

Progrediamur ulteriùs, & Acta *Novatoris*, & *recentissimi Hippocratis*, disquiramus, quantoperè nimirum hoc suo sale Viperino, & ejusdem fixandi modo, non solùm Reformatorem, sed magnos etiam Principes, deluserit, ut suam celaret imposturam. Nam cùm fama fallax pervolaret de *Tachenio*, quam præsentia posteà minuit, & quamplurima, foris augusta, sed domi angusta, de *Otthone* nostro, apud Celsissimum Principem, Fridericum, Holsatiæ-Slefwicensem, per Præconem ejus, Virum quidem Nobilem, D. Moltichen, percrebuissent; ad hunc Principem excitus, & evocatus, se contulit: ubi cùm peractis exiguis, uti sequitur, rebus, pro indole, & talentis, ferè nihil, dicto autem Celsissimo Principi, sapientissimo æquè, ac versatissimo Philosopho, & Chymico, nullam satisfactionem, in discursu, & opere ipso, dare potuisset; ad suum semper arcanorum complementum, salem scilicet Viperinum, confugit: cujus salis, tandem, fixandi præposterum modum Celsissimo dicto Principi, ut saltem aliquid scire, & fecisse, videretur, sub Rosa, & silentio, pro magno secreto, communicavit; & quidem sequenti formâ, & formalibus, ipsum nimirum processum, Germanico; usum verò, & dosin, Latino Idiomate expressum concredidit: prout ex proprio ejusdem Manuscripto, de verbo ad verbum, puncto ad punctum, fideliter hîc extracta & descripta sunt, uti sequuntur:

Salis Viperini præparandi modus:

Man nimmet aufgetrucknete Vipern / zerstosset oder zerschneidet sie groblicht / fullet damit eine Glaß-retorta, und distilliret / aus freyem Feur / in einen grossen Recipienten / Saltz / Oel und Wasser. Hier auf geust man destillirt Regenwasser so viel / daß das Saltz darinn alles solviret werden kan: alsdann scheidet man das Oel / durch ein Fließpapier / davon. Zu diesem klaren Liquori salso, geust man / tropffenweise / so viel Spiritus Vitrioli, daß es nicht mehr auffiedet: denn setzet man diesen Liquorem in gelinde warme / so scheiden sich viel feces heraus; denn coaguliret / so bleibet das sal alcali volatile am boden / wie ein ander sal acidum fixum, in suo gradu, doch unrein / grau an farben / welches frequenti coagulatione & solutione aufs hochste gereiniget werden muß / biß es einem Demant gleich siehet. Dieses wird nun auf einem Marmor gerieben (nicht im metallischen morsner) zu einem subtilen pulver: den thut man hinzu noch so viel gereinigtes salis alcali fixi (es sey nun sal Tiliæ, Coryli, oder Tartari, gilt gleich) und fangt aus dem Sand an gelind zu destilliren / in einen truckenen Recipienten so gehet mit gelindem Feur / das alcali volatile voruber / scharffes geruchs / doch sonder gestanck: dessen ursach ist / weil das alcali fixum den spiritum acidum Vitrioli imbibiret; welchen zuvor das fluchtige alcali bey ihm verschlossen hielte.

Alcali volatilis Viperini fixandi modus:

Man nimmet des salis volatilis 6. uncias, thut die in 15. untz Regenwasser / welches nicht distilliret / sondern durch reinen sand filtriret worden / setzet das / in einer wolvermachten phiol, ungefehr 3. monat / in eine aschen digestion, alsdenn lassen sich sehen als Silberblatelein / welches ein zeichen der fixitat ist: dann coagulirt mans in gelinder warme / und behalt es in wolvermachten glasern / daß keine lufft hinein kan / sonsten zergehet es / und fleucht weider in sein Chaos, &c.

Virtus,

Virtus, Usus, & Dosis, salis Viperini, meæ præparationis, &c.

Hujus medicamenti potentia non pariet illis admirationem, qui sciunt, plerumque in natura, apud summum venenum latere etiam medicinam efficacissimam, nam sigillum divinæ bonitatis in operatione & virtute aliquatenus exprimere videtur.

Utimur singulo manè jejuno ventriculo 2.3.vel 4. grana lambendo scilicet ut paulatim liquefiat, eò, quod lingua sit similis apertæ pelli, & mox succedens salıva, quia medicamentosa deglutiatur, ita permeat totum corpus, confortans humidum radicale, quod juxta Hippocratem morborum est medicatrix, purificat sanguinem ab omnibus impuritatibus, unde varii morbi oriri solent, consumit & exsiccat fluxus capitis, hinc senibus & pituitosis magnum est solamen. Tollit antiquam & recentem tussim, si quoties infestat gustetur, transit omnes venarum officinas; ac tandem, quia indigestibilis expellitur, per insensibilem transpirationem, in quo itinere quicquid præclarum hoc Arcanum attingit sordium, dissolvit ac secum rapit. Vide Baldum Anglum de Admirabili viperarum Natura.

Sal fixum.

In febribus intermittentibus omnibus (præmissis præmittendis,) propinetur in ipsa horula ante paroxismum, in Decocto hordei, l. Cichorei, stomacho vacuo, sudorque proliciatur; repetatur Dosis (volatilis 4. 5. grana. fixi drachma j. vel 60. grana) 3. vel 4. vicibus semper ante paroxismum affatim febres tollit.

In continuis & aliis malignis porrigetur jejuno stomacho, & nisi per potum ejus actio interturbetur, plerumque unica vice optatui satisfacit.

Fixum & volatile.

Instante paroxismo podagrico, cui semper febris Diaria præcedit, utimur volatilis 20. grana. fixi 10. in aqua ivæ arthetica & sudorem provocamus mirum quam citò combibit acidum humorem podagræ autorem & à paroxismo præservat.

Usus externus, salis Volatilis.

Hujus drachma una solvitur in aqua rosarum vel alia refrigerante uncia una & applicetur actu frigida cum linteo subtili sæpius repetita podagræ dolores sedat ita in ore detenta, confestim consopit dentium dolores; nisi sint erosi.

Tria circiter grana salis volatilis in uncia semis aquæ pluviæ soluta atque oculorum angulis 3. quotidiè instillata, Horum omnium vitia potentissim. tollit.

In Colica ℥ j. plus minusque cum Clistere injecta dolorem miraculosè levat, & alvum movet.

Summa omnibus in morbis magno cum fructu & ægrotorum solamine utiliter adhiberi possumus.

Obturato vase cum cera quàm diligentissimè asservari debet; aliàs in liquorem paulatim abit

Sal volatile.

Ottho Tacheni D.

EX hoc processu, & manuscripto, Lector amice, perspice & agnosce impudicum *Tachenium*, quàm fraudulenter tanto cum Principe egerit, parùm sollicitus: Reges & Principes longas habere manus.

Si hunc Processum examinemus exactè, atque primum, destillandi Viperarum, modum, in Salem volatilem, Oleum fœtidum, & similem Aquam; communis is est, & tritus, coinciditque cum sale Cornu cervi, & quibuscunque aliis salibus volatilibus, ex animalibus eliciendis & destillandis, omnibus Pharmacopœis, eorumque Tyronibus, notissimus. Si verò inspiciamus secundum laborem, saturationem nimirum salis volatilis Viperini, cum spiritu Vitrioli; hoc artificium à *Reformatore* habet, & mutuatus est: prout ex historiâ, paulò, superiùs, patet. Et hoc est, quod olim ignorabat *Tachenius*, & adeò mirabatur, cùm *Reformator* ipsi primùm revelaret, in hæc, super illâ re, erumpenti verba: HOC NON PUTASSEM. Hoc est, inquam, quod in hoc suo libello tot querimonias & vituperia ipsi expressit; hic nimirum sal Viperinus, spiriti-

bus acidis ſaturatus, quem, ſpiritu contradictionis, & congenitâ inconſtantiâ, mox ſalem Armoniacum, omnem ejus ſimilitudinem & proprietates habentem; mox ſalem vulgarem & communem, annexis compluribus ſarcaſmis & vituperiis, nequiter culpat & vituperat, nec non *Reformatorem*, hujus Authorem, (qui tamen dexteriori via, & methodo, ſpiritu nimirum ſaluberrimo, ſalis hanc aliqualem fixationem, aut ſaturationem ſalis Viperini, obire docuit) multiplicatis conviciis taxat & ſuggillat. Interim hunc ipſum ſalem, aut ſalis hujus volatilis impraegnationem, aut ſaturationem, ſpiritibus acidis obtinendam, in terminis, tanto Principi, pro arcanorum arcano, ſuperciliosè concredidit, *alienis plurimis luxurians, Cornicula*. Sed ut, ignobilium ferarum ritu, omnia everteret, obſcuraque, & invia redderet; jubet, in hoc Proceſſu, ſalem Viperinum, ſpiritu Vitrioli ſaturatum, cum ſalis Coryli, Tiliæ, (ridete ſpecioſum conamen!) vel Tartari, duplâ quantitate unire, &, deſtillationis ope, ex arena, ſalem volatilem Viperinum denuò extrahere, acido ſpir. Vitrioli, cui colligatus erat, aut quo cum ſaturatus, ſal Viperinus volatilis, cum ſale Tartari in reſiduo manente. Sed heus, *myſterioſe Chymice*, cur hunc laborem, ſaturationem nimirum ſalis Viperini, cum ſpir. Vitrioli ſuſcepiſti, ſi, hoc non obſtante, ſal volatilis Viperinus alia via, & methodo, fixari debet; prout ex proceſſu conſtat? Dicis quidem, quòd ſic ſal volatilis Viperinus tranſeat, acuti odoris, ſed abſque fœtore. At falſum aſſeris, *Tacheni*. Nam eundem ſervat odorem, & ſaporem acutum, urinoſum, ſal volatilis Viperinus, poſt ſuam ſaturationem, & reiteratam extractionem, beneficio ſalis Tartari, quem habuit priùs, per ſe legitimè deſtillatus, ab oleo fœtido, & aquâ, empyreuma ſpirante, ſeparatus, ac pro debito per ſublimationem rectificatus. Hanc meam doctrinam è propriis tuis eruo verbis, ac te ſimul convinco; dum, *in opuſculo tuo*, aſſeris, quòd, ſi ſal Viperinus *Reformatoris*, ſpiritu ſalis ſaturatus, cum ſale Tartari fixo permiſtus, deſtilletur, idem ſal Viperinus volatilis iterum tranſeat, ac priùs erat. Cur igitur Entia hic multiplicas, ambages quæris, labores fingis, Principem hunc Celſiſſimum deludis, ac, ſciens volens, ab umbris majeſtatem tibi ſollicitas? Sequitur igitur infallibili conſequentia, quòd hic, fixandi ſalis volatilis Viperini, modus, Celſiſſimo Principi communicatus, cum eo coincidat & concordet, quem fraudulenter olim *Reformatori* obtruſiſti, & quidem ſpecioſâ magis metaphorâ, ſuperaffuſione nimirum Olei deſtillati Tartari, ne tàm facili negotio fixando aſcenderet. Ut ſic, multiplici affectu in te collata beneficia unâ hâc compenſares impoſturâ. Hic enim Proceſſus, quòd falſus ac nugatorius ſit, ipsâ Praxi & Experientiâ teſte, nunc palàm confiteri cogeris; quem, pro vertigine tua, demens & hirſutum cerebrum tuum ſuggeſſit, ut incautos falleres, arcana à te ſollicitantes callidè traduceres & arceres, &, uti tritâ dicitur paræmiâ, *Capram ſimul ſalvares, & caules*. Aſt infelici ſydere navigationem inſtituiſti, infauſto aſteriſmo vela votis & mendaciis tuis dediſti, incidiſti in Scyllam, dùm Charybdim metuiſti: non in ſocordem incidiſti, & veternoſum, aut in *Tachenium* aliquem, cui illicò *omnia ſunt operoſa*; ſed in Reformatorem, nullos labores fugientem, iiſvè domabilem, imò ſedulum & curioſum, veſtigiis tuis (vulpecula) ritè inhærentem, concreditum & ementitum proceſſum tuum, ad literam, longanimi patientiâ, non ſolùm trium, ſed & ſeptem, menſium ſpatio, elaborantem, ignis moderamine, ad fixationem hanc requiſito, anxiè obſervato. Unde mirum non eſt, poſt tot ſcrutinia, & arcanas inquiſitiones, palàm apparuiſſe, te *Orbis Impoſtorem* eſſe, & *nugacem Blateronem*, qui Principibus & Imis, Amicis & Extraneis, imponas, in fraudes natus, & ad fallendum educatus. Sed memento iterum, *Tacheni*, quæ ulteriùs, in opuſculo hoc tuo, ſcribilles, nimirùm: *Te nunquam clariùs de ſale tuo Viperino tractaſſe, aut clariora ulli revelaſſe, quàm hoc loco & Tractatu*. Sed quid, obſecro, crebriùs, quid aliud, doces in *antiquiſſimis ſalis* hujus *Viperini fundamentis*, novâ hyperbole, quàm: *Acidum informat alcali?* In hâc autem fraudibus abo-

abominabili, & falsâ, salis Viperini fixandi methodo *acidum* non *informat alcali*; sed solùm ais: salem volatilem Viperinum, aquâ solutum, fixari trium mensium spatio, in calore sicco cinerum detentum. Verùm hoc est, contra naturam salium volatilium, in praxi, falsum, & sesquipedale mendacium: prout eventus *Reformatorem*, longâ & læsâ patientiâ, edocuit.

Sed iterum *acidum* maximè *informat alcali*, in hoc tuo Processu ridiculo, & falso, quando salem Viperinum volatilem spiritui Vitrioli jungis; &, sicut *Reformator*, id perfici Spiritu Salis, docet, aliqualiter saltem, sed non totaliter, à fuga coërces. Hunc autem salem Viperarum, acidis spiritibus sociatum, tu toties exsibilas, & spernis, nil aliud esse, nisi salem communem; esse item salem Armoniacum, omnes ejus proprietates habentem, & complura similia scurrilia, contra *Reformatorem*, sustinens. Quod igitur, in hoc tuo Processu, *Falsator*, semel statuis, & doces; iteratò, in *alcalino opusculo tuo*, reprobare, & negare, non te pudet. Sic omnia falsa, omnia vertiginosa sunt, & contradictoria. Quod enim jam ratum habes, mox, pro libidine & lubitu tuo, impudenter reprobas, & vituperas, totique mundo hisce imposturis illudis.

Ad quid, porrò, illa saturatio salis Viperini volatilis cum spiritu Vitrioli? Dic, amabo! Si salem volatilem Viperinum, beneficio salis Tartari, aut Coryli, vel Tiliæ, (ridete) iterum liberas, volatilitati pristinæ iterum restituis, pro verâ, uti putas, & ultimata fixatione, trium mensium spatio? Idem enim sal volatilis Viperinus, eâdem volatilitate, odore & sapore acuto, urinoso, elicitur, qui antea erat, ante ejus saturationem. Nihil enim hæc saturatio cum spiritibus acidis, & iterata salis extractio, conferre potest ad hanc fraudulentam & imaginariam tuam salis Viperini fixationem, etiamsi per integrum annum in hoc calore detineres. At voluisti fortè, per hanc salis Viperini volatilis saturationem cum spiritu Vitrioli, & extractionem ejus, beneficio salis Tartari, salem Viperinum puriorem reddere? Hoc autem leviori negotio, unicâ rectificatione, aut repetitâ sublimatione, in phiala, dextraque separatione ab oleo suo fœtido, fieri potest. Non igitur hâc saturatione cum spiritu Vitrioli, & iteratâ separatione cum sale Tartari, Tiliæ, aut Coryli, egebat. Vides igitur, fraudulente Vir, & callide negotiator, *Tacheni*, quantum emolumenti imposturæ tuæ, & præmeditata mendacia, trabalesque hyperbolæ, cùm mihi, tùm celsissimo Principi, prolatæ, per Processus decursum, quo deliria tua, & insomnia, nobis affricare tentasti, accersiverint, risum, nimirum, & cachinnos, quibus Te universus Literatus Orbis prosequitur, & in futurum comitabitur. Et verò, quod stipendii genus, *Tacheni*, quod encomion, & fidem, à Celsissimo Principe retulisti, per benè merita tua, & adulterini Processus communicationem? Edisfere, quod est vero simile. Quantum non molitus es, ut *D. Wenglerum*, Virum probum & expertum, p. t. laborantis munere, apud Celsissimum Principem, fungentem, subrueres, & Laboratorio exturbares? Quot scommatibus hunc Virum, & conviciis, in Convivio quodam tractasti, justâ Principis indignatione. Acheronta denique movisti, ut in Laboratorium Te insinuares, suffragia undique collegisti, arcanissima quæque promisisti, novâ fraude, & audaciâ, per Præconem tuum, Dn. à Moltichen, Celsissimo Principi. At pro reverentiâ tuâ exauditus non es; Sophistam jam dum te novit Celsissimus Princeps, imposturas expertus, fraudes tuas indignatus est. Tàm gratus accidisti, ut etiam Laboratorium tibi præclusum fuerit, hospiti importuno, à quo, ut se Aula expediret maturiùs, gratiosè dimissus es, omnium unanimi voto. Sed, velut Regulus, & Stellio, Aulas iterum ambivisti, novos Tibi conciliasti fucos, alienâ infamia fidem, Philosophi nomen, Chymici prærogativas, comparare tentasti, & fumosam illam Epistolam, *de Liquore famoso Alcahest*, meditatus es; sed revertente vindictâ in caput tuum, & in propriam infamiam redundante scelere. Unde enim gratiam Celsissimi Principis tibi promiseras, indignationem tibi, & adversum vultum, conciliasti: sic semper *consilium malum consultori pessimum*. Hæc autem, quæ adduco,

co, vera esse, gratiâ tanti Principis nimirum te excidisse, *Tacheni*, audi Literas Celsissimi hujus Principis, Italiam versus missas: quas invenies impressas in *Vindiciis Celeberrimi Viri, Helvici Dieterici, Archiatri Elector. Brandeburgici, pag.* 23. quæ ita sonant;

Fridericus, Dei Gratia, Hæres Norwegiæ, Dux Slesvici Holsatiæ.

Salutem & Clementiam nostram, singulariter Nobis dilecte ac fidelis, Consiliarie. De D. Ottone Tachenio, quæ non debitâ submissione nobis relata sunt, tibi non potuimus non hisce significare: quippe qui non veretur quorundam ministrorum nostrorum, interque eos præcipuè D. Helvici Dieterici, famam atque existimationem illibatam variis calumniis injuriosisque chartis sugillare; eâ maximè de causâ, quòd illius huc transmissæ literæ de Alcahest publici juris sint factæ. Verùm, cum non appareat, quâ de causâ tàm molestè ferat istarum editionem, quam ipse per literas suas, uti clarè ex iis constat, sæpè expetiit; inclementi animo illius minimè licitum propositum accepimus, non intermissuri, ministros nostros in justa causa tueri ac defendere. Interea loci tibi hoc demandamus, ut certo quodam in loco D. Tachenium convenias, aut, si fortè ille nimis dissitus sit, per literas illicita illius ausa illi proponas, & admoneas hominem, ne pergat vel publicè vel privatim ita calumniari, ac maledicere: adhibita comminatione, ni desinat; Nos aliis mediis, ipsi fortè minus proficuis, contra illum usuros. Hâc in re implebitur Clementissima nostra voluntas, quâ ipsâ & nos tibi manemus clementissimè addicti. Dabantur in Arce nostra Gottorpii: Die 25. Octob. Anno 1652.

FRIDERICUS.

Inscriptio.

Honesto nostro Consiliario, & Dilectissimi Filii nostri Aulæ-Magistro, singulariter Nobis dilecto ac fideli, Levino Nicolao à Moltichen.

HÆ sunt, *Tacheni*, illustres ceræ, & famosa monumenta, nova & vetera acta tua, quæ graphycè te describunt. Mi *Tacheni!* non est tàm efficax probatio, & demonstratio, quàm ubi quis propriis convincitur verbis; prout iterato tibi, per decursum, accidit. Quis igitur succenseat Magno Viro, *Helvico Dieterico*, in commendationem præfatæ tuæ Epistolæ, *de famoso liquore Alcahest*, commentanti, dum ait: *Philosophus mansisses, si tacuisses, TACHENI!* Sed multa invanum, & maledicus, garriebas, ut loquela te manifestum faceret. Sic iterum inquit: *TACENUS si esses, tacuisses fortè; sed quia TACHENUS es, garrire tuam ineptiam & ignorantiam, aliorum verò aptitudinem atque scientiam Theonino tuo dente rodere, digitoque ineptissimo tangere maluisti.* Quid verius his dici potest? *pag.* 24. *Vindic. Helv. Dieter.*

Amplius aliquid dicam, & quod experientia propria mihi suggessit; ut *ex magno experimentorum & observationum cumulo* Hippocratis Chymici, ut ipse, *pag.* 5. *lin.* 23. loquitur, nonnihil eruerem. Dum adhuc Patavii noster *Hippocrates Chymicus* floreret, monstravit is quibusdam doctissimis Studiosis, præcipuè verò Excellentissimo *Sennerto*, singulari virtute ac doctrinâ prædito Viro, materiam *Talco* similem, in aprico verò, seu aëre, resolubilem in liquorem, & aquam velut viscosam, quasi genuinum & naturale *Talcum* fuisset: pro quo etiam venditabat. Hujus mihi copia facta fuit à Doctissimo *Sennerto*, nec aliud & mihi videbatur, quàm verum *Talcum*. Et, ut verum fatear, ego, & complures, rem hanc haud parum appretiavimus; & secreti loco habebamus, *Talcum*, rem fixissimam, ita resolvi posse, redundante gloriâ & famâ in autorem, *Hippocr. Chymicum*, qui hos fumos etiam libenter odorabatur. Accidit autem, in continuis laboribus, irrequieto me, & indefesso, nec non in scrutinio naturæ occupato, dum, ita forte ferente, ex Tartaro varios instituissem labores, & Vini principia segregrata ac purificata redunire tentassem, ut ignis, substratus cuidam Alembico, in arenâ locato, paulò violentiùs, me absente, adurgeretur. Domum redux, materiam, in Alembico contentam, ad instar oleoli liquoris, liquatam,

tam, fine fumo, abſque ſtrepitu, deprehendi. Rem miratus, illicò ſuppoſitum ignem removi, ac, omnia ut paulatim frigeſcerent, procuravi. Excepto poſtmodum Alembico vitreo, maſſam in eo contentam, quæ argenti ſplendorem, vel argentum fuſum, æmulabatur, denuò aliquo liquore diſſolvere nolebam. Fractâ proinde cucurbitâ vitreâ, maſſam integram eximebam; quâ per medium & fruſtulatim diviſâ, terra illa foliata, de qua obſcurè ſaltem noſter *Hippocrates Chymicus*, in hoc Opuſculo, & cautè, loquitur, uno verbo, *Talcum* hoc *artificiale*, at quod pro *Talco reſolubili* Tachenii hactenus Ego, & plurimi Doctiſſimi Viri ſtudioſi, tenebamus, ſic ab eo perſuaſi, in conſpectum venit. Super hac re gaviſus ſum, non, quòd magna adeptus fuerim, ſed quòd veritas mihi eluceſcere cœperit, quam etiam D. Studioſis revelare poſſem; quâ nimirum ratione dictum *artificiale Talcum*, non *verum* ſit *Talcum*, ut neque *ex Talco*, ſed ex *Vino*, *ſal eſſentialis*. Quo cognito, nonnihil denuò Icaro, & *novo Hippocrati*, cereæ ventorum alæ, & fama, labaſcere viſæ: Zwelferus verò in ſublime magis ferebatur. Interim dictus *Hippocrates novus*, neſcio quibus negotiis ſtimulatus, Venetiis, jam quò ſe contulerat, ibique eo tempore degebat, Patavium rediit, ac me inviſere dignatus eſt: quem denuò, ſine ſupercilio, humaniter excepi. Venit autem aptiſſimè *Lupus in fabula*, eo nimirum tempore, ac horâ, quâ hunc ſalem tractabam, ac manibus adhuc continebam. Quare ſpectandum ei exhibui hoc *Talcum*, verbis ſequentibus: Noſtine, Dne. Doctor *Tacheni*, quid ſibi hoc velit? Ille è contra, paucis verbis, ait: *Si ſcis benè, tacebis.* Ex me, replicabam, & mea experientiâ, non informatione tuâ, habeo. Aliud enim non animadvertebam à dicto *Hippocrate Chymico*, quotieſcunque ipſum convenеram, niſi quòd continuus eſſet, in deſtillando aceto Vini; ac etiam ſalem Armoniacum, & Tartarum, ejuſque ſalem, ſine fine tractaret: quia hi erant *molliculi caſei* Tachenii; quemadmodum ipſe loquitur. His pauculis, inter nos, verbis fuſis, levior uno ſecreto, *Hippocrates novus*, myſteria portans Venetias denuò conceſſit. Ego verò hunc ſalem eſſentialem ulterius elaboravi, addendo illi artificiosè ſalem Viperinum volatilem, ut ulteriùs eſſentificaretur, ac odorem quaſi virtutis ab eo ſale mutuaretur; quem etiam haud exiguis viribus dotatum reperi, in reſolvendis & aperiendis obſtructionibus, abſtergendis & attenuandis craſſis viſcoſiſque humoribus, tanquam digeſtivum univerſale, antipodagricum & antihypochondriacum nobile remedium: adeò, ut & virtutibus, & efficaciâ, nec non externâ ſpecie, tanquam ovum Ovo, ſali Viperino *Hippocratis* noſtri *Chymici*, hic ſal eſſentialis ſimillimus ſit. Nolim tamen ego tanto Viro, *Hippocrati*, aliquid derogare, aut famæ ejus famoſiſſimæ quidvis officere. Ipſe ſecum deliberet, an veritati conſona ſint, ac ipſe ſibi conſcius eorum, quæ Doctiſſimi & Celeberrimi Viri, de *Impoſtura* hujus *ſalis Viperini Tacheniani*, publicè impreſſis Epiſtolis, ſenſêre & vulgavêre: inter quos eſt D. D. Glaſſius, in hunc modum ſcribens: *Porrò Tachenii Epiſtola ad nos non pervenit, nec quicquam mihi de hoc homine innotuit, niſi quod ex quorundam literis, & fama ſalis Viperini venalis, habeo, quod apud Aromatarios Veſtros proſtat, & ante biennium Langermannus Veſter mihi Lipſiæ, ſed ſigillo Tacheniano munitam, monſtravit: cujus aliquot uncias cùm Illuſtris Baro Rutenus nuper Venetiis adferri curaſſet, mihique copiam ejuſdem faceret; primo ſtatim intuitu, & guſtu, deprehendi, eſſe illud medicamentum, quod D. D. Fabricius Bartholetus, Medicus & Profeſſor Mantuanus, p. m. ante triginta ferè annos, mecum communicavit: proximè enim accedit ad vires Salis Tartari volatilis*, Viperini autem te tantillum quidem continet. *Calumnias, & contumelias, quas, ſcribis, ab hoc homine tibi illatas, ut æquo fortique animo perferas, velim. Neque enim ſplendori tuo ullam inde labem, aut maculam, adſpergi poſſe, mecum omnes, qui te norunt, VIRI BONI, æſtimabunt. Quis allatranti cani, Vir prudens, oblatrabit unquam, aut aſino calcitranti recalcitrabit? Hiſce vale, amicorum optime, & me amare*

perge.

perge. Dabam Gotæ, XXVII. Decembris, M DC LIV.

T. Balthasar Glassius D.

Inscriptio:

Nobili, Clarißimo Excellentißimoque Viro, Dn. Helvico Dieterico, U. Med. Doctori, Archiatro Electorali Brandenburgico, Amico meo Veteri;

Hamburgi.

PLurimas, hujus tenoris, Epistolas hîc annectere possem, Clarissim. Medicorum; verùm, ne Apologia hæc, vi extorta, limites suos, ac dimensionem, excedat, vela contraho. Ex quibus omnibus, Corollarii loco, tamen & hoc notandum, quantopere *novo* huic *Hippocrati* negotium hoc displicuerit, quòd *Reformator*, nullâ spe lucri, aut proprii emolumenti, secretum hoc communis juris nonnihil fecit, contra aphorismum Tachenianum, in terminis docentem: Secreta non esse revelanda, nisi sub involucris & allegoriis; quò faciliùs quæstui, & insatiabili lucro, subservirent. Tam enim avaro deest, quod habet, quàm quod non habet. Accedit secundò & alterum, quod rabiem hujus *novelli Hippocratis* exasperat; nimirum, quòd *Reformator*, *in suis Animadversionibus*, *pag.* 280. scripsit: aliam non esse, salis Viperini extrahendi, & fixandi, viam: &, licet plurimi de secretioribus modis multum glorientur; impedire tamen fucum, & imposturam, quò minùs istos ulli ingenuè communicare, & publici juris facere, audeant, ne ex postfacto usura & dolus elucescant. Et hic erat Achilles, quo omnia *Hippocratis* argumenta expugnaveram. His machinis corruit & contabuit *Zoilus*. Cor enim sauciaveram ei, & vitalia, dum has fraudes nonnihil saltem detexi. Et verò, si, quod à parte rei est, edisseram, non militabat hic textus Animadversionum mearum contra Tachenium; cùm hæc impostura, & salis Viperini adulteratio, longè ante *Hippocratis Chymici* ætatem, in usu fuerit, & perpetrata: uti & in *meis* dictis *Animadversionibus*, *pag.* 277, 278. demonstravi; quòd nimirum hic subrepticius Viperinus sal, ante annos triginta, & ultra, multis Magnatibus Viennæ, & alibi, oblatus sit; cujus technas & imposturas illo tempore revelavi. Cur autem *Tachenius* his læsus sit, & succenseat *Reformatori*, aliam causam nescio, nisi quòd *Veritas odium parit*: ac quia sibi hoc vulnus, & ignominiam, appropriavit ultrò, ipse viderit. Forsan *culpa redarguit ipsum*: juxta, tritum illud Teutonicum: **Wann man einen brugel unter die hund wirfft/ so schreyet nur der allein/ welchen man getroffen.** Et quanquam hanc Viperam non irritaverim, neque ullibi vel jota extet, quo contra eum quicquam scripserim: usque adeò nihilominus virus suum in me revomuit, ut vix calumniæ & injuriæ ipsi sufficientes suppetant, quibus me falsò aspergat. Quid mirum igitur, si & patientiâ meâ, tot, toties ab ipso læsâ, in furorem tandem versâ, vim vi, injurias injuriis, & calumnias calumniis, retudi, ac vindictam sumpsi. Sed nec artis, nec ingenii est, sarcasmos, & mille scommata meditari: in quibus tamen tota *Novi Hippocratis*, & *Pseudoscriptoris* mercenarii, ars ac talentum hactenus occupatum est; ut, jure meritissimo, ejus doctrinam Hippocraticam fasciculum calumniarum, & convitiorum epitomen, insignire possim. Et licet à Viris doctis severa monita acceperit, ne calumniosæ linguæ in tantum fræna, & habenas laxaret; prout in quadam Epistola ipsius *Echo* manifestum fit; nec non in sua *Epistola*, quam, Parænesis instar, Opusculo suo præfixit, iterato promittat, ab injuriis & conviciis labia sua velle vindicare: pejora tamen prioribus præstitit, mendaciaque & calumnias multiplicavit. Quas tamen, quantas quantas nunc effutit, omnes & singulas in sinum nequissimum ejus retorqueo. Nutriat ac custodiat eas *callidissimus Veterator*, & *tantorum scelerum Pater*. Narrat prætereà exemplum, æmulatione dignum, *Calumniator* hic, in *Dedicatoria* hujus Opusculi: quòd nimirum Celsissimo Principi Brunsvicensi Epistola quædam fuerit oblata, quâ, sine dubio, condignæ *Tachenii* laudes, & elogia meritissima graphycè descripta sint; Principem tamen indignatum huic fuisse, asserit. Cur igitur tu,

Hip-

Hippocrates novelle, cur tu, *rustica progenies*, *nescis habere modum?* Cur à sanguine hoc nobili mores civiles & illustres non hausisti? Cur non dedignaris calumnias; cùm videas, Principum & Regum esse, suum cuique honorem tribuere, & famam ampliare? Sed animum despondeo, quòd possis & tu arbor esse,

Seris factura nepotibus umbram.

Nam, ut Tullius, pro Publio, inquit: *qui semel Scurra, nunquam Pater familias.* Mirumque foret, fortiter ac laudabiliter aliquid dici posse, ab homine molliciem professo: teste Seneca, *Epist.* 53. Tu in Mephyti tua, & linguæ spurcitiis, consenesces & contabesces: *consuetudo* enim *altera natura.* Perge igitur, Herostrati imitator, ac strenuè æmulator, succende Orbis miracula, dirue Augusta Dianæ Ephesæ Templa, ut famam & æternam gloriam his meritis consequâre. Et quid evertis aliud, dum hominem proterere studes, quàm miraculum miraculorum Taumaturgi Dei; attestante hoc totâ Philosophorum turba? Quid aliud homo, nisi templum Dei; teste doctore Gentium, Paulo? Perge igitur, quò te tua convitiandi libido trahit, quò te citat: neque dubita, quin paribus præmiabere muneribus, quibus sacrilegus olim, Herostratus, donatus fuit; qui ejus gesta & hortamenta strenuè sectaris: per scelera nimirum famam aucupando. Olim, Herostrati nomen proferre, aut Annalibus inserere, pœnâ capitis cautum erat: cave, ne & tuum nomen de libro vitæ deleatur. Detractores enim Deo odiosi.

Ad textum *Tachenianum* pedem refero, in quo iterum contra Reformatorem furit ac stridet, &, pro imposturæ suæ tegumento, fingit, impostores in causa esse, quò minùs salem Viperarum ulli ingenuè communicare audeat; suorum denuò & propositi, & verborum, immemor, quibus, in Procemio, & Opusculi decursu, iterato pollicitus fuit, *novissimi salis Viperini antiquissima fundamenta* publici juris velle facere: cùm tamen in Tractatu de eo ne quidem somniarit. *Pag.* igitur 4. *lin.* 6. sic ait: *Nam quicquid medicos olim, laboris amantes illustres reddidit, illud ipsum impostores dolosè adulterant; hos timuit meus Hippocrates, ea de causa, medicamentum antipestilentiale, quo cum divinos sibi acquisivit honores, subticuit.* Mira iterum & arcana scilicet tractat noster *novellus Hippocrates.* Notate, Viri Illustres & Sapientissimi, ut se iterum hic malus Genius in Angelum lucis transfigurat; hic Proteus differentes assumit ideas. Est enim consuetum ignobili huic sectæ, ut, cùm propriis diffidant virtutibus, aliena arripiant merita. Sic *novus* noster *Chymiæ Præses* Divini senis se cohonestat prærogativis, cùm eum *Suum Hippocratem* vocat, societatis, & Duum-Viratûs jure; dumque suam meus *Tachenius* magni Coi doctrinæ per omnia conformem esse, ac familiarem, putat: cùm tamen omnibus pateat, quòd ex Hippocrate parum, aut nihil, intelligat hæc *Simia*, omnia æmulans, quia tam absurdè textus Hippocratis citat, & ferè ex solo libro 1. de diæta, tam ineptè, insulsè, & inappositè applicat suo proposito, ut ridere sit potiùs hominis ludicros conatus, quàm indignari. Et hic tamen Hippocratem familiarem suum & asseclam vocat. Non, *Tacheni*, non! Magnum inter te, & Hippocratem, intercedit Chaos; ac tantum ab Hippocrate distas, quantum mulus ab Equo, aut Lux à tenebris. Quanquam videamus, quâ ratione etiam illos, quos Suos vocat, tractare solitus sit, homo, dum vix tria verba, vix illud, *meus Hippocrates*, absolverat, &, ecce! jam immane figmentum ac mendacium Hippocrati affingit; dum eum invidiæ arguit, virum charitate tam præfulgidum; & medicamentum antipestilentiale, quo divinos, in Græcia, nactus honores, subticuisse, asserit. Mentiris, *Tacheni*. (aptius mihi non occurrit verbum) Mentiris, cum subticuisse hanc Panacæam: alia erant illa sæcula, homines meliores frugi; non celabant remedia & experientias, sed publicè, Anathematis loco, ad aras & delubra suspendebant, adjectâ fusâ, clarâ, & dilucidâ inscriptione, quo, ac quali remedii genere Dii propitii pristinam huic vel illi sanitatem indulserint. Non erat illius ævi mos, nec audiebatur illud *Impostoris: Si scis, benè tacebis.* Minimè: sed, si nescis, benè informabo, fi-

deliter communicabo, charitatem exhibebo. Ita, mi *Zoile*, procedebat Antiquitas. Deinde non legisti, ex Præceptore tuo magno, Helmontio, *Tacheni*, quæ scribit in *Tumulo Pestis*? Nonne clarè Hippocratis Coi remedia Antipestilentialia tradit, ac demonstrat, quàm simplicibus, quàm obviis remediis, quàm paratu facillimis, mira, incredibilia, divina egerit, ad invidiam & confusionem secretorum alcalium, novissimi Salis Viperini, molliculorum caseorum *novi Hippocratis*, & plurium quisquiliarum *Tachenii*: quæ aliud non sunt, quam confusum Chaos, simplicium ac efficacium pharmacorum interitus, Medici & Ægrorum opprobrium atque excidium. Nihil igitur timuit tuus Hippocrates, quin Panacæam suam nobis revelaret, nisi te forsan, & plures, hujus farinæ, pyratas, ac prædones secretorum, qui omnia abscondunt, omnia publica bona privato suo quæstui suffurantur, & luci eripiunt, *nequissimi Tenebriones*, quò feliciùs genio suo indulgere queant.

Porrò, *Paracelsum timuisse Impostores, pag. 4. lin. 17. habet, quò minùs sua secreta nobis communicarit, &c. qui insanabilia corporis contagia, mirificâ arte sustulit, ut sonat Epitaphium; quod Salisburgi in Nosocomio, &c.*

Advertis denuò, *Tacheni*, quòd calidum & frigidum uno ore & buccâ effles? Quòd vera & falsa audacter misceas? An non occurrit tibi ampliùs, quòd, multorum secretorum conscium, Theophrastum acriter suggillaveris, quòd plurima hyperbolica scripserit? & hîc denuò, ut tuæ nequitiæ larvam, & velamen, indueres, quasi & tu mirificâ arte multa curare nosses, & secreta, seu mysteria, tot nimirum onera, portares, quæ nulli revelanda, more Hippocratis, & Paracelsi, eum collaudas: *ut sonat ejus Epitaphium Salisburgi, &c.* Hoc ipsum posthumum elogium Venerandi Præsulis, quod piis Theophrasti manibus posuit, est argumentum contra te detractorem; ut meliora de hoc Viro sentias imposterum, & mortuis parcas: quod & Pagani observarunt. Tu quidem Elogia, & Epitaphia, anteactæ laudabili vitæ perpetua monumenta, parùm observas: quanquam, ut suprà notavi, jam tibi vivo Epitaphium inscripserint totius Europæ Universitates, & doctissimi Viri, vitæ anteactæ, & moribus, conforme. Et, nisi melior evadas, metuo, ne, post funera tua, generosus, olim, Stephani, Regis Poloniæ, Equus, cui Epicedion, & Rhytmos, composuit Doctissimus Vir, *Daniel Hermannus*, ultimo versu,

Huic statua erecta est monimentum testis equini:

ne, inquam, Regis Equus laudabilius mereatur Epitaphium: aut Xantippi Canis, quem in Promontorio sepelivit, locumque Cynossema, seu Canis monimentum, appellavit, splendidius obtineat Elogium, quàm tibi hactenus promeritus es vivendo & calumniando. Lege de hoc Epitaphio Philipp. Camerarium, *Centur.* 1. *cap.* 21. ubi versûs prædictos citat.

Lazarum Riverium nostris temporibus timuisse imposturam, unde suum Febrifugum sub metaphora ediderit, falsum est. Nam plurimis amicis, & familiaribus, illud concredidit, nec impostura prohibuit, quò minùs ulli mortalium ingenuè communicaret: sed palam quòd non impresserit, Harpyias, rapaces, impostores, secretorum falsarios, Te demum, *Tacheni*, timuit. Neque enim tu, caseum tuum molliculum in foro divendi, hactenus voluisti, nec ulli mortalium unquam communicare. Quid times? Cur *Riverius* sua communis juris, & omnibus palam facere debuisset, qui majora possedit? Verùm Oedipus es, & sagacissimus Molossus, qui à longè olfacis & odoraris omnia; prout in *Opusculo tuo* nobis imponis: & Febrifugum illud Riverii indigitare attentas; cujus tibi copia tamen non fuit hactenus.

Procedit *novissimus Hippocrates*, & ait, *prudentissimè Helmontium abscondisse liquorem Alkahest, qui tamen ab impostoribus tutus non sit, quin pro eo, à reformatore acetum substituatur.* Heus, sodes, *Tacheni*, nondum dextrè mentiri didicisti. Nam *mendacem oportet esse memorem*; in quo puncto tu cespitas, & deficis. Recordare, & memento tui, *falsissime Hippocrates*, qui hîc Helmontium laudas & extollis, quòd absconderit secre-

tum

tum maximum, & liquorem Alkaheſt; & Libello tuo, ſeu *Epiſtola, de famoſo liquore Alcaheſt*, hunc Virum circumvenis, cavillandoque multis conviciis inceſſis; ejus ſecretum, ſcilicet hunc dictum liquorem, *Non ens*, (quod idem, ac Chimæra, & res in concavo Lunæ eſt) appellando. Verba tua formalia denuò ſubjungo: *facilè*, inquis, *credulus Helmontius, quæ ſcripſit non intellexit. Verum non deprehendi quod ſcripſit Helmontius de ſale Spiritus Vini. Neque hoc verum eſt quod Helmont. ſcribit, quod ſpiritus ſeu Oleum Vitrioli attactu Mercurii degeneret in alumen* (& hoc tamen iterum verum eſſe, aſſeris ipſe, in *fine hujus libelli.) Plurima in Helmontio cum animi averſione, ad nauſeam uſque examinavi, ubique perſpexi, quòd, inſomniis, citra experientiam, nimiam fidem adſcripſit.* Ex his tuis propriis verbis ipſe conſpicis, *Tacheni*, quàm *iniquus Thraſo* ſis, *homo verſipellis & inconſtans, monſtrum humanæ converſationis*; quòd eum, quem uſque in cœlum paulò antè extuliſti, ſecundum vertiginem tuam, ad ima, & Tartara, illicò præcipitare ſtudes. Quæ de Aceto, quod Reformator, loco Alkaheſt, ſubſtituerit, ſuperiùs finxiſti, alteri occaſioni reſervo decidendum; in eum nimirum locum rejiciendo, ubi pluribus, mendaciis tuis, de ſpiritu Veneris, ſatisfacturus ſum.

Audiamus ulteriùs noſtrum *recens inauguratum Hippocratem*, in pompa procedentem, *pag. 5. lin. 15. Unde non ſine cauſa timidulus, ne præ torpore, & ignavia mea ad impoſtorum manus dimanaret, abſcondi hactenus quod medicum nobilitat, & præcipue, ne dignus atque indignus eandem ſubiret ſortem importuna autem reformatoris efflagitatio (pharm. 487.) effecit, ut ex magno experimentorum & obſervationum mearum cumulo excerperem, quæ (ut dicitur) mihi canerem, in qua meum ipſius uſum deſtinaram; ad publicam utilitatem nunc profero.* Et iterum, *pag. 7. lin. 12. Huc ergo adeſte veritatis amatores, vos admiranda & jucunda veſtris oculis aſpicietis, & manibus tractabitis, quæ abſconſa, & occulta à ſenſibus & cognitione hactenus ſtetere.*

Quæ cauſa, quòd, timidulus, (*nequiculus*, dicere debebas) abſconderis hactenus, quæ Medicum nobilitant, *Tacheni*? Ut quid lucem fugiebat fœtus tuus, ſi Solaris, ſi Aquilinus fuit? Ut quid abſcondebas, ſi proprius erat, & non furtivus? Ut quid timidulus trepidabas, (homo cæteroquin non tam audax, quàm temerarius) & umbras ſomniabas, niſi quia fugit impius, nemine perſequente? Abſcondiſti, fateor, hactenus, quæ Medicum nobilitant, utpotè, homo facinoroſus, opprobrium Medicorum, & ludibrium Artis noſtræ; in quo nihil honeſtum & juſtum, nihil decens, emicat. Non ſcientiam, & Medici redhoneſtamentum, ſed ſcelera, &, portenta, ac iniquas calumnias, & injurias tuas abſcondere debebas, quibus toti hactenus Europæ prodigio ſimul, & ſcandalo, extitiſti. Te, timere, peccantem, non vulgi judicia addecebat, ſed inexhauſtæ ſcientiæ tuæ æmulatores. Sed pergit φιλόψογος, & carpendi cupidus, *Hippocrates noſter: importuna reformatoris efflagitatio effecit, ut ex magno experimentorum & obſervationum mearum cumulo excerperem quæ mihi canerem, &c.* Videte nunc, paulò antè timidulum, quàm audacter, quàm ſine fronte & mente fingat, quàm avidè rumores ac titulos aucupetur! *Reformator* (qui ſemper tibi unguis in ulcere) hæc tibi ſecreta (è pumice aquam) expreſſit? *Reformatoris* importuna efflagitatio, & armatæ preces, arcana tua impetrarunt? Mentiris, *inique Tenebrio.* Sed ſuperbia tua, ambitio, dolus, & mille fraudes, has tibi pagellas, & furtivum Opuſculum tuum extorsêre: videri, eminere, digito monſtrari, cupiebas, *glorioſus Thraſo*, & *Nugator*: qui portenta Medicinæ, & inexhauſtas ſcientiæ abyſſos, revelare promittis; cùm tamen ne veſtigia eorum, quæ magnificè & ſuperciliosè jactas, invenerim, dum unâ nocte omnia *noviſſimi ſalis Viperini tui antiquiſſima fundamenta* ſedulus ſcrutatus ſum: ut proindè hoc compendium tuum, ſeu novum Hippocratem, evulgatum, *ex magno experimentorum & obſervationum tuarum cumulo depromptum*, aliter definire nequeam, quàm quòd ſit mixtum quoddam, cujus elementa, ſunt arcana furta ex Helmontio paſſim, & Libavio, deprompta; cujus materia prima, detra-

ctiones & ſcurrilia convitia; cujus forma, ſuperbia; cujus unio, mendacia & mille hyperboles. His tamen non officientibus, fateor & meam imbecillitatem; quòd hæc tam magnifica, novi Hippocratis, promiſſa & mihi vellicârint aures, nec non avidum & promptum ad legendum reddiderint, donec unica mihi nox conſilium dedit, ac montes parturientes glirem enixi ſunt. *Reformator* verò, dum nugas, quiſquilias, & pueriles conatûs novi Æſculapii pervolvit, tunc, ſplene toto, in ſinum ſuum ridens, vulgarem Italorum paræmiam ſecum obmurmurabat: *Troppo fumo, poco roſto*; & illud vetuſtum, Latinorum:

Qui captat riſûs hominum, famamque dicacis,
fingere qui non viſa poteſt, ———
——— *hic niger eſt, hunc tu, Romane, caveto.*

Et, ne nos hæc fallat opinio, *Amice Lector*, tranſeamus ad arcaniſſima *Tachenii* ſecreta, *ad cumulum experimentorum & obſervationum*, ac, utrum verbis noſtris, & conceptibus, acta novi Hippocratis reſpondeant, perſcrutemur. *Huc ergò adeſte veritatis amatores, vos admiranda & jucunda veſtris oculis aſpicietis.* Venite, ſed riſum cohibete, Amici; venite ad fabulas; ſpectate hiſtrionem; audite mendacia & apologoſtrum; venite, properate: jam enim Theatrum panditur, & Scena ſecunda.

CAPUT II.
TACHENII.

Qui nimium properat, ſeriùs abſolvit.

PRocede pompa, feſtina; ſed lentè. Omnis, profectò, mihi indignatio, *Tacheni*, & juſtus furor, deferbuit; & vix plura riſus effari indulgebat, hoc feſtivo lecto titulo. Neque me ſic Apuleji, de Aſino aureo, Commentum, nec Alcinoi Apologus, nec Sineſii, Calvitii laus delectabat, quantum hæc connexio, & Caput, demulciebat. Sed ad ſeria magis nos componamus. *Reformator incipit*, ait Tachenius, *elato ſupercilio. Nunc ait*; (a) *nos convertimus, ad examinandum ſalem Theriacalem antiquorum, cujus præparatio tam infantilis & abſurda eſt, ut nullibi veterum ſimplicitas dilucidius, atque in illa appareat, &c. & paulo poſt: animalia duntaxat gaudent ſale volatili, & fere nil præter ſolam terram mortuam, in violenta calcinatione, poſt ſe relinquunt imò reliqua abſurda ſilentio non involvenda, quod loco ſalis communis armoniacum ſubſtituerunt, re profectò ut video, ne tantillum intellecta, quia ſal armoniacus totus in auras pulſus eſt, & ſic non de viperis nec de ſuo addito ſale quicquam illis remanſit*, hæc ille.

a Pharmac. fol. 481. *difficiles aditus omnis impetus habet. Nolite præcipiti judicio, & cauſa non ſatis excuſſa inſontes damnare.*

Mihi autem non videtur, veteres hoc loco inculpandos, abſurditate, & ſimplicitate, adeo ut reformatoris immaturam reprehenſionem perferre debeant. Sed priuſquam judicentur audire oportet; & alteram partem, & indagare, quid ſit ſal armoniacus veterum? & qua ratione, loco communis illud ſubſtituerint? & in quem finem? & ubi denique peccarint ut reformatoris præcocem iram & acerbam contemptionem perferre mereantur?

Redarguere ea quæ non rectè dicta ſunt, minime inſtitui Hippoc. de dieta lib. 1.

Sed hæc omnia, ut clariora fiant, neceſſe eſt ſalium quorundam intima ſubire, & exacte horum naturam, & differentiam, ex accidentibus propriis, & ſenſibus cognitis, non ſyllogiſmo logicali & convertibili, vel imaginariis non entibus, ſed plane experimentali, & naturali hiſtoria examinare.

imaginaria hic non tractantur.

Dico itaque, & confirmo, non ſolum quòd animalia duntaxat, ſal volatile poſſideant, ſed præter opinionem reformatoris, quod & vegetabilia omnia, non habeant à natura neque granum ſalis fixi, niſi arte illud acquirant; & primo de notioribus dicam, & paulatim ad occulta progrediar.

Nec ſi quid neſcis, reliquis id ſcire negatum eſt.

Naturalem ſalem armoniacum, veteribus magno in uſu fuiſſe, teſtatur Plinius (b) *Reperitur, inquit: in Africa, in Regione Cirenaica*

b lib. 1. c. 7.

niaca ad Hammonis oraculum usque oblongis glebis, & sub harenis. Id confirmat Dioscorides, quod sal armoniacus natione laudatur. Hic sal est constans in igne, suo modo sapore multo salsacidiore nostro sale communi cibario, ut ostendam, & ob id medicinis, utiliorem invenerunt, ea propter commendarunt id veteres pro hac re.

Illud autem quod ad nos adfertur, non est in oblongis glebis, ut neque est naturale, sed componitur arte: ex naturali scis; & alcali volatili animalium, id docet ejus resolutio juxta Aristotelis axioma (c) *dividitur nimirum in acidum salis spiritum; ut etiam in alcali volatile (omnia salsa in duas dividuntur substantias in alcali nimirum, & acidum, ut paulatim ostendam) quæ ambo separata, & rursus re conjuncta, fiunt sal armoniacum quod erat. Acida pars, vel acidus spiritus, habet omnes proprietates, ut ille, qui destillatur è communi sale: Alcali autem ejusdem est conditionis cum illo, quod ex humana urina sublimatur, minus tamen fætulentum: unde suspicor, quod non humanam sed camelorum urinam ad illud compositum elegerint. Horum enim urina, ut notat Plinius* (d) *fullonibus utilior, quam reliquorum animalium, unde alcali ditior sit necesse est: fortasse, quia ut reliqua animalia, sal non comedunt; commune enim, sal non abluit. Nausicca enim, Alcinoi filia lavabat lintea ex fonte in littore maris, ut scribit* (e) *Homerus.*

c in quo quid resolvi potest ex illo necessario debet constare.

d lib. 28. c. 8.

e Odyss. lib. 6. à versu 85. usque 96.

Fit autem sal armoniacum artificiale, eodem modo, sicut sapo, natura enim operatur in omni re simile, docet Hip. (f) *ex acida nimirum parte salis armoniaci; & alcali urinæ camelorum (vel animalium perinde est: ex alcali fuliginis, & spiritu salis acido, alio deficiente, feci simile sal) urina enim per macerationem dissolvit sal; & alcali urinæ, quod alias dierum cursu, in auras abiret; hic per moram reperit acidum; quod combibit, fitque ex acida parte salis, & alcali ex urina, nova creatura artificialis, salsi saporis. Quod autē similes mores non habet* (g) *neque cum novo salso concordat sponte segregatur ad fundum; supernatantem salsum liquorem clarum, coquunt & despumant, ac iterum fæces deponere sinunt, quem deinde coagulant in placentam. Hoc est sal armoniacum, quod ad nos defertur; non tamen illud, quod veteres pro sale Theriacali elegerunt, ut existimat reformator: sed illud est naturale, quod sub arenis (αμμοσ) reperitur ut docet Plinius citato loco, quod tamen in progressu clarius Nunc priusquam progrediar, quid sit alcali, dilucidius explicandum.*

f lib. 1. de diæta.

Sal Armoniacum.

g. Hip. citato libro.

Salutemus igitur, Auditores, *novum Augustani Vindicem, Zwelferi Reformatorem*, qui innumeros, ac conspicuos errores, quos Reformator, totius Europæ plausu, & assensu, è Scholis & Officinis proscripsit, postliminiò revocat ac libertate donat, *multorum criminum Mecænatem, Tachenium*. Sed, heus, *Impostor*! Num & hoc *de magno cumulo tuarum Observationum & Experimentorum est*, illicò nimirùm, in ipso limine, mentiri; textûs meos adulterare: prout quaternis vicibus te practicasse, palàm, ex hoc uno textu, & pagina mihi 276. & sequentibus, demonstrabo? Cur sine commate, & puncto, Elementariorum, & Puerorum more, textûs meos debito nitore defraudas? Cur supprimis absurditates Veterum, in hoc sale Theriacali commissas; quas Reformator clarè, & graphicè, *in Animadversionibus suis*, ex hoc textu, notat & eventilat? Quæ tales erant: 1. Ratione salium addendorum, cùm communis, tùm Armoniaci, ejusque liberali nimis quantitate, librarum nimirum xxxx. respectu paucarum Viperarum, & quatuor tantummodò. 2. Ratione calcinationis destructivæ Viperarum; quòd planè nihil salis fixi, post suam calcinationem, seu combustionem, relinquant, præter ossa arida, nigerrima, (tanquam in vase clauso) effœta, nullius frugis, omni sale volatili privata. 3. De Trochiscis, ex adjectis speciebus priùs conficiendis, quòd post earum trochiscationem eas demum calcinationi destinarint; quasi verò priùs comburi, & quidem meliùs, non potuerint, nisi priùs ex ipsis simplicibus contusis, cum melle, Trochisci efformentur. 4. De Scillis recentibus addendis. Et, 5. De calcinatione demum, mirum in modum ineptè, & perperam peractâ; vi cujus non in cineres, neque salem, sed tantùm in carbones majusculos convertuntur. Hæc tu, *Neo-Augustanæ Pharmacopœiæ Vindex, Tacheni*, tueri, & in his Reformatorem, sine fallacia, & impostura, convincere debebas,

debebas, ac demonstrare, quod sint ineptè castigata; neutiquam autem subdolè præterire, ac, pro libidine, quidvis addere, & demere. Vides, quòd, qui nimium properat, tardiùs absolvit? Lentè, paulatim, fideliter, omnia ex Reformatoris textu allegare decebat. Sed nimium properasti, *Hippocrates novelle:* metuo profectò, ne & malè absolvas. Deflectit noster *Scholiastes* ad salem Armoniacum veterum, ad Plinium, *cæcus Erro*, Græcamque fidem, quò sæpè mercatus confugit; licet in citatione aberrârit, pro XXI. libro, primum adducendo. Verùm facit hoc irrito conatu, multisque erroribus imbutus. Legere potiùs conveniebat, pro Plinio, nec Chymico, nec Medico, Doctissimum Olaum Wormium, *in suo Musæo, pag.*20. vel Cæsium, Matthiolum, & complures Classicos, qui fusiùs hanc salis historiam tractarunt, in hoc uno omnes consentientes; quòd ille sal Armoniacus ad nos transmitti desierit dudum: Nunc & antiquitus artificialem quendam substitui, qui fit ex quinque partibus urinæ inspiss. humanæ, parte unâ salis communis, & parte dimidiâ fuliginis lignorum, simul coctis ad consumptionem humiditatis superfluæ, reliquoque sublimato, iterum soluto & coagulato. Similia fere reperies in Libavio, *syntag. arcan. Chymic. cap.*38. de Sale: quem consule. Cùm igitur sal ille Armoniacus Plinii pridem desierit, nec vel unquam reperiatur, vel, ab Antiquis ad salem Theriacalem fuisse adhibitum, ratione & authoritate comprobari possit; (nisi fortè confugeremus ad magnum cumulum Observationum & Experimentorum, vel ad illa admiranda & jucunda, absconsa, & occulta à sensibus & cognitione, *Tachenii*) ruunt novi Hippocratis, & Philosophastri, rationes, cum Plinio & tota Græciâ. Quid igitur frustra nugaris? Cur te inaniter torques? *Reformator* his nugis non vincitur. Posito enim, accepissent Veteres hunc salem Armoniacum fixum Plinii, pro sale suo Theriacali conficiendo: quid, quæso, laudabilius effecissent, quàm si salem communem, vel salem gemmæ, adhibuissent, æquè fixum? Perinde enim esset: & ob id non fugis, vel declinas absurditates. Nam & illum errorem, de sale simplici tanquam etiam fixo, & sali Armoniaco Plinii, hac in parte, simili, clarè & dilucidè etiam discussit *Reformator*, in dictis suis *Animadversionibus:* quas paulò pòst denuò adducam. Repete igitur, & revolve tecum, mi *Reformator Zwelferi*, doctissimum marginale tuum, & aptum scholion, *fol.*7. tibi notatum, nimirum: *Difficiles aditus omnis impetus habet.* Si sic substiteris, profectò Augustanum non vindicabis. Item revoca alterum marginale tuum *fol.* 8. *Nolite præcipiti judicio, & causa non satis excussa insontes damnare.* Nimium properasti; tardiùs rem absolves. Nam cogitare debebas, quòd *Reformator Augustani* non sine prægnantibus causis, & validis rationibus, Animadversiones suas adinvenerit; quòd solidiora fundamenta jecerit, quam ut uno viperino sibilo tuo subsidant, ac evertantur. Impetuosus igitur fuisti, præcipitis judicii; & causa non satis excussa. Nimium properasti, *Hippocrates.* Igitur serò, & tardiùs, absolves. Et hoc responsi genus vocant Philosophi *Retorsionem argumenti*, seu *Argumentum ad hominem*; prout tibi jam respondi, *Tacheni.* Et tales Philosophi plerumque ducuntur ad saccum: & ejusmodi Chymici in manica Hippocratis plerumque suffocantur.

Subjungit novum Aphorismum, & theorema Chymicum, Hippocrates noster. *Dico itaque, & confirmo non solum quòd animalia duntaxat sal volatile possideant, sed præter opinionem reformatoris, quod & vegetabilia omnia, non habeant à natura neque granum salis fixi, nisi arte illud acquirant.* Egregiè, profectò, Doctoraliter, aphoristicè, & audacter, mi *Tacheni.* Verba caro non constant, sed ad probam, & demonstrationem. Dic, *Neo-Hippocrates*, si animalia, ut ais, duntaxat salem volatilem possident; quid igitur tibi, vel Antiquitati, residuum fuit, in calcinatione violenta viperarum, cum sale tuo fixo Armeniaco Plinii? An non coincidis in doctrinam *Reformatoris*? An non tibi spiritus contradictionis est? Dic, secundo, quare, *præter opinionem meam*, ais; animalia duntaxat salem volatilem possidere? Cur iterum mentiris, & claros textûs adulteras? Cur falsarius es? Legisti ne Animadversionum mearum

rum textum, *pag.* 276. in quo dilucidè, ac optimâ methodo, tibi *Agyrta*, ad invidiam, minimè æmulationem, qui minùs es habens, animalium analysin,& ad ultima resolutionem trado; tam quoad eorum salem volatilem, quàm reliqua contenta? Ut autem rem discas, veni iterum, *aurite & mysteriose vir*, lege, quæ, *ex nostris Animadversionibus*, *pag.* 276. *col.* 2. *lin.* 28. subjungo; quæ talia: *Et licet in primo errore, quem in combustione viperarum committunt, connivendum esset; cùm forsitan eo tempore artificiosiores destillationes (quibus perfecta rerum analysis institui potest) illis nondum innotuerint, consequenter etiam nec scire potuerint, quod animalia sale duntaxat gaudeant volatili, & fere nil, præter solam terram mortuam, omni virtute Medica exutam, in violenta calcinatione post se relinquant; ex qua terra mortua licet exilis portio salis fixi (forsitan ex mille Viperis vix uncia una) elici posset: id tamen tanti precii non est, quin potius vires alterius cujusdam salis fixi æmuletur, atque ita tota animalium virtus, & efficacia, in meris volatilibus, sale, spiritu, & oleo, quæ ignis violentiâ, & levi saltem calcinatione, totaliter in auras pelluntur, consistat, remanente terrâ mortuâ, vel ossibus, salinis partibus spoliatis. Hinc & testæ Probatoriæ, sive Capellæ, super quas metalla fixiora purificantur, ex ossibus calcinatis, utpote quòd salsedinem nullam contineant, quæ huic operi refragari aut impedimento esse possit, & ex cineribus, crebris lotionibus itidem à salsedine sua omnimodè liberatis construuntur. Reliqua autem plurima absurda silentii sipario nullatenus involvenda, minimeque conticenda sunt. Posito enim, quòd Viperæ, post calcinationem violentam, salem præberent fixum; quid autem hæ quatuor Viperæ, inter tam multa, salis nimirum vulgaris quadraginta libras, & tot simplicium, juxta præscriptum modum calcinatorum, cineres, vel potius carbones, præsertim si adhuc reliqua simplicia contusa superaddantur, efficere aut præstare valerent? Porrò tradunt, quod aliquando etiam salem Armoniacum, loco salis communis, in pari quantitate Viperis superaddiderint; re, profectò, ut video, ne tantillum intellectâ. Etenim, ubi salem communem addiderunt, totus ille à calcinatione remansit: quia sal communis fixus est. Si verò huic salem Armoniacum substituere, totus is in auras pulsus est: & sic nec de Viperis, nec de suo addito Armoniaco, quicquam illis remansit, nisi ossa mortua, & cineres, vel potiùs carbones, ex adjectis herbis. Præterea omnium maximè mirari subit, quòd etiam Trochiscos ex adjectis speciebus nonnullis confecerint, priusquàm illas combustioni, vel calcinationi, destinarunt; haud secus, ac si simplicia, his trochiscis destinata, comburi non potuerint, nisi prius ex ipsis contusis, cum melle, Trochisci efformati fuerint. His, pariter nulla ratione suffulti, quinque Scillas prægrandes recentes, in minuta frusta dissectas, junxére; cùm tota Scilla ex aquosa, & volatiliori substantia constet; unde exiguam terrestreitatem post sui calcinationem relinquit; prout quoque jam ante, in Animadversionibus* Trochiscorum *de Scilla, innuimus, & experientiâ demonstravimus.*

Hâc calcinatione demum mirum in modum, & perquam ineptè, peractâ, non cineres, postquam ollam aperuerunt, sed integros carbones, ex adjectis herbis, & trochiscis, ac ossa ex Viperis nigerrima adepti sunt. Verùm Carbones, sali permixtos, exhibuisse ægris, id equidem insulsum planè, & absonum est. Quippe illi ipsi ferculum fecére nimis ingratum, quòdque vel solo intuitu stomachum movere potuit. Si saltem cineres ex herbis facti essent, potuissent forsan, propinati, aliquid, sudorem nimirum commovendo, effecisse. Quòd autem revera carbones, non verò cineres ex adjectis herbis & trochiscis, ac ossa nigerrima ex viperis acquisiverint; quotidiana experientiâ comprobari, imò à Carbonariis, qui calcinatione clausâ suos efficiunt Carbones, exemplum evidens desumi potest. Namque nulla herba, vel planta, aut lignum, in clauso vase, calcinatione etiam violentissimâ, & diuturnâ, in cineres redigitur, ut ex ipsis sal elici queat; sed remanet carbo semper nigerrimus, nullo modo pro sale extrahendo aptus.

Ex his *Reformatoris* fundamentis,& genuina Philosophiâ claroque textu, edifcito, *Neo-Hippocrates*, veritatem & mendacia devitare, fimul & palinodiam canere, *quòd, præter opinionem meam, animalia duntaxat fale volatili conftent.* Non enim umbras ego amo, non Laconifmos, & aphorifticas doctrinas, quales tu affectas; adeò, ut opus tuum fit confufum Chaos, omnia docens, nihil demonftrans; ex omni aliquid, ex toto nihil; ridiculum denique Quodlibeticon. Ulterius: *Vegetabilia*, doces, *non habent à natura neque granum falis fixi, nifi arte illud acquiratur.* Hic textus tuus bifariam intelligi poteft; & quòd habeant falem fixum; quia duæ negationes conftituunt affirmativam. Dicis enim, *quòd non habeant à naturâ neque granum falis fixi*: vel quòd non habeant, abfolutè. Quam partem quòd tu defendas, negativam fcilicet, arguit illa particula: NISI. Quæ conclufio, præterquam quòd toti Philofophiæ, ac omnibus doctis Viris, adverfetur; eft puerilis, & tanto Hippocrate indigna. Falfitatem hujus doctrinæ eruo ex confueto, tibique etiam trito principio Philofoph. Nimirum, ut ais: *in quo quid refolvi poteft ex illo neceffariò debet conftare.* Subfumo: atqui vegetabilia, pro parte fua, refolvuntur in fales fixos; animalia in volatiles. Ergo ex his conftant: ergò hi illis infunt; ergò de potentia in eos refolvi poffunt. Et habent etiam vegetabilia omnia actu falem aliquem nitrofum terræ, qui in forti calcinatione conflagrat; qui &, fuo modo, fixus dici poteft: prout tu, in fequenti incineratione, & uftione, Abfinthii affirmare videris. Mirum proinde eft, poft tot magnifica promiffa, tam gregaria, quin imò tam abfurda, te docere. Ut proindè garrulitati tuæ aliud aptare non poffim, quàm illud Excellentiffimi Medic. *Dieterici: Philofophus, & Chymicus forfan, manfiffes, fi tacuiffes, Tacheni*: quòd tacere, fapientis tantùm fit; &, ut Democritus philofophatus eft, Stultus nunquam poffit tacere. Nam loquendi Magiftros habemus homines; tacendi, DEOS immortales.

Reliqua, quæ fcenicus nofter Hippocrates Chymicus, de fale Armoniaco, affert, *pag.* nimirum 10. *lin.* 4. *quòd illud quod ad nos adfertur, arte componatur, quodque id doceat ejus refolutio*: Item, *pag. eadem, linea* 13. *Omnia falfa in duas dividi fubftantias in alcali nimirum & acidum*: & plura alia; *de urina Camelorum, quòd, ut reliqua animalia, fal non comedant*: Item, *pag.* 11. *lin.* 9. *fieri fal Armoniacum artificiale, eodem modo, ficut fapo; & naturam operari in omni re fimile, &c.* Hæc omnia ac fingula ludicra funt, indigna viro, & fapiente, ut his operam deludat. Quare non immoror talibus: folùm hortor Amicum Lectorem, ut admiranda hæc contempletur, ad quæ nofter Hippocrates, velut claffico, totum orbem fpectatum provocavit. Nos de his abfurditatibus plura in fequentibus afferemus.

Accingit fe ad tractanda alcalia, & falem Kali, nofter Hippocrates, *capite tertio*; fed nunquam magis infulfus, quàm ubi in falinis occupatur. Tranfcripfit hanc alcalicum materiam ex magno *Helmontio, tractatu de Blas Humano: titulo, de Poteft. medicam.* item, *titul. Complexion. atque Miftion. Element. figmentum*; & reliquis locis: hoc uno tamen Helmontio difpar, quòd ejus fanam doctrinam corruperit, & ineptias multas adjunxerit; ut vel fic furta celaret. Quid enim ridiculum magis, quàm quòd, *lin.* 5. *pag.* 13. fuis alcalibus *trinos genitores & incunabula affignat, velut totidem fpuriis: Naturam fcilicet, Ignem, & Philofophum*; quòd iterum docet, *non reperiri fal Kali in natura, nec in omnibus tribus regnis, nifi ab artifice ignis ope producatur*; quòd, *pag.* 13. *in margin. Vacuum & inaxe, ftatuat, effe alcali.* De quo inferiùs pluribus differam; ubi vacui implicantiam pluribus oftendam huic Philofophaftro: *quòd fal Kali fit compofiti pars, ut reliqua falia, virtutibus tamen feminalibus orbatum.* Quæ hujus majoris eft ratio? *Habere virtutem abfterfivam, faponariam.* quòd *hujus inanitionis gratia, quafi in formis, abforbeat omnis generis acida, hinc omnia falia quæ acida mortificant, unico & generali nomine Alcalia appellentur*: *reperiri non folùm in vege-* tabili,

tabili, sed insuper in animali & minerali, familia.

Rem miram, profectò, assumpsisti, dum Caput, de Alcalibus, inscripsisti, *Tacheni*; de quibus Tyrones nostri Pharmaceutici, ubi vix La lare cæperunt, aptè discurrere novêre; quorum mysteria imbelle vetularum genus per lixivia penetrat; de quibus tota natura clamitat. Sed venite, spectate mirabilia, Hippocrates novus explicat alcali de herba Kali: cujus historiam, modum operandi, & differentias, fusè Bulcasis descripsit. Hic magnam statuit differentiam inter alcali de Kali Arabicum, Sarracenicum, & Syrium; quem consule. Historiam Alcalium Chymicorum fusè tractârunt Ægidius Everartus, Leon. Suavius, Bodensteinius, Tholdenius Hassus, Agricola, Dioscorid. Matthesius, Libavius: & quis non, Scriptorum? Et tamen hæc *admiranda sunt, nova, abscons*a *& occulta à sensibus*, apud nostrum Hippocratem. Vides, *nequissima Vulpecula*, quòd vestigia tua, & latibula, investigemus, furta pateant, superbia alieno fuco elucescat? Et verò, si ex Authoribus nudè rem furatus fuisses; adhuc forsan industriam dixissem: sed quòd sanam doctrinam stultitiæ tuæ fermento, & vertiginosis additamentis, pessumdas; grande est nefas. Et talia sunt: 1. quòd *alcalia undique aberrent in natura, & tamen nihil sint, nec reperiantur*: 2. quòd *alcali inane & vacuum sit*: 3. quòd *informe tres numeret Patres*: 4. quòd salium lixivialium, omnibus tritam ac notissimam præparationem, & historiam, vel ipsis lotricibus notam, pseudologia sua adhuc cupiat obfuscare. Et plura, quorum indignitas me conticescere & ad alia transire facit.

Jam, postquam egregiè noster *Hippocrates novus* salia lixivialia & alcalia, cum mineralium, & animalium, salibus confudit, dum omnia salia, animalium, & mineralium, vult, appellari alcalia, unico, & generali, nomine (quæ tamen repugnant, uti sequentibus demonstrabo) malè distinguens, per consequens pessimè docens; declinat ad historiam, & calcinationem, silicum, & ipsam calcem; quâ connexione, quo ingenio, quibus arcanis, Lectori patebit. Si exactam lapidum, ac silicum, genesim, per salinos spiritûs sua derivantium primordia; si differentias, & rationem coaguli talium corporum, & lapidum; cur quidam vegetabiles; quânam ratione sumant sua incrementa; aut his affinia, tractasset *Neo-Hippocrates*: licet à multis actum egisset; nonnihil encomii tamen hic novissimus scriba retulisset. Sed quòd, spreta omni αὐτοψίᾳ, & legitima theoria, axiomata sua à Mechanicis deducit, ac docet, quòd Murano Venetorum, à Vitriariis, habeat, silicem unius Centenarii, etiam extra matricem, singulis annis decem libris augeri, *quia* (quod in marginali annotat) *in aëre est occultus vita cibus*, & *Iovis omnia plena*; hoc certè ridendum potiùs, quàm refutandum. Quæ enim silicum, & lapidum, portenta ubique orbis nobis proponeret, si tam hyperbolica doctrina, & silicum augmentatio, in natura probaretur. Castiganda ulteriùs est nostri *Tachenii* altera stoliditas, quòd lapides, & silices, velit calcinare. An fors hunc locum Helmontii consulere neglexit, Titulo: *Tartarus non in potu*: ubi, in terminis, docet, silices & lapides non calcinari. An ignorat, calcem, & cineres, toto ente distare, neque, calcinationem silicum in calcem, esse incinerationem? Ex cineribus enim sal purè salsus elicitur, resolutivus, & abstersivus, acidis planè contrarius: ex calce vero neuter horum producitur, neque salsus, neque acidus sal. Calx mortificat & pessundat omnia, præsertim animalia, quæcunque attingit, occulto quodam igne, urente, & caustica qualitate: cineres, contrariâ indole, omnia ab interitu & corruptione vindicant. Calx sales volatiles animalium, tum etiam fuliginis lignorum, mortificat, ac in terram exsuccam, sterilem, ac emortuam convertit: sal vero ex cineribus sales volatiles amplectitur, cum illis unitur; nullâ contrarietate diffident: quoniam ambo naturæ homogeneæ, ejusdem, quoad puram salsedinem, indolis. Calx petrificat, vitrificat, exsiccat: salia verò ex cineribus contrarias dotes habent; resolvunt enim, abstergunt, & humectant. Vides, *nove Hippocrates*, harmoniam tuæ inauditæ doctrinæ? *Paginâ*, præterea, 15.

lin. 4. non Hippocratis Coi, sed veterem, scioli cujusdam, falsam distinctionem affert: *duo nimirum salia reperiri in calce, sibi invicem contraria, acidum, & salsum, in igne tamen ambo constantissima*; quod falsissimum est. Neque enim unquam seu salsus, seu acidus, sal in calce reperitur. Si enim hoc verum esset, tunc, juxta *Tachenii* axioma: *in quo quid resolvi potest, ex illo necessariò debet constare*, calx in acidum & salsum salem converti, ac resolvi deberet. Sed in neutrum hoc solvi potest, nec quidvis horum ex illa extrahi: ergò his non constat salibus. Non posse autem ex calce hæc salia extrahi, me, & per Ignem Philosophos longa experientia docuit. Inest igitur calci, salium loco, spiritus quidam igneus, urens, mortificans, lapidificus; prout tibi ratione & experientiâ remonstravi, ubi de salibus volatilibus animalium fixandis egi, *pag.* 279. *Animadversionum*: non, quòd docuerim, salia dicta volatilia cum calce viva fixari; uti nequitiosè mihi affingis, *pag.* 15. *lin.* 22. sed quòd calx viva animalia, & eorundem salia volatilia, totaliter mortificet & destruat, ac complura incommoda in Medicina ab intro afferat. Vides igitur, *Chymiaster*, quòd miranda dicas, sed non æmulanda, mendacia scilicet, textuum adulterationes, & probra nostræ Artis. Plura tibi, de calcibus & alcalibus, afferrem, si alicujus frugis esses, & vacuum caput tuum in tantum non tinniret. Plura reperies, de Alcalibus, ex supra citatis Authoribus, & maximè tuo Pædagogo, Helmontio; ex quibus alcalia tua suffuratus es. Benignus tamen Lector, ut tantò æquius judicium formare possit, ea recolat, quæ, in *Animadversionibus*, *loco citato*, *pag.* 278. & *sequentibus*, de Calce, & salibus volatilibus animalium, clarè, & fundamentaliter, scripsi: quæ si noster impostor, *Tachenius*, non succisivis horis, sed seriò, & accuratè, consideraffet; tam ludicra, & meritò omnibus doctis viris ostentui habenda, voce lamentabili non eructasset, neque de Calce, neque salibus lixivialibus, (quos ille nunc, tanquam αὐτὸς ἔφα, alcalia baptizat) tam gregaria, obvia, omni tyroni trita, ex *cumulo experientiarum suarum* protulisset, memor amplissimæ promissionis: se nihil, nisi rara, inaudita, admiranda, & jucunda; quæ abscònsa & occulta à sensibus & cognitione hactenus stetere, ex naturæ, & mysticæ Chymiæ, gazophylacio velle depromere. Sed, quid mirùm? Semper enim, ut divinus Paræmiastes loquitur: Sapientior sibi videtur Stultus septem viris loquentibus sapientiam: *Proverb.* 26. Igitur, ut totus ejusdem textus, hujus Capituli, constet, & quilibet ex illo haurire possit *admiranda & jucunda*, quæ, *pag.* 7. *lin.* 11. fastuosè promittit, & *veritatis amatores* ad ea invitat; *hûc adeste*, & auscultate.

CAPUT III.

Alcali Sal, quid sit.

Sensus ductores vitæ & omnium actionum voce.

INstituti mei non est, hic, ut dicitur, rem ab ovo, aut ab elementis arcessere, sed de rebus naturalibus, physicis, materialibus, & sensu notis, demonstrationem aggredi.

Fit itaque sal Kali ex herba Kali, magna copia in Ægypto proveniente, quæ ibidem viridis exuritur, & ad nos transfertur, à quibusdam vocatur etiam soda, alumen catinum, & vero nomine sal Kali appellatur; non reperitur tamen sal Kali in natura, nec in omnibus tribus regnis, nisi ab artifice ignis ope producatur, hinc tres habere patres hanc virginem antiqui scripserunt; Naturam scil. ignem & philosophum.

Alcali, est inane & vacuum.

Est etiam sal Kali, compositi pars, ut reliqua salia, virtutibus tamen seminalibus ornatum, habet saltem virtutem abstersivam, & saponariam, & resolutivam proprietatem, hujus inanitionis gratia, quasi informis, ab-

sorbes

ſorbet combibitque omnis generis acida (impragnationem dixerunt Patres) hinc omnia ſalia, quæ acida mortificant, unico & generali nomine Alcalia appellantur, quæ reperiuntur, non ſolum in vegetabili, ſed inſuper in animali & minerali, familia, ſunt etiam in his tribus multiplicia, fixa nimirum, volatilia, manifeſta, occulta, mediæ naturæ, ex animalium partibus deſumpta quæ ad oculum ſunt demonſtranda; & primo à notiori incipiam, quod reperitur in ſilice, qui quatenus ſilex, conſideratur ab imperito quaſi unico freno regeretur vitrarii autem periti Muranenſes, obſervarunt, quod, licet ab utero aut natali loco exemptus, centum libras annuatim decem (a) plus minuſve acquirere, inde diſcit Hippocraticus Iovis omnia plena, & etiam in ambiente nutrimentum accipere ſed quamprimum ignis externus & artificialis accedit; tunc illum peritus, mox in vitrum liquat, mox in calcem vertit.

Silex.

a in aëre eſt occultus vitæ cibus docet Coſmopolita.

In ſilice itaque comprehendit Hipp. Philoſophus & Chymicus duas differentes facultates, à magiſtro & Doctore IGNIS & AQVA (b) ſic propter ſuas rationes appellatas quæ ſilicem conſtituerunt, quas, per ignem debitum alterat chymicus, quæ alteratio vocatur incineratio, in pulverem enim ſponte abit. Vnde communi nomine calx appellatur.

b lib. 1. de diæta.

Hoc in cinere vel calcinato, rurſus comprehendit, ſupra nominatas facultates, quæ nunc ſemel pro ſemper pro majori intelligentia ACIDVM & ALCALI ubique nominabimus ab effectu.

Acidum, & Alcali naturæ inſtrumenta. Ignem vero acidum, & aquam alcali eſſe, ſuis locis oſtendam.

Calx itaque habet in ſe duo ſalia, Hip. duas facultates acidum nimirum & alcali, ambo in igne conſtantiſſima, & unum alteri contrarium, cumque irrigatur calx, tunc ſalia ſolvuntur aguntque in invicem: Alcali abſorbet & agit in acidum, & hoc viciſſim aſſumit alcali: non quidem pro deſtructione (c) ſed pro novâ generatione, & quicquid in illa actione apprehendunt, non procul recedens ab eorum natura, indureſcit cum illis, in lapideam duritiem ſic contrarium coagulatur à contrario.

c Homines ex manifeſtis, obſcura conſiderare non noverunt. Hipp. lib. 1. de diæta.

Hanc notitiam, de Calce ſi ex Hippocrate didiciſſet reformator, non inſtituiſſet miſer alcali viperini cum calce fixationem, ut lamentabili voce, in diſcurſu de Sale (d) Theriacali declarat.

d Pharmac. fol. 485.

Poſtquam Hippocraticus juxta leges naturæ, contrariis facultatibus notavit calcem petrificari, rememorat Magiſtri & Doctoris documentum, quod nimirum ſimilia ſimilibus debeant diſſolvi, & id, non ſolum in artificialibus, ſed etiam in naturalibus, præſertim in Medicina & corporibus humanis, ut paulatim apparebit: artes nimirum naturam humanam imitantur verba Hippoc. & concors concordi adhærere docet idem. (e)

Contraria contrariis coagulantur.

e Hipp. lib. 1. de diæta.

Hujus capitis abſurdiſſima principia partim ſuperiùs attigi, partim ſequentibus deſtino; ubi tuum vacuum & inane alcali, pro viribus, replebo. Duo interim ſingulariter hoc capite me ſolata ſunt *Tacheni:* aptiſſima nimirum textûs Hippocratis Coi citatio, ex *lib. 1. de diæta.* Abſtemius, profectò, & jejunus Philoſophus es, ac multum vacui, & parum judicii, habes: Secundò, *quod ſenſus ductores vitæ, & omnium actionum*, vocas. Aptiùs vitam tuam, ac fidem, definire non poteras: qui omnia ſenſibus, & ſenſualitate, appretias, fidus *Epicuri aſſecla.* Forſan ex doctrina hac, & marginali, Clariſſimus Vir, Theodor. *Lünckerus*, Marpurg. Profeſſor, occaſionem hauſit, ut te hominem, ex malitia & atheiſmo conſtantem, in teſtimonio, Anno 1653. impreſſo definiret; ſeu hominem, cui DEUS venter, & *vitæ ductores, ſenſus.* His miſſis, accedo ad

CAPITULUM VI.

Cujus inscriptio:

Alcali & Oleum fit sapo. pag. 16. lin. 12.

INter reliqua, in hoc Capitulo, stupenda & admiranda secreta, & experientias, Magni Hippocratis novi, est etiam Saponis mechanica, & conficiendi opificium; quo, ut ait, *Alcali & Oleum fit sapo.* Confirmat hoc ex Hippocrate Coo, & *lib. 1. de diæta:* Item, *per Nausiccam, Alcinoi filiam, lotricem, quæ lavabat lintea ex fonte in maris littore.* O te rancidum Saponarium! quâ spongiâ, quo smegmate, has absurditates tibi abluam, quo te fricabo pumice, *novissime Hippocrates?* Profectò, inter viros doctos, Morionem & Sycophantam agis. Cur non etiam in foro, Venetiis, & divi Marci atrio, saponem, & smegma, pro pediculis, lentibus, & maculis vendis? Cur non super abacum Stentorem agis? Potestne cadere in virum sensatum, ut qui paulò antè, per præconem, populum collegit, & *admiranda & jucunda, quæ hactenus absconsa, & occulta à sensibus, & cognitione stetere, ex magno experimentorum & observationum suarum cumulo,* secreta promisit; saponem tandem edoceat, ac concredat nobis remedium ad callos pedum; *in margine, pag. 17. ex calce & melle, fit mixtura, quæ callos pedum mortificat?* Saltem dixisses, fit mixtura (salva reverentia!) ad callos pedum; &, si non Chymicus, sic saltem Aulicus, fuisses. Profectò, *Tacheni,* es mente captus. Adducamus tamen, pro nostra recreatione, joco, & genio, hoc, de Sapone, Capitulum; quod tale est: *Calx, ut dixi, habet duas diversas facultates acidum & alcali: alcali habere saltē saponariam & abstersivam virtutem supra dixi, quam extrahere & separare docuerunt Hippocratici suo simili* (a) *saponarii itaque addunt calci, Alcali factitium, ex vegetabilibus exustum, in tripla proportione, eò quod acidam partem in calce mortificat, & alteram suo simili liquat. Humectant itaque cineres alcalizatas pauxillum, quibus cum cooperiunt calcem inextinctam, sic relinquunt, donec calx dehiscat, pro signo mutuæ actionis, tunc commiscent, affunduntque aquam, ut massa humidior fiat, juxta regulam; salia non agunt nisi dissoluta: tunc sufficienti aquæ quantitate, extrahunt alcali lixiviali igneum (igneum dico, consumpsit enim in momento, bulliens hoc lixivium ebrium hominem, cum laneis vestibus, ut nil repertum fuerit, præter lineum indusium, & duriora ossa, ut accepi à fide digno, hujus artis professore) quod lixivium igneum, Magistram vocant; quæ tanto alcali saturata, ut ovum in illa non submergatur. Ex eadem mixtura, fit & aliud lixivium, minus saturatum, quod ovum non sustinet, cum ultimo hoc, oleum vel pinguedinem (alcali contrarium, acidum enim occultum continet, ut apparebit paulatim) primo commiscent (propter suas causas) coquendo saponem, coquunt inquam lento igne, donec albescunt, tunc adjiciunt magistram in tripla* (b) *olei vel pinguedinis proportione, coagulat autem bulliendo oleum alcali, donec in unum corpus coëant, ut contraria & permixta, nunquam enim simul in eodem consistunt, sed semper alterantur* (c) *necessarium est etiam, quæ ab ipsis secernuntur, ac producuntur dissimilia fieri, ex alcali nimirum manifesto, & acido occulto in oleo, fit aliquid neutri, salsi saporis: lingua quandoque explorant, si sapor dulcis addunt magistram, si mordax coqui debet, donec oleum absorpserit, sin verò mordacior, sensim addunt oleum, ad discretionem, ut docet Hippoc. spiritus alter inquit:* (d) *trahit alter, idem autem uterque facit, & in utramque partem tendunt, & sic hominis naturam imitantur.*

Sal maris, quia non est corpus vacuum, ut alcalia, cum pinguedine in saponem non coagulatur, habet enim ambas facultates difficulter sepa-

a *Similia similibus solvuntur.*

ex calce & melle, fit mixtura quæ callos pedum mortificat.

b *& augescit majus à minore* Hipp. lib. 1. de diæta.

c Hipp. citato libro.

d lib. 1. de diæta.

ſeparabiles, ut poſtea oſtendam, ea de cauſa Nauſicca, Aleinoi filia lavabat lintea ex fonte in maris littore, ut habet Homerus 6. Odyſſ.

Plura non addo, nec caſtigo, ex hoc Capitulo; in quo pænè oblitus fuit *Reformatoris*. Ipſa rei dignitas perorabit. Vos interim, *veritatis amatores*, ridete, quòd hoc noſtro ſæculo, omnium anteactorum ingenioſiſſimo, crepundia ſint ſecreta, ſint ſtupenda, inaudita, & novi Hippocratis myſteria, *ex magno experimentorum & obſervationum cumulo* extracta.

CAPITULUM V.

Inſcribitur:

Vitrum componit & diſſolvit, pag. 19.

AD demonſtranda, noviſſimi ſalis viperini, antiquiſſima fundamenta, tota etiam ars vitrificandi debet adduci. Puto, quòd paulò pòſt ad Sutoriam confugiturus, & Cerdonem acturus ſit. Sed nihil magis artificioſum, quàm quòd ubique citat Hippocratem Coum, &, ſine hæſitatione, mentitur *Fabulator*, dum tantum virum paſſim nugarum ſuarum cupit eſſe arbitrum, & Mecænatem. Tritam igitur, vulgarem, & omnibus obviam mechanicam, & vitrariam, hoc capite recenſet admirandus hic Artifex; quaſi verò Lippis & Tonſoribus nota non ſatis eſſet: cùm tamen (*admirandorum & inauditorum* promiſſiones) longè alia, & Chymico digna, ex ſuo Præceptore, *Helmontio*, de vitro agitare potuiſſet. Quâ nimirum ratione ſolidiſſimum vitrum aliàs, igne & aëre invictum, labentibus tamen annis, terræ defoſſum, diffluo ejus ſale, fracedinem admittat, ac fatiſcat, ſolâ ſuperſtite arenâ: quâ ratione Magnes opacitatem ei tollat, ac è viridi pellucidum reddat; cùm tamen ipſe Magnes, vitreæ maſſæ adjunctus, rubeo colore ſaturatus ſit, ac diverſo quaſi feratur Magnetiſmo: dum non ferrum, ſed opacam aëris portionem, è vitro trahit, intra fornacum incendia. An vitrum in concreto cinis & arena ſit; an corpus, per ignem, neutrum, & nova creatura. An vitrum, ſubſtantiæ ſolidæ, poros tamen non admittat; quod nobis ſuadere videtur conſtans ejus, ſub aquis, ſplendor & fulgor; dum ignitum vitrum undis immergitur; carbo interim, in inſtanti, ſub aquis reſtinguitur. An, per additionem, tractabile vitrum reddi poſſit & flexibile: &, admiſsâ ejus poſſibilitate, an id per homogenea, an verò heterogenea, accidere poſſit. Et innumera talia, de vitrificatione, Philoſopho digna, ſub Problemate, enodare potuiſſet mirabilis Chymicus, *Tachenius* noſter. Sed abundè ſatisfeciſſe ſibi viſus eſt, modò vitrum ex eodem ſilice, regulâ à contrario; non autem via humida, ut ſapo componi, dixerit. Interim tamen, poſtquam ea, quæ, Murani, à Mechanicis ediderat, palàm feciſſet, ad Reformatorem, & vitri uſtionem, deflectit, & ait: *Tunc cæperunt veteres vitrum in ſilicum pulverem* (a) *reducere per extinctionem, in acidum ſalem, cum felici ſucceſſu. Hanc reductionem & præparationem planè Hippocraticam & ingenioſiſſimam, vocat Reformator:* (b) *more ſuo Levidenſem, inutilem ineptam* (uſtionem nimirum vitri Auguſtanorum) *& omni jure explodendam. Videant inquit: quàm turpiter ſe dent tales philoſophi putatitii, & ſermocinales, qui vera philoſophia deſtituuntur, & in quantos ruant errores, ut non ſolum illis, qui penitus naturam ejuſque penetralia ſcrutantur, ſed & ruſticis ipſis, imo lippis & tonſoribus, nec non vetulis & anis, ſe deridendos propinent. Vitrum hoc modo præparatum* (*pergit Reformator aculeis pungi*) *ſine periculo, aut detrimento, ægroto, licet illud protinus non ſenſerit, exhiberi minimè poteſt.*

Ego verò probabo, contra Reformatoris frivola fundamenta eum, qui docuit vitri uſtionem

a *Vitri uſtio.*

b *f.* 732. *Pharm.*

Monſtruoſus ſermo, monſtruoſi ingenii eſt index ait noſter Galenus.

Tãtumne eſt ab re tua otii tibi, aliena ut cures? Terent.

nem recte, illumque sensisse à calumniis, quibus illum aspersit vindicabo, & præcipuè contra illud; Quod vitrum hoc modo præparatum, & sine periculo, aut detrimento ægrotis exhiberi non possit.

Accipe ergò vitrum clarum, pellucidum, illudque pluri, & vitro (a) *simile, alcali liquato, postea aëre humido expone, & reperies mox totum vitrum resolvi in aquam, huic affunde sufficiens acidum, id est Alcali contrarium, & cadit silicum pulvis. Hic pulvis, amplius vitrum non est, sed silicum pulvis, quem reformator abhorret, & sine detrimento ægrotis non exhiberi asserit: immemor, quod silicum pulverem Reginus,* (b) *commendat ad generandum Lac.*

a *Vitrum unde habet suum componi, in id per idem suum habet resolvi.*

b *In appendice pharm. Reg. fol.* 136.

Veteres separandi artem, mortalibus divinitus concessam non habebant, per discursum tamen hanc cognoscebant, extingere itaque cœperunt vitri pollinem, in cineribus stipitum fabarum, quorum sal est ex acido salsus, ut mox ostendam, extinctionem repetebant, semper novo cum cinere, pulveremque vitri aqua abluebant, ita ut, qualibet extinctio fuerit Vitri vel Alcali destructio, illudque abluebant, & rursus extinguebant, donec fabarum cinis, omni alcali destruxerat, & impalpabilem pulverem relinquebat. Hic pulvis est silicum, sicut ille, qui supra cum alcali liquatus, & cum acido præcipitatus, quem reformator plebeis per os exhiberi tuto non posse putat, & ut dixi in Reginis lac generare promittit.

Curiosulus reformator qui in antiquorum pectore, oculum gestans; suos interim errores non videt.

Hac in præparatione (c) *quam Reformator ex ignavia & inscitia Levidensem appellitat, latet profunda naturalium rerum notitia, ut paulatim apparebit, & nullo modo ejus assumptio est timenda, ut falsè docet reformator. Sed plurimum ignorantes, timere plurima necesse est.*

c *Simplicium vera præparatio & cognitio totius hominis vitam propemodum sibi requirit.*

Sed quis non ingemiscat, tam absurdis & frivolis, tot ementitis, refutandis ac explodendis *Tachenii* sententiis, tempus elabi & eripi? Cogor iterum, non sine verecundiâ, fraudes & imposturas, textûs adulterationes, absurdissima dogmata, hujus Chymiastri revelare; non absimili modo, ac de sale Theriacali factitatum. Viam igitur Regiam noster *Neo-Hippocrates*, quò liberiùs mendaciorum plaustris, ac calumniis, in me vehi possit, sibi apparat; dum textum meum, *Animadvers. pag.* 421. turpiter mutilat & detruncat. Quærit, secundò, latibula, & tenebras, *Nequiculus*, dum insulso, vitioso, & caliginoso stylo suo Vitri inversionem docet, & meritò ab ejus lectione viros Sapientes arcet; prout etiam *epistolâ suâ de famoso liquore Alkahest*, practicaverat. Quis enim penetrabit, quid sibi velit hoc: *Accipe vitrum clarum, pellucidum, illudque pluri, & vitro simile, alcali liquato.* An hæ sunt tuæ allegoriæ, & metaphoræ, de quibus superiùs gloriabaris? Ego quidem sensum (quem *Tachenii* Mercenarius assequi non potuit, ac ideo etiam commata neglexit) penetro; interim tamen aliud non eruo, nisi mille absurditates. Primo enim recolat *Mysteriosus Hippocrates* tritum illud suum, & quod sæpe sibi accinebat, nimirum: *Vitrificantia cum vitrificantibus vitrificantur.* Et illud Magistri optimi, *Helmontii* sui: quod vitrum sit rerum ultimum, & ipsa mors rerum. Hoc tu nihilominus, *Tacheni*, discipulus supra Magistrum, resuscitare tentas, & postliminio reproducere illibata ejus principia? sed concedamus tibi hoc miraculum, quid resuscitabis: & quid compendii, & lucri nancisceris? Salem alcali à silicibus separas, (quod impossibile, & falsissimum) juxta expressissima verba tua, *pag.* 21. *lin.* 5. & *pag.* 22. *lin.* 17. Et silex, lapis, separatus à suo alcali, quid est? Tuo suffragio, & formalibus: prior silex est; sed non pristinus silex est; sed est reverà silex calcinatus: quod unicuique manifestum est. Verùm quid est, aut quid connotat, silex calcinatus? Calcem, & nihil, nisi calcem. Ergo vitrum in prima sua principia constitutiva, & realia, postliminio nullâ arte revocari, aut resuscitari potest: quoniam extremam ignis torturam, & activitatem iterato perpessum, in aliud ens, cum suis constitutivis, commigravit; unde regressus dari nequit. Quid igitur ingenii, & artis, in hac metamorphosi seu anastasi, & vitri in prima principia reductione, sit, facilè cuilibet patet. Cogor proinde non tam Hippocraticam, quàm fanaticam, stultam, seu *Tachenianam*, industriam hanc, omnium penè Chymicorum & docto-

doctorum virorum assensu, nuncupare. Sed indulgeamus insaniæ tuæ, *Tacheni*, ac dato, non concesso: vitrum in primogeneа sua constitutiva posse reduci, in silicem nimirum: demus etiam, in alcali. Quid inde mysterii? Quid portenti? Quam Panaceam hinc erues? Quid proficies, silices primùm, in vitrum, addito sale alcali, liquando, purificando, ablatâ spumâ, vel felle vitri, (seu tuâ axungiâ vitri, & sale Anatron Crolliano, (quod longè præstantius est omni vitro calcinato) & denuo vitrum paratum, ac perfectum, *addito pluri alcali, vitro simili*, (dic iterum, *Oedipe, mysteria portans:* quid sit *alcali illud vitro simile*; ut & vitri ustulatores tua mysteria assequantur. *Alcali enim vitro simile* esse non potest; aliàs non esset alcali. Nam est implicantia in adjecto) liquando, aëri humidiori exponendo, ut vitrum totum solvatur (dicere debebas, ut jam totum hoc compositum; non tantùm, aut solum, vitrum) affundendo porrò toti huic composito, aut liquori, sufficiens acidum, id est, alcali contrarium; ut denuò ex hoc liquore, & vitro, uti putas, resoluto præcipitetur, & cadat, silicum pulvis? Post tot igitur molimina, & irritos conatus, quid emolumenti, quid commodi effecisti? Si nihil aliud accepisti, nisi silicum pulverem præcipitatum simplicem; uti ipse affirmas, & reverà, à parte rei, nihil, nisi silex calcinatus, ac emortua calx, est, per præcipitationem rerum destructivam enata: quid igitur his tuis nugis proprium Caput destinatum fuit? Quid stultè in Reformatorem involas, & nequitias illi tuas affricare gestis, *Curiosule*, (stylo tui marginalis utor) *Nequicule, Tacheni*, qui in Reformatoris pectore oculum gestas, tuos interim absurdos errores non vides? Edissere, *Philosophe*, an non satius foret, ipsos silices, qui præstans sunt remedium simpliciter tritos (lege artis tamen præparatos) in calculo, & pluribus hisce, morbis, exhibere, quàm post vitrificationem, & ultimam partium constitutivarum mortem, & recessum (uti, cum *Helmontio*, firmiter teneo) multis dispendiis, & tantis laboribus, in calcem redactos, cùm sic nihil nisi calx sint, naturæ & vitæ humanæ inimicissima & ex toto hostilis; uti sæpe jam comprobavi. Quare his maturè & Philosophicè consideratis, falsum est, & absolutè nego, quòd tuus, *Tacheni*, è vitro calcinatus, & præcipitatus pulvis, sit silex, & substantia silicis indestructa ac inviolata, è qua virtus & efficacia vitri & silicum resplendeat; sed, quòd sit calx, vitæ inimica, gleba inutilis, terra effœta & mortua, ex contrarietate solventium & præcipitantium liquorum, lixivialium & acidorum, exorta & resultans; consimili planè inutili artificio, & lege, ac Corallia, Perlæ, Oculi Cancr. aut ipsi etiam silices, spiritu aliquo acido, vel aceto, solvuntur, roduntur, & contrario quodam liquore præcipitantur, ac, totali sui corruptione, in calces mortuas abeunt, neutiquam ampliùs resolubiles, ac ad pristinum Esse reducibiles; nihil minùs, quàm pristinam virtutem & efficaciam referentes. Hac eadem lege præcipitatus pulvisculus tuus, ex vitro, nihil minùs est, quàm silex inde structus; neque prioris naturæ & efficaciæ, sed calx emortua, pulvis effœtus, nullius energiæ aut virtutis, indissolubilis, nec revocabilis unquam in vitrum diaphanum, quod prius erat, medicamentum noxium, pondere saltem suo ventriculum & vitalia aggravans, si intra corpus assumere contingat, omnem sanitatis medelam denique eludens. Hîc, pace tua, *Impostor*, furtivo tergo tuo cretâ appingam, quod nequiter, in sequentibus, mihi adscripsisti:

Ibo ad Medicum, & me toxico morti dabo.

Ibo ad *Asinum*, *Tachenium* & Musicam addiscam. Ibo ad *Impostorem*, & veritatem experiar. Ibo ad *Ignorantem*, toti Europæ promulgatum hominem, ut ibi scientiæ, literaturæ, Chymiæ, & artium prærogativam & famam apprehendam. Disce priùs, quàm doceas; informa te, antequàm Reformatorem refutes; & meliùs stude meis Animadversionibus, quæ tuos errores & absurditates refellunt, & innumera utilia, de Præcipitatis Pulveribus, tradunt advertenda.

Porrò scribis, *Neo Hippocrates, pag. 22. lin. 25. Veteres separandi artem, mortalibus divinitus concessam non habebant, per discursum tamen hanc cognoscebant, extingere itaque cœperunt vitri pollinem, in cineribus stipitum fabarum, quorum sal est ex aci-*

do falsus, ut mox ostendam, extinctionem repetebant, semper novo cum cinere, pulveremque vitri aquâ abluebant, ita ut, qualibet extinctio fuerit vitri vel Alcali destructio, &c. Pauca quidem, sed argutè, *Tacheni*, attulisti: dubito tamen, impudentiùs ne, an stolidiùs, hæc dixeris. Quis enim non demiretur abortivam Philosophiam tuam, & anile commentum, quo nobis modum calcinandi vitri tradis? Profectò D. D. Augustanorum vitri ustio, seu combustionis & præparationis modus, multis parasangis, & rationibus his (quos narras) abusibus tuis præferendus; quibus silices præcipitas: quod facilè demonstro. Nam Veteres, te multò sagaciores, extinxêre vitrum in pollinem redactum, & candefactum in acervo: hoc est, in lixivio, facto ex cinere stipitum fabarum, & quidem toties, quousque non resplendebat, &, intra digitos attritum, asperum non esset, neque, intra os repositum, strepitum, vel sonitum, dentibus ederet, nulla prævia destructiva præcipitatione, aut separatione à lixivio, seu ablutione prorsus ridiculâ; prout tu stupidè præcipis, in tua divinitus, profectò, revelata Praxi ac Methodo. Probè novêre Veteres, in acervo, seu lixivio, facto ex cinere stipitum fabarum, quod cum vitro remaneret in extinctione, vitrumque veluti solveret, potiores vires residere; hoc, inquam, separare totaliter à vitro extincto, calcinatum & extinctum vitrum toties abluere, omni alcali, seu sale stipitum fabarum privare, ingentis esse stoliditatis: quod tu tamen palàm, & ex cathedra, *novus Hippocrates*, profiteri non erubescis. Deinde ubi gentium, in quo codice, legisti: *quòd Veteres vitri pollinem extinguere cœperint in cineribus fabarum?* Quâ ratione, & quomodo, potest vitrum candescens in cineribus restingui? Insanis? aut quo Enthusiasmo, aut ecstasi, hæc scribis? In acervo, in lixivio, ex cineribus stipitum fabarum parato, extinguitur, non in cineribus. Ulteriùs: unde probas etiam, quòd pulverem vitri extincti abluerint toties, quoties extinxerint? Est iterum novum hoc paradoxon, seu figmentum tuum. Pœnâ igitur Talionis dignus es, qui hæc probra in Veteres, ac D. D. Augustanos, conjicis, tuæque eos insaniæ participes reddis; quasi & ipsi huic stupidæ, & destructivæ vitri exustioni subscripsissent: cùm interim aliud longè eruamus ex textu D. D. Augustanorum; quem tu in totum corrumpis & adulteras. Vides igitur, verissimum esse, quod Græcus ait: Καλὸς Θεόκριτος οὐ μόνος ἀνθρώπων ὁρᾷ. Hoc est, *Bonus Theocritus haud solus hominum videt.* Ita argutus *Neo-Hippocrates* haud solus Chymicorum sapit, ac videt, in hâc temporum caligine; prout inanes pagellæ ipsius magno gloriolæ pruritu, ac ridendo conatu, demonstrare nituntur. Priùs igitur te à mendaciis, & mille absurditatibus, immunem reddito, & Augiæ stabulum tuum expurgato, antequam D. D. Augustanos vindices, & Reformatorem refutes. Longa enim tibi diffluit à tergo mantica; quòd tam sint perspicuæ, & manifestæ, absurditates tuæ, ut non egeant curiosulo (prout *pag.* 23. *in margine*, scribis) qui in pectore oculum gerat. Agminatim, & ultrò, occurrunt, palpantur, & oberrant ubique. Scurriliter igitur egisti, quòd imbelli calamo, & phanatico stylo, chaos tuum, seu furtivas collatiunculas, & Authorum repotia, seu *novissimi Salis Viperini antiquissima fundamenta*, sine sale, *Vipera*, edideris contra Reformatorem; cujus vigilias, & Animadversiones, tota hactenus Europa, sibi proficuas fuisse, testata est. Ne igitur mirêre, quòd tuas ingentes calumnias, & injurias, ad quas te nunquam stimulavi, duriùs excipiam, ac vertiginoso capiti tuo acrius, ex veratro, lixivium apparem. Tales enim talia decent labra lactucæ, & talia caput talia serta. Interim quæ, *pag.* 22. *lin.* 19. & *pag.* 23. *lin.* 14. scribis: *quòd lapides, ac silices, lac generare Reginis promiserim, in meis Animadversionibus*; hoc falsum est & probrosum mendacium. Cita locum, signa paginam, *Nequissime*, in qua simpliciter Reginis promiserim silicibus lac generare, & indiscriminatim quidem omnibus silicibus. An ignoras, *caliginose Chymice*, quòd non omnes silices tutò usibus internis destinentur; sed illi solùm, qui molles, friabiles, qui cultro atteri, &

facilè conteri possunt, è quibus, chalybe alliso, scintillæ non eliciuntur, securè exhibeantur ad lac generandum, ac reliquos affectus, tàm divitibus, quàm pauperibus; ipsis non tantùm Reginis, sed Deabus etiam etiam, (aut si Venetæ tuæ Veneres id expeterent, *Tacheni*) magno emolumento, & successu? Denique: argumenta tua vox sunt, prætereaque nihil: ac

Stultitiæ est index linguaque mensque tua.

In *fine hujus capitis, pag.23. lin.*20.& *& seqq.* iterum obgannit mihi *Tachenius: quòd ex ignaviâ, & inscitiâ, præparationem hanc* (sive vitri ustionem) *Reformator Levidensem dicat: & quòd profunda hic lateat rerum naturalium notitia, ideoque ejus assumptio non timenda:* & plura irrita. Ad quæ aliud responsi non occurrit, quàm, ut amicam veritatem fatear, pro quâ hactenus vindicandâ pluribus, in supra dictis, certavi, &, uti confido, luculento omnium Sapientum suffragio, contra iniquum *Tachenium* evici: fateor, inquam, hanc *præparationem Levidensem* me vocare; imò & stolidam, ac tanto Æsculapio dignam: prout fusiùs supra demonstravi. Propero itaque ad *nostri Hippocratis*

CAPUT VI.

Quod inscribitur:

RUMOR SINE CAPITE.

APpositè, & proprio etymo; uno hoc desiderato, ut non solùm caput hoc, sed totum opusculum, brevi, sed nervoso hoc lemmate condecoraret, ac titulum præfigeret scriptor: *Ottonis Tachenii Hippocrates Chymicus*, seu RUMOR SINE CAPITE. Ne proinde L. B. lateat, quid sibi velit hic *rumor sine capite*, potiùs integrum textum hujus capituli annectere placuit. Ait autem, *pag.* 24. *cap.* 6. *Circumfertur & modus eliciendi ex silice calcinato vim diureticam per alcali destructionem, id est per regulam alcali contrariam, cum spiritibus acidis, hac via. In spiritum salis, frustulatim injiciunt calcem vivam, qui statim ab alcali calcis absorbetur magno impetu, & vehementi ebullitione, phlegma insipidum evocant, & calcem acido sale saturatam, in crucibulo levi igne fundunt, & in mortarium frigidum percolant, frigefactam, tundunt* (*igneas scintillas tum spargit*) *in pulverem, ex quo, aqua calida, salsedinem eliciunt, hanc purificant, & coagulant, & rursus sponte in liquorem salsum defluere sinunt, non inutilem. Reperiuntur autem sophistæ & impostores, qui promittunt, hunc liquorem distillari per alembicum; miscent nimirum dictum liquorem calcinatis silicibus & pulverizatis, in quadrupla proportione, & distillant aperto igne, in spiritum acidum, quem spiritum calcis Basilii, perversò nomine appellant.*

Videamus nunc, cujus sit filius, dictus distillatus spiritus. Primò absorptus fuit, spiritus salis, ab alcali vitrificante, & in igne constantissimo.

Deinde acida pars silicis, per aquam fuit separata, & rejecta, sub fæcum larva.

Tertiò Alcali fixum silicis vel calcis, combibit acidum salis spiritum, fitque sal ex volatili acido, & fixissimo alcali.

Quartò, commiscent hoc sal cum silicibus calcinatis, id est cum calce viva, quæ ditior est alcali quam acido, ut ostendi in vitro & sapone.

Et licet hæc mixtura urgeretur igne validissimo, quid aliud extillare posset quam acidum volatile? id est, idem spiritus salis, quem alcali absorpserat.

Hunc spiritum, viri celebres, & docti commendarunt in podagra & lithiasi, tanquam quid singulare, eventu tamen planè evanido. Sed Basilius sinistre intellectus non scripsit impostoribus, ea propter ab his iniquè, pro falsa-

rio proclamatus. Rectè itaque monet comicus si sapis, quod scis nescis.

Addo huic examini.

Natura nil quicquam habet occulti, in hoc sublunari globo, quod medicinam spectat, ut Hippocratico, hac methodo, non manifestum fiet.

Quod hac methodo, quilibet processus, tam Chymicus quam Medicus potest ingenio & discursu probare, & verum à falso discernere, sine expensis ullis, & temporis per ditione, postquam imbutus fueris hac Hippocratica doctrina, quam brevi compendiolo hic trado, nec amplius ab impostoribus, sophistis & deceptoribus circumveniri; imo hac methodo, poteris, operando, & libros scribendo per omnia tria regna, animale scil. minerale & vegetabile, in hac naturali Hippocratica vera & antiquissima philosophia, recto tramite progredi sine errore ullo in infinitum, nec seduci! ut in progressu fateberis.

Quanquam, in hoc capitulo, genericè, ac neminem determinando, calumnias suas prosequatur *Tachenius*, suppresso Reformatoris nomine, forsan scopum quærens, in quem sua tela jaciat & convitia, in concavo lunæ; nihilominus tamen eâdem operâ hunc subibo laborem, ac ad ineptias quasdam, quas in hoc capitulo affert, respondebo. Non suscipiam quidem causam *Sophistarum & Impostorum*, de quibus loquitur, *pag. 24. lin. antepenult. qui promittunt*, uti dicit, *liquorem ex calce viva cum spiritu salis distillare per alembicum.* An autem tales dentur, aut qui nominentur, qui hæc attentant, ignoro. Patet tamen hujus hominis pessima affectio,& paronychia,quæ homines rabidos,canes efferos reddit; ut, semper irrequieti, obvia quæque arripiant & discerpant.Sic *Tachenius*,dum *Reformatori* nonnihil indulget;erga alios interim linguam exasperat: ne quid desit malitiæ. Hæc autem, de spiritu diuretico, dissertatio (an sit Basilii, vel alterius, non decido) *quam sophistas parare, aut adulterare*, dicis, meliorem requirunt discursum, doctiorem Chymicum, & Philosophum, ac tu es, *Tacheni*, si pro rei dignitate argumentum tractari debeat. Ego hoc labore supersedeo; cùm extra forum nostrum sit: ne in immensum occuper. Non possum tamen præterire superciliosum & arrogans hujus Sophistæ marginale, in quo audacter ait: *Natura nil quicquam habet occulti, in hoc sublunari globo, quod medicinam spectat, ut Hippocratico, hac methodo, non manifestum fiet, pag. 26.* Ecce! plus quàm Salomon hic, qui ab Hyssopo ad Cedrum, quæ est in Libano, cognovit omnia, nihil hæsitans. Ecce proto-parentem! cui infusa scientia. Ecce Luciferum! cujus indumentum Sapientia, quam quidem superbia, neutiquam doctrina, æmulatur. Profectò tibi, *Tacheni*, ævi nostri Æsculapio, aram erigere convenit, laudabili Veterum exemplo.Sed,cum quisquiliis tuis,harâ interim contentus esto.Non enim sapientum, & Hippocratis, more nos doces, sed adversus viros doctos grunis. Profectò, Divinus noster Senex, (cui antonomasticè, ac per eminentiam, Medicorum principatus attribuitur) tam temerarium non est ausus edere aphorismum, ac hic *Sophista* ac *Nugator* attulit, quasi omnia sibi paterent: quin potiùs, humanæ memor imbecillitatis, magno artis fastigio, magnis inscriberet literis; EXPERIMENTUM DIFFICILE, ARS LONGA. Verùm prudens Lector adeat libellum ejus, ac, velut ex signo rem, ex linea hunc Apellem cognoscat: legat, inquam, consectaneum ejus, *fol. 26.* quod ipse inscribit: *Addo huic examini.* Ex quo manifesta ejus deliria resplendent, nugæ, vanitates, ac rumor sine capite,non sine risu legenda. Accedo ad

CA-

CAPUT VII.

Quod inscribit:

Qui benè distinguit benè docet.

IN hoc capite vel maximè prosequitur institutum suum, ac promissis satisfacit; illudque *mirandum, jucundum, absconsum, & occultum à sensibus hactenus*, tandem revelat; diversa alcalia, scilicet lixivialia Salia, edocendo. Hoc unum argumentum sufficeret, ad demonstrandum, quòd Impostor sit, & rumores venetur. Quid enim notum magis Pharmacopœis? Quid Tyrones, pro prima lectione, ediscunt priùs, quàm, quòd unum vegetabile ab altero distet plus minusque; acriorem, ac mordaciorem, ac quasi igneum, magis salem foveat, & obtineat, &, ut exemplo illustremus, quòd, v. g. Herba Kali Ægyptiorum, aut Soda Hispanorum, stipites fabarum, quòd ramenta vitis; Tartarus, & ille magis, vel minùs, calcinatus, acrem magis, & mordacem, obtineant salem; helleborus verò lignum Sanctum, China, sarsaparilla, &c. è contra in minori quantitate, tum etiam minùs mordacem præbeant salem; ad unum tamen omnes acidis contrarium, quia purè salsum? Adjungit postmodum marginalia quædam, quæ *nihil ad Rhombum* sunt: &, dum legi illa, occurrit mihi illud tritum Germanorum adagium: Pueri & Stulti ubique parietes collutulant; seu, ut Latini jocantur, festivo illo: Stultorum manus depingunt latera domus. Nam per totum Opusculum illa marginalia sunt merè incisa, levitates; & atomi, ex vacuo cerebro evolantes, indigna gravi, ac seriis intento viro. Ex horum censu est & illud: *Segniùs irritant animos, demissa per aures; quàm quæ sunt oculis subjecta fidelibus*, pag. 27. Ergò: *qui benè distinguit, benè docet*; quod erat demonstrandum, juxta Capitis titulum. Eruat, qui vult, hanc consequentiam: meam Dialecticam hoc artificium exsuperat. Pergit deinde ad demonstrandum, ac ostendit per mechanicam, uti dicit, quàm mira sit illorum salium lixivialium differentia, nimirum: *Dissolve unciam semis mercurii sublimati, (qui ex acido & alcali in salsum est mutatus (a) permixtione) in aquæ communis destillatæ unciis quinquaginta, in particulam hujus claræ solutionis guttatim, sed celeri lapsu, stilla, alcali tartari fixum, (est liquor tartari sponte resolutus) qui in momento dividit compositum, absorbet acidum, & Mercurius illicò petit fundum obscurè rubens.* Secretum, profectò, nulli revelatum, à constitutione mundi: dignum, quòd obsignet magni Coi authoritas. Quare & Hippocratem, Avum suum, allegat iterum, ex libro primo de diæta, *in marg. pag.* 27. Videtur mihi primò, quod & nihil ex Hippocrate legerit *Tachenius*, quàm solum, de Diæta, librum primum: Secundò, & quòd hæc citatio apogrypha sit. Nam sedulò Hippocratem volvi & revolvi, sed nihil horum reperi, cujus mechanicam Senex noster foveat. Quinimò huic *Proto-Chymico* irascitur, quòd tam confidenter se suum Hippocratem vocet, ac ad Saponariam Coadjutorem velit, indignum tanto viro opificium. Mihi interim testimonium dabunt Pharmacopœi, quòd artificiosa hæc Mercurii solutio, uti & illa præcipitatio Mercurii, sit verissima, sibique ac suis Tyronibus, ac pueris nota & tritissima; nec *absconsa à sensibus hactenus, & cognitione.*

(a) *Hipp. lib. 1. de diæta.*

Attamen ulteriùs audiamus, & scrutemur, quid mysterii sub tot involucris & figuris lateat. Metuo, ne nux cassa sit, sine nucleo. Primò, si consulamus Tyrocinia Chymica, inveniemus, hunc secretissimum processum, ab *Hippocrate Chymico* delineatum, ubique sub titulo Mercurii præcipitati in momento, vel Turbith mineralis rubri, descriptum esse. Et nihil tritum magis, & vile, cùm Pharmacopœis, tum discipulis, quàm sublimatum cito, vel

quasi in momento, præcipitare, oleo tartari per deliquium facto affuso; quod oleum tartari *Hippocrates Chymicus* (ne forsan Impostores audiant, vel intelligant, imposturam) *Alcali Tartari fixum* appellat. Ut autem notum per ignotum explicet, aut notum planè ignotum reddat; ait, in parenthesi: *Est liquor tartari sponte resolutus, pag. 28. lin. 5.* Oportebat enim novum Hippocratem recentibus quoque, & novatis aphorismis instructum, luci donari. Igitur, dum adhuc Pharmacopœum agebat, & trivialem Medicum, Scapham baptizabat Scapham, & liquorem hunc, appropriato etymo, Oleum Tartari per deliquium indigitabat: factus autem Hippocrates (*Impostor*) hoc, per deliquium, Oleum Tartari *alcali Tartari fixum* nuncupat, ac demum, facto nequitiæ progressu, *Liquorem Tartari spontè resolutum* designat. Sed quis non videt, quàm sit impropria hæc locutio? Nam primò: Oleum Tartari spontè resolutum non est adhuc alcali Tartari fixum. Debet enim priùs ab humiditate sua elementari, per evaporationem, liberari, donec reducatur in alcali fixum, hoc est, in siccum salem Tartari. Nam elementaris humiditas, quæ à sale tartari evaporat, & potior pars hujus liquoris est, non est fixa, sed sal, seu alcali, illi inhærens. Secundò: Tartarus non potest sponte sua in liquorem resolvi, nisi priùs calcinetur: est ergò hic liquor Tartari calcinati spontè resolutus. Hæc, quæ quæ attuli, levia sunt, magni tamen ponderis fastum ac superbiam arguunt, nec non invidiam, quâ posteritati injurius, obvia quæque celavit, Deo, proximo, ac sibi infidus *Tachenius.*

Alterum magis considerationε dignum, in hâc simplicissima Mercurii sublimati solutione. *Dissolve*, inquit, *unciam semis Mercurii sublimati (qui permixtione ex acido & alcali in salsum est mutatus) in aqua communis, &c. pag. 27. paragr. ult.* Ex contextu hoc si parenthesin tollas, talia addiscimus, quæ Tyronum vulgus passim crepat, Lippis nota & Tonsoribus. Est enim Mercurius sublimatus vulgi, & ejus solutio in aqua, communis, omnibus obvia & trita; Parenthesis autem popularia hæc limitat, & à genere ad individua trahit; hoc est, nota & notissima, velut inducto peplo, obscurantur, & verborum amphibologiâ omnibus notissimus Mercurius sublimatus redditur ignotus ac extraneus; adeò, ut etiam exercitata & sapientissima ingenia ambigant, quid novata hæc sibi velit Philosophia. Falsissimum enim est, quòd *Mercurius sublimatus ex alcali & acido in salsum sit mutatus, à permixtione.* Et, quod amplius est; ineptam hanc ac impropriam locutionem magni *Hippocratis* authoritate fulcire nititur, *ex libro 1. de diæta*, jejunus Philosophaster. Quis enim ignorat, quòd Mercurius sublimatus ex toto corrosivus sit, beneficio mineralium & salium acido-salsorum, in corrosivum tale, & summum quidem, conversus, sublimatione & solutione: ad quod opus alcali nullum accedit, tanquam omnibus acidis contrarium, & eorum destructivum; prout ipse *Hippocrates novus, pag. 27. lin. 21.* disertissimè asserit, & sequentes, prorsus lamentabiles, probationes ejus, ex hoc fundamento contrarietatis, acidi nimirum Mercurii, & salium purè salsorum, seu lixivialium, procedunt? Reincidunt igitur querelæ nostræ, ad raucedinem & fastidium Lectoris prolatæ: quòd *Tachenius ambitiosus* ac *lividus nugator*, nec non *nequitiosus Idiota* sit, quem salium differentiæ, & rerum analyses latent: quo errore prævento ipsi perinde est; sal acido-salsus sit, seu purè salsus, seu sal volatilis, seu fixus, lixivialis, seu sal Alcali; communis, an nitrosus, vegetabilis, an animalis, seu denique mineralis: omnia, uno novato etymo, alcalia illi sunt, & alcalia perseverant; stat pro ratione indoctâ voluntas, & authoritas novi Hippocratis. Cùm interim tanta sit inter prædicta salia differentia, quanta inter nigrum & album, quanta inter privativa & positiva. Quâ igitur ratione subsistet hujus Capituli præfixa inscriptio: *Qui benè distinguit benè docet*: cùm ipse legislator sit fœdifragus; ac portentosus Hippocrates errores, & mille artis hæreses, è suggestu edoceat? Si novus Dictator noster, & è Stoâ Cous, rem mihi communicasset, priusquam abortivum hunc suum embryonem, & Chymicum

micum Therſiten, enixus prælo fuiſſet, tria illi verba in aurem dixiſſem, ac author fuiſſem, ut reformaſſet multis erroribus imbutum cerebrum, revolvendo, quid Zwelferus, de Salibus, *pag.* 55. *uſque ad pag.* 61. *Append. ad Animadverſiones*, dictaſſet; profectò tale monſtrum nunquam peperiſſet. Sed ſurdo nunc cano fabulam; illi, cui ſemper illud Apollinis in ore:

Inventum Medicina meum eſt, mihi creditur illa:

quanquam, re jam conclamatâ, ſera in fundo ſit parſimonia, juxta illud: Poſteriores cogitationes ſapientiores; aut, uti meliùs Perſius, *Satyr.* 3.

Helleborum fruſtra, cùm jam cutis ægra tumebit,

Paſcentes videas: venienti occurrite morbo.

Actum eſt; te, velut deploratum, ſuſtinemus, & inſanum lugemus. Hæc per modum parergi, & marginalis, in aurem tibi, *Tacheni.*

Tandem ſi & reliquas alcalium probationes, & differentias, cum ſoluto Mercurio ſublimato, *pag.* 28. exactè conſideremus; experiemur, etiam illam differentiam colorum, in præcipitando Mercurio, non tam à proprietate ſeminali, ut ita loquar, vel proprietate ſubſtantiæ cujuſcunque vegetabilis emanare; ſed potius ab intenſa, vel remiſſa, calcinatione cinerum vegetabilium, tum eorundem extractorum ſalium lixivialium aut alcalium: uti videre eſt in ſale Tartari. Et hoc ipſum innuit Author *pag.* 29. *lin. ult.*

Porrò, *pag.* 29. *lin.* 5. & *ſeq.* iterum Paradoxum affert *Hippocr. Chymicus*, ſic ſcribens: *Cùm verò idem Mercurius præcipitatur, alcalibus ex herbis cephalicis, ut roriſmarini lavendulæ, &c. hæc, quidem ſunt alcalia, ſed non cinerum ut priora, at multò volatiliora, hæc inquam dejiciunt quidem Mercurium rubidum lucentem.* Quid igitur audio denuò *inauditum & abſconſum hactenus*, *alcalia ex herbis eſſe quidem alcalia, ſed non cinerum, ut priora, at multò volatiliora; & tamen præcipitant, ſeu* (ut author; altiori ſtylo, loquitur) *dejiciunt Mercurium rubidum lucentem*? Hoc paradoxon mihi videri, fateor, nec non implicare: Eſſe ſimul alcali, & non eſſe, nec ex cineribus eſſe. Nullum enim dari poteſt alcali verum, niſi ex cineribus, ſeu calcinatis vegetabilibus, extrahatur. Et ipſe auth. *Hippocrates Chymicus*, alcali ex Roremarino, *pag.* 27. *lin.* 20. inter alcalia fixa reliqua, ex cineribus parata expreſsè numerat: nec alcali volatile eſſe poteſt, quia cineres, è quibus elicitur, magnam ignis torturam paſſi ſunt. Ergò iterum implicat, quia ex cineribus ſal, ſeu alcali volatile, extrahi nequit.

Progreditur author, *pag.* 29. *lin.* 14. *Sic chelidonia habet alcali mirabile (ut non ſine myſterio laudetur à Paracelſo & Lullio, ejus quinta eſſentia (quam tamen cœli donum exiſtimo) id eſt hujus ſalis ſpiritualis alcaliſatus liquor, &c.)* Quale ingenium; talis genius: qualis ſermo; talis Magiſter: obſcurus loquitur obſcuriſſima. Oedipo profectò opus haberem, qui myſteria panderet, ac tot parentheſeις parentheſιων arceret. Neque enim intelligo, quâ ratione huic obſcuriſſimo ſermoni de ſalibus lixivialibus vel alcalibus, unicuique Pharmacopœo notis, imò Tyronibus jam attritis, competat illud marginale, quod aliàs de Lapide Philoſophorum loquitur, ac ſic ſonat: *Qui non guſtaverit ſalium ſapores, nunquam perveniet ad optatum fermentum fermenti*, *inquit Roſat. Author.* Proh! quantum fortè in alcalibus *Hippocr. Chymici* latet fermentum fermenti Roſarii; imò ipſe Philoſophorum Lapis, cum omnibus, quæ multis ſuſpiriis, & indefeſſis precibus, multi inquiſivêre! Profectò miranda & inaudita, ſed Tyronibus & diſcipulis nota, edidiſti, *nove Hippocrates*, talia nimirum, quibus ſi obſcuritatis larvam, & mendaciorum temeritatem, demas & ſubſtrahas, puerilia ſunt reliqua, ac cachinnis digna; ea tamen eximo à mea cenſurâ, quæ ferè paribus verbis ex magno Helmontio, nonnunquam etiam Libavio, depeculatus es, quæ cùm tuis abſurditatibus diſparia ſint, velut ex ignobili maſſa, & quiſquiliis tuis, proprio nitore emicant, & conſurgunt. Sed quid immoror, cur tam levibus negotiis tempus fallo?

Si enim totam machinam, & miraculum hoc Chymicum, ad calculum revocemus; aliud non deprehendimus, poſt tot arroganter

à *Ta-*

à *Tachenio*, 7. *hoc capite*, allata promiſſa, quàm, ut Mercurius corroſivus, ſimpliciter ſolutus in aqua ſimplici, per ſalem aliquem purè ſalſum ac lixivialem, quem *novus Hippocrates* alcali appellat, denuò ex ſolutione præcipitetur in pulverem magis vel minùs rubentem; quem pulverem ſæpius edulcoratum Tyrocinia, & Pharmacopœi, Turbith minerale rubrum, vel Mercurium præcipitatum rubrum dulcem, flavum, vel croceum, à colore, indigitant; qui color autem accedit à ſalibus illis alcalibus, lixivialibus, quatenus magis vel minùs calcinati ſunt, vel propiùs ad naturam ſalis Tartari, aut ſalis alcali veri, accedunt. Efficitur autem illa præcipitatio propter contrarietatem liquorum acidorum & purè ſalſorum ſalium; quia in vulgari Chymia omnibus Tyronibus notum, quòd, quando acidi & ſalſi (ſubaudiendi purè ſalſi) liquores junguntur, unum deſtruit aliud. Ita etiam hîc accidit: ut ſal, ſive Tartari, ſive alterius vegetabilis cujuſdam ſal lixivialis ſit, acidos ſpiritûs, Mercurio ſublimato junctos, in ſolutione ejus, & ſublimatione, deſtruat, inque aliud quoddam eſſe convertat ac immutet; quibus acidis ſpiritibus deſtructis, Mercurius à vinculis, quibus ligatus, ſolutus, vel liberatus, fundum petit, &, ut author loquitur, *dejicitur*, in forma pulveris rubicundi, vel etiam albi. Acidi enim ſpiritûs, licet corpus aliquod minerale, vel aliud quoddam, cum impetu ſolvant & arrodant; majorem tamen gerunt hoſtilitatem in ſalia purè ſalſa, utpotè Tartari, & lixivialia omnia alcalia, volatilia etiam animalium. Et illa ſalia, è contra, in ſpiritûs acidos cum impetu feruntur, & agunt; adeò, ut, ubicunque ſe mutuò attingunt, acidi ſpiritûs priùs ſolutum corpus deſerant, & ſalia alcalia, ſeu lixivialia, manifeſtâ hoſtilitate aggrediantur; ubi eâdem feſtiâ dicta ſalia in ſpiritûs acidos, reciprocando, agunt; ut ex mutua illa actione & reactione, ex duobus illis, acidis nimirum ſpiritibus, & ſalibus lixivialibus purè ſalſis, neutrum quid, & mitius, reſultet, neque purè acidum, neque purè ſalſum, ſed veluti acido ſalſum, impotens tamen, ut prius ſolutum corpus in gremio ſuo contineat, ſed totum in fundum delabi ſinat, in forma pulveris. Et hæc ſunt præcipitationis illius fundamenta, cui *Hipprocrates Chymicus* tam ſpecioſam deſtinabat panegyrim, *verboſus Encomiaſtes*, ac laudis amore tumens: quaſi verò in his tam arcanis & inauditis totius Chymiæ verteretur cardo; cùm interim trita & obvia noſtræ artis ſint principia, & quilibet Pharmacopœus non ſolùm has ſimplices Mercurii, ſed & reliquorum Metallorum, tum etiam rerum uſtibilium ac deſtructibilium, (utpote Perlar. Corall. &c. de quibus, in ſequentibus, pluribus agemus) ſolutiones & præcipitationes optimè nôrit, & nihil notius ſit in Officinis, quàm, ut ſi quando acidi & ſalſi liquores, intellige, purè ſalſi, confunduntur; ex contrarietate horum, & actione ac reactione, ſeu paſſione, (quodnam autem horum in aliud magis agat, vel repatiatur; ſub judice lis eſt) neutrum quid fiat, & ambo in novum velut ens, & novam creaturam demigrent, quod ens neque purè ſalſum, neque acidum eſt, ſed quaſi nitroſi ſaporis; uti apparet in præcipitatione, ſeu præparatione, Tartari Vitriolati, & aliquali fixatione ſalium volatilium, ſive fuliginis, urinæ, ſive viperarum ſit; ſive ex ſale Armoniaco, aut ex oſſibus, carnibus, aut ſanguine ſint parata. Adeoque nihil novi, nihil myſterii hîc latitat, de quo noſter Hippocrates tamen, tam ampla & magnifica præfatus, tanta miracula promittit, nullam interim methodum, ac artis leges, aut limites, obſervans, ſed omnia confundens, ſalia nimirum volatilia, ſalia communia, ſalia lixivialia, ad unum omnia alcalia nuncupans, quæ cuncta non tantùm magnam in artem accerſunt caliginem, nec non Chymiam proſtituunt, ſed etiam ex natura rei implicant: ratio eſt; quia alcalia ſalia ex fundamento, & rei naturâ, ſolis cineribus ex herba Kali (cujus magna penus Venetiis proſtat, ex Ægypto tranſlata, ad ſaponem & vitra apparanda) competunt, poſtmodum verò, per quandam analogiam, ad lixivialia ſalia extenduntur; quatenus etiam ex herbis & vegetabilibus incineratis & combuſtis extrahuntur, ideoque alcalia nuncupantur: quod, uti dixi, non proprio etymo fit, ſed analogicè; idque à paucis practicatur. Præſupponunt autem omnia

omnia alcalia, aut lixivialia salia, combustionem aut incineratione rerum, è quibus extrahuntur; & differunt insigniter à reliquis aliis quamplurimis salibus, utpote à sale communi, vel Gemmæ, aut Maris, quæ salia terræ, acido salsa & fixa sunt; à sale Armoniaco, qui etiam acido salsus, sed volatilis; à salibus porrò volatilibus animalium purè salsis; à salibus item nitrosis, peculiari studio è determinato solo decoctis, qui etiam acido salsi; & tandem à salibus etiam aëreis, quasi nitrosis, qui ex aëre, à rebus summè calcinatis, utpote è capite mortuo Vitrioli, ad extremam calcinato, alliciuntur, sibique corpus assumunt. Quæ enumerata salia omnia nullam præsupponunt incinerationem, aut extractionem sui è cineribus; proptereaque nullo modo sunt alcalia, & ab his quàm longè diffident, cùm essentiâ, tum actione, ac modo operandi. Horum autem salium differentias theoricè, ac ex fundamento, tractavi, *in Appendice ad Animadv. loco supracitato*, ex quo Philosophi, sapientiæ ac veritatis amantes, omnem capient satisfactionem. Talia enim inserui, quæ cùm Chymico, tum Medico, & Pharmacopœis, dignissima. Ex quo satis mirari non possum hebes tardumque ingenium *Tachenii*, quòd hic cavillator salsa salia (uti desumo ex ejus doctrina) è censu salium proscribere vult, ad decipiendum saltem, quasi salia non essent. Sic enim, *pag.* 30. *lin.* 19. loquitur: *Salsa autem, cujuscunque sunt generis Mercurium non præcipitant ex dicto soluto, & quo salsis viciniora minùs acidis nocent.* Quæ verba Authoris paradoxa nonnullis videri possunt, in reipsa tamen falsissima sunt; & præcipitant etiam Mercurium sales communissimi ex sua dicta solutione, licet minùs potenter, ac remissiùs: largiori proinde quantitate solutioni Mercurii infusa, illum in albicantem pulverem præcipitant, qui *Mercurius præcipitatus albus* dicitur, vel *Turbith minerale album*, priùs tamen edulcoratum, ab omni salsedine ac acrimoniâ liberatum. Igitur termini Authoris, prout simpliciter sonant, accepti, involvunt contradictionem & implicantiam; scilicet: *salsa quæ salsis viciniora minùs acidis nocent.* Hoc in terminis repugnat, & ex naturâ rei, arguitque decumanam ignorantiam artis & naturæ, quia ex essentia sua, & natura, salsa acidis contrariantur: intellige purè salsa; quibus purè salsis salibus nomen salis rectiùs competit, quàm salibus acido-salsis: quod omnibus notum, nec eget alio aphorismo *novi Hippocratis Chymici*, qui per parabolas nobis loquatur, & evangelizet, ac salia (utor usitato Artis, non Grammatices, termino) salia inquam, alcalia, seu lixivialia non salia, & mox iterum salia appellet & indigitet; nec non ea, quæ multis seculis clara & indubitata extitêre, umbris suis, æquivocationibus, & captiosis terminis, obscuret, *Sophista.* Neque etiam opus habebat dictus *Hippocrates Mimus*, Mercurii sublimati unciam semis, in quinquaginta unciis aquæ communis destillatæ (tanquam pro Panacea sua, & anti-Venereo medicamine secreto & hæc in aures!) dissolvere, & tandem tot diversis salibus alcalibus levidenses suas probas, salibus alcalibus solutioni Mercurii infusis, instituere. Compendiosiùs multò, & arti conformiùs, ea omnia experiri licuisset, quænam salia lixivialia ignipotentiora, (sic ipse loquitur) vel magis ac minùs ad naturam veri alcali accedunt, aut etiam in igne diutiùs retenta fuêre; si Mercurio sublimato, in pulverem saltem redacto, salia dicta lixivialia, in liquorem saltem resoluta, affudisset, & illicò effectum extemporaneum spectasset.

Subintro nunc Augiæ stabulum, dum *novi Hippocratis* ignobiles doctrinas, exempla, contradictiones, quas, *pag.* 31.32.33.34.35. affert, nescio, an indignabundus, an in risum effusus, perscrutor. Fateor n. tam obscura sunt, & tam clarè falsa, ut refutatione partim non egeant, partim non digna sint; & volumen totum expeterent. Jam enim *salia ex herbis diureticis omnibus, stipitum fabarum, genista, hypericon, &c. acido-salsa* proclamat; quod falsissimum: *alcalizari acri flamma*, etiam falsum est; quia non demum alcalisantur, sed acriora fiunt, *ignipotentiora, Hippocratis novi* etymo; unde differentia colorum ex parte, in ejus Mercurii præcipitationibus, accidit ac ortum habet. Paulò antè verò omnia hæc salia non salia, sed alcalia voluit. Jam verò iterum: *Salia cinerum, ex*

c.aſſe vulnerariarum , ut betonicæ , &c. fundere planè ſalſum ſalem , dicit , *ob id vitrificatione inepta, & Mercurium non præcipitant, qui* (ſcilicet Mercurius), *ejuſdem eſt ſaporis.* Proh ! quanta mendacia ! quàm abſurda! *Omnia autem dicta ſalia per fuſionis ignem mutant naturam, fiuntque alcalia, vitrificantur, & Mercurium præcipitant rutilum.* Et, ut honeſtus hic vir benè ſubſiſtat , teſte eguit , quem reperit. En ! adeſt. *Hinc zoar, ſuper Exodum notat quòd ex quovis cinere vitrum paratur.* Sed hæc eſt contradictio priorum , quòd ſalia lixivialia per fuſionis ignem mutent naturam. Addit autem perversè *Hipp. novus: id eſt, quando in alcali reducuntur.* Quaſi verò Zoar ignoraſſet cineres , & ſalem alcali. Sed venite, & ſpectate, Senatus Populeque Academice, typum, ideam, ac ſimulachrum homuncionis, Philoſophaſtri, ac hominis craſſæ ignorantiæ : audite, quem ſpectaſtis, nunc loquentem Idiotam , *Tachenium* , *pag.* 34. *lin.* 8. ubi ait : *Quod veterum ille doctiſſimus , qui vitrum ignitum in cineribus ſtipitum fabarum extinguere juſſit, & non in ſale ejus, rectè vitri uſtionem inſtituit , ne nimirum ab imperito reformatore , ſal imprudenter alcali naturam indueret.* O ſapientiam ! (parcite : & ſit venia verbo) O ſtultitiam ! dicere volebam ; ô incuriam ! ô deliria , & mendaciſſima dogmata ! Quis eſt ille doctiſſimus Veterum ? Deſigna illum morionem , qui tui imaginem & ſtultitiam præ ſe fert ? Quis tibi par doctrinâ & talentis, *Tacheni :* qui cum Lucifero jam pridem exaltaſti ſolium tuum, aſcendiſti ad la tera Aquilonis , ut eſſes ſimilis Altiſſimo ? Omnis decor indumentum tuum , & lapis precioſus operimentum tuum ; vicaria ſapientia , experientia , *inaudita , nova , admiranda, ſtupenda, & inviſa* doctrina tua, in folio, & ex *pag.* 7. *cap.* 1. Quis unquam auſus ſe Hippocratem promulgare : quis Divini Senis diademati inſidiari ? Procul dubio ſapientiſſimus Europæ , Urbis , Orbis , *Tachenius.* Ergo ille Doctiſſimus Veterum noviſſimi ſalis Viperini author eſt : tu es ille probroſus vir , jocus puerorum in Gymnaſiis , ludus & fabula tyronum Pharmaceutices : tu es , *Tacheni* , qui vitrum in cineribus ſtipitum fabarum extinguere juſſiſti ; & tu ſolus hoc doces ac defendis, *Veterator.* Ubi unquam legendo aut practicando hoc præceptum aſſecutus es , quo cavetur , ut vitrum in pollinem redactum , & candefactum , extinguatur in cineribus ſiccis? Mereturne hæc operatio extinctionis nomen , ſi vitrum ignitum ſuper cineres conjicitur ? Cur Veterem illum Doctiſſimum (ex concavo Lunæ ortum) cur etiam D. D. Auguſtanos, tot monſtroſis figmentis & hyperboliſmis , viros innocuos , laceſſis ? Hujus enim dogmatis veritas, eſt D.D. Auguſtanorum, quos defendis , impunitas. Quis mente aſſequi poteſt , quâ ratione vitrum , ſubtiliſſimè tritum ac ignitum, cineribus injectum, illiſque commixtum, denuò è cineribus erui ac ſeparari, & ex atomis atomi colligi poſſint ; maxime pro ſecundâ, tertiâ, & repetitâ vitri ejuſdem uſtione , & extinctione. Profectò ſtupida ſunt hæc phaſmata, & inaudita, *nove Hippocrates.* Præceperunt D. D. Auguſtani, *pag.* 421. *m. Animadv.* ut vitrum ſubtiliter pulveriſatum ac cribratum, ac in olla ferrea ignitum ſuper prunas, extinguatur in acervo , facto ex cineribus ſtipitum fabarum : & hoc toties repetatur, donec optimè in cinerem ſit redactum *In acervo*? *In acervo : in acervo* (Domine *Hippocrates* auſculta, aphoriſmum loquor) facto ex cinere ſtipitum fabarum, hoc eſt, *in lixivio , facto ex cinere ſtipitum fabarum* , D. D. Auguſtani, & ſi quis dixiſſet Veterum Doctiſſimus , vitrum extinguere præceperunt, non in cineribus. Imponis D. D. Auguſtanis , malus cauſidicus es , turpior *Hippocrates* , *Tacheni* , Rudis enim ſolummodo notâ Arcadiæ linguâ ; minimè Aphoriſmos nos doces , ut in lemmate tuo promiſiſti , ſic Philoſophando. Et quid ſonat hic rugitus , & hæc tua eruditio ? *Non in ſale ejus , rectè vitri uſtionem inſtituit: ne nimirùm ab imperito reformatore ſal imprudenter alcali naturam indueret.* Riſum teneamus , Amici. *Veterum ille doctiſſimus non in ſale ſtipitum fabarum vitri uſtionem rectè inſtituit :* & cur ? *ne ſal ſtipitum fabarum imprudenter alcali naturam indueret ab imperito reformatore.* Certè ſi ſal hic alcali naturam demum indueret, id ſanè non ab imperito, ſed à peritiſſimo, Reformatore accideret , qui vires , naturam

turam & causalitatem ignis exerceret. Juxta te enim, mendaciorum immemor *Tacheni*, in igne, & per ignem, salia alcalisantur; ergò non per Reformatorem. O imperite Philosophe! Jam demum incusas salis stipitum fabarum imprudentiam. Vides, quas nœnias & nugas, quas fabellas, ad colum à vetulis recenseri solitas, publicis typis evulgaris, ridiculus magis, quàm Æsopi commentator, aut, cum aureo Asino, Apulejus? Profectò: *Inimici hominis, domestici ejus.* Nam si vel ab hoste consilium sollicitasses, deterius famæ tuæ consulere non potuisset, quàm suadendo, ut hæc novissimi Salis Viperini stultissima fundamenta prælo (teste ære perenniore) subjiceres, sicque toti Europæ ludibrio te exponeres. I. perge, & innocuo Viro, D. Hellwig Dieterico succense, quòd famosum liquorem tuum Alcahest typis mandavit: nunc tibi ipse, *nove Hippocrates*, insultat. Nam: perditio tua ex te; nec recedet malum à domo tuâ.

Prosequeris institutum tuum, *pag.* 35. *lin.* 15. *Sal ex viperis, Mercurium non præcipitat.* Etiam hôc veritati imponis. Nam verus sal volatilis viperarum præcipitat Mercurium, æquè benè, ac alia salia volatilia animalium, Urinæ, Ossium, &c. ut ipse asseris. Crediderim tamen ego perfacilè in favorem, quòd neque Sal Tartari, aceto saturatus, Hippocratis Chymici magnum secretum, hoc præstet.

Salem Absinthii esse ex acido salsum, pag. 35. *l.* 19. Hoc iterum falsum est; falsum quoque, quòd *Mercurium non præcipitet*: uti etiam falsissimum, quòd *spiritum Vitrioli non absorbeat, nisi prius alcalisetur.* Quia à prima sua originè è cineribus est extractus, ergò alcalisatus, & sal lixivialis est, ut reliqua salia lixivialia omnia; neque requirit ex natura suâ, ut denuò alcalisetur. Denique tot spuria dogmata, mi *Tacheni*, enixus es in hoc novo Hippocrate tuo, semper Compatrem tuorum monstrorum, & abortivi fœtûs, innocuum Divinum Senem, ex libro 1. de diæta, exorando, ut me & tædeat, & pudeat, plura ulteriùs producere, ridenda nostris, dedecorosa tuis. Audiamus tamen adhuc elegantem textum ac paragraphum, *pag.* 35. *lin.* 29.

Hinc discitur: fortiori igne, quàm rei natura fert, fixari, & in neutrum verti. Fiunt itaque quamplurima solo ignis regimine, non quidem ut ex Orco in lucem aucta generentur, ut credit vulgus, hujus Hippocraticæ doctrinæ ignarus, sed saltem simplici alteratione subjecti, ut docet meus Hippocrates, lib. 1. *de diæta, illique sciunt, qui internum cum externo harmonicè conjungere norunt.* Digna profectò, aureis quæ scribantur characteribus; digna, quæ ad Apollinis aram, Anathematis loco, suspendantur; atro (ut dicitur) dignissima calculo. Venite, properate, *hùc adeste, veritatis amatores, vos admiranda aspicietis, vos absconsa manibus vestris tractabitis, vos occulta audietis*: *cap.* 1. *pag.* 7. Annon videtis, quòd vos Lumen, & Ignis fatuus, præcedat, *Tachenius?* Quòd Phaëthon hodiè Solis moderetur quadrigam? An vos latere potest candela supra modium, supra candelabrum, posita? Ut ut tamen se res habeat, ego, pro meo talento, ad hunc Solem, ad hunc ignem, ad hanc candelam denique, caligo; mihi tenebræ videntur & confusum chaos. Qui potest capere, capiat hanc doctrinam: ego me non fatigârim.

Iterum, *pag.* 35. *lin.* 19. ait: *Sal absinthii, est ex acido salsus, propterea Mercurium non præcipitat, ut neque spiritum Vitrioli absorbet, ut docet reformator, sub titulo spiritus Vitrioli coagulatus; cùm verò alcalizatur; Mercurium præcipitat flavum, & tunc etiam acidum spiritum Vitrioli absorbet & vitrificat, &c.* Brevis hic est paragraphus, sed in compendio multa junguntur mendacia, superiùs notata. Contra reformatorem non habet de jure, quod latret; quia fundamentaliter de spiritu Vitrioli coagulato, *pag.* 456. *Animadv.* scripsit. Nam sal Absinthii est de natura, & prosapia sua, sal lixivialis, è cineribus extractus: juxta Hippocratem novum autem, plurimis in locis, salia cinerum sunt alcalia omnia; &, juxta ejus opinionem, non vero salia: quia solus sal communis propriè ipsi sal dicitur. Nam alcalia dicit esse vacua. Sic enim paulò superiùs docet: *pag.* 35. *lin.* 4. *Sal commune, Mercurium ex dicta solutione non præcipitat, & licet per longum tempus & celeri flamma concremaretur, nunquam fieret al-*

cali, ut neque sub digestione mutat naturam, est ergò ex omnibus perfectissimus, & non sine singulari prærogativa ab Helmontio, salium summus, vocatus. Nunc, *Philosophe Hippocratice*, si sal communis, qui est acido-salsus, nunquam mutat naturam, ac, etiamsi celeri flammâ cremaretur, neutiquam fieret alcali; qua ratione igitur sal absinthii, qui, juxta dogma tuum (falsissimum) *eadem hac pagina, lin.* 19. etiam est ex acido salsus, & propterea, ut asseris, Mercurium non præcipitat; uti nec spiritum Vitrioli absorbet; quomodo, inquam, ille tam citò alcalizari potest, ut spiritum Vitrioli absorbeat, & Mercurium præcipitet; cùm sal communis, qui etiam est ex acido salsus, alcalizari nequeat, neque naturam suam alteret, etiamsi celeri flammâ cremaretur? Spectate iterum, Audite: novi Hippocratis nova absurda, de sale Absinthii, quod sit acido-salsus, & tamen sal lixivialis; quod *implicat* in terminis. Quàm verum est illud Philosophi! Commisso uno absurdo, sequuntur infinita; ita etiam hîc sequitur alterum, quòd *sal communis non præcipitet Mercurium:* uti suprà dictum, sed experientiæ refragatur. Falsum est ideò, quòd *sal Absinthii sit ex acido salsus.* Hoc enim experientiæ & rationi contrariatur, ex natura rei, ac parandi modo, quòd ex cineribus sal merus acido-salsus extrahatur. Falsum est, quòd *sal Absinthii Mercurium non præcipitet, nisi prius alcalisetur, ut neque spiritum Vitrioli absorbeat.* Implicat, & involvit contradictionem, unum salem acido salsum posse alcalizari, & alium, ejusdem rationis & conditionis, tam salsedine quàm aciditate æqualem, nullo modo posse in alcali converti: & plura hujus prurientis Philosophi ridenda commenta. Revolvat B. L. *meas Animadversiones, loco suprà citato,* & reperiet, magno fundamento me, de spiritu Vitrioli coagulato, tractatum absolvisse; & tamen, etiam post omnem industriam, ab hoc iniquo homine tumultuosè lacessitum esse; cùm nihil tam sacrum sit, quò sacrilegus non adrepat: ut ait Seneca. Pergit, *fol. 36. lin* 19. Lazari Riverii Febrifugum, & secretum, quisquiliis suis admiscere; quasi & illud ex fundamento alcalium erui posset, & ipse hujus Panaceæ foret arbiter & Secretarius; quia, uti dicit, *pag. 26. in margine, natura nil quicquam habet occulti, in hoc sublunari globo, quod Medicinam spectat, ut Hippocratico, hac methodo, non manifestum fiet.* Sed novimus hoc genus hominum audax, & ambitiosum; fucos quærit. Non credimus tibi, *Tacheni, fænum habes in Cornu*, ut ait Satyricus, & *alienis plumis te ostentas*, Pavo. Jam pridem magnificus Vir, Riverius, cavit, ne tam sagaces Thrasones, & commilitones Tui, *recentissime Hippocrates*, talium secretorum arbitri forent: tumulavit hoc secretum ferreo sarcophago, ac deforis cellæ insculpsit eandem epigraphen, quam, ad lucem perpetuam repertam Patavii, asserit Petrus Apianus, Mathemat. Ingolstad. libr. antiq. Inscription; quæ ex illo sic sonabat: Abite hinc pessimi fures! Vos quid vultis, cum oculis vestris emissitiis? Abite hinc vestro cum Mercurio petasato, caduceatoque. Donum hoc Plutoni sacrum fuit: Riverii arcanum Deo & probis consecratum.

Plurima præterea, in capite hoc, absurda profert, quæ iteratò Divinus Cous, ex libro 1. de diæta, cohonestare deberet: sed frustrà medemur diætâ, ubi malum serpit ex inanitione, & cerebri vacuitate. Ideò & ego imposterum ab his nugis me abstemium geram, breviori calamo & verbis reliquas nugas pertransiturus, eaque ferè saltem succinctè retorsurus, quibus Reformatorem nequitiosè arietavit. Caput itaque hoc septimum, & totus textus, ut pateant; totum hûc adscribo.

Pro majore lumine, & intelligentia, operæ pretium erit alcalium differentiam, & quid sit contrarietas, vel acidorum absorptio & imbibitio, priusquam progrediar, ad oculum demonstrare.

Sunt autem, ut dixi, varii gradus & species salis alcali fixi, ut tartari singularis privilegii, tiliæ, coryli, omnium quercuum genera, & quæ in Norvegia, Lituania & Muscovia in desertis ex viridibus lignis in cineres alcalizatas exuruntur: item omnes herbæ calidæ & oleosæ, ut rosmarinum, lavendula, ruta, &c. omnia unico verbo acidis sunt contraria, illorumque destructiva, quorum differentiam ostendit sequens mechanica.

Segniùs irritant animos, demissa per aures: quàm quæ sunt oculis subjecta fidelibus.

Dissolve

Dissolve unciam semis mercurii sublimati (qui ex acido & alcali in salsum est mutatus à (a) permixtione) in aquæ communis distillatæ, unciis quinquaginta; in particulam hujus claræ solutionis, guttatim, sed celeri lapsu stilla, alcali tartari fixum (est liquor tartari sponte resolutus) qui in momento dividit compositum, absorbet acidum, & Mercurius illicò petit fundum obscurè rubens.

a Hipp. lib. 1. de diæta.

Ex aceti fæcibus calcinatis, elicitur cum aqua, alcali tartari, & licèt ex eadem viti cum vino productus, Mercurium tamen præcipitat rutilantem & splendentem.

Alcalium fixarum mira differentia.

Cùm verò idem alcali, arte ad rubedinem calcinatum fuerit tunc cadit idem Mercurius, ut cinabaris contritus.

Tartaro exusto si calcem superaddis, & alcali extrahes, aqua simplici, tunc Mercurius cadens, rutilat.

Ex herba Cali *extractus, Mercurium præcipitat multo obscuriorem priori.*

Lixivium, quod saponarii magistram vocant, quod constat ex calce & alcali quercuum, dat Mercurium obscurè flaventem.

Ex Hispania adfertur alcali, incertum, utrum simplex an compositum, Mercurium tamen præcipitat fulvi coloris.

Cùm verò idem Mercurius præcipitatur, alcalibus ex herbis cephalicis, ut rorismarini, lavendulæ, &c. hæc, quidem sunt alcalia, sed non cinerum ut priora, at multo volatiliora, hæc inquam dejiciunt Mercurium rubidum lucentem.

Sic chelidonia habet alcali mirabile (ut non sine mysterio laudetur à Paracelso & Lullio, ejus quinta essentia (quam tamen cœli donum existimo) id est hujus salis spiritualis alcali salsatus liquor, &c.) & dejicit Mercurium rubicundissimum. Vasculum hoc ex incuria neglexi, neque lavare jussi, post, mensem circiter, in liquoris summitate, effloruit color aureus chelidonei flore non absimilis (striarum more coaluit ut nitrum) non sine spectantium admiratione.

Qui non gustaverit salium sapores, numquam perveniet ad optatum fermentum fermenti, inquit Rosat. Author.

Exempla hæc docent, alcali, quo ignipotentius, tanto obscuriorem cadere Mercurium, eò, quod in ipso absorptionis puncto, igneum alcali, ferit ejus sulphur, fulguris instar; quò autem longius, ab igni potentia recedunt tantò lucidior cadit, adeò, ut volatilia alcalia, fuliginis (b) nimirum & omnium animalium, Mercurium candidi & nivei coloris, ex dicto soluto præcipitent, quæ omnia in progressu clariora evadunt.

b *Arsenicum (à Paracelso vocatur fuligo metallorum) fixatum cum nitro, & resolutum non excipitur.*

Si Mercurius à Balsamo samech præcipitatus, cadit nivei coloris, parùm in flavedinem vergens; cùm verò affuderis plus, quàm ejus naturæ confert, tunc rutilat.

Balsamus Samech.

Salsa autem, cujuscunque sunt generis Mercurium non præcipitant ex dicto soluto, & quò salsis viciniora minùs acidis nocent.

En Exempla.

Alcali salis petræ, licet ejus prima origo ex alcali urinæ; cum sulphure autem, in alcali fixatum (sapitque ideo quodammodo salsum) Mercurium sic solutum, turbat, quidem, non autem præcipitat. Cùm verò huic mixturæ pulverizatæ, & priusquam deflagrat additur alcali quoddam fixum, & exsiccatum (tartari) supraque blando igne teneatur, tunc sulphur primò liquat, & pingue acidum sulphuris, ad fugam se præparans, ab alcali quoque pingue avidè combibitur, ut in lactis sulphuris præparatione (humida via) contingit: perdurante interim calore; liquatur etiam nitrum, cujus sulphurea & inflammabilis pars, associatur suo simili; sulphuris nimirum pinguedine; imò avidè ab alcali excipitur (cujus media pars, respectu specierum sufficit, ut (c) nitri; partes tres Alcali tartari; partes duas. Sulphuris pars unica) fitque salsum. In salsa hæc massa, bullit uterque sulphur, igneque perseverante & aucto; flammam concipiunt, quæ tunc in accensione angustum locum in sale, non perfert, adeoque, cum fulmineo fragore, in auras erumpunt. Hæc sic se habere docet relictum aliquando alcali, præsertim quando non in concavo; sed in plano, & longa mora accenditur, quod, ab acidis spiritibus, in salsum mutatus, & Mercurium ampliùs non præcipitat. Obiter hîc. Quod

c *Sal fulminans.*

Ex hoc fundamento, etiam CERAUNOCRYSON strepitum edit.

Aurum fulminans.

Spiritum enim nitri, in alcali, tartari nitrum fieri, alibi ostendi. Aurum est fere totum sulphur (suo modo) ut suo loco mechanice quoque demonstravi, ob id non corroditur ab acidis. Auro itaque soluto, in aqua salsa, ex nitro, alumine & Sale-Armoniaco vel communi si paulatim (non confertim) alcali quoddam instillaveris, acidus spiritus nitri (spiritus aluminis vel vitrioli in aquæ fortis distillatione non ascendit) in alcali vacuo sibi corpus assumit, & fit naturale nitrum. Nitrum autem sulphureum (a) *Auro sulphureo ex similitudine, in humida via facile adhæret, & commiscentur, adeò ut nulla ablutionis arte separentur, id est, cum acidum nitri ab alcali combibitur; coagulatur in nitrum naturale, quod reperit sulphur in auro soluto; cum illo, eosdem scil. mores habens, ut utar verbis Hippoc. coagulum suscipit, ut in calce ostendi. Cum vero plus de alcali affuderis, ut nitri gradum superet tunc etiam nitrum in Alcali deflectit, & aurum fulminans amplius dici non potest, quod in progressu clarius. Nunc unde digressus redeo.*

a *hæc est causa quod Aurum in spiritu salis solutum & idem alcali præcipitatum non fit fulminans, redit enim in sal quod flammæ resistit.*

Sic etiam fel vitri (b) *eundem contraxit saporem, ex aciditate silicis, fit salsum, Mercurium enim planè non præcipitat.*

b *Anatron crollio in lapide medicamentoso. Suin de verre Gallice.*

Talci Liquor (non oleum, ut vult ignara vulgi turba flammam enim non concipit) Mercurium ex sua sede non movet: ut neque.

Salia ex herbis diureticis omnibus, stipitum fabarum, genistæ, Hypericonis, Herniariæ, urticæ, &c. omnes inquam sunt acido-salsi, & Mercurium ex dicta solutione non præcipitant, cum vero Alcalizantur acri flamma aut fusione, tunc cadit rubidus.

Hinc liquet, quod veterum ille doctissimus, qui vitrum ignitum in cineribus stipitum fabarum extinguere jussit, & non in sale ejus, recte vitri ustionem instituit: ne nimirum ab imperito reformatore, sal imprudenter alcali naturam indueret, de quo supra dixi Cap. 5.

Salia cinerum, ex classe vulnerariarum, ut betonicæ Agrimoniæ, pyrola, veronica, stellaria, Achimilla, &c. omnes fundunt planè salsum salem, ob id vitrificatione inepta, & Mercurium non præcipitant, qui ejusdem est saporis, ut dicetur suo loco. Omnia autem dicta salia per fusionis ignem, mutant naturam, fiuntque alcalia, vitrificantur, & Mercurium præcipitant rutilum. Hinc Zoar, super Exodum notat, quod ex quovis cinere vitrum paratur: id est, quando in alcali reducuntur.

Salis constantia

Sal commune, Mercurium ex dicta solutione non præcipitat, & licet per longum tempus, & celeri flamma concremaretur, nunquam fieret alcali, ut neque sub digestione mutat naturam, est ergò ex omnibus perfectissimus, & non sine singulari prærogativa ab Helmontio, salium summus, vocatus.

De illo dici potest: probasti me per ignem &c.

Sic sal ex viperis, Mercurium non præcipitat, nisi rursus acidum & alcali ab invicem separentur, de quo infra.

Sal absinthii, est ex acido salsus, propterea Mercurium non præcipitat, ut neque spiritum vitrioli absorbet, ut docet reformator (c) *sub titulo* Spiritus Vitrioli coagulatus; *cum verò alcalizatur; Mercurium præcipitat flavum, & tunc etiam acidum spiritum vitrioli absorbet & vitrificat.*

c *fol. 788 Pharm.*

Hinc discitur: fortiori igne, quam rei natura fert fixari, & in neutrum verti. Fiunt itaque quam plurima solo ignis regimine, non quidem ut ex orco in lucem auctum generentur, ut credit vulgus, hujus Hippocraticæ doctrinæ ignarus, sed saltem simplici alteratione subjecti, ut docet meus Hippocrates (d) *illique sciunt, qui internum cum externo harmonicè conjungere norunt.*

d *lib. 1. de diæta.*

Sic quoque citra ignem, mutantur salia in diversam a nativitate naturam, ut: confunde pro exemplo liquorem salis absinthii non alcalizati, cum rosmarino, solutio fit lactea, & ambo in neutrum coagulantur.

Riverii Febrifugum.

Hoc ex fundamento, procedit Lazari Riverii Febrifugum, hactenus paucis cognitum, nobis tamen licet illud nonnihil, manifestius, declarare. Fit inquam ex unico subjecto, alcali repræsentante, & binis acidis, omnibus ignem nondum expertis; sed per exaltationem toties repetitam, donec ex nigredine iterum in candidissimum volatile salsum artificiale, gustui non ingratum, conversum videas, cui postea additur quartus atletha (id est diagridium) ut constat in processu.

Sed

Sed quis potest metamorphosin enarrare, quæ ex salium permixtione exoritur? accedentibus illis huc, his vero illuc, & inter se permixtis, ut Hippoc. docet (a).

a lib. 1. de dieta.

Alcali Fuliginis fit sal.

Notandum quod Sal Fuliginis, ex vegetabilium prosapia ortundus, Mercurium ex dicta solutione candidum spongiosum & levem præcipitat, sicut omnium animalium alcalia volatilia, ut dicetur: sin vero in salia convertuntur, tunc non cadit amplius.

Hinc concludere licet, quod ferè herbæ omnes oleosæ & quæ calidæ appellantur, & sunt pingues, levi & simplici incineratione sal alcali edunt: cui si Hippocraticus propriam reddit pinguedinem, convertuntur arcana coctione, in salsum admirabile; quod tunc Elixir parvum vocatur à nostris (b) *magnarum virium, in medicina, de quo suo loco. Reliquarum herbarum salia vel in imperfectè salsa vel in acida deflectunt; & acri flamma, aut fusionis igne in alcali vitrificans reducuntur.*

b *Vide Ripleum Bacconem, &c.*

Ad Octavum Capitulū transitum facio, quod inscribitur: *Fusoria ars porrò alcalia, acida absorbi docet.* In hoc capitulo perpauca notanda veniunt, nisi quòd, dum metallorum fusionem & præcipitationem tractat, falcem suam in alienam messem ingerit; cùm hæc non ad Hippocraticos, sed ad Metallurgos, pertineant. Exempla, quæ adducit, trita sunt Tyronibus, nimirum: alcalia acida absorberi; hanc denuò igitur crambem toties repetit. Quæ de Regulo Antimonii affert, utplurimum manca sunt, parum, vel nihil, emolumenti Tyronibus allatura. Transit iterum tamen postliminiò ad consuetas cavillationes & calumnias, ac, ritu ignobilium ferarum, dum Reformatorem aggredi non licet, ex insidiis obvios lacessit, ac in Medicos passim sequentia jacit, *pag.* 41. *lin.* 6. dum eos *Ignavos Patres* appellat, additque, *lin.* 12. *Hi à vulgo, idiotis & mulierculis simplicibus, canonici vocari amant:* quâ ironiâ, & sarcasmo, per decursum opusculi sui, traducit Medicos Dogmaticos ac Rationales, eosque ideò hoc epitheto designat, quòd, ut ait, quidam ex illis quæsiverit ex Pharmacopola, *utrum Sal prunellæ ex prunis sylvestribus, vel domesticis paretur.* Ædepol! quanta in hunc virum perfectio commigravit! vix mihi non ultrò illud excidit, quod D.D. Knofelio Tachenius festivè objicit, in sua Echo ad Vindicias: *Tu, Tacheni, qui in templo spuere nefas ducis, mingis in altare?* Quantum est in Tyrone Medico, verbi æquivocatione in sinistrum sensum abripi, ut, pro sale Nitri, ac Prunellæ, Prunellam à Prunis derivari, autumet? Hæc sunt Juventuti & Tyronibus blando vultu condonanda. Sed heus, Aristarche! an non oportebat te misereri conservi tui? An non condonare aliquid delictis juventutis? An forsan immemor es verborum tuorum, quorum, in Epistolâ, ad D. Rotgerum Timplerum à Te datâ, & ab Excell. D. Helwigo Dieterico, bonæ memoriæ, publicè impressâ, inter cætera, formalia hæc erant: *Non possum non denuò precari, ut misero mihi atque indigno, qui corrigias solvat, admissum scelus & crimen benignè condonare, nec nunquam ejus rei erga ullum mortalium mentionem facere velit. Hoc ut iterum deprecarer, assiduis malæ conscientiæ stimulis nocte dieque & sine remissione agitatus & coactus sum.* Et inferius: *Væ tantæ miseriæ! væ væ commissi flagitii, peccati & criminis! &c.* Quid, inquam, ad hæc, D. Dieterico objiciente, ac te ultrò confitente, respondisti? Audi verba tua, in Echo ad Vindicias: *pænitens facti, ad ipsum Timplerum literas misi deprecatorias, quas citas, ex quibus apparet non malitia, sed mera ignorantia, & pueritia errasse, nam pueri puerilia tractant.* Hæc, inquam, suntne nova? His formalibus te purgabas. Et quid post tot væ & væ! post tot stimulos, nocte & die, sine remissione; agitatus (difficulter, profectò, ob pyra assa) excusationis attulisti, in tua Epist. ad D. Timplerum? Audi mox sic te scribentem: *Eheu juvenem me miserum! qui tum temporis, quod nunc experior, mente meâ omnino privatus, fallaciter & dolosè seduci me* (an Adamus ab Evâ?) *passus sum.* Vides, mi *Tacheni*, delicta juventutis affers, & veniam speras, & nulli revelari, precaris: & benè egisti; forsan meritus veniam. Sic & tu juvenum Medicorum errata, qui docibiles Dei sunt & bonæ mentis, arguere non debebas publicis Typis, de Prunis cavillando; cum tu ad meridianum cæspitaveris.

veris. Ecquid & tu, *Hippocrates nove*, haud ita pridem edoctus es; cur Nitrum, in crucibulo, super igne, sulphure frustulatim injecto fusum, per metaphoram, salis Prunellæ nomine circumferatur? Nimirum Chirurgi, qui Nitrum, præcipuè in crucibulo fusum, & sulphure purgatum, ac in tabulas redactum, vel maximè in Anginæ speciebus, quas vulgò **die Breun** cognominant; seu, quòd, velut Prunæ accensæ, anginosos exurendo, prodesse, experientiâ edocti sunt, ideò Teutonica translatione, salem prunellæ, quasi ad Prunum, & Prunellam, specificum denominârunt; atteſtantibus pluribus viris doctis. Et hic tibi Canon, *Tacheni*, de Medicis Canonicis, sufficiat. Plura eventilanda hoc capite affers, nimirum, *pag.* 41. *ad marginem: Nitrum salsum fieri cum sulphure combustum.* Quod falsissimum. Item, *pag.*41. *lin.*4. *quod nitrum per alcali separatum vocari cœperit sal prunellæ.* Hæc levia sunt; licet falsa cuncta: ideò & leni manu tango. Addo tamen integrum capitulum, ut Lector ex fundamento miranda & inaudita Hippocratis novi addiscat; & est tale:

CAPUT. VIII.

Fusoria ars porro, alcalia, acida absorbi, docet.

Omnia mineralia, cujuscunque sint generis, quæ metallica corpora absconsa gerunt, associata sunt acidis (sulphure nimirum vario) quæ impediunt, quo minus metallum, ab impuritate fodinarum, segregari possit. In hac angusta, necesse est confugere ad alcalia, quæ celerem præstent opem.

In pulverem itaque reducunt minerale, idque alcali commiscent, ac in crucibulo fundunt, fusionem nitro accelerant, quod cum sulphure accenditur, ut pro parte deflagrat, pars vero, cum tartaro in alcali vertitur, istud alcali, absorbet omne acidum, quo cum alias metallum aufugeret, sed hac via facile petit fundum, idque artistæ Regulum, id est purum metallum sulphuribus privatum appellant: quod rursus sub cupella probatoria cum plumbo ulterius ad puritatem deducunt, de quo vide docimasticos: mei saltem est de salium fundamentis loqui.

Metalli præcipitatio per alcali.

Dixi, metalla ab acidis mineralibus in fumum verti, quod in argento, fuso cum plumbo in testa, facta ex cinere lavata manifestum fiet: in hanc, frustulatim injice sulphur, cujus aciditas cum fugit, etiam metallum in fugam vertit, quod recolligere licet, madido linteo in camino expanso.

Argentum fugit cum acido minerali.

Aliud experimentum, quo probatur, metalla ab acido minerali in fugam verti: est cementum illud quod Regale vocant, fitque ex sale communi & laterum pulvere, quo cum stratificant aureas monetas cupro ligatas, hoc in cemento, aurum, sine fusione, dimittit cuprum, simulque cum acido salis spiritu, in fumum abit; qui tamen etiam de Auro non nihil secum aufert: sed cum spiritus acidus, Auro gravatus tentans copercula testacea transire, præcipitatur aurum, & coperculis adhæret, dum spiritus hæc rodit, quæ post ea conteruntur, cum argento vivo & aqua, quod aurum recolligit, & hero suo reddit, quando per corium ab illo separatur.

Aurum fugit cum acido minerali.

Quem ad modum mineralia metalla ferentia, in regulum eadem via ex Antimonio regulus præcipitatur, cum Tartaro nimirum & nitro, eo quod Alcali tartari, acidum sulphur ab Antimonio combibit purumque regulum segregat.

Regulus Antimonii.

Funditur quidem etiam antimonium, cum sale commune, sed hujus aciditas rodit antimonium in ignis tortura, elevatur in bullas minusque cadit reguli. Hæc exempla de præcipitatione in via sicca satis sunt.

Sic alcali quoddam, in aqua solutum (viam humidam appellant) ut semper acida absorbet, mundificat etiam salem petræ ab omni acido, quem ideò emunctiores medici in angina pro

Nitrum cum sulphure combustum, in angina magis nocet quam prodest. Salsum enim evadit.

pro summo refrigerante elegerunt, ob id sal prunellæ vocari cœpit (quidam ex ignavis patribus, cum forte laudari à nostris audivisset, sal prunella, accessit noctu ad pharmacopolam peritissimum: Sal prunellæ inquit: paraturne ex prunis sylvestribus, vel domesticis? Hi à vulgo, idiotis & mulierculis simplicibus, canonici vocari amant) coquunt inquam nitrum in lixivio alcalizato, donec gutta in frigido ferro, ut sevum constat, tunc in frigidum locum seponunt, sine effusione in aliud vas, & per noctem, instrias concresscere permittunt nitidissimas & purissimas, quas sequente mane abluunt. Alcali enim, omne acidum nocivum & impurum ab illo absorpsit, sicut in humano corpore etiam contingit, ut docet Hippocrates. Primo de diata. Accedo ad

---

CAPUT IX.

Cujus inscriptio:

Salis Tartari prærogativa.

PRIVILEGIATUM ALCALI TARTARI.

Textus hîc sequitur:

Dixi, quod inter fixiora alcalia, sal tartari gaudeat singulari privilegio, & licet sit corpus grave, terrestre impurum, & sordibus inquinatum, digestus tamen, cum quocunque metallo, (a) *per debitum tempus id convertit in Mercurium currentem, quod expertus, incredulis pro veritate affirmo, si qui verò credere id nolint, parum solicitum me reddit.*

a Aurum est ferè totum sulphur minimum dat Mercurii, omni:

Amicus quidam, cum tartarum ex vino generoso, maturo, & claro, quæreret, eliciebat spiritum, & exhalare permittebat phlegma, crassum remanens ut syrupus, in frigido concrescere permittebat, in tartarum pellucidum, quem exussit, & aqua communi, ut moris est, alcali extraxit, quod in liquorem sponte decurrere permittebat. Obtulit se occasio, ut hic inopinatè Romam pergere deberet, cum magno nominis viro, ut interim non periret pretiosus liquor, jussit famulo liquorem asservare, in tali vase, quod indicabat. Famulus per errorem, hunc fundit in aliud vas vicinum, simile priori, in quo erat argentum, in aqua forti solutum, cui superadditum fuit, sal armoniacum sublimatum, & in aceto destillato solutum, pro alio opere inceptum, redit amicus post novem menses, quærens liquorem tartari, sed cucurbita famulo assignata erat vacua; tunc Famulus, quod in vicinam infunderat; non autem ibidem liquorem, sed aridam terram (per novem menses exsiccatam) invenit, quam bacillo tetigit & magna pars Mercurii currentis sese manifestavit, tunc temporis, non credidit ex perfectis metallis Mercurium currentem fieri, sic persuasus, juxta axioma, quod facilius fit, metalla perfecta construere quam destruere & experimentum neglexit, sibique persuasit, casu quodam Mercurium in vas incidisse. Tandem ex Basilio Valentino didicit, quod tartari sal, præ omnibus reliquis hanc haberet prærogativam.

Mercurius ex argento.

Hoc experimentum confirmabat ingeniosus Helmont (b) *his verbis. Sensi inquit: cruditatem saturni pinguedine fixorum saltum solubilem, sicque dividi partes compositi, ut crudum argentum currere permittit.*

b Tract. potestas medicaminum. §.40.

Tunc memoria subvenit, lixivium forte, quo cum vetulæ coquunt lithargyrium, ad capillos denigrandos (quod habet etiam Porta in magia naturali) cui instillavi spiritum vitrioli, & statim alcali permittit metallum, in album pulverem cadere, quem reduxi in plumbum, certo itaque cognovi, quod alcalia, metalla calcinata, in horum ventre invisibiliter abscondunt.

Habito hoc experimento, pergit Helmont; Cal-

cinata acerrima inquit: cum sale armeniaco resoluto, & tartaro putrefacto, dulcorantur: id est, vertuntur in Mercurium currentem, qui non est amplius acris vel mordax ut calcinata, sed lingua insipidus.

Nunc redeo ad sal tartari, quod liquoris forma in cucurbitam fuit fusam, in qua erat argentum aqua fortis corrosum cum sale armoniaco. Hac omnia naturam mutarunt in salia neutra & diversa à priore statu; sic argentum non referebat amplius faciem argenti de quo Basilius (a) *de tartaro:*

a libro de magno mundi miraculo.

Durch meinen geist, das sie sich rechen
und alle metalle ganz zerbrechen.

Sicut enim omnia sublunaria, experientia teste, ex duobus, ACIDO nimirum & ALCALI constare (ut in hoc scripto mechanicè) ostendam: id etiam de argento intelligendum volo: huic argento, alcali tartari, per debitam digestionem & coctionem, tantum acidi Sulphuris absorpsit, quantum mercurio in argenti statu (ab eo nunc segregatus) pro sui constantia satis erat; in mercurii locum successit alcali (adulterium vocant philosophi) quod ab argento amplectitur, perdit ideo formam & pulchritudinem & mutat ejus naturam; ita ut liquetur, levissimo igne, sicut plumbum, vel sal armoniacum mistum cum calce silicum; vocaturque à Crollio (b) *luna cornea, eò quod cornuum instar, Cultro scissilis est. Hac cornea luna, licet centies aqua calida ablueretur* (c); *liquareturque celeri fluxu ex tartaro & nitro, separare tamen ab invicem possibile non esset, nisi in saturni balneo: in quo, quicquid argenti super est, redit in purum; Salia autem, cum plumbo, in scoriam & lithargyrium; quod etiam rursus simplici fusione in plumbum reducitur: scoria verò qua salia erant in elementa rapiuntur, simul cum argenti sulphure, quod absorpserant.*

Diana nuda.

b Luna cornea.

c ut de auro fulminante alibi dixi.

Hederâ non egent Magnalia hujus Viri & Chymici. Ipsemet prudens Lector ea depromet ex citato contextu. Nonnulla tamen superaddam. Asserit *novus* noster *Hippocrates*, Mercurium ex omnibus metallis, per solum salem Tartari, fieri posse: quod tamen olim palam & constanter negabat; & impossibile statuit, posse Mercurium aliquo ex metallo arte elici. Nunc verò per exemplum, & historicâ inductione, Affirmativam tuetur (historiis & narratiunculis, non per ignem, Philosophus) quod secretum ex abdita penu, & experientiarum cumulo, nobis communicare studet. Verùm nos missa facimus hæc arcana: primus ipse periculum faciat; nos cauti insequemur. Alia, profectò, arcana requirit metallorum in currentem Mercurium metamorphosis, quàm unum & nudum salem Tartari. Apage, *Hippocrates nove, fœnum* denuò *in cornu gestas*. Post prolixam fabulationem, *fol.45.lin.4.* ait: *Nunc redeo ad sal Tartari, quod liquoris forma in cucurbitam fuit fusam, in qua erat argentum aqua forti corrosum cum sale armoniaco. Hac omnia naturam mutabant in salia neutra & diversa à priore statu, &c.* Et ulterius, *eadem pag. lin.19. Sicut enim omnia sublunaria, experientia teste, ex duobus, Acido nimirum & Alcali constare (ut in hoc scripto mechanice) ostendam: id etiam de argento intelligendum volo, &c.* Pro! quàm obscura à novo Præceptore prodeunt theoremata! Quis unquam vir sensatus his falsis & umbris plenis dogmatibus subscribat! Quam ridendam totius naturæ fabricam & harmoniam, ex novis hisce principiis, architectatur! Quam denique absurda, nec retorsione digna, edocet! Declinat phanaticus ad Lunam corneam Crollii, quam (me augure) non intellexit. Alcalia iterum, quæ à salibus iteratò divisit, binis vicibus simpliciter salia, citra discrimen, appellitat; cùm tamen in præcedentibus, ac etiam sequentibus, salem communem duntaxat, tanquam salium summum, antonomasticè salis nomine dignatus sit, (ob id Reformatorem vel centies insulsè carpit; ut infra patebit) reliqua verò salia, cùm volatilia animalium, tùm fixa vegetabilium & mineralium, omnia sint ipsi alcalia. His nugis si quis appositè immorari vellet, tomos macularet. Itaque procedo ad alia.

CAPUT X.

Inscribitur:

Vacua esse Alcalium corpora Exemplis ostendit:

Et statim confirmat, in margine:

Vacuum in natura demonstratur per artem.

HAnc sententiam (quam tamen nullibi probat ostentator, *Tachenius*) de Vacuo, quam vix ullus docet, suffuratus est ex Helmontio, titulo: *Vacuum naturæ: fol.* 50. Marginale verò, *ex eodem fol.* 50. *thes.* 7. mutuatus, ubi ait: Mechanica demonstratio per ignem, pro vacuo. Ego cum magno Helmontio luctari nolo, ejusque assertum refellere: licet aliud paradigma, & mechanicam, pro carentia & impossibilitate vacui ostenderem; pro quo tota natura mecum conclamat, non dari vacuum: unde tot funestas irruptiones molitur, & fragores; uti videre est in vasis ad prunam expositis, in quibus, per condensationem aëris, metu vacui, omnia dissiliunt: licet etiam concesserim Helmontio, tam esse impossibile vacuum, quàm naturalem penetrationem corporum: dari tamen vacuum, non demonstratur. Et instantiam, de violento ascensu aquæ in cucurbita vitrea, pro meo instituto assumerem, vel ex hoc ipso implicare vacuum; ad quod evitandum ipsa aqua motu violento sursum regurgitat: ut in millenis aliis videre pronum est. Sed hæc, per transennam actis, ex Helmontio: unde Tu probas, dari, quod asseris, vacuum, *nove Hippocrates?* An idem juxta te est, affirmare, & probare? An non vacuum est locus corpore non repletus, aptus tamen repleri? Et quomodo, ex superius à te dictis, sunt omnia Jovis plena? Cur, motu violento, extracto à nobis, ex siphone, aëre, omnis liquor ascendit, nisi periculo vacui? Cur ex mechanica vides, folles, clauso orificio, desuper aperiri non posse; nisi quia rarefactio ex immissione corpusculorum naturaliter accidit, ad quam corpora tument, & in molem assurgunt: quæ hîc præsupponeretur ex impossibili hypothesi, clauso orificio? Annon demonstramus, quidquid pro vacuo afferant mille argutiæ & paradigmata, per vasa, vel aquâ, vel Mercurio repleta, & hermeticè clausa, ne aëri sit aditus: in quibus vident humorem, aut Mercurium, subsidere, ac ibi vacuum clamitant; cùm aëri spatium & introitus non sit: dum ostendimus, undique aërem ambire, quoniam in omni vase, utut repleas, si tintinnabulũ quoddam per medium suspendas, sonum percepturus es, qui in alio recepi non potest, nisi in aëre? Præterquam quòd, contra hos, teneam, nullum dari in natura corpus, quod poros non admittat: consequenter, nullum corpus adeò arctè claudi ac signari posse, quin aëreis atomis sit commeatus & aditus. Cur autem in tantum natura vacuum horreat; est virtus intrinseca individuorum omnium, sui conservationem naturaliter appetens. Cùm enim omnia sublunaria in esse & conservari dependeant à corporibus cœlestibus; illa autem in distans agere nequeant, sed per medium, actione continuativa, influant; dato autem vacuo, agere in sublunaria non possent, nec illa conservare, nisi in distans: (supponitur enim necessaria eadem virtus ad conservandum, quæ ad producendum) igitur ex innato appetitu, (tu determinationem voca) motu violento ad superna feruntur, ne defraudentur influxu superum lationum: ac totam potiùs sphæram terream loco motum, quàm vacuum repertum iri, censeo. Hæc dum obiter adduco, infero hanc consequentiam: ergò falsum est, *alcalium corpora esse vacua*; quia exemplis ostendo, nullum posse dari vacuum: quod probare, mihi incumbebat. His dictis, audiamus pro vacuo certantem *Hippocratem nostrum.*

Sal Tartari, ait, *itaque est medium, in quo revivisçunt, non solùm metalla, sed etiam mineralia, licet per artem & ignem validum, videantur, planè destructa.*

Guttatim aſſunde ſali tartari reſoluto, ſpiritum vitrioli, donec ceſſat ſtrepitus, liquorem reduc in criſtallos, vel totum exſicca, & reperies ſal, vitrioli naturam habens; vomitus movet, & quando ſuperbibitur, per ſeceſſus purgat, ut album vitriolum ſolet: ſi commiſcetur cum nitro & argento vivo ſublimatur in rubrum, cui adde ſal commune, fit ſublimatum corroſivum: diſtillatur per ſe ut vitriolum. Albicans mucilago in fundo ſubſidens, eſt eadem fæx, quæ in ſoluto crudo vitriolo, affuſione ſalis tartari decidit nigra, Conſtans in igne, ſicut colcothar vel caput mortuum vitrioli, & fuſioni reſiſtit: quod tamen ſine ſpiritus vitrioli affuſione, facillimè fluebat. Iſtud ſal fixum & vitriolum regeneratum, à tyrocynii ſcriptoribus, Tartarus Vitriolatus, & univerſale digeſtivum appellatur.

Vitrioli regeneratio.

Multò præſtantior, & perfectior fit ex vitriolo crudo, in aqua ſoluto, & liquore tartari affuſo, donec non amplius turbatur, quod punctum ſaturationis cum tædio reperitur unica nimirum guttula ſuperantis, vertit miſturam aut in vitriolum, aut in alcali: de quo meus Hippocrates (a) *: Nunquam ſimul in eodem conſiſtant. Clarum liquorem coagulæ in criſtallos ſplendentes: hic nobilior eſt priori, eò quod deſtillando vitriolum, violentus ignis, cupri liquamen elevat, ſpirituique commiſcetur, ac ſtomacho moleſtum eſt. In hac autem ſimplici via, alcali abſumit ſaltem ſimpliciſſimum illud acidum naturale, quod embrionatum metallum, perfluendo, erodit. Hoc eſt illud acidum ſimplex, naturæ noſtræ amicum in acidis fontibus, refocillans naturam bibentis, ventriculo gratiſſimum, licet in magna copia hauſtum, de hoc breviſſime diſſerere decrevi. Paracelſus tamen narrat* (b) *quod in pagulo Veltin Helvetiæ, fit fons, ſimilem totius mundi ambitum, non continere.*

a lib. 1. de diæta.

b de morbis tartareis.

Spectate iterum, Auditores, deficiente diſcurſu & argumentis, probat vacuum arte; & quidem ſimpliciſſima Tartari vitriolati præparatione, Tyronibus cognitâ. Hæc arcana ſunt, & myſtica dona, à Patre luminum, in vacuo bocce cerebello. Et verò condonarem aliquid gloriolæ & pruritui, quo paradoxa docere affectat, & inter Scriptores eminere; ſi ſibi conſtaret, ac non illicò ad impoſturas ſuas recidivus delaberetur: *pag. 47. lin. 14.* ubi dictum Tartarum vitriolatum *pro ſale, vitrioli naturam habente*, proclamat; quòd *vomitus ciere, &, hauſtu ſuperingeſto, per ſeceſſum purgare, ut album vitriolum, ſoleat.* Et quòd (ſcilicet Tartarus Vitriolatus) *ſit Vitrioli regeneratio.* Quæ uti falſa ſunt; ita omnibus Artem profeſſis notiſſimum, Tartarum vitriolatum à natura vitrioli planè alienum eſſe, non movere alvum, niſi indiſcretâ quantitate exhibitum: tunc pauliſper laxare, minimè autem violenter purgare, aut per emeſin, ac violentas vomitiones, ut Vitriolum album, commovere, ſed diureticum, digeſtivum, reſolvens ac deobſtruens eſſe medicamentum: adeoque neutiquam eſſe *Vitriolum regeneratum*; quemadmodum etiam nullo modo acidus ſpiritus, uti ex Vitriolo, deſtillando fortiſſimo igne ex illo (ſcil. Tartaro Vitriolato) elici poteſt. Hoc ipſum enim Hippocrates Chymicus per diſcurſum fatetur, nimirum ſpiritum, deſtillando ex tartaro vitriolato, ſe accepiſſe, qui neque ſalſus, neque purè acidus. Sunt etenim ambo, & ſal Tartari, & ſpiritus Vitrioli, in aliud ens commutata naturali ſua contrarietate, & à priſtino eſſe in aliam naturam deſcivêre; à quâ non datur regreſſus. Plurâ hîc addere poſſem abſurda: de ratione nimirum *regenerationis Vitrioli*, quæ inconcinna eſt & falſa: de *mucilagine ſubſidente in fundo*, in præparatione Tartari Vitriolati; quam minimè penetrat noſter *Tachenius*, ſed, uti dixi: Codices requirerent tot figmenta, ſi quis ad unguem ſingula refellere vellet. Ideo ad alia, & Tartari Vitriolati præparationem, hujus Hippocratis, declino.

Scribit, *pag. 48. lin. 9. Multò præſtantior, & perfectior fit* (ſcilicet Tartarus Vitriolatus) *ex Vitriolo crudo, in aqua ſoluto, &c. prout ſupra.* Nunc, profectò, mihi incumbit Præconis munus, ut totis faucibus clamem & intonem illud *Tachenii fol. 7. lin. 12. Adeſte, adeſte, veritatis amatores, vos admiranda & jucunda oculis veſtris aſpicietis!* Quis hunc, parandi Tartari Vitriolati, modum Stentor & Circumforaneus unquam auſus in foro mentiri; tacco, Canonicus (ut ais) Rationalis ac Metho-

Methodicus Doctorum aut Pharmacopœorum? Si quis vestigiis tuis, seductor, insisteret, is, me herclè, pro amico, & naturæ benigno Pharmaco, pro deobstruente & mitiùs aperiente medicamento, hostilia naturæ, & visceribus inimicum, vomitu crudele, & purgante vi infame, in parva etiam dosi sumptum, efficeret. Et si noverca sors probum aliquem Virum & Medicum induceret, ut tale remedium suis propinaret; an non hoc Tartaro Vitriolato innocuos Patientes inter Indigetes accenseret? Tibi nunc inscribo, Talionisque eo pænam in Te promulgo, per illud famosum, quo, in sequentibus, nequitiosè Reformatorem taxas; nimirum

Ibo ad Medicum, & me toxico morti dabo. Ibo ad *Tachenium*, apud quem mors in olla ebullit, & certa ægrorum pernicies. Certè, mi *Hippocrates*, tuus hic Tartarus Vitriolatus evidentius periculum sumpturis accersit, quàm olim innocui Dieterici Galbanetum, quo eum, per festivum sarcasmum, in tua Echo, Cavillator, exagitasti. Disce nunc, (tria tibi in aurem verba!) Disce, disce cautiùs mercari, meliora medicamenta parare, Impostorem non agere, impusturâ non afficere, homines non occidere, quin salvare potiùs. *Ecce*, Tacheni, *rem! cum hac in scenam prodit* tecum *Reformator*; *qui jam in omni re similem agnoscit Naturam*: licet bisce sarcasmis, *fol.* 238. eum titillare præsumpseris. Perfectè novit Reformator, quomodo *acidum informet alcali*, penetravit hoc triverbio perpetratam imposturam; alio non eguit Vate & Aruspice, vel Tachenio Hippocrate, & Chymico Pædagogo; qui mundo, & scholis, tartareo hoc, & maligno Vitriolato Tartaro suo imponeret, (maximè si ex cuperoso Vitriolo dispensatum foret) ac hocce arcano inferias faceret, lessumque multis Patientibus occineret; quos præficus ad tumulum direxerit. Ridiculum quid iterum allego, dum hæc tristia commemoro; quòd nimirùm, *lin.* 18. suum Hippocratem Coum ubique Patronum adducat, &, ut dicitur, comâ attrahat, ex *lib.* 1. *de diata*, his formalibus; *Nunquam simul in eodem consistant.* Ecce; quàm appositè! Sed, ne in herum culpa possit conjici, si hic Tartarus Vitriolatus sinistrè (quia pessimè) Patientibus cedat, sagax impostor anteambulones præmittit his verbis: *Quod punctum saturationis cum tædio reperitur unica nimirum guttula superantis, vertit misturam, aut in vitriolum, aut in alcali*: *pag* 48. *lin.* 13 *de quo Hippocrates*, uti supra: *nunquam simul in eodem consistunt lib.* 1. *de diata.* Quam appositè Delphinum sylvis, & Aprum undis appingis, *Tacheni?* Quàm bellè hûc quadrat illud Hippocratis Coi? Cur non etiam, pro tuo hoc Tartaro Vitriolato, locum ex Jobo citasti, *cap.* 14. *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis: qui, quasi flos, egreditur & conteritur, & nunquam in eodem statu permanet?* Tam enim, de hoc Tartaro Vitriolato, somniavit hic textus Hippocratis, quàm patientiæ simulacrum, Jobus; licet uterque dixerit: *nunquam in eodem statu consistunt.* Sed, missis his næniis, propero ad *pag* 50. *lin.* 2. ubi novum secretum communicat Reformatori, & tria forsan iterum verba in aurem dicta cupit: *Acidum informat alcali*; dum ait: *Idem sal tartari, si combiberit acetum, ex vino distillatum, fit tartarus vini vulgaris, omnes ejus proprietates habens, excepto quod in humido faciliùs liquescit, &c.* In margine verò hujus textûs: *Tartarus regeneratus vocatur inepte à quibusdam Terra foliata philosophorum, &c.* His Author revelat secretum secretorum, sed paucis verbis: *acidum informat alcali*; quod tamen millies in Chymia contingit, & omnibus Pharmacopœis res trita est. Sed, *Dom. Hippocrates Chymice*, non sufficit neque doctis viris, neque Tironibus, detruncata hujus secreti descriptio, planè imperfecta, sed necessum est, ut nuda tua Diana, & *molliculus caseus*, in apricum & scenam producatur: quod hoc modo fit: Abstrahatur acetum destillatum à sale Tartari, (ex cremore, vel purissimo Tartaro calcinato, facto) toties semper recenti aceto destillato affuso, quousque acetum eâ aciditate transeat, prout affusum est. Sal in fundo alembici relictus, & sufficienter saturatus, aucto paulisper igne in arena, liquetur: (quia ad instar ceræ liquescit; & hâc liquatione fit, ut sal Tartari imprægnatus omnem deponat impuritatem & im-

munditiem contractam) quo facto, omnia sensim refrigerari permittito, igne detracto: materiam refrigeratam exime, & reperies massam argento veluti fuso similem, intus foliatam, ad instar Talci, seu terræ foliatæ, in aëre protinus iterum liquabilem in liquorem unctuosum, omnem per se deponentem impuritatem. Si verò per solutionem, affusâ aquâ, vel etiam vini spiritu, (à quo promptè etiam solvitur, præter naturam aliàs salium) purificare volueris, citiùs ac exactiùs opus absolveris. Huic sali, ita mundificato, jungito salem Viperarum volatilem, pondere proportionato; sive etiam salem Microcosmi volatilem; aut etiam ex Armoniaco sale paratum, aceto tamen destillato priùs solutum; & aliquoties ab eo abstrahe, donec veluti juncta maneant, aqueâ humiditate prolectâ; & reperies salem preciosum, à me Essentialem appellatum, suo proprio nimirum nomine, non Viperarum, ne Impostor videar: quo sale tamen haud pauca præstiti. Hic est sal, seu terra foliata, de qua olim *novus Hippocrates* Reformatori in aures dicebat, cùm ipsi monstrabatur: *Si scis; benè tacebis:* uti supra commemoratum est. Hic, inquam, est Sal, qui sali Viperarum *Hippocratis Chymici* per omnia assimilis; sive substantiam & essentiam, sive accidentia, odorem, colorem, saporem, sive effectûs, virtutem & operationes contemplemur; & uti vulgatum habet adagium: similis est, velut ovum ovo; si tamen de una specie sermo procedat. Hunc salem arcanum juris publici fecit *Tachenii* insolentia, & ultrò extorsit Reformatori *Hippocratis novi* petulantia tumultuosè omnem, in Chymicis, primatum ac prærogativam affectantis: extorsit, inquam, non edocuit. Quis enim ab infido, & humanæ naturæ novercali Medico, aliquid arcanius præstoletur? Ostendere tamen, & vel digito innuere volui, quid huic homini agendum deinceps; quàm non oporteat dona ac divina charismata malâ æmulatione illius nequam Evangelici servi, qui talentum suum, quo cum negotiari eum oportebat, in terram defodit, mundo ac luci subtrahere; sed illis, ad normam & ideam Divini Senis, & sequacis Galeni, Illustriumque in Medicinâ Scriptorum sine numero, non nobis, sed Posteritati, concordibus studiis famulari. Hæc perpendens, neque hunc salem inter pectoris angustias celare volui, quin eum publico emolumento revelarem, ad correctionem hujus Negotiatoris, qui merces suas, talenta, & quidquid *molliculorum caseolorum* habet, umbris & silentio, nulla arte & hortamentis hinc eruenda abdit & obvelat: prout totum ipsius Opusculum consideranti patebit; in quo, post umbras, sequuntur tenebræ & informe Chaos, secretorum & mysteriorum nomina, omina nunquam, & facta: & vel maximè, si quis Oedipum adhibuerit nostram hanc Apologiam, quæ, profectò, omnia, brevi sermone & Laconismo hîc à me comprehensa, dilucidè explanat; licet permulta surdâ aure transierim, aut tædio, aut rei indignitate, per motus, quæ B.L. amico studio supplebit. Sed ut uberiùs investigemus, quàm sit umbrarum amans hæc *Doctorum Noctua*, afferamus textum, quo nobile hoc medicamentum obscurare attentat: *pag.* 50. *lin.* 2. *Sal Tartari, si combiberit acetum ex vino distillatum, fit tartarus vini vulgaris, omnes ejus proprietates habens excepto quod in humido facilè liquescit. &c.* Miremini iterum, Artis genuini Filii, & exercitatissimi Pharmacopœi! miremini nota & trita vobis! admiremini falsa & paradoxa! Hæc ut ostenderem vobis fusiùs, aperui fraudes & adulteria nobilis hujus medicamenti, quibus obscurare illud nitebatur, genuinam ejus dispensationem perplexè dictando & revelando; ut supra monstravi. Quòd autem hic sal à nonnullis *Terra foliata Philosophorum* appelletur, uti ait, *pag.* 50. *in margine*; ultrò concesserim, Reformator tamen eum nunquam sic delineavit: licet Doctissimus *Rolfinckius*, pro *Zwelferi* Terra foliata, eum inter reliqua magni nominis remedia scripserit & habuerit. Meo tamen, interim, judicio, aptius longè sub Terræ foliatæ ideâ (si accidentia & sensûs arbitros velis) quàm improprii etymi, *Tartari regenerati*, metaphorâ circumferretur, magna ostentatione, nec non impostura. Falsum enim est, eum, salem nimirum, posse Tartaro crudo ullo modo comparari, si sensûs & accidentia, si essentiam, & mo-

& modum operandi, in judicium æquius adhibeas. Ex quo consectaneum deduco: quàm frivolè, quàm iniquè, hic sal olim pro Talco resolubili fuerit promulgatus, donec Patavii fraudi silentium fuit impositum, his verbis: *Si scis, benè tacebis:* tunc, quale Talcum hoc sit, & cujus prosapiæ nimirum, Reformatore innuente.

Quod spectat ulteriores hujus salis destillationes, & experimenta, ab Hippocrate novo, *ibidem*, *pag.* 50. allata, illa partim nota sunt & notissima; partim falsa: nonnulla verò Philosophicas magis, ac veriores exposcunt rationes. Et non solùm *acida, pag.* 51. *lin.* 1. *ducunt alcalia ad suum velle, eisque prædominantur ad lubitum:* sed etiam alcalia, è contra, omnia acida ad suum nutum trahunt; fitque, dum mutuò sese attingunt, actio & reactio utrorumque, ubi unum, quod agit, agendo repatitur, & ex ambobus tandem resultat neutrum quid in esse & operari; novum veluti ens, è quo revocabile nunquam, quod antea erat.

Quid porrò sibi dictum velit marginale illud, *pag.* 50. ubi ait, magnificè loquendo: *Quid jucundius quam ea noscere, & sub amico silentio oculis cernere, manuque tractare quæ sensus communis planè, non comprehendit, & à natura procul posita sunt? &c.* Hoc fastuosum scribillandi genus longiori examine dignum foret; cùm neque textus, neque contenta in toto hoc capitulo, ut neque in toto libello, hoc mereantur marginale. Nec differentia Vini & Tartari, nec alia plura, quæ profert hîc, communissima, digna sunt amico silentio. Sensus enim communis illa facilè comprehendit, & quilibet Pharmacopœus, ejusque Discipulus, non ignorat; adeoque nequaquam à natura procul posita sunt: uti nihil planè à natura procul positum est, nisi fortè *Hippocrates Chymicus* ab omni naturali veritate. Deliramenta & fastuosa somnia sunt, ad obscurandum salem ejus secretum, &, sub titulo Tartari regenerati, illum ex mente discentium elidendum; ne fortè magis palam fiat, sed ut animos discendi cupidos in suspenso semper detineat: quippe quod egregiè in toto opusculo hoc præstat. Ab uno enim capitulo, ad aliud, clariora magis ac magnifica promittit; sequuntur tamen semper obscuriora, simplicia, & falsissima. Quod porrò *pag.* 51. & 52. de Oleis destillatis, cum sale Tartari, in aquas vertendis; item de salis Tartari conversione in elementa simplicia, scribit, illa altioris sunt indaginis, quàm ut paucis comprehendi possint. Si verò *novus Hippocrates* magis dextre salem hunc tractare novisset, penetrasset certè, quorsum migrârit illa vis ignea, &, uti loquitur, *potestas tota salis Tartari*; nec *mirum esset dictu.* Nobis enim hæc non sunt miracula Hippocratica, sed nota ac notissima.

Pag. 53, *lin.* 12. *concludit cum Hippocrate Coo, & libro,* uti dicit, 1. *diæta: omnia similia sunt, dissimilia existentia*: &, *in margine, ibidem: Memento quod ventus est vita mea:* O quàm veraciter hæc dicis ex magno Coo! Addere tamen debuisses, quòd omnia veritati similia, dissimilia reddas veritati, *Tacheni*, & falsa; quod clara sint per te obscura; quòd trita & obvia, sint inaudita; quòd denique culices & minima, per te fiant maxima & Gigantæa. Marginale etiam tuum verissimum censeo; *quòd ventus sit vita tua.* Quid enim levius professione tuâ, quam commentando exerces? Quid inanius verbis tuis? Quid vento magis affine dixero, quàm fastum & superbiam tuam, quâ tumes & insultas nobis? Quid aliud spiras & exsufflas, quàm inanes verborum auras, mendaciorum, seu arcanorum, sibilos? Adeò ut, si loquacitatem tuam contemplor, cum Gellio dicere cogar; *Linguam non in pectore, sed ore, tibi enasci:* cùm, uti & Seneca, *Epist.* 38. ait; *non multis verbis opus sit, sed efficacibus, quæ seminis modo spargenda.* Sed relegemus hunc ventum ad ultimam Thulen.

Procedo ad *pag.* 53. *lin.* 15. ubi iterum Reformatorem exercet, ac ad risum sollicitat, dicens: *Reformator, si Alcalium fixorum, notitiam habuisset! podagricis, oleum saponis veneti non promisisset: nam quicquid Olei à sapone stillat, est laterino simile, & nihil de Alcali continet. Sic etiam qui saponis corpus dissolvunt, ajuntque Podagricis conferre, in maximo sunt errore fructum enim quem percipere spirant: docet sapor, qui planè salsus deprehenditur; Mercurium enim ex supra dicta solutione non præcipitat.* Ad quod respondeo; quòd

quòd extra controversiam sit, Reformatorem habuisse notitiam alcalium: luculentis testibus lucubrationibus ipsius quas edidit. Eò frivolum Pædagogum ablego, cùm quia præcoci ingenio suo immaturiùs ea docet, quæ nunquam didicit, tùm quia hoc non egemus Didascalo, melioribus instructi. Oleum verò Saponis conferre Podagricis, ac magnæ notæ Viris fuisse adhibitum, ratione & authoritate, firmâ experientiâ suffragante, demonstrare potest Reformator. Sapo enim ex sevo animalium utplurimum, & alcalibus, seu salibus purè salsis paratur; prout *novus Hippocrates*, tanquam egregius Saponarius, ipsemet edocuit. Ille si destilletur, quid aliud, quàm oleum, spiritu & sale volatili purè salso imbutum, præbere potest? Quemadmodum & sevum animalium, per se destillatum, salem & salsum spiritum, ac oleum, eructat. Alcalium ipsorum, quibus cum Sapo conficitur, tanquam altero constitutivo, illud nihil acidi continet; hoc, licet fixum, volatilizatur nihilominus aliqua ejus portio, & transmutatur à sevo, in ipsa confectione saponis, & succedente ejus destillatione. Hæc igitur duo constituentia saponem non sunt sibi in natura rerum contraria, ambo purè salsa, & purè salem salsum continentia. Si igitur destillentur in Oleum, eritne partus, ex utroque salso sexu enatus, generis salsi, aut generis acidi? Non acidi, reverà, quia ex purè salsis nihil acidi elicitur destillando, aut quovis alio modo: si autem purè salsum Oleum; ergò acidis contrarium. Podagricorum autem materia est acida, uti *novus Hippocrates* ipse asserit, edoctus à suo Præceptore, Helmontio; & alcalia, aut purè salsi sales, omnem podagricam aciditatem immutant & destruunt; sicut iterum, in progressu, ipse *Hipp. novus* affirmat. Quid ergo obstat, *Tacheni*, quò minùs Oleum saponis Podagricis conferre possit? cùm experientia ipsa hæc confirmet. Apage igitur cum tuo Lateritio oleo, cum tuo Vitriolo tartarisato: nostra penus remediorum uberioribus & salubrioribus instructa est arcanis; tuis non egemus mysteriis, & ventosis cavillationibus. Iterum dico: vita tua vento similis: es vox, sonus ac sibilus, *Tacheni*, prætereaque nihil. Et falsum est, quòd *Oleum ex sapone destillatum sit Lateritio simile, nihilque de alcali contineat.* Sustineo ego cum magno Helmontio, quem tu, *iniquissime proborum Virorum mastix & corruptela*, velut teredo cedrum, arrodis, pro inveterata tua malitia; quâ contra omnes militas; sustineo, inquam, & infallibiliter teneo, cum Helmontio, Titul. *à sede animæ ad morbos:* quòd podagræ primordia sint ab aciditate hostili, ad corporis ambitum delata, & artûs molestante; in quibus podagræ character Archeûm, digestionum præsidem, malè affectat. Et titulo: *Volupe viventium morbus: parag.* 14. quòd in Podagra spiritus vitalis corruptivo huic characteri obtemperans, induat aciditatem fermentalem, prorsus sibi hostilem, atque nobis exoticam; prout & aciditas omnis, tam in cruore, quàm carne. Et Tit. *Pleura furens: parag.* 14. Etenim ut acor in stomacho est gratus & ordinarius sapor: sic extra stomachum, omnis aciditas est præter naturam, & hostilis: sic tormina ab acido intestinorum, in artubus Podagra, &c. Oriri igitur, credo, podagram ab acido naturæ inimico, quod dolorem excessivum, & synoviam quandam, ut vult Paracelsus, inter ligamentorum capsulas, & ossium contactus, suscitat, plenam terra volatili, ex alimento superfluo & corrupto. Cur igitur, si hoc verum, uti verissimum est, non utique conducant purè & verè salsa, sive alcalia, sive volatilia salia, purè salsa sint, in Podagrâ; præsertim de foris admota: curationem à contrariis contraria curantibus auspicando, ac similibus conservando similia? Etenim purè salsa, naturæ nostræ amicissima, præsertim si volatilia, facilè admittuntur, penetrant aciditatem in synovia peccantem, contrarietate, quâ acida & purè salsa se invicem destruunt, adoriuntur, alterant, inque liquorem, veluti dulciter insipidum, facilè transpirabilem & permeabilem, convertunt, ut, nullâ post se residuâ terrâ volatili, tophos aliàs in articulis generaturâ, exhalare possit, doloribus evanescentibus. Et hæc est, duce Philosophiâ, verâ ratione demonstrata cura Helmontiana: licet non profitear, hoc Oleo me Podagram radicaliter

expu-

expugnare posse, sed suadeam & consilium hoc dem Podagricis, tanquam remedium, dolores acerbos mitigans, tophos aut resolvens, aut prohibens materiam in motu, ac lapsam ad artûs; acescentem diluens, articulos denique, nervos, & membra, corroborans. Quæ omnia sicut firma ratio; ita infallibilis experientia, confirmat. Sed quid ultrò argumenta ingero contra eum, qui, salium & alcalium indiscretus censor, nullam eorum novit distinctionem; plus uno sibilo negans, quàm centum Sapientiores valeant uno affirmare ore, & concordibus votis?

Pag. præterea 53. *lin. penult.* pergit ulteriùs Philosophari, dicens: *Alcali Tartari itaque, videtur quodammodo typum repræsentare philosophorum Chaos, in quo ajunt, reviviscere eorum Mercurium.* Credere fas est, repræsentare tuum alcali avitum Philosophorum Chaos, & indigestam molem, in quâ nullus ordo & harmonia, sed sempiternus inhabitat horror; in qua myriades rebellium & contumacissimorum ingeniorum, velut in Stygia palude & Mephyti demersa, debitas arrogantiæ pænas dedêre, & adhuc luunt. Cohonestat tamen hoc suum Chaos, *pag.* 54. *lin.* 4. magnâ Paracelsi authoritate, libro de natura rerum: *Regeneratio, inquit: & renovatio metallorum, fit ita: quemadmodum homo redit in terram, ex qua primo fuit desumptus, & ita, rursus in die novissimo, regenerabitur; sic & metalla iterum possunt in Mercurium (ex quo primo nata sunt) abire, & cum illo solvi, & Mercurius fieri, & iterum per ignem (qui etiam judicabit mundum) renasci & clarificari. Hac via inquit, generantur lapides, & tinctura speciales* (a) *argenti vel auri. Hactenus Paracelsus. Interea, ego nemini autor ero, ut sibi persuadeat, sal tartari, quocunque modo præparatus sit, chaos catholicon philosophorum esse! licet metalla in illo, in Mercurium currentem redeant, id paucis admonuisse sat est.*

(a) *de quibus Rogerius Bacho, Ripleus, Isaac Hollandus cum judicio tamen legendi sunt.*

Sapiat, (uti in margine ais, *Tacheni*) *qui hoc intelligit*, qui vult, qui potest. Ventus totus es, *nove Hippocrates*, umbras item, nubes iterum & caliginem affers, mendacia exsufflas. Nihil enim de sale Tartari nec Rogerius Bacho, Ripleus, nec Isaac Hollandus, habent, dedignantur graves hi Authores hæc Tironum Elementa: majora, sibi paria, & altioris (uti legi) indaginis (non salem Tartari simplicem, aceto saturatum, tractant) luculentis suis editionibus evulgarunt; nihil ab horum authoritate hisce tuis figmentis subsidii sperato. Sed quid, obsecro, eruis, *Catholicissime Chymice, Tacheni*, ex erudito hoc loco Paracelsi? Vides, quòd, juxta literam, cum plebe sapis, &, quæ mystica sunt, sensu literali tibi explicandum autumas? *Regeneratio metallorum fit, sicut regeneratio hominum, in die novissimo?* Et unde hanc habes novissimam tubam, qua, velut lituo, metalla resuscites? *Mercurius fit, renascitur, & clarificatur per ignem, qui judicabit mundum?* Quis tibi ventus hunc ignem suscitabit? Noli scrutari Majestatem, ne gloria te opprimat. Humilia sapito, & plano incedito: sapis, neque intelligis. Plura tibi Doctissimus Helmontius, recentior R.P. Athanasius Kircherus, *lib. de artis metallica requisit. & seqq.* dictabunt; eò te confer, ad cautiùs Philosophandum de sale tuo hoc Tartari & humilius sapiendum.

Interea pergit, *pag.* 54. *lin.* 19. *nemini author ero, ut sibi persuadeat, sal tartari, quocunque modo præparatus sit, Chaos Catholicon philosophorum esse! licet metalla in illo, in Mercurium currentem redeant, id paucis admonuisse sat est.* Satius, profectò, tacuisse esset, quàm tot manifestis figmentis nos commonuisse. Grandia iterum de venatione somnias, in quâ nulla tibi obtigit fera. Profectò, diuturna fraudatio, tædiorum est nutrix, suspicionum fomes, impatientiæ fax. Dedignor tandem tot imposturas tuas; &, si, quod sentio, edisserendum, non credo (ut ut peieres) te vel granum unicum, à quo vitam spiras, Mercurii ex aliquo metallo elicuisse, aut tartareo sale tuo solo elici unquam posse.

Quid est illud *Chaos Philosophorum? Chaos Catholicon?* Asylum ignorantiæ, confusio & Babylon nova, & infinitum quoddam, è quo innumera mendacia emergunt; verbo denique: Omnium Impostorum, Thrasonum, *novorum Hippocratum*, seu Hypocritarum sacra anchora, aut stagnum, è quo frau-

des natæ. Veraciùs nobiſcum negotiator, & fidelia ſcribito, *Tacheni*, propriâ manu nimirum acta, non narrata; uti de Mercurii anaſtaſi, ac nova geneſi, factitaſti: & fidem mereberis. Sed plura, de ſale Tartari fixo, novum Hippocratem loqui vetat Harpocrates, qui digito labia premere juſſit, abſterret Actæonis laniena, ne, ſi Dianæ nos arbitros faceret, canibus præda caderet. Audite vulpeculam, latibula quærentem, & aſyla ignorantiæ; nunc faſtu, nunc ſimulatione, ancillantibus. Legite, quæ, *pag* 54. *lin*. 27. affert nugamenta. *Nunc Harpocrates, de tartari ſale fixo, me ſilere jubet, ne in doctorum Virorum curioſas inveſtigationes ſim injurius, qui multum laboris ſumpſerunt ad hujus plenariam cognitionem, quod profecto medium eſt vivificativum multarum rerum; id notarunt Baſilius, Paracelſus & alii, qui illud veſtibus ſpoliarunt, & pro ſolvente elegerunt; quandoquidem objecta ſua illuminat, & vivificat, eodem fere modo, ut alcali herbarum fixum, extrahit è calcinato ſilice, aliud & ſimile alcali, quod quidem nullo alio ſapore elicere ſit poſſibile, quam ſuo ſimili; illud multo potentius efficit, & verè in igneam naturam Convertit: ſic à notis ad ignota fieri debet progreſſus, ut Ariſtoteles rectè docuit.*

Exemplum Actæonis abſterret: Spiritus Academicus Myſterium hoc non capit.

Hoc eſt quod vociferatur Ioh Baptiſta van Helmont (a) *diſcite inquit: diſſolvens aliquod quod ſit ſemper idem, & nactus eris intimas rerum eſſentias quod probat exemplo, dum quærit* (b) *lapis oſſifragus, fixus non calcinabilis, curat os fractum, aſſumptum per os, & quare non lithiaſin & podagram? Reſpondeo viro incomparabili, quod reformatoris ridiculus* ALCAHEST, *& ſecretum ſolvens, nil aliud eſt, quam* ACETUM DISTILLATUM (c) *ex ærugine, & licet rodat oſteocollam lapidem, rodendo acquirit lapis proprietates aceti, unde non pergit ad urinæ loca, ſed in ſtomacho illico præcipitatur, ut paulo poſt ad oculum demonſtrabitur.*

a de febribus cap. 15. §. 25.

b Tract. de verbis, herbis & lapidibus.

c Appendix ad animadverſiones f. 72.

Sal tartari itaque hactenus vilibus veſtibus ſuam ſcenam luſit, cum vero philoſophi manu ſpoliatur; ut compareat, in forma nuda, lucida & reſplendenti, tunc res, quæ illi committuntur, reducit in eandem & ſimilem ſui materiam, (memor oculos cancrorum ſic ſolutos, in multa longa quotidiana febri, mulieri, quæ abhorrebat pocula medica, me propoſuiſſe; timidus me interpellabat medicus, canonicus præſens, eſſe minerale & periculo plenum) & quoniam informis, ut omne alcali, accipit formam ejus eſt. quo cum unitur (eſt nimirum ſal tartari, medium quoddam inter minerale & vegetabile, ob id facilè amborum naturam amplectitur) & ſic pergit, &c. Hæc de differentia alcalium fixorum indigitaſſe ſufficiunt.

neſcientes, multa timuere, neceſſe eſt.

O te iniquum hominem, qui poſthumos Majorum & Sapientum labores ignobili premis ſilentio, memoriâ Poſteritatis defraudas, & æternis immeritos tumulas umbris! An non, talia per traducem propagari, conveniat, judicet, qui æquus arbiter audit, ne tot Sapientum monumenta temporum viciſſitudine fluctuent, & demergantur, æternis digna ceris. Sed habuerint Paracelſus, & Baſilius, quæ mireris, non tamen aſſequeris, arcana (ſit his Viris gloria!) Te, interim, ex figmentis tuis, Idiotam eſſe meritò cenſeam, qui ea, quæ corraſiſti, neque penetraſti; publici juris feciſti, Spoliarunt hi Viri, quos allegas, Baſilius & Paracelſus, naturam, ſeu Dianam, per ignem Philoſophi; quos dum æmulari voluiſti, viſâ tantùm à longinquo Dianâ, cornua, cum Actæone erexiſti, &, dignâ hoc homine metamorphoſi, belluam induiſti. Quid ergò mirum, ſi adverſus Athenæa & Lycea Europæ latraveris, aut rudas etiamnum, ſeu reboës audaciſſimè? Capit, profectò, *Cacademice Hippocrates*, capit ſpiritus Academicus (uti *in marginali* loqueris, *pag*. 55. *ſpiritus Academicus myſterium hoc non capit*) myſteria Salis hujus Tartari communiſſimi quidem; capit alcali herbarum fixum, *ac, quâ ratione è calcinato ſilice non extrahat aliud & ſimile alcali*: nota hæc ſunt Academiæ noſtræ Tironibus, à qua meritò te ſegregas, repulſam paſſurus, ſi virorum doctorum ſubſellia ambires. Nam Rabulas non enutriunt Academiæ & Univerſitates. Dum noſter *Hippocrates*, Paraſitarum more, doctorum virorum repotia, & reliquias, in Diſpenſatoriis & culinis conquirit, deflectit ad magnum Helmontium, & quæ, in ejus quadrâ, indigeſta, devoraverat, turpis hoſpes revo-

revomit, *pag.* 55. *Hoc est*, ait, *quod vociferatur Ioh. Baptista van Helmont, de febribus cap.* 15. §. 25. *discite inquit: dissolvens aliquod, quod sit semper idem, &c.* uti supra. Nunc *mendaciorum architecte, Tacheni*, ostendam, in spiritu Eliæ, tibi Prophetias, aut, si mavis, spiritu Academico Philosophus, quibus technis & imposturis de arcanis hactenus dissereris; quæ nec possedisti, nec unquam consecuturus es. Vera sunt, quæ citas ex Helmontio, *signato capite & paragrapho.* Sed heus! Vir, qui tanta secreta crepas: quos hortatur Helmontius, ut hoc dissolvens addiscant? Cur non adjunxisti, invide, & charitatis expers? Ego supplebo vesaniam tuam. *Quicunque ergo*, ait Helmont. cap. 15. de febr. §. 25. *medendo charitatem proximi cordi habetis*, (Apage! quæstus tibi est Medicina, *nove Hippocrates*: omnis in te refrixit charitas, & livor exæstuat) *discite dissolvens aliquod, quod sit homogeneum, immutabile, &c.* An hic est sal, quem promulgas, Tartari? Hoc homogeneum, immutabile, in primam agens materiam, dissolvens, fors *caseus tuus molliculus est*, & spurium, ex Tartaro, Talcum? Nunc convincam te, orbique publicè Impostorem promulgabo. Audi, quæ van Helmont, eodem cap. §. 26. subjungit: *Quod si autem ad istud ignis arcanum non pertingatis, discite salem Tartari reddere volatilem, ut hujus medio vestras dissolutiones perficiatis.* Cur hunc textum neglexisti, *nove Hippocrates*? Vides, quòd secreta tua secretorum, salem Tartari, cumque volatilem (quem ipsum dari, & parari posse, in sequentibus negas; contra tuum Præceptorem, Helmont.) communissimo tuo alcali non æquiparandum, iis saltem apparandum committat, qui ad arcana naturæ & artis penetrare diffidunt & ambigunt. Vides, *Blatero*, quòd unicâ hac authoritate innumera, quæ hactenus declamasti, irrita, falsa & impostoria esse, demonstraverim? Ad Cæsarem appellasti, ad Cæsarem ductus es: plura non addo. Alienis te hactenus plumis & palliolo investiisti, arcanis destitutus es, *molliculo caseolo* dives. Loquitur autem hoc loco Helmontius, dum de homogeneo & immutabili dissolvente, seu ignis arcano, tractat, de suo Liquore Alcahest? quem, tu, in Epistola tua de famoso liquore Alcahest, infami stylo cavillando, non ens, & Chimæram appellasti; & tamen ad illum nunc, profugus, postliminiò declinas, ac asylum quæris ab eo, à quo veniam non mereris. Est igitur ille liquor famosus Alcahest, quem tu in Authore proculcasti, huncque infidum, invidum, somnia scribentem, sibi ubique contradicentem, proclamasti, arcanum illud Helmontii, ad quod inquirendum sollicitè & amicè hortatur; non autem sal Tartari *Tachenii*, & communis quidem. Si enim Sal volatilis Tartari illi liquori, solventi scil. æquiparari non potest, ad quem saltem inquirendum, reliquis non proficientibus, nos hortatur? Qui in comparationem veniat sal Tartari communissimus hic *novi Hippocratis*, quem Tirones adepti sunt? Recede igitur ad Chaos tuum, spiritum Academicum non habes, &, minus habere, à nobis iterum deprehensus es.

Porrò textus ex Helmontio, titul: *de verbis, herbis & lapidibus*; scilicet: *lapis Ossifragus, fixus non calcinabilis, curat os fractum, assumptum per os, & quare non Lithiasin & Podagram?* trino scatet errore. 1. Adulterat *Tachenius* sensum Authoris, qui talis est, dicto titulo, sub fin. *Ossifragus lapis fixus, ut non calcinabilis, curat os fractum, assumptus per os: & quomodo id fiat.* 2. *An non curet Lithiasin, Podagram? &c.* Hic genuinus est textus Helmontii. An non hæc est propositio indefinita, quam tu, *Impostor*, absolutam & decisivam facis? An non interrogativa? Cur mentiris absolutè, quod curet; cùm van Helmont nihil decidat, sed quærat, an curet? Alter error est, qui ferulam expectat. Audi, *Tacheni*, quæ est hæc propositio: *Lapis assumptum per os*? Sine dubio per apostrophen: aut per metonymiam. Saltem Latinæ linguæ ne adeò turpiter imponas deinceps. Tertius error judicii & cerebri est. Quærit van Helmont: lapis ossifragus curat os fractum, assumptus per os? Et tu, *Idiota*, facis ab hoc transitionem & connexionem ad liquorem Alcahest Reformatoris, quem mentiris esse acetum ex ærugine destillatum. Nunc video, quòd liberis quadrigis tua vehatur nequitia, *novator Hippocrates.* Signa denuò librum, textum, &

paragraphum, è quo hoc tuum sesquipedale mendacium probes & demonstres. Quando,& ubi, laudabilem hunc spiritum, ex ære viridi oriundum, pro liquore Alcahest promulgavi? Convincunt te, centies jam convictum, iterum meæ Animadversiones, & maximè Appendix in Animadversion. fol. 43. quæ te iterum diffamant. Audi textum: *Hic laudatissimus Spiritus in Medicina non solùm magnarum virium est, cùm Epilepticis, Apoplecticis, Hystericis, Hypochondriacis, summè optruletur, legitimè & debitè exhibitus: verùm etiam, tanquam acetum esurinum, & liquor Alkahest (de quo tanta ubivis terrarum miracula deprædicantur) se habet; solvit Perlas, integrè sibi injectas, blandè, Corallia item, oculos Cancrorum, & plura alia, non, ut reliqui spiritûs acidi & corrosivi, qui solvendo, & agendo, reactione solvendorum patiuntur, & vel totaliter destruuntur, inque aliud ens convertuntur, ac indissolubili nexu, cum solutis Perlis, sive Coralliis, sese uniunt inseparabiliter; sed amicè, tanquam eorum familiaris, non autem destructor, adhibetur, utpote à quibus, destillando, eâdem virtute & acrimoniâ ferè, qua affusus, abstrahi, adque consimiles usûs adaptari potest. Nolim tamen ego asseverare, quòd penitus impermutabilis, aut indestructibilis sit hic spiritus. Solet enim, crebrioribus solutionibus adaptatus, nonnihil debilitari, viresque suas quodammodo amittere. Præterea in extractionibus quorundam mineralium, pro tincturis, is idem spiritus, præ reliquis omnibus menstruis, magnam prærogativam habet; uti suo loco sequetur, quando de Tincturis quibusdam mentionem facturus sum. Et, ut summatim dicam, tanquam expertus in multis affectibus; qui Herculea etiam remedia rident & contemnunt, ad hunc spiritum, tanquam asylum, si quis accurrerit, medicamentum reperiet quovis pretio redimendum.*

Ad normam conspicui & clari hujus textûs, formet mecum æquum judicium B. L &, an non sit falsarius hic *noster Hippocrates*, dijudicet. Ulteriùs: dic mihi, *Impostor*, an nulla sit, inter acetum destillatum, & laudabilem hunc spiritum Veneris, comparatio & æqualitas; quòd hæc probroso mendacio confundas? An non spiritus Veneris hic solvit Perlas, oculos Cancrorum, Corallia, &c. blandè, & amicabiliter? An non à solutis his integrè, purus, nullâ residuâ acrimoniâ & aciditate, plenissimè abstrahi potest? Extrahit tincturas perfectè, cùm ex Antimonio, tùm nonnullis aliis mineralibus; eoque abstracto; illæ in spiritum Vini promptè abeunt. An hæc etiam præstat acetum tuum destillatum? Gaudet denique amabilis hic spiritus aliis prærogativis, attrahendis nimirum, & mox evacuandis, catarrhosis humoribus, per venas lymphaticas, è toto corpore, præsertim è capite & gingivis; leniendo magnoperè dolores dentium, sublata causâ, & methodice. Num præstat hæc & acetum tuum destillatum? Respondeo: Neutiquam. Neque hoc, neque illud. Fraudes igitur tuas, quibus famam meam incidere tentasti, *mendax homo*, iterum revelavi, & in mendacia, quæ tantorum virorum autoritate fulcire cupiebas, ultrò inquisivi; ut vel sic innotesceres. Sed quid mirum? Mos hic est & dæmonis, ut, dum nocere cupit, in Angelum lucis se transfiguret. Uti neque venena dantur, nisi melle circumlita; neque vitia decipiunt, nisi sub specie & umbra virtutum: sic & tu, (sapientum Virorum testimoniis abutens, ex flore sugis toxica, *Cavillator*, unde mel industriosæ apes, & Viri Christianæ probitatis. Hæc de scabioso, seu gloriâ pruriente, ac spiritu Cacodemico turgente, *novo Hippocrate: quia totus ventus est vita ejus*. Plura, de spiritu Veneris, sequentia, in progressu, revelabunt.

Reliqua ex hoc textu, ridenda potiùs, quàm legenda, *pag. 56. lin.* 11. ubi ait: *Sal Tartari itaque hactenus vilibus vestibus suam scenam lusit, &c.* uti supra, in textu, intacta relinquo, quia spuria, quia nugatoria. Legat B. L. textum paulò superiùs, obscura crepundia tractantem; totoque rideat splene; licet ilia crepent Momo nostro. Oportet enim, ut *multa timeat, qui nescit multa*.

CAPUT XI.

Sic inſcribitur:

Nunc de Alcali Animalium volatili.

SPolia iterum tibi adduco, (furta dicere volebam) ex Helmontio, *Tit. Poteſt. Medicamin. parag. 19.* ubi de mumiali fermento cruoris: & reliquis. Titul. iterum: *de Magnet. Vulnerum curat.* & denique, ex ſupra jam citatis locis; è quibus alcalium nomina & omina, ſeu theoriam, mutuatus eſt; quam tamen peſſimo ſuo fermento mox corrupit, *novus Hippocrates.* Sed in ipſo limine inſcitiam ſuam revelat, ſui immemor, quòd ſuperiùs docuerit, Alcali nomen etymologiam trahere ab herba Kali Ægyptiorum, dum herba dicta crematur in cineres, igne aperto: qui cineres alcali appellentur, ſeu ſal alcali, res fixiſſima. Juxta hos cineres, & ſal alcali, noſtri Anteceſſores aliorum vegetabilium cineres, & ſales ex iiſdem extractos, Lixiviales ſales, raro, & rariſſimè, Alcalia ſalia, appellarunt. Adeoque alcali quodcunque, ex ſui natura, modo fiendi, & proprietate, præſupponit ſemper priſtini ſui corporis inhæſionis combuſtionem & reductionem in veros cineres, & ſalium eorundem extrahendorum fixitatem, ſalium nimirum purè ſalſorum & fixorum differentiam, à reliquis ſalibus acido-ſalſis, ſalibus volatilibus animalium, & plurimorum aliorum. Sic ſales volatiles ex animalibus, uti toto cœlo differunt à ſalibus lixivialibus & alcalibus, cùm ex ſui natura, modo planè contrario fiendi, & omnibus proprietatibus ſuis; tum etiam ratione Regni: ita nullo modo illis competere poteſt nomen Alcali; quia implicat: & nullus unquam aliàs inventus, qui ſales volatiles alcalia appellaverit; cùm illa præſupponant corporis ſui priſtini combuſtionem in cineres, è quibus demum ſal fixus extrahendus. Sales verò volatiles neque ex cineribus ſui priſtini corporis eliciuntur, quemadmodum animalia in veros cineres redigi nequeunt, niſi fortè in perpaucos, cineribus tamen veris planè diſſimiles: in quibus tamen cineribus, vel potius oſſibus calcinatis, nihil ſalis fixi inhæret; quique nullas abſtergendi, abradendi, & liquandi, virtutes, uti veri cineres ex vegetabilibus, poſſident, ſed alterius planè naturæ & proprietatis ſunt. Errat igitur *novus Hippocrates* craſſiſſimè, ſales volatiles alcalia eſſe: ſibi contradicit inadvertenter: omnia confundit: immemor inſcriptionis præteriti capituli, ſcilicet: *Qui benè diſtinguit, benè docet:* omnia intricatè diſponit, ventoſque inanes unà efflat.

Longum nimis foret, cùm tam infantilem textum, qui indignus lectu, totum ſcribere, tum omnia contenta ejus puerilia & abſurda limæ ſubjicere. Proinde ea vel maximè attingam, quæ Reformatorem ſpectant, & craſſam *Hippocratis novi* ignorantiam palam faciunt. Itaque, *pag. 57. lin. 8.* Capitulum hoc obſcurum ſolitâ obſcurâ garrulitate incipit, uti ſequitur: *Quemadmodum alcalia fixa, acida omnia abſorbent, & juxta acidi naturam in ſalſum mutant, ut ſupra oſtendi, ſic etiam alcalia volatilia, omnium animalium, ex quorumcunque partibus elicita, etiam in ſalſum vertuntur, acidi proprietatem imitantia. Et quemadmodum urina, continet alcali volatile, per fermentum* (a) *putredinis ſic ſudor, ſanguis, caro, oſſa, & carnes omnium animalium diverſo fermento, quodlibet juxta virtutem loco innatam, Et ſicut de alcalibus fixis, differentiam intrinſecam, cum Mercurio ſublimato ſoluto, & in ſale tartari ſingularem prærogativam; ſic & in his volatilibus, ſuam rempublicam in progreſſu oſtendam.*

(a) *quid ſit fermentum paulo poſt oſtendam.*

Omnium quidem animalium alcali, urina ſanguinis ſudoris (etiam calculorum omnium animalium) ſerpentum ranarum, &c. Mercurium ex ſupra dicta ſolutione præcipitant coloris candidi, ita ut nullam differentiam, hac mechanica cernere licuerit; adeo-

Alcalia omnium animalium ſunt ſimilia, & vacua corpora.

adeoque, hoc alcali, non est saporis salsi ut reformator sola opinione docet: salsa enim ut demonstravi, Mercurium ex dicta solutione non præcipitant, recipit autem formam, juxta acidi proprietatem, ut clarius in progressu patebit.

In hoc textu non pauca, nec levia, continentur absurda, falsa, & contradictoria; ut hæream, cui primò sit occurrendum. Primò ait: *alcalia fixa, acida omnia absorbere, & juxta acidi naturam in salsum mutare*: quod & falsum est, & contradictorium. Nam alcalia sunt per se, ex natura suâ, salsa: non igitur per acida demum in salsum mutantur. Alcalia autè esse sales & salsa, non solùm ipsâ veritate patet, & ex natura rei constat; sed cum sibi contradicente *Hippocrate novello* ipso probatur, qui non semel atque iterum, sed multoties, veritate convictus, sua alcalia salia appellat; sicut salem Absinthii, salem Tartari, expressissimè, & per antonomasiam, nulla additâ distinctione, salia dicit, *pag.* nimirum 13. *lin.* 19. *pag.* 42. *lin.* 4. *pag.* 27. *lin.* 12. *pag.* 33. *lin. antepenult. pag.* 34. *lin* 18. *pag.* 35. *pag.* 42. *lin.* 1. *pag.* 45 *lin.* 4. *pag.* 47 *lin.* 4. & 10. *pag.* 51. 53. 54. *lin.* 19. 20. 21. & *in fine pag.* 56. *lin.* 11. & in quamplurimis aliis locis. Si igitur Alcalia, & præcipuè alcali Tartari, quod summum & præcipuum est *Hippocratis novelli*, & Absinthii, sunt salia: erunt ergo salsa. Nam salia esse, & non salsa, implicat; ergò omnia alcalia sunt verè, & ex sui natura, realiter salia, & quidem purè salsa. Non igitur opus habent, ut per acida in salsum demum mutentur; sed convertuntur per acida in acido-salsum, scilicet in acido-salsos sales.

Verùm animadvertat L. B. quòd hic incipiat fraus & dolus, quo utitur Impostor in progressu, quando vel centies in Reformatorem impunè invehitur, falsissimâ hypothesi: nimirum, quòd salem communem tantùm salis nomine, tanquam unus & solus sal esset, pro libitu & imperio suo vult dignari; unicè, ad decipiendum incautos, & ad calumniandum Reformatorem: reliqua verò salia omnia alcalia vult, &, licet toties sibi contradicendo, salis nomine privat. Hæc autem ejus impostura à Reformatore diluitur statim expressè, & clarè, doctrinâ de differentiis salium, in *Appendice ad Animadvers. pag.* 55. & *seq.* quæ denuò paucis repeto. Et in progressu sæpius dilucidè explicabitur, quòd maxima sit salium differentia, &, quemadmodum quodcunque genus suas habet species; ita sub hoc uno & generico salis etymo comprehendantur salia diversæ speciei: quorum quædam sunt acido-salsa salia, id est, sal communis, gemmæ, maris, & sal nitri, tanquam naturaliter talia; arte autem talia sunt, scilicet, acido salsa salia, sal Armoniacus, Tartarum Vitriolatum, sal Viperarum Reformatoris, & ipse sal Viperarum *Hippocratis novi*. Nunc porrò sunt salia purè salsa; quibus propriè, & præ cæteris, nomen salis competit: quia à salsedine sal dicitur sal, & sunt talia omnia salia lixivialia, sal Tartari, sal Absinthii, omniumque aliorum vegetabilium, ex cineribus illorum extracta. Hæc salia, *ex sui natura* & origine, *novissimus* hic *Hippocrates* aliter baptizat, &, contra semetipsum, non salia vult, sed generali etymo, ut ait, *pag.* 13. *lin.* 19. & *seq.* pro suo libitu & imperio, Alcalia appellat: mox iterum tamen salia, sibi immemor, per se, sine distinctione aut differentia, tanquam per antonomasiam, nominare dignatur; sicut supra paulò, ex plurimis citatis locis, patet. Adeoque omnia confundit, suo instituto contrarius, malè distinguit, & malè docet; ita, ut, nisi quis cautus sit, hæc lectitans, is imposturam hanc Hippocraticam facilè non advertat. Et verò, cùm *Hippocratis Chymici* Alcalia sint verè & propriè salia, sub generico salis nomine principaliter comprehensa, & ille ipse toties illa salia propriè appellet & fateatur, ipsis autem salibus, ex propria saltem phantasia, nomen Alcali genericè imposuerit, *pag.* 13. nequaquam igitur per acida demum in salia, vel salsum, mutantur, sed transmutantur per acidos spiritus in salia acido salsa. Hoc est tandem proprium illorum nomen; hæc illorum differentia & species, quâ ab aliis salibus distinguuntur. Atque sic *Hippocratis novi* impostura detegitur, & assertum falsum controvertimus. Nunc de salibus volatilibus animalium loquendo, sive Urinæ,

Urinæ, sive Ossium, Cornuum, aut aliarum partium, Sanguinis & Carnis, sint, illa insigniter differunt à salibus lixivialibus, seu alcalibus, non solùm volatilitate, sed aliis etiam accidentibus & virtutibus suis, ut & præparatione seu modo fiendi, ac ratione Regni, & subjectorum, è quibus eliciuntur: ut antea dictum, & in progressu magis palam fiet. His, inquam, salibus volatilibus nomen & etymon Alcali minimè competere potest; etiamsi, quoad salsedinem purè salsam, salibus lixivialibus ex parte sint æqualia, acida omnia immutando, non tamen totaliter destruendo: quemadmodum à salibus volatilibus acida, seu acidi spiritûs, arte denuo segregari, & ambo in pristinum esse suum, acidum nimirum spiritum, & volatile salsum, restitui possunt; quod neutiquam contingit in salibus lixivialibus, seu alcalibus, quæ acida, & acidos spiritûs omnes totaliter destruunt, & ambo in aliud ens degenerant, à quo arte revocabilia nunquam. Illa, inquam, salia volatilia purè salsa, accessione acidorum spirituum, in salsum demum verti, uti hic *novus Hippocraticus Philosophus* stupidè asserit, *pag.* 57. *lin.* 15. quodque acidi proprietatem solùm deinde imitentur; hoc iterum dupliciter implicat, nimirum; purè salsum antea, & per se, naturâ suâ, in salsum demum verti, accessione acidorum: & hoc salsum dein solum acidi proprietatem imitari. Videsne, *obscure Philosophe*, quantoperè impingas Hippocraticis tuis commentis? Vertuntur autem illa volatilia salia animalium, accessione acidorum spirituum, non in purè-salsum, sed in acido-salsum, seu salia acido-salsa; quæ tamen adhuc volatilia manent, instar salis Armoniaci, ad differentiam salium acido-salsorum lixivialium fixorum, arte nimirum talium, & salium porrò acido-salsorum communium, naturâ suâ talium, non arte. Et hæc est vera ac realis, de salibus lixivialibus fixis, & volatilibus animalium informatio. Plura, de aliis salium speciebus, in *Appendice n. loco supra citato*, cum fundamento præmissa sunt. Patet igitur ex his, quàm præposterè doceat *novellus Hippocrates*, quàm malè distinguat, & pessimè omnia, ad fallendum incautos, proponat.

Pag. 57. *lin.* 17. porrò ait: *Et quemadmodum urina, continet alcali volatile, per fermentum putredinis, sic sudor, sanguis, &c. uti supra.* Hic iterum reperitur falsum; ut & reliqua subsequentia, sine principio, sine fine, fumus sunt & ventus. Nam urina, sine ulla fermentatione, recenter micta, sine fermento putredinis, sale volatili prægnans est; ac ex illa unius diei, imò paucularum horarum, spatio, per coctionem, aut inspissationem, & subsequentem destillationem, volatilis sal elici potest; cujus diversos & legitimos parandi modos edocui *in præfata Appendice ad Animadversiones pag.* 59. Sal itaque urinæ volatilis nequaquam per fermentum putredinis demum fit, nec per illud elicitur; sed præexistit in urina, sine hoc fermento putredinis.

Præterea, *pag.* 58. *lin.* 11. iterum garrit, dicendo: *adeoque, hoc alcali* (scil. sal volatilis animalium) *non est saporis salsi ut reformator solâ opinione docet: salsa enim ut demonstravi, Mercurium ex dicta solutione non præcipitant, &c.* Verùm ex præmissis patet, Reformatorem solidè & fundamentaliter de salibus volatilibus animalium, aliisque salium speciebus, & eorum genesi, differuisse & docuisse, sine fuco, sine impostura. *Hippocrates* verò *novellus* ignoranter neque genesin, neque differentiam, aut species, salium cognoscit, ex imperitia confundit, centies sibi contradicit, & mundo imponit. Hoc quòd verum sit, ex sequentibus iterum patebit. Namque ait; *sola salia lixivialia* (quæ nunc *Hipp. novo* non ampliùs sunt salia, sed alcalia, generali nomine hoc demum, pro suo arbitrio, *pag.* 13. ab ipso imposito; cùm tamen illa, uti supra ostensum, multoties salia simpliciter, & per antonomasiam, appellet) *& salia volatilia animalium* (quæ etiam ex crassa ignorantia alcalia volatilia dicit) *Mercurium præcipitare; salsa verò Mercurium non præcipitare.* Hæc sunt absurda & contradictoria. Etenim cùm alcalia tam fixa, quàm volatilia, ab Hippocrate novo ita baptizata, sint verè, & realiter, salia: quod per illum ipsum toties convincitur, uti, superiùs, pagina & lineæ adductæ demonstrant; illa verò alcalia salia Mercurium præcipitent: ergo salsa Mercurium præcipitant.

tant. Nam ſalia eſſe, & non eſſe ſalſa, iterum implicat. Adeoque Reformator verè dixit, & ingenuè ſcripſit, ac nunc denuò affirmat, nullum ſalſum ſine ſale eſſe, neque ſalſedinem ſine ſale exiſtere poſſe. Ergo alcalia cùm volatilia, tum fixa, Hippocrati novello ſic dicta, verè & realiter, ex ſui natura, eſſe, & operari, ſalia ſunt; utque etiam ſaporis ſalſi ſint, ſequitur infallibiliter ex natura. Secus enim non eſſent ſalia, neque alcalia. Nugatur itaque turpiter *novus Hippocrates*, ſibi non conſcius, quæ antè, quæ nunc, ſcribillet, omnia confusè, contradictoriè & inordinatè tractando; quibus multi incauti decipiuntur. Conſiſtit autem hæc ejus impoſtura in craſſa ignorantia aut fallacia, quæ mox palam fiet, ſi differentiam, ſi genera & ſpecies, ſalium denominemus; prout Reformator illa ingenuè, & fideliter, citato loco, deſcripſit. Et dicamus denuò & nunc: ſalia volatilia animalium, ut & fixa vegetabilium, eſſe per ſe, ſine additione, ſalia purè ſalſa; additione autem acidorum ſpirituum, illa converti in ſalia acido-ſalſa, & quidem arte talia facta, ad differentiam ſalium communium, quæ natura ſuâ acido-ſalſa ſunt. Sic ſalia volatilia animalium, & ſalia lixivialia fixa (cuncta Hippoc. Chymico alcalia dicta) per ſe Mercurium, nec non alias res, ex ſua ſolutione potenter præcipitant; reddita verò acido-ſalſa, per ſpiritûs acidos, Mercurium non ampliùs, vel ſaltem non ita potenter, ſicut etiam ſal communis, præcipitant: ſunt nihilominus cuncta ſalia, & neutrum è ſalium genere & etymo proſcribendum.

Ex his itaque diſcat Calumniator, alter Æolus, fumo deinceps, & ventis, ſeu faſtui meliùs imperare, eaque ſcribere & docere, quæ bis ad limam priùs, quàm ſemel ad linguam & calamum, deſtinavit. Non enim hæc plebi, & illiterato populo, non circumforaneis ſcripſit, aut declamavit, Stentor, ſed Europæ Medicis dictavit, doctis, Idiota; exercitatis Chymicis, torpidus hallucinator. Et quia uno ſemper (luſcus) oculo Reformatorem reſpicit, an deſpicit, non demiretur, ſi, toties memoratus in hac miraculorum Chymicorum epitome, Reformator ſemel pro ſemper aptè reſponderit, injurias & figmenta retorſerit, furta denique, & arcana, ex Helmontio, ſpolia foro & populo ſpectanda produxerit. Atque hæc invitus egi, quia laceſſitus graviter, homo cæterùm, pacis & tranquillitatis cultor. Verùm neque oportet ejuſmodi Tarquinios ubique ſuſtinere; coërcenda eſt camo & fræno ſuperbia; exautoranda potentia, quam publicâ rapinâ alieni nominis pallio (Helmontii) oſtentant, cujus tamen virtutem non gerunt; denique caſtiganda ignorantia, ne in obſequium trahat ad omnia pronam literatorum indolem: quam quidem Spartam nemo feliciùs, ipſo Tachenio, obivit hactenus, qui ubique ignorantiam ſuam palliatam huc uſque revelavit, dum non tacuit; propalavit, dum libros ſcriptitavit; publicavit denique veluti tubâ & lituo, dum omnia confusè edidit, abſurda abſurdis cumulavit, contradictionibus omnia involvit, veritatem mendaciis contaminavit. Quid enim aliud egit, dum ſalia cupit & appellat ſalia, & poſt paululum ſcribit: ſalia non ſunt ſalia? Salia præcipitant Mercurium, uti ſal Tartari; & iterum, ſalia, ſive ſalſa, non præcipitant. Verbo, ſalia vult talia, quando ipſi pro ſaliva ſunt; &, velut non talia, repudiat, ubi Reformatorem cavillare prurit. Denique

— *mens refractaria ſemper*
Indoctorum hominum. —

Procedit Author ad ſalem Armoniacum, quædam vera, plura tamen falſa tractans. *Pag.* igitur 58. *lin.* 23. ait: *Obſervarunt inquam* (veteres) *quod alcali volatile, combibit tantum de ſale cireniaco, quantum pro ſui conſtantia & ſaturitate ſufficeret, pro ſale armoniaco artificiale, adeo ut alcali urinæ, cum acida parte ſalis dicti, tam ſtrictè ſunt ſe invicem amplexæ, ut per ſe divortium non patiantur: Sal enim urinæ, cum in ignis tortura fugam tentat, rapit ſecum acidam partem, quam ſorpſit, & ſimul, ſublimantur, in ſal armoniacum artificiale, &c.* Parari ſalem Armoniacum ex ſale (non alcali) urinæ, & ſale Cireniaco, falſum eſt. Nam ſal Cireniacus per ſe, & ſua naturâ dicebatur olim Armoniacus, & non fiebat arte. Hic autem jam dudum eſſe deſiit, & ad nos non ampliùs transfertur; de quo videatur Cæſius, Matthiolus, & Muſæum Wor-

Wormianum, cap. 7. Nec etiam Sal Armoniacus artificialis noster ex sale urinæ jam confecto paratur, sed sublimatur ex larga quantitate urinæ crudæ humanæ coctæ, sale communi, (nequaquam Cireniaco) & fuligine. Hæc tria in massam priùs rediguntur coctione, & tandem in Armoniacum salem sublimantur; in qua sublimatione sales volatiles urinæ & fuliginis tantum aciditatis de sale communi, acido-salso nimirum, rapiunt, quantum pro aliquali eorum constantia sufficit: prout Author superiùs ipse quidem scribit; fuliginem tamen, tanquam necessarium salis Armoniaci constitutivum, omittit, &, pro urina hominis cruda, salem volatilem urinæ, perperàm, substituit: mox ignoranter etiam de urina Camelorum garrit; quin & auditu rudem hujus salis Armoniaci notitiam, de quo tantos eructat ventos, mutuatus est.

Quòd Sal commune, vel nostrum, vel Armoniacum veterum, habeat acidam partem, extra ignem communicabilem, pag. 59. lin. 7. hoc est extra controversiam, nec eget mechanicâ, aut artificiali demonstratione.

Porrò, *pag.* 59. *lin.* 18. pergit: *Sic citra distillationis artem, veteres viperinum alcali sale armoniaco naturali associare tentarunt.*

Veteres itaque, postquam occultam, alcalium (ex animalibus) volatilium differentiam, & salis communis & cireniaci aciditatem ex Hippocrate (a) *sub facultatum nomine animadverterunt, cœperunt stratificare viperas, cum sale armoniaco vel cireniaco naturali, ut ait Plinius, supra citato loco; sicut viderunt de urina & sale, eo fine, ut viperarum alcali combiberet tantum, de acido sale, quantum sufficeret, ne sponte in fugam abiret. Hanc compositionem tunc non sine levi conjectura vocarunt sal Theriacale, eò quod didicerant, viperarum carnem, multa venena superare (imo ingenioso viperino decocto, non semel Gallicam luem in delicatulis extinxi) consequenter, ratione mumialis fermenti eandem facultatem, alcali viperinum continere debere.*

Hæc veterum contemplatio, non tam infantilis, & absurda videtur, ut reformator (b) *in textu scribillat, ipsius sanè absurdior multo, quòd avorum memorandas excogitationes non intellexit. Quod verò illis injicit non habuisse purificandi artem, verum quidem est, sed propterea non sunt calumniandi, neque honor illis destrahendus, multò minus cachinno exponendi, sic enim jubet Doctor meus: post multa secula fortasse deridebitur & reformator, quod tam absurda, suo tempore scripserit, nunquam enim deerit occasio, post mille millia annorum, nova & meliora inveniendi & addiscendi, eò quod rerum natura* (c) *sacra sua, non simul tradat: illius arcana non promiscuè, nec omnibus patent, reducta, & interiore sacrario clausa: ex quibus aliud hæc ætas, aliud quæ post nos subibit accipiet. Audi & Hippocratem meum, multo modestius, de hac re loquentem* (d) *Immerito ullus ipsorum reprehendatur inquit: propterea quod invenire non poterat; imò laudandi potius omnes, quod investigare conati sunt.*

Jam verò, *Hippocrates nuper enate*, meum est, ut tuam crassam ignorantiam, & absurditatem, tibi ad oculum demonstrem; cùm absurdissima quæque contra Reformatorem defendere, illumque iniquè cavillare, unicè allabores. Primò: quòd Veteres viperinum alcali sali (non, sale; est vitium Syntax.) Armoniaco associare tentârint, falsum & sesquipedale mendacium est: ob idque injuriosus es in Venerandam Antiquitatem, quòd absurditatem hanc illi appingis. Nec enim sal viperinum, aut viperinum alcali, tuo etymo, citra destillationis artem unquam parari potest: & Veteres, uti tu ipse fateris, rerum veram analysin nondum noverunt, neque salem viperinum pararunt unquam, ut neque sciverunt: &, si novissent, aut salium volatilium, ex animalibus, cognitionem habuissent; revera absurdam illam salis Theriacalis confectionem minimè suscepissent aut dispensassent: quam tu, *magne Hippocrates*, defendendam in te suscipis. Sed audi, quæso! quæ absurda, absurdissimus ipse, defendas. Posito enim, quòd Veteres salem viperinum etiam in substantia habuerint, & sali Armoniaco, vel Cireniaco, associarint, quod

a lib. 1. de diæta.

b fol. 481

c Seneca lib. 7. quæst. natural. cap. 31.

d lib. 1. de diæta.

quod clarè, *pag.* 59. *lin.* 19. affirmas, ac ſi ipſa eſſet veritas, (licet falſiſſimum ſit, ac tu ipſe, tibi ſtatim contrarius, *pag.* 60. *lin.* 26. aſſeras, quòd Veteres artem purificandi, aut ſeparandi potiùs, non habuerint) quantum, igitur, putas, ſalis dicti viperini volatilis, ex quatuor tantùm viperis, elicere potuiſſent? Tu expertus es in deſtillatione ſalis dicti viperini volatilis; ediſſere, quæſo! quantum quatuor viperæ tantùm ſalis dicti præbent? Revera, juxta meam experientiam, vix ac ne vix quidem dimidiam unciam. Et, poſito iterum, habuiſſe dimidiam unciam ſalis ſæpe dicti viperini, illamque aſſociaſſe quadraginta libris ſalis Cireniaci fixi, cremaſſe tandem utraque, unà cum aliis ſpeciebus quamplurimis, utpote trochiſcis, ſcillis, &c. in ollâ ſpiraculis pervia, ad lucidam uſque flammam exeuntem: remanſiſſetne illa dimidia uncia ſalis viperini, cum adjectis quadraginta libris ſalis Cireniaci, vel communis, in reſiduo? Tuo ipſo, *magne Hippocrates*, judicio, non: neque etiam meo. Nam, ſicut ipſe aſſeris, & in ſublimatione ac præparatione ſalis Armoniaci verificatur, ſalia volatilia, de aciditate ſalis communis, tantum ſaltem imbibunt, vel recipiunt, quantum, pro ſui ſaturatione, & ſublimatione in formam ſalis Armoniaci ſolidam, ſufficit; non verò, ut perfectè fixentur, aut tam ſtrictè ſe invicem amplexentur, ut in reſiduo, cum ſale communi, aut Cireniaco, verè & inſeparabiliter, in igne conſtanter unita & fixa maneant, ſed ut eleventur in altum, & ſublimentur. Si ita eſt, uti veriſſimum, experientiâ quotidianâ teſte, & tuâ ipſius doctrinâ confirmatur, dic, amabo, ediſſere ſine fuco, quid remanſiſſet de ſale viperino, cum ſale dicto Cireniaco, poſt violentam calcinationem, &, uti loquuntur Veteres, donec clara ac lucida flamma per ollæ ſpiracula prodierit? Nihil, *nove Hippocrates*, nihil, & ne granum quidem: quia calcinatio illa violenta violentior eſt omni ſublimatione. Si autem, in ſublimatione, ſalia volatilia cum ſale communi, aut Cireniaco, non ita ſtrictè ſe invicem amplectuntur, ut unita & fixa in reſiduo maneant, ſed ſaturata ſaltem ab aciditate ſalis communis, aut Cireniaci, nihilominus ſublimentur, & ſublime petant, adhuc volatilia; ergò nec, in tanta ignis tortura, lucidæ ac claræ flammæ reſiſtere poſſunt, quin ad montes Olympi, nullo quidem ſuo veſtigio relicto, protinus ferantur: quæ omnia in ſublimatione ſalis Armoniaci palam fiunt. Vides igitur ipſe, quàm infantilis & abſurda ſit tua contemplatio, & quòd abſurdius multò, quàm Veteres, ſcribillaveris.

Secundò: Latæ tuæ ſententiæ, & priori aſſertioni, *pag.* 59. iterum contrarius, & divinum Coum porrò, ex lib. 1. de diæta, frivolè invocas: *Veteres, ais, caperunt ſtratificare viperas, cum ſale armoniaco vel cireniaco naturali, &c. pag.* 59. *lin.* 28. Veteres ſtratificaſſe Viperas cum dicto ſale Cireniaco, tibi facilè concedere poſſem; licet genuinus textus de ſtratificatione nihil habeat, ideoque falsè iterum Antiquos accuſes: *ſed accipiebant* tantùm, juxta genuinum textum, in Pharmacopœia Auguſtana fideliter promulgatum, *quatuor viperas recens captas, nec ultra biduum detentas; has olla munda, ex optima terra effica, imponebant; ſuper has ſalis Armoniaci* (nihil loquuntur de tuo non ente, ſale Cireniaco, qui eſſe deſiit, teſtibus plurimis, Cæſio, Matthiolo, Wormio, &c.) *aut vulgaris albiſſimi, libras viginti injiciebant; deinde verò addebant his Trochiſcos ex Gentiana, Ariſtolochia rotunda, Centaurio minore, Cardamomo Marrubio, Scordio, Apio, Chamædry, ac ſemine Ruta domeſtica, cum melle, paratos; his inſuper jungebant quinque prægrandes ſcillas recentes, in minuta fruſtra diſſectas, ſalis prædicti vulgaris, vel Armoniaci, rurſus viginti libras adjicientes. Quo facto, ollam operculo, ſpiraculis, ſeu foraminibus, pervio tegebant, commiſſuras vaſis luto quàm optimè obfirmantes, &, ſuccenſo igne, materiam omnem, primò ſenſim, tum potentiùs, exurentes. Primus enim fumus, per operculi ſpiracula exiens, ignem jam viperas invaſiſſe, denotabat; à cujus halitu ne interficerentur, ſtudioſè cavebant: perfectam vero uſtionem clara ac lucida flamma, per ſpiracula prodiens, indicabat. Hoc peracto, igneque paulatim extincto, vas id teſtaceum, viperas, unà cum reliquis jam dictis, continens, viginti*

ti

ti quatuor horarum spatio, refrigerari permittebant; tum vero materiam, in eo contentam, tenuissimè tritam, cribro transmittebant, addendo ei denuò semen Rutæ, grana Iuniperi, semen Fœniculi, Coriandrum, Mentham, & Piper longum, ac alia simplicia, quæ alioquin ad Theriacæ compositionem requiruntur. Is erat Sal Theriacalis Antiquorum, prout videre est apud Galenum, lib. de Theriaca ad Pisonem, & Aëtium, tetrab. 4. serm. 1. cap. 97. nec non Dioscoridem, loco supra citato: licet inter Veteres aliis alii, ejusmodi sales parandi, modi ex usu fuerint. Huc usque ex Pharm. August. pag. mihi 274.

Nunc, *Hippocratice Philosophe*, posito, stratificârint (nam de stratificatione, quam frivolè asseris, nobis sermo est) sive infernè posuerint, juxta genuinum textum, quatuor Viperas, (Mihi quidem perinde est. Nam *de lana caprina* tecum *rixari* nolo) & tantâ violentiâ ignis, cum quadraginta libris salis Armoniaci, seu tui Cireniaci, aut vulgaris, aliisque multis vegetabilibus, cremârint, quoad lucida ac clara flamma, per spiracula ollæ, aut operculi, prodierit: potuitne, in illa ignis violenti tortura, parum illud salis Viperini volatilis, quod quatuor tantùm Viperæ continent, unà cum prædictis quadraginta libris salis Cireniaci, aut vulgaris, & tot simplicium vegetabilium, ac scillarum, carbonibus (quia in clauso vase cineres nunquam efficiuntur) inviolatè remansisse, quin æquè, ac si ipse sal Viperinus volatilis sali vulg. aut Cireniaco, & speciebus aliis, additus fuisset, aciditate à sale Cireniaco; aut communi (uti dicis extra ignem communicabili) sufficienter arreptâ, ad auras, & cacumina Olympi, instar salis Armoniaci, avolarit, nullo sui vestigio quidem relicto; uti contingit in ipsa salis dicti Armoniaci vulgaris, & artificialis, præparatione? Etenim sales volatiles animalium nunquam perfectè fixantur, ut constantes in igne maneant, neque à sale ipso, neque spiritibus ejus acidis; quin protinus, aucto paulisper igne, haud secus, ac sal Armoniacus vulgaris, auras petant, vel si in vase clauso, capitello suo munito, sursum sublimentur. Vides proindè iterum, *Hippocratice Philosophe*, quantum in tam jactabundè excogitatâ hâc stratificatione tuâ sit inane.

Tertio: Neque rationi consonum, imò absonum, mihi videtur, quòd integras Viperas, &, uti ex contextu liquet, vivas, tantâ copia salis & vegetabilium obruerunt, adunitis capitibus, caudis, spoliis, & spurcitiis, turgentibus interaneis, felle insuper, & vesiculis sub dentibus falcatis, flavo liquore oppletis; in quibus jam recensitis partibus quin particula veneni lateat, nemo est, qui ambigat. (Plura id edocuêre tragica spectacula, etiam me non nunquam arbitro, & periculo defuncto, dum capita, quondam, & caudas Viperarum, in vase clauso siccare, curiositas compulerat, & proximiùs accedendo, pœnas luere coëgit; non obstante, quòd, cum Helmontio, asseram; potiores Viperarum, aut aliorum venenatorum animalium, deleterias vires in imagine iræ delitescere.) Quòd si hoc verum, uti indubitatum est, quis nunc ambigat, venenatam illam qualitatem, quæ in interaneis etiam hospitatur, sali Cireniaco, & vegetabilibus, communicari, ac fortiùs imprimi his, quàm eorum sal volatilis, paucus, & vix annumerandus. Sed replicabis; hanc deleteriam qualitatem violentiori igne avolare, neque sali vulgari, aut Cireniaco, communicari; quod ultrò tibi concesserim. Verùm, à pari argumentando, dico, quòd, sicut hæc qualitas ab igne disparet; sic à fortiori Viperarum sal volatilis, ignis dominio, evanescat, & auras petat.

Quartò. Et, licet, quæcunque hactenus acta, ultrò admiserim, tibi in favorem, *Tacheni*; salem nimirum Viperarum volatilem, ejusque virtutes, à concrematis viperis in residuo depositari, cum sale vulgari, aut Cireniaco; quod tamen falsissimum; etiam si tuam ipsius explores conscientiam, (si quam habes) sententiam, & verba: quid tandem, post hosce conatus, emolumenti habituri sumus? An non, cum Discipulis, in monte, demiremur miraculum, tot hominum millia saturatum iri paucissimis fragmentis: ecquid tam parum inter tam multos, vociferantes? Profectò, majora sunt hæc tua prodigia, dum quatuor Viperæ (etiam odoretenus, ut olim ajebas) quadraginta libras

bras salis tui Cireniaci, vel vulgaris, debent informare, quin imò imprægnare validis virtutibus, accedentibus tot carbonum libris, residuis à vegetabilibus exustis, cum sale perdurantibus. Profectò, multa millia granorum salis vulgaris, aut Cireniaci, & residuorum carbonum, ne dimidio grano salis Viperini saturarentur, aut gauderent. At quas hoc augmentum vires ægris tributurum sit, L. B. secum ipse perpendat, ac cum *Tachenio* exultet, tàlia se arcana crevisse.

His feliciter jactis fundamentis, judicent Viri sapientiam professi; judicent Chymici & exercitati Pharmaciæ Magistri, an non tota vita *Tachenii* ventus sit: an non doctrina *novi Hippocratis*, fumus: an non actiones, fastus & superbia. Nulli ampliùs, ex dictis, obscurum erit, desumere; quòd Veterum, de sale Theriacali, contemplatio non modò perfectior fuerit, verùm &, in comparatione hujus, quam repudiamus, *Tachenii*, frivolæ, insolentis, & Tironibus probrosæ, sententiæ, sit absolutissima. Et tamen prodit in scenam Nugator: jam Morionem, jam Magistrum, & *novum Hippocratem*, agit, Reformatorem increpat & lacessit, qui sanam doctrinam sine fuco dictavit, Medicinæ consuluit, ac neque Majoribus, & sacræ Antiquitati, neque Posteris, injurius, ea divulgavit, quæ sibi à Deo, pro talento, & ingenio, fuêre concredita. Verùm molliculus hic noster, & Melitæus catulus, *Tachenius*, pulpamenta quærit, & molles delitias: adulari nunc vult Antiquitati, immundo corde; palliare errores; vitia vitiis cumulare; ire denique, quò itum, non, quò ratio, eundum esse, suadet. Hinc illæ lacrymæ, *fol.* 60. *lin.* 27. quas, pro veneranda Antiquitate, Crocodilo livor & superbia expressit. *Propterea* (Veteres) *non sunt calumniandi, neque honor illis detrahendus, multò minus cachinno exponendi.* Sed priusquam respondeam (recole tecum, mi *Hippocrates*; quæ, & quanta, debeas Universitatibus, Collegiis Medicorum Inclytis, Regibus, Principibus, *Dieterico*, summis & imis. Multa sanè & solutu impossibilia debes, *fama latro*, qui tot intulisti his Viris incommoda, probra, & maledicta) edissere: an calumniari sic licet; errores autem, ratione & experientia suffragante, non moderari? Ego venerandam Antiquitatem derisi nunquam, minùs calumniatus, sed, nostris prospiciens sæculis, probos Majorum conatus fulcire studui, ac ea restituere, quæ, labentibus annis, aut degenerârunt, aut, instar inutilium stolonum, in Arte luxuriabant. Novi benè, *Tacheni* (& vel alto te premente silentio) quòd non omnibus sit obvium, adire Corinthum; & multos esse Thyrsigeros, nec tamen omnes Bacchos. Novi, quòd sapientiæ sacrarium binis obseretur repagulis, nec aliis pateat clavibus, nisi industriæ & pietatis. Novi, quòd sapientia tota simul participabilis in hâc vita non sit, sed, cum Jano, bifrons, præsens & futurum recipiat; &, ut ais, ex *tuo Hippocrate, lib.* 1. *de diata, ideò neminem esse reprehendendum, quòd omnia invenire non poterat.* Vera hæc sunt, & verissima. Sed interim, ut incultus ager Medicus squaleat, infame lolium serpat, zizaniæ adolescant, errores tueamur, talenta sepeliamus, te, denique, *nove Hippocrates*, æmulemur, tantùm fastuosis, vanis, & fictis pollicitationibus, caliginoso stylo, verbis amphibologiâ plenis, proborum calumniis, & peregrinis nos ostentantes spoliis: hoc à Reformatore alienum hactenus fuit, qui, veritatem recolens, maluit sincerus, & proximorum saluti intentus, audire, quàm tecum in *novum Hippocratem* molli hæderâ inaugurari. Miror, profectò, zelum & spiritum phantasticum, qui te incessit, *Tacheni*, quòd Majorum, & vitâ functorum sapientum causam in tantum suscipias, (qui vivis non parcis) cùm tamen & ipsi, è tumulo redivivi, meis non succenserent conatibus, quòd inventis eorum complura adjunxi, ac eorum imbecillitati, meliora substituendo, amicè consului. Nam & sic de Platone statuisse, constat, Aristotelem: sic Senecam, de Philosophis, ac Stoicis: sic, olim, Athenæa & Lycea: sic nunc agunt Universitates: sic factitavit Orbis, in ævum & sæcula prosequenda. Quid enim aliud egit Antesignanus noster Galenus, qui dexteriorem salis Theriacalis apparandi normam ævo suo introducere voluit? Quid Oswaldius Crollius, nobis vicinior? Quid Quercetanus? Quid Beguinus? Quid, post innumeros,

numeros, D. D. Augustani ipsi, quorum authoritas fatuum splendorem tuum, & ignem, facilè tumulat? Quid aliud docet, *pag. 271. Pharmacop. August. cum Animadvers.* quàm quòd *moderna tempora, quorum labore, vel industria, Veterum adinventa nonnihil perpolita subsistunt, colubrinos hos, seu viperinos, sales aliter, & magis dextrè, conficere didicerint, qua in re summum suum culmen attigisse, meritò sunt existimanda.* E quibus omnibus facilè elucescit, quo merito, & gloriâ, quo encomio & suffragio, literati sæculi nostri, quin imò & retroagendæ Posteritatis, tu, *Tacheni*, dictos conspicuos errores, quos & ipsi D. D. Augustani jam dudum proscripsêre, multorum indignatione, nonnullorum verò risu, pro plausu postliminiò revocaveris, ac te vindicem, severumque judicem Pharmacopœiæ Augustanæ feceris, multorum ipse criminum Pater. Salve igitur, fidissime Augustanæ Pharmacopœiæ Tutor, & Zwelferi Reformator: hanc tibi non invideo clientelam, quam, omnium ludibrio, (tot spurios adoptando errores) in te sumpsisti, nec non inglorie hactenus gessisti; turpiter absoluturus, *Tacheni*.

Scrutemur ulteriùs acta *Hippocratis novi, pag. 61. lin. 21.* ubi salem Viperinum Reformatoris, ejusque doctrinam sugillat his sequentibus: *His intellectis, videamus nunc, qualem prærogativam & præcellentiam habeat sal viperinum Reformatoris præ veterum inventis; quod illi præparare tentarunt facili operatione; hic magno sumptu; operoso labore, pomposo & solenni ostentatione ac triumpho.*

Distillatum viperinum alcali (sub titulo (a) proprio) ex retorta, combibit spiritum salis communis acidum, quem ostendi, citra distillationis artem, cum addito alcali, separabilem esse: ex illa copula, acidi nimirum salis, & alcali viperini fit sal commune (b) istud sal commune cum igne arena si presseris, elevatur in sal armoniacum artificiale, omnes ejus proprietates habens, quod probatur hac mechanica.

a pharm. fol. 486.

b sal viperinum reformatoris est sal commune.

Commisce pulverem salis tartari (id est alcali tartari fixum cum æquale parte salis viperini reformatoris, hanc mixturam, distilla per retortam, in arena positam, & videbis statim alcali ex viperis per collum adscendere, eò quod fixum alcali tartari, apprehendit salsem acidum, tunc alcali viperinum acidum locium lubens derelinquit, dum cogitur à calore in fugam abire. Fac idem cum sale armoniaco vulgari, & differentiam nullam deprehendes: adeoque quod veteres, cum salis corpore, reformator cum salis spiritu, majore cum labore & sumptu perficit: & si veterum sal viperinum erat inutile ut ait, reformatoris eandem habebit proprietatem.

Alcali viperinum purum.

Sed pace Virorum, & Medicorum Coronâ, procedit in publicum iterum noster *Tachenius*, multorum mendaciorum & fraudum bajulus; è quibus statim binas imposturas foro sistam. Nam, primò: hæc eadem, de sale Viperino, theoria & parandi methodus, quam in me sugillare & taxare nititur *Augustan. vindex*, est illa, verbo & re, præparatio, quam olim, in Patavinis Collegiis, Auditoribus, Doctissimis viris, dictavi & consignavi: hanc deinde, furto mihi ereptam, Celsissimo Principi, Friderico, Holsatiæ & Slesviciæ Duci, pro magno secreto, & vero sale Viperino, communicavit; à quo etiam se aureâ Catenâ, pro præmio, donatum gloriatus est. Et eadem hæc descriptio, dicto Celsissimo Principi communicata ad nos denuò Patavium, ab amicâ manu delata est. Subrisi autem, & in villico iniquitatis astutiam, & ingenium, demiratus sum, & obstupui. Nunc quæro, *Tacheni*: illa, quam tanto Principi consignasti, apparandi salis Viperini norma, genuinane fuit, an impostoria? Si adulterina, dignus, profectò, es pœnâ, *Tacheni*.

An nescis, longas Regibus esse manus?

Si verò genuina: ergò & illa, quam in Reformatore redarguis. Palinodiam ergo canito.

Secundò: Salis Theriacalis Antiquorum sufficienter ventilatam præparationem, quæ, uti ad oculum demonstratum, absurdissima, à *Tachenio* verò nihilominus omnibus viribus fulcitur, &, contra Reformatorem, mendaciis, probris multis, contradictionibus manifestis, per fas & nefas, vindicari vult;

dum è contra Salem Viperinum Reformatoris, qui dexterrimè, cum spiritu Salis, paratur, ex eo ipso fundamento, quo salem Theriacalem Antiquorum illic ignoranter defendere nititur, hic inscienter, sibi planè immemor, & contradictoriè, vituperat: prout ex textu, & meis desuper factis Animadversionibus, palam fiet. Ait autem, *pag.* 59. *lin.* 22. *Veteres itaque, postquam occultum, alcalium (ex animalibus) volatilium differentiam, & salis communis & cireniaci aciditatem ex Hippocrate lib.* 1. *de diata, sub facultatum nomine animadverterunt, caperunt stratificare Viperas, cum sale armoniaco vel cireniaco naturali, ut ait Plinius, supracitato loco; sicut viderunt de urina & sale, eo fine, ut Viperarum alcali combiberet tantum, de acido sale, quantum sufficeret, ne sponte in fugam abiret.*

Videsnè, *Tacheni*, quòd in hoc textu expresse admittas, & laudes, salem Theriacalem, seu, uti dicis, Viperinum alcali, quod tantum de acido salis, hoc est, de spiritu salis vel vulgaris, vel Cireniaci, combiberit, quantum suffecerit, pro sui saturatione, ne spontè in fugam abiret: & illud alcali Viperinum, ratione mumialis fermenti, uti iterum dicis, continere eandem, à Viperis, facultatem? Cur igitur apertè, & turpiter, tibi contradicis, quando salem Viperarum Reformatoris, qui dextrè & legitimè, cum spiritu salis, vel, uti dicis, cum acido salis copulatus est, vituperas, spernis, & illum pro sale communi, omnes ejus proprietates habentem, mendaciter proclamas? Confirmas præterea tuas manifestas contradictiones, *pag.* 62. *lin. antepenultima*, ubi ais: *adeoque quod veteres, cum salis corpore, Reformator cum salis spiritu, majore cum labore & sumptu perficit: & si veterum sal viperinum erat inutile, reformatoris eandem habebit proprietatem.* Nunc, à pari, ego infero: Si Veterum sal Viperinus (Theriacalis) erat utilis, & magnarum virium, quòd, uti dicis, cum acido salis fuit copulatus: Ergò & Reformatoris, qui dexteriori modo, uti, in præcedentibus, clarè demonstratum, cum acido salis pariter copulatus est, non erit sal vulgaris & inutilis, sed magnarum virium. Et sic manifestè es convictus, ac iterum apertè mentiris, quando, *pag.* 62. *lin.* 6. *in eodem Paragr.* sesquipedali contradictione, iterum ais: *Ex illa* (scilicet Reformatoris) *copula, acidi nimirum salis, & alcali viperini fit sal commune: istud sal commune, cum igne arena si presseris, elevatur in sal armoniacum artificiale, omnes ejus proprietates habens*: & his, *eadem pag. in subsequenti statim paragrapho, lin.* 14. iterum crassissime contradicis, taliter: *Commisce pulverem salis tartari id est alcali Tartari fixum cum æquale parte salis viperini reformatoris, hanc mixturam, distilla per retortam, in arena positam, & videbis statim alcali ex viperis* (notet L. B. benè iterum alcali, ex Viperis) *per collum ascendere, eò quod fixum alcali tartari, apprehendit salem acidum* (vult dicere, spiritum salis acidum) *tunc alcali viperinum* (observa iterum, alcali Viperinum) *acidum socium lubens derelinquit, dum cogitur à calore in fugam abire.* Cernis, ni fallor, *Tacheni*, ex his iterum stupidissimum tuum ingenium, aut iniquam indolem. Non enim vereris, aut te pudet, in uno atque altero paragrapho, paucisque lineolis, ter quatervè tibi contradicere & mentiri. Quomodo enim comparantur sequentia: Nimirum: *ex copula acidi salis, & alcali Viperini Reformatoris, fit sal commune?* Et superiùs laudasti salem Viperarum Antiquorum, qui itidem *cum copula acidi salis* paratus est, *& tibi, ratione mumialis fermenti, cum viperis eandem habet facultatem.* Porrò: *ex copula salis tartari, & salis Viperini Reformatoris, sublimatur & separatur iterum sal Viperarum volatilis; quatenus acidum socium*, scilicet spiritum salis, *derelinquit, & per collum retortæ ascendit.* Iterum: *Hoc sal* (scilicet Reformatoris) *si prematur igne arena, elevari in sal armoniacum artificiale, omnes ejus proprietates habens.* Quot verba, tot ferè contradictiones. Audi itaque: Si sal Viperarum Reformatoris, quando igne arenæ premitur, in salem Armoniacum vulgarem elevaretur, omnes ejus proprietates habentem; quomodo posset, addito sale Tartari, sal Viperarum volatilis ex illo denuò separari? Quod tamen superiùs asseris expressè, *pag.* 62. *lin.* 14. *& seq.* quia

ex

ex ſale Armoniaco vulgari, addito etiam ſale Tartari, ſal volatilis Urinæ ſublimatur, quod expreſsè in aliis locis iterum confirmas: ergo non ſal Viperarum. Porrò: Si ſal Viperarum Reformatoris, quando igne arenæ premitur, in ſalem Armoniacum elevatur, omnes ejus proprietates habentem, uti dicis, *pag.62. lin.10.* ergò non eſt ſal communis; & falſum eſt, quòd *eadem pag. 62. lin. 6.* garris: *ex illa copula, acidi nimirum ſalis & alcali Viperini fit ſal commune.* Et mentiris iterum craſſiſſimè *in margine, ejuſdem pag.* ubi ais: *Sal Viperinum Reformatoris eſt ſal commune.* Impoſſibile enim eſt, ut ex ſale communi ſal Armoniacus ſublimetur, omnes ejus proprietates habens. Impoſſibile eſt, ut ex ſale communi, addito ſale Tartari, ſal Viperarum volatilis eliciatur. Quis unquam tot abſurda protulit, cogitavit, ſcripſit, audivit? Et his apertis mendaciis, manifeſtis contradictionibus, audet *Hippocrates novellus* in ſcenam prodire, & mundo imponere. Placet iniquo homini impoſtura, ut ex quatuor tantùm Viperis quadraginta, & plures, libras ſalis Viperini, magno quæſtu, præparet; cùm, juxta Reformatorem, ex centum Viperis pauculæ tantùm unciæ, ſed veri & realis ſalis Viperini, ſine fraude, ſine impoſturâ, eliciantur. Adeoque vera illa Reformatoris Viperini ſalis confectio, non eſſet *Tachenio molliculus caſeus*; quia multum æris & laboris pro eo parando impendendum. Si quis proindè rationis capax, & ſanæ mentis eſt, de facili impoſturam & iniquitatem hujus hominis cernere poterit, & vel manibus palpare, quòd nimirum laudet & commendet Antiquorum ſalem Viperarum, ſeu potius Theriacalem, paratum ex quadraginta libris ſalis vulgaris, aut Cireniaci, & multis aliis vegetabilium carbonibus, quatuor tantùm Viperis adjectis; ſalem verò Viperarum, qui verus & legitimus Reformatoris, cum ſpiritu ſalis dextrè copulatus & præparatus, ſalem eſſe, afferat, communem, in ſalem tamen Armoniacum ſublimari, omnes ejus proprietates habentem; & iterum, ex hoc ſale vulgari Armoniaco alcali Viperarum extrahi poſſe. Clariùs dicam: Sal Viperarum Reformatoris, ſcilicet Zwelferi, *pag. 278. Animadv.* dextrè & legitimè deſcriptus, ſincere, ſine impoſtura, ex puris Viperis, abjectis capitibus, caudis, ſpoliis, & interaneis ſpurciſſimis omnibus, purè etiam, ſine ulla additione, per deſtillationem extractus, ab oleo, & ſpiritu fœtido, ſtudioſè & debitè ſeparatus, & tandem dexterrimè cum acido ſalis, ſeu ſpiritu ſalis, copulatus ſeu ſaturatus, (in qua ſaturatione, uti videtur, de virtutibus mumialibus nihil deperdit, quia iterum in ſuum priſtinum eſſe, & volatilem ſalem, qui anteà erat, reduci poteſt,) non deſtruitur, ut neque in pondere augetur, ſed ſolùm à nimia volatilitate, per ſpiritum ſalis, nonnihil fixatur, ut fiat ſal acido ſalſus, impermutabilis, totum corpus penetrans, boni ſaporis & odoris, & multarum virtutum. Hic ſal, inquam, Viperarum, legitimè elaboratus, impoſtoriè, pro ſale communi proclamatur, à *novo Hippocrate*; qui tamen, rei veritate convictus, affirmat, poſſe in ſalem Armoniacum ſublimari, ac ex illo ſale Armoniaco alcali Viperarum denuò elici: iterum, & è contra, Salem Antiquorum, ſeu Veterum, Theriacalem, uti dicit, Viperinum, confectum ex quadraginta libris ſalis communis, vel Cireniaci (quod benè obſervetur: xxxx. libris) & multis inſuper carbonibus diverſorum vegetabilium, qui huic copiæ ſalis etiam conjuncti remanent, omnibuſque his quatuor tantùm Viperis integris, cum capitibus, caudis, ſpoliis, & interaneis omnibus ſpurciſſimis venenatis adjectis, quarum Viperarum ſal volatilis, quem nimirum continent (vix autem ac ne vix quidem uncia dimidia ejus erit) copuletur, in calcinatione, cum aciditate enim, vel acido ſalis, & tamen non deſtruatur, ac in calcinatione violenta non avolet: non fieri, nec mutari, in ſalem communem, neque in ſalem Armoniacum; ſed totam hanc maſſam, quadraginta ſcilicet, & ultra, nimirum librarum, nigerrimam, carbonibus multis permixtam, ipſo aſpectu abominabilem, eſſe ſalem Theriacalem, ſeu Viperinum Antiquorum præſtantiſſimum, memorabile inventum, & continere, ratione mumialis fermenti, virtutes Viperarum integras, quas Veteres ſic dextrè ſali Armoniaco ſociaverint; adeoque longè præfe-

præferendum ſali Viperarum Reformatoris. Siccine mundo imponis? Sic, mentiri craſſiſſimè, non erubeſcis? Linguâ ne exprimi poteſt hyperbole impudica, cùm linguæ, tum calami? Nonne hæc ſuperiùs delineata tua mens eſt? Nonne iniquæ aſſertiones tuæ, craſſæ & perſpicuæ contradictiones? Eſtne ſal volatilis Viperarum, copulatus cum acido, vel ſpiritu, ſalis, ſal communis? Habetne eundem ſaporem, eandem formam, eaſdem, & non alias, virtutes ac efficaciam, eandem denique fixitatem? Sal communis eſt ſal fixus, non ſublimatur, in igne conſtans, &, inſtar metalli, liquabilis, præbet in deſtillatione ſpiritum ſaltem acidum, nullo ſale volatili prægnantem: ſal verò Viperinus Reformatoris, cum ſpiritu ſalis nonnihil fixatus, eſt adhuc volatilis, &, ſi igne paulò fortiori prematur, fertur ſurſum, & ſublimatur: hic, addito ſale Tartari, ſeparatur iterum in ſui primigenium eſſe, in ſalem Viperinum volatilem, juxta ipſiuſmet delirantis & rabioſi *Hippocratis novi* aſſertionem, & clara verba, *pag. 62. lin.* 20. Porro: eſtnè ſal Viperarum Reformatoris nonniſi ſal Armoniacus, uti iterum dicis, quomodo poteſt eſſe ſal communis, & ſal Armoniacus, ſimul? Sal vulgaris, ſeu communis, uti dictum, eſt totus fixus, conſtans in igne, & liquabilis, ad inſtar metalli; ſal verò Armoniacus eſt totus quantus volatilis. Sal Armoniacus vulgaris, ſi jungitur ſali Tartari, reddit denuò ſalem urinoſum à copula acidi ſalis liberatum. Sic etiam ſal Viperarum Reformatoris, ſi pariter ſali Tartari jungatur, præbet, vel reddit, denuò ſuum ſalem volatilem Viperarum indeſtructum. Et hæc ex tuis ipſiſſimis aſſertionibus (dico contradictionibus) & verbis: *pag. 62. lin.* 19. 20. item *pag.* 63. *lin.* 8. *& ſeq.* Ex tuis proindè verbis te judico; & eruo, quòd habeas ſpiritum contradictionis, nullam verecundiam, in mendaciis, nec non centenis abſurditatibus, proferendis; modò mundo, & reipublicæ Medicæ imponere poſſis, & Reformatorem pro libidine & rabie liberè calumniari. Nam: *In mundo es.* Sed retorquentur iniquè evibrata tua in Reformatorem tela; & authorem petunt. Diſce impoſterum cautiùs mentiri, aut mercari.

Quæ, *pag. 63. lin.* 27. de ſpiritu ſalis Armoniaci acido & ſalſo cavillanter garris, quòd Reformator Pharmacopœos ruſticè de ſaporibus informet; non merentur reſponſum, aut longam refutationem. Mihi tecum de guſtibus non eſt diſputatio, qui inſulſus es; utpote cui jam pridem lingua occalluit. Quòd verò ſpiritum ſalis Armoniaci acidum & ſalſum ſpectat: ſcias, Reformatorem (vel te iterum altum ſilente) noviſſe, quòd ſpiritus ſalis Armoniaci acidus, cum frumento deſtillatus, aliquid, ſed parum, participet de aciditate frumenti: interim tamen non ignorat etiam, quòd, hoc non obſtante, potior & maxima pars hujus ſpiritûs ſalis Armoniaci, ſit ſpiritus ſalis, & quidem Armoniaci ſalis, ſpiritui ſalis vulgari non tantùm coæqualis aciditate, & homogeneus; verùm & virtutibus & efficaciâ, citra controverſiam, ſuperior. Et licet in *Tachenium* omnes conſpiraverint Muſæ, quin ipſe Æſculapius, & quidquid unquam Medicinæ Numinum fuit, inauditâ metempſychoſi in hunc virum commigrârint; nihilominus tam inſtructus non eſt, ut ex ſolo frumento talem ſpiritum ſalis deſtillet & appareat: de quo tamen grandia Philoſophatus eſt. Reformator interim hoc ſpiritu acido ſalis Armoniaci, cum frumento, minimè contentus, ad majora ſe extendens, operâ & induſtriâ Celeberrimorum Virorum & Pharmacopœorum Viennenſium, alium ſpiritum ſalis Armoniaci acidum apparavit, ſine frumento; at cum chalybe puro. Hunc dicti liberalis animi Viri, & charitate præfulgidi, juris publici fieri deſiderabant, ac bonis æquè ac malis communicari. Quis autem, & qualis, hic ſpiritus ſit, quoad virtutes & efficaciam, optimè Reformator novit, & dextrè delineavit, in Mantiſſa nova, & recens impreſsâ. Conſimilem ferè ſpiritum habet magnæ experientiæ Vir, Dom. Polemannus, in novo ſuo Lumine Medicinæ. Verùm ſi & prædictus ſpiritus forſan ad ſalivam & ſaporem non eſt *magni Hippocratis*, cujus animæ hactenus dotes omnes è lingua reſplenduêre, dum ſolus & unus in commendandis propriis detinetur; meliora ſubſtituat arcana, quæ, profectò, hactenus totus Hippocrates, etſi novus ſit,

Ta-

Tachenii non exhibuit. Nobis de virtutibus constat, & magno hoc auxilio: quid mirùm, quòd *ignoti nulla cupido?*

Novit ulteriùs Reformator, antequam novum hoc Medicinæ lumen nos obumbraret, ac tenebras nobis offunderet, quod sal Armoniacus, sali tartari copulatus, salem volatilem urinosum præbeat. Cùm autem, potiori ex parte, in forma liquoris quandoque transeat, dum destillatur, & spiritui urinæ liquido assimiletur, qui spiritus urinæ, pro maxima sui parte, sal Urinæ volatilis etiam est, phlegmate vel liquore adhærente solutus; igitur ex instituto, sciens ac volens, hunc salem volatilem Urinæ spiritum salsum urinosum nuncupavit: licet metaphora hæc visa sit *Tachenio*, sublimia tantùm, & magna, speculanti semper. Quòd autem hic spiritus acidus, & salsus Armoniaci ne guttam quidem de sale Armoniaco contineant, prout mirabilis hic Chymicus, *pag.* 63. *lin.* 19. audacter decidit; sesquipedale, profectò, mendacium est, & Græca metaphora. Et miror, eum hoc mentientium primum theorema jugi memoria continere non posse: quòd mendacem oporteat esse memorem sui: cùm, inquam multoties asseruerit hoc libello; salem Armoniacum ex alcali, vel sale volatili, urinæ, & acido salis spiritu, esse confectum, prout veritas etiam docet, & instruere deberet hunc Idiotam, toties suum repetitum theorema, nimirum: Ex his res componuntur, in quæ resolvuntur. Sed sal Armoniacus constat ex acido & salso: ergò, in acidum & salsum resolvi posse, infallibile principium est & axioma. Profectò, *Tacheni*, angusta tibi fit Hippocratis manica, cujus togam induisti: metuo, ne non in sacco & cinere pænitentia tibi sit agenda, quòd tanti Viri, & divini Coi, gloriosa insignia superindueris. Saccus enim in Philosophia eorum nota est, quos sæpius convictos, ne dicam, mentitos, vi formæ, demonstrant, & ad veritatis agnitionem compellunt. Sed ignosce, precor, *Tacheni*, quòd tam seria, mira, & non audita tua mysteria, quæ nova doctrina in tuo Hippocrate revelat, tam facetè tractamus. Nam hunc finem habent ludicra, & nanciscuntur insomnia, risumque movent nepotibus.

Porrò: *pag.* 63. *lin penultima & ultima*, Aquam Acovisticam, sive ad auditum, Mindereri defendit (utinam tibi proficeret, qui hactenus tam malè audiisti) ac sic ait: *Hæc enim aqua pro fundamento habet urinam & acetum hanc mixtionem, non solum reprobat reformator, quatenus credit, sine ulteriore inquisitione, salsum & acidum, inter se plane destrui: ignorans quod destructio unius, sit generatio alterius, sic opiniones suas, ut simia catulos suos amplectitur: sed insuper, conviciis, opprobriis & calumniis aspergit virum optimum, qui experientiam, candidè & sine fuco, publico bono communicavit. His non obstantibus, reformator more suo in Appendice* (a) *sic scribillat: præter plurima absurda, video acetum & urinam affundi, quæ invicem plane contraria sunt: nam urina animalis distillata præbet spiritum salinum acrem, acetosorum spirituum omnium destructorem.*

Aqua ad auditum Mindereri.

a ad anim-adv. fol. 336.

Fingit iterum, velut araneus. Dic mihi, *novelle Hippocrates*, quo in loco calumniis dictum Medicum, Mindererum, proscindam, & opprobriis aspergam, ut iniquissimè testaris? Legistine, aut pervolvisti tantùm, quæ Reformatoris Animadversiones, *pag.* 283. quid Appendix, *pag.* 24. *super Animadversiones* de hac Aqua edoceant ex fundamento? Annon, si rigidus, vel potiùs Justus, esse, ac pro meritis hujus Autoris Compositiones & inventa tractare voluissem; centum errores & mendas potuissem, aut debuissem, emendare; cùm tamen vix decem revelaverim, prout B. L. & arbitro experto innotescet? Hos autem errores conspicuos callidus hic Veterator subticuit, solùm, quæ sibi ad Rhombum sunt, nequiter commemorans: cùm tamen ubertim, in *Appendice ad Animadvers.* de his, *pag.* 24. egerim; ubi etiam de Urina capræ, & aceto squillitico, perperam huic Compositioni additis, & de imprudenti connubio disparium liquorum, uberiùs tractavi. Ad quæ pisce & ranâ Seriphiâ taciturnior, hactenus obmutuit. Falsum igitur est, quòd multos, absque prægnanti causa, taxa-

verim errores in hac Compositione: sed, plures me modesto silentio præteriisse, hoc verissimum est. Transit veterator magno silentio Urinam capræ, & ait, *pag. 64. lin. ult. Ex commixtione igitur alcali volatilis urinæ, & aceti distillati, quæ ambo nunquam concrescunt, fit distillabilis, salsus & penetrantissimus liquor, & dubito, utrum in natura sit aliquid subtilius, &c.* Putas, seu dubitas, mi *Tacheni*: sed putare, & dubitare, errare est. Dicis, te dubitare: Ego te, dico, mentiri, & palam quidem. Nam etsi tibi concedam, quòd ex alcali, sive sale volatili, urinæ, & aceto destillato, (de quibus nec Mindererus, nec Reformator, verbulum habent) fiat destillabilis liquor, salsus & penetrans: (secundum magis & minus tamen; quod Reformatori notissimum) dicito tamen; num hoc contra Reformatorem militat? An non denuò es hyperbolicus? Præcepitnè Mindererus, in hac Aquæ Acovisticæ Compositione, salem, aut alcali volatile, assumi, an potiùs urinam? Resera oculos, & aures, lege, revolve. Secundò: Rationine consonum, dum Mindererus jubet, ut illa urina capræ, cum aceto squillitico & rutaceo, adjectis etiam plurimis ingredientibus, & sulphureis vegetabilibus, (quorum potior virtus in tenuitate partium facilè exhalabilium, maximè, si prolixè decoquantur, consistit) ad medias decoquendo, exhalet, priusquam destillationi committantur? Defende, si potes, *Tacheni*, cum pertinacia errorem hunc: quanquam vix defuturum te credo, qui absurdiora hactenus tuitus es. Tertiò: ad probam descendamus. Accipe urinæ capræ uncias octo, Aceti rutacei, & scillitici, ana uncias duas; coque illa junctim ad dimidias, & residuum demum destillationi committe: &, peracto labore, de labore triumpha. Quid nactus es? An nescis, quòd pars subtilior & exhalabilis urinæ, in qua penetrabilitatis ratio & vires consistunt, sive coquatur, sive destilletur, illico exhalet, residuo nigro crassamento, ex succo, effœto, & ad hos effectûs inutili; quod in urina capræ pariter accidit. Hocque postea crassamentum neutiquam in Balneo, sed igne Arenæ, salem volatilem reddit ac largitur. Profectò, *Tacheni*, vera dicis, *in margine: quod non capis, carpis*: nec tantùm, ut *Simia catulos*, sic tu malesana dogmata, verùm ut *ursus embriones*, tuos abortivos fætûs lingis & refingis, errores erroribus accumulans. Profectò, insignem nactus est encomiasten Mindererus! Præclarum, ut ajunt, custodem ovium, Lupum! utpotè, qui, per te, incidit in Scyllam, cupiens vitare Charybdim. Judica teipsum, *Tacheni*, & tuam absurdam defensionem ipse ride, gratulari ne sibi debeat Mindererus de tua defensione, an indignari. Ipse vide, quia omnia pejora reddis: adeoque pro Reformatore optimè facit, quod, *pag. 65. lin. 28.* efflas: *Judicent igitur nunc periti, non ne indignè perstringatur ab impostore* Hippocrate Chymico Reformator, Vir probus, qui Hippocratem Coum probè intellexit; &, quàm dissimilis illi sit nuper natus *Hippocrates Chymicus, ratione non utens*, quòd non solùm Reformatorem, sed & *alios doctos viros* omnes, *invidiosè calumnietur & sic animi sui impotentiam prodat*, optimè novit.

Pag. 66. sequentia habet: *lin. 7. Videamus nunc sal tartari, quod acidum combibendo, ab alcali viperino separaverat, & in retorta remansit, illud vocant (sed indignè) caput mortuum, præsertim illud à sale armoniaco vulgari, è quo spiritus urinæ prolectus est: istud caput mortuum, ex acido & alcali est compositum, & erit sine dubio salsi saporis, sicut sal viperinum reformatoris, ut & sal armoniacum vulgare, ut sæpius dictum & ostensum fuit, repeto hic aliud mechanicum, pro confirmatione.* Umbras iterum, & Babylonicam confusionem, affers, *Tacheni*. Et, si veritati indulgeam, arbitror, te ignorare, quid doctrinæ amplexêris. Jam enim alcali Viperinum tractas; jam ad alcali Urinæ devias, inscius ipse, quid sit residuum à destillatione salis Tartari, & salis Armoniaci, qui est sal acido-salsus; quatenus nimirum sal Tartari acidam partem salis Armoniaci absorpsit; quoniam salia lixivialia, & Tartari, purè salsa, majorem gerunt inimicitiam & activitatem in acidos spiritûs, quàm salia volatilia animalium; licet etiam purè salsa, alterius tamen ordinis ac indolis: uti supra demonstratum. Reliqua etiam, perfunctoriè scri-

scribillando, minimè pro dignitate argumenti, & amplissimarum sponsionum, absolvisti. Nam Reformatoris sal Viperinus Volatilis est per se purè salsus; spiritui verò salis legitimè sociatus, versus est in salem acido-salsum. Sicut etiam *sal Viperarum Tachenii*, si quis est, etiam acido-salsus est, & Mercurium, ex suâ solutione anti-Venerea Mercuriali, non præcipitat; si verò purum salem volatilem Viperarum infuderit; hunc utique præcipitabit. Desine igitur insulsus esse, dum salia tractas, ac benè distinguere disce, qui Doctoris nomen affectas.

Quæ à *pag. 66. ad* 70. continentur, vel ludicra sunt, vel popularia, & omnibus obvia. Quid enim notius, quàm urinæ & sudoris materiam definire? Quid sordidius, quàm indusiorum & interularum fœditates, sordes, ac immunditias tractare, & his lixivium destinare? Hæc ampliori non egent exegesi, utpote quæ argumenti & rei indignitas ultrò demonstrant. Habuisses quidem, mi *Tacheni*, destinatam arenam, in qua te pro viribus exercere licuisset, ac ingenii tui aciem ostentare; si promissis stetisses, ac generationem alcali volatilis in animalibus demonstrasses verè. Sed multa tibi restant verba, & inanes pollicitationes. Nam tibi etiamnum vacuum, in alcalibus demonstrandum, incumbit; quod si feceris, magnus nobis eris Apollo.

Nondum unam exsolvit obligationem, &, en! alterius fit debitor, promissis dives noster *Tachenius*, dum, *cap.* 12. pollicetur, se velle ostendere, *quomodo alcali volatile in animali, & eorum partibus* (verba formalia) *generetur*, *pag.* 68. interim nihil minùs promissis reddit, cum Nausiccâ, Alcinoi filiâ, lavandis indusiis, sordibus, sudoribus, lixivio apparando intentus; quasi his totius Medicinæ cardo absolveretur. Novit enim quisque, vel leviter instructus Philosophiâ, quòd animalia perfecta omnia volatilibus utplurimum constent, præter ossa, & modicam terram, morticiniis residuam. Unde sudor non erit alterius prosapiæ, quàm salsi saporis; (miror, *Tachenium* non dixisse, alcali saporis: illo enim etymo salia volatilia non dignatur, nec salsa vult, ut latibula quærat; quo ipso tamen sibi contradicit) cùm sudor & urina à Medicis plerumque ejusdem conditionis, seorsum nimirum excrementum dicantur; seu, quòd sit effluvium sensibile vaporosæ substantiæ, ex humidis quibusque corporis partibus, ac humoribus, elevatæ, vique naturalis caloris, locali motu, aut frigore, densatæ effluens per cutis porositates; & ita de Heredia definiat.

Sed ubi est, *Tacheni*, toties repromissa demonstratio, quâ nimirum ratione alcali volatile in animalibus generetur? Hîc Rhodus; hîc salta. An cum vacuo, in alcalibus superiùs remonstrando, & spatiis imaginariis evanuit? Vox es; prætereaque nihil, quoniam & vita ventus, & inanis sibilus.

Ultimus Capituli hujus paragraphus mihi risum & admirationem movit, *pag.* 70. *lin.* 10. Proinde eum hîc annecto. *Quomodo autem omnium animalium sudor, & quicquid insensibiliter exhalat & expirat, imò ex quo animal constat, salsedinem acquirat; nonnihil dilucidius explanabo, solius salis viperini gratia, hujus aciditas ut est occulta, sic etiam salsedo tanto subtilior gratiorque. Hujus inventorem, me esse profiteor, utut crepent alia momo: quod sequens Epistola testatur. Et licet propter parum lucellum, in hoc theatro, multi homines imperiti, homines natura instrumentorum & Hippocraticæ hujus doctrinæ rudes ignavique consederint, qui non sine nominis mei detrimento, nescio quid, improvidis & inexpertis obtruderint: sciant tamen lectores quod hactenus, clariore sermone, nullo mortalium exposui, quàm publico hoc scripto.*

Excusatio non petita suspectos facit reos. Credimus, mi *Tacheni*, omnium mirandorum, & tamen non auditorum hactenus, & quidquid Thaumaturgus *Hippocrates novus* tuus continet, te primum esse mobile, autorem & scribillatorem; quòd noveris, quâ ratione fiat sudor in animalibus, & quidquid per insensibilia spiracula natura exhalat. Portenta hæc sunt, quòd salis tui Viperini faber & conditor sis: interim literas Uriæ tecum affers, dum Epistolam D. Aurelii Severini citas, in qua D. Severinus loquitur de sale Viperino,

communicato sibi per D. Doctorem Wepferum; & petit ejusdem etiam parandi modum à te *novo Hippocrate*; uti & prædicti censuram. Sal autem prædictus Viperinus, à D. Doct. Wepfero communicatus prædicto Dno. Severino, meæ est descriptionis; nec non proprio meo assensu ipsi communicata fuit; prout, *in Animadv. nostris, pag.* 275. *col.* 1. clarè patebit. Et, quod amplius est, Tu ipse hanc parandi salis Viperini normam commendasti, in Epistolio quodam ad prædictum D. Severinum; imò eandem, planè de verbo ad verbum, descripsisti Serenissimo Principi, Friderico Hollsatiæ: ac triumphasti, *Cornicula*, peregrino plumarum ac alarum remigio. Præstolatur igitur adhuc hodie, ut video, D. Severinus salis tui Viperini historiam ac parandi modum; sicut ego olim à te, Patavii, responsum, & promissorum fidem. Et cur igitur nunc Reformatoris sal Viperinus displicet, quem toties collaudasti? Cur nunc ad salivam tibi non est? Cur vituperas, multiplicatis mendaciis, ac jam *salem communem*, *jam Armoniacum*, *omnes ejus proprietates habentem*, fingis, ac me tibi impostorem adjungis? Mox iterum inquis: *ex illo sale Viperino*, scil. Reformatoris, *alcali Viperarum*, hoc est, sal volatilis Viperarum, *addito sale Tartari*, *perfectè elici potest*; *& ex sale Armoniaco communi*, *sal urinæ volatilis*. Ubi sumus, *Tacheni*? In mundo. Combina tuas quisquilias & contradictiones. Per me licet sal Viperinus tuus sit, vel non sit, in natura: mihi ab his curis sunt feriæ hactenus semper, quando salem Tartari, vel Vini, essentialem, superiùs clarè communicatum, propriâ industria & inventione elaboravi: quem, sali Viperino tuo tam esse homogeneum scio, quàm ovum, ut ajunt, ovo; ut ut tibi crepent ilia *Mome*, quòd hoc secretulum tuum, *capseolum molliculum*, Talcum resolubile, publicari volucrim, & imposturæ larvam subtrahere. De lucello interim, & quæstu, quem hactenus hoc tuo sale Viperino instituisti, nec quæro, nec invideo. Tu videris, num liceat hoc pretium mittere in Corbonam. Ego interim hoc palam assero: me in tantum à te deceptum fuisse, qui tamen & ipse non novissimus Chymicorum sum, ut firmiter teneam & doceam; falsum & impossibile esse, salem Viperinum volatilem per se, ac sine addito, à fugâ coërceri, ac in salem fixum & durabilem reducere: quod tamen olim utraque buccâ gloriabaris, ac stipulatâ manu mihi promittebas: sed fidem fefellisti. Unde te arguo repetundarum.

Quæ, *pag.* 73. *lin.* 1. magnificè scribis, nimirum: *Sed, ad quid Doctorum virorum testimonia hic adducam? scriptum præsens satis denotat, quod ante me, Reformatori, hic sal cum omnibus requisitis ejus, ne quidem per somnium in mentem venerit, quod propriis ejus literis ad me datis ostenderem, nisi honori ejus parcerem; & nisi alia quam hactenus natura & artis fundamenta produxerit, ad hujus salis cognitionem nunquam perveniet. Et non solum Reformator, sed ne quidem grandioris ordinis aut societatis: quicquid insolenter, ambitiosè, glorioso & vano sermone jactitent.*

Ridicula sunt terriculamenta. Cur non produxisti Epistolam hanc, de qua nugaris? Honori meo pepercisti? Mentiris: nam in progressu fictam hanc Epistolam producis, *pag.* 156. Vide, quàm verax sis: insinuasti te, velut tinea, & teredo, ut famam meam arroderes, *Cavillator*: ac ex laboribus & floribus meis, velut araneus, toxica traxisti, è quibus innumeri mel & sanæ doctrinæ dulcedinem suxêre. Non deerant tibi venena, quibus læderes, sed torpebant, quia, quod scribillares, non habebas. Intaminata enim hactenus, per Europam, fama nostra fuit, & inculpata vita; cùm contrà tot extent Epistolæ, typis & testimoniis confirmatæ, nequitiarum & facinorum tuorum testimonia, ut Lectorem arceat veritas, & actorum indignitas, dum à tantis viris hæc legit firmata & prolata. Doctorum interim Virorum testimonia quòd non adducis, rem de consilio agis. Cui enim revelasti unquam hoc mysterium tuum? Severinum allegas, & hunc etiam morâ fefellisti: spe inani lactasti, usque dum fatis cessit. Et repeto tibi ejus Epistolam:

Na-

Naturæ & artis Hermeticæ studiosissimo

Ottoni Tachenio Marcus Aurelius Severinus rem bene agere.

Epistola. *QVam benevolentiæ tuæ, antehac habui fiduciam, eam mihi præsentem re ipsa comperi. Quapropter & salis tui viperini desiderio meo vix significato, continuo satisfecisti: de quo, quam plurimas humanitati tuæ gratias ago. O utinam, si liberet forte fortuna vadosam Hadriam cum florentissima Parthenope commutare, non equidem ab re, & ab emolumento tuo putarim. Accedit quod lectissima matrona, quam caligantem Neapoli visitasti, ab eadem die semper avit, ab instituta tua peregrinatione præreptum. Quoniam vero vipereum mihi donum tradidisti & vipereum ipse reddam: volumen inquam, de viperæ natura, veneno, medicina Patavinis à me formis editum, quòd à magnifico Typorum magistro, Paulo Frambotto, meis his ostensis literis quæsibis meo nomine. Impertiet autem libertius, si quidem observationes multæ frugis, quam ex usu viperino feceris diu, communicaturus, te receperis, correctori clarissimo Ioanni Rhodio amico meo spectatissimo, qui si res ferat, addere valebit operis calci. Vtinam autem & aliquam præparationem salis viperei descriptionem coagmentare de tuo possis. Salis ego volatilis apparatum, ex Iohanne Vepfero posui; quam quantum ipse probes indicato, & me cæterum vehementius deinceps amato, qui te non obscure colo, ac Neapoli, si quid aliud expto, sed quam, aut quando ejus mihi falicitatis spem exhibes? neque enim hæc tua foret infructuosa seges. Optime vale: Neapoli idibus Maji Anno 1650.*

Multi inimici propter veritatem, plurimi honoris, apud intelligentibus: antiquum proverbium.

Salvere te jubet illustrissima Matrona, Capicii Regentis uxor, cui viperinum adjumentum obtulisti.

Ediscat Lector B. ex hac Epistola hoc, si potest, arcanum; aut inde eruat testimonium, *Tachenium* nimirum esse inventorem unicum salis Viperini, & quòd, ante illum, ne quidem per somnium in mentem venerit Reformatori. Edissere autem, *Tacheni*, ubi, & quando instruxisti Reformatorem, aut copiam ei fecisti tui salis Viperini? cum nulli mortalium adhuc quicquam communicaveris, ut ipse asseris? Tu à Reformatore habes, quâ ratione dictus sal Viperinus volatilis à fuga quodammodo coërceatur per spiritum salis. Quomodo verò sine additione hoc fiat, quod Reformatori promiseras; hoc & Te, & Reformatorem, latet; nec aliud scriptum præsens denotat. Nam sicut Reformatorem in suspenso detinuisti, & vanis promissionibus lusisti; ita & alios; sic etiam D. Severinum. Chimæram nobis vendis, dum talia recenses, & risum portas, *Tacheni*. Vade igitur, ac tolle tibi hunc, quem consuisti, centonem, & Viperini salis ridicula fundamenta; nos tuis non delectamur panniculis, saniora amplectentes dogmata. Quòd autem Viros doctos alios allatras, *pag.* 73. *lin.* 14. dum ais: *Et non solum Reformator, sed ne quidem grandioris ordinis aut societatis, quicquid etiam insolenter, ambitiose glorioso & vano sermone jactitent*; Miror, profectò, propriam tuam ambitionem, & fastuosum sermonem ac jactantiam. In momento evolvam totum Viperini salis Panegyricum magni *Tachenii*; quem melioris notæ Medici, vel *grandioris ordinis* & scientiæ Viri lusêre. Altum siletur de hoc mysterio; & tristi Melodia ne dicam Threnodiâ, *novo Hippocrati* solennia peraguntur. Quid enim aliud in hoc compendiolo resonat, in quod omnes artes & mechanicam citavit (& vitrariam, ac saponariam, & lixivia ac lotrices, & quid non?) quàm attritum hoc verbum & thema: *alcali & de alcalibus:* quibus tamen & ipse, ex Helmontio, supracitatis locis, derivatis, pessimè abusus, nobis ad nauseam hanc crambem recoquit; adeò, ut non ineptè jam pridem in *Tachenium* luserit magnus Helwig Dietericus, Electoralis Brandeb. Archiater, facetis hisce Rhythmis:

Alcali te genuit. Nudum te d'alcali vestit.
Te salsum Medicum vipera salsa facit.
Alcali te servat. Totum te d'alcali nutrit.
Dum fert alcaleas vipera cocta dapes.
Alcali te sanat. Te te alcali ditat egenum:
Alcali principium; vipera finis erit.

Profectò, non sine, sale jocus. Ego, dum hæc legerem, ac *Tacheni*, in opusculo, & *novo Hippocrate*, arrogantiam contemplarer, quâ Chymiæ universam & immensam theoriam & notiones, nec non omnes artes, & mechanicam etiam, tractat, de omnibus disputans, de nullo concludens: incidit mihi in mentem curiosulus ille Cerdo apud Martialem, qui, quidquid per sutores profecerat & lucratus erat, hoc omne inter gladiatores, infelix pugil, dissipavit. Unde festivo, in illum, *libr.* 3. *epigram.* 16. Poëta lusit Epigrammate hoc:

Das gladiatores, sutorum regule, Cerdo,
Quodque tibi tribuit subula, sica rapit.

Non ultra crepidam, *Tacheni*, ne, quod tibi tribuit Viperæ sal, rapiat alcali: quod splendoris attulit Chymia, lotrix & lixivia eluant.

Cogor hanc, ultrò mihi injunctam, & extorsam, Apologiam contrahere, B. L. sic me negotia, sic temporis dispendia hortantur. Quare, quæ noster Reformator, & Augustani Vindex, à *cap.* 13. *usque ad* 18. tractat, Reformatoris, seu Zwelferi, pænè oblitus, sicco pede pertransibo, pauculis saltem adversis. Promiscua enim tractat; quædam utilia, quæ laudo; alia trita & communia omnibus Pharmacopœis; quædam, extra limites progressus, dum calumniis insistit, obscura pleraque, & contradictionibus horrida. Sic enim Caput 13. auspicatur: *Acidum occultum, fit manifestum pag.* 75. & in *marginali* annexo: *Quæ nullus explorare tentavit, ea qualia sint demonstrabo.* Viden' arrogantiam tuam, & vento ac inani sibilo plenam doctrinam, mi *Tacheni?* Cur iterum alienis luxurias plumulis, Cornicula? Taceo Philosophorum & Medicorum industrium populum; an non ante te horum memoriam, uti dicitur, deposuit, vel, quæ doces, eorum oblitus pridem fuerat Helmontius? An non plurima, obscurioribus tamen, & non aptis, nec loco, nec verbis, ex hoc dicto Helmontio surripuisti? Da gloriam Deo; da pia vota piis Helmontii manibus! Veni iterum mecum ad ejus posthuma scripta: Titulo: *Imago fermenti impragnat massam semine: pag.*72. *paragr.* 24.26. & *sequentibus*; uti ferè toto titulo. Iterum vide; Titulo: *Calor efficienter non digerit.* Iterum Titulo: *Pylorus Rector:* ubi de alcali materiam febrilem imbibent: & aliis in locis, an non exindè depeculatus multa & omnia ferè sis. Redde alienas plumulas, hæc sunt *mira*, *inaudita*, *occulta*, *quæ nullus explanare tentavit:* sed quæ, ante me, fors nemo tibi revelavit, *nove Hippocrates.* Quâ fronte ulteriùs ais, *pag.* 77. *lin.* 4. *putrefactionem & chylificationem aliquos, idem esse, sibi persuadere.* Cur eos non adducis? Quam iterum nova sunt theoremata tua, *pag.* 80. *lin.* 2. de Lactis coagulo; & Italorum conaglio; & reliquis, de lacte, & ejus acido alcali, villis & compitis, pastoribus & mulierculis in praxi notissimis? Sed singularem gratiam, ne dicam, audaciam, in citando suo *Hippocrate*, ostendit *Tachenius*, quem, incantamenti instar, ubique adducit, ac, sibi adesse, cogit, ὕστερον πρότερον! Et vel maximè, *pag.*84. *lin.* 5. ubi ait: *Hoc est, quod exclamat meus chymiæ peritissimus Hippocrates, &c.* cum tamen avitæ Majorum traditiones, & monumenta, nos edoceant, Hippocratis Coi tempora, uti & sequacis solertissimi Galeni, ne quidem artem, per destillationem Aquas medicatas saltem eliciendi, calluisse; sed potissimùm simplicium medicamentorum debito usu (qui & ipse tum, injuriâ temporum, & lividorum malesano œstro, & astu, nobis ereptus) homines in vitam & sanitatem erexisse, & vel ipsa Medicinæ incunabula & primordia nos docentes: magnam latere vim in herbis, verbis, & lapidibus. Quàm igitur frivole, *Tacheni*, divino seni Chymiam arrogas & affingis; ac quasi manticam à tergo assuis! Cùm tamen, si omnia magni hujus Coi posthuma monumenta, & divinas traditiones, volvamus & revolvamus, ne vel linea, vel jota, extet, quo, se Chymicum fuisse, attestetur. Profugis ad aliena castra, *novelle Hippocrates*, & de Mammonâ iniquitatis tibi amicos facis, ut, cùm te omnia ferè proscripserunt literata tribunalia, Virique sapientiam professi, per Germaniam, abjecerunt, ut pro meritis exules; te recipiant in tabernacula. An non alienus Mammona est, quòd Hippocratem, quòd Galenum, invocas, quòd asylum apud eos imploras; quos tamen, paucis elapsis annis, velut Pla-

Plagiarios, & Criticos ac severos Didascalos, cum tota Galeni schola (quam Canonicam jam, & novam sectam, hic Nugator scurriliter vocat) aspernatus es & cavillasti; solum & unum literatum tibi recolens numen, Helmontium? Verùm ut olim Dii Homerici, ut Æsopi Ranunculorum Numina suis; sic non diu placuit tibi Helmontius. Hunc Jovem tuum in terram, è cœlo, deturbasti, & mille opprobriis proscidisti: (*&, qui olim non ausus es spuere in templo; minxisti ad altare*) prout, de famoso Liquore Alcahest, elegans illa testatur Epistola. Nunc iterum Hippocrates amicus; nunc fidus sodalis Galenus. Sed apage! Foras, Cares, non amplius Anthisteria: jam obduxit repagula Janitor, fatuis non reseranda. Sede, quà sedes, sede, inter ignobiles & amusos. Non fert Hippocratis & Galeni Lyceum mali commatis homines & impostores: probos Canones docent Canonici.

Pag.81. Calculum resolvit & componit. Acidum iterum informat alcali, acidum & alcali constituunt calculum, &c. Addam totius

CAPITULI XIV.

Mirabilem textum, qui talis:

Calculi analysis.

DIxi præcedenti capitulo, perceptibile, vel manifestè acidum extra stomachum esse morbosum, hancque assertionem calculi compositio docet, quem pro majore lumine mechanicè resolvam & iterum componam. Accipe calculum de vesica excisum, vel sponte de renibus elapsum, drachma una vel altera sufficit: hunc inde vitreæ retortæ, novæ ac mundæ (calculus non sit in pulverem contritus, sed ea magnitudine, ut in collo retortæ non adhæreat) retortam pone in arenam, cui appone receptaculum mundum, ac novum, urge moderato igne, & primo extillabit alcali, similis urinæ, nullius tamen odoris, in receptaculum, & paulo post fixior pars ejusdem alcali sublimari in retortæ collo videbis, ambo spiritus, liquidum & solidum misce, ac diligenter vasculo vitreo cera obturato serva, alias aperto, in auras abiret, de quo Hippocrates (a) *seorsim, neque sibi, neque ulli alteri sufficiens est.*

a lib. 1. de diæta.

In frigefacta retorta reperies calculi frustula, eadem forma, qua posita fuerint, adeò tamen levia & friabilia ut si digito leviter saltem tanges in pulverem concidant sicut cadavera, in subterranea Roma: quibus frustulis integris, si rursus affuderis, alcali ex calculo reservatum, vel aliud urina, statim indurescit ut erat, pro signo, quod alcali in dicto cadavere, reperiat occultum acidum, quod illud absorbeat: nisi enim acidum invenit, solus in aperto aëre non persistit, sed juxta ejus naturam in auras abiret, quia seorsim, neque sibi, neque ulli alteri sufficit ut docet Hippoc.

Hinc discitur, quod nimirum calculus, non congelatur, neque in vesica, neque in renibus, nisi ab urina alcali, aut alcali loci: & acido, indebite, impertinenter aut per errorem ex stomacho delabente, & ibidem degenerato: acidum & alcali ibidem conjuncta, necessario (b) *in massam coire debent, ut ubique ostendam; & quicquid non procul recedens ab earum natura, apprehendunt, illudque cùm illis duabus coagulum suscipit, ut in calce dixi: & quotidiana experientia docet: hinc calculi rufi congelati sunt pauculo sanguine, qui ibidem, ab acido, ex vena erosa, defluit; sunt ideo friabiliores alii candidiores, qui mucilaginem associatam habent, ideoque duriores. Hoc est, quod exclamat meus chymiæ peritissimus Hippocrates* (c) *hæc ita fiunt per divinam necessitatem, nesciunt tamen quid faciunt: unumquodque fatum destinatum explet, id sonat: ambo hi spiritus aut facultates conjuncti in quocunque loco, necessario concrescere & congelare debent; at sejuncti! in natura nihil efficiunt, neque persistere possunt, neque sibi,*

b SCIO, inquit Rosarii Author: quia de necessitate, opus ad talem perveniet naturam.

c lib. 1. de diæta.

neque aliis sufficiens est, inquit Doctor meus: adeoque acidum manifestum extra stomachum, in quocunque loco extiterit, est morbosum & natura odiosum.

Hæc doctrina senis est verißima, quotidie enim in praxi observatur, calculos, in omnibus corporis vacuitatibus concrescere, ubicumque acidum per errorem cum alcali concurrerit, ut in pulmonibus, in jecore, vena porta, ureteribus intestino colo, in bilis quoque vesicula contra acutissimum Galenum, qui docet (a): lapidem in vesica, & renibus duntaxat à calore nasci. Calculus itaque omnium animalium (de quo hic est sermo) non habet in sua compositione nisi acidum & alcali, ambo volatilia, ut & sanguinem, aut mucilaginem, cum vero in vesica fellea coagulatur, apprehendit amarum istud, quod ibidem concurrit. Accedentibus illis huc, (b) his verò illuc, & inter se permixtis, &c.

a lib. 1. de locis affectis.

b Hipp. lib. 1. de diæta.

Hinc discitur quantum valere possit in morbis periculosis, aqua lapide porcino affusa, in felle histricis invento? quem tamen summis laudibus extollant, qui medicinæ instrumenta ignorant: mirum autem, quod hunc lapidem, ut igneum non timent, cum à felle amaricet; quod hactenus non animadverterunt. Hujus lapidis ablutio, si quicquam prodesset, profecto unica fellis guttula vilissimi cujuscunque pisciculi multo præstantior esset, quam viginti lapilli ablutiones.

Porcinus Lapis.

Ex coagulatione itaque calculi, nunc elucet, quid lithontribon, cantharides sanguis leporis, vulpis & similia, in lithiasi profecerint hactenus?

Paracelsus itaque rectè sentit calculus (& nodosa podagra) instar tartari coagulari binis facultatibus, juxta Hippoc. doctrinam, acido nimirum & alcali, secumque coagulat fæces quasdam, ibidem casu repertas: Et Galenus (c) contra se suosque testatur, cognita causa facilè esse remedium invenire: adeoque quicquid lapidum cancrorum, judaicum silicum, ciprinorum, percarum, & similium pulveretenus vel aceto solutorum, ad calculum per os sumitur, combibit quidem coaguli antecedentem causam, id est acidum quod ostendi, coagulatum autem calculum, non minuit.

c lib. 7. methodo.

Sic etiam salsa pro acida parte impediunt quidem calculi concretionem quatenus alcali urinæ absumunt & absorbent, ita ut errans acidum in corpore, non inveniat alcali quo cum sibi constringere & coagulare possit; ipsum autem concretum calculum salsa non dissolvunt.

Quod autem sal commune, urinæ alcalia, & reliqua alcalia animalium in se combibat & absorbeat, supra in salis armoniaci præparatione ostendi, & nunc alia mechanica demonstrabo.

Notum est, quod carnes cujuscunque sint animalis conservantur sale communi qui paucis in diebus, in liquorem salsum sanguineum defluit, hunc liquorem eoque, & despuma, hujus libram circiter, inde retorta vitra, & blando igne omne humidum evoca, ultimo retortam obrue arena, & ignem auge, tunc elevabitur in retortæ collum, alcali carnis, urinæ alcali simile; quod sal commune, ex carne absorpsit & absumpsit, sola maceratione paucarum dierum; eodem modo, sal, quem commedimus, quotidie absumere, & combibere superfluum alcali in cavitatibus seu ventriculis (ut ait Hipp.) hinc indè collectis, ac transpiratione ineptum necesse est, & ratio dictitat; imo & experientia testatur: ex urina enim facili methodo sublimatur alcali, & sal maris sicut commestus manet in fundo; eadem via, ut jam de salso carnis liquore ostendi. Hinc colligere licet, quod sal mortalibus datum sit, tanquam necessarium sanitatis & vitæ sustentaculum.

Salis communis dignitas.

Ex dictis & ostensis nunc liquet, mechanica necessitate, quod calculus non dissolvitur, nisi medio sapore, inter acidum & alcali, is mutatur in urinam integris viribus, intimis gratus, ut dictum est, debetque esse subtilis, adeò ut libere cuncta pervadat. Hanc solvendi methodum, voca à contrario, vel à simili, non errabis; alcali enim si solvit, fit à simili: acidum si destruit, fit à contrario: Et quis alius quam Hippocrates (cujus vis sectæ) hunc nodum nobis dissolveret? Hippocratem itaque in medicina directorem, & in reliquo vitæ cursu, egregium præceptorem non sine causa commendat nobis Ga-

Nihil esse naturalius docent sapientes, quam solvi rem aliquam, per id, à quò suum habet componi.

lenus

lenus (a) *Est & specificum remedium paucis notum, quod junioribus calculum vesicæ plane tollit, sive recidiva, adulti verò nullum sentiunt incommodum, qui illud per os sumunt, & nisi timerem impostorum reformationem, lubens istud communicarem: sed casus, hic, plus valet quam ratio. Eodem remedio sanatur etiam Astma perfecte, sic & epilepsia ex inferis.*

a ad Glauconem.

Calculi remedium ut & Epilepsiæ & Astmatis.

Demiror, profectò, hominem, quòd *novus Hippocrates* tam absurdas ausus sit proferre sententias; cùm tot Viros maximè Theoriæ & Praxeos habuerit Theseos, qui ad meliora, nec non saniora, amplexanda dogmata cum meritò pertrahere debuissent. Et, ut missos faciam quamplurimos, solus & unus Helmontius, à quo deflexit in hoc puncto, januam ei pandere debebat, docto & eleganti tractatu, de Lithiasi. Sed quid fastus non aspernatur? *Nova, inaudita, occulta, abscondita hactenus à sensibus & cognitione quæ fletére*, meditatur, omnia specifica calculi remedia proscribit, eaque Canonica, turpi sarcasmo, scribillat: Scholas, & Dogmaticos, (sed quis Histrionibus succenset?) cum mercenario scribâ, ridet. At, vix hæc finierat, ecce! Roma Quirites invocat, palinodiam canit, &, Protheo versutior, redit ad communia & trita, antiquissima Calculi remedia; & de aliena penu: quanquam etiam non defuerit, aliquid de propriæ scientiæ abysso cribro haurire, & mundo & ægris donare. Audite, *pag.* 89. *cap.* 14. *in margine*, hæc habet: *calculi remedium ut & Epilepsiæ & Astmatis.* Accurri ego gaudens & subsultans, remedium hoc exploratum. Quæ enim rara, ea & chara. Legi illicò paragraph. qui sic sonat, *pag.* 89. *Est & specificum remedium paucis notum, quod junioribus calculum vesicæ planè tollit, sine recidiva, adulti verò nullum sentiunt incommodum, qui illud per os sumunt.* (O te, *Tachenium*, ægrorum asylum, vitæ & sanitatis anchoram, etiam Minervæ suffragio, quoniam nec Diagoras melius!) Nunc ad remedium venio, quod tale est: *lubens istud communicarem, nisi timerem impostorum reformationem, sed casus, hic, plus valet quam ratio.* Cupis, avide Lector, aliud specificum, ad astma & epilepsiam? En, affero, *ibidem Eodem remedio sanatur etiam astma perfectè sic & epilepsia ex inferis.* Et sic finis est Capituli.

Nunc, Amice Lector, non ampliùs deinceps meo, sed proprio hujus iniqui nugatoris, suffragio calculum de *Tachenio* subtrahito. Vides, ut Lectorem divexet? An non hoc est, Lectorem allicere, & simul traducere? An non Moriones id agunt, classico populum colligunt, præconis voce alliciunt, &, dum nobilem Auditorum coronam nacti sunt, scurrilia tria proferunt verba, &, unius palmi, ex ore, pendulâ linguâ, inter cachinnos & ludicras gesticulationes, populum, magna præstolantem, ultrò dimittunt? Profectò, nisi te Anticyræ restituant, deploratus es, nec tibi Panaceæ salutem dabunt, *novelle Hippocrates*. Hoc est, quod semper hactenus confirmavi: Titulos, non Vitulos, producis; paleas & stipulam germinas; verba sine remediis; colores in iride ostentas, *ventus est* denique *vita tua*, & doctrina, inanis sonus. Cætera, de hoc calculi remedio, speculanda amico Lectori concredo. Pergit ulteriùs nugari, dum calculum extra corpus solvit, ac iterum componit, pro specifico. Magnum, profectò, secretum, calculum exscissum, aut excretum, dissolvere! Hoc, si vir est, præstet, calculo adhuc in corpore existente. Tales nobis non arrident nugæ. Fermentum in ventriculo acidum, à liene inspiratum, miratur, velut novam portam, ac, omnium Classicorum nostrorum subsannatione, irridet. Statuit iterum de fermentis novam doctrinam (pridem Helmontio, Titul. *Imago Fermenti*, *fol.* 70. iterum Titulo: *Causæ, & initia naturalium, pag.* 20. iteratò Titul. *Blas Humanum. pag.* 115. Titulo etiam: *Calor efficienter non digerit, pag.* 129. denuò Titul. *Pharmacopolium Modernor. pag.* 294. & denique, præter complura loca, dum inquit, *pag.* 319. Fermentum ab Hippocrate Coo fuisse vocatum Divinum, notissimam & decantatam) ac sibi arrogat magno supercilio hanc, de fermentis, novam doctrinam, quam ex Helmontio clanculum subtraxit, ignarus, quanta, & quæ, de Fermentatione, & Fermentis, pridem ediderit Willis, de Fermentatione; quæ nobis attrita, & plus quàm notissima.

Declinat ad Lapidem Porcinum (ne dicam, grunnit, ac rostro cuncta explorat) quem audacter aut nihil virium medicarum, aut non alias, *quàm unica guttula fellis cujuscunque vilissimi pisciculi* possidere, ait, non advertens, quo, & quanto pretio Magnates, ac Principum Aulæ, eum accersant, explorent in morbis, felici successu, & me ipso, non rarò, arbitro, & felicis successus spectatore. Profectò, jejunus Philosophaster es, *Tacheni*, qui naturæ gremium nondum lustrasti: unde ignoras etiam, (quod Pædagogo tuo, Helmontio, notissimum) agentia omnia agere juxta ordinem, ad quem jussa sunt, nec non ad lumina, quæ in iis resplendent. Tot autem diversa emicant, in creaturis, lumina; quot dantur individua & agentia, dum quodvis operatur juxta speciem & finem, ad quæ à Patre luminum jussa & destinata sunt. Hinc illa effectuum differentia; hinc remissè & intensè; hinc uniformiter, difformiter, & quidquid diversitatis in effectu resplendet, causæ agunt. Et quâ fronte scribis, quòd *Porcinus Lapis* non plus effectus tribuat, *quàm guttula unica fellis vilissimi cujuscunque pisciculi*: quasi cum felle piscium in unum conspiret effectum? Quod nam piscis genus erat, è quo, ad arcendam cœcitatem, Tobiæ seniori Raphael Angelus exsectum fel adhibuit, eumque feliciter restituit? Quasi lucii fel, à felle carpionis, quod erysipelati opitulatur; à felle anguillæ, quod partum facilitat, re, naturâ & effectu, non distaret? Et sic de innumeris. Adversus Solem hic homo loquitur. Operam ludimus, dum pluribus hæc demonstrare satagimus. Sed:

Venite, spectate admiranda & jucunda vestris oculis: quæ absconsa hactenus & occulta à sensibus & cognitione stetère, percipite ex promptuario, vel potius gazophylacio *novi Hippocratis*: ediscite, *pag.* 111. cryptographiæ fundamentum. Ibi docet, quâ ratione, citra atramentum, ac sepiam, quis invisibilem, mox visibilem, scripturam, beneficio gallarum, possit conficere. Nunc quæro ex te, Europa, & te, fidissima Austria, an non videris, an non audieris, in oppidis & castellis, in urbibus tuis, hoc *Tachenii* secretum, à Circumforaneo quodam, millies ac millies, in foro publico, demonstrari ac edoceri? Erat autem is, de quo commemoro, facetissimus quidam senex, quem passim, Teutonico Idiomate, **Kugelmann** cognominârunt, ob festivos jocos ac facetias, ad dapes, Principibus & Aulis familiarior. Hujus igitur sectator *Tachenius* est: hoc secretum oculatus testis à dicto Circumforaneo, & aliàs sæpius, spectavi. At capiat Lector, quàm rara, *ex magno experimentorum suorum cumulo*, hîc noster *Hippocrates* excerpat & tractet.

Paginis sequentibus, de Metallis aliqua adducit; de quibus, in iisdem terminis, jam ante annos aliquot magnus ille Societatis Scriptor, P. Kircherus, multa edidit; è quo hæc L. B. colligat, tanquam è fonte salubri, his *Tachenii* spretis cloacis.

Pag. porrò 119. vacuum alcalium probat, juxta promissa superiùs: vel potiùs sibi contradicit. Nam ait; *magisterium granorum Kermes esse alcali aluminis, quod, metu vacui, ex granis acidum occultum sorpsit.* Ergo falsum est, dari alcalia vacua; cùm, metu vacui, ubique peregrinos alliciant sapores: quod tamen superiùs fastuosè docuit. Ulteriùs, *hac eadem* 119. *paginâ*, sequentibus injuriosè & calumniosè me lacessit, & prægrande mendacium scribillat: *Huc pertinet impostura; quam reformator pro Magisterio seminum Kermes venditat quod tamen nihil aliud est, nisi alcali aluminis, quod, ex ipsis granis, metu vacui, acidum occultum sorpsit, quatenus proprium acidum, in alcali tartari perdidit, &c.* Nondum finis tuarum petulantiarum? An non meministi Tartari Vitriolati tui, quem superiùs malignum ostendi? Quæ de præcipitatione & extractione lapidum ac silicum, ex vitro usto: tincturâ Coralliorum calcinea: sale Viperarum, & sale Theriacali veterum, absurdissima tibi demonstravi, *novelle Hippocrates*? Plura, ut video, & ampliora exigis, ac ut probem turpissima? Cur benignam hanc præcipitationem, & naturæ amicam, imposturam dicis; tuis nequitiis & fraudibus, rerum denique destructionibus, formali & apto epitheto? Imposturæ mihi peregrinum sunt etymon;

mon; tibi familiare: adeò quidem, ut (ſicut ad nos non inanis fama retulit) nunquam ferè domo egrediâre, quin, ab obviis ſollicitatus, quò tua Excellentia greſſu properet, reſpondeas: *Vado defraudatum aliquem unâ doppiâ, aut Ziggino, vel Coronato*: quaſi Medicorum profeſſio fraudum, & mille aſtutiarum, foret ſeminarium! Sed ad rem: demonſtra, *ignare Hippocrates*, hoc vacuum aluminis; quo argumento præſtabis? Demonſtra illud acidum occultum in granis Kermes, nondum deſtructis, nec combuſtis, neque in ſua principia, per fortem deſtillationem, reſolutis. Demonſtres, inquam, tantum acidi pauxillis granis, in quibus potiùs ſal volatilis purè ſalſus hoſpitatur; Alumen non eſt alcali, non eſt ſalſum, ſed acidum; ergò non vacuum; ergò non, metu vacui, acidum occultum ſorpſit. Magis ignoranter, & ruſticè, præcipitationis opus explicare non potuiſſes. Arripere igitur ſub ferulam & ſcholas te cogor, *Tacheni*, ac edocere, quâ ratione ac viâ communes præcipitationes peragantur. Nimirum, Corallia, Perlæ, oculi Cancrorum, mater Perlarum, Lapides pretioſi, & quæ de genere & ſpecie horum ſunt, (non loquor hîc de metallis fixioribus) in aceto, vel ſpiritu alio corroſivo, ſolvuntur; cui ſolutioni ſi inſtilletur ſpiritus, vel liquor, ſolventi acido menſtruo contrarius, utpotè ſalinus purè ſalſus, vel ex tartaro, vel alio lixiviali liquore, fit, ut, contrarietate illorum liquorum, amborum fiat deſtructio. Menſtruo autem priori acido deſtructo, vel ab advenien-te ſalino liquore ſaturato; hoc ſolutum ſuum ampliùs retinere non poteſt: verùm neceſſum eſt, ut fundum petat, & ſeparetur: ac, uti Chymici loquuntur, quod ſtomachus ſtruthionis devoraverat, revomere denuò cogitur; aſt maximâ ſolutæ & præcipitatæ rei alterationibus magiſteriorum cornu Cervi, ungulæ Alcis, Margarit. item Corall. &c. ad oculum patet; de quibus luculentur, *in Animadverſion. n. ſub proprio titulo Magiſter.* actum eſt. Aliter longè ſe res habet in ſolutione vegetabilium, ſeu potius extractione eorundem eſſentiæ ac tincturæ. Illa deſcripto à Reformatore modo amicabiliter magis peragitur, ſolâ aquâ ſimplici, pauculis guttulis olei Tartari, per deliquium facti, acuatâ: eorumque præcipitatio, ſolâ iterum aquâ aluminis (ſcil. aquâ ſimpl. in quâ nonnihil aluminis diſſolutum ſit) peragitur: adeoque nullum hîc accedit menſtruum corroſivum comburens, & nulla fit violenta præcipitatio. Nam quò magis corroſiva ſunt ſolventia menſtrua, & acriores præcipitantes liquores: quò duriores etiam & ſolidiores ſunt res ſolvendæ; eò major earum fit combuſtio, deſtructio, & propriarum virtutum annihilatio. Cùm verò vegetabilia, ad mentem Reformatoris, ſolâ aquâ ſimplici, pauculis guttulis olei Tartari acuatâ (quod communiter, ac frequenter, à peritis Medicis, pro exactiori extractione rerum catharticarum decoquendarum adjicitur) per lenem coctionem extrahantur, ac tandem, inſperſâ ſolutione aluminis, præcipitentur: quæ igitur fieri poteſt vegetabilium deſtructio, aut virium earum diſperſio? *Eſſe autem Magiſterium ſeminis Chermes* (quod ita appello ex avita conſuetudine, non quòd tantum artificium aut magiſterium ſubſit) *nil aliud, niſi alcali aluminis, quod ex ipſis granis, metu vacui, acidum occultum ſorpſit*, quatenus proprium alcali in oleo Tartari perdidit; eſt abſurda dictio & contradictio; quin abſurdiſſima aſſertio, ex qua nemo, intimiùs ſi conſideretur, veritatem ullam perſpiciet: uti nec ipſe ſe Autor extricare poſſet, ſi, magis Philoſophicè diſputare, animus eſſet. Si dixiſſet, eſſe Magiſterium hoc, pro parte ſui, terram, ſeu calcem mortuam, aluminis, à contrario liquore, ſcilicet oleo Tartari, per præcipitationem obortâm; tunc ſanè fidem cùm apud Reformatorem, tum alios viros doctos & Chymicos meruiſſet. Verùm obſcura & falſiſſima ejus dictio indigna eſt tanto Philoſopho Hippocratico. Alumen enim non eſt alcali; eſt corpus minerale acidum. Alcalia autem ſe mutuò non deſtruunt. Quomodo acidum, ex ipſis granis, metu vacui, occultum illorum acidum, ſuo proprio alcali adhuc dives, & nondum ſeparatum, ſorpſerit? Et quid eſt propriè illud acidum granorum occultum? Quomodo fit manifeſtum, in ſimplici hoc labore, ut ab acido manifeſto, & exi-

existente, sed jam destructo ab alcali tartari, attrahatur? Demonstret hæc prius in vacuo, sibi contradictorius. Fortè hoc acidum granorum occultum erit *Hippocratis novi* vacuum, aut imaginarium spatium, ad quod exspatiatur, dum calumnias & nugas meditatur. Esse autem alumen corpus acidum, non alcalium, neque salsum salem; hoc demonstrat ejus contrarium alcali, seu sal, aut oleum, tartari, quorum commixtione, addito tertio, (v. g. granis Chermes) nonnihil calcis mortuæ, analogicè tantùm loquendo, seu terræ inutilis, nullius virtutis, præcipitatur. Hujus mortuæ terræ, fateor, nonnihil, sed exiguum admodum, præfato magisterio est & manet permixtum; in nullius verò detrimentum: cum, uti dictum, nullius efficaciæ sit. Ampliùs dicam: Si Magisterium granorum Chermes nil aliud est, *nisi alcali aluminis, quod ex ipsis granis, metu vacui, acidum occultum sorpsit*: unde, quæso, pulcherrima & substantialis illa rubedo Granorum, in ipso Magisterio? Unde ipsa Granorum substantia, quæ tota ferè, & corporaliter, se sistit in Magisterio? In nihilum fortè abierunt Grana, & tota eorum substantia, remanentibus tantùm accidentibus, aut in vacuum *Hippocratis novi* migrarunt, & tamen corporaliter iterum se sistunt in Magisterio, cum omnibus suis accidentibus? Si, inquam, Magisterium granorum Chermes *nil aliud est, nisi alcali aluminis*; cur alcali aluminis, vel, rectiùs, alumen ipsum, separato magisterio, totum iterum, unà cum alcali, seu sale Tartari, abstractâ humiditate aquosâ, vel menstruo solvente, & præcipitante liquore, in residuo manet, & integrè se sistit; nullâ acrimoniâ, nullâ aciditate, neque de alumine, neque de sale Tartari, in Magisterio apparente, aut residua? Si porrò Magisterium granorum Kermes *nil aliud est, nisi alcali aluminis*, cur non est solubile in quovis liquore; quod tamen proprium est in quarto modo omnium alcalium & aluminis? Vah! quàm absurdus & garrulus Philosophaster est noster *Tachenius*, qui linguæ suæ temperare & imperare non potest. Sed ne diutius immorer his calumniis aluminosis refutandis, ad

Capitulum XVIII. progredior, in quo nonnihil genio indulgens, a Fodinis, in Amænum hortum, & vegetabilium occultiora alcalia volatilia se confert, a Cedro ad Hyssopum Philosophaturus. Sed priusquam ad inaudita descendamus, recolat B. L. quæ supra, ex Helmontio, de Fermentis, passim attulimus, proprios citando locos, ut tantò manifestiùs, è pomeriis & hortis recentia pateant furta *Tachenii*, nec tam liberè, *in margine, pag.* 120. *fermenti mysterium olim studio occultatum fuisse*, tradat. Ducto itaque semel filo à suo Helmontio, procedit ad *Tachenianum* labyrinthum *novus Hippocrates*, ibique semel devius, de malo in pejus aberrare perseverat, nihil nisi: *Acidum informat alcali:* pro semita tenens. Hinc omnia confundit, novo etymo omnia compellat; nihil de materia, formis, unione & privationibus; nihil de Archeo & spiritu insito, aut impetum in nobis faciente; nihil de calore aut calido innato, aut humido primogenio, subaudire vult; quæ tamen Philosophis trita & suscepta: sed in *Alcali* & *Acido*, velut alpha & omega, tota ejus absolvitur Philosophia; ab his dualitates & mutuæ activitates resultant. *Alcalia*, & *acida corpora*, emortua sunt comparativè, ac jam quasi virtute seminali exuta: seminibus verò divinæ particula auræ inest; inexplicabile quid, soli DEO & Naturæ cognitum; à quorum cognitione (præter *divinum novissimumque Hippocratem*) nos arcemur. Nullum datur alcali per se in natura: est res præter naturam, facta artificis manu, & præsupponit sui corporis combustionem; quod ipse *Hippocrates novus* sæpius asseruit, *pag.* 9. *lin.* 12. *pag.* 13. *lin.* 19. *&c.* Verùm alcalia tam firmiter ipsius Cerebro, tanquam ipsi vacuo, impressa sunt, ut vix unquam eradicari possint. Sed, ne diutius in hac alcalina Philosophia nos fastigemus, plura ejusmodi faceta commenta, quæ adducit, prætereo, donec, *pag.* 121. sub finem, contra Reformatorem denuo debacchando, novum & secretissimum spiritum Tartari simplicem tradit, qui talis est. *Hunc*, (scilicet Tartarum) *ex retorta, sic destillaveris, acidem excitatur à calore, & rursus incipit agere in alcali, illud vicissim in acidum, fitque*

fitque nova fermentatio, ob id lentissimo igne agendum est, & licet recipiens vas, ut ut magnum, fermentationis tamen incondensibilis odor (Gas, vocat Helmont) percipitur longè, vincit tandem alcali acidum, illudque plane absorbet, & ambo pro majore parte fixantur. Liquor & oleum in receptaculo, saturati sunt alcali volatili, quod egregii usus per se, à paucis tamen cognitus. Distillatum liquorem & oleum, si rursus capiti mortuo reaffuderis, tunc alcali volatile quod liquor continebat, absorbetur ab acido in capite mortuo, & fixatur, quod autem rursus tunc stillat, erit aqua elemento vicinius & minoris efficaciæ. Reformator verò, ut ubique, sic etiam hic graviter impingit, ait enim (a): *vulgaris spiritus tartari, qui à suo relicto capite mortuo non rectificatus, nulla ratione, pro puro spiritu tartari haberi debet. Ex hoc suo rectificato spiritu tartari (& proprio insipido cerebro) componit medicamentum, profectò lachrymabile, quod vocat* (b): *mixtura de tribus, ex mineralium spiritibus. Primo; alcali volatile in tartaro saturatur, cum acido sulphuris antimonii, idque vocat: spiritus Antimonii Tartarisatus, si forte fortuna, aliquid alcali volatilis adhuc superesset! en, quid agit? illud deinde mortificat cum aceto ex ærugine, & acido vitrioli: Unde hæc dispendiosa, sed artificiosa & inutilis compositio, constat ex aqua elementali, & aceto; hanc mixturam antiqui poscam nominarunt, huic reformator nil, nisi fœtorem tártari addit.*

a Mantissa Hermetica fol. 745.

b Mantissa fol. 750.

Antiquam nobis recoquit cramben, & insulsam offam, *ex magno experimentorum suorum cumulo*, obtrudit; quam in superioribus toties nauseavimus. Hæc enim Tyrones Pharmaceutici ad tripodem & sartagines decantant. Quod autem destillatus liquor Tartari sit alcali volatili plenus; est iterum contradictio, & falsum in terminis: quoniam alcali volatile non datur in natura, nisi priùs summâ arte, ac longâ morâ, volatilizetur: implicat igitur.

Porrò: destillatum liquorem, ejusque alcali volatile, absorberi ab acido, in capite mortuo, & fixari; iterum *nova Hippocratica*, & sesquipedalis ignorantia est, & contradictio. Ab initio enim ferè mundi illud caput mortuum Tartari (impropriè ita appellatum) salsum fuit, & quidem purè salsum ac alcali; & manebit ejus sal Tartari purè salsus, omni aciditate expers, omnium acidorum infensissimis hostis, ad finem mundi. Et hæc affirmat ipse noster *Hippocrates novus* plus centies. Implicat ergò denuò, alcali aliquod acidum esse. Omnis enim aciditas volatilis est, secundum magis & minus; nunquam tamen acidum in igne violento, aut reverberii, constans, in tota rerum natura; alcalia autem omnia fixa sunt & constantia, per ignem facta, ignea, & ipsa comburentia. Si itaque residuum, à destillatione spiritus Tartari, caput mortuum, totum & purè salsum, omni aciditate expers, uti ad oculum, & sensibus ipsis patet, & ipsius *novi Hippocr.* doctrinâ confirmatur; quomodo alcali volatile in spiritu Tartari, quod ab *Hippocrate* ipso *novo* ignorantissimè salsum, & quidem purè salsum, æstimatur (quia purè salsa saltem acidis sunt contraria) ab eo destrui potest, ut non, nisi aqua elementaris, in rectificatione proliciatur? Volatilia enim salia (intellige purè salsa, non acido-salsa) ab alcalibus salibus, prout Tartari sal, nullam vim patiuntur, tanquam homogenea, quoad salsedinem purè salsam: quin præstantiora illa ab his efficiuntur, & si fors ab acido aliquo liquore, sive spiritu, volatilia salia purè salsa, acido-salsa fuerint facta, illa alcalia salia ab aciditate denuò liberant, acidum in se recipiunt, & funibus veluti, ac catenis, quibus dicta salia volatilia ligata fuerant, penitus liberant ac libertati restituunt; prout in sale Armoniaco, tanquam acido-salso volatili, & sale Tartari purè salso, & fixo, si conjungantur, evidentissimè patet. Esse autem salsum alcali in spiritu Tartari, (licet experientiæ & rationi refragetur) confirmat noster *Hippocrates novus*, dum ait, quòd aciditas in capite mortuo Tartari alcali illud in spiritu destruat. Item, *pag.* 123 *lin.* 25. hoc iterum confirmat, dum dicit; spiritum Tartari non esse acidum, eò, quòd spiritu Vitrioli illi

insuso incalescat. Sit igitur, juxta ejus opinionem (falsam licet) alcali purè salsum in spiritu Tartari: quomodo igitur illud purè salsum alcali, à capite mortuo Tartari, quod & ipsum etiam purè salsum, destruetur; quoniam acida, & purè salsa in se invicem tantùm agunt, se mutuò destruunt & immutant: nequaquam verò acida, sui generis & speciei, iterum acida? Quòd autem caput mortuum Tartari sit purè salsum, omni aciditate expers; hoc ipsum alibi noster *Hippocrates novus*, in plurimis locis, affirmat; quòd nimirum sal Tartari sit acidorum omnium infensissimus hostis; quod & ipsa quotidiana & infallibilis experientia confirmat. Nam adeò hostiliter sal Tartari acida omnia aggreditur, ut, licet illa, scilicet acida, à sale aliquo volatili jam dum saturata ac immutata fuerint; nihilominus, superveniente sale Tartari, tanquam potentiore acidorum hoste, illa violenter denuo invadat, ac verè destruat; (quæ antea, sub larva saltem, cum volatili sale constabant) à quo non ampliùs eo vigore, eaque aciditate, quâ antea erant, separari possunt. Quippe quod apparet in destillatione Tartari Vitriolati, vel istius salis, qui à destillatione salis Armoniaci, & salis Tartari, in residuo mansit. Ex his neque purè salsus, neque etiam acidus, spiritus destillando prolicitur, sed acido-salsus, medii saporis: qui tamen spiritûs acido-salsi, sicut & sales acido-salsi, magnarum sunt virium, penetrantes, deobstruentes, contrariorum nescii. De quibus tamen *Hippocrates novus* iniquè sæpe loquitur, quòd vel illorum cognitionem non habeat, vel perversè vituperet, solùm ad proscribendum salem Viperinum Reformatoris: qui acido-salsus: immemor tamen sui; quòd & ipsius sal Viperarum sit acido-salsus, propatereaque Mercurium, uti loquitur, non præcipitet. Mirabilia, profectò phasmata *novellus* noster *Hippocrates* fovet, qui & Mercurium sublimatum ipsum corrosivum acidum non vult, &, lac non præcipitare, perhibet. Videt tamen, ac ipso percipit sensu, quàm promptè alcalia, seu lixivialia salia omnia, præcipuè sal Tartari, Mercurium sublimatum, præcipitent, & ab aciditate, tanquam vinculo ac hoste suo, liberent. Videt, inquam, & percipit, quòd Mercurius, beneficio acidorum spirituum, ac corrosivorum mineralium, in sublimatum corrosivum, & solidam compagem, convertatur: ac nihilominus tanta absurda, tot contradictiones, afferre *Tachenium* non pudet. In promptu causa est: dudum pudicitiam omnem proscripsit.

Et, ne existimes, Amice Lector, speciosiùs hæc, quàm veraciter, à me prolata fuisse; ad probam descendo, atque palam demonstro, quàm sine fronte & verecundia falsarium agat *Tachenius*, textûsque meos adulteret. Textus *Animadv. m. pag.* 430. sic habet.

De spiritu Tartari hoc, quod moneam, habeo, ut, pro ejus destillatione, Tartarus unicâ solutione (quæ commodè spatio unius diei in vesica cuprea exiguo cum labore & dispendio, fieri poterit) & crystallizatione purificetur. Ita enim defæcatus, & ab inhærentibus stipitibus liberatus Tartarus destillationi commissus, non graveolentem, uti aliàs, sed fragrantem & insigniter penetrantem præbet spiritum. Etenim Tartarus crudus, quàm purus etiam esse videatur, plurimis tamen rebus heterogeneis permixtus deprehenditur; à quibus demum insignis ille fœtor oritur. Propterea vulgaris spiritus Tartari, ut in Officinis prostat, quique à suo abundante phlegmate liberatus fuerit; nulla ratione pro puro puto Tartari spiritu, sed mixto & inquinato, haberi debet: ut in posterum non sit, quod miremur, ab eodem spiritu Tartari fœtido sæpe contrarias operationes, & pessimos quandoque suboriri effectus.

Adveitamus nunc astum hujus Vulpeculæ, quâ ratione ea alleget, quæ ad salivam & institutum; iis omissis, quæ adversari videntur, cribro pertusior. Ut vel sic facilè credulos inducat, ut suis adhæreant næniis, parte alterâ nedum audita. Scopus & intentio Reformatoris est, hoc loco studiosè commonere, ne spiritus Tartari è crudo & impuro Tartaro (præsertim Germaniæ oris, ubi vix tertiæ in Tartaro puræ sunt, reliquis duabus partibus multis heterogeneis recrementis, uvarum & doliorum ramentis, uti & limo, seu terra, inquinatis destilletur, sed à Tartaro semel tantùm soluto,

luto, & ab adhærente impuritate liberato. Unde dixi: etenim Tartarus, quàm purus etiam videatur; multis tamen heterogeneis fœdatur, à quibus notabilis ille fœtor redundat. Propterea (animadvertat Lector, unde hæc particula copulativa; *propterea:* derivetur, quam omittit) vulgaris spiritus Tartari, ut in Officinis prostat (quæ quatuor verba: *ut in Officinis prostat*; scilicet ex crudo, non purgato, Tartaro destillatus, iterum de medio textu detruncat) quique à suo relicto capite mortuo non rectificatus, nec à suo abundante phlegmate liberatus fuerit, (quam periodum: *nec à suo abundante phlegmate liberatus fuerit:* iterum detruncat) nulla ratione pro puro puto (*puto* denuo expungit) haberi debet. Vides, Amice Lector, quàm profundas radices egerit, apud hunc hominem, fraus & imposturæ, quàm frons effrons ei sit mentiendi; dum textûs meos pro libidine adulterat, novas traditiones docet, quædam omittit, in quibus emphasis ac rerum essentia proponitur, ac, velut cultiorem hortum susque deque, aper, ac porcus, pervertit. Sed mentita est iniquitas illi, in cujus verticem hæc mendacia retorquemus. Ego interim hoc textu pro viribus conatus sum, docere, quomodo ex puro puto, scilicet semel soluto, & colato Tartaro spiritus ejus destillari debeat; rectificationem obiter saltem addidi: cùm & D. D. Augustani ipsi spiritum hunc Tartari, in suo præscripto parandi modo, rectificare præceperint: quamvis ego similium spirituum rectificationes aliàs parvi faciam. Nec tamen destructoria est illa rectificatio: quin potiùs, si sæpius à sale Tartari sæpe dictus spiritus rectificetur; igneus, penetrans, abstergens, & efficax magis reddatur. Sed Philosophemur & magis Chymicè, Dn. *Hippocratice Philosophe*; cùm tantus videri & haberi Chymicus gestias. Tartarus Vini non præbet, juxta tuam stupidam & insipidam assertionem, spiritum alcalinum seu salinum, salsum purè; sed potiùs acidulum & vinosum: quod est extra omnem controversiam, ac sensibus, odore & sapore, patet. Si igitur statuisses, quòd acidulus & vinosus ille liquor, seu spiritus Tartari, ab alcali Tartari residuo, annihiletur, destruatur, vel in aliud esse convertatur, contrarietate nimirum, quâ acida & purè salsa se invicem destruunt, immutant, aut amplectuntur: si, inquam, hoc, pro fallaciâ tua assequenda, asseruisses; Reformator ipse aliqualem tibi fidem adhibuisset: quoniam ratio magis fuisset speciosa, ac verisimilior: quantumvis nec vel hæc ratio vera esset; quia acida, & purè salsa alcalia, ex duobus diversis corporibus, & subjectis naturalibus, extracta, verè & realiter se mutuò destruunt, & immutant. Utpote sal quidam alcali, seu lixivialis, ex vegetabilibus, & spiritus aliquis acidus corrosivus, ex sale, aut mineralibus, nec non acetum, tanquam artificialis spiritus, sibi invicem realiter contrariantur. In uno verò corpore, aut subjecto naturali (non artificiali) tanta principiorum contrarietas neutiquam perceptibilis est: adeò, ut, etiamsi spiritus Tartari suo reddatur residuo Tartaro calcinato, aut ejus sali; ab illo tamen revera, tanquam antiquo receptaculo, & corpore non heterogeneo, sed homogeneo, nequaquam destruatur; quin potiùs, si repetita illa rectificatio, aut cohobatio, super suo sale Tartari fieret, proprius certè spiritus non parum de proprio suo corpore fixo in altum secum ducturus esset, ac per alembicum evecturus, virtutibus abstersivis exaltatus ac nobilitatus. Quis neget, quòd etiam spiritus Vini, à sale Tartari rectificatus, haud parum de hoc in destillatione secum evehat per alembicum, isque virtutibus magnoperè imprægnetur? Cur ergò proprius spiritus idem præstare non posset, & quidem efficaciùs illo? Spiritus Vitrioli, si is suo capiti mortuo, vel colcothar, reaffundatur, & aliquamdiu in aëre relinquantur; totus revera non destruitur, sed denuò destillatum hoc Vitriolum reddit suum spiritum acidum, verùm magis dulcem, & quodammodò diminutè. Ratio est, quoniam in residuo corpore, vel capite mortuo, non solùm metallum latet occultum & calcinatum, sive sit cuprum, ferrum, &c. sed & alia heterogenea mineralia admixta sunt; in quæ spiritus Vitrioli, rodendo, agit, reactione autem nonnihil repatitur & hebetatur: secumque nihilominus vehit particulam soluti metalli, latentis in capite mortuo. Hinc illa spiritûs Vitrioli, à

capite

capite mortuo rectificati, dulcedo provenit; præsertim si ex Martiali Vitriolo fuerit destillatus. Igitur neque hîc tanta obvia contrarietas, ut se mutuò totaliter destructura sint; multò minùs in Tartaro & ejusdem spiritu percipitur, quanta est in purè salsis alcalibus, & acidis spiritibus. Porrò: sal Armoniacus corpus quidem artificiale, & sal acido-salsus volatilis est. Hic præbet spiritum acidum salinum, in sui præparatione & sublimatione à sale communi acquisitum: præbet item spiritum salinum, seu salem volatilem purè salsum, urinosum. Hi duo spiritûs (non miretur *Hippocraticus novus Philosophus*, quòd salem volatilem, si in liquorem solutus, spiritum appellem; quoniam communiter sic loquuntur, & tam absurdum non est, ut, ob id cavillando, Reformatorem in tantum arguat) fateor, sibi invicem contrariantur. Sed quid aliud hac contrarietate iterum efficiunt, nisi pristinum ferè salem Armoniacum, qui iterum in hos spiritus dividi, resolvi, atque denuò in salem componi potest? Discat saltem *novellus Hippocrates* ex his, quòd sales volatiles non sint alcalia. Sunt quidem sales purè salsi, sicut alcalia salia purè salsa sunt; sed non sunt fixi, non absterfivi, pro saponariâ & vitrariâ arte inepti, (licet magnus *Tachenius*, planè phantasticè, superiùs, saponem ex volatili sale Viperino, & oleo Tartari destillato fœtido, construere voluerit; quo se mundet, donec nitidior mente evadat) non ex cineribus concrematorum vegetabilium extracti; sed beneficio destillationis facti, ex alio regno: quæ operationes planè contrariæ sunt, subjecta diversa, genere & specie. Propterea implicat in re ipsa, & terminis, sales volatiles, sive urinosi, sive ex partibus animalium, sive occulti etiam vegetabilium sint, alcalino etymo producere; quippe quod haud exiguam affert obscuritatem & confusionem, ut vel pauci penetrent, quid sibi *novellus* hic *Philosophaster* quandoque velit, omnia confundendo. Sed quid mirum: quoniam horum ipse nescius, & differentias salium nondum agnovit? Nam alcali ipsi est omne, & in illo omnia; ipseque totus alcalinus. Discat præterea ex his, quòd sales volatiles acido-salsi non sint reprobandi, sicut ipse rejicit salem Viperarum Reformatoris, spiritu salis saturatum. Hi enim nobilioris indolis sunt, quàm sales purè salsi volatiles, aut fixa alcalia, quoniam penetrantes magis, contrariorum nescii, integris viribus permeant totum corpus, neque protinus in ventriculo, ab acido lienis fermento, neque in mesenterio, aut aliis digestionum culinis, à salsedine purè salsa immutantur: obstructiones reserant, crassos humores incidunt, viscosos attenuant, urinas promovent, ac arenulas expellunt; nec tamen destituti sunt illi virtute seminali; eò, quod separabiles denuo sint à suo vinculo, acidis nimirum spiritibus, per salem Tartari: nimirum sal volatilis Urinæ, à sale Armoniaco; à sale Viperarum Reformatoris, spiritu salis saturato, volatilis denuo sal Viperinus: signum infallibile, virtutes seminales, seu naturales, horum salium, à proprietate substantiæ suæ, ab acido salis spiritu nequaquam fuisse destructas, nec verè & realiter, sed externâ ac peregrinâ tantùm formâ, & accidentibus, aliud ens simulare; & redire ambo in sua pristina entia, artificiosâ separatione. Proindè, si sal Viperarum, acido spiritu salis saturatus, in salinam sublimaretur compagem solidam, non propterea sal esset communis, ut neque sal Armoniacus; sicut falsissimè proclamat *novus Hippocrates*: quemadmodum volatilis ille Viperinus sal à suo acido spiritu denuo separari, & in pristinum esse, viribus integris non mutatis, converti potest; ipso *novelle Hippocrate* attestante, sibi licet contradicente. Quidni & sal Viperarum *Tachenii* etiam acido-salsus est, substantiâ, formâ, virtutibus, ac omnibus accidentibus, assimilis sali essentiali Tartari, seu Vini, superiùs ad unguem descripti? Ex his fundamentis & argumentis judicet Lector, quâ probitate iniquus ille *Hippocrates* vituperet sales acido-salsos, & præcipuè salem Viperarum Reformatoris, legitimè, *in Animadvers.* descriptum; ut nimirum mundo proprium salem, ita nuncupatum, Viperarum, ulteriùs obtrudat, & loculos adimpleat: cui tamen minimè invideo. Nam ego quidem salem Viperarum pro quæstu non apparo nec decoquo. Angusta, profectò, mihi res domi futura, si tot

tot pernecessariis sumptibus, irrequietis laboribus, sumptuoso tempore, huic ministerio præesse me oporteret, ut fideliter, citra imposturas, hunc Vipereum salem dispensarem. Sed hæc *Tachenio* canos non accersunt; liberalis est genii; utpote qui ex quatuor tantùm Viperis, quadraginta, & plures, salis libras elicere novit, novus Thaumaturgus, dono multiplicationis desuper beatus. Verùm talia hoc genus hominum affectat, quæ compendioso labore, magno tamen precio distrahenda veniunt: è quorum etiam censu *molliculus caseus* est *Tachenii*, (nos Caseolum Xenocratis dicamus) quem profectò, exiguo labore conficit; uti videre est, quòd annuè multas libras hujus per Europam magno ære divendat; cùm tamen, ut in quâdam Epistola, seu in Echo Vindic. confitetur, decumanos labores hic molliculus caseus accersat, ac integro anno vix paucas uncias conficiat. Rem magnam feceris, *Tacheni*, si æquus sis. Hoc tamen ex Senecæ proverbiis discito; quòd faciliùs repelli se, homines, quàm decipi, ferunt.

Verùm ad institutum revertar, & ignorantiam *novi Hippocratis* ulteriùs describam, qui ut spiritum Tartari sale volatili saturatum esse, demonstraret, ait, *pag.* 123. *lin.* 26. *Cui* (scilicet spiritui Tartari) *si affuderis spiritum Vitrioli, incalescit, ut lagena vix manibus teneri possit, evidenti argumento, quòd acidum vitrioli alcali tartari absorbeat, sicut calci aqua affusa contingit, &c.* Rem acu denuo tetigisti, *Domine Philosophe Hippocratice.* Hoc enim est, quo te ipsum falsi convincis. Nam si alcali volatile in spiritu Tartari verè existit, quod spiritui Vitrioli, uti dicis, contrarium, & unde ejus incalescentia; illud necessariò debet esse purè salsum. Sales autem volatiles purè salsi, à salibus fixis alcalibus, seu lixivialibus, uti est sal tartari, nequaquam destruuntur, verùm juncti in virtutibus suis adaugentur, si sæpius ab iis sublimatione pellantur. Ergo neque spiritus tartari, sale volatili, uti dicis, prægnans, à suo capite mortuo sic dicto, seu sale Tartari, quicquam patietur, multò minùs destruetur, quin potiùs efficax magis, in virtutibus multum auctus destillatione & rectificatione, ab eâ prolicietur. Caput mortuum autem Tartari sic dictum, seu salem tartari, purè salsum esse, nequaquam acidum; hoc sæpius est demonstratum; hoc ipsum multoties fateris; hoc lippis ac tonsoribus, discipulis, & Tyronibus, notissimum, qui *magnum Hippocratem Chymicum* mechanicâ demonstratione illicò convincent, & meliùs instruent. Sed audi porrò, *magne Philosophe*, tam es rudis Chymiæ, ut nescias, quòd etiam spiritûs acidi corrosivi minerales hoc sibi commune habeant, ut, si ex diversis rebus destillati priùs, confestim tandem uniantur, ingens suboriatur incalescentia; quâ tamen sedatâ, spiritûs illi corrosivi & acidi non solùm in suo vigore indestructi maneant, sed corrosivi magis reddantur, & intendantur, ut neque etiam præcipitentur. Idem & hîc contingit, quando spiritus Vitrioli jungitur spiritui Tartari. Ab his licet aliqua suboriatur incalescentia, non tamen propterea se mutuò destruunt, non se mutuò præcipitant, nec spiritus Vitrioli ab aciditate sua immutatur, neque etiam odor graveolens, vel empyreuma, spiritûs tartari dissipatur; quæ cuncta ex lege naturæ fieri deberent, si tale alcali in spiritu tartari existeret, juxta falsissimam *novelli Hippocratis* assertionem. Videmus autem, prædicta omnia firmiter constare in horum spirituum commixtione, tùm aciditatem spiritûs Vitrioli, tùm etiam empyreuma, & odorem graveolentem, spiritûs Tartari: ergò nullus sal verus volatilis & purè salsus, in spiritu tartari continetur. Ut neque in Calce viva tales ficti sunt sales, sibi invicem contrarii, quos sibi antiquata cantilena saltem finxit. Verùm inest calci vivæ ignea particula incorporea, veluti comburens, & indurans, spiritus lapidificus, omnia animalia destruens, salium volatilium infensissimus hostis, eaque mortificans. Hæc ignea vis, & particula, in calce, vel ab aëre humido, vel aliâ humiditate actuata, insurgit, omnia secum suo igneo lapidifico spiritu indurat, mortificat, & à putredine arcet. Hæc veræ Philosophiæ consentanea sunt; locum tamen in vacuo *Hippocratis novelli* cerebro non inveniunt, quia calumniis & sarcasmis repletum, quos nondum omnes in

Reformatorem effudit, ut etiam in *D. D. Augustanos*, qui & ipsi spiritum Diatrion, *pag.* 431. *col.* 2. suæ Pharmacopœiæ haud ineptè inseruêre: nec illis lachrymabile est medicamentum, sed eximiis virtutibus prædi- tum, antiquis & modernis doctissimis Medicis familiarissimum. Maneat è contra iniquo huic Calumniatori ridicula alcalizata Philosophia, quam in vacuo & spatiis suis imaginariis meditatus est. Neque porrò Mixtura illa de Tribus, quam, *pag.* 433. *col.* 2. Animadverf. inserui, hoc lachrymabile meretur encomium: quia idem spiritus Tartari, (licet cum antimonio destillatus, & efficax magis redditus) si cum spiritu Veneris sociatur; nulla virtutum earum fit destructio, nulla salis volatilis immutatio: sed ambo spiritus in virtutibus suis potiùs exaltantur, junctisque viribus efficaciores redduntur.

Alcali porrò *volatile in tartaro, saturari ab acido sulphuris antimonii:* Proh dolor, quàm iniqua, quàm insulsa Lectori instillas! An potest sulphur, etiam crudum, potentius multò sulphure antimonii, salem quendam volatilem figere & fixare, aut saturare acido suo spiritu, si non accendatur, vel in actum deducatur accensum, ut actu spiritûs suos eructet: qualis spiritus tandem salia volatilia purè salsa saturando demum, nequaquam destruendo, aptus natus est? Ad hanc normam spiritus Tartari destillatus cum antimonio, à sulphure ejus, scil. Antimonii, aurato, non inflammabili, sibi associat aliquid virtutis, & propriâ volatilitate secum per alembicum rapit. Philosophus iterum mansisses, si tacuisses, mi *Tacheni*.

Stultitia est index linguaque mensque Tua.

Hippocratem frustra imploras Numen, libro iterum de diæta, jejunus Philosophus: sed profanis non adest, ne dicam, falsariis. Iteratò falsum etiam est, quòd, *pag.* 125. *in margine*, scriptitasti, nimirum: *absque arte non reperiri in natura acidum purum sine alcali mixtum, & vice versa.* Hoc falsissimum est & jam demonstratum; quidquid etiam ex divino Sene, de diæta, lib. I. mussites.

Reliqua, quæ hoc ipso *capite* 18. continentur, utpote, *pag.* 124. *lin.* 12. *paragr. qui incipit: Aciditas vero, per liquorem sparsa, &c.* item, *pag.* 125. *lin.* 4. *paragr. qui incipit: Huic alcali, superadde acidum, &c.* præ reliquis inquirenda Amico Lectori suaserim. Talia enim sunt, quæ vel Oedipum terreant, vel Philosophum arceant; amusa & obscurissima. Ego sanè, nisi me labores Chymici, & Pharmaceutici à teneris instituissent; præ doctrinæ hujus caligine minimè assequerer, quæ secreta, & aureos montes, publico donaret *Tachenius*. Verùm cùm experientiâ noverim, quid sit subsidentia vel residentia, aut potiùs remanentia, aceti; vini item naturam, ac historiam, per omnia investigârim: hanc Chimosophiam, lamentabilem & mancam doctrinam, risi, ac plausûs dedi. Ne autem Ben. L. hoc mysterio defraudem; en! totum adscribo contextum, qui talis est:

CAPUT XVIII.

Cujus inscriptio:

Ex fodinis nunc in Amenum hortum ad vegetabilium occultiora alcalia volatila me confero.

Vegetabilium mechanica instrumenta Hippoc. duo

Vegetabilia omnia, non minus quam animalia habent instrumenta vitalia, quibus utuntur, ad horum incrementum & propagationem. In semine igitur tanquam ovo, vel stomacho, dormit prævalens acidum, cum pusillo alcali, pro sui sustentatione, cum specifico rectore (de quo alibi) cum vero in terram, projicitur, humido solvitur; & calido excitatur; acidum ut igneum incipit agere in alcali, cui humidum accedit, illud rector, caloris beneficio informat;

facultates. lib. 1. de diata.

[Fermenti mysterium olim studio occultatum fuit.] mat: sic invisibiliter acidum assumit alcali, & alcali vicissim sorbet acidum, in utramque partem tendunt fermentorum more, imo non cessant, donec cursum præfixum absolverint ad suos fines: spiritus alter trahit alter protrudit, &c. ait Hip. citato loco.

*Humidum itaque cujuscunque vegetabilis, continet acidum & alcali, in aliis prædominatur alcali, in aliis acidum, acidum est notissimum, alcali verò hactenus paucis cognitum: quod in expresso uvarum dulci succo, ut notissimo ad oculum nunc ostendam; in quo primis diebus rector dormit, qui paulo post, admovet mechanica instrumenta. acidum incipit rodere alcali, illud, absorbet acidum, fitque actio & pugna vehemens quam à fervendo fermentationem appellamus, & id donec acidum ut supremum vicerit alcali, in illa pugna, ambæ facultates (sapores, instrumenta, mechanica vel architectonica, voca ut lubet, vel etiam archeus, calidum innatum, &c.) patiuntur ingentem cladem, fitque internecio vigorosa, acidi ab alcali absorpti & pessundati ac fatiscentis, ambo cadunt mutuo amplexu in cadaver (vini respectu) quod Tartarus appellatur.

[Fermentum quod fervendo crescit.]

[Spiritus Tartari.] Hunc, ex retorta, si distillaveris, acidum excitatur à calore, & rursus incipit agere in alcali, illud vicissim in acidum, fitque nova fermentatio. ob id lentissimo igne agendum est, & licet recipiens vas, ut ut magnum, fermentationis tamen incondensibilis odor (Gas vocat Helmont.) percipitur longè, vincit tandem alcali acidum, illudque plane absorbet, & ambo pro majore parte fixantur. Liquor & oleum in receptaculo, saturati sunt alcali volatili, quod egregii usus per se, à paucis tamen cognitus. Distillatum liquorem & oleum, si rursus capiti mortuo reaffuderis, tunc alcali volatile quod liquor continebat, absorbetur ab acido in capite mortuo, & fixatur, quod autem rursus tunc stillat, erit aqua elemento vicinius & minoris efficaciæ. Reformator verò, ut ubique, sic etiam hic graviter impingit, ait enim: (a) vulgaris spiritus tartari, qui à suo relicto capite mortuo non rectificatus, nulla ratione, pro puro spiritu tartari haberi debet. Ex hoc suo rectificato spiritu tartari (& proprio insipido cerebro) componit medicamentum, profecto lacrymabile, quod vocat (b): mixtura de tribus, ex mineralium spiritibus. Primo; alcali volatile in tartaro saturatur, cum acido sulphuris antimonii, idque vocat: spiritus Antimonii Tartarisatus, si forte fortuna, aliquid alcali volatilis adhuc superesset! en, quid agit? illud deinde mortificat cum aceto ex ærugine, & acido vitrioli: unde hæc dispendiosa, sed artificiosa & inutilis compositio, constat ex aqua elementali, & aceto; hanc mixturam antiqui poscam nominarunt, huic reformator nil, nisi fœtorem tartari addit.

[a Mantissa Hermetica fol. 745.]

[b Mantissa fol. 750.]

Spiritus autem tartari prudentia ab Hippocratico distillatus, non est acidus: sed subamarus, & alcali volatili saturatus, cui si spiritum vitrioli affuderis, incalescit, ut lagena vix manibus, teneri possit, evidenti argumento quod acidum vitrioli alcali tartari absorbeat, sicut calci aqua affusa contingit, & quemadmodum in calcis calefactione, salsa moriuntur, & in neutrum degenerant. sic de spiritu tartari, cum acido quocumque misso intelligendum est. Sic docet (c) Hippocrates Doctor meus. Redeo nunc unde digressus, ad chymicam nimirum vini fermentationem, cujus causa tartarus cecidit in fundum, ut cadaver.

[c per mixta alterantur lib. 1. de diæta.]

Aciditas verò, per liquorem sparsa illi dominatur defenditque, & vocatur vinum, hujus aciditas fit palato grata, respectu alcali, quocum amicitiam inivit, acidumque temperat, donec tandem aciditas, alcali pertæsa, aut calore iterum excitata, superare contendit alcali, fitque nova, at insensibilis pugna, vinumque magis acescit, vocaturque communi nomine acetum. Cui si per alembicum separatur aciditas, & fundus per ignem concrematur, tunc reperitur ex tartareo illo fundo alcali, quod tamen multis impossibile videbitur in tanto acido, alcali reperire, & tamen verum est (d) id voluit philosophus (e) inquiens: impossibile esse materiam, cui non subsit aliqua forma.

[d absque arte non reperitur in natura acidum purum, sine alcali mixtum, & vice versa Hip. lib. 1. de diæta.]

Huic alcali, superadde acidum distillatum, & evoca phlegma aquosum, odorem aquæ ardentis habens, tunc ex acido & alcali, habebis

[e Arist. primo physicorum.]

bebis tartarum regeneratum, qui ex retorta dat oleum pingue, & aquam amaram, alcali volatili saturatam. Ex phlegmate, per phialam longi colli, evoca pingue ardens aquosum, quod aquam vitæ appellamus; reliqua pars est aqua elementalis. Pingue, reassumit alcali, de quo rursus evoca aquam elementalem, repete hanc operationem, & tota vini substantia in aquam & terram elementalem omni sapore & odore privam transit. Hinc patet, quod uvarum succus, alcali & acidum in quo rector habitat) conservavit, per varios casus, per tot discrimina, usque ad ultimam sui annihilationem. Accedo ad

Sic rector paulatim, à sensibus nostri externis in nihilum recedit: adeò ut non inveniat homo opus, quod operatus est Deus Eccl. c. 3. v. 11.

CAPUT XIX.

Inscriptum:

Desertam & incultam viam explanat.

IN hoc non minùs, quàm in aliis, haud pauca occurrunt absurda. Quælibet enim periodus correctione indiget. *Paragraphus hujus capituli tertius*, p. 128. *lin.* 17. hæc habet. *Quemadmodum enim, alcali fixum; Mercurium; & alcali fixo vicinior; vitriolum præcipitant, ut supra ostendi; sic etiam hic, mitius alcali; requirit & mitius examen.* Hæc est, juxta hujus capituli inscriptionem, desertæ & inexcultæ viæ explanatio: *Huc igitur adeste*, qui viam excultam ambulare cupitis; *& jucunda vestris oculis aspicietis*. Verùm necessum est, accedat Oedipus non Davus. *Pag.*130. *lin.*5. novum dogma novum proponit secretum, dicens: *Aciditatem* (a) *esse, caloris & doloris causam observarunt cum Chyrurgis, quamplurimi emunctiores Medici, ut etiam, quo Cornu Cervi ustum; acetum & reliqua acida, omnis generis, in se absumit, unde illud, in maxima dosi, ab uncia semis, ad unciam, in aqua refrigerante, alcali volatile continente, felici successu febricitantibus propinarunt. Nam sicut cornu cervi ustum, ex aceto absorbet & combibit, acidum volatilem salem, sic aciditatem in quibusdam febribus obortam, tollere & absumere, non sine magno animi gaudio animadverterunt.* Cornu Cervi usto tantam inesse vim, in acido sale volatili absorbendo & combibendo, quis, ante *Hippocratem novellum*, credidisset? Corni Cervi, vel quæcunque alia ossa Animalium, Hominum, Equorum, &c. si adusta, indifferenter se habent, ac nulla inter illa est disparitas; suntque corpora ac terra mortua damnata, omni sale, omni virtute, vacua. Proinde, quòd libera sint & mortua corpora, nil planè illis inest de sale sive fixo, sive volatili, ad testas, seu capellas probatorias, metallis perfectioribus purificandis & finandis, uti loquuntur. Pari ratione etiam cineres simplices lignorum elixiviati, omni sale ac virtute spoliati, usurpantur: quod ipse Author alio loco confirmat. Hæc, inquam, ossa mortua indifferenter se habent ad recipiendum quemcunque liquorem, sive acidum, sive salsum, aut insipidum etiam, & dulcem, tantum nimirum, quantum, pro eorum humectatione, saltem sufficit; prout alia quæcunque terra mortua, calcinatione omni humiditate spoliata: non verò, quòd ex liquore aliquo, sive acido, sive salso, aciditatem & salsedinem tantummodo, absque eorum liquore, elicere apta sint. Clariùs dicam: uncia una ossium quorumcunque adustorum, seu calcinatorum, de liquore quodam, sive acido, sive salso, unciam dimidiam circiter, vel minus, pro sui humectatione, in se absorbet, relicto reliquo liquore, superabundanter affuso, in suâ salsedine, suâ aciditate, nec quicquam vel hebetiore facto, aut permutato. Sic neque ex acido liquore salem aliquem inhærentem, neque ex acido etiam salso liquore acidum solum, peculiariter hoc, vel illud, separatim attrahere, apta nata sunt, sed indifferenter, ut denuò repetam, ad quodcunque recipiendum, non verò separandum, non

a De specifico acido hic sermonem institui, compendii brevitas non permittit: vide tamen, cap. 21.

non hoc, vel illud, peculiariter eliciendum, se habent. Ergo nequaquam ex aceto absorbet & combibit separatim, & solum acidum volatilem salem (quia & acidus sal purus in rerum natura non reperitur; & implicat) aut ejus aciditatem; sed de toto aceto, quantum pro sui humectatione requiritur, relicto reliquo aceto impermutato, & suâ aciditate plenè adhuc gaudente. Ergo nequaquam ossa calcinata, sive *Cornu Cervi ustum, aciditatem in quibusdam febribus abortam, tollere, non sine magno animi gaudio animadverterunt:* sed est fiducia inanis, frivola assertio, nec naturæ nec rationi consona. Etenim si quis acidam aliquam humiditatem, ventriculo ingestam, aut primis viis inhærentem, calcinato cornu Cervi tollere & absumere vellet, necessum omnino esset, ut, ea in quantitate, siccum cornu Cervi ustum, ullo liquore priùs imbutum, nullo modo humectatum, nec etiam in ore salivâ tantùm madefactum, ventriculo intruderet, quâ quantitate & pondere nimirum (plus duplo) sufficiens foret, liquorem acidum inhærentem totum, non ejus acidum solum, in se recipere, & absorbere; sed, quod studiosè advertendum, adhibito motore, vel transvectore, qui hoc, ab acido febrili impregnatum tandem cornu Cervi ustum, per intestina innocuè veheret, & tandem per guttur inferius exturbaret. Hoc est præcellens medicamentum antifebrile, *ex magno experimentorum cumulo* Hippocratis novi excerptum; hæ sunt virtutes prægrandes, quibus pollet cornu Cervi ustum. Et hæc ex fideli ac secretâ communicatione magni Chymici, *Tachenii*, habete, quæ *non sine magno animi gaudio* amplectemini.

Plura hîc loci essent dicenda, præsertim de iis, quæ Author, *in sequentibus paragr. pag.* 130. 131. adducit, de herbis vulnerariis & refrigerantibus; item de earundem aquis destillatis; & quâ ratione differant ab aquâ spermatis ranarum, quæ verè abundat sale volatili, tanquam ex animalculis, aut eorum saltem spermate, destillatâ. Verùm quia paucis complecti nequeo, idcircò brevitati studens, ulteriùs progredior.

Devenio autem, *pag.* statim *sequenti* 132. *lin.* 5. ad consuetas *Tachenii* calumnias, contra Methodicos Medicos, quos denuo, in despectum, *Canonicos* appellat, eosque *vesaniæ, stultitiæ, & ignorantiæ*, accusat, malè, contra doctrinam *Hippocratis*, medentes. Et paulò pòst, *lin.* 13. superbissimo supercilio se ipsum nunc Hippocratem sistit & proclamat. Addam igitur hujus paragraphi integrum textum, qui incipit *pag.* 131. *lin.* 5. *Sic & aqua destillata, ex ranarum spermate (totum sperma cum patientia ex balneo elevatur in puram aquam relictis granulis nigris, & aridis, quæ non sunt rejicienda) abundat occultò volatili alcali, & plumbum ex dicta solutione ilico præcipitat, promptius, & copiosius, quam ulla alia aqua refrigerans; hæc aqua magni est æstimanda, in plurimis affectibus, ex peculiari acido: desperatam enim hæmorrhagiam, ex utero, feliciter sanatam novi, quatenus sanguinis aciditatem, primò absorbet, postea inhibet & arcet. Hæc etiam aqua, dolenti parti podagræ applicata, statim dolorem mitigat, quatenus acorem mortificat & alterat. Cum vero dolor est vehementior, tunc aciditas est in majori copia & vigore, alcali volatile causam absumens, manifestior tunc esse debet; tollit vero dolorem indubitate; hinc discitur, hujus causam ex acido provenire, si alias à juvantibus & nocentibus, sumenda est principalis indicatio, ut Avicenna docet, Vesaniæ itaque similis est, quorundam Canonicorum medicorum stulta opinio, quod contra Hippocratis doctrinam, contrariis mederi, & hujusmodi simplicibus catarrhum ut ajunt repellere, majusque malum causare ex ignorantia timent, & idiotis persuadent. Alcali enim volatile Hippocrates indicat, inane & vacuum, quod omnem dolorem podagricum (non loquor de nodosa & coagulata) artriticum, nephriticum, sciaticum, & similia, paucissimo spatio, externe saltem adhibitum tollit, quatenus acidum, doloris causam, confestim (impatiens inaninatis) combibit & absumit.* Item *pag.* 133. *in margine*, ait: *Notent canonici medici, quod Alcali aqua communis non ascendit per alembicum, ideo destillata*

Aqua refriger. occultam habent alcali.

Alcal. volat. podagræ dolores absumunt.

Podag. nodosa coagulat. ut calculus, diverso saltem acido.

ta

ta non refrigerat sicut spermatis supra dicta.

Profectò, *Tacheni*, impudens es, & malignantis naturæ Rabula, meritò censendus, qui non unum Reformatorem, sed Scholas, & Medicorum doctissimos cœtus, petulanti lingua tuâ saucias. Ego neque tibi neque ex Acherontis Echo, neque ex Baldo & Bartolo cito, quòd pœnâ dignus sis; sed proprio ore in te fibra tam allego sententiam, quoniam, ex tua Vindiciarum Echo,

Bestia caudâ brevi malè tegit posteriora
Stulta lingua & levis male tegit interiora.

Nam: in ore fatuorum cor illorum, & in corde sapientum os illorum. Quid gloriaris in malitia? An capis, quæ doces? An percipis, quæ in Canonicis & Medicis Dogmaticis reprehendis? Profectò periculosæ plenum opus aleæ est, & ancipitis eventus, Podagricis, & quibus ad articulos malum decubuit, repellentia admovere: & vesaniam merito, & nequitiam simul arbitror, nec non stultum *Tachenii* dogma: hujusmodi simplicibus catarrhum, ut ajunt, repellere. Vade, piger, ad formicam: consule Viros inculpatæ vitæ; sanæ doctrinæ Methodicos, *Canonicos* & Classicos: audi, quid loquatur in te Spiritus sapientiæ: disce cautiùs de humano corio deinceps mercari. Si enim temerarium te hominem, & Medicastrum, sectabimur; dubium non est, quin & podagras arceamus: sed, ut dicitur. Morbus curatus est, homo autem periit. Reliquas vindicent Scholæ calumnias.

Hac ipsâ *pag.* 132. *lin.* 27. miranda & nova docet, dum statuit, *aquam putealem, vel fluminis, alcali occultum continere, cujus ratione nutriat animalia & plantas omnes. Ferrum ignitum, ac in aqua extinctum, acquirere robur, docere, dicit, Hippocr. citato libro.* Præterquam quòd doctrinam hanc, duce Philosophiâ, & propria ratione, futilem, nugatoriam, ac inanem esse, cognoverim; si vera ea esset, tanta, proh dolor! præsidia, urbium & castellorum fortissima munimenta, bello & fame diruta etiamnum non squallerent, dum eorum præsidiarii multum quidem salubrioris lymphæ, sed parum, aut nihil, habentes alimenti, fame tandem ac inediâ decessêre. Consului tamen innumeros & doctissimos viros, qui hoc argumentum tractarunt fusiùs; & ex eorum censu magnum Stagiritam, *lib. Meteoror.* & 4. *Physic.* Albert. Magnum, *lib.* 2. *Meteoror.* Hippoc. *lib. d. capit. Vulner.* Galen. Plinium, *lib.* 33. *cap.* 1. 2. & 3. Vitruv. *lib.* 8. Jovium Pontanum, *Meteor. c.* 34. Solinum Polyhistorem, *cap.* 10. & 32. recentioresque quamplurimos, & maximè Helmontium: Tit. *Aqua*: doctissimum Kircherum, *lib.* 5. *de Virtut. aquarum*; item, *in itinere Hetrusco*: & alios (tantum negotii facessit vel unicum delirantis phasma) & ne unum reperi, qui virtutem alimentalem & nutritivam Aquæ accenseat. Sed plus unius Morionis negandi pertinacia prævalere attentat; quàm centum sapientum demonstrationes. Te igitur hic nutriat latex cum alcali tuo, nec melioribus dignus est: nos interim nostra tueamur. Sed forsan à pari argumentari volebas, quòd nimirum aër plus contineat hujus volatilis salis, de quo loqueris, quàm aqua putealis, fluminum, & destillatæ ex herbis refrigerantibus, adeoque forsan plus enutriat. Sed alia hîc ratio militat pro aëris constitutione, qui, (sic mecum quamplurimi viri docti sentiunt) suo modo, porositates suas habet, in quibus hic sal volatilis detinetur; quem elicere, operosum non est; prout ex *m. Animadvers* pluribus patet. Non sic ex aquis, quæcunque illæ sunt, hic sal elicitur: ex quibus sequitur, alcalibus tuis (quæ vacua stupidè asseris) plenum esse aërem, plus nutrire aërem, quàm aquam; plus refrigerare, quàm aquas destillatas, quæcunque illæ sint; quoniam plus sale abundat. Sic aëre vivimus, nutrimur, & sanamur. Hæc citra calumnias, & textuum adulterationes, pro inani commento tuo, objicere placuit.

Plura se offerunt emendanda in hoc Capitulo, utpote de præcipitatione, & solutione, sacchari Saturni; de indurando ac corroborando ferro, quod per mechanicam tritum; & quamplurima. Sed dedignor pluribus immorari. Legat interim B. L. authoritatem quam, *pag* 134. *lin.* 22. affert, ac quâ ratione ad rhombum sit, combinet. *Hinc Lactantius*, ait; *lib.* 1. *cap.* 5. *à qua sunt omnia*, sed quid illa,

illa, & illud? *Quod ante Hippocratem, Thales Milesius, fortassis hac arte, etiam cognovit: teste Laërtio in Talete. Sic Hermes antiquissimus. Aqua inquit: est susceptibilis nutrimenti in hominibus & aliis: Et sine aqua non operatur natura, &c.* quæ omnia ultro concesserim: ergò aqua nutrit: negatur falsissima consequentia: cruda authoritas est, ac alio sensu accipienda.

Quæ porrò, *paragr. sequenti*, de Aqua Rosarum, & aliis aquis, scribit, *pag.* 134. in cupreis instrumentis destillatis; hæc laudo: & probo consilium: ex quo fundamento & iteratò, in Animadvers. m. & secundariò, in Novo Dispensatorio, Pharmacopœos hortor, ut non solùm in destillationibus aquarum, sed & decoctionibus quarumcunque rerum vel liquorum, tantillum saltem acidorum, vel quasi vinosorum, à cupreis, æneis, aut aurichalceis, instrumentis abstineant, &, eorum loco, terrea, vitrea, aut etiam ferrea, vasa, ac instrumenta, sibi procurent: ac, si tamen in cupreis vesicis, uti vocant, stanno probè obductis, suas perficere velint aquarum destillationes; capitellum saltem vitreum agglutinent, nec non cannas etiam ex cupro, per vas refrigeratorium, mutent: quoniam hæ particulæ, quas aquæ, ex cupreis instrumentis destillatæ, de metallis secum vehunt, non ex infimo continente vase, sed ex superno receptaculo, seu capitello, & canna cuprea, per quam fluunt, abraduntur, vel abluuntur, aut solvuntur, ac unà cum aqua eliciuntur. Nam metallum quodcunque, & vel cuprum, non ejus est volatilitatis, ut, unà cum vapore aquoso exhalante simplici, in altum elevetur, & per alembicum transeat. Sufficiat igitur, vitreum capitellum cupreo etiam vasi destillatorio, rejectâ nec non cupreâ cannâ, apposuisse & agglutinasse. Tale vas destillatorium, ad omnes simplices & compositas Aquas legitimè & dextrè destillandas inveni, & æri incidi curavi, *in Classe decima quinta Aquarum destillandarum, Dispensatorii n. Novi:* ubi majorem Lector hauriet eâ de re informationem.

Pag. 136. magnificis iterum verbis Lectorem pascit, ac, velut Tantalo, quos jamjam prompsit fructûs, malitiosè eripit. Ita enim, *in margine*, ponit: *Specifica remedia*; & ne unum apponit, quod non vetulis & agyrtis notum. Amplas quæstiones, & Philosophiæ abdita theoremata, proponit; tumultus excitat: sed nihil horum solvit. Quærit, cur succus millefolii conducat Hæmorrhoidibus specificè: cur ictero Fumaria? Sed iteratò quærit: nihil decidit. Hoc proprium est Idiotarum: multa dubitare; nihil resolvere. Item, *in sequentibus*, statim: *ut & in quo consistat purgantium facultas?* Sed audite responsum: Optat ephippia bos piger: optat arare caballus. *Ea nunc hic enarrare, nimis operosum esset: Lampada tradidisse, sat est.* Caliginem nobis induxisti, non lampada tradidisti, tenebrio: quamquam, cum fatuis Virginibus, tibi lampada, sed oleo non instructam, esse, indulgeam. Hîc Rhodus: hîc saltus, *Tacheni.* Hîc inaudita, nova, rara, occulta tractare licuisset: hîc te Philosophum, & *novum Hippocratem*, non verbis, sed rebus, inaugurare. Non enim erat quæstio de vitriariâ, saponariâ, indusiorum loturâ, lixiviorum apparatu; sed de facultate purgantium, arduâ, in universâ Medicinâ, quæstione; de qua, cum Theoreticis, præclara quæque quærere & dissertare potuisses; an solâ facultate irritante, quâ vasa laxantur, distenduntur, & ipsa natura ad exitum stimulatur, purgantia agant: ut voluit Aristot. *lib.* 1. *probl.* 42. an verò vis purgatrix è qualitatibus primis, notis aut manifestis, resultet, ut calore pharmaci: an verò à toto temperamento: an potiùs occultâ vi & qualitate, seu actione totius substantiæ: an Magnetismo; ut fit in Agarico calido, frigidam pituitam deturbante; à Myrobalanis citrinis, frigidis in primo; & à Tamarindis, frigidis in secundo: quæ utraque calidam bilem subvertunt. De quibus vide Mesuen, *lib. simpl. c.* 2. & *c.* 7. an vis cathartica assignanda similitudini potiùs, relationi, symbolo, & modo substantiæ; prout Rhabarbarum demonstrat, solam ferè bilem evacuans; aut à potestate occulta: prout meus etiam Hippocrates docet, *lib. de natura humana*, & *lib. de medicamentis purgantibus*; & Galenus, *lib. contra Iulianum, c.* 13. item, *de natura humana tex.* 17. & passim: an pharmaca, ut selectivè purgent,

purgent, debeant deduci ad venas, contactu suppositi; ut Bravo loquitur: an solâ irradiatione; ut aliorum est opinio: an purgantia solos naturales humores, non verò purgent corruptos, putridos, ac malignos; ut Zacutus acutè voluit, eò, quòd hoc opus naturæ sit, crisi talia, vel acrisiâ, sequestrare: & innumera denique talia, homine ac Philosopho digna, agitare licebat, ac mox ex destillato cerebello tuo, post tot ventos, & promissa, novi aliquid & inauditi, juxta amplissima promissa, nobis afferre. *Sed est operosum.* Mentiris, sed ignoras, *Tacheni.* Ex Helmontio nihil depeculari, harpagare, furari, transcribere, tibi in promptu fuit, *Furcifer:* igitur lampas tibi extincta est: Helmontius oleum non suppetiit: uti non dubito, quin ab eo suppetias mendicâris; sed ubi ab illo audiisti, Titulo: *Respondet Author:* (ad tua forsan postulata) *pag.* 336. *paragr.* 6. *Reus sine coram Deo, si non prorsus suadeam, omnino à laxativis abstinendum:* &, *paragr.* 3. *fides nulla danda solutivis.* Iterum, quòd purgantia perfecta solis ægris, non sanis, competant; neque per secessum, neque sudorem, sed insensibilem transpirationem, operentur; quòd nullum, ex tribus humoribus, purgent; sed purgata, & excrementa per pharmaca educta, sint virus pharmaci, mactatus cruor & cadaverosus; & plura his affinia, quæ vide, *pag.* 306. *parag.* 14. quando animadvertisti, quod Paracelsum comptè pexuerit, eò quòd ridiculè affirmaret, laxativa operari non, nisi calcinatione, superveniente liquido; ac laxativum cum humoribus resolvi in calcem, &c. hæc à longè subodoratus, aures subduxisti, lixivium veritus es, alcalibus miseris tuis prospexisti, *& operosum tibi visum fuit.* Satis erat, lampada extinxisse, & tenebras quæsiisse & latibula coluisse. Vah pudor! *Tacheni!* quòd hîc herbam porrexeris; quòd ex castris fugeris, & hastam abjeceris. Hîc Dogmaticos & Canonicos exturbare poteras, quorum mentem supra retuli; aut Galenicos vindicare adversus Helmontium: & te Herculem dixissemus. Tuam mox novam, inauditam, doctrinam sancire poteras: & plus quàm *novum Hippocratem* Orbis te coluisset. Sed: ibas, quò quibas; quò non quibas, ibi stabas. *Onerosum erat.* Fricabas auriculas, &, quod pessimum, nihil incidit. Profectò, *Tacheni:* res alia est sceptrum; alia plectrum: aliud: *Novi Hippocratis*, in fronte & capite libri, inscriptio; aliud, in arena, ex cathedra disceptare, & ad Rhombum loqui. Bonus es Rabula, ubi *operosum non est*; sed malus athleta in Medica palæstra; ubi, profectò, operosum. Sed hæc per parenthesin longam, tibi in aurem, & tuis in auriculas, *Tacheni.*

Ais, *sequenti* statim *paragrapho: Susurrones hic audio.* Haud crediderim, *novelle Hippocrates:* forsan adhuc aures tibi tinniunt ab hâc, quam supra invictus sustinuisti, exegesi? *Susurrones hic audio, quod cum plumbo soluto, vegetabilium alcalia volatilia, demonstrare contendo, pag.* 136. *lin. antepenult.* Falleris, *Tacheni*, non susurrones, sed toto splene ridentem, & totam in cachinnos effusam Scholam audis Medicorum. Cur? primò, quòd, ut ipse ais, cum plumbo soluto, per alcalia, in alcalibus, & ex alcalibus, purgantium vires, universam Chymiam, & ipsam naturam, deinceps alcali ex alcalibus dicendam, tractare, ac mentiri, ridiculè attentes. Quid hæc ad scopum & connexionem? Secundò, rident pulchram & aptam solutionem objectionis hujus, quam attuli, *pag.* 137. quæ talis, *in margine: solutio: ais:* in paragrapho illo sequitur tandem: *Quantum luminis Hippocratica hac doctrina addit medico* (plus quàm sol Heracliti!) *tam in componendis medicamentis, ne unum alteri obsit* (*imò simplicium virtus miro modo hac scientiâ exaltari potest*) *quam etiam in morbis sanandis.* Quid tempore, Baccho sacro, festivius afferri posset? Quis ordo? quæ connexio, ad propositam objectionem? Quantum tenebrarum, quantum dedecoris & macularum, tua doctrina, nihil minùs, quàm Hippocratica, attulit? Ridemus ulteriùs, quòd de urtica, canitiem retardante, tam ambigua & falsa affers. Ridemus, quòd Salomonem tua alcalia tractasse somnias & insanis, dum *pag.* 138. scribis: *Hujusmodi, existimo, fuere absconsa virtutes radicum, de quibus Salomon, &c.* & infra: *non enim credibile est, quod verba funderet, de primis qualitatibus, & gradibus elementalibus quas lin-*

gua

gua metiri promittunt nostri Botanici. Sed, sine dubio, de alcalibus *Tachenii.* Ecce! plus homo hic, quàm Salomon, in omni gloria sua. Ridemus, *Tacheni*, quòd, *pag.* 139. cum Arnoldo, hoc dogma amplexêris, dum, *ubi in promptu habentur simplicia, inquit: dolum esse, si quis compositis utatur:* cùm tamen suadeat hoc totum opusculum tuum; illud maximè *capitulum* 14. *pag.* 81. *Calculum resolvit & componit pro majore lumine:* sc. antiqua & apta diruere, dissolvere, nova arcana, inaudita, componere, cudere, & ineptissima substituere. Fateor; dolus est, si cui sint ad manum simplicia, uti compositis, & imposturis *novi Hippocratis.* Ridemus, *quòd compositum pulverem inveneris, qui chinellæ vires, si non superat, saltem ei aequivalet in quartana, pag.* 139. *lin.* 24. Quis est ille Pulvis? Quid? Ventus, sonus, mendacium: nec verbulum de hoc allegas ampliùs. Sic etiam Ego, ut tu, *Tacheni*, habeo Lapidem Philosophorum; sic universalem Panaceam possideo; sic Orbem instruere possem; sic fraude quisque potest *novus* inaugurari *Philosophus* & *Hippocrates*, pollicitis dives. Sanè, frater, de fera comedisti, ut Plutarch. ait. Et putabas: in magnis & voluisse, sat esse. Rideremus denique & sine fine, nisi hoc Capitulum ad terminum & finem jam pervenisset, tot scatens nugis & facetiis. Nunc ordine sequitur

---

CAPUT XX.

Quod inscribitur

Spiritualis plantarum repræsentatio.

Ex dictis & ostensis emergit fundamentum, (magnum & decumanum mendacium) *quo procedere debeat plantarum spiritualis regeneratio, de qua Quercetanus* (a) *in libello contra Anonymum, quam se vidisse ait, apud medicum quendam Cracoviensem, qui adeò eleganter cineres, cujusvis plantæ, apparare norat, earumque spiritus, omnium facultatum autores exactissime conservare, quarum supra triginta, vasculis diversis vitreis hermetico sigillo obsignatis habebat, ut: si quis rogaret, sibi rosam, aut calendulam demonstrari: tunc cinerem illius cum vasculo, cujus speciem esset editurus, vasculo rosæ titulo insignito, vasis fundum, lucernæ admovit, ut aliquantulum intepesceret, tunc tenuissimus, ac impalpabilis ille cinis, ex se, apertam rosæ speciem emittebat, quam sensim crescere, vegetari, ac formam penitus totius rosæ floridæ, umbram ac figuram exprimere videbat. Hæc autem umbratilis figura, vase ab igne remoto, rursus in suos cineres relabebatur: Hoc arcanum summo studio perquisivi, nunquam tamen assequi potui. Hæc ille.*

a Cap. 23

Hippocratico Philosopho, hæc plantarum spiritualis resuscitatio non usque adeo difficilis videtur, præsertim quando non violento, sed molli igne procedit, naturam imitando, ut docet Magister. Modum excogitavi quem tamen hactenus experientia, nondum per confirmare, propter hujus loci, pro hoc studio, incommoditatem potui, hunc curiosis hic apponam.

Vulgus cremat per ignem; Hippocraticus per aquam.

Ostendi ex Hippocrate ad oculum ACIDUM & ALCALI *architectonica naturæ instrumenta, omnibus sublunaribus inesse: hæc cum artifici non subjacent, sed solius naturæ regimini; tunc istud subjectum crescit & vegetat, ut testatur abjectissimus silex, de quo suo loco dixi. Si itaque crescit & vegetat necesse est, ut acidum & alcali habeat quoddam* (b) *quod operationes, ad suos fines dirigat,* RECTOREM *voco alibi, hunc, voca tu ut lubet, modo rem percipiamus, propter verba enim nemini litem movebo. Hos tres, Hermes antiquissimus Philosophus vocavit*

b *Spiritum esse vinculum conjungens animam cum corpore alib. ostendi.*

Naturã in omni re simi-lem do-cuerunt, Hermes, Pytha-goras & postea Hippocr.

corpus, spiritum & animam, adeoque tria hæc latent in terreno illo domicilio, quod figuram seminis nobis repræsentat.

Hujus seminis, ex. gr. papaveris, flore pleno, colligatur libra seminis, Cælo sereno, quod temperato loco, conservari debet in futurum ver: tunc vesperi observanda, Cæli claritas, quæ promittit, serenam noctem, in qua, semen exponendum est larga vitrea, elato ore tabula, ne decidere possit, & locanda in pratum, aut hortum, variarum florum & herbarum feracem (nisi enim terra fuerit fertilis, sterilem colliges rorem) manè antè solis ortum, rore madidum semen, curiosè de tabula vitrea, demere, & in phialam, huic rei aptam (a) osculo cera bene obsignato, servare debes, ne ros exspiret (qui adeo levis est à spiritibus (quos occultè acidos & volatiles, sequenti capite, imo occultum vitæ cibum (b) ostendam) quibus in aëre impregnatus, ut cum inclusus in ovi testa fuerit, & appositus hasta (c) oblique posita, tunc ovum, à solis calore, elevatur, ad summitatem hastæ, ut docet Hildebrandus (d) sed à semine absorbeatur. Deinde rursus, serena nocte, tabulam cum seminibus, sereno exponere debes, in dictum pratum ut rorem hauriat, quem iterum ante solis ortum, in phialam dictam, obsignabis ne fugiat, sic semina, paulatim, à rore hausto turgere incipient, acidum & alcali à rore & superum influxu, vires acquirunt, quæ Rector dirigere incipiet, sic expositio, & repositio, tam diu repetantur, donec germinationis & vitalitatis signa edant.

a Vascula fuerunt inquit Quercet.

b Cum Cosmopolita.

c Quæ ut opinor non rotunda esse debet.

d in Magia naturali.

Interim dum hæc fiunt, oportet in eodem prato, cum mundis linteis, ligneis baculis expansis, rorem colligere, hunc in vase vitreo, optimè clauso custodire, qui dum quiescit, deponit suas faces (à pulvisculo per aëra volitante) hujus puri roris, tantum superfunde seminibus ut digitum transversum, plus minus ferè supereminent, & sic colloca in balneum vaporosum (Raimundus enim docet (e) illud quod facit natura, Solis & stellarum calore, hoc idem facit, per calorem ignis, dum taliter temperetur, ut non superet virtutem motivam & informativam, quæ est in materia influxa desuper) clauso phialæ osculo, cum liquato sulphure: acidum & alcali, in humido & calido, tunc in invicem agere incipiunt, liberabunturque à terreo seminis corpore, quo inclusi, & dierum curriculo, hæc naturalis compositio, in summitate viridescet, sicut aquæ stagnantes, per æstatis calorem ambientem, & in umbra latentes, contingit; sub viridi ista pelle perficitur tunc facultatum unio, quas volatiles, unà cum rectore ab acido inseparabilis (per se mori nesciens (f) ostendi, quam unionem, confermentationem appellare licet.

e In Testamento c.24.

f Vt docet Hipp. lib. 1. de diæta.

Domicilium vel seminis corpus mortua substantia erit, quæ viriditatem, id est fermentationis bullas, cum liquore superfluo, in se dierum cursu absorbet, ut vidimus in stagnis, viride efflorescentibus, vertiturque paulatim, in pulverem subtilissimum cineri similem, quando maturitatem acquisivit.

Hoc vasculum, cum intepuerit, ut vidit Quercetanus sinè dubio roris levitas, confermentata cum rectore & facultatibus seminum, elevabit papaveris iconem.

Vasis osculum, si vitrò colliquatum fuerit, nunquam periturum existimo: ut & quod practica, de verbo ad verbum, speculationem non sequatur, ob id requiro solertem & ingeniosum experimentatorem. Hactenus ut dixi, mihi periculum faciendi locus commodus Venetiis non est, neque erit, propter defectum fæcundi & puri roris, qui turbatur ab hali nitro (g) indesinenter hic spirante, ut muri omnium ædium testantur, cui & ipsi rores, quatenus etiam subtilis exhalatio, ut Aristoteles docet (h) & propria experientia confirmat, commiscentur, mixtique recadunt.

g Hali nitrũ fit ab exhalatione putridæ urinæ, & variis commixtis, sibi amplexis.

h lib. 1. meteororum.

Hujusmodi umbratilis rerum regeneratio à Paracelso, in naturali Hippocratica doctrina illuminato, sub Homunculi generatione occultata fuit, quem quidam medicinæ satrapæ, hujus doctrinæ ignari secundum literam intellexerunt (i) atque virum ut impium in exilium proscripserunt.

i Sennertus de consensu & dissens. c.4.

Addo: quod in universa philosophantium schola etiam cum magno labore, nihil reperiatur, quod mysterium resurrectionis, clariùs nobis ad oculum demonstrare posset, quam

hæc

hac natura propria instrumenta, ab Hippocratico, à quisquiliis mundata, rursusque reconjuncta, reunita & regenerata, si mysterium hujusmodi esset per naturalia demonstrabile.

Scimus, mi *Tacheni*, innumera posse artem, ad naturæ æmulationem, motu quodam plastico, naturæ consimili, reproducere: posse artem in simulachris, ac rerum Idæis, ludere. Nam & ars, naturæ simia: quanquam & hoc nequeat, quin naturam habeat assistricem: Scimus, mi *Tacheni*, etiam obmutescente tuâ Suadâ, in cinere salem, in sale, tanquam in gremio cujuscunque entis, aut vegetabilis, semina, quin & plasticam virtutem, latitare; & arte eandem plasticam vim, in sale, posse suscitari, ut, ex pergefacta, appetitu, & motu, quo fertur, & jussa est à Patre luminum, illam producat Idæam, & simulachrum, ad quam semen naturaliter destinatum est; sive flos sit; sive germen; seu tertium quid. Et hæc velut nova, *occulta, inaudita*, nobis obtrudis? Quomodo dicebat Erasmus? Asinus mysteria portat. Dixit; nisi me fallit memoria. Legistinè Joh. Baptist. Portam, *lib. de magiâ Natural.* Agricolam, Kentmannum, Gesnerum, Bockium, Bauhinum, &c. & nihil inde mutuatus es? Legistinè hoc novum miraculum tuum, quod, anno 1608. accidit, uti narrat Jeremias Cornarius, Archiater Brandeburgicus, Culmbacii, quomodo nimirum, cùm ipse tum, mense Junio, aquam quandam destillari curasset, eamque in vitro, quali solent aquæ destillatæ, asservasset: mense Novembri in vitri ejus fundo, plantula ejusdem aquæ viridis & efflorescens excreverit, omnium hilari & amœnissimo conspectu: quæ diu asservabatur. Lege Libavium, *Syntag. Arcan. Chymic. lib. 1. cap. 22. pag. 48. titulo: Appendix.* Hæc ille fusiùs narrabit. Quam nova ergo iterum doces? Legistinè magnum P. Kircherum, Societatis Scriptorem, qui, anno 1664. Mundum subterraneum imprimi curavit, ubi, *lib. 12. sect. 4.* de arte destillatoriâ, ostendit, quòd super lixiviorum, in hyeme glaciatorum, planum, & superficiem glaciei, sint ipsarum plantarum Idææ & characteres? hoc est, quòd oriantur ab alcalibus tuis? Item, quòd anno 1657. Romæ plantam rarissimam, ex cineribus suscitatam, in phiala Hermeticè clausa, jam decennio asservatam, Reginæ Sueciæ Serenissimæ, Christinæ, spectandam dederit? Et tamen: Venite, videte, *hûc adeste veritatis amatores: vos admiranda & jucunda vestris oculis aspicietis, & manibus tractabitis qua absconsa & occulta à sensibus & cognitione hactenus steterе: pag. 7.* Adeste igitur, Auditores veritatem amantes, & palpate manibus furtiva spolia *Tachenii!* An negare potes, quòd tu Schema illud, & paradigma, de resuscitatione papaveris, flore pleno, *pag. 142.* cujus initium: *Hujus seminis, ex. gr. papaveris, flore pleno, colligatur libra semis, cælo sereno, quod temperato loco, conservari debet in futurum ver, &c.* (sicut superiùs totus textus conspicitur) quod, inquam, hoc exemplum, & theoriam, suffuratus sis, ferè de verbo ad verbum, (nisi quòd quædam verba clara omiseris, & obscuriùs dederis) ex dicto R. P. Athanasio Kirchero, *Tom. 2. lib. 12. sect. 4. de arte destillatoria, pag. 414. in fol.* Clarè id apparet ex textu, quem hîc etiam, de verbo ad verbum, fideliter adscribo:

παλιγγενεσία:

Seu regeneratio Plantarum ex cujuscunque Plantæ semine

PROCESSUS.

Accipe seminis plantæ cujusvis maturrimi, tempore & cælo serenis lib 4. qua in mortario contusa phialæ mundæ, quam optimè clausæ, impones, & ne vel minimum expiret, caveto, asservata quoque phiala in loco munito. Hoc peracto observabis tempus vespertinum cæli serenissimi, ut sequenti nocte rorem decidentem colligas.

Phialam reservatam aperi, semen contusum comminutumque exime & super tabulam vitream extende; hanc verò tabulam cum semine in horto aliquo aut prato sub dio libero expositam relinque, & ne aliquid roris abundantioris è tabula defluendo pereat, tabulam unà cum semine in patina latiuscula collocabis, sic

fiet ut ros copiosè supra semen decidens, ipsi commodius naturam suam nocturnis hisce macerationibus conferat.

Eodem tempore ad rorem commodius excipiendum quatuor palis affixum linteamen subtile & purissimum extendatur, quod madore nocturno imbutum, deinde in vitrum mundissimum ad octo circiter mensuras exprimatur.

Porro semen imbutum rore nocturno iterum phialæ suæ inclusum, ne quid inde expiret, aut calore Solis extrahatur ante Solis ortum pristino loco reponatur. Ros ex linteamine expressus sæpissimè percoletur, colatus aliquoties distilletur, donec omnibus facibus & terrestri immunditie immunis evadat: faces verò relictas calcinabis, & salem dabunt pulchrum visu, qui mox in rore distillato dissolvatur.

Ros hoc sale imbutus semini in phiala asservato altitudinis trium digitorum affundatur, deinde phiala hermeticè cum vitro contuso & borace signata in loco calido & humido asservetur, aut etiam sub fimo equino, menstruo spatio condatur; deinde exemptam phialam considera, & semen ad instar gelatinæ transmutatum, spiritum cuticulæ instar videbis variis coloribus variegatæ supernatantem, & intra cuticulam & terram limosam, rorem de natura seminis existentem instar seminis viridis.

Phialam hanc ita sigillatam per totam æstatem suspende in loco Solis interdiu, noctu Lunæ, reliquorumque siderum radiis pervio, cælo vero turbato aut pluvioso, in loco sicco & calido reserva, donec pulsis nubibus serenitas demum affulserit, cui demum eam expones.

Accidit nonnunquam, ut opus hoc, mensibus fere duobus, aut citius, aliquando post annum, juxta temporum constitutionem absolvatur.

Cæterum signa perfectionis operis hæc sunt: limosa materia in fundo in altum contumescit, spiritus & cuticula indies decrescunt, totaque materia demum inspissatur, in vitro verò à reflexione Solis subtiles nascuntur exhalationes, & veluti nebulæ plantæ excrescentis veluti prima quædam rudimenta, sed debilis adhuc & sine calore, & ad formam solum telæ aranearum ascendentis nunc, modo descendentis pro radii solaris phialam ferientis efficacia.

Tandem ex tota illa in fundo subsistente materia spirituosa cinis fit, albo cæruleus, & tum successu temporis caulis, herba, & flores producuntur in forma & specie seminis, quæ species præsente calore comparet, eodem absente evanescens in chaos suum revertitur; sed quoties ignem applicaveris, toties calore suscitante materiam plantæ formam exhibebit, durabitque hac ratione, si vas benè obturatum fuerit perpetuò.

Vides, *Tacheni*, quod vera dixerim in prægressis? Cuculus es; peregrina excludis ova: Vespa, quæ alieno pasceris melle: Cicada strepera, industriores apes, & formicas (ad quos te Sapiens ablegat) exsibilans. Sic tu Methodicos, & Classicos Authores, Viros in Arte exercitatos, Pædagogos tuos, turpi sarcasmo *Canonicos* vocas; Botanicos cavillas, in prægressis & sequentibus schedulis tuis: & non vides iterum manticæ quod à tergo tibi in longũ prominet? Non vides, quòd tota tua doctrina sit molimen, conatus, & opus instar telæ araneorum, quam *Nausicca* etiam, *ad flumen lotrix*, sibilo & scopis dissolvere potest? Vides, quòd opusculum tuum (præter logismos, sophismata, amphibologias, sarcasmos, scommata, & vitia Grammatico-Syntactica, quæ soli & uni tuæ debentur industriæ) sint pura & mera furta ex Authoribus hactenus citatis? Iterum tibi, *nove Hippocrates*, non Bartolum & Baldum cito: *an aquâ sis Panâ dignus*, post tot furta & rhapsodias. Vide *Echo ad Vindicias*.

Postquam igitur ostendimus, quàm *non sit difficilis Hippocratico Philosopho hæc plantarum resuscitatio*, *pag.* 141. *lin.* 8. quàm non arduum, prostratâ arbore, ligna colligere, & alienâ bursâ creditores placare, nec non alienis inventis niti: transeo ad

CA-

CAPUT XXI.

Quod inſcribitur:

Dicta in ſummam contrahit.

FOrſan aptiùs dixiſſet: Summam calumniarum. Textus, *pag.* 147. *lin.* 3. talis eſt. *Alcali, & acidum volatile, in vegetabilium familia, concremantur per ignem, in ſal fixum, vel in plane alcalizatum. Modum quidem verbis magnificis, promittit Reformator in Mantiſſa Hermetica* (a) *nullibi tamen reperibilis, interim vituperat ſalia, quorum cineres cum ſulphure combuſti, reprehenditque Hartmannum* (b) *ut peſſimum ſcriptorem, nilque ineptius doceri, inquit: quam ſalia alcalia acidis miſcere* (*quaſi ipſius non docuiſſet Alcali viperinum, cum acido ſpiritu ſalis miſcere; ut etiam ſpiritum vitrioli, cum ſale abſinthii alcalizato, ſub titulo ſpiritus Vitrioli coagulatus,* (c) *& rurſus in Appendice, fol.* 100, *ſummis laudibus rurſus extollit hujuſmodi mixta ſalia*) *& paulo poſt iterum admittit cineres cum ſulphure calcinari, ſub incertitudine domina, quid eligendum.*

a *fol.* 788.

b *In Append. fol.* 101.

c *Mantiſſa fol.* 788.

Aër volatizat.

Sciendum eſt, nullum vegetabile habere fixum ſal, cujuſcunque ſit generis, niſi comburatur actuali igne, ità, ut acidum, uſtulando; in alcali, & viciſſim alcali in acidum agere, & apprehendere queat, ut in vini ſucco & ejus tartaro oſtendi. Teſtis mihi erit lignum putridum, licet hoc ſummo ſtudio, in cineres redegeris, quocunque igne, ſal exinde non elicies, acidum enim & alcali, ambo volatilia, ab aëre ſunt abſumpta & nil niſi cadaver inutile reliquere: ſin verò comburantur, antè putrefactionem, tunc habebis intentum.

Fermentatio hæc actio vocari meretur, transmutantur ni- *mirum naturæ inſtrumenta.*

Principale ſtudium & labor, itaque erit, in hoc opere; ut herbæ ſint recentes & minimè flaccidæ, tunc nimirum concremando; innata humiditas, cum bullit ſolvit acidum, & alcali, quæ ſoluta agunt in invicem, unum apprehendit aliud, & ambo fixantur juxta concreti proprietatem: pars autem quæ aufugit cum flamma, & ab acido non arrepta fuit, in fuliginem abit; ex quâ; alcali volatile facili methodo elicies, nunquam autem ſal fixum, ingenio tamen, ad conſtantiam reducitur.

Fermentatio, hæc actio vocari meretur, tranſmutantur nimirum, ambo inſtrumenta naturæ, in unum artificiale; quod ſicut in ſaponaria, & vitraria arte cum acido, ſuo contrario, in neutrum vertitur; ſic etiam in humano corpore contingit; cum à prudenti ac Hippocratico medico adhibetur, vel adminiſtratur, ſuo contrario, eadem enim eſt operatio, ut docuit (d) *Magiſter.*

d *lib.* 1. *de diæta.*

Exemplum ſit Abſinthium, viride, iſtud viride, ſub camino, vel loco aperto accenditur, flamma impedienda ſummo ſtudio, ſatis erit, in cineres eſſe converſum, qui poſt concremationem, in larga olla terrea, & humili vel ſuper ferrea elatæ oræ tabula vel lamina, accenſis ſubtus carbonibus, fornaculo venti, ut portella, claudi & aperiri, pro neceſſitate queat, ſpatula ferrea ſemper movendo cineres donec optime albeſcunt, quos ſacco lineo acuminato, vel ſi pauxillum; carta acuminata impone, & aquam communem perfunde, quæ cum tranſcurrit ſale prægnans, lixivium vocatur; hoc percolatum lixivium, in ſartagine ferrea (*non uncta in culina*) *celeri ebullitione coagula & conſtringe in maſſam, & quando inſtar mellis ſpiſſeſcit, aſſidue ſpatula moveto, & exſiccabitur in pulverem gryſeum, quem ſtatim ollæ non vitreatæ, fornaculo venti clauſo oſtiolo, impone, ac obrue carbonibus minutis, pulvere mixtis, ſenſim calefacito, vix ad prunitatem, non autem ut fundat; refrigerato; projice ſal, in vitreum vas, ut ſufficienti aqua diſſolvatur* (e) *moveque cum baculo ligneo aliquoties, tunc ſolutum quieſcere permitte, duas vel tres dies, clarum à fæcibus, ſine magna agitatione effunde, & in plumbeo vel vitreo vaſe, in arenam*

e *ſatis uncia aqua libræ ſic optimè deponit.*

nam posito, aquam exhalare, sinè bullis permittes, donec salina cuticula supercrescat, tunc removeto vasculum, & sequenti mane collige splendentia grana salis, quæ aqua limpida celeri motu abluenda, & exsiccanda sunt. Remanens lixivium iterum arenæ impone, ut aqua exhalet, ut pridem, ad cuticulam. Ambo hæc salia, conjunctim, in uno vasculo sunt asservanda, quæ hoc modo parata, referunt sui concreti crasin.

Reliquum lixivium, urinacei saporis, & fætulenti odoris pro vitris abluendis relinquendum. Hæc est facilis & naturalis ratio, parandi vegetabilium salia, quæ nunquam liquescunt per se, neque ingrati sunt saporis. Libra hujus cineris, fundet ferè uncias quatuor salis purissimi, sed aridarum herbarum cineres lib. 4. vix dabunt salis unciam.

Quæ herbæ dant alcalia? salsa vel acida, supra satis ostendi.

Alcalia fiunt ex vegetabilibus eodem modo, quorum tamen quædam facile in liquorem vertuntur, vacua enim sunt, ob id ex aëre quærunt exsatiari: ut supra in occulto aëris acido indigitavi, quod sufficit.

Reformator, cineres coquendos, & lixivium inspissari ad siccitatem, & postea fusionis igni, sine discretione, committendum docet (a). Sic loco salis vegetabilis, semper inane & causticum alcali evadit: sal enim absinthii, fundamentali suo puncto est ex acido salsus, & non planè fixus, ut ostendi, sin verò fusionem patitur, tunc agunt in invicem, ambo sapores, & in alcali fixantur, sicut omnibus acidis arte paratis salibus contingit. Igitur ex solo ignis (b) regimine alterantur res, mutans nomen, virtutem & efficaciam. Hæc est causa quod vires salium nunquam sunt æquales ab ignaro præparati, quando nimirum alcalizantur, laudantur ab imperito (ex. gratia sal absinthii) in colica profuisse (quæ tunc ex acido erat; quod combiberat) cum verò ex acido salsus, & adhuc volatilis à perito præparatur, stomacho & in antiqua oppilatione prodest: & tunc est basis, in cachectico pulvere (c) Quercetani. Causam humoribus noxiis adscribunt.

a Mantissa fol. 789.

b Ignis professor publicus.

c Pulvis cachecticus.

Sic multa fiunt fixa, si debito calore, & juxta subjecti perpessionem, & suis requisitis tractentur, quæ alias erant volatilia, alium nimirum calorem, & instrumenta requirit sanguinis fixatio, aliud ingenium quando nitrum & arsenicum fixantur, aliud quando totum nitrum solo odore in terram vertitur, aliud vas & ignem quando Mercurius per se quodammodo fixitatem induit, alia requisita, quando antimonium & sulphur fixantur, sic etiam alia operatio est salium, quæ omnia sunt volatilia, ut in ligno putrido ostendi.

Omnia ipsis sunt per Divinam necessitatem Hip. lib. 1. de diæta.

Hæc est ratio, quare ligna, ex quibus componunt naves bellicas Veneti, sapientissimi, & prudentissimi patres, aquis submergere, in ornatissimo, ac instructissimo Armamentario jubeant recentia, per multos annos, ne scilicet aër illa penetret, fiuntque sub aquis tam fixa, ut saxa æmulentur.

Veneti ingeniosi.

Sin verò in aëre flaccescere incipiant: priusquam submergantur, debent modestè aduri, ut acidum & alcali in invicem liquentur, & quasi incrustentur, sic per secula non corrumpuntur, neque putrescunt. Sic incrustantur pali, qui in terram defiguntur, pro fundamentis, magnorum ædificiorum, ne marcesant.

Hortulani in hisce insulis, in cineres reducunt herbas in aëre arefactas, & vendunt cineres pharmacopœis sub bona fide, hi, cum parum, aut nihil salis exinde eliciunt, & ob id, horticulteres reprehendunt nullius valoris fuisse: respondent quod transportando cineres, aqua marina sal abstulerit: facilè id credunt plurimi, aliam causam ignorantes.

Cum vero in cineres reducuntur vegetabilia recentia, ut fit in Lituania, Scandia, & Moscovia pro cineribus clavellatis; tunc in ignea ebullitione acidum & alcali se invicem apprehendunt (d) colliquantur & fixantur. Cum verò urgeantur, igne liquefactivo, ut docet reformator, tunc naturam mutant, & in alcali vitrificans vertuntur, ut Zoar notavit (e) quod tamen priusquam per ignem transierunt, concretis nec infuit, ut neque fixum: quod rursus per inversionem non solum induit volatilitatem, sed etiam in elementa reducitur, ut de alcali tartari ostendi.

d In hunc sensum ait Basilius de sale armoniaco: VVann mir die flugel brechen ab und VVerden bereit zum VVasser bad.

e Super exodum.

Sin vero alcalia cum propriis oleis distillatis, justa proportione debito requisito tempore, artificiosa occultaque circulatione, idoneo vase,

Oleum fit sal.

se, coquantur, dant ens mirabile. Sic oleum Cinamomi, absorptum proprio alcali (vestibus sit spoliatum) efficit in paralysi similibusque morbis quantum de illo speratur. Oleum tartari, volatile & pingue, cum proprio alcali justa proportione, fit sapo.

A domo ingrati non recedit malum.

Hoc exemplum de Tartaro cum olim mono culus quidam, oretenus per modum informationis, à me audivisset, statim coxit alcali viperinum, cum oleo tartari, diversæ naturæ, rustico more, imò minore cum observatione, quod coctione in phiala, longi colli cum alcali saponis consistentiam acquisivit: hic tamen, amicam informationem, mihi vitio vertit, in admodum longa epistola, scribens: Oleum tartari quod affundere jussisti, piceam omnino naturam induit, eaque est spissitudine, dum refrixit ut scindi posset, ita animadverto, me penitus deceptum esse: verum quidem est, me sæpius ex ore dominæ (f) *vestræ audivisse, quod hujus salis præparatio ingens lumen in chymia præbeat, &c. Magnus hic physicunculus tantum in ignavo cerebello, non habuit salis, licet de eo scribillans, ut hujus inspissationis, necessariam causam perquisivisset, sed statim illud quod ignorat, fucum, & impostaram esse scribit* (g) *Quemadmodum autem animadvertit, hujus inspissationis causam, vulgo & saponem conficientibus notissimum, sic etiam animadvertit quæ reformat.*

f qui amant etsi rustici sunt, mirum in modum venusti evadunt.

g fol. 487.

Summarium edidit, & epithomen calumniarum, *Tachenius*, dum, juxta promissa Tituli præfixi, in summam contrahit mendacia, conspicuus literato orbi *Physicuncus*, & *Doctorum virorum Simia.* Ait primo; quòd Reformator pollicitus sit modum apparandi salia alcalia, de quo tamen nihil scriptum reperiatur. Verùm quàm præmeditatum hoc sit figmentum, is diluet & reperiet, cui nostræ innotuêre Animadv. in Pharm. Augustan. *pag.* 455. Item Append. ad Animadvers. *pag* 60. quibus in textibus manifesti mendacii hic Rabula convincitur, dum salium lixivialium (quorum præparatio communis est) & alcalium apparatum tam tersè & graphicè descripsi, annexis insuper requisitis prænotionibus, ut ad Solem cœcutiat, vel Tiro sit, cui hæc tam perspicua doctrina dubium aut caliginem non ademerit. Quòd si autem differentiam spectemus, quâ jam dicta Reformatoris methodus, à speciosâ & fucatâ parandi salia lixivialia, doctrinâ *novati Hippocratis* discrepat; alia non est, quàm hæc, quam suggeram. Præcipit *Tachenius* (ineptè sanè!) recentes herbas lentè incinerare, ac salem alcali è cineribus in fornacula venti ad albedinem calcinatis (dicamus, pessundatis) elixiviatum, ac in massam, ritu omnibus decantato, decoquendo coagulatum, in crucibulo non planè fundere, sed iterum in fornacula venti ad prunum & obscuriorem colorem candefacere. His verbis mysticam Philosophiam, & arcana arcanorum *Tachenii*, tibi, A. L. communicavi. Quàm autem ridiculus hic sit discurrendi, quin Sophisticandi potiùs, mos hujus *Physicunci*, sequentes te erudient Annotationes:

Advertendum primò: Herbarum & Vegetabilium maximam esse differentiam in crasi & dispositione, ob quam multùm à se dissident, ac à natura disparata sunt. Quædam enim herbæ aridiores & siccæ; aliæ, è contrario, multùm humidæ & succosæ. Aridiores naturâ herbas, recentes tamen, per se, & immediatè, incinerare velle, nisi succenso priùs, è lignis, aut aliis conflagrationi aptis rebus, igne; irritum & nugax tentamen est. Nam pro combustibilibus siccitas prævia requiritur, tanquam dispositio, ac conditio sine quâ non: adeò quidem, ut, si vegetabilia in umbrâ, consueto modo, arefacta non sunt; ignis ea in alimentum suum, ac postliminiò cineres, & favillam, non redigat, quin violenter priùs exsiccet, ac sic disponat, ut conflagrent. Nam siccitas ignis & caloris lima; juxta Philosophum. Nunc, ad casum *Tachenii*, quid magis obest: lenis & moderata, quin omnibus usitata vegetabilium, in umbrâ, desiccatio Reformatoris; an violenta, ignis & flammarum potentiâ *Tachenii*? Novum quid Scholis nostris *novus* attulit *Hippocrates*, dum phasma suum hoc novum, & recens somniatam herbarum incinerationem, ostentationis pruritu aperuit; quasi verò vel Tironibus ac Discipulis hæc pridem cognita non fuissent! Sed procedamus ad

Vegeta-

Vegetabilia ſucco turgida; ſit pro exemplo Fumaria quæpiam, aut, Endivia, Acetoſa, Sempervivum, &c. Quæro, *Tacheni*, quâ ratione exuſturus es ejuſmodi Vegetabilia, niſi priùs lentè in umbra, vel in igne violenter, per deſiccationem diſpoſueris, ut deinde conflagrent: niſi forſan, *novus Doctor*, defendas, ipſam Aquam, & humiditatem elementarem, exuri poſſe & incinerari? Sed indulgeamus aliquid nugacibus ſomniis tuis: dato; non conceſſo: ſuccedat dicta herbarum recentium exuſtio: quid inde emolumenti obtinebimus? *Majorem copiam alcali ſeu ſalis lixivialis*, uti aſſeris. Sed quare? *Quoniam*, ut ais, *ſal ſeu alcali earum in exſiccatione leni exſpirat*; *prout videtur in ligno putrido*, *quod nihil prabet ſalis:* Ita Philoſopharis, *magne Tacheni*? Miramur tuam ſapientiam. Si verò in leni exſiccatione plantarum alcali earum exhalat; ſervabiturne illud in violentâ exuſtione, quando recentes igni aperto & violento ſtatim committuntur? Annon in reſolutione vegetabilium violentâ, putà combuſtione, in qua primigenius eorum humor violenter expellitur, mox alcali eorum, unà cum ſuo connato humore, tanquam vehiculo apto, promptiùs exſpirat, & à dicto humido ſecum in auras rapitur, quàm in leni illorum exſiccatione: quâ ſalis ſeu alcali copia inhærens augeri potiùs, quàm diminui poſſet? Diſpar longè ratio eſt, de putridis lignis; & herbis leniter ſiccandis. In putrefactione naturaliter totum reſolvitur compoſitum, in eaque fixa cum volatilibus volatilizantur, & in ſuum chaos tranſeunt (niſi arte conſerventur Philoſophicâ) naturali quadam neceſſitate & providentiâ, antequam arte violenta facta fuerit ſeparatio partis volatilioris à fixiori. Judicet proinde æquus Artiſta Chymicus aut Philoſophus, qui ignem, ejuſque gradûs, novit, rerumque naturalium, ac laborum Chymicorum, cognitionem habet; annon conſultius ſit, plantas, ſeu vegetabilia, leniter priùs in umbra exſiccare, antequam actuali igni, & lucidiori flammæ, committantur, pro incineratione; quàm illa recenter mox exurere? Et quocunque demum modo comburantur, in cineres veros nihilominus redigi debent, & quidem in aprico: neque enim in clauſo vaſe, ut neque in ollâ operta, vegetabilia in cineres vertuntur, fortiſſimâ licet, & diuturnâ calcinatione. Dicat præterea, & ferat judicium, æquus Artiſta: ſi in prima herbarum, aut plantarum, conflagratione lentâ, in cineres tamen veros, quidquam volatile aut acidum (uti ignoranter aſſerit: nam nullum acidum in igne violento conſtans eſt) remanſiſſet; an non illud ipſum volatile, aut acidum, ſequenti denuò calcinatione violenta, *in fornacula venti*, *donec cineres optimè albeſcant* (uti ridiculè iterum præcipit: quaſi verò magna Artis prærogativa, aut totius Chymiæ honos, hoc uno volveretur cardine: cineres nimirum in fornacula venti ſtudioſè calcinare) totum exhalaret, & auras peteret? An non violentâ illâ, & prolixiori calcinatione cinerum, ſal ſeu alcali inhærens magis fixaretur, exureretur, & alcalizaretur; uti loquitur: ac omnis acidus ſpiritus, ſi quis cineribus ineſſet, fugaretur, quàm ſi inſpiſſatus ſal in crucibulo pauliſper liquetur? Quæ quidem fuſio ſalium neutiquam Reformatoris commentum & inventio, ſed Viris artem profeſſis jam pridem decantata & uſualis, quotieſcunque ſalia conficere animus eſt. Ignorat *Hippocraticus Phyſicaſter* (parce verbo: tuis te compello terminis) quòd è ſalibus quibuſcunque fixis, facili opera, & efficacius, expellantur inſiti ſpiritus eorum, ſive acidi, ſive ſalſi, ſive demum acido-ſalſi, ſuccedentibus omnibus virtutibus eorum & energiâ, juxta craſin & conſtitutionem ſalium; ſi eis terra quæpiam, bolus, aut conſimile quid, quod liquationem eorum in igne morari & præpedire potis eſt, admiſceatur. Salia verò liquata in igne per ſe, ac ſine additione, diu in igne integris viribus perdurant, ac nonnihil ignipotentiora, & acria magis evadunt: ſoluta demum aquâ aliquâ ſimplici, in priſtinum eſſe remigrant, & benigniora redduntur, depoſita notabili & ſuperfluâ acrimoniâ: quæ metamorphoſis quotidie in Nitro demonſtrari poteſt. Quid aliud contingit in ſpecioſâ Hippocraticâ hâc calcinatione cinerum, violentâ quidem & diuturnâ, in fornacula venti, donec cineres, ut ait, albeſcant: ubi terra illa mortua, ex quâ cineres, pro maximâ ſui parte (plus quadrupla, vel ſextupla) reſpectu ſalis alcali

alcali vel lixivialis, qui cineribus inest, constant, se habet per modum admixtæ cujusdam terræ, boli, aut alterius rei, quâ salium fusio impediatur; quàm quòd alcalia, seu sales, suo acido, si quod haberent, imò omni suâ virtute & efficaciâ, penitùs priventur, aut multò magis etiam alcalizentur, quàm si decies in crucibulo per se, igne aperto, liquentur? Sunt itaque nugæ Hippocraticæ, phasmata *Tacheniana*, hæ noviter excogitatæ (Reformatoris causa) salium lixivialium præparationes; quas Pharmacopœi rident, & quibus ipse Autor Hippocraticam suam ignorantiam, caninam invidiam, & animum calumniandi ac contradicendi avidum, palam denuo facit. Quotiescunque enim in Reformatorem invehitur, propriam semper ignorantiam prodit: quod vel hîc maximè patet. Ait porrò, in hoc textu, noster *Physicaster*, *p.*147. *lin.*11. *Reformatorem vituperare salia, quorum cineres cum sulphure combusti sint, & reprehendere Hartmannum ut pessimum scriptorem, &c.* Prius verum est, quòd Reformator rejecerit alcalia, seu sales lixiviales, quorum cineres cum largâ, & quidem duplâ, quantitate (advertat *Physicuncus*, largâ, & duplâ, quantitate sulphuris; neque toties falsarius sit, precor, falsificando textûs) sulphuris admixti, combusti sint. Et hanc sulphuris copiam cineribus admiscendam adhuc vitupero, reprobo, maximè nocuam & destructoriam proclamo; nec abs re; ut neque iniquè cavillando Authores. Rationes verò sufficientes allatæ sunt *in Animadv. m. p.*455. & *Append. pag.* 60. quas callidus Author & *Physicaster* subticet; quoniam ipsum convincunt, & iniquitatem ejus palam faciunt. Nimis longum foret, prædictos textûs ex Animadv. & Append. hîc adscribere; quos L. B. ibidem reperiet, & ipsam veritatem deprehendet.

Secundò: *Reformatorem reprehendisse Hartmannum, ut pessimum Scriptorem*, sesquipedale denuo mendacium est; cùm Hartmanni ne semel quidem, in meis textibus, fiat mentio. Sit tamen; præceperit Hartmannus, & quidem, ut Reformator scripsit, perperàm (perperàm inquam: intelligisne *Physicunce*, tua verba? Hocne Adverbium tanta calumnia est?) prodigam planè & destructoriam calcinationem, sicut & tua, *Tacheni*, calcinatio cinerum, in fornacula venti, destructoria est: illa ne foret, in solius Hartmanni gratiam, detrimentum verò humani generis, & Posteritatis risum, contirenda & approbanda? Si legitima minusque est destructoria hæc dicta Hartmanni calcinatio: cur tu, *Tacheni*, illam in tantum non approbas, ut tuo adderes, pessimo etiam, modo, calcinationi nimirum cinerum in fornaculâ venti, ad illorum albedinem? Sat tibi videtur Reformatori contrariari, & ut habeas, quod calumnieris & cavilles. Sed crede mihi, *Tacheni*, haud facilè Reformatorem ementitâ & perfrictâ doctrinâ tuâ convinces; quin propriam inscitiam magis magisque prodas.

Scribillas præterea; *quòd Reformator ipse docuerit alcali viperinum cum acido spiritu salis miscere; ut etiam spiritum Vitrioli cum sale absinthii alcalizato, sub titulo spiritûs Vitrioli coagulati.*

Prius dictum; nimirum, salem volatilem Viperinum cum spiritu salis acido univisse Reformatorem, verum est. Sed cur? Tibi ad amussim explicavi sæpius, & ulteriùs dicam. Alterum verò attributum falsum est, solitum Tibi commentum; quod patet evidentissimè ex textibus D. D. Augustan. *pag.* 455. & Reform. *pag.* 458. *Animadv.* qui planè contrarium evincunt: nimirum D. D. Augustanos coagulationem spiritûs Vitrioli cum sale Absinthii præcepisse; refragante autem reformatore. Ecce! quàm non pudeat te evidenter mentiri, litera scripta te convincit, quâ ultrò tibi injuriam accersis. Docui autem salem Viperarum volatilem (non alcali Viperinum; quia non inest viperis alcali) cum spiritu salis acido legitimè & dextrè unire, & nonnihil à suâ volatilitate nimiâ coërcere; sicut superiùs pluribus ostensum est, & insuper probatum tuo ipso calculo, quòd sine deperditione virium, aut destructione salis Viperini, hoc fiat. Tu verò salem Tartari cum vulgari aceto destillato misces & impprægnas, pro tanto secreto; ut superiùs demonstratum. Uter igitur nostrûm artificiosè magis, aut digniùs operatus est? Reformatorne, aut Physicaster *Hippocrates novus*? Estnè idem, *Tacheni*, sa-

lem volatilem quendam graveolentis odoris, usui Medico nonnihil inhabilem, à volatilitate nimiâ coërcere, odorem ejus ingratum supprimere, à primitiva tamen virtute non immutare nec destruere, sed acido salsum tantùm, magis penetrabilem, & salubriorem efficere: & salem alcali, seu lixivialem, è contra, usui Medico per se aptissimum, à naturâ & virtute immutare, destruere, tantâ copiâ sulphuris perperàm obruere, viribus suis, quibus per diaphoresin operari debet, ita privare, ut longè alias & peregrinas sortiatur virtutes, & alterius efficaciæ sit? Estne, inquam, idem; salem volatilem Viperinum acido salis spiritui salubri & medicamentoso dextrè unire, illum acido-salsum, penetrantem & amabilem reddere, servatâ primævâ salis naturâ & volatilitate, in quam iterum restitui potest; vel juxta tuam ipsius sententiam: & è contra alcali quoddam ex vegetabili aquæ forti insalubri (juxta Hartm. etiam; quem defendis) summè venenatæ & corrosivæ, nostræ naturæ inimicissimæ, commiscere, à naturali sua indole, in quam restitui nequit, penitus immutare, & pessumdare? Quis non cernit inter viros doctos Medicos, & peritos Pharmacopœos, quòd prior, scilicet Reformatoris, artificiosa unio salis volatilis Viperini, cum spiritu salis, sit legitima, non destructoria; & efficiatur exinde medicamentum naturæ nostræ amicum & salutare: è contra verò ambæ duæ superiores salium alcalium illegitimæ correctiones, cum largissima copia sulphuris, & aquâ forti corrosiva, sint destructoriæ, insalubres, perperam institutæ, nobis & Posteritati nocuæ & probrosæ? Esto: Clarissimus Hartmannus hæc inter alia docuerit, &, meâ quidem sententiâ, perperam; nequaquam tamen injurius fui in venerandum Senem; at cui *à Tachenio* requies ne quidem in tumulo superest, quin hâc ipsâ ridiculâ suâ defensione eum ludibrio exponat. Sed audi porrò, *Tacheni*, cur iterum falsè loqueris, & mentiris, quòd summis laudibus ejusmodi mixta salia alcalia, seu lixivialia, cum tantâ copiâ sulphuris reverberata, vel cum aquâ forti saturata, extollam *in Appendice pag.* 61? Ibi enim locutus sum de Tartaro Vitriolato, tanquam sale fixo acido-salso, quem omnes doctissimi Medici approbant, ac pro salutari habent remedio; addidi nec non expressis verbis, quòd inter salia fixa acido salsa, arte talia elaborata, unicus Tartarus Vitriolatus sese offerat, qui in usu sit, ac in Officinis parari consueverit. Item; quòd, quamvis omnia salia lixivialia simili modo vitriolari, & à naturali sua indole immutari possent, si eximiæ in iisdem taliter immutatis virtutes elucescerent; ea tamen in usu non sint, nec alicujus momenti. Non intelligis igitur, *Tacheni*, particulam: si, si: cujus vigore illa reprobo, ac firmiter assevero, quòd à naturali sua indole taliter vitriolata alcalia penitus immutentur. Et posito: approbarem alcalia salia purè salsa, cum spiritu vitrioli nimirum enutrita, & acido-salsa facta, ad normam Tartari Vitriolati: non proindè admitterem, nec laudarem, ea, quæ à corrosiva aqua forti insalubri fuissent saturata & destructa; ut neque illa, quæ ex cineribus, cum tanta sulphuris copiâ calcinatis, sunt extracta. Turpiter igitur te traducis, *Tacheni*, dum toties falsarium agis; & textûs clari te convincunt. Non sufficiunt tamen hæc falsa attributa, uno hoc paragrapho in Reformatorem immeritò effusa; sed addis falsum falsis, quando ais, *pag.* 147. *lin. antepenultimâ*: *Et paulò post iterum admittit cineres cum sulphure calcinati*, (putarem, calcinatos) *sub incertitudine domina*, *quid eligendum*. Hoc quod astutissimum & falsum, *ex animadversionibus m.* luculenter iterum patet; & convinceris. Nam ubi, *pag.* 456. *m. Animadv.* reprobavi destructoriam illam cinerum calcinationem cum tantâ Sulphuris copiâ, duplâ nimirum ejus quantitate, aut pondere, respectu cinerum; nec non summè nocuam aquæ fortis affusionem jam confectis salibus planè rejeci; addidi tandem, *lin.* 16. *& seq.* hæc formalia:

Sciendum igitur (ut mediâ procedamus viâ) quòd plurima salia, utpote Absinthii, Centaurii, &c. si bene parata sunt, ex cineribus ritè calcinatis, non tam facilè in frigore liquescant, nec difficulter in crystallos redigantur,

digantur, etiamsi cineribus eorundem nullum sulphur addatur, ut adeò nec sulphure, nec aquâ forti, hîc semper opus sit. Quod si verò nonnullis cineribus, ex quibus aliàs sales faciliè liquabiles eliciuntur, sulphur admiscere volupe fuerit, non opus est aquali, multò minùs duplâ ejus portione, respectu cinerum, sed aliquali saltem particulâ, nimirum unciâ semis, vel, ad summum, drachmis sex sulphuris, ad libram unam cinerum.

Hucusque Animadvers. Ignoras adhuc, *Tacheni*, vel sub incertitudine domina hæres, quid eligendum? Nondum agnoscis mendacia tua, inique? Ignoras, inquam, ponderum rationes, quantum differat uncia semis, à libris duabus? Nescis, quòd quadragesies octies, secundum pondus Medicinale; secundum pondus civile verò, ultra sexagies? An Latio, & Latinitate, excidisti? Quòd denuò illîc reprobârim tantopere repetitam hanc calcinationem Cinerum, tantâ copiâ sulphuris; additis rationibus, cur id actum? Et quòd pauxillum adeò sulphuris, nimirum unciam semis tantùm, pro integrâ librâ cinerum, & hoc quidem conditionaliter, admiserim, ad tollendam nempe quorundam alcalium liquabilitatem spontaneam in frigore: quæ particula autem sulphuris respectu integræ libræ cinerum necquicquam obesse, aut ab indole suâ alcalia immutare potest? Revolvat L. B. citatas *Animadv.* de salibus; & majorem, de his omnibus, tum etiam de differentiis salium, eorumque virtutibus, capiet informationem; & manifestè insuper ex illis perspiciet, quàm iniquè *novellus* hic *Hippocrates* cum Reformatore egerit. *Pag.* 148. *lin.* 2. porrò ait: *Sciendum est, nullum vegetabile habere fixum sal, cujuscunque sit generis, nisi comburatur actuali igne, ità, ut acidum, ustulando; in alcali, & vicissim alcali in acidum agere, & apprehendere queat, ut in vini succo & ejus tartaro ostendi, &c.* Magnum, ast antiquissimum, Tironum secretum pandit *Magnus noster Hippocrates*, & uti cum eodem aptè, ceu existimat, præmissa mendacia, in Reformatorem diffusa, sic etiam salium alcalium, seu lixivialium, diversam præparationem, vult palliare. Quasi verò ludicra hæc, & communissima, scilicet non dari salia fixa lixivialia vegetabilium, nisi illa priùs comburantur, antea nota non fuissent; vel ipsâ naturâ dictante. Quomodo verò *acidum, ustulando; in alcali, & vicissim alcali in acidum agere, & apprehendere queat, ut in vini succo & ejus tartaro se ostendisse*, dicit: est locutio sine fundamento, de sale sine sale, sine mente ac intellectu, in vacuo cerebro præmeditata, quæ longâ indigeret ventilatione, antequam absurda omnia hinc emanantia palam fierent. Quæ porrò, de actione & reactione Vini succi & tartaro, adducit, ludicra sunt; tanto Hippocrate & Philosophastro indigna. Propterea hæc, & sequentia plurima, nugacia & obscura, utpote *paragr. qui incipit pag.* 149. *lin.* 7. *Fermentatio hæc, actio vocari meretur, transmutantur nimirum, ambo instrumenta naturæ, in unum artificiale; quod sicut in saponaria, & vitraria arte cum acido, suo contrario, in neutrum vertitur: sic etiam in humano corpore contingit, cùm à prudenti ac Hippocratico medico adhibetur, vel administratur, suo contrario, eadem enim est operatio, ut docuit* (a) *Magister*: hæc inquam, brevitatis causâ sicco pede transeo. Lector Am. enim ipse, ex nugis hisce, absurditates jejuni *Physicastri* deprehendet, quas iterum, cum divino Coo, & quidem ex libro ejus primo de diæta, ridiculè demonstrare nititur.

(a) *Lib.* 1. *de diæta.*

Tandem, *eadem pag. citata* 149. *lin.* 20. solitâ pompâ salium lixivialium simplicem præparationem docet; qui labor Tironum est, illisque notissimus; nostro verò Hippocr. Chym. prægrande secretum: cùm tamen illa in nullo alio differat à consuetâ & receptâ præparatione, quàm quòd plantas, seu vegetabilia viridia, non siccata priùs, lento igne, & non lucidâ flammâ concremare jubet, ne alcali illorum ab acido in auras feratur. Et nihilominus, sibi contrarius, mox cineres in fornacula venti tamdiu ustulare jubet, donec albescant (quæ calcinatio, seu reverberatio, planè destructoria est; uti superiùs clarè ostensum.) Tandem salem alcali elixiviatum, & in massam coquendo redactum,

ctum, igne non penitus in crucibulo fundere, sed tantùm ad brunitatem, in fornaculâ venti, ostiolo clauso calcinare præcipit; ac si magnum in hac calcinatione latitaret secretum, ridendâ potiùs, quàm imitandâ; saltem ut contrarius sit, & novi quid, præter communem parandi modum, excogitasse videatur, novâ Hippocraticâ Philosophiâ. Quanta verò absurda ex eâ deduci possint, superiùs clarè & perspicuè oculis legentium exposui. Addit tandem in hoc eodem Philosophico processu, *pag.* 151. *lin.* 21. quòd *libra una horum cinerum*, dicto suo modo calcinatorum, *fundet ferè uncias quatuor salis purissimi, sed aridarum herbarum cineres libra 4. vix dabunt salis unciam.* Hoc quàm falsum, & sesquipedale mendacium sit, Pharmacopœi, & eorum Discipuli, ipsâ experientiâ demonstrabunt. Si pergamus ulteriùs, mox iterum, *lin.* 26. deprehendimus obscurissimum *paragr.* ex quo quid colligendum, vacuum nimirum, ipse fortè ignorat. Ait autem ibi: *Alcalia fiunt ex vegetabilibus eodem modo, quorum tamen quadam facilè in liquorem vertuntur vacua enim sunt, ob id ex aëre quærunt exsatiari: ut supra in occulto aëris acido indigitavi, quod sufficit.* Quot verba; tot, profectò, absurda: indigna, ut cuncta penitius examinentur. In priori processu describit salem absinthii, & illum pro exemplo proposuit, qualiter alcalia ex Vegetabilibus, seu lixiviales sales sint parandi: hîc verò, & nunc, distinguit sales, & salem absinthii non ampliùs alcali vult, sed inquit *esse salem Absinthii fundamentali suo puncto ex acido salsum, & non planè fixum*, *lin.* 9. *pag.* 152. & tamen (ut supra) dicit; *alcalia fieri ex vegetabilibus eodem modo, & vacua esse, propterea ex aëre quærere exsatiari, & facilè in liquorem verti, &c.* Vah! quàm docta vacui demonstratio; & quam lamentabiles contradictiones! Quia sal Absinthii facilè in liquorem vertitur, si in humido fuerit loco: ergo etiam vacuum alcali est, uti reliqui sales vegetabilium omnes. Implicat enim, salem lixivialem seu alcali, esse ex acido salsum. Non dantur in rerum natura sales, lixiviales acido salsi per se, nisi arte tales efficiantur; nulla aciditas, eo modo, quo lixiviales sales parantur, in igne constans est: lixiviales verò sales sunt constantes, & acidum spiritum nunquam eructant, violentissimo etiam igne pressi. Igne enim parantur; igne & calore conservantur. Ignis autem est aciditatis infensissimus hostis. Nulla aciditas aut acidum igni resistere potest, quin fugâ sibi consulat, & in choas suum sive vacuum (fortè *Hippocratis novi*) transeat. Hinc etiam liquet, quòd *marginale*, *pag.* 151. utpotè: *quæ herbæ dant alcalia? salsa vel acida, supra satis ostendi:* sit falsissimum. Neque enim ostendit, nec ostendere potest, dari alcalia salia acida; quoniam implicat, & repugnat omni experientiæ & rationi. In natura non datur, nec reperitur, sal purè acidus; multò minus alcali purè acidum; etsi fortè in vacuo cerebro *Hippocratis novi* inveniatur. Ex his sufficienter explosis absurditatibus, fallaciis, & mendaciis, quam breviter fieri potuit, elucescent etiam sequentes contradictiones & absurdæ assertiones, quas ulteriùs, *pag.* 152. *lin.* 2. contra Reformatorem iniquè effutit, ubi ait: *Reformator, cineres coquendos, & lixivium inspissari ad siccitatem, & postea fusionis igni, sine discretione committendum docet, &c.* uti suprà. Ex hoc textu statim patet sesquipedalis hujus Physicastri contradictio. Nam superiùs paulò, *pag.* 147. *lin.* 7. expressè asseruit, quòd *Reformator quidem promittat modum parandi alcalia salia magnificis verbis, nullibi autem reperibilem.* Hîc etiamnum affirmat, & ipsemet recenset modum, quem Reformator docuit. Igitur invenit jam modum parandi, quem nullibi reperibilem, *loco citato*, dixit. Ergo superiùs, *pag.* 147. *lin.* 7. falsum commisit, & mentitus est: hîc verò, *pag.* 152. *lin.* 2. sibi turpiter contradicit; solùm ut ansam habeat cavillandi & calumniandi; sive mendaciis, sive contradictionibus, id fiat, perindè est, quia citra pudorem vivit. Perspiciamus tamen intimè; quidnam *Novus Hippocrates* doceat præcellentius Reformatore, in hâc & Pueris & Tironibus Pharmaceuticeѕ tritâ arte. Reformator cineres coquere, & li-

& lixivium ad ſiccitatem inſpiſſare, ac ſalinam poſtea maſſam igne liquare, conſueto & recepto modo, docet. *Hippocrates novellus*, profectò, pejorem affert & tuetur ſententiam. Nam cineres priùs in fornaculâ venti diu reverberare jubet, ad albedinem uſque: (uti loquitur; *donec albeſcant*) quâ diuturnâ reverberatione & calcinatione verò nil aliud efficit, quàm quòd ſalem alcali, in cineribus adhuc occultum, ſpirituali virtute privat, & magis fixum ac cauſticum reddit. Et ſi verum eſſet, quod, *pag.* 152. *lin.* 9. ſcribillat; *ſalem abſinthii fundamentali ſuo puncto eſſe ex acido ſalſum & non planè fixum:* (quod tamen falſiſſimum & ridiculum) illum, reverà, hac diuturnâ reverberatione ſuâ aciditate ſpoliaret, & planè fixum ac urentem redderet. Ut ita hæc cinerum violenta & diuturna calcinatio multò deterior ſit, quàm ſalis elixiviati fuſio: in quâ fuſione nimirum nil quicquam deperdunt ſales lixiviales, nec ſuis privantur ſpiritibus & virtutibus; etiamſi decies igne liquentur: ut ſuperiùs clarè demonſtratum. Adeoque nec ultima tandem ejus *calcinatio ſalinæ maſſæ*, quam, *pag.* 150. *lin.* 20. tam ſtudiosè præcipit, *ſaltem ad brunitatem*, potiores virtutes ſali alcali nec addere, nec conſervare poteſt: de cætero lixivium ex cineribus eodem modo, quo Reformator, coquendo exhalare ſinit, & ad ſpiſſitudinem ſalinæ maſſæ reducit. Rident profectò Pharmacopœi, eorumque Tirones, Hippocraticum Philoſophum, ejuſque ſingularem, de ſalibus lixivialibus, omni ſale carentem doctrinam; ac meritò ludibrio habent tot ſingulares calcinationes, imperitè edoctas: antiquo ac conſueto modo, minuſque deſtructorio, cum Reformatore contenti, & apprimè gnari, ſales lixiviales eſſe ex naturâ ſuâ, & modo fiendi, alcalizatos; non opus igitur, ut ulteriùs alcalizentur. Plura, quæ in hoc, & ſequentibus paragraphis, *pag.* 153. affert, caſtigationem partim, ac riſum ſibi vendicant. Riſum primò; quòd Patronum & Mecænatem crepundiorum ſuorum iterato, in margine, citet Hippocratem, ſemper de diæta, jejunus Phyſicaſter; doctrinam interim furetur ex magno Helmontio. Veni mecum iterum, *Tacheni*, redde Autori, quod ſurripuiſti, tibique ſuppoſuiſti. Novi, quod hoc fruſtulum, de Fixationibus, quod centoni tuo aſſuiſti, ſit ex Helmontio. Quid dicit Van Helmont. Titul. Blas humanum, *fol.* 118. *paragr.* 37. audi, & audi: *Multa*, inquit, *fiunt fixa, ſi calore urgeantur, alias erant in ſe volatilia.* Quid tu ais, *Tacheni, pag.* 153. *lin.* 3? *Sic multa fiunt fixa, ſi debito calore tractentur, quæ alias erant volatilia.* Quid dicit Van Helmont, *paragr.* 39. de ſanguinis, ſeu cruoris, fixatione? Quid tu, *lin.* 7. *pag.* 153. de calore ſanguinem fixante? Quid tractat Van Helmont de vegetabilium, arborum, &c. alcalibus fixis, & fixandis volatilibus, &c. per *paragr. totum* 39. 40. *& ſequentibus?* Quid tu, *recentiſſime Hippocrates*, in tota tua ſumma *Cap.* 21? Niſi quod meliora dimittas quandoque, ac tuam ſaponariam nobis obtrudas; riſumque moveas ſtolidiſſimis marginalibus. Non diſſuadeo Lectori, quin hoc, de fixandis alcalibus; item de fixorum & volatilium alcalium differentiâ, Capitulum ex *Tachenio* legat. Bona enim in quibuſdam doctrina eſt, quouſque ex Helmontio deſcripſit. Suadeo interim etiam Lectori, ut ipſum adeat Helmontium, puriſſimum delibaturus fontem, *loco ſuprà citato*; ubi ſtatim comperiet fragmenta, quæ, dilacerato Helmontio, ſuo aſſuit centoni. Quæ in margine dicit: *Venetos Sapientiſſimos & Prudentiſſimos, eſſe ingenioſos*; hoc verum eſt; hoc tota eis tribuit Europa elogium. Verùm non tantùm ingenioſi ſunt; ſed admirandæ patientiæ, & inauditæ longanimitatis: quòd te, hominem iniquum, toti Europæ inviſum, plus centies convictum, & undique proſcriptum, tolerent, nec te ad triremes, in quibus architectandis eorum commendas ingenium, *pag.* 153. *lin.* 24. pridem ablegarunt, robuſtiori calamo te novum Scriptorem inaugurantes. At verò quis non omnibus votis exoptaret, à Magno *Tachenio* intelligere, pondus & æquilibrium, aut gradum caloris, quo ſanguis fixandus? Quis non ambiret, edi-ſcere modum, quo novus Hippocrates Sulphur, ſeu Cinnabarim, Antimonii artificioſiſſimè figit; prout illam fixationem, Viennæ,

Excellentiss. D. Doctori Teuber fixandam pollicitus est; sed, præter æris dispendium, aliud huic Viro non præstitit, quàm quòd vacuum & inane naturaliter dari illi, demonstrârit, Cinnabrio ad Chaos properante. Neque etiam illud contemnendum dogma est, *indiscriminanter* nimirum *omnia salia esse volatilia*; maximè cùm falsissima sit illa demonstratio novi Hippocratis, de ligno putrido, *pag.* 148. *lin.* 10. quoniam, secundum novi Hippocratis doctrinam, *vegetabilibus omnibus*, uti dicit, *nec granum salis inest*, *nisi arte fiat*: adeoque neque lignis putridis inhærebit actu sal: non potest ergo dici volatilis. Rationem autem veram do ignaro *Hippocrati novo*; cur lignis putridis non insit sal: sicut superiùs etiam veram adduxi rationem; quoniam ligna putrida sine combustione violentâ, in aëre sunt resoluta per putrefactionem internam, antequam violenta resolutio per ignem fuerit instituta, per separationem principiorum: sicque, antequam sal, qui potentiâ inest vegetabilibus, in actum fuerit redactus, aliis principiis sulphureis & spirituosis congenitis adhuc junctus, unà etiam cum iis putrescit; adeoque etiam unà cum aliis dictis principiis, naturali lege & necessitate volatilizatus, in suum chaos transire debet; non verò, quòd per se alcalia salia, jam dum perfecta, volatilia sint; & vel omnia sint talia indifferenter: quæ stupidissima assertio est, & omnino veritati contrariatur.

Ignaram præterea & absurdam statuit noster Hippocrates rationem, cur ligna in aqua diu detenta duriora fiant, saxa tandem æmulantia. Vera causa, *mi Tacheni*, est sal marinus, & spiritus ei connatus, qui ligna diuturnitate temporis petrificant. Sic etiam aquæ dulces, sale terræ nitroso prægnantes, vim pariter indurandi ligna habent, diuque à putredine conservandi; verùm longè minori efficaciâ, quàm aqua maris. Levis porro ustulatio lignorum superficietenus tantùm, induit illis crustam, quò minùs aqua & aër penetrare, & putredinem ab extra inducere possint; consumit nec non superfluam lignorum humiditatem, putredinis causam: non verò *quatenus acidum & alcali in invicem liquentur*: *pag.* 154. *lin.* 3. sed *Physicastro* nostro sine alcali & acido in naturâ fit nihil. Omnia in vacuo ridiculè concepta, & ipse meditatus.

Salia porrò alcalia seu lixivialia, dum igne liquefactivo urgentur, nequaquam suam mutant naturam; uti mentitur *novellus Hippocrates pag.* 154. *lin. ultima*, etiamsi decies igne liquentur. Etenim & Sal communis, sive etiam Sal Tartari, licet aliquoties igne liquefactivo urgeantur, nunquam tamen suam amittunt naturam, neque in alcali vitrificans unquam convertuntur, quin integram servent indolem & crasin: rebus verò peregrinis & siccis, utpote bolo, terrâ figulinâ, &c. permixti, pro eorum fusione impedienda, si igne premantur, tum demum emittunt spiritus suos, privantur eorum virtute & efficaciâ, inefficaces & disgregati in residuo remanentes. Hoc, profectò, contingit in Hippocratica nova & inaudita, ac verè destructoria, reverberatione cinerum usque ad albedinem, ante extractionem seu elixiviationem alcali seu salis, ubi terra mortua, in cineribus salibus copiosè adjuncta, se habet per modum boli aut terræ figulinæ, quibus salium eliquatio in igne prohibetur, ut eorum promptiùs exhalent spiritûs, relictis alcalibus seu salibus effœtis, spiritibus omnino privatis. Habent sales lixiviales, seu alcalia, naturam veluti metallicam, quæ igne liquefactivo haud quidquam deperdunt; calcinata verò in scorias vertuntur; auro excepto: quatenus eorum Mercurius & Sulphur diuturnâ reverberatione exhalant; igne verò liquefactivo tantùm unita & constantia manent. Vis enim unita fortior est dispersâ: Et sic, *novissime Hippocrates*, Philosophatur Reformator, fundamentis realibus, non alcalinis nugis, acidis, in vacuo fabricatis.

Sed audito gloriosum arrogantem, quid, & qualia, *pag.* 154. & 155. de Basilio Valentino sibi encomii arripiat, & quàm appositè adducat marginale illud; **Wann mir die Flügel brechen ab / und werden bereit zum Wasserbad:** *super Exod. Zoar.* Risum teneatis, Amici! Ex trypode, profectò, non sine fœnore, tua alcalia, quæ sales lixiviales sunt, apparasti; quæ nunc pro universali Philosophorum materiâ, seu ipso lapide Philosophorum

rum jam jam emergente, venditas. Sed an non vides, *Mysorum ultime*, quòd hæc sit gloriosa insania, ex miseris tuis alcalibus velle elicere primam Philosophorum materiam, & gemmam Philosophorum? sed vel nuda verba de Auro, velut modulamen dulce, aures tibi demulcent, *nove Hippocrates*, dum tibi refricas, quòd olim Aurifabrum (quam artem ex professo te didicisse affirmasti) egisti. Nondum, profectò, alcalia tua alis his sunt instructa, ut ipsis juxta Valentinum demi possint. Te potiùs lymphatum interim destinatis mergamus Thermis.

Cæterùm alcalia salia, seu lixivialia, dare, cum propriis suis oleis destillatis, salutaria medicamenta; minimè diffiteor: quin & ipse hujusmodi Pharmaca, in nostra recens edita Pharmacopœia, sincerè ac clarè descripsi. Oleum verò Tartari destillatum, cum proprio sale mixtum, in saponem descíscere; hyperbole manifesta est. Nam ad saponem non desiderantur olea destillata, sed pinguedines animalium, & olea unctuosa expressa; quæ longè alterius prosapiæ sunt, quàm destillata: potiùs enim in nigrum crassamentum ac picem degenerarent, quàm saponem. At in his tractandis *noster Tachenius* non tantùm monoculus (uti Reformatori inanes & famosæ pagellæ ipsius objiciunt) & Polyphemus fuit; sed vel talpâ cœcior: quòd nec saponariam, tam humile opificium, pro debito tractârit; tot spuriis subscribendo assertis.

Nunc procedo ad reliqua Saponarii dogmata, *pag.* 155. *lib.* 25. ubi ait: *Hoc exemplum de Tartaro cum olim monoculus quidam, oretenus per modum informationis, à me audivisset, statim coxit alcali vipertinum, cum oleo tartari, diversæ naturæ, rustico more, imo minore cum observatione, quod coctione in phiala, longi colli cum alcali saponis consistentiam acquisivit: hic tamen, amicam informationem, mihi vitio vertit, in admodum longa epistola, scribens: Oleum tartari quod affundere jussisti, piceam omnino naturam induit, eaque est spissitudine dum refrixit ut scindi possit, ita animadverto, me penitus deceptum esse: verum quidem est, me sæpius ex ore dominæ* (a) *vestræ audivisse, quod hujus salis præparatio ingens lumen in chymia præbeat, &c. Magnus hic physicunculus tantum in ignavo Cerebello, non habuit salis, licet de eo scribillans, ut hujus inspissationis, necessariam causam perquisivisset, sed statim illud quod ignorat, fucum, & imposturam esse scribit* (b) *Quemadmodum autem animadvertit, hujus inspissationis causam, vulgo & saponem conficientibus notissimum, sic etiam animadvertit quæ reformat.* Hem tibi, quam niger es, dicebat Graculus Ollæ! Quàm balat, ne dicam, rudit oculatus noster Argus! Verè ingratus cuculus: in alienâ imbecillitate lustrandâ centoculus; in propriâ lippus. Proh! quàm strabo & luscus inter cœcos triumphat! *Hoc exemplum de tartaro monoculus quidam à te per modum informationis audivit?* Quid ad auditum monoculus, seu oculus, proficit? Cur non dixisti: monoculus vidit tuam imposturam? Nisi quia Patavii Idiota eras, & Impostor; quem etiamnum ludis; nihil eorum possidens, quæ oculos Studiosorum oblectare possent. Quid enim unquam, arbitro honesto viro, in Chymicis ibidem confecisti? *Per modum informationis audivit.* Dic, *gloriose Thraso*, quis Informator ibi fuit? Tu ne; an Reformator? Quis collegia Chymica & Galenico Pharmaceutica publicâ Auditorum Nobiliss. frequentiâ obivit: vel ipso Doctissimo Veslingio, incomparabili viro, accurrente: an *Tachenius*; an Reformator? Sed quid talia te delectabant! Mollia quæris; & potiùs: Audis tædiferum pueros Hymenæa canentes. Unde etiam ad Lucinæ deliciosum Lyceum hoc tuum axioma, *in margine*, *pag.* 156. desumpsisti: *Qui amant etsi rustici sunt, mirum in modum venusti evadunt.* Quis te non credat robustissimum, & venustissimum villanum ac rusticum, ex jacto hoc tuo fundamento, qui strenuè amoribus indulsisti; prout in Echo Vindiciarum ultrò declaras? Sed heus, Lusce! Cur me Monoculi sarcasticâ metaphorâ deludis, *pag.* 156. cùm tamen omni beneficiorum genere te pridem demeruerim; An non ex ore tuo hîc affirmem: *à domo ingrati non recedat malum: quoniam* dul-

A domo ingrati non recedit malum.

a *Qui amant etsi rustici sunt, mirum in modum venusti evadunt.*

b *fol.* 487.

dulcedo acerrimæ ultionis te fefellit, ut contingit ei qui scabit carnem prurientem ultra debitum & metas, ad saniem & insaniam? An non te *Physicuncum* (ridendo, & digno tam stupido Nomenclatore, etymo, ac *Tachenius* est) altâ voce compellem? Cur iterum mentiris, ac de vacuo tuo, alcalium universo, & spatiis imaginariis, literas producis; de quibus ne vel per somnium egeram? Novi te, *versute Coluber*, vel ex serpentinâ caudâ tua. Vox quidem Vox Jacob; Manus autem sunt Esau. Novi hispitum Stylum, & inculta verba, & aculeis armatas sarcasticas periodos tuas; è quibus hanc Epistolam conflabas, Fumiger, & hîc impressisti. Mentiris: audacter dico; quòd hanc Epistolam ad te dederim. Considera Stylum; an non æmuletur tuam *Epistolam de famoso liquore alcahest*; quam lascivè edidisti: Fateor: coram Patavii fraudes tuas tibi proposui, quibus me in communicando secreto tuo secretorum delusisti? ut etiam Celsissimum Principem Holsatiæ Slesvicensem: sed literas, quas fingis, tibi non inscripsi. Et verò quid emolumenti ex impressa hâc Epistola tua in te redundavit, *Tacheni?* Aliud nihil; (tibi enim, non mihi, dedecori est) nisi quòd plura figmenta tibi in caput detorquere cogor, ac iteratò te convincere. Falsum enim est, quòd Oleum Tartari, ex clarâ ac sæpius repetitâ rusticâ informatione tuâ, sali Viperino affusum, piceam omnino naturam induerit: sed paulisper tantùm spatio sex septemvè mensium in calore sicco detentum, à tenuitate suâ qualicunque descivit, & paulò crassius effectum est, ut adhuc ex phiala longi & strictioris colli frigidè potuerit effundi. Sed quis non succumberet dolo & machinis tam callidi amici? Quis periculum à falso fratre declinet: quando lupus ovinam induit pellem, & inimici hominis domestici ejus? Proh! quàm incrustata & melliflua verba; quàm blanda mendacia; quàm speciosas imposturas adinvenit noster Hippocrates, quando, per modum informationis, ut ait, *pag.* 155. *lin.* 27. hoc secretum oretenus communicavit! Et quidquid objectionum Reformator afferebat, semper tamen affirmabat? Oleum Tartari continere aliquam aciditatem, & impedire suâ levitate, quâ supernatat, ne sal volatilis Viperarum altum & sublime petat, nec non necessitari, ut in fundo persistat & fixetur. Neque, hoc semel affirmasse, sat erat; iteratò repetiit, etiam dum, post menses tres, frustraneâ operâ fixationi ac circulationi indulgerem & insudarem: quo tempore sæpius *Tachenium* commonefeci, ne fraudibus me circumveniret; ne alieno periculo, seu meo damno, cautus fieri, & anceps illa per me experiri velit, quæ hactenus ignoraret. Sed eadem semper pejerabat, seu affirmabat: donec, cùm tandem, patientiâ meâ in indignationem versâ, altiori tono & rigore ei rem exaggerarem ac demonstrarem, quòd, veluti simia, alienis pedibus pro harpagone ad prunas abuti, seu alienâ experientiâ & sumptibus instrui voluerit, ac me, pro magnis beneficiis ei exhibitis, ingratus, deluserit; in risum solutus; *cur me decipi passus sim*; reposuit. Sed cur prædictus Celsissimus Princeps Holsatiæ à te eodem modo se decipi passus est? Sed audite, quàm laneis pedibus incedat; quàm repat vulpecula, gloriolâ turgida, & laudes aucupans; quàm commendari velit in efficta sua Epistolâ! *Verum quidem est*, inquit, *me sæpius ex ore dominationis vestræ audivisse, quòd hujus salis præparatio ingens lumen præbeat in chymia, &c.*

> *Dixerat: at genitor circum caput omne micantes*
> *Deposuit radios, propiusque accedere jussit.*

Quis enim lumen & splendorem; quis ferientes radios sustineat tuos, gloriose Ardelio, & Chymiæ Lucifer, *Tacheni?* Quis ad meridianum ambigat, quòd ingens lumen nobis producas; quin tenebras plus quàm Cimmerias aut Ægyptiacas? Quid fumos iterum vendis, quid splendoris tibi arrogas? Quomodo lucere potes, *homo obscurissima fama, confusa doctrina, umbrarum & latebrarum amans*; ad quas cum totâ tuâ doctrinâ fugis & te abdis? Quid enim clarius dici potest, ad tradendam salis Viperini tui inspissationem, quàm hoc ænigmate illud nobis dictare: *Acidum informat alcali?* Annon, qui legit hæc, ultrò

ultrò tua verba in te detorquere cogitur? Profectò, qui hoc scripsit, obscurum eum *Physicuncum* esse oportet, licet novus etiam sit Hippocrates, vel centies inauguratus. Quis citra Oedipum, & haruspices, hæc indaget? Sed, pace tuâ, addam non nihil luminis hisce tenebris tuis: ac huic triverbio tria subjungam verba, tibi, ac tuis, in aurem: *Acidum*: id est, *Acetum destillatum*: *Informat*: hoc est, *saturat*, aut imprægnat: *Alcali*, id est, *Salem Tartari*. Ecce mysteria, & nodum Gordium, quem resolvi! Hæc sunt *novissimi salis Viperini antiquissima fundamenta*. (ne dicam, stultissima) Prædicate super tecta: resonent in compitis; ad tubam & lituum promulgate; quoniam his verbis panditur mysteriorum abyssus. Vide igitur, *Tacheni*, *arrige aures* (tuæ sunt sequentes elegantiæ, & congenitæ phrases) *an magnus Physicunculus tantum in ignavo cerebello non habuerit salis, ut hujus inspissationis necessariam causam perquisiverit?* Vide, quàm magna, quàm inaccessa, habeat arcanorum tuorum epitome! Quam ludicra & scurrilia tractet, digna *Physicunco*. Risisti aliquando magnum Virum, Helwig Dietericum, Archiatrum, seria commentantem: ac Apologetico sarcasmo multa in eum jecisti scommata: quæ si afferre velim, tuam planè, *Physicunce*, phrasin, quam hîc adfers de *Physicunco*, æmulantur. Quærebas enim, in Echo Vindiciarum: *an visitergia debeant esse linea vel cartacea, vel an dæmonum excrementa sint Alexiteria hominibus in octavo gradu, an hiatus ventris sit spiraculum animæ, an si mus in mare mingat timendum naufragium*, &c. Addamus nos alterum corollarium: An *Physicuncus* possit in *novum Hippocratem* inaugurari? Talia sunt novissimi salis Viperini novissima etiam commenta. Videat amicus Lector, inter quos enutritus ille sit: annon in haris & mappalibus: annon ad aleas & fritillum. Fæx hominum, & infimi scurræ, talia pejerent, qualia olim Dieterico, nunc novissimè mihi, scommata impingit, propriam affricando insaniam. Nunc colligat amicus Lector, quàm nigra sit hæc avis; quàm cloacis amica, quæ tam fæda modulatur.

Sed silentium mihi imponere voluit in superioribus benignus ac misericors *Tachenius* dum ait, *pag. 73 lin. 4. ante me Reformatori, hic sal cum omnibus requisitis ejus, ne quidem per somnium in mentem venit, quod propriis ejus literis ad me datis ostenderem, nisi honori ejus parcerem.* Et eas jam produxisti, mendax, in tuum despectum. Et ego proferrem literas, nisi me tæderet oneris. Habeo, *Tacheni*, in Teutonico quandam à te Epistolam, proh mirum! tibi honorificam: habeo à D. Bruno, Medic. Holsatiæ in Kiel: habeo à Jacobo Sheps, Chirurgo Gedani; & quadam Netrice ibidem: habeo Fischusio, in Borussia, à Viro Ecclesiastico probo, & Chymico: Regiomonte, à D. Clemente Bolz; & magistra quadam parvæ pilæ. Prostant aliæ Cracoviâ, & Vilniâ Lithuaniæ, Varsaviâ; hinc ex Austriâ, Viennâ, &c. (*Tacheni*, sapienti pauca: tria verba in aurem tibi; tria alia tuis) quas si producerem; nec tot Noctuæ Athenis ullulant, quot avidos congregarem Auditores, qui absorpti stuperent, quomodo tam vastus & amplus Panegyricus uni & soli homini *Tachenio* possit dicari. Tace, noli movere Camarinam. Hæc mihi credito, vel è machina Numini. Ego taceo, & altum quidem. Tu mihi obviasti, inculto & nodoso stipite armatus, cui innituntur, qui porcos minant, verbis petulantiam olentibus: ego Physicis rationibus, & propriis quandoque, te convinco. Vide sis, quod hoc sit pugnæ genus. Ne hâc chordâ oberrato. Sed resipisce, quæso.

Arrige iterum aures, *Tacheni*, & judica contradictiones tuas, *pag.* 157. & seq. nunquam tot, quin plures. Quoties tibi contradicis de alcali & acido? Mox acidum tam volatile proclamas, ut solâ coctione, vel destillatione ex oleo avolet: mox fixum tibi est, & alcalibus inhæret, ut etiam igne reverberii expelli nequeat. Quàm pulchras Physicas insuper addis rationes, de Oleo cocto, de Oleo Lampadum! Essent reverà disquisitione digna, si tempus suppeteret. Verùm quia paucis absolvi nequeunt; illa, cum plurimis sequentibus; utpote, judicio de sulphure, & lacte sulphuris stupido, *pag.* 160. de aceti residuo; & tartaro re-

regenerato: omnia tibi in omnibus: de Camphora, quòd tibi ſit alcali volatile (nimirum!): de ſale communi ex fixo alcali, & acido ſalis ſpiritu efficiendo: item, de fixo alcali cum acido Vitrioli fieri Vitriolum, *pag.* 171. cuncta, quàm abſurda etiam ſint, ut vix linguâ exprimi poſſint: nunc tamen ſicco pede tranſeo.

Interim non abs re quæro ex Philoſopho noſtro *Hippocratico novo:* quod nomen ipſi per antonomaſiam imponat: utrum ex illo, arte tantùm confecto, ſale communi (quod implicat ſtatim) nimirum ex alcali ſeu ſale lixiviali quodam, aut tartari, & acido ſalis ſpiritu, talis, aut idem acidus ſalis ſpiritus, qui ex communi & naturali ſale deſtillando elicitur, ex hoc ſuo, arte confecto, ſale, uti dicit, communi, pariter etiam deſtillari poſſit? Utrum hic ejus artificialis ſal communis veri ſalis communis ſaporem, energiam, & virtutem in condiendis cibis, & aliis æmuletur? Num ad aquam Regiam conficiendam aptus & efficax ſit? Nullum horum in illo, profectò, reperiet. Nam alcali, ſeu ſal purè ſalſus lixivialis fixus, & ſpiritus aliquis acidus, ſive ſalis, vitrioli, vel ſulphuris, naturali contrarietate ita ſe, reciprocante activitate, deſtruunt, immutant; ut ambo, tum ſal alcali, tum ſpiritus, in aliud planè ens degenerent, & neutrum horum ampliùs ab alio ſeparabile ſit. Quo jure igitur ſal artificialis, ex alcali & acido conflatus, communis ſal dici meretur? Longè enim differunt in eſſe, fieri, & operari. Aliter planè ſe habent ſales volatiles animalium purè ſalſi etiam: qui, etiamſi cum acido aliquo ſpiritu, Salis, Vitrioli, vel Sulphuris, ſaturentur; tamen ab invicem denuò ſeparari poſſunt: & ſal volatilis facillimè ab acidis ſpiritibus ſeparatur per ſalem Tartari, vel alium ſalem lixivialem, qui ſpiritibus acidis recipiendis magis pronus eſt, quam volatilis ſal. Hinc cogitur ſpiritus ille acidus à ſale alcali fixo, ut ſalem volatilem totum & indeſtructum, ſuâ primævâ virtute integrum, relinquat, & libertati reſtituat. Spiritus verò acidus ipſe etiam per chalybem artificiosè ſeparabilis eſt: prout alibi clarè demonſtravi.

Porrò ait noviter inauguratus Hippocrates: *Sal alcali fixus, cum acido vel ſpiritu vitrioli ſaturatus, fit vitriolum.* Quod ipſum etiam ſeſquipedale mendacium eſt. Poteſtne, *Tacheni*, ex Tartaro Vitriolato, qui ex fixo alcali, ſeu ſale Tartari, & ſpiritu Vitrioli, conflatus eſt, Vitrioli denuò ſpiritus deſtillando elici, aut violentiſſimo igne expelli; uti ex ipſo Vitriolo? Nequaquam. Ipſe antecedenter recenſebas, quòd tartarus Vitriolatus mirabilem præbeat deſtillando ſpiritum, ex acido ſalſum, ſi fortiter igne urgeatur: & quod verum. Sed ſi alius planè ſpiritus, odore, ſapore, virtute & naturâ ſuâ, ex tartaro Vitriolato eliciatur; neutiquam verò ſpiritus Vitrioli ex illo deſtillari poſſit: quo fundamento igitur dixeris Tartarum vitriolatum Vitriolum? Vitriolum, debitè per retortam deſtillatum, in reſiduo largam deponit capitis mortui (ita dicti) copiam, Colcothar nuncupatum. Hoc in aëre aliquandiu detentum, quo impregnetur, ac denuò deſtillatum, ſpiritum præbet Vitrioli: vel elixiviatum, ſalem ſuppeditat nitroſum aëreum; prout, *in Animadverſ.* edocui. Contingitne hoc etiam in Tartaro Vitriolato? Nihil horum. Ex capite dicto mortuo, aut colcothar vitrioli, arte fuſoriâ metallum quoddam elici poteſt. An hoc etiam ex Tartaro vitriolato, relicto ab ejus deſtillatione? An non abſurdum, hæc affirmare? Vitriolum atramentum efficit, adjunctis gallis, roſis: pluresque alios producit colores, juxta rerum admiſcendarum naturam. Virtutes habet vitriolum rodendi, qualitates malignas, æruginem ſapit, emeticum eſt violentum, in largiori paulò doſi aſſumptum: horum tamen nullum in tartaro Vitriolato perſpicuum; quin potiùs, quòd ſit medicamentum benignum, ab omnibus doctis Medicis (tibi Canonicis) approbatum & laudatum. Et tamen *Novi Hippocrati* Tartarus vitriolatus eſt Vitriolum! Quis unquam hæc, & ſimilia, ante novam hanc apocalypſin & Hippocraticam revelationem, crediſſet? Fuerunt nobis occulta, quia in vacuo nuper nati Hippocratis demum fabricata. Idem tenendum eſt de acido, ſeu ſpiritu, vitrioli, ſulphuris, qui, uti ſtupidè & ignoranter ait; *ſi roſerit arenam, vel aliud naturale corpus;* ex

ex eo iterum naturale sulphur sublimari possit: quod experientiæ repugnat, & quamplurimas involvit absurditates. Sic nec Nitrum juxta *novelli Hippocratis* compositionem, unquam fuit generatum; ut neque ex alcali tartari, cum acido vini Tartarus denuò producitur: quod tamen plus decies jam asseruit; citra omnem experientiam aut veritatem. *Et, hoc modo*, inquit, *pag. 172. docet meus Hippocrates procedit etiam natura.* Quasi verò divinus Senex ita nugatus & tam crassè sæpius mentitus sit. Multum, profectò, sustinet Cous à *Tachenio*, dum omnes absurditates & figmenta, sine principio & fine, cum Divino Sene palliare nititur: nobisque omninò persuadere conatur, ac si totum universum ex alcali vacuo & acido conflatum, totaque Philosophia ab alcali & acido prima mutuaretur principia. Imo: *Si omnes cartacei libri, cum eorum scriptoribus interirent, ex ingenti Naturæ* (alcalisato fortè) *libro, omnes artes rursus hac methodo* (observentur hæc acida alcalina!) *addiscerentur; pag. 173. lin. antepenultima*, stupidissimè garrit.

Pag. 175. parag. 1. multa iterum effutit, & falsissima experimenta, de alcalibus volatilibus, & spiritu nitri: Iterum: *alcali cum aceto, fieri tartarum, qui totus in liquorem destilletur salsum.* Quæ ipsa experientia falsissima dictat. Miror proinde, quòd non erubescat, tot tantaque proferre mendacia; quasi de plebe, & villa discipulos haberet Auditores, Euangelista novus.

Porrò, *pag. 175. lin. 13.* obscurè discurrit, dicens: *nam sicut alcalia fixa, sunt vacua & inania corpora, sic etiam volatilia, omnium animalium; quorum præparationem docet quidem reformator qui cum alcalibus tamen omnibus, admodum vacuus est. Hinc, motus Hippocrates meus, sereno vultu, in dulcem risum, inquiens (iterum lib. 1. de diæta.) Nesciunt quid faciunt, sed destinatum fatum explent.* Eja! quis non moveretur in dulcem risum, *Tacheni*, ubi marginale tuum observat, *pag. 162. si loquor absque veritate erubescam?* Cur mentiris iterum sine rubore, & adversus Solem loqueris? Quàm argutè argumentaris in forma! Nimirum: *Reformatorem quidem docere volatilium alcalium omnium animalium præparationem.* Sed, *alcalia fixa & volatilia omnium animalium sunt vacua & inania corpora*: Ergo & Reformator, *cum alcalibus tamen omnibus, admodum vacuus est.* Nescis, vacuum non dari; quoniam stultorum plena sunt omnia? An non eorum ipse impleas bonam partem? Profectò, nisi te nitro defricuero, aut helleborum tibi propinem, Acesias medicabitur, *Tacheni*: aut denique, nisi *saponem sapientem* affricem, de quo tu in margine, *pag. 172.* deploratus es, nec vel Panacea tibi auxiliabitur. Ubi Reformator vacuum unquam alcalium somniavit: deliria, & superstitiones, Scholis & Orbi tecum propudiosè persuasit? Edissere, *novelle Hippocrates*, & attrite Physicaster. Nego dari vacuum, vel arte, vel naturâ; prout superiùs deduxi; & tam firmiter defendo, ut in cerebro quoque tuo etiamnum dari vacuum negem; quod undique dementiâ, & caninâ rabie tumet, vertigine rotatur, & inflatis stultitiæ punctis non divisibilibus (cum Anaxagora Philosopho) seu nunquam tot, quin pluribus, ad insaniam distenditur. *Nescis quid facis* (ex libr. 1. de diæta, hæc tibi Hippocr. quem citas) *sed destinatum fatum exples*: de malo in pejus proficis. Nescio, *Tacheni*, amplius, quid moriæ tuæ respondeam, ne limites excedam, quibus me honestatis ardor circumscripsit; & aptè doces, *pag. 175.* quòd *Reformator admodum vacuus est*; cui pridem prolixa tua fabellandi scurrilitas, pseudologia, & nova salis Viperini connubia adulterina, evacuare omnem & exprimere debuerant patientiam. Plura hìc non addo. Memento iterum: quòd mendacem oportet esse memorem sui. Juxta te enim superiùs, Jovis omnia plena erant: ergo falsum est, quòd, *sicut alcalia fixa; ita volatilia omnium animalium sunt vacua & inania corpora.* Eris, profectò, mihi magnus Apollo, *Tacheni*, si vacuum Scholis probaveris. Alii requiruntur Canones contra Canonicos, quàm aniles tuæ fabellæ.

Ulteriùs pergit *novissimus Hippocrates*, &,

Pag. 175. *lin.* 25. inquit: *Alcali itaque Viperinum vacuum & inane corpus saturatur à Reformatore etiam vacuo, magno labore & sumptu acido salis spiritu, quid aliud quam salis communis proles, exinde generari potest? En fucus & impostura, quam reformator, cum tanto labore* (a) *tandem invenit: de quo ante victoriam triumphans scribillat; Nec velim tibi quisquis es persuadeas, aliam esse viam fixandi. Hoc dicto pavitans palinodiam recanit: inquiens (submissa voce) si tamen quisquis esset, qui majorem in hisce laboribus haberet experientiam, ipsi ansam prabeo, ut boni publici causa, illa quæ in hac re expertus est, secum commori non patiatur. Meum corculum! meus molliculus caseus! quidni? Eja age; opteremus fratres, hujus cupiditatis: bene ædepol narrat; ah, quantum non meretur, de republica medica! quod pharmacopæis* (b) *acidum & salsum tam polituIè discrevit.*

a *Pharmacop. fol.* 486.

b *Append. in Animadvers. fol.* 75.

Scimus jam dudum, *Tacheni*, quòd magni labores & sumptus tibi non arrideant, & in iis nimis sis parcus. Scimus, quòd *molliculus caseus* tibi sint delitiæ, ac magis placeat, quando ex quatuor tantùm Viperis (quæ vix ac ne vix quidem unciam dimidiam salis Viperini suppeditant) quadraginta, & aliquot, libræ nihilominus salis Viperini conficiuntur. Propterea optimè in te cadit illud Satyropægnion, quod, *in principio Vindiciarum Excell. D. Dieterici, adversus Tachenium, statim post Epistolam D. D. Knöfelii, Archiat. Reg. Polon.* cecinit Philalethes Bonæfidius, de sale Viperarum: cujus sex ultimi versus, cum subscriptione, sequentia habent:

Hîc sal Vipereum, hîc nova se medicamina tollunt,
Et caput Anticyris tribus insanabile curant.
Vos vero Asclepî soboles, genus acre medentũ,
Si qua fides foliis si quid mihi cantat Apollo,
Frigidus hoc vivusq; latet sale, credite, serpens,
Et fugite, ô fugite hinc, grano micat anguis in isto.

Dabantur ad salinas Echidnéas, Mense & Anno eodem, cùm varios passim insignis hic & improbissimus Planus, Pseudo-sale suo Viperino deciperet, Viperam verò longo tempore non vidisset.

En igitur fucus, & impostura, *novelli Hippocratis!* cui labores & sumptus tantopere displicent. Et hoc est, quòd sal Viperarum Reformatoris minimè ipsi arridet: imposturam, & *molliculum caseum*, libentiùs amplexatur. Cæterùm quid aliud *Tachenius*, quàm de vacuo in pleno, & alcali, quod non est alcali, scribillare potest? Superiùs non semel, sed iterum atque iterum, statuit, & expressis verbis vociferatus est; quòd Reformatoris sal Viperarum, acido spiritu salis saturatus, sit sal Armoniacus: posse iterum, admixto aliquo alcali, scilicet sale tartari, ab acido spiritu salis separari, & in suum esse pristinum volatile transire. Nunc verò turpiter iterum sibi contradicit; uti etiam in superioribus, rabiosus totus in hoc paragrapho; ac si conjurasset in necem salis Viperini Reformatoris (quem tamen, pro magno secreto, ipsi Celsissimo Principi Holsatiæ communicavit, tanquam genuinus & proprius esset partus) dicens: *quod nil aliud, quàm salis communis proles sit.* Verùm quantum differat sal communis, à sale Armoniaco, & à sale Viperarum vero Reformatoris, superiùs sufficienter declaratum est, & vel per se mendacium elucescit; & patet, *Physicuncum* hunc (tua repeto) vel planè salium differentiam ignorare; vel ex mera invidia, & canina rabie scribillare; ut denuò optimè, & jure merito, in illum detorqueam Philalethis Bonæfidii Satyropægnion, in principo talia habens:

Vipereos dentes, squamasque & sibila linguæ,
Et virus dirum, & petulantis verbera caudæ,
Volventesque sinus, tergumq; immane colubri,
Scintillasque oculosque & hiantem in pravia rictum
Hactenus ætatum seris dedit usus ab annis,
Et Tityrus vidit viridi prostratus in ulvâ.

Sal communis est sal fixus, in igne constans, igne fusorio liquabilis, ad instar metalli: sal verò Viperarum Reformatoris est sal volatilis: ergò non est sal communis; & toto cœlo differt, tanquam volatile à fixo. Est igitur (ut denuò ignaro *Hippocrati Novello* differentiam salium inculcem) verus sal Viperarum Reformatoris, sal acido-salsus volatilis: sal verò communis, est sal acido-salsus fixus. Quanta autem sit differentia inter utrumque, existentiâ

nimi-

nimirum, esse, operari, sapore, & virtute, quilibet peritus Medicus & Chymicus, citra nostram informationem, noverit. Impostura autem fascinat nostrum *Hippocratem novum*, ne veritatem agnoscat. Quis autem non cernit, inter Viros doctos, & peritos Pharmacopœos, quòd turpiter sibi denuò contradicat, & decumanum mendacium heîc proferat? Non placet *Tachenio* sal Viperarum Reformatoris. Quid mirum? Quia genuinus, sine impostura, & magno labore, & sumptu haud exiguo, comparatur; nec notabile lucrum exinde sperandum. At verò *novi Hippocratis* sal Viperarum, ita dictus, corculum ejus, & *molliculus caseus* est, *pag.176. lin.15*. Eja! quàm dulcis impostura, dulce etiam lucrum procreat sine magno labore, sine sumptu: *Acidum informat alcali!* Ah! quantum non meretur de Republica Medica *Hippocrates* hic *novellus*, quòd tantum secretum; quomodo nimirum acetum vini informet salem Tartari, sub metaphorâ tamen hac nobis communicârit, *ac acidum & salsum tam politulè discreverit! pag. ead. lin.22.* Eja! Accedite, literati, qui hujus cupiditate flagratis: vobis hîc offertur ferculum Hippocraticum, ex magno & ingenti secretorum & observationum ejus cumulo decerptum. Sed priusquam Reformator palinodiam canat, aut *Tachenius* ante victoriam Triumphum; examinandum suscipiam

CAPUT XXII.

Cujus inscriptio:

Puerilem sententiam declarat.

HUc ferulam: hûc, *Tacheni*, qui puerilia tractant, hîc castigandi sunt. Hoc est, quod semper vociferatus sum: puerilia declarasti; crepundia tractasti, *novellus Hippocrates* es; fascicolas adhuc tenes, & artis incunabula. *Obiter*, inquit, *nunc percurram acida, quæ reformator docet salsis contraria* (a) *quam tamen doctrinam, cum reliquis pluribus falsissimam, & ignorantiæ plenam invenio, ut per ignem (qui hic professor publicus & justus judex vocatur: dialectica hanc discretionem non habet, ea saltem scientias repertas, & veras, in quovis scibili methodicè, rectè, & clarè, magna utilitate proponere & tractare novit.) servatis vocibus, usu receptis, demonstrabitur. Salium autem sapores quantum visum fuit, pro intelligentia, præsentis compendioli, supra distinxi.*

a In Append. fol. 52. Ignis tam internus quam externus, ordinarius Creatoris professor, Naturæ librum explicat.

Auri Calcinatio in via sicca.

Ex nitro, & sale communi ana unciis quatuor, & aluminis unciis duabus fiat pulvis, cui superadde aquam simplicem quantum satis, pro salium solutione (quæ non agunt nisi soluta) & habebis liquorem salsum, cui adde auri foliati duas saltem drachmas, misce aurum cum salibus, & coque in ollula vitreata ad siccitatem, sub finem auge ignem, donec odorem aquæ fortis instar spiret: sic mixtura salsedo erodit aurum. Albam massam in ollula, dissolve aqua communi, solutum quiescat vitreo vase, donec fæces salium subsideant, clarum per inclinationem effunde: huic claræ solutioni guttatim instilla, alcali quoddam fixum resolutum, ex. gr. liquorem Tartari, qui statim absorbet, subtiliores acidos spiritus & ilico aurum cadit coloris purpurei. Hac in operatione, sal non obfuit acidis spiritibus, ut docet reformator; sed alcali tartari absorbens acida, compositum destruxit.

Eadem via sed majori impetu, distillata aqua ex nitro & alumine, in qua sit solutum sal commune, aurum dissolvit, nisi enim sal in aqua dissolutum esset; aurum non corroderet. Non itaque destruit sal; acidam aquam fortem, neque in sicca, neque in humida via; sed ei vigorem addit, sale armoniaco similem. Hinc Basilius.

Auri calcinatio in via humida.

Was im adler wird gefunden klar
Das steckt in mir auch gantz und gar.

Hinc liquet, quod aurum non dissolvitur nisi à salsis: quare autem acidus salis spiritus hoc solvit? dixi & ostendi suo loco; quod nimirum spiritus rodendo, redit in id quod erat à nativitate, id est in sal.

Obiter, ais in principio hujus capituli, *nunc percurram acida quæ reformator docet salsis contraria.* Hoc est, quod incauta pueritia assolet, obiter nimirum, perfunctoriè, oscitanter, omnia percurrere. Non obiter, sed maturo judicio, & Hippocraticâ severitate, hæc tractare debebas. Audiamus igitur *puerilem sententiam: Acida sunt salis contraria.* Tu dicis, & dixisti, hæc, *Tacheni.* Quis enim frequentiùs, & ad ravim usque, vociferatus est, quàm tu, *novelle Hippocrates*, cui uni & soli librum dedicasti, de alcali, alcalibus, & ex alcalibus, de lixivialibus salibus, aut sale tartari & acido; quâ ratione in se mutuò agant, & mox acidum, salem alcali; mox sal alcali acidum superet ac demoliatur, hinc omnia excrescant & vegetentur? Sed, ut ais, *pag.* 13. *lin.* 19. *omnia salia, quæ acida mortificant, sunt alcalia:* & promittis, *velle salia generali nomine alcalia imposterum appellare*: iterum, *pag.* 27. *lin.* 23. *salia alcalia ad unum omnia acidis sunt contraria, illorumque destructiva:* & alibi passim. A quo igitur puerilis sententia prolata est, *Tacheni?* Ex ore tuo, serve fidelis. Tuus hic aphorismus est, *nove Hypocrita.* Magnis itaque elementis tibi inscribamus hoc Apophtegma, *Tacheni: Pueri puerilia tractant.* Ignosce, precor, quod talia reddam: in capite libri tui hæc scripta sunt: hæc tibi Talionis pænâ adjudicantur. Vides igitur, quis puerilia declaraverit, quis asseruerit, *salia esse acidis contraria?* Si hæc sententia ignorantiæ plena est, Tu, mi *Otto*; tu, mi *disertissime Tacheni*, dixisti; tu multus hactenus fuisti in tractandis sine sale salibus: tu alcalium pater: tu cum igne *ordinarius Creatoris professor:* tu *naturæ* hos *libros explicabas*, *in marg. pag.* 177. tu denique novam condidisti Babylonem Spagyricam, clarè, sed perperam, edocens; salia communia, naturalia, & salia acido-salsa artificialia, nunc sola esse salia; reliqua verò omnia lixivialia & alcalia salia vegetabilium, ut & volatilia animalium, pro tuo imperio non esse amplius salia, sed genericè alcalia: juxta propositum tuum, & fraudulentum scopum, *pag.* 13. *lin.* 19. Et hæc ideò factitasti, quia multum ignarus eras Philosophiæ, rudis *Physicunculus* (parce: tua repeto) & uti aliàs, ubi definit Physicus; ibi incipit Medicus: sic tu ibi desiisti, ubi Physicus incipit; sic præcox tua ferebat indoles; ignorasti naturam, crasin & differentias salium; quòd salibus alcalibus lixivialibus, quin & salibus volatilibus animalium, verè, realiter, ac propriissimè, salis nomen competat, re & etymo, quòd sint salia purè salsa. Hinc illæ lachrymæ! *Tacheni*, quòd solidè doctus non es; quod levis armaturæ miles & Chymicus: hinc dissolutas scopas in forum attulisti, centonem impressisti, plumas alienas malè divisisti, ac ex omnibus aliquid, ex toto nihil, vel aliquid, idque ineptissimum, edidisti. Hinc iterum de dialectica, *pag.* 177. sine connexione, cum risu Lectoris, discurris, ac ubique chartas reples logismis & ineptiis.

Eâdem pag. 177. *& seq.* ais; *aurum solvitur cum salibus, sed aurum non solvitur, nisi acidis spiritibus. Ergo sal non obfuit acidis spiritibus.* A dialectica ad sophisticam rotaris. An non fallacia est, quòd cum salibus, ut salia sunt, solvatur aurum? Sed solvitur ope & virtute acidorum spirituum, quos salia illa, quibus aurum solvi tentatur, continent; utpote sal communis, sal nitri, & aluminis. Aurum proinde sive solvatur cum salibus acido-salsis, qui non, nisi acidum spiritum continent; ut destillatione ex illis facilè elicitur; sive cum eorundem salium spiritibus acidis; perinde & idem est: nisi quòd illa, cùm salibus, benigna magis; hæc verò, cum destillatis spiritibus, magis violenta est; ex uno tamen eodemque fundamento procedunt. Hæc autem salia acido-salsa, quæ Aurum solvunt, quibusque Reformator ipse, *in suis Animadvers. pag.* 471. Aurum solvere, &, eodem modo, in Crocum convertere, docet, (unde, profectò, *novellus Hippocrates* hunc suum processum mutuatus est) quæque salia scilicet *novus Hippocrates* pro fundamento suæ fallaciæ ponit & constituit, ac illa unicè & sola vult esse salia: hæc, inquam,

ſalia Reformator nunquam acidis contraria ſtatuit; nullibi dixit; nec unquam per ſomnium ipſi in mentem venit: prout *Tachenius* mendaciter ipſi appingit: quin potiùs expreſſis verbis, ſanâ doctrinâ, illa acidis non eſſe contraria, ſtatuit, & firmiter affirmavit, quòd natura his ſalibus acido-ſalſis jam dum de aciditate tantum, in viſceribus terræ, tribuerit & implantárit, quantum pro eorum eſſe & operari ſat erat, & differentiam ſalium purè ſalſorum, ſcilicet lixivialium, tartari, & volatilium omnium animalium, quæ verè acidis contraria ſunt, in eſſe & operari: uti in doctrina vera, de differentiis ſalium, *pag.* 60. *Append.* clarè patet, & ad ravim uſque demonſtratum eſt. Hæc L.B. haud gravatè revolvat. Ex illis enim ocyùs hujus callidi & iniqui hominis fallaciam, ad fallendum incautos, ac in Chymicis minùs expertos; & quàm mendaciter Reformatorem accuſet, deprehendet. Patet tamen ſtatim ex hoc proceſſu & fundamento, quàm ſibi contradicat, totus opinioni ſuæ contrarius; ſicque Reformatoris ſententiam firmiter comprobet. Nam, *pag.* 178. *lin.* 5. jubet, *huic claræ ſolutioni* (ſcilicet Auri cum ſalibus peractæ) *guttatim inſtillare alcali quoddam fixum reſolutum, ex. gr. liquorem Tartari, qui ſtatim abſorbeat, ſubtiliores acidos ſpiritus, & illico aurum cadere coloris purpurei.* Sed quidnam, *Tacheni*, hoc aliter ſonat, quàm quòd acidi ſpiritûs aurum ſolvant, & quòd ſalſa etiam acidis ſint contraria? Quoniam liquor, ſeu ſal tartari, reſolutus in liquorem, qui propriè ſal purus ſalſus eſt, & ab *Hippocrate novo*, pag. 42. lin. 1. &. 4. pag. 45. lin. 4. pag. 47. lin. 4. & 12. pag. 51. pag. 54. lin. 21. & in fine, &c. ſal tartari ſimpliciter appellatur, non, niſi contrarietate, quâ acida & purè ſalſa in ſe invicem agunt, acidum illud ſalium, reſolventium aurum, utpote ſalis communis, nitri, & aluminis, abſorbet, deſtruit, inque aliud ens convertit, ut deſtructo acido, à ſuo contrario ſale tartari, Aurum neceſſariò fundum denuò petat, vinculis ſcilicet acidorum ſpirituum liberatum, in forma pulveris, ſeu croci. Quid clarius Reformatoris ſententiæ demonſtrandæ & verificandæ ipſe *novellus Hippocrates* potuiſſet afferre, turpiter ſibi contradicendo? Et tamen adeò hebes eſt ſuo hoc ebrio cerebello, ut denuo, *pag.* 178. *lin.* 11. contradictionem ſuam repetat, dum inquit: *Hac in operatione, ſal non obfuit acidis ſpiritibus, ut docet Reformator; ſed alcali tartari* (cur non dicis ſal tartari?) *abſorbens acida, compoſitum deſtruxit.* O ſtupidum & iniquum dogma! Dic, quinam ſal non obfuit acidis ſpiritibus? Et tunc tua impoſtura palam fiet, quòd Reformator ipſe docuerit, illa ſalia acido-ſalſa ſpiritus habere acidos, ſolvere aurum, & acidis non eſſe contraria; & hoc expreſſis verbis, verè, & realiter; uti virum probum decet. Tu verò ſub fallacia termini hujus (ALCALI) impudicè mentiris, quando ais: *quòd ſal non obfuerit acidis ſpiritibus.* Quid enim alcali tartari aliud, quam verus ſal tartari? Sed eſt purè ſalſus, omnibus acidis ſpiritibus contrarius, acida abſorbens & deſtruens hoc Compoſitum; hoc eſt, quod Reformator docuit: Quid eſt hoc Compoſitum aliud, quàm ſolutio Auri, acidis ſpiritibus horum ſalium acido-ſalſorum peracta? Quis deſtruxit hos acidos ſalium horum ſpiritûs, niſi ſal tartari? Omnia hæc ex tuo ore confirmo. Tuâ hâc fallaciâ & impoſturâ, nimirum; ſalia alcalia, ſeu lixivialia, & ſalem Tartari, non eſſe ſalia, ſed ſaltem alcalia, vis imperitos, & in Chymia tantopere non expertos, in contrariam opinionem, & falſiſſimam ſententiam, trahere, oculis eorum caliginem obducere; ut etiam meridianâ luce tecum cæcutiant: ac unà etiam Reformatoris vera ac fundata ſcripta, de differentiis & ſpeciebus diverſis ſalium, oblitterentur. Monſtra, ſi à mendaciis tuis immunis es, ubi Reformator unquam ſtatuerit, quòd acida, ſeu acidi ſpiritus ſint acido-ſalſis ſalibus contrarii; aut acido-ſalſa ſalia, acidis ſpiritibus? Nonne ipſe Reformator Aquam Regiam exactè deſcripſit, & expreſſis verbis docuit; ſalia acido-ſalſa acidis non eſſe contraria; *loco citato Appendicis pag.* 60. hæc clara verba extant: utpote, *Longè enim alias operationes Salia acido-ſalſa; alias verò purè ſalſa lixivialia & Alcalia ſalia virtutes ſortiuntur*: Item, in præparatione ſpiritûs Vitrioli

coagu-

coagulati, *pag.* 459. *Animadversionum*, lucidissimis verbis hæc omnia expressa sunt: nimirum, *Totum autem hoc coagulationis opus in eo consistit, ut spiritus Vitrioli corpus aliquod, quod ipsi non contrariatur, adjungatur: tale autem est sal proprium, & sal Nitri, tanquam salia acidiora: salia lixivialia, utpote Absinthii, Tartari, & similia, spiritibus acidis contraria sunt, &c.* Hucusque textus Animadversionum. Quis tibi nunc, vacuo Physicunco (tua verba reddo) magis clara & perspicua fundamenta appingere potest, ad fallacias tuas & imposturas convincendas, quibus incautis imponere, & unà Reformatorem exosum reddere voluisti? Sed redit in te hoc scelus & absurdum; quo ipse tuam ignorantiam & imposturam meliùs delineare non potuisses. Verùm sine verecundia vivis, citra pudorem, & perinde tibi est, vincere, an convinci; tibi, an aliis, contradicere; docere, an mentiri; calumniari, an commentari. Hæc croci Solis, seu Auri, præparatio unde, quæso, tibi accre[illegible]it, nisi ex *Animadv. m. pag.* 470. vivo adhuc Authore: mutato nonnihil pondere salium, ut vel sic fraus lateret? Sed an nosti, cur hæc ibidem scripta sint? Ideo: ut vel minimi signi, & literæ, rationes exactas reddere tibi possem; vel à longè hos impostores prospiciens, quorum tu Antesignanus; qui sanam doctrinam ubique adulteras, ac eam pervertis. Annon dilucidè, *citatis Animadv. m. & Append. locis*, doceo; quòd salia acido-salsa acidis non sint contraria; sed tantùm salia lixivialia purè salsa acida destruant, illis contraria sint, in se agant & reagant, ac tandem his alteritatibus in aliud ens, ac velut novam creaturam, commigrent? Sed hæc subticuisti tu, & impostorio modo testatus es, quasi salia communia propriè & acido-salsa acidis spiritibus contraria sensissem: cùm tamen te supracitata scripta mea luculenter convincant. Interim, ut errorem cum pertinacia defenderes, omnia salia lixivialia, & volatilia animalium, itidem purè salsa, proprio salis nomine defraudasti, & genericè alcalia inscripsisti; quasi verò alcalia, salia non forent; cùm tamen illa, supra citatis locis tuis, salia toties ipse appellitaris. Si non ignorares, quid ex fundamento rei, & propriè, alcali sit; verum fateri cogereris, quòd nomen alcali uni saltem sali competat, scilicet herbæ Kaly dictæ, in Ægypto & Syria germinanti, è cujus cineribus extrahitur, & nulli alteri: reliqua verò omnia, quæ ex herbis & vegetabilibus combustis, ac eorum cineribus, eliciuntur, vel elixiviantur, sint propriè, & verè sic dicta salia lixivialia purè salsa, quæ nil quicquam de acido participant, uti salia communia, quæ acido-salsa sunt, propterea-que à lixivialibus longè differunt. Salia porrò volatilia animalium quorumcunque, quæ etiam verè & propriè salia sunt purè salsa, quàm stupidè & ignoranter à te, *Tacheni*, alcalia nuncupenter, quilibet Chymiæ & Philosophiæ Tiro, omnesque Pharmacopœi agnoscunt & rident: quia implicat re & terminis. Alcali enim, sive sal quidam lixivialis, ex naturâ suâ non nisi fixus esse potest; quia ex vegetabilibus combustis, inque cineres redactis elixiviatur & extrahitur; præsupponit adeoque ignis tolerantiam, ejusque examinis constantiam: secus enim in combustione ac ignis torturâ avolasset. Sales verò volatiles animalium, contrario modo, levi statim ignis tentamine avolant, & vel levissimum ignis examen ferre nequeunt; quin sponte in aprico per se avolent. Præterea non sunt abstergentes, ad lixivium & loturam inepti, adeoque ad saponem *Hippocratis novi*, & Saponariam ejus, quam malè adhuc didicit, inutiles, à calce vivâ totaliter dissipabiles & destructibiles. Nec fuit inventus Medicus, Philosophus, Chymicus, aut Pharmacopœus, qui sales volatiles animalium improprio planè & barbaro etymo, alcalia, & quidem vacua, dixisset & statuisset. Solus in orbe nunc *Hippocrates novus*, nova dat dogmata, novas præscibit leges, novam docet Medicinam Hippocraticam alcalizatam, nullibi in Coo obviam; dum omnia pervertere, & vacuum in pleno statuere conatur.

Quæ porrò, *pag.* 178. ad obtinendam & propugnandam fallaciam, salsa acidis non esse contraria, iterum scribillat, eandem calliditatem, ad fallendum incautos, præ se ferunt, quam superiora; verùm iisdem fundamentis veris

veris & immobilibus discutiuntur, ac sophismata ejusdem deprehenduntur. Relegamus ignorantem, aut iniquum Hippocratem ad fundamentalem Reformatoris doctrinam de salibus, & eorum differentiis: ubi sanè expressis verbis docetur; quòd sales acido-salsi, utpote sal communis, nitri, gemmæ, &c. neutiquam acidis & spiritibus acidis sint contrarii; quin potiùs eos, scil. acidos spiritûs, in aciditate ejus adaugeant: sales verò lixiviales omnes, sal tartari, sales volatiles animalium, tanquam sales purè salsi omnes, acida destruant, immutent, & proprietate substantiæ suæ sibi invicem contrarientur. Sic lis dirimitur, *Hippocrates novellus*, mendacii convictus, impostura, ad fallendum incautos, detectâ, doctorum virorum ludibrio, velut nudata cornicula, expositus squalet.

Consideret nec non L. B. duo marginalia hujus capituli; quorum prius, *pag.* 177. *lin.* 17. *Auri calcinatio in via sicca*: aliud, *pag.* 178. *lin.* 16. *Auri calcinatio in via humida:* quàm pulchrè iterum Philosophetur, & sibi contradicat: cùm in textu contiguo loquatur de solutione; in margine verò de calcinatione. An autem hæc operatio, seu confectio Croci Auri, calcinatio aptiùs, quàm solutio, dicenda sit; ad longum ventilari posset. Sapit fastuosam saltem, & inanem grandiloquentiam hæc dictio, de calcinatione & solutione in via humida, & via siccâ. Quemadmodum enim *novellus Hippocrates* Antiqui Coi textûs & authoritates mirabiliter, imò ridiculè, suis adaptat nugis; ita etiam, uti simia malè instructa, Antiqorum Philosophorum viam siccam, & viam humidam, in parando lapide Philosophorum, aquâ eorum non madefaciente manûs, quam viam siccam: & iterum, præcedenti solutione communiore, quam viam humidam appellarunt, garrulitate & grandiloquentiâ suâ, in hac simplicissimâ auri solutione hîc vult æmulari; quasi verò ambæ hæ auri solutiones non humidæ essent, sed calcinationes siccæ, cùm tamen in mero humido aquoso perficiantur. Latet te, *docte Philosophe*, Aqua Philosophorum sicca, non madefaciens manûs; nescis adhuc, quid siccum, & quid humidum. Sic lubens explorarem, & mecum quilibet artis peritus sciscitari posset; cui fini etiam Germanicū hoc distichon Philosophi cujusdam, utpote:

Was im Adler wird gefunden klar/
das steckt in mir auch gantz und gar:

huic simplicissimæ solutioni auri adscripserit, & quomodo ei applicari possit. Tam appositè nimirum, ut infinitæ etiam citationes & allegationes textuum ex lib. 1. de diæta Hipp. Coi.

Tandem, *paragr. ultimo hujus capituli*, *pag.* 179. *lin.* 1. & *seq.* tria mirabilia iterum profert axiomata; ubi tamen crassissimè contradicens. Primum est: *aurum non dissolvitur nisi à salsis*: quod falsum est. Nam, *pag. antecedente* 178. *lin.* 9. contrarium statuit, nimirum: *acidos spiritûs, qui aurum solverunt, absorbere salem tartari, seu alcali quoddam fixum:* Item, cùm vix ore excidissent ipsi paucula hæc verba, scilicet: *aurum non dissolvitur nisi à salsis*: palinodiam canit contradictione, dicens: *quare autem acidus salis spiritus hoc solvit? dixi & ostendi suo loco, quod nimirum spiritus rodendo, redit in id quod erat à nativitate, id est in sal.* O stupidas rationes! O grandem hyperbolen, & contradictiones! Quando redit spiritus acidus salis, aut alii spiritûs acidi, in salem communem, post solutionem Auri? Phasmata sunt *Tacheniana*. Hic priùs addere debuisses pro hoc tuo aphorismo, utpote: *Aurum non dissolvitur nisi à salsis:* quibus salsis, vel quibus salibus? fortè sale Absinthii; qui etiam sal est, & ipse salem simpliciter appellasti, *pag.* 35? Vel salibus diureticis, *pag.* 33? aut ex herbis vulnerariis, *pag.* 34. *lin.* 18? aut sale tartari, quem toties salem simpliciter, & per antonomasiam, dixisti; sicut superiùs locis plurimis citatis patet? Quod tamen absurdum esset, dicere vel asserere. Agnosce igitur ipse, quàm ludicra scribisses, quantisque te involvas, imposturis tuis, absurditatibus. Quoniam ad ravim usque demonstratum est, sensibusque patet, diversas esse salium species: sales lixiviales purè salsos; ut etiam animalium volatilium tales. Inter sales vegetabilium præcipuum est sal tartari: sic etiam reliqui sales lixiviales, aut alcalia, sunt verè sales, sed purè salsi, ab omnibus doctis viris, Philosophis & Chymicis, sales dicti & habiti. Hi verò Aurum

non diſſolvunt; ſed ſolutum potiùs præcipitant, & ſpiritûs acidos, quibus aurum ſolutum eſt, deſtruunt, ac contrarietate naturali immutant. Hos, inquam, ſales (quod bene notandum) à ſalium numero, naturâ, & etymo, *Tachenius* nunc proſcribit, excludit, ſegregat; immemor ſui, &, ad fallendum incautos, ſales hos omnes alcalia proclamat, & ſolos ſales communes, & ſales acido-ſalſos, ſalem nitri, &c. ſales vult. Quibus contra ſemetipſum, contra Solem loquitur: de reliquis omnibus ſalibus taciturnior Piſandro. Tibi igitur, *Tacheni*, & univerſæ Reipublicæ literariæ injurius es, quòd baſin & fundamentum doctrinæ, & demonſtrationis, ſophiſmata & fraudes delegeris; quibus incautos circumvenire, Reformatorem verò impudentiùs liceret criminari. Citra umbras, & mendaces æquivocationes, & verborum Syrtes, hæc ſequacibus dictare oportebat; prout Reformatorem egiſſe deprehendes in Animadv. & Appendice, citatis locis: nimirum; quòd ſales acido-ſalſi ſpiritibus acidis non contrarientur, ſed ex illis ipſis ſalibus acidi ſpiritûs, pro ſolutione Auri, elici poſſint & deſtillari: ſales verò purè ſalſos lixiviales, & alcalia ſic dicta, utpote ſal Tartari, Abſinthii, &c. ſales etiam volatiles animalium, eſſe acidis, & acidis ſpiritibus, naturâ ſua contrarios in eſſe & operari; acidos ſpiritûs deſtruere, & alterius reddere indolis. Verùm ſi ſic, & veraciter, proceſſiſſes, *Tacheni*, quid inauditi, quid occulti, quid novo Hippocrate dignum impreſſiſſes? Nihil. Omnis quæſtio ſoluta manſiſſet. Denique: quò ingenium ſe non extendit; fraus adrepit: quanquam, meo calculo, *Philoſophus etiam manſiſſes; ſi tacuiſſes: nunc Phyſicuncus es.* Offerunt ſe in hoc diminuto paragrapho plura, quæ ſapone ſapientum *Tachenii* defricarem, utpote *pag.* 178. *lin.* 5. ubi dicitur: *huic claræ ſolutioni guttatim inſtilla, alcali quoddam fixum reſolutum, ex gr. liquorem Tartari.* Subſumo ego: ſed liquor tartari eſt ſal tartari reſolutus in aëre & humido, naturâ ſuâ acidis contrarius; ac ideò ſubtiliores acidos ſpiritûs abſorbet. Si igitur acidos ſubtiliores ſpiritûs, quibus aurum diſſolvitur, ſal tartari abſorbet: ergo aurum non diſſolvitur à non, niſi ſalſis, ſed diſſolvitur à ſalium acido ſalſorum naturalium ſpiritibus acidis. Sed quid muſcam in Apulio contero; cùm earum myriades prodeant? Quid vitia *Tachenio* remonſtro, quorum nec initium nec finis? Tranſeo ad

---

CAPUT XXIII.

Cujus inquit titulus:

Obſcura clareſcunt.

Gaudete ſapientes, jam tenebræ decantantur, & noctuæ Athenis Philoſophantur. Textus capituli incipit:

Aliud, oculis perjucundum experimentum objiciam, quo oſtendam ſalſa, acidis non eſſe contraria.

Ex vitrioli exſiccati libris tribus, nitri libris duabus, communis ſulphuris floribus unciis ſex, & ſalis communis libris quinque ſemis, & laterum pulvere, quantum ſatis, ne ſalia cum ſulphure fundantur, ſint hujus pulveris libræ ſex, miſce exactè pulveres minutos, & deſtilla aquam ex arena ſaltem in hanc aquam, ſine præmiſſa rectificatione, immitte nummos aureos, & intra paucas horas, in tepido loco, videbis aquam aureo colore tinctam (occaſione hujus tincturæ, memoriæ ſubvenit, quod non ſine herculeo labore, ignis ope, magnaque diligentia, aſcendit alcali volatile (cujus alibi mentionem feci) grati odoris, adeò rarum leveque, ut vix à tangenti digito ſentiatur, aliquando griſei, aliquando nivei coloris, ſalini ſaporis, linguam ferientis & penetrantis, ita ſubtile, ut citra ignis irritamentum, in aperto vaſe, ſponte in auras abripiatur,

Auri Tinctura.

tur, cum per se ipse in igne constans persistat; per hujus alcali proprietatem inquam, fiunt Aurum, Argentum, Mercurius, Cristallus, &c. verè potabilia, ita ut non solum in corpora redire sit impossibile: sed insuper, sic à vinculis coagulationum liberantur, ut libere nobiscum colludere queant, &c. sed cum hac & similia, non sint hujus loci, lubens ea nunc prætereo) quam effunde, & aliam superadde, & iterum destilla in loco calido, donec aqua satis sit tincta: Aquas tinctas confunde in aliam phialam, atque in illam aquam pone laminas argenti, prius cupellati, tunc aureo colore tincta aqua, statim nigrescit, paucisque momentis totum argentum invisibiliter dissolvitur, caditque totum in calcem nigram, quam periti in arte, sine contradictione aurum dicunt. Notandum: quod aqua, ab auro non tincta, argentum non solvit, imo ne tangit quidem: hinc Basilius de argento (a)

a de proprietatibus planetarum.

Mein Seel mein Geist, und meinen leib
Hab ich meim Konig zu geeigt, &c.

Aureos nummos ablue, hos reperies aliquantulum pallidiores, sed parum aut nihil de pondere amisisse: hoc experimentum est consideratione dignum. Cùm verò supra dicta species, igne nudo, & aperto distillaveris; addito plus de farina laterum; tunc sane non extrahit tincturam, sed totum aurum plane dissolvit. Hoc inquam experimentum (licet inutile videatur, jucundum tamen est, & magni momenti) sine sale non succedit, adeoque sal, acidis his spiritibus non nocuit.

In hoc capitulo & textu iisdem certat fallaciis & imposturis, quibus demonstrare denuò nititur, salsa acidis non esse contraria. Ultra hæc, ne quid desit Majestati hujus opusculi, solem tractat, Aurique tincturam, processûs denique Alcumisticos, qui pridem à nobis exploси,à Veteribus verò ad nauseam descripti reperiuntur. Antequam de hoc perjucundo experimento, nobis objecto, pluribus agam; dirigo ad Andream Libavium Benevolum Lectorem; è quo, citandis locis, reperiet, cùm quæ furto mutuatus est, tum quæ perperam docet, refellenda. Consulatur igitur Libavius, *Syntagmat. arcan. Chymic. cap. de artificiis coloratorum, maximè per project. p.* 112. *lib.* item 8. *cap.* 19. *de Arcano Tinctur. pag.* 399. ubi de fallaciis hujus tincturæ, *lib.* 8. *cap.* 22. *de oleo Antim. Alchymia denuò pharmac. p.* 132. in folio: è quibus B. L. edilcet, quid judicii de hoc perjucundo experimento ferre oporteat. Quod concernit ejus demonstrationem, quâ hîc triumphat, salsa nimirum acidis contraria non esse; petitio principii est, & vetus musica seu aphonia; quâ eâdem imposturâ & falsissimâ hypothesi suum nititur obtinere intentum, &, ad fallendum incautos, egregiè denuò sese exercet. Docet proinde, ex vitriolo, nitro, floribus sulphuris, & sale communi, aquam destillare, quæ cuncta mineralia & salia non nisi acidos præbere destillando spiritûs, Tironibus, lippis & tonsoribus notissimum est; adeoque nemo unquam dixerit, multò minus Reformator, his spiritibus acidis, ex prædictis rebus prolectis, salia communia acido-salso esse contraria. Non igitur tibi, *Sophistico Philosopho*, laudi est, ita stupidè argumentari: utpote, si salsa acidis essent contraria, spiritûs acidi ex salibus non elicerentur: sed eliciuntur ex salibus acidi spiritus. Ergo salsa acidis non sunt contraria. Prima propositio, *obscure Philosophe*, est statim falsa, & innititur sophismati deceptorio. Differentiam igitur salium si addideris solùm, quam Reformator tuus, locis citatis, clarè docuit; tunc ruit tuum argumentum per se, & falsum est totum. Nimirum si diceres: si salia quæcunque acidis spiritibus essent contraria; ex salibus quibuscunque non elicerentur acidi spiritûs: sed eliciuntur ex salibus quibuscunque acidi spiritûs. Ergo salia quæcunque acidis non sunt contraria. Hoc argumentum, Philosophe, est etiam tuum si simpliciter vis diffendere, acida salsis non esse contraria. Sed totum est falsum, sicut reliqua sophismata tua; quia non ex salibus quibuscunque eliciuntur acidi spiritûs, non ex sale Tartari, non ex sale absinthii, non ex salibus herbarum, non ex salibus volatilibus animalium, quæ omnia tu salia dixisti & proclamasti, uti etiam verè sunt, nec salia quæcunque augent acidos spiritus in virtutibus suis, sed salia tantummodo acido-salsa naturalia, nec arte talia facta, & ex iisdem acidi spiritûs eliciuntur; juxta veram & genuinam Reforma-

toris tui doctrinam. Tuo fallaci & sophistico argumento oppono ego contrarium, ex tuâ hypothesi, & propriis assertionibus. Nimirum: si salia acidis spiritibus non essent contraria; illa hos, scilicet acidos spiritûs, non destruerent, aut immutarent: sed hoc præstant salia. Ergo, &c. Major propositio est quidem falsa; sed juxta tuam assertionem est vera; quia sal tartari & lixivialia salia, item salia volatilia animalium, destruunt acida, & illa planè immutant; suntque illorum destructiva: prout ipse asseris, *pag.* 13. *lin.* 19. *pag.* 27. *lin.* 21. *pag.* 131. & in plurimis locis aliis: & illa tamen sunt verè & realiter salia; & tu ipse toties illa salia, sine distinctione, dixisti. Minor propositio est etiam tua, &, juxta prolatam tuam sententiam, *citatis locis*, æquè, ac prima, vera. Sequitur igitur conclusio talis. Ex his disce, *Hippocratice Philosophe*, quòd & hujus argumenti prima propositio, simpliciter sumpta, nullo stabili nitatur fundamento, ut neque secunda, minùs etiam conclusio; neglectâ differentiâ salium: tuis tamen verbis & assertionibus verificantur, quoniam salem tartari, absinthii, & reliquos sales lixiviales, qui tibi jam sunt alcalia tantùm, sales sine distinctione ipse dixisti, & nunc etiam sales communes acido-salsos, sine ulla pariter distinctione, pro tuâ imposturâ obtinendâ, sales dicis, & nullos alios admittis sales: adeoque turpiter contra te ipsum, & tua expressa verba, loqueris. Liquet proinde, tuas hypotheses esse falsissimas, ac per claros Reformatoris citatos textûs penitus annihilari: adducta verò argumenta tuis ipsis assertionibus, & claris verbis, verificari; quæ commonstrant, te esse Sophistam, qui incautis, ac in Chymia non admodum expertis, unicè imponere cupis. Verùm hæc tua phasmata ac sophismata, jam toties in præcedentibus refutata, adeò squalent, ut tædeat, cramben hanc insulsam toties recoquere: quemadmodum tua hæc impostura in hoc uno fundatur, quòd differentiam salium callidè & iniquè subtices, aut ignoras, Reformatorem mendaciis impudicè criminando.

Quod Processum ipsum concernit Tincturæ Auri, illum bis in meis antiquis collectaneis Chymicis reperio. Qui processus si veritatem saperet, & vera esset tinctura Auri; quis crediderit, infidum *Hippocratem novellum*, qui vix ad callos pedum remedium nobis propalat, ipsum publici fecisse juris, aut proximo fideliter donasse; cum adeò sit infidus, ut non, nisi saponariam, & vitrariam, de cætero ferè nihil veri, aut realis, præter Mercurium summè corrosivum sublimatum, acidas crebrasque calumnias, & injurias, adhuc attulerit? Mox enim dixisset ad omnes *Canonicos Medicos*; hoc est, Methodicos doctos: *Meum Corculum! Meus molliculus caseus! Quidni? Eja, agite! Opteremus Fratres hujus cupiditati: benè adepol narrat! An quantum igitur non meretur* Hippocrates ille novellus de re Medica, quòd hocce multoties scripto processu nobis imponere attentet? Præito, *Tacheni*, sequemur te, si Diis placet. Videbis autem, hanc Auri tincturam esse fallacem, & provenire à menstruis, non ab Auro. Si tantus esses Chymicus, deberes revera hoc probè nosse. Pauxillum illud sublimati (quod alcali volatile dicis, quia omne tibi alcali est, & sine alcali loqui nescis) est de floribus sulphuris, & sulphure vitrioli, qui sulphuris flores de salibus & vitriolo adjunctis, animam quandam, seu penetrantem essentiam, secum evexerunt sursum. Posse autem illud sublimatum Aurum, Argentum, Mercurium, &c. metalla putabilia, dico, potabilia reddere, & in sua corpora illa reducere; impossibile. Quæque plura & mira addis, sunt fanaticæ & novæ Hippocraticæ cogitationes, absque experientia & veritate. Nam hoc apparet illico ex tuis verbis. In duplicata enim illa parenthesi, quam, occasione hujus magni secreti, struxisti; *pag.* 180. *lin.* 11. *& seq.* dicis, quòd illud sublimatum *ita subtile & penetrans sit, ut citra ignis irritamentum, in aperto vase sponte in auras abripiatur, cum per se ipse, in igne constans persistat.* Et quomodo, quæso, per se in igne constans persistet, si citra ignis irritamentum in aperto vase sponte in auras abripitur? Quæ absurda & contraria? In una periodo, tribus vel quatuor lineolis, à contradictionibus abstinere nequis. Secundò: ante parenthesin illam longam & duplicatam ais, *pag.* 179. *lin.* 29. *& intra paucas horas, in tepido loco, videbis aquam aureo colore tin-*

tinctam, quam effunde, & aliam superadde, & iterum destilla in loco calido, donec aqua satis sit tincta, &c. Priùs enim digestio saltem fuit in tepido loco, & nulla destillatio: quomodo igitur congruè dici potest in alia, vel secunda, affusione menstrui, *& iterum destilla, donec aqua satis sit tincta*: cùm non præcesserit ulla destillatio? Tertio: *laminas argenti dissolvi*, & *totum argentum in calcem nigram præcipitari, quam periti in arte, sine contradictione aurum dicunt*, pag. 181. Citra contradictionem hæc imperitus Alchumista fingit. Quis non & agrum, & domos, galeram, & tunicam venderet, argentum mercaturus; illico amplissimo fœnore aurum recepturus? Juxta illud Teutonicum:

Mein Seel/mein geist/und meinen leib
Hab ich meim König zu geeigt. &c.

Quod distichon Basilius Valentinus maximæ arti, & operosæ Chrysopeiæ attribuit; *novus* verò *Hippocrates* vetustis quisquiliis suis, & reculis Tironibus decantatis, hîc assuit; quanquam & ipse palinodiam postliminiò canat, *pag.* 181. *lin. antepenult.* dicens: *Hoc inquam experimentum (licet inutile videatur, jucundum tamen est & magni momenti) sine sale non succedit, adeoque sal, acidis his spiritibus non nocuit.* In hoc brevissimo paragrapho, qui veluti conclusio est hujus processus Alchumistici, quæ paulò antea *novus Hippocrates* firmiter asseruit, nunc retractat, & palinodiam canit: nimirum, quòd *totum argentum invisibiliter dissolutum in prædicta sua aquâ, cadat totum in calcem nigram, quam periti in arte, sine contradictione aurum dicunt*: nunc verò timidulè hoc *experimentum inutile* proclamat *jucundũ tamen esse & magni momenti.* Quomodo hæc concordant? Si prius & superius verum esset, quòd totum argentum, aquæ dictæ injectum, solvatur, & in calcem nigram per se cadat, quæ calx sine contradictione aurum fit: aurum etiam priùs in aqua illa dicta detentum, à quo tinctura parum, aut nihil, de pondere & colore amittat: labor, profectò, deberet esse utilissimus; & à nemine prudente & experto inutilis diceretur. Sed ambiguus *Hippocrates Chymicus*, rei veritate incertus, timidulè hoc asserere absolutè non audet; quoniam propriis manibus hunc nunquam elaboravit processum, nec periculum fecit; saltem ex processibus Alcumisticis descripsit, & suo centoni assuit. Præterea nullam sapiunt veritatem, si solutionem totius argenti injecti, & etiam totius argenti præcipitationem consideremus & examinemus. Naturæ enim, & laboribus similibus contrariantur: quia nullum metallum simul solvitur, & totum per se præcipitatur, aut fundum iterum petit, seu, uti dicit, cadit. Nugæ ergò sunt Hippocraticæ novæ, imposturæ, & solitæ contradictiones, indignæ, quæ ulteriùs ventilentur.

Quod conclusionem concernit; nimirum, *Hoc experimentum sine sale non succedit, adeoque sal, acidis spiritibus non nocuit*: illa idem demonstrat, ac si aliquis diceret: Hoc experimentum sine impostura non succedit: adeoque impostura *Tachenio* non nocuit. Baculus in angulo; ideoque cras pluet. Hippocrates Chymicus totus ventus est; ideoque nihil salis in ipsius cerebro. Si *Hippocrates novus* realiter dixisset, uti decet virum probum: hoc experimentum sine sale communi, aut sine sale acido-salso naturali, non succedit: verum esset, & sine fallacia hæc foret conclusio. Sed quia differentiam salis non addit; igitur falsa est, absurda, & fallax ad decipiendum incautos. Sic autem mea conclusio verior esset, si dicerem: Hoc experimentum cum sale non succedit, adeoque sal acidis spiritibus his nocuit. Hanc meam conclusionem ad tuam Hippocraticam formam efformatam, veram esse, tuis verbis probo: quia sal tartari, & sal absinthii, & plures, sine distinctione sales appellasti & dixisti. Sales verò isti sunt acidis spiritibus contrarii, eosque absorbent, (tua verba:) ergo sales sunt acidis spiritibus contrarii. In his verò liquet, quantæ fallaciæ lateant, imposturæ & sophismata, de salibus disputando; si salium differentiæ, genus, & species non addantur, sed callidè subticeantur. Nam sicut ego absolutè, & sine distinctione, dicere nequeo; salia in genere acidis spiritibus esse contraria, eosque destruere, absorbere: nec unquam dixi, nec somniavi quidem, sed semper, ac ubique, aut genus,

aut ſpeciem, denominavi, vel ſingularem quendam ſalem proprio nomine deſcripſi & monſtravi verè ac realiter, qui ſales contrarii ſint acidis ſpiritibus, & qui non, *in Animadv.* & *Append. n. locis citatis:* ita & tu *Hippocratice Sophiſta*, debuiſſes realiter proceſſiſſe, ſine mendaciis, ſine ſophiſmate. Cùm autem contrarium feceris: concluſionem igitur tuam peſſimè formaſti; & illud verè & realiter dicere nequis, quòd *hoc experimentum ſine ſale non ſuccedat, & ſal acidis ſpiritibus non noceat:* quia, ſi adderes ſalem tartari, vel alium ſalem lixivialem cujuſdam vegetabilis, quos tu ſales dixiſti; omnino hoc tuum experimentum non ſuccederet, & in totum deſtrueretur. Diſce igitur, mi *Tacheni*, cautiùs mercari deinceps, veracius loqui, & conformiùs argumentari; nec nos tam prodigioſis mendaciis aſpergas ampliùs, quæſumus. Duram, profectò, ſuſcepiſti provinciam, *nove Hippocrates*, ſi rete tuum jacias ante oculos pennatorum; ſi Autorum arcana furta producas nobis, qui hæc ad nauſeam evolvimus; ſi fucum addas iis, quæ nobis plus quàm cognita. Redi igitur, Æole, ventorum genitor & vita, in obſcuram ſpecum, è quâ erupiſti. Non es, quem te hactenus dictitaſti: *ventus eſt vita tua*, ſonus, ſibilus, vox; prætereaque nihil. Redde Authoribus proceſſus, & alia, quæ abalienaſti, Reformatori famam, quam, velut cuniculos agendo, ſubruere tentaſti, & diſcat orbis: *quoniam ab inimicis ſalus.*

Ulteriùs affert *Hippocrates novus* proceſſus Chymicos; utpote, ſulphuris antimonii præparationem, *pag.* 182. quæ multoties in Tirociniis ſcriptis & impreſſis obvia invenitur: attamen, ut parcâ ſit manu, nevè nimium fortè revelet, ait, *pag.* 183. *lin.* 1. *Ex hoc ſulphure, additis duobus ſimplicibus, oleum compones, quo cum dorſi ſpinam, carpos manuum, plantaſque pedum, unica hora ante paroxyſmum inunxeris, febres intermittentes tertianas omnes tolles.*

Hoc ſulphur eſt baſis artificioſæ undæ, in qua ſi diſſolvitur argentum, præcipitat magnam ejus partem in calcem nigram, quam aqua fortis deinceps non tangit.

Nunc, *Tacheni*, quærunt ex te Medici Canonici (non Reformator. Nam dedignatur tua oracula) dico, Dogmatici, quæ ſint illa duo ſimplicia ſecreta pro oleo febrifugo? Quid reſpondebis illis? *Meum corculum, meus molliculus caſeus! Quidni? Eja agite! Opteremus fratres hujus cupiditati, bene adepol narrat! Ah quantum non meretur de Republica Medica* novellus Hippocrates, quòd ſaltem dixerit duo ſimplicia anonyma ſulphuri antimonii pro oleo febrifugo eſſe admiſcenda! Quærunt præterea Medici Canonici ex te, ut illis in aures dicas, ne fortè Reformator tuus audiat, quæ ſit *illa artificioſa unda, cujus baſis hoc ſulphur ſit, in qua ſi diſſolvitur argentum, præcipitat magnam ejus partem in calcem nigram, &c.* Hoc, fateor, iterum ſecretum eſt auriferæ artis Alcumiſticæ: reſpondebis verò illis ſine dubio iterum: *meum Corculum! meus molliculus caſeus! Quidni? Eja agite! Opteremus fratres hujus cupiditati, benè adepol narrat: Ah quantum tamen non meretur Tachenius*, quòd proceſſum, qualiter ſulphur antimonii parandum, ex aliquo libro non ſolùm deſcripſit, ſed illum denuò typis, pro implendo ſuo centone mandavit; etiamſi, cujus uſui, vel quæ illa *artificioſa unda* ſit (ridete, vel teneatis riſum, Amici) in quo argentum ſolvitur; & quomodo unà ſolvatur, & magna ejus copia in calcem nigram præcipitetur, planè ſubticuerit. Sufficit illi, tam candidè nobis communicaſſe, quòd cryſtallus cum eo ſi cementetur, rubini colorem acquirat. Sufficit, remedium contra hydropem ſiccam monſtraſſe. Sufficit, inquam, inſcienter, ſed conſtanter, affirmaſſe, Rulandi Balſamum Sulphuris ex hoc ſulphure factum fuiſſe; cujus manuſcripta verò aliter teſtantur. Pro hac igitur liberalitate tuâ, *Tacheni*, ſi non alii Canonici Medici, Reformator utique tuus tibi gratias aget. Cæterùm Helmontii textum, de Mercurio Antimonii non vulgari: Præparationem item Cinnabaris Antimonii: & quæ ulteriùs filiis ſuis in aurem dicit; pro nunc non attingam: quia fortè extra captum; quamvis aliàs notiſſima ſint.

Tranſeo igitur ad Capitulum XXIV. cujus Titulus: *Quæ nocent docent.* Suſpicor, ne nobis *novellus Hippocrates* imponat, Amice Lector;

ctor: eamus illi obviam. Metuo, ne, quæ docet, noceant. Fingit enim ut araneus, *Tachenius*, faber mendaciorum, simul & aurifex. Quis scopus; quod argumentum: quæ intentio, in hoc Capitulo? Malesano iterum percitus œstro, & stultitiæ fermento, iteratò in Reformatorem rabiosus involat. Carpit, dilacerat, corrodit huic ardelioni cerebrum Mercurius sublimatus medicinalis Reformatoris; quem paucissimis verbis perstringit: aptam ejus præparationem edocendo. Sed cur, *Tacheni*, rabidos dentes tuos, cur ungues exacuis adversus Reformatorem; cùm potiùs insaniæ tuæ, & furoris, objectum D. D. Augustanos statuere poteras; cùm eorum Mercurii sublimati præparatio, quam ego debito nitori restitui, multum deviet à scopo & parandi modo tuo, & quidem multo magis, quàm Reformatoris? Verùm hos monoculus transiens, ac callidè dissimulans, aciem in Zwelferum defigit. Cur? ne PROTECTORIS Augustani nomen & insignia aut perderet, aut commacularet, & dicto Venerabili Augustanorum Collegio tanto mitiùs adularetur palpo; quos tamen in sinum suum deridens, festivo sarcasmo Canonicos appellitat: prout & reliquorum Medicorum Collegia inclyta non semel delusit. Sed quid iterum canis ad myrtum? Indoctum caput! an novi aliquid, an quid exotici, tradidi? An non paria nobis dictârunt Quercetanus, Beguinus, Agricola, Schröderus, & passim Chymicorum Collegia? Tu quid novi Scholis apportas, Caduceator? Cur immundissimam oris tui spurcissimi colluviem in Reformatorem, & omnes illos revomis, qui tuum dogma non sectantur, ac unica tantùm sublimatione, nullâ præviâ lotione Mercurii, corrosivum summè Mercurium non apparant, sed plus laboris insumunt; sincerè tamen & fidelissimè præparant? An ignoras, plures semitas nos ducere Thebas? Tu solus Mysta & Medicinæ Numen, cujus oracula populus Medicus adoret, & vestigia exosculetur? Resorbeto vomitum tuum, *rabiosissime Cavillator*, quo me, quo innocuos viros, & Medicos, aspersisti: ac redeat ad Dominum Scelus. Sed sacrilegus es, &, ut video, sacras legisti paginas. *Hoc est*, inquis, *pag.* 187. *quod ait Sapiens in proverbiis: Abominabile apud Deum pondus & pondus, mensura & mensura.* Mi *Tacheni*, tractant fabrilia fabri: sola scripturarum est ars, quam sibi passim omnes vendicant; ita Hieronymus, in Prologo. At quid hæc ex corroso tuo cerebello, pro Mercurio summè corrosivo stabiliendo, adducis? Vides, quòd sacer nugator sis, & mulus Divina portans? Ego tamen explanabo tibi illud Scripturæ, *ac pondus & pondus, mensuram & mensuram*, DEO abominabilia, quæ non capis hactenus. Non enim, uti putas, in verbis scripturarum est Euangelium; sed in sensu: non in sermonum foliis; sed in radice rationis. Ita Hieronymus, sup. *Epistol. ad Ephes. primam.* Quid igitur est illud *pondus & pondus*? Esaias *primo* tibi explanat. Væ, inquit, genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis! Dereliquerunt Dominum; blasphemaverunt sanctum Israël; abalienati sunt retrorsum, &c. Hæc sunt ponderosa verba Esaiæ, de *pondere & pondere.* Applica Ephod. Hanc amplectere scripturam, *Tacheni*, & nugari de sacris imposterum cave. Nunc ad profana redeo. Sed quid in tantum spiras, Æole? Cur fremis, Caure? Quid novi attulisti in præparatione tui Mercurii summè corrosivi? Viden', ut te denuo convincam? Adducam textus meos genuinos, quos iterum, *falsarius*, corrupisti. Nimirum ubi Mercurium sublimatum, à D. D. Augustanis adductum, eventilandum suscepi; ita, *in Animadvers. meis pag.* 462. scriptum. ℞. *Mercurii purificati, Vitrioli calcinati, Salis præparati, ana libram unam. Subigantur cum pauxillo Aquæ fortis, aut modico Aceto: exsiccata terantur & misceantur simul in mortario lapideo tam diu, donec Mercurius, unà cum prædictis speciebus in pulverem abeat. Tritam materiam inde cucurbitæ cum alembico, dando in arena ignem per gradus, ad octo vel decem horas.* Videram autem, quòd insufficienter hæc Mercurii sublimatio esset descripta; cùm quoad pondus valde exiguum addendorum salium, & Vitrioli calcinationem; tum etiam quoad sublimandi modum, &c. Non ergò potui, quin pauca adhuc adderem, ad com-

plendum

plendum defectum, & quæ experientiâ comprobassem, haud illegitimâ & verâ sublimatione Mercurii, ad Medicinam adaptandi. Sunt autem, quæ addidi, denuò ex *Animadv. p. 465.* pro majori intelligentia excerpta, sequentia. Nimirum: *Mercurius sublimatus rectè quidem cum Sale & Vitriolo paratur, sed necessum est, ut Vitriolum, quod ipsi additur, ita calcinetur, ne suo corrosivo aut spiritu acido privetur. Quantitas item præscripta Vitrioli & Salis non sufficit, præsertim si corrosivus (uti ex sequenti dulci subl. apparet) reddi debeat Mercurius. Necessum igitur est, ut non solùm pondus eorum dupletur, sed & sublimatio Mercurii, additis semper recentibus speciebus, Sale scilicet & Vitriolo, bis terve resteretur, donec in crystallinam compagem elevetur. Commodius autem igne aperto, quàm in arena sublimatur, servatis ignis gradibus, in cucurbitâ lutatâ, aut in alio accommodato instrumento.* Ex his duobus parandi modis sublimationis Mercurii D.D. Augustanorum, & Reformatoris, seu Zwelferi, judicet totus mundus, omnesque in arte Pharmaceutica & Chymia periti, an non posterior præparatio præstet priori: an non vera sint, quæ priori præparationi D. D. Augustan. modestè, sine ulla calumnia, addita & animadversa sunt: quoniam secundum priorem, D.D. Augustanorum, modum, cùm quoad pondus addendorum salium & Vitrioli, tum etiam in modo parandi, sublimatio nullo modo succedit, ac Mercurius in massam solidam, uti decet, nequaquam ita sublimari potest; vanusque foret omnis labor ita susceptus. E contra verò Reformatoris præparatio, sive sublimatio præscripta, defectum nullum habet, neque ullum subolet errorem aut absurditatem: quin potiùs omnem sapiat perfectionem; præsertim si ad Medicinam sublimatus hic sit adaptandus. Etenim in prioribus duabus sublimationibus Mercurius vivus à suâ impuritate & nigredine, prægressâ etiam lotione, perquam bene & legitime purificatur, ut in tertia sublimatione purus & crystallinus adscendat, nec tantopere corrosivus, uti vulgaris sublimatus. Propterea æmulatus est Reformator D.D. Augustanos, & plures alios Doctissimos Medicos & Chymicos, superiùs denominatos, qui studio, & scienter, absque additione rerum magis corrosivarum, scilicet Nitri, Mercurii, sublimationem ritè peragere voluerunt, ut is, si ad medicinam, præsertim Sublimatum dulcem, Oleum Antimonii, & alia complura medicamenta, ex eo conficienda, foret adaptandus; tam superfluo & nocuo corrosivo, ex Nitro, non scateret, adeoque magis benignus hic simplex Mercurius sublimatus, cùm per se, externè, ulceribus sordidis, Venereis, aliisque affectibus applicatus de foris; tum etiam ad interna medicamenta, priùs dulcificatus, ad usum tractus, sine nocumento ageret, minorique periculo usui Medico esse posset, quàm simplex & maximoperè corrosivus sublimatus, Venetiis, aut ab aliis locis, transportatus. Et hæ sunt rationes legitimæ ac Medicæ Doctiss. Virorum, D.D. Augustan. Schrôderi, Quercetani, plurimorumque aliorum, tum præcipuè etiam Reformatoris tui, Zwelferi, quare Mercurium sublimatum, in Officinis Pharmaceuticis, non pro communi vulgo, sed ad medicamenta salutaria exinde paranda ulteriora, hoc nostro legitimo modo sublimatum, legitimum & magis benignum voluêre: uno verbo, ut ad Medicinam securiùs, sine periculo & nocumento ullo, posset adaptari. His prælibatis & declaratis, patet ad oculum, Reformatorem in nullo peccasse, neque in additione salium & vitrioli, neque in calcinatione vitrioli necessariò præmonendâ, nec etiam in sublimatione ipsâ, quod ullam mereatur reprehensionem, aut correctionem; multò minùs tàm iniquas *Tachenii* calumnias: sed vera ac legitima sit Mercurii sublimatio Zwelferi, rationibus suffulta ac autoritatibus, adeoque præ communi ac vulgari sublimatione, cum Nitro, *novelli Hippocratis*, magis amplectenda. Verùm enim verò hæ iniqui calumniatoris calumniæ non soli debentur Reformatori, ut qui præ cæteris Authoribus dexteriorem amplexus est sublimandi Mercur. modum; sed concernunt & alios, seu Canonicos, vel maximè D.D. Augustanos (quorum sublimandi & parandi modus Mercur. corrosiv. omnino practicabilis non est, modestissimè tamen in Animadversionibus, ubi mancus, restitutus. Nam errores palpare, & vitia, nefas esto. (Quo enim

magis

magis delinquit, majori etiam pœnâ dignus judicatur) Videant igitur D. D. Auguſt. quàm præclarum nacti ſint cuſtodem (ut ajunt) quàm præclarum defenſorem Herculem, & fidelem Oreſtem, qui primus, ut Simei, convitia in Dominos jacit, eoſque deludens, Canonicos appellitat, & rhapſodes. Ego ſpartam meam hactenus tuitus ſum, & famam adverſus prædonem & famicidam hunc vindicavi. Viderint D. D. Auguſtani & Canonici, quo hunc irregularem hominem Canone iterum anathematizent, ut famæ ſplendorem recipiant. Nunc ſequitur totius Capituli textus, per partes mox eventilandus, *pag.* 185.

CAPUT XXIV.

Quæ nocent docent.

HActenus his operationibus, quæ omnes acidis & ſalſis perficiuntur, nullibi apparuit alterius deſtructio, ſed eamus ad Rapſodiam Reformatoris, quam ſuperbo titulo Mantiſſam Hermeticam (a) *vocat, ut ejus propriis ſcriptis erudimini, ubi ſeſe offert. Mercurii ſublimati* Corroſivi, *vera præparatio.* (b) *Vinum vendibile [ait Poëta] Hedera non indiget; quare huic titulo addat, vera præparatio, non video! ſuſpicor ne reformator, more conſueto, hac vana promiſſione nobis doloſè imponat, eamus illi obviam.*

a Quid Hermes de his nugis ſenſerit reformator ignorat.

b Mantiſſa fol. 801.

Mercurius inquit: rectè ſublimatur, cum ſale & vitriolo [mirum quod non timeat, acidi vitrioli deſtructionem à ſale] ſed quia ſic ab aliis ſcriptum invenit, ſaltem addit; Vitriolum Cautè Calcinari debere, ne privetur acido ſpiritu. Sibi videtur hic aliquid magni momenti admonere. Vt etiam: quod ſublimatio bis terve reiteretur novis ſpeciebus ſale ſcil. & vitriolo: Sed, ad quid, hæc repetita ſublimatio cum novis ſpeciebus? Mercurius enim ſemel ſaturatus, acidis ſpiritibus, ad quid reiteratur labor? præcipuè ſi verum eſt, ut eſt veriſſimum in natura, quod omnia reguntur certis numeris, ponderibus & menſuris, juxta illud Poëtæ.

Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines,
Quos ultra citraque, nequit conſiſtere rectum.

Sic etiam Mercurii natura, acidis ſpiritibus, ſemel ſaturata, abſorpſit & combibit, quantum perfert, & quantum indiget à prima ſublimatione: & licet centies deinde ſublimetur, aut per ſe, aut novis ſpeciebus, ſemper manet idem ſublimatus Mercurius: adeoque reiterare laborem, eſt tempus, & ſpecies, inutiliter perdere. Hoc eſt quod ait Sapiens in proverbiis: (c) *Abominabile apud Deum pondus & pondus, menſura & menſura.*

c Cap. 20 verſ. 10.

Scio, à multis expeti, modum ſublimandi Mercurium, propter metum, quod is, qui venditur hinc inde, admiſtum habeat Arſenicum, quod tamen, ut periculoſa merx, Mercurio in ejus ſublimatione addi nequit, propter ſubtile venenum, quod ſublimando ſpirat, ac operatores ſuffocat: venenum eſſe ſubtile, oſtendam proprio periculo.

Olim, cum Arſenicum (Iohannis Agricolæ ſuaſu) toties ſublimare tentarem, ut tandem fixum in fundo vaſis permanere deberet, non enim tunc temporis, ob ſciendi deſiderium, neque fumos, neque vapores, aut quicquam periculi timui: poſt multas ſublimationes, cum vas aperuiſſem, inſpiravi auram, palato tam ſuavem, dulcem ac gratam, quam cum admiratione, nunquam antea ſimilem expertus fueram, ſed poſt ſemihorulam, ſtomachum dolentem, & contractum ſenſi, cum omnium membrorum convulſione, reſpiravi difficulter, ſanguinem minxi, cum indicibili ardore, ſubitò poſt, colico dolore correptus, totuſque contractus evaſi, per ſeſquihoræ ſpatium: Lacte & oleo reſtitutus, mediocriter me habui: febris tamen lenta, hectica ſimilis, per integram hiemem permanſit, quam extinxi vulnerariarum herbarũ decoctis, & eſu cimarum braſſicæ, aqua bulliente tabefactarum, Auranciorum ſucco, oleo & modico ſale conditis. Imò natura appetebat hunc cibum, ut vix horam cœnæ expectare poſſem, hiſque remediis perfectè convalui.

Arſenicum.

Geber de Argento c.18. & Basilius de propriet. 7. metall. de Iove. Stannum dat argentum.

Sed non obstante periculo, sunt, qui stannum purum in pulverem exurunt, quod, nulla vulgari arte, in stannum reduci potest, sicut reliqua metalla; cum arsenico tamen fit scoria, cujus pars, singulari artificio in purum argentum transit. Hanc separationis artem scivit & exercuit, Sigismundus Wan, Cives Wondsiedlensis in Voitlandia, cum ingenti emolumento, ita ut Anno 1464. ibidem Hospitale splendidissimum ædificaverit, institueritque; ut narrat Casparus Bruschius, quod & hodiè, cum epitaphio dicti civis conspicitur.

Quod autem ex stanno cum arsenico fiat argentum! id confirmat Clavius *in Apologia (a) contra Erastum, qui videatur. Et hæc de arsenico, exposuisse, curiosis sat est.*

a 2 volum. theatri Chymici fol. 39.

Nunc ad Mercurium, undè digressus, redeo, qui sublimatur hac proportione.

Mercurii seu Argenti vivi libras 280. tantum pendet sarcina unica, ut in ovinis pellibus ex Hydria advehuntur. Mercurii sublimati libr. 20. salis communis, salis petræ an. libr. 200. capitis mortui reservati libr. 50. vitrioli rubificati lib. 400. omnia separatim debent in pulverem reduci, sub lapide molari, qui calcat.

Mixtio fit hoc modo.

Mercurii sublimatio vulgaris.

Mercurius vivus, & sublimatus, portioque salis communis & salis petræ, prius debent commisceri, & quantumvis salia sint arida facta: ab hac mixtura tamen madescunt, sic Mercurius, miscendo cum dictis speciebus moritur, tunc adde reliquam partem salium, perge miscere, ligone ferreo, donec Mercurius nullibi vivus appareat. Hæc mistura est humidissima, cui si addere velles vitriolum rubificatum, quod est valde aridum, absumit humidum in momento, & simul Saxi duritiem induunt: Oportet itaque loco dicti vitrioli, addere caput mortuum, aut reservatum de prima sublimatione, aut de aqua forti, perinde est, sic modicè siccatur mixtura, quam nunc debetis per cribrum agitare; Cribratum pulverem postea, commodè miscere potes; vitriolo rubificato. Iam habes misturam, qua cum impleto 16. vasa vitrea magna (quarta pars sit vacua) quæ locentur in capitellos, & sublimabis Mercurium ex cineribus (minime verò aperto igne, ut nugatur reformator) in 4 furnellis, quorum quilibet contineat 4. vasa; vasibus appone alembica, negligenter saltem, cum suis receptaculis. Ignis per 24. horas sit lentus, in illo tempore salia dissolvunt Mercurium, spiratque in illa actione, odorem aquæ fortis, qui pulmoni nocet, imò in spirantem ferè suffocat, sicut cryptæ odor Puteolis, propè Neapolim, canem. Post 24. horas odor perit, & tunc sublimari incipit Mercurius (aquam fortem collige, quæ fortificatur aliis speciebus inservitque præcipitationi Mercurii) cum illo calore persevera, donec Mercurium in forma placentæ, à suo capite mortuo separatum in summo videas, quod fit plerumque quinto die, si bene operatus fueris.

Frigefactis rebus, propter grave pondus sublimati, sponte crepant vasa vitrea (fragmenta separatim collige, habent enim aliquid sublimati, quod abrade, quo cum alia vice Mercurius currens mortificari debet) cave cinerem, ne per rimas decidat, supra placentas, quas curiosè ambabus manibus prehendunt, ac seponunt, panes vocant, quorum quilibet pendebit circiter 25 libras, plus minus, juxta capacitatem vasis, quod plus vel minus de mixtura capiebat, ita ut ex 280 pondo Mercurii vivi & 20 sublimati; colligas sublimati ter centum, & octoginta. Crevit itaque in pondere Mercurius vivus 80 libras, non quidem ex acido vitrioli rubificati, ut existimat reformator, quod ob id caute calcinandum docet: sed solo sale communi, quod sic probo.

Error Reformatoris.

Sublimetur idem Mercurius, eadem proportione nitri & vitrioli rubificati, absque sale communi, tunc ascendit Mercurius rubeus, nilque ponderis, neque corrosivi acquisivit.

Mercur. sublimatus dulcis rubri coloris.

Sic quoque, si idem Mercurius præcipitatur aqua forti ex nitro & vitriolo, tunc splendens rubescit, nilque acquirit ponderis. Causa est quod nitrum sulphureum elevat sulphur vitrioli, quæ conjunctim agunt saltem in suum simile, id est in sulphur externum Mercurii, adeoque nil potest crescere, neque corrosivam vim induere.

Mercur. præcipitatus communis.

Huc usque textus *Calumniatoris Tachenii*, & totum caninâ rabie & invidiâ plenum Capitulum.

culum. Ut autem omnes ejus iniquitates refellantur, & ori, quæ evomuit, rursus ingerantur; ordine progrediendum est. Primum est, quòd iniquus falsarius denuo reiterat dolosum illud & falsissimum suppositum, quod superiùs contra fundatam & expressam nostram doctrinam, in Reformatorem tamen falsissimè retorquere voluit; dicens: *Hactenus his operationibus, quæ omnes acidis & salsis perficiuntur, nullibi apparuit alterius destructio.* In his nugacibus verbis quanta lateat fallacia & impostura, superius ad amussim demonstratum & enucleatum est: quòd nimirum callidus impostor differentiam salium subticeat, & semper salem communem pro omni sale, &, in genere, pro omnibus salibus intellectum velit; salem Tartari verò, & reliquos sales omnes lixiviales vegetabilium, ut & animalium sales volatiles, pro nunc tantum non velit sales, sed, citra omnem rationem, & salium volatilium naturam, alcalia appellet: cùm tamen in superioribus multoties salem tartari, & salem absinthii, ut & reliquos lixiviales sales herb. vulnerar. & diureticar. contra semetipsum, & propriam fallaciam, salia expresse appellarit: sicut superiùs, ex citatis textibus, videre est. Ut igitur, qui omnia bene perpendit & considerat, quæ superiùs ad oculum demonstrata sunt, clarè cernere possit, quòd adversus semetipsum aut ignoranter, aut petulanter, loquatur, sibi turpiter contradicat, & testetur; Reformatorem verò mendaciis solitis, falsisque probris, contra claram ejusdem doctrinam, conspurcare unicè nitatur.

Secundò, inquit: *Sed eamus ad Rapsodiam reformatoris, quam superbo titulo Mantissam Hermeticam vocat.* Et in margine: *Quid Hermes de his nugis senserit reformator ignorat.* Respondetur autem; Reformatorem Mantissam illam Hermeticam D. D. Augustanorum neque construxisse, neque nomen ei imposuisse. Capiant proindè sibi D. D. Augustani hoc calumniatoris convitium: agnoscant autem suum Herculem defensorem, utrum meliùs adulari; an verò egregiè, sub specie defensionis, calumniari addidicerit. Verùm non miremini. Quis enim securus ab hac hydra? Tot Clarissimos & Celeberrimos Medicos, Principum, Electorum, ac Regum, Archiatros, integra Medicorum & Jurisconsultorum Collegia, tot Universitates, Principes, Electores, & Reges, majoribus injuriis & calumniis hæc hydra aspersit; uti ex ejus Apologia, & Echo, fasciculis nimirum calumniarum, adversus Doctiss. Virum, Diectericum Helwig. apparet. Consolor me; consolemini Vos, quòd honori sit, ab iniquis & improbis scriptis & calamo proscindi. Nam: invidia virtutis pedissequa. Quærite & requirite primò hunc Thrasonem; quid Hippocrates Cous Senex de spurio hoc suo fratre Hippocrate Chymico sentiat, quòd eum toties præpostere adeò, & inappositè, vel centies, ex lib. 1. de diæta, ad ineptias & calumnias demonstrandas, adduxerit, & Compatrem compellàrit? Quærite secundò; quid divinus Senex de insulsâ, sed alcalizatâ hâc Hippocraticâ Philosophia sentiat aut senserit, quam sub divini Coi autoritate vult introducere? Requirite tertiò Hermetem; quidnam ipse de his insulsis nugis Hippocraticis senserit? Annon Hermes, si reviviseeret, alcalizatas illas nænias rideret & abominaretur, tanquam vacua alcalia vacui Hippocratis? Quærite quartò Viros doctos in Chymia peritos: Quærite Reformatorem; annon ampliora in vestrâ Mantissa Hermetica contineantur, quæ Reipublicæ Medicæ emolumento sunt, quàm in toto hoc alcalino opusculo? Et annon potiori jure & titulo vestræ Mantissæ competat cognomen Hermeticæ, quàm huic alcalizato opusculo inscriptio: Hippocrates Chymicus? Verùm cavete imposterum ab hac hydra, sine fide adulatur, lachrymæ illi Crocodili sunt, &, ut habet Satyric. Fœnum in cornu gestat; fugite: ubi risum excusserit, nulli parcet amico.

Pergit *Tachenius*, pag. 186. *Vinum vendibile (ait Poëta) Hedera non indiget; quare huic titulo addat, verâ præparatio, non video; suspicor ne Reformator more consueto, hac vana promissione nobis dolosè imponat, eamus illi obviam, &c.* Mi *Tacheni*, ignosce, quod mihi vetus illud Roterodami occurrit: Profectò es hederâ lascivior, impudicus, audax, & temerarius. Quousque tandem (loquor cum Tullio, in Catilinam) abutêre patientiâ nostrâ?

Nondum terminus advenit, & petulantiarum tuarum complementum? Nec tot nimbus guttas fundit, quot tela, & propria quidem, in te retorsimus. Quis Hederam suspendit? An ego; an tu ipsus? Quis *inaudita, admiranda, abscons a, & occulta à sensibus & cognitione hactenus*, promisit, & crepundia mox edidit, furta Autorum impressit, Solæcismos, Barbarismos, Logismos, & mille Elenchos? An ego; an *Tachenius*? Profectò tu. Sic hactenus demonstravi. Annon hedera suspenditur, dum pro factis amplissima mendacia, & verborum crepitus, redduntur? *Eas igitur obviam illi.* Viden' quòd suprà benè te fatuis virginibus compararim, quæ obviam ire iteratò sponso gestiebant, sed sine oleo, neglectis lampadibus; in tenebris: quoniam lampades extinguebantur. Ivisti obviam Reformatori, sed & ille tibi: & ridiculè exceptum te Europa exsibilat. *Suspicaris, ne Reformator, more consueto, dolosè imponat?* Respondet Seneca, *libr. de morbis*: Hoc habet omnis affectus, ut, in quod ipse insanit, in idem putet cæteros insanire. Sed vidimus suprà, quòd Scripturas nosti. Igitur & tibi, *Tacheni*, Chrysostomus respondeat, *super Matth. cap.* 21. Omnis homo ex se æstimat alterum: fornicarius neminem putat esse castum: superbus neminem putat esse humilem; humilis neminem putat esse superbum, &c. Mihi, quod addam, non occurrit.

Interim judicent æquiores arbitri, num Reformator tam iniqua & malesana convitia meritus sit, qualia à malevolo experiri accidit; quòd in margine Animadversionum, *pag.* 465. scripsit; Vera Mercurii sublimati præparatio; ad modestam correctionem Mercurii sublimati D.D. Augustanorum? Utrum, inquam, hâc inscriptione, aut marginali, cuiquam dolosè imponere potuerit. Agnoscite verò exinde iniquam Calumniatoris *Tachenii* indolem. Annon potiùs ipse, toties in mendaciis & imposturis deprehensus, toti mundo dolosè imponere velit, Mercurio suo maximè corrosivo sublimato, ad medicamenta & usum Medicum summè noxio? Demonstravi superiùs rationibus firmis, & autoritatibus Clarissimorum Virorum, quòd Mercurius sublimatus, sine tanto corrosivo nitroso, ad usum Medicum aptior, & magis salutaris sit, quàm ille summè corrosivus, pro communi vulgò paratus: & quòd plurimi Doctiss. & Celeberrim. Medicorum & Chymicorum, imò D. D. Augustani ipsi, ad eandem ferè normam sublimationem Mercurii, benigniorem nimirum, sine tanto corrosivo ad usum Medicum meditati sint. Ergo omnes dolosè imponunt, juxta iniqui calumniatoris *Tachenii* sententiam? Verùm quàm dolosè ipse nobis, & toti mundo, suo maximè corrosivo Mercurio sublimato imponat, clariùs demonstrabo. Notum est omnibus Pharmacopœis & Chymicis, quòd spiritus Vitrioli, spiritus Salis, imò & spiritus Nitri, quilibet per se, legitimè destillatus; spiritus sint salutares, ad usum Medicum aptissimi, debiteque propinati, maximo sint emolumento: mixti verò efficiant Aquam fortem causticam, insalubrem ac deleteriam, vel solo odore suo cordi & capiti magnopere nocuam & adversam. Quid aliter inest huic maximè corrosivo & caustico Mercurii sublimato *Tachenii*, quàm talis mixtura corrosivorũ spirituum, aqua fortis caustica, naturæ humanæ adversa, ex vitriolo, sale, & nitro? Hâc enim Mercurius in ipsa sublimatione solvitur, ac unà in solidam compagem corrosivam reducitur & elevatur. Ex hoc fundamento infallibili judicium ferat prudens & expertus Medicus & Chymicus, quàm dolosè ipse *Tachenius* nobis imponere velit, cum suo maximè corrosivo & caustico Mercurio sublimato, ut illum ad Medicum usum præferamus Mercurio sublimato salutari, probè purificato, nec tantopere caustico; prout Reformator, & alii Docti Viri, & Chymici, illum edocuêre. Verùm excuso stupidum & ignorantem hominem præcocis judicii, quoniam in tantum non penetravit, aut scrutatus est naturalia, eorumque mixturas, nec homogenea & heterogenea discernere & dijudicare novit: blaterat de die innumera, nesciens quid dicat, quæque scribillet noctu. Cæcutit proinde, & perspicillis opus habet rudis homo, & indoctæ mentis, ut cernat, quam ob causam scripserim in Animadv. m. & quidem in margine, citato loco: *Vera Mercurii sublimati præparatio*. Hoc enim patet ex veteri non solùm

lùm D. D. August. præscripto modo, qui mancus est, & minimè practicabilis: sed vel maximè ex ipsius *Tachenii* summè caustico sublimato Mercurio elucet; qui ad medicamenta salutaria exinde conficienda valdè nocuus est. Et quemadmodum nunc clarum est, quòd adjecta, in Animadversionibus, Mercurii sublimati præparatio verior sit antiquâ præparatione, & vel maximè calumniatoris nostri corrosivâ sublimatione: non iniquè igitur, nec dolosè, Reformator, in margine, apposuit: *Vera praparatio.* Dolosus verò impostor & falsarius, *novus Hippocrates*, non solùm suo caustico nobis imponit Mercurio; sed insuper textûs & scripta Doctorum Virorum corrumpit, mutilat, & pro lubitu suo detruncat; uti ad oculum sæpissimè demonstratum est: & hîc denuo falsum committit, dum textum Reformatoris ex Animadversionibus, loco citato, mutilatè & præposterè adducit: nimir. *Mercurius inquit; rectè sublimatur cum Sale & Vitriolo:* textus verò genuinus Reformatoris talis est: *Mercurius sublimatus rectè quidem cum sale & vitriolo paratur* (scilicet uti D. D. Augustani, & alii docti Viri, ipsum descripsêre.) His verò paucis verbis, falsè allegatis, addit calumniator statim solitas cavillationes, dicens: *(mirum quod non timeat, acidi Vitrioli destructionem à sale) sed quia sic ab aliis scriptum invenit, saltem addit: Vitriolum Cautè Calcinari debere, ne privetur acido spiritu.* Textus iterum genuinus Reformatoris, cum superiori continuato sensu, ita sonat: *sed necessum est, ut Vitriolum, quod ipsi additur, ita calcinetur, ne suo corrosivo aut spiritu acido privetur.* Hîc iterum abrumpit falsarius, & pergit ita cavillari: *Sibi videtur hic aliquid magni momenti admonere. Vt etiam: quod sublimatio bis terve reitereturnovis speciebus sale scil. & vitriolo.* Talis verò, cum continuo superiori sensu, textus est: *Quantitas item præscripta Vitrioli & Salis non sufficit, præsertim si corrosivus (uti ex sequenti dulci subl. apparet) reddi debeat Mercurius; necessum igitur est, ut non solùm pondus eorum dupletur, sed & sublimatio Mercurii, additis semper recentibus speciebus; sale scilicet & Vitriolo, bis terve reiteretur, donec in crystallinam compagem elevetur.* Huic ita & taliter detruncato ac corrupto textui, porrò addit *mirum quod non timeat, acidi vitrioli destructionem.* Verùm intellexisti fortè, *Tacheni*, quantum Reformator reformidet garrulam linguam tuam, & mendacia ratione salsi & acidi, quæ simpliciter, & sine distinctione, aut differentia salsum, sibi invicem contraria esse, in Reformatorem iniquè & falsissimè, contra claram ejus doctrinam, retorquere niteris. Incidis ipse in Scyllam, cadisque in foveam, quam Reformatori struxisti. Porrò ais: *sed quia Reformator sic ab aliis scriptum invenit, saltem addidit; Vitriolum Cautè Calcinari debere.* Optimè addita est, & quidem necessariò, hæc admonitio à Reformatore. Imprimis enim non dissentit is ab aliis Doctissimis Medicis & Chymicis, qui hoc pariter volunt & docent. Secundo uti nullibi D. D. Augustanorum Compositiones in ingredientibus suis immutavit, nec textûs eorum adulteravit: sic neque in hâc Mercurii sublimatione, ab æquo suo instituto deviare, sed ingredientia, pro sublimatione Mercurii, ad Medicinam aptissimi, prudenter apposita, in suo vigore persistere, & nequaquam immutare voluit: defectum saltem in pondere & quantitate necessariò addendis supplendo. Vitriolum porrò cautè calcinari debere, necessaria pariter admonitio est: quoniam diversos gradûs calcinatio vitrioli habet. Mox enim calcinatur illud saltem ad fornacem, vel saltem in Sole, æstivo tempore, ad albedinem: mox in ollâ, super igne; in quo per se liquatur, & coquendo à nimia humiditate & aquositate elementari liberatur, ac ad siccitatem reducitur; fitque cineritii coloris, pro ulteriori destillatione spiritûs aptissimum. Aucto verò paulisper igne, calcinatur illud ad flavedinem, & aliqualem rubedinem. In his levioribus calcinationibus retinet vitriolum spiritûs suos acidos: si verò ulteriùs, ad perfectam rubedinem, aut totalem pruniciem, calcinetur, violento igne, profectò privatur omnibus spiritibus, capite mortuo effœto residuo. Annon igitur necessaria illa admonitio: *ne suo acido spiritu in calcinatione privetur?* Quoniam, si perfectè Vitriolum calcinaveris, ad tota-

totalem ſpirituum expulſionem, fruſtra illud addideris Mercurio, pro ejuſdem ſublimatione: adeoque ad opus ſublimationis planè inutile foret, niſi quod liquefactionem ſaltem, & conglobationem ſalis adjecti impediret; at verò abſorberet citiùs ipſos ſalis ſpiritûs, antequam Mercurium attingerent, ſic pro majore ſui parte Mercurius adſcenderet vivus ſemper in ſublimatione. Liquet proinde, quòd, præter indoctam *Tachenii* mentem, omnino neceſſaria ſit & fuerit fidelis hæc Reformatoris admonitio, de calcinatione Vitrioli debita; & quidem, uti ſcribillat Calumniator, *pag. 186. lin. 20. magni momenti.*

Quærit ulteriùs indoctus Cavillator, *pag. eadem, lin. 23. ſed, ad quid, hac repetita ſublimatio cum novis ſpeciebus? Mercurius enim ſemel ſaturatus, acidis ſpiritibus, ad quid reiteratus labor? præcipue ſi verum eſt, ut & veriſſimum in natura quod omnia reguntur certis numeris, ponderibus & menſuris, juxta illud Poëtæ.*

Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines,
Quos ultra citraque nequit conſiſtere rectum.

Stupidiſſima & indocta *Tachenii* quæſtio, & abſurdiſſima deſuper Hippocratica aſſertio tanti Viri; vix digna puero! Quis enim inter doctos Medicos, & Phamacopœos, imò, qui vix à limine tantùm Chymiam ſalutarunt, Tirones, neſciat, quòd Argentum vivum ſimplex ſit corpus maximè impurum, nigredine inquinatum, adeoque ſummopere egeat purificatione, præſertim ſi uſui Medico deſtinatur? Quæ autem trita magis & legitima Mercurii purificatio eſt in Chymia, quàm ejus repetita ſublimatio & revivificatio? Quâ arte, quaque operâ, redigitur Mercurius dulcis in cryſtallinam compagem & puritatem, quàm per repetitas ſublimationes? Nonne Mercurius nigerrimam deponit materiam, fuliginis inſtar, in primâ; ſic etiam in ſecunda; & quandoque in tertia ſublimatione: quæ neceſſario eſt ſeparanda, ut tandem in puram & cryſtallinam vertatur compagem? Penes me aſſervo talem Mercurium, meâ operâ, & ſecundum meum præſcriptum modum, dextrè ſublimatum, qui cryſtallo ſimilior, quàm Mercurio; per repetitas ſublimationes & purificationes, ſeparando purum ab impuro, & nigredine ablatâ, eò redactus. Quis neſcit inter Chymicos veros & expertos, quòd Mercurius vivus repetitis ſublimationibus & deſtillationibus ad tantam reducatur puritatem, ut lachrymas oculi æmuletur? Ad quid, niſi ad balneum Regis, aut, ſi mavis, ad Medicinam? Et noſter Hippocrates Philoſophus ignavus, & Chymicus nullâ experientiâ edoctus, tam levia & trita ignorat, aut ſtudiò ignorare cupit, ad cavillandum Reformatorem; ubi meritò laudandus & deprædicandus.

Porrò quæris, *Tacheni: Mercurius ſemel ſaturatus acidis ſpiritibus, ad quid reiteratur labor?* Dicam, & reſpondebo Idiotæ: Mercurius non eſt vacuus, uti tua alcalia: ergò non ſaturatur acidis ſpiritibus, uti tua alcalia vacua; ſed diſſolvitur, corroditur tantùm, & poteſt per ſalia purè ſalſa iterum ab acidis ſpiritibus ſeparari, &, vel ſimplici fermento panis, reſuſcitari, & in priſtinum ſuum eſſe reſtitui. Quemadmodum ſalia purè ſalſa, utpote Tartari, & lixivialia, quæ & tibi ſalia, ſunt acidis ſpiritibus contraria: (crepent tibi licet ilia) adeoque acidos ſpiritûs, quibuſcum Mercurius ſolutus eſt, deſtruunt, & Mercurium denuo à vinculis acidorum ſpirituum liberant. Diſcas porrò, quòd diſpar longè ratio ſit, ſalia purè ſalſa, utpote Tartari, lixivialia alia, volatilia item animalium, ſpiritibus acidis ſaturari; longè verò alia res, Mercurium acidis ſpiritibus diſſolvere. Mercurius enim non ſolùm ſpiritibus acidis ſolvi; verùm etiam magis vel minùs corroſivus; imò malignus & cauſticus, uti tuus, reddi poteſt. Poteſt, inquam, ſolvi ſpiritibus benignioribus Medicinalibus, vitrioli nimirum & ſalis: poteſt iterum ſolvi ſpiritibus maximè corroſivis & cauſticis, utpote aquâ forti, & ſpiritu nitri: poteſt itidem ſublimari benignioribus rebus, utpote cum ſale communi, & Vitriolo leviter calcinato: ſicut Reformator, & alii Celeberrimi Viri, & Medici præcepêre, ut benignus ſit & Medicinalis. Tuus verò ſummè cauſticus ſublimatus meritò eſt reprobandus, & ab uſu Medico arcendus. Mirare igitur ipſe, *indocte Philoſophe*, tuam ignorantiam in Chymicis,

micis, stultam & infantilem quæstionem, ac iniquum desuper prolatum judicium. Est proinde, uti suprà dictum, planè alia res, Mercurium, vel metallum quoddam, acidis spiritibus solvere; alius labor, tua vacua alcalia acidis spiritibus saturare. Hæc non recipiunt magis vel minùs, pro legitima suâ saturatione: illæ verò solutiones, aut sublimationes mercuriales suscipiunt magis vel minus de corrosivis spiritibus: mox benignæ, mox corrosivæ magis, & maximè causticæ reddi possunt. Sic Mercurius sublimatus Reformatoris ab acidis spiritibus, in primâ sublimatione, non corrosivus redditur; ut neque in secunda. Quare? Quia Reformator hoc non desiderat: verùm vult per has binas sublimationes antecedentes Mercurium purificare, & à sua nigredine & heterogeneitate liberare, ut tandem in tertia sublimatione ad perfectam reducatur puritatem & solidam compagem crystallinam. Vult, inquam, Reformator Mercurium ad usum Medicum, & salutaria exinde conficienda medicamenta, sublimare, minùs violentis & causticis corrosivis. Hæc est, uti puto, vera Reformatoris responsio, ad stultum *Hippocratis novi* quæsitum, ac immaturum ejus perversumque judicium. Verificatur autem hâc responsione, quòd insipiens unâ horâ plus possit inquirere, quàm sapiens integro lustro respondere. Cognosces tamen ipse, mi *Tacheni*, verum esse, *quòd omnia regantur certis numeris, ponderibus & mensuris*: sed tu iniquis tuis affectibus regi nequis. Non est *numerus* tuarum calumniarum, nec *pondus* tuæ iniquitatis, nec etiam *mensura* tuæ imposturæ. *Est* porrò *modus in rebus*; sed modum nullum observas in ferendis injuriis: *sunt certi denique fines*; sed non est *finis* tuarum absurditatum, eò,

quòd ultra citraque nequis compescere labrū.

Consultius egisses, *Tacheni*, meo suffragio, si, neglecto Reformatore, proprias tecum egisses rationes; ac in sinum tuum dexteram priùs misisses, expertum, an non eam fors lepra contaminet, qui scabiem in vicino reformidas. Non est, profectò, Philosophus, qui, se neglecto, peregrinas rationes suscipit, aut cœli cursum considerat. Nihil enim est, quod in humanis minus ferendum, quàm rationes vitæ ab altero reposcere eum, qui non potest suæ reddere. His deferendi munus competit, & incusare debent alios, qui nullo præpediuntur delicto. Veniam igitur dabis, si cum Pharisæis, mulierculam illam adulterii convictam incessanter denuntiantibus, te hodie expediam aut comparem: jacito primus lapidem in Reformatorem, *Tacheni*, si te nulla redarguit culpa, & conscientiæ vermis non excruciat.

Quæ porrò sequuntur, *pag.* 187. & utrum Arsenicum, tanquam periculosa merx, Mercurio in ejus sublimatione misceatur, ipse *novus Hippocrates* viderit & deciderit: me latet per experientiam, qui ejusmodi artifices non examinavi. Arsenicum interim esse summæ activitatis virus, notissimum est nobis; & integri de eo Tractatûs extant. Vide enim Paracelsum, Crollium, Dioscoridem, Fuchsium, qui Arsenicum vocat Cadmiam argentariam venenatam; Matthiolum, Geberum, in summa perfectionis, seu perfecti Magisterii, Libavium, Plinium, *lib.* 35. *c.* 6. & recentissimè commentantem doctissimum Kircherum, *in Mundo subterraneo, Tom.* 2. *lib.* 9. *sect.* 1. *cap.* 12. de venenorum consensu: item *lib.* 9. *Tom.* 2. *sect.* 3. *de Imperfect metall. cap.* 2. *de mineralibus ex sulphure originem ducentibus: Tom.* item 2. *lib.* 10. *sect.* 2. *cap.* 2. *de Morbis fossorum*; ubi de malignitate Arsenici: *Tom.* denique 2. *lib.* 10. *sect.* 3. *cap.* 11. *de Conditionibus Fodinarum, & Arsenici fodinâ, &c.* quibus citatis locis & libris talia reperies, quæ te totum pudore perfundent ac erubescere facient; quòd, tanquam novus in orbe Hippocrates, tales tamque leves commentatiunculas edideris; & quidem suspensâ hederâ, & luxuriante pampino: dum aliud præco non vociferaretur, quàm venite; *huc adeste veritatis amatores, vos admiranda & jucunda tractabitis, abscon*sa *& occulta à sensibus, &c. p.* 7. Et tandem parturiêre montes, natus est ridiculus mus, obstetricante *Tachenio*: uti AmicoLectori palam fiet, si citatos Autores gravissimos, ac de Arsenico, & reliquis, argumenti majestatem observaverit, ac, quantum distent lux & umbræ, deprehenderit. Quòd au-

tem

tem argenti ſtructura cum ſtanno & argento malè ſucceſſerit *Tachenio*, utpote ſuperinductâ paralyſi, ſuffocationis metu, & ſubſequente chronico affectu; ultrò citroque credo. Poſuit enim natura ejuſmodi vel cuſtodes, vel ſatellites, ut curioſulos, & audaces nimium, Alcumiſtas arcerent, & pro meritis caſtigarent, *Tacheni*. Neque enim Sophiſtas, ſed Myſtas, & ſecretos arbitros, DEUS & natura admittunt & inaugurant. Diſce proinde cautiùs de muſcipula convivari. Quæ autem *p.* 189. *lin.* 14. ſcribis, de Hoſpitali ſplendidiſſimo Wonſiedlæ in Voitlandia, Anno 1464. à quodam, Sigiſmundo Wan, cive Wonſiedlenſi fundato, qui artem hanc norit ex ſtanno & argento, beneficio Arſenici, Lunam conficiendi, ex *pag.* tua 162. decidi debent, in qua ais: *Si loquor abſque veritate erubeſcam:* Profectò, meritò erubeſcere debes: quia alia mihi de hoc Hoſpitali informatio præ manibus eſt; utpote qui illîc multis annis vitam egi. Eſt ibi Hoſpitale; ſed ſplendida in eo miſeria; utpote in quo pauculi miſerculi doliarem agunt vitam, ſive fabricam, ſive victum ſpectes. Videas adeoque rumores iterum divendis, ac conſuetæ indulges hyperboli. Sed ſint vana profanis.

Devenio tandem ad ſublimationem ipſam Mercurii corroſivi; quam noſter *Hippocrates Tachenius* in tantum commendat. Non æmulor, neque invideo, quòd dexteriorem parandi modum, pro vulgari & communi uſu, poſſidet. Utinam meliora quæque obtineret, ad publicum emolumentum & Reipublicæ noſtræ majeſtatem. Sed vereor, ne, ſi larvam huic deponamus Secretario & Chymico, alius ſit arcani hujus Autor, & primus notor, quàm *Tachenius*. *Loqueris abſque veritate*, *nove Hippocrates*; *erubeſce*, *pag.* 162. Non hæ tibi debentur primitiæ; ſed Pharmacopœo Germano (apprimè noſti) qui in Hidria, ditione Cæſareâ, hanc ſublimandi artem Mercurii corroſivi prior Europæ manifeſtavit. Quâ autem ratione, invito Domino, eoque mortuo, tibi hæc fera ac venatio obtigerit, de quâ tantum nunc garris, ac ſi nuſquam & nunquam, ante tuam revelationem, Mercurius fuiſſet ſublimatus; ego ignoro. Forſan bonus Vir, aut ejus hæredes, non obſervarunt illud Eraſmi, in Adagiis, conſilium: *Quæ uncis ſunt unguibus, ne nutrito*; neque viros caduceatori & Mercurio devotos. Utut ſit; priuſquàm hæc ad buccinam, vel ad ſiſtrum, à te, *Tacheni*, erant promulgata, jam olim Chymici & Mechanici noverunt Mercurium corroſivum laudabiliter ſublimare: & ſublimabunt adhuc poſt fata tua, *magne Hippocrates*; licet tecum natas & deſituras iterum credas Muſas. Quòd interim de aliena lanâ quæſtum feceris, ac ſublimandi hunc arcanum modum Veneto cuidam Mercatori magno ære vendideris, utrinque indicto ſilentii perpetui ſacramento; laudo iterum, in villico iniquitatis, conſilium & aſtum. Rem tamen magnam feceris, ſi fidelis ſis, Zoile, vera communicando: quia *molliculus* tuus *caſeus* eſt, & ſilentii perpetui jura concernit. Viderit autem ille, qui tuis oblectatur commerciis; utrum realis; num perjurus ſis. Reliqua, quæ adducis, parerga, de neceſſitate vitrorum capacium; de capacitate vaſorum, ut quodvis eorum capiat mixturæ ſeptuaginta duas circiter libras; de capitellis! de fornacibus; de ignis moderamine: hæc, profectò, apprimè ſunt conſideranda, antequam opus hoc aggrediamur; utrum nimirum veritatem ſapiant: de qua tamen non levis oboriri poſſet dubitatio. Poſſe autem interim aperto igne, viâ, & modo Reformatoris exactè deſcripto, ſublimationem dextrè inſtitui, compendioſiore labore, paucis ſumptibus, & minori temporis ac carbonum diſpendio; per experientiam veriſſimum eſt, mihique tritum ac notiſſimum. Neque nugæ ſunt, ut *pag.* 14. ais, *nugaciſſime Tacheni*, ſed veritatis axiomata, & in Praxi tutiſſima Reformatoris inventa.

Nec immeritò etiam ego abs te quæro, *Tacheni*: quòd ſi, uti aſſeris, Mercurius ſublimatus ex acido Vitrioli rubificati nihil ponderis aſſumit, *pag.* 192. *lin.* 27. ac ſalia, ſcil. Nitri, & commune, ſolum Mercurium diſſolvant, eique tantum ponderis incrementum addant, *pag.* 191. *lin.* 20. & *pag.* 192. *linea penultima:* ac nihilominus, poſt peractam ſublimationem, caput mortuum, omnibus ſpiritibus privatum, in reſiduo manet, & reſervatur: de quo capite mortuo, novis ſemper aut recentibus

tibus sublimationibus quinquaginta libræ sunt adjiciendæ, *pag.* 190. *lin.* 7. quorsum tamen migrent spiritus Vitrioli rubificati, & quidem ex quadringentis ejusdem libris, sali nimirum communi & nitro, pro tua sublimatione Mercurii, adjectis? Quisnam horum, scilicet spirituum Vitrioli, rector, aut singularis ductor sit, qui illos à spiritibus salis & nitri, in ipsa sublimatione, segreget; & quorsum illos ducat, si nullibi, peractâ sublimatione, reperiantur (forte ad vacuum tuum, *Tacheni*) neque etiam in capite mortuo residuo ampliùs sint, (implicat enim, caput mortuum esse, & plenum adhuc ac integrum suis spiritibus) neque in aqua forti, in sublimatione collectâ & prolectâ, *pag.* 191. *lin.* 28. quoniam si in paucula aqua forti spiritûs illi Vitrioli essent & existerent, unà etiam cum spiritibus salis & nitri necessariò ad dissolutionem Mercurii concurrissent? Hoc enim negato, spiritus Vitrioli *Tachenio* non ens est; nihil est. Ergo gratis additur Vitriolum reliquis salibus, pro Mercurii sublimatione, & quidem in tanta mole, & quantitate, quâ reliqua salia omnia superat. Ad quid igitur perditio hæc esset, & impostura? Probationes, quas ille novus Mercurialis sublimator affert, *pag.* 193. inefficaces planè sunt, & multas involvunt absurditates, sunt conceptus inanes, nullo fundamento subnixi, aut demonstrabiles; & habent abditas & occultiores causas, *novelli Hippocrati* adhuc incognitas. Non proinde Reformator aberrat, nec cuiquam imponit, si Vitriolum (non caute, uti *Tachenius* mentitur, sed) ita calcinare docet, ne suo corrosivo & acido spiritu privetur, *pag.* 465. *Animadv.* Si tamen erraret; tunc necessariò & tu, *Tacheni*, crassissimè erras, scienter imposturam ingentem committis, & toti mundo imponis: quoniam ipse (conscius nimirum imposturæ) Vitriolo rubificato, id est, cautè ad rubedinem tantum calcinato, in tantâ mole & quantitate, pro eâdem Mercurii sublimatione uteris, & strictè eum addere præcipis. Neque etiam Reformator unquam asseruit, aut verbulum hac de re protulit, *quòd nimirum aut vitriolum, aut sulphur cujuscunque sit generis, vel vim corrosivam, vel pondus Mercurio addat:* uti apertè, & turpiter iterum, prodigioso figmento nos aspergis, *p.* 203. *lin.* 6. Syncategorematicum mendaciorum infinitum hoc est, nunquam tot, quin plura producens; cùm in unâ ac alterâ lineâ tribus vicibus à veritate devies: nimirum vitriolum, aut sulphur, Mercurio pondus addere, ex mente Reformatoris; cùm tamen ne per somnium talia Morpheus ingesserit, nedum ego docuerim: cùm interim manifestè hunc calumniatorem convincant meæ *Animadv.* & textus, *pag.* 465. qui talis est: *Necessum est, ut Vitriolum, quod ipsi additur*, sc. pro sublimatione Mercurii, *ita calcinetur, ne corrosivo suo, vel acido spiritu privetur.* Ex hoc paragrapho qualem deducis imposturam, *Calumniator?* An quia pro Mercurii sublimatione Vitriolum additur? Si hoc affirmas, tunc vel centies nobis imposuisti, *Tacheni*, qui quadringentas libras Vitrioli, eodem modo calcinati, quo Reformatoris, uni subjicis sublimationi: prout ex *p.* tua 190. *lin.* 8. luculenter apparet. Annon hoc est festucam in Reformatore videre, & sudem proprio oculo infixum, hirsuto ingenio, calloso cerebro, & obtusâ mentis acie, non animadvertere? In Reformatore arguis & taxas, quòd pro tribus sublimationibus, more Veterum, & ipsorum etiam D.D. Augustanorum, assignet sex circiter libras Vitrioli debitè calcinati; & hanc sententiam imposturam dicis; & tu, *Nugator novissime*, quadringentas libras ejusdem calcinati Vitrioli pro unica tua sublimatione assignas? Et hæc impostura non est? Sed quid multis immoror? Cur *Tach.* succenseo,

ut pueris placeas, & declamatio fias?

Malevolorum jacta tela libero calcanda pede. Annon hîc iterum verificetur, quod, de *novo Hippocrate* Tachenio, D. Martinus Weissius, Archiat. Elect. Brand. datis Berolini, 19. Januarii 1653. his formalibus scripsit: *Impudentissimus homo (scil. Tachenius) qui obtrectationibus, mendaciis, dolisque famam sibi acquirere statuit, &c.* Consulat Amicus Lector typis evulgatam Epistolam; & plura his affinia reperiet, quæ modesto silentio obvelo. Multos prætereo rumores & susurros, quos hic Blatero excitat, partim commendando illimatum ingenium, & novam suam artem Hippocraticam; partim nobis cramben recoquendo, de

mystico suo Mercurio sublimato summè corrosivo; de quo canit, sine fine crocitando, ut corvus nactus cadaver; partim denique in Reformatorem, & alios Viros integerrimos, calumnias suas & virus dispergendo. Unicum hoc defuit, quòd ex primo, de diæta, libro, & Hippocrate Coo, nullam subscripsit authoritatem; Capitulo addens Colophonem. Relinquamus interim totum in laudes effusum Tachenium, & accedamus ad

CAPITULUM XXV.

Quod inscribitur:

Minerva manum movet: pag. 193.

Et cur non tibiam? Elegans iterum connexio, & ex re nata inscriptio. Quid igitur Minervæ manus ostendit? An tactum dat, pro aphonia & dissona mendaciorum Musica tua, *Tacheni*?

Quod autem Mercurius vulgi habeat sulphur externum inquit, *& separabile de Essentia Mercurii, ultra Gebri* (a) *& aliorum sapientum testimonia, docet etiam Experientia, hic & ubique certissima rerum magistra, hac mechanica.*

a 2. part. lib. 2. Sum perfecto.

Immitte Mercurium mundum ac purum phialæ plani fundi, oris angustissimi, & coque in arena, primò lento & moderato igne, postea fortiori, eo gradu, ut Mercurius ascendere nitatur, quod si contingit simplici motu fac ut recidat, hac via sine ulla alia additione præter externum ignem, fit præcipitatus rubeus splendens similis illi, qui cum aqua forti ex vitriolo & nitro præcipitatus fuit, & nil acquirit in pondere neque diminuitur, quatenus portiuncula proprii sulphuris illum mortificavit, & rubificavit, sicut in aqua forti ex nitro (sulphureo) ostendi. Sulphuris nimirum proprium est rubificare Mercurium, ut etiam in cinnabaris præparatione demonstravi, qui etiam nil in pondere acquirit, quod à nostris attentè considerandum plurimum enim inter est.

Sulphur rubificat Mercurium.

Hunc præcipitatum rubrum vel per se factum, vel cujuscunque conditionis, commisce cum sale communi, compositum hoc, urge moderato igne, & elevatur tunc in sublimatum corrosivum: neque hoc loco obfuit sal acidis sulphuribus, imò sine sale ex rubro præcipitato, nunquam fieret sublimatus corrosivus, ut neque Mercurius cresceret in pondere.

Sic præcipitatus ille, quem Crollius Turbith minerale appellat, quatenus fit cum spiritu vitrioli vel sulphuris non rubescit, quia parum de sulphure vitrioli, absque nitro elevatur in distillatione, sed propter symbolum, quod habet, agendo in sulphur Mercurii, flavescit, nilque ponderis acquisivit, postquam aluminosus sapor aqua calida ablutus fuerit.

Vires omnium dictorum præcipitatorum sunt æquales, vomitus movent, gingivas corrumpunt, & repetitis vicibus assumpti execrandum ptyalismum promovent: hinc Helmont (b) *quamdiu mercurius vulgi revificari potest, non est boni viri remedium: Nam sicut omnia pharmaca sunt venena, respectu nostri, & non excrementorum, nosque potius quam morbos adoriantur, sic & præcipitatus vulgaris Mercurii. Hinc etiam Hippocrates meus* (c) *nemo medentum per assumpta laxativa spondere audet sanationem.*

b de febribus cap. 15. §. 6.

c de medicamentis purgan.

Et quamvis multi affirment, quod Mercurius, sine additione corrosivi, sed per se præcipitatus, sudores valde moveat, & ea de causa febres omnes planè, tam continuas, quam intermittentes tollat; sexies vel septies exhibitus, luem veneream penitus eradicet; verum non est; sed ut dixi propter suum sulphur, utcunque diligenter via communi sit tractatus, semper idem est Mercurius.

Et licet sulphur, magno ingenio & arte, ab eo sequestratum fuerit; ut vacui impatiens; rursus parvo temporis spatio, novo & simili reinduit se: docente id magistro (d) *: seorsim, neque*

d Lib. de diæta.

neque sibi, neque ulli alii sufficiens est; imò, præter experientiam; confirmat id Geber, reliquorumque sapientum turba: hinc admodum eleganter Aurei seculi Autor(e)*Saturnus avus illius, illum ex mera ira, in id, quod fuerat, iterum commutat: Et proinde* πολυπικέλος *hic spiritus, & Mercurii nomen adeptus est. Hæc ita se habere, norunt illi, qui has transierunt ærumnas.*

e *fol.* 90.

Quòd Mercurius sulphure gaudeat externo; sitque hoc separabile de essentia & esse Mercurii: est novum dogma; novi Legislatoris novum commentum. Quis unquam Mercurio approxit duplex sulphur, internum, & externum? Fortè quia duæ alæ ipsi finguntur Mercurio; ergo & duplex sulphur? De quo nec Geber, nec ullus Philosophorum, quidquam meminit; neque experientiâ comprobatur. Est autem omnium Philosophorum unanimis consensus; Mercurium corpus esse uniforme, semper sibi idem; quòd sit totus in igne constans, aut totus profugus; aqua etiam sit, non madefaciens manûs; naturâ sua simplicissimus; Protheus Chymicorum, in varias formas transfigurabilis; albus externè, internè verò totus igneus & rubeus. Quippe quod simplicissima ejus demonstrat præcipitatio, absque ullâ rerum aliarum additione facta. Quam præcipitationem tamen *novus Legislator* erroneam proclamat, pro suâ nimirum sententiâ demonstranda; quamvis ipsi è diametro apposita sit, & contrarium evincat; quòd illa rubedo non sit externum ejus sulphur, sed potiùs internum aut essentiale. Licet enim per resuscitationem, dissolutionem, aut sublimationem, illa iterum obscuretur rubedo; non tamen aufertur, aut auferri potest, sed remanet Mercurio inseparabili fœderis nexu juncta, quamdiu Mercurius formâ & substantiâ suâ constat. Nam sicut facilius est, uti Philosophi loquuntur, Aurum construere, quàm destruere; sic, de Mercurio loquendo, facilius erit, Mercurium producere, quàm ipsum suâ rubedine, essentia, ac sulphure privare. Hoc enim ablato, non est ampliùs Mercurius, sed mortuum & exanime corpus. Mortificari autem & rubificari Mercurium propriâ sulphuris externi particulâ, *pag.* 194. *lin.* 15. stupidissimum *novelli Hippocratis* assertum est, & falsissimus Aphorismus. Verùm dato uno absurdo, sequuntur plurima. Hoc enim dogmate vix prolato; statim hac ipsa *pag.* 194. *lin.* 26. totâ metâ aberrat, quando scribit: *Hunc præcipitatum rubrum vel per se factum, vel cujuscunque conditionis, commisce cum sale communi, compositum hoc, urge moderato igne, & elevatur tunc in sublimatum corrosivum; neque hoc loco obfuit sal acidis sulphuribus, &c.* O stolidum pecus, in ignorantiæ abyssum demersum! Si mortificaretur Mercurius propriâ sulphuris particulâ, quis redintegraret ipsum sale communi? Porro, si cum sale communi talis præcipitatus rubeus, absque additione paratus, sublimatur; is neutiquam evadit corrosivus, sed medicinalis, & ferè dulcis: non fit similis, *Tacheni*, tuo corrosivo Mercurio. Quare? Quia absque nitro & vitriolo sublimatur; è quorum commixtione vis caustica & maximè nocua emergit. Præterea: *Sal non obfuit* in hac sublimatione, seu *hoc loco, acidis sulphuribus.* Quibus sulphuribus acidis? Dic, *obscure magister*, amabo! Habentne metalla, & Mercurius vivus, acidum sulphur inflammabile & combustibile; cujus acidus spiritus obsit & contrarietur salibus purè salsis? (dico, salibus purè salsis: quod tandem, tuo imprimas cerebro, velim) Extraxistinè unquam è tuo vacuo tale sulphur inflammabile ex metallis; quod acidum præbeat spiritum? Extraxistinè, inquam, *acidum illud venenosum, sulphuris Mercurii, pag.* 199. *lin.* 17. *quod absorbeat ventriculorum alcali, & ejus socium?* Quis est socius ille bonus? Phasmata sunt tua, mi *Tacheni*, quæ nullam sapiunt veritatem, sed meritò ridentur. Sicut enim Mercurios elicuisti corporum & metallorum ex auditu & incerta relatione: ita pariter hæc sulphura extraxisti, parasti, & vidisti nunquam: quoniam in rerum natura non sunt; ergo neque in metallis, aut Mercurio.

Quid, quæso, garris, *pag.* 196. *lin.* 20. & toto illo *paragr. de sequestratione sulphuris à suo corpore*, scil. Mercurio, *& quòd rursus reinduit se simili & novo, vacui impatiens, docente id Magistro*, scil. Hippocrate Coo, *lib.* 1. *de diæta: seorsim, neque sibi, neque*

ulli alii sufficiens est, *&c.* Non pudet te, viris doctis talia scribillare, ac tam turpiter & indoctè nugari; textûs quoque Hippocratis Coi ad hæc nugamenta perperam & violenter adducere? Quis abstineat à risu, si hæc legerit?

Ex auditu porrò, & incerta relatione habes, ut ipse fassus es, & recensuisti, quòd Mercurius vivus ex Luna inopinatò semel fuerit factus. Ab illo tempore Mercurios, ex corporibus perfectis metallorum regeneratos & resuscitatos, continuò teris: quamvis nec granum eorum confeceris ipse, nec unquam videris; de iis tamen fers judicium, sicut cæcus de colore. Quod apparet, *pag.* 197. *paragr.* 2. ubi ais:

Metallum perfectum esse argentum vivum non ignoro.

a Quantum non noxia corpora tardant? Virgil.

Cum verò de argento aut alio perfecto metallo sit regeneratus ac resuscitatus, ut & quod necessarium sit mundificatus (a) *& requisito suo, præcipitatus ad rubedinem, fit medicamentum non contemnendum, quod neque purgat, neque vomitus movet, nisi indiscreta dosi. Aurora tamen Philosophorum non est, licet trides tanquam pavonis cauda, & varii & admirabiles colores, in vitri pariete, & in ipsa materia appareant, eodem fere modo, ut chalibi sulphureo contingit, sub artificis manu, pro lubitu.*

Simile non est idem.

Proh! immane quantum! Quis non juraret per omnes cœlos; per Stygem & Acheronta: te non solùm esse Hippocratem, & quidem Chymicum; sed ipsum Hermetem Trismegistum, cujus anima fortè ex Orco aut Limbo, redux novâ metempsychosi tibi infusa fuerit? Quis non crederet, te manducasse de Aurora illa Philosophorum; quia tam acutè de illa scribis, eleganti similitudine, sumptâ de vitriolo & chalybe? Verùm sicut in margine hujus textûs verè addis: *simile non esse idem:* (res mira ex Logicâ, relativorum terminos distingui, à quo, & ad quem, qui similitudinis relationem, uti & dissimilitudinis, fundant, juxta quos similia sunt dissimilia, & dissimilia sibi similia) ita certissimum, tuam similitudinem non solùm magnopere claudicare; sed cuncta, quæ in hoc paragrapho effutis, à tuo intellectu & captu esse longissimè remota. Pro Aurorâ illâ Philosophorum nobis sufficere debet inanis tua grandiloquentia: pro pavonis caudâ, tua, hac in re, inscitia: pro factis denique verba & hyperboles.

Spernis Sendivogii Panaceam, hoc in *paragr. pag.* etiam 197. *lin.* 27. quam Crollius, vir doctus, oculis inspexit propriis, & de illâ testatur, ac laudabiliter scribit; ac si tu judex & pater futuri sæculi esses; nec non præteritorum etiam arbiter, & censor Doctissimorum Virorum hujus & retro actorum sæculorum.

Quàm acutè porrò loqueris de materia prima & universali, *pag.* 198. *lin.* 11. dum illam nobis indigitasse ais, *præter Hippocratem Ovidium, lib.* 15. *metamor. Tempus edax rerum, id est, materia prima, consumit in tempore, quicquid ex ea productum fuit*; (arrige aures, Pamphile) *hinc Antiqui: saturnum devorare proprios filios dixerunt, ut testatur Venerabilis Pytagoras: omne secretum inquit est in saturno. Id est, in antiquissima & prima materia, de qua nunc satis.* In Hippocrate verò Coo, præsertim in libro 1. de diæta, nihil habetur, si bene memini, de materiâ primâ (ut neque de sulphure Mercurii) Ovidio gratias habemus, quòd illam nobis per tria hæc verba: *Tempus edax rerum:* indicare voluit: Tibi verò, *Philosopho Hippocratico*, gratias debemus, pro fideli & docta materiæ primæ, ac trium istorum verborum Ovidii, explicatione. Quis enim magis eruditè nobis explicare potuisset? Si de materiâ primâ, quo sensu sit accipienda, disputandi libido foret, tempusque nobis suppeteret, oporteret illam, præsertim Chymicorum, ex alio deducere fundamento. Juxta Philosophorum unanimem consensum, ausim ego asserere, materiam eorum universalem esse in omnibus, & ubique, exceptis alcalibus tuis, & vacuo tuo. In alcalibus enim non potest existere; quia vacua sunt tibi: neque in vacuo tuo hospitare. Secus enim impleret vacuum, & sic vacuum non esset vacuum. Saturnum primam esse materiam (sive Philosophorum, sive vulgarem, aut communem intellexeris Saturnum, aut plumbum) vix tibi simpliciter concesserim: esse autem in Saturno, tibi non negarim. Verùm sicut in Saturno est; ita

ita etiam in Auro; ita in Argento; ita & omnium maximè in Mercurio,&c. in uno verò magis reclusa, quàm in alio.

Motu retrogrado attingam etiam *paragr.* 2. *pag.* 195. in quo asseris, cum tuo Magistro, Helmontio, inquiens, *quamdiu Mercurius vulgi revivificari potest, non est boni viri remedium: lin.* 26. Ast ubi habes talem Mercurium vulgi, qui non revivificari potest? Esse Mercurium vulgi, & non posse vivificari; est contradictio in rebus. Nam si Mercurius eò redactus est, ut non possit revivificari, non est ampliùs Mercurius vulgi, nec est omnino ampliùs Mercurius, sed quid aliud ex Mercurio. Et verò, si non boni viri remedium est Mercurius vulgi, quamdiu revivificari potest; cur tu, *Tachens*, tam frequenter illo uteris, & tam prolixè verba facis, de tuo Mercurio caustico, maxime deleterio, quem etiam crudè, in aquâ saltem solutum, pro tam secreto habes medicamento? Ergo propriâ tuâ confessione, & Helmontii tui testimonio, non es bonus Vir; Mundo & Reipublicæ Medicæ imponis.

Quæ plura scribillas, *pag.* 199. *&* 200. de *Mercurii effectu & salivatione*: de *occulta & venenosa Mercurii aciditate*; & : *ut omne sulphur habet occultum acidum, quod supra per campanam te ostendisse* dicis (non est autem sulphuris communis acidum occultum, sed satis manifestum, lippis ac tonsoribus notum: imò nec ostendisti illud) *sic Mercurium habere occultum sulphur venenosum*, (hoc perquam aptè quadrat, & comparatio est, ut baculus & angulus, ut rosa cum anemona) *quod illum, leni, aut continuato igne, præcipitat, rubificatque (sicut sulphur vulgare) quod non solum, igne, experientia supra demonstraveris, sed etiam Gebri autoritate*: quàm obscuri sunt hi aphorismi, & absurditatibus pleni! Libro opus foret, ad illos refutandos. Audiamus tamen plura, & similia, ubi ais, *pag* 200. *lin.* 25. *Acida autem omnia, præsertim putrefactiva, offendunt dentes & gingivas (scorbuto teste) dissolvuntque nervos tunc sanguis ibidem accrescit, putrescit, omni fœtore olentius, tanto contagio, ut & labia ejus contactu, ulcus contrahant, & intus buccæ ulcerentur, idque non solum ab ejus externa unctione contingit, sed etiam Mercurius vivus in pauca quantitate repetitis vicibus per os assumptus idem præstat, ut testatur experientia, notaruntque Rondeletius, atque Platerus. Hujus census, sunt pilulæ ex Mercurio vivo Barbarossæ dictæ. Hic quadrat, versus ille antiquus Matthesii, in Saropia*

Terram Mercurii, producta metalla veneno
Esse ferunt, verum est, nil nisi virus habet.

Hinc patet quid sentiendum sit de hoc sulphure; quod hac tempestate, per quorundam Satraparum ora (nolite timere dentes: quia nec vanam nec vacuam quidem ejus umbram cognoscunt) hujus Regiæ, sub credula firmaque pollicitatione Illustris, suavis atque vitalis auræ: tristem, dirum, truculentum, fætidumque halitum spirat. Inde Hippoc. meus (a) *Imperitia malus thesaurus, &c. alta voce exclamat.*

(a) De lege.

Item, *pag.* 202. *paragr.* 2. *Mercurium regeneratum ex metallis, per se præcipitari non posse; Magno autem ingenio in partes suas essentiales divisus & reconjunctus novo & perfecto sulphure, tunc fit subjectum omnis mirabilitatis*: illa omnia, profectò, tantis scatent absurditatibus, ut quælibet periodus, & vel quodlibet verbum, longâ egeat ventilatione. Sed ad quid perditio hæc? Cur his nugis ventilandis tempus consecremus? Indigna sunt, quæ legantur à viris doctis, Vulcano consecranda & dignissima. Quis non cernit, quòd tuam sapientiam ultra captum extendas; quodque vanæ sint ostentationes?

Sed miremini, *Veritatis amatores*: nunc ipsis mendaciis debentur Penates: post effrenem & licentiosam garrulitatem, ad Harpocratem, Iside & Osyride natum, Ægypti famosum idolum, fugit, *pag.* 203. *in margine*: *Eja ignoscat quæso Harpocrates, quod digito de labello remoto, amoris erga proximum stimulo agitatus, silentii fere transilierim fines.* Quàm hic Pythagoreus est, qui, juxta Micheæ 7. consilium, etiam *ab eâ, quæ dormit in sinu suo, custodit claustra oris sui.* A longinquo huic Viro reverentia: ne minuat præsentia famam huic scenico Philosopho. Quid DEOS & Divas invocas? Parcat tibi DEUS, Hypocrita, non Harpocrates, quòd os tuum veritati occludis,

mendaciis, quà data porta, ruis, calumniis indulges, veritatem obscuras, erroribus patrocinaris, & canis mutus es ad profliganda mendacia; homo denique Busyride natus, immitis, charitatis osor. Quæ furiæ stimularunt; quo œstro te agitarunt, *Tacheni*, ut tot convitia & maledicta, digito de labello remoto, in Reformatorem, in Canonicos, & totam Rempublicam Medicam, evomeres: sanam doctrinam absorberes & obscurares? Et nunc amore in proximum flagras: cave, ne totus hâc charitate conflagres; fove intra pectoris tui angustias has amoris flammas: hâc nolumus uri flamma. Audite! En! scintillam vobis offero ex hoc charitatis incendio, ex *pag.* 203. in qua ait, *lin.* 6. *patet ergo, quod neque vitriolum, neque sulphur cujuscunque sit generis, vel vim corrosivam, vel pondus Mercurio addat, ut nobis imponit reformator: docendo: ob id vitriolum cautè esse calcinandum ne spiritus pereant. His enim Mercurius in sublimatione non indiget, sed saltem humido ejus sulphure, quod elevatur ut dixi à spiritu nitri, amboque juncti, agunt saltem in Mercurii sulphur externum. Quod si urgetur fortiori igne: assurgit in pulverem rubrum non corrosivum: quem Huserus & Crollius, Paracelsi Arcanum corallinum crediderunt: hi autem ejus mentem non intellexerunt, erraruntque in opinione; cum vero vitriolo & nitro additur sal commune tunc Mercurius dissolvitur profundius, ratione salsi saporis & sublimatum albescit, fit corrosivum, crescitque in pondere. Nonne, & hic acquirit acidum, suam vim per salsum? tantum itaque abest, ut illud destruat.*

Sic quoque ex vitriolo, vel alumine, & sale petræ distillata caustica aqua, quam aquam fortem dicunt agit saltem circa sulphur, & nisi acidi sulphurei spiritus pro parte abluantur vel per ignem in fugam vertantur coagulantur cum mercurio, in aluminosum adstringens, corrosivum.

a Pharmac. fol. 681. Emplast. de Ranis cum Mercur.

Hunc Mercurium corrosivum, jubet reformator miscere Emplastro de Ranis cum Mercurio Vigonis (a), *Absurdum inventum esse scribit: Mercurium saliva, mortificari: quasi Iohan de Vigo ignorasset corrodere Mercurium, qui vulgaris præcipitati inventor fuit, ea de causa, & nunc vocatur, præcipitatus Vigonis. His inquam: composuit Emplastrum, ad mitigandos dolores artuum, à virulenta lue obortos, sibi persuasum habebat, Mercurium esse, hujus mali, verum Alexipharmacum: Commiscuit autem Mercurium vivum cum rebus dolorem mitigantibus, quandoque bono successu: jussit itaque Mercurium mortificare, saliva, & oleo laurino, quod fit in momento quasi, & postea reliquis ingredientibus commiscere.*

Vulgus ex veritate panca, ex opinione multa æstimat.

Hanc Vigonis mortificationem Cachinno excipit reformator, evertitque textum & sententiam viri optimi, imò superaddit convitia atque calumnias, locoque Mercurii vivi addere docet, corrosivum, sine ablutione ulla, vel ignis intentione pro spirituum fuga; sed dum adhuc est liquor, jubet axungiam, & oleum superaddi, quasi corrosivum acidum in pinguedine moreretur. Ex hoc apparet, Augustana Pharmacopœia reformatorem, non habere distinguendi scintillam. Chirurgi pro carne peregrina absumenda, commiscent Mercurium præcipitatum Vigonis, qui gustu ferè dulcis, pinguedinibus & unguentis, non ut corrosiva vis deleatur, sed, ut non decidat.

Si itaque Vigonis præcipitatus, dulcis, & insipidus gustus, unguento commixtus, absumit carnem; certè hic reformatoris causticus & rodens exulcerat, & loco, quo dolores lenire debebat, novos generabit. Hoc est artificium quod nos docet reformator: de quo optimè dici potest illud Plauti,

Ibo ad medicum, atque ibi me toxico morti dabo.

Revivificit autem Mercurius sublimatus, cum corrosiva vis ab eo tollitur, id prater alcalia, facit etiam antimonium. Hoc non dissolvit aqua fortis simplex, propter admistum sulphur, ut supra ostendi, sed addito sale, statim agit in illud, separatque ejus sulphur, ut supernatet picis instar, & hac in via humida.

Butyrum Antimonii.

Sic etiam in via sicca, commisce antimonium cum Mercurio sublimato, quem salsum demonstravi, & illico spiritus salini deserunt Mercurium, & rodunt antimonii regulum; cum vero spiritus ex retorta propelluntur, decur-

Mercur. vita.

decurrunt saturati cum regulo soluto, in butyri forma: quod si aqua frigida abluitur cadit antimonii pulvis rarus, levis & candidissimus, inepte Mercurius vitæ appellatus. Cum vero hæc ablutio fit aqua calida, tunc parum flavescit, & vocatur pulvis Algerotti.

Pulvis Algerotti.

Idem autem butyrum, si dissolvitur in spiritu nitri, qui rursus, propter similitudinem sulphuris, antimonium etiam sulphureum, & solutum rodit, & per cohobia abstrahitur, post eaque ignitur, tunc (modo suo) constans permanet, & vocari cœpit Bezoar minerale, magnorum sane morborum medela. Mercurius autem à corrosivo liberatus, repræsentans alcali metallicum; saturatur ab acido sulphuris antimonii, quoque metallico, & constituunt ambo occultum salsum, quod ab ignis intentione elevatur in cinnabarim. Qui rursus, cum alcali leviori, incurrentem vivum Mercurium reducibilis, ut suo loco ostendi.

Bezoar minerale.

Cinnabar. Antim.

Aurum itaque non solvitur sine sale in acidis, ut neque antimonium; imò neque ipse Mercurius. Ergo, sal non destruit acida, ut nec vice versa. Mysterium operosa Minerva aperuit, quod hactenus paucis permissum fuit.

Ecce Rhodus ecce Saltus.

Tandem sal, si, cum acidis, inimicitiam, aut occultam aut apertam haberet, id sane fieret manifestum, in solo butyro antimoniali, tanto sensibili, ut si unica saltem aqua guttula incidit in illud, statim acidi spiritus sese aquæ associant, & solutum antimonium albicat. In dictum autem butyrum, injice sal commune, naturale, vel artificiale, vel alia salsa, & in quantitate, nil sane movebitur, neque turbabitur quidem, tantum abest ut illud destrueretur.

Nunc ordine hunc ignem librabo, & pondus venti. Magna iterum audacter affers, & falsissima defendis; ut consequenter loquaris, & sine fine delires. Dic, obsecro; signa iterum paragraphum, cita locum, in quo Reformator unquam docuit, sive in Animadvers. sive etiam in Appendice; quòd Vitriolum & Sulphur vim corrosivam aut pondus Mercurio addant, ac ob id cautè calcinandum sit Vitriolum, ne spiritus pereant: prout me temerariè, charitatis stimulis agitatus, palam arguis. Responde hîc, *Tacheni*, nisi mendacii (tua verba repeto) perpetuum velis esse mancipium. Audi iterum, & patere, ut te publicè convincam. Audi, *pag.* 465. *m. Animadv.* annon sic scripsi: *sed necessum est, ut Vitriolum, quod ipsi additur* (scilicet pro Mercurii sublimatione, sicut D. D. Augustani, in Mercurii sublimatione præceperunt, & simpliciter Vitrioli calcinati scripserunt, *pag.*462.) *ita calcinetur, ne suo corrosivo aut acido spiritu privetur.* Majusculis scribo, pro tuo Harpocrate. Quam doctrinam tu sic (araneus de flore virus) pro tua malevolentia, interpretaris: *pag.*203.*lin.*11. *Reformator ob id vitriolum cautè esse calcinandum docet, ut vim corrosivam & pondus Mercurio addat, & ut nobis imponat.* Judicet æquus Lector, me labia digito signante, quantas in Medicinam hæreses hic novus Hypocrita invehat. *Pag. eadem, lin.*13. his pergit: *His enim Mercurius in sublimatione non indiget, sed saltem humido ejus sulphure, quod elevatur ut dixi à spiritu nitri, amboque juncti, agunt saltem in Mercurii sulphur externum.* Rem acu tetigisti, Vir amorum, & teneræ charitatis. Quid garris *Tacheni?* Quid tibi Harpocrates, digito ori admoto, & labello, vel à longè ostendit? Ita ne? Si Mercurius in sublimatione non indiget Vitriolo calcinato, quod suis acidis spiritibus nondum privatum sit: cur tu ipse in sublimatione tua Mercuriali, *pag.* 190. *lin.*8. quadringentas libras hujus, eodem modo calcinati, Vitrioli addere jubes, & præcipis, quod suo acido spiritu nondum privatum sit? Aut enim ibi imposturam centuplo majorem commisisti, quàm Reformator; aut hîc enorme mendacium. Diverticulum statim quæris & effugium, ad imponendum incautis ac inexpertis, & ais: *Mercurium saltem indigere humido ejus sulphure* scil. *Vitrioli.* Sed amore DEI! dic mihi, quid humidum sulphuris Vitrioli aliud est, quàm spiritus Vitrioli? Ut imponas incautis, spiritum Vitrioli verum sulphur Vitrioli humidum appellas; ex tuo mendaci ore loquor (sed displicet) quia *omne sulphur*, *pag.*195. & plurimis aliis locis, *acidum* proclamas, & *nil nisi acidos spiritus eructare:* uti quidem, si de sulphure communi, & Vitrioli, intelligendum sit, vera loqueris; tibi autem hîc turpiter contradicis. Verùm ut veritatem ulte-

ulteriùs occultes, ne quilibet fortè vel primo intuitu fallaciam & imposturam tuam penetret, ais: *Sulphur hoc elevatur à spiritu nitri, amboque juncti agunt saltem in Mercurii sulphur externum.* Bene nugaris. Sed quid hoc dictum sonat aliud, quàm quòd spiritus Vitrioli, & spiritus Nitri, junctim (quæ ambo & junctim destillata aquam fortem præbent summè causticam, ut notissimum) commoveantur in sublimatione, & agant in Mercurium, illum dissolvendo, pari modo, ac si Mercurius aquâ forti causticâ dissolveretur. Non enim antè elevantur hi ambo spiritus in sublimatione Mercurii, quàm dissolverint Mercurium: ac tum demum unà cum Mercurio, jam dum soluto, elevantur, & unà cum illo in solidam compagem sublimantur. Non agunt etiam hi spiritus in Mercurii sulphur saltem externum (*Tachenii* Chimæram) sed agunt in totam Mercurii substantiam, totum corpus Mercurii, in Mercurium, prout Mercurius est, juxta omnes ipsius dimensiones, longum, latum & profundum. Solvunt proinde non saltem sulphur Mercurii externum, Chimæram non visibilem, non perceptibilem, nunquam à Mercurio separabilem, nec ab ullo Philosopho unquam somniatam. Et posito, non autem concesso, agerent saltem hi ambo spiritus, Vitrioli nempe & Nitri, in sulphur Mercurii externum; agunt consequenter in partem: si in partem; ergo in Mercurium, cujus pars est; separando nimirum partem à toto. Non est autem Mercurius separabilis, vel divisibilis in partes, nisi totus pervertatur & immutetur à composito. Non pervertitur, nec immutatur, à suo esse, aut composito, in hac corrosiva sublimatione; sed idem Mercurius, qui antea fuit, manet, & revivificari potest, inque pristinum suum esse totus quantus facilè reduci. Ergo agunt hi spiritus junctim, scilicet Vitrioli, nitri, & salis, in totum Mercurium, non verò in partem, nec in sulphur externum solum, idealem & mentalem *Hippocratis Novi* Chimæram. Dic mihi, quis Rector sit, cui negotium hoc concredas, qui in ipsa sublimatione Mercurii segreget spiritum Vitrioli à reliquis spiritibus, nitri scilicet & salis, & efficiat, ut spiritus Nitri & Salis solùm solvant totum Mercurium, spiritus verò Vitrioli (qui, uti ipse dicis, elevatur à spiritu nitri, *pag.* 203. *lin.* 16.) solvat saltem Mercurii sulphur externum? Et quo commigret hoc humidum sulphuris Vitrioli, propriè spiritus Vitrioli, unà cum sulphure externo Mercurii, si illud separatim solverit? Non aliò, puto, nisi in vacuum tuum, ut illud se statim iterum sistat, & redeat ex vacuo tuo ad Dominum suum, scilicet Mercurium, si revivificari debet: secùs enim non totus revivificaretur Mercurius. Revivificatur autem totus: ergò etiam cum suo sulphure externo, si quod haberet, & non fuisset separatum. Si non separatum illud sulphur externum à Mercurio; ergo sulphur Vitrioli humidum, vel rectiùs, spiritus Vitrioli, unà etiam, in sublimatione, cum Mercurio ascendit, & in Mercurio sublimato existit actu. Disce, *Hippocratice Philosophe,* pro tuis nugis verè & realiter Philosophari. Tædet, profectò, tua mendacia seriis & tantis fundamentis refutare. Si tuus Harpocrates pro Licentiâ impetratâ non solùm digitos, sed palmam, & pugnum, petulanti ori tuo comprimendo apposuisset, longè consultiùs operatus esset, digno hoc *labello* osculo, & blanditiis, te demulcendo. Transeo ad aliud dogma, quod falsò mihi appingis, *Tacheni;* nimirum, Vitriolum, vel ejus *spiritum, neque pondus etiam Mercurio addere: pag.* 203. *lin.* 6. In superioribus totum hunc textum tuum allegavi: quin te convici, quoniam ne per somnium quidem talia tractavi. Figmentum itaque hoc in sinum tuum retorsi, in quo myriades recubant mendaciorum. Attamen ut experiâre, quod nequitiis tuis superior, & domitor earum sim; etiam hoc defendam, quod mihi affingis: esto, per impossibile dixerim. Superiùs demonstravi, tuum Vitrioli Sulphur humidum, quod Vitrioli spiritus realiter est, conferre efficaciter ad Mercurii solutionem in ejus sublimatione. Nunc tibi demonstrabo, quòd spiritus Vitrioli, vel, uti dicis, sulphur Vitrioli humidum, etiam pondus Mercurio addat. *Pag.* 203. *lin.* 13. ais; Mercurium in sublimatione non indigere spiritibus Vitrioli, sed saltem humido ejus sulphure. Transeat hæc propositio (licet falsum sit: quoniam humidum Vitrioli sulphur non,

non, nisi acidus spiritus Vitrioli, est: quod & plebi cognitum.) Sed quid est illud sulphur Vitrioli humidum, quod elevatur à spiritu nitri, & qui ambo junctim agunt saltem in Mercurii sulphur externum: *lin.* 16? Estne corporeum, vel incorporeum? Non incorporeum, seu spirituale, quatenus spirituale materiali & corporeo opponitur: neque incorporeum etiam, prout entia realia & metaphysica sibi opponuntur. Ergo est sulphur corporeum: ergo reale: ergo existens. Si corporeum; reale; seu existens: ergo quantum est; ergo commensurabile. Si quantum: ergo gravidat; ergo pondus addit; & potiori jure grave dicendum, quàm leve; quia naturam sulphuris habet, &, uti ipse ais, eget vectore spiritu nitri, qui illud in sublime ferat, ad agendum in Mercurii sulphur externum. Nam absolutè levia & volatilia vehiculo non egent; sed naturâ suâ omnia transcendunt; respectu quorum omnia reliqua gravidant. Sed si simul agit hoc sulphur Vitrioli humidum, seu rectiùs, spiritus Vitrioli, in Mercurium, seu sulphur ejus externum, unà cum spiritu nitri; spiritus autem nitri, ejusdem vector, levior illo, addit ac tribuit Mercurio sublimato, unà etiam cum spiritu salis, pondus, seu gravedinem; uti tu iterum dicis, *pag.* 192. *lin.* 25. quòd *creverit tuus Mercurius sublimatus in pondere octuaginta lib.* ergo infallibiliter & Vitrioli sulphur humidum (uti tu appellas) seu potiùs spiritus Vitrioli acidus, unà cum reliquis duobus spiritibus, addit & contribuit Mercurio pondus. Quorsum enim abiisset aliàs hoc humidum sulphuris Vitrioli? In nihilum non potuit abiisse; nec à vectore spiritu nitri separari: quia unà cum ipso egit in Mercurii sulphur, uti dicis, externum. Si egit simul cum aliis spiritibus; alii verò spiritus tribuerunt Mercurio pondus: ergo & hoc sulphur, quod, uti demonstratum, ponderosum est, in nihilum non potuit evanuisse, sed unà cum aliis spiritibus, & vectore suo, remansisse; & consequenter Mercurio æquè, ac reliqui duo spiritus pondus addidisse. Probo iterum, ac refello falsam tuam sententiam, ab impossibili. Nam *pag.* 192. *lin.* 25. ais: *Crevit itaque in pondere Mercurius vivus* 80 *lib. non quidem ex acido Vitrioli rubificati, ut existimat reformator, quod ob id caute calcinandum docet; sed solo sale communi.* Non potest autem à solo sale communi in tantum accrescere, aut accrevisse; neque adeo corrosivus & causticus fieri; quod impossibile: quia nec possibile etiam est, ut à ducentis libris salis communis octuaginta libræ spiritus salis eliciantur, quæ Mercurio hoc grave & magnum pondus contribuerent. Ergo etiam bini spiritus alii, Nitri nimirum & Vitrioli (sulphur Vitrioli humidum scilicet *Hippocraticum*) tanquam potiores tortores & coactores, suum quoque contribuerunt & contribuunt Mercurio pondus, gravedinem, vimque causticam, nec in nihilum abeunt aut evanuerunt. Impossibile autem esse, ut 80. libræ spiritûs salis ex ducentis libris salis communis eliciantur; hoc probatur experientiâ quotidianâ; cuilibet destillatori, vel Tironibus, obvia & notissima res est; nec eget demonstratione; quoniam etiam gustus confirmat, quanta sit differentia inter salem, & spiritum salis sincerum. Et certè non duæ aut tres partes salis sufficiunt, pro unâ parte eliciendâ spiritus salis sinceri; sed, uti quotidiana testatur experientia, vix quatuor aut quinque libræ satis sunt pro unâ librâ eliciendâ sinceri spiritus salis. Complures probationes & argumenta, ad convincendum imperitum & pertinacem *Hippocratem novum*, adducere possem: sed quia præfata tam clara, imò luce meridianâ clariora sunt; abrumpo. Nam & mihi, hæc probare, non incumbebant, sed tibi, *Tacheni*, affirmanti: quia nunquam asserui; sed falsè, & impostorio modo mihi afficta sunt.

Binæ probationes, quas imperitus *Hippocrates novellus*, pro sententiâ suâ demonstrandâ, affert, *pag.* 193. *paragr.* 1. & 2. salem communem nimirum solum addere tam enorme pondus, tantamque vim corrosivam Mercurio; sunt absurdissimæ & mendacissimæ, omni experientiæ & rationi contrariæ, tanto Hippocrati & Philosopho dignæ. Proinde cùm earum falsitas cuilibet experto Pharmacopœo & Chymico pateat; his nugis & mendaciis refellendis immorari nolo. Non enim est finis absurditatum, quibus revellen-

dis singulis Volumina vix sufficerent. Et sic, mi *Tacheni*, *Hippocratice Doctor*, tuam ignorantiam, & imposturas, quibus incautis crebrò imponis, Reformator palàm facere debuit, veris rationibus firmisque argumentis; non, more tuo, Sophisticando; & hoc quidem coactus, ut à contagiosis mendaciis tuis se liberet; quia, ut verax & probus vir, sollicitatur, qui imposturas odit, & à mendaciis abhorret. Diabolus enim, qui mendaciorum spiritus, & mentientium Pater, clientes suos, & fideles filios, justâ ac dignâ mercede remunerabitur. Transeo igitur, haud pauca tamen relinquens, quæ in hoc, & sequenti, paragrapho forent refutanda, ad *pag.* 204. Ubi *Calumniator Hippocrates novus* immeritò iterùm in Reformatorem grassatur, *lin.* 16. occasionem arripiens denuo de Mercurio suo sublimato caustico, tanquam rabiosus & acerrimus hostis Reformatoris. Textus ejus iniquissimus superiùs est adscriptus: contenta autem sunt, ut brevis sim: 1. Quòd *Iohan de Vigo non ignoraverit corrodere Mercurium, qui vulgaris præcipitati inventor fuerit.* 2. Quòd *is composuerit Emplastrum ad mitigandos dolores artuum à virulentâ lue obortos.* 3. Quòd *jusserit Mercurium mortificare, salivâ, & oleo laurino, quod fiat in momento quasi, & postea reliquis ingredientibus commiscere.* 4. Quòd *Reformator hanc Vigonis mortificationem Cachinno excipiat, evertatque textum & sententiam viri optimi, imò superaddat convitia atque calumnias.* 5. Quòd *loco Mercurii vivi addere doceat corrosivam, sine ablutione ulla, vel ignis intentione pro spirituum fuga.* 6. Quòd, *dum adhuc est liquor, jubeat axungiam, & oleum superaddi, quasi corrosivum acidum in pinguedine moreretur.* 7. Quòd *ex hoc appareat, Augustana Pharmacopœia Reformatorem non habere distinguendi scintillam.* 8. Quòd *Chirurgi pro carne peregrina absumenda commisceant Mercurium præcipitatum pinguedinibus & unguentis, non ut corrosiva vis deleatur, sed, ut non decidat.* 9. Quòd *si Vigonis præcipitatus dulcis, & insipidus gustui, unguento commixtus, absumit carnem; certè hic reformatoris causticus & rodens exulceret, & loco, quo dolores lenire debebat, novos sit generaturus.* 10. Quòd *hoc sit artificium quòd nos doceat reformator: de quo optime dici possit illud Plauti,*

> *Ibo ad Medicum, atque tibi me toxico morti dabo.*

Hucusque peroravit iterum iniquitas. Sed nostine tritum illud tuum, in *Echo Vindic. Tacheni*; *quòd maledicto stultorum thesaurus: his in lingua residet, ut maledicant bonis?* Quin videamus & illud: *quoniam longe aliter olent catuli; aliter sues.* Scrutemur tua mendacia iterum. 1. Joannem de Vigo, communis præcipitati Autorem, non ignorasse naturam Mercurii, eumque corrodere corrosivo. Quid hoc affers? Quis unquam negavit? Rixaris de lana caprinâ. 2. Quòd dictus de Vigo composuerit etiam Emplastrum de Ranis cum Mercurio, quod extat in Pharmacopœia Augustana, *pag.* 390. *Animadvers.* de hoc adhuc sub judice lis est. Nam plures vixisse poterunt de Vigo; unde ipsi fors ambigui D.D. Augustani, proprium ejus nomen non expressêre: vel si etiam Joannis proprium nomen expressissent; in idem nomen plures Joannes coincidisse poterant. Nam qui Mercurii naturam, esse, & operari, exactè norit, ipsumque dissolvere, & in præcipitatum redigere tentârit; is certò imprudentissimè salivâ hominis jejuni Mercurium extinguere jusserit: quod omnes periti in arte Pharmacopœi, & Chymici, affirmabunt, hancque extinctionem ridebunt. 3. Autorem Emplastri hujus Mercurium jussisse mortificare salivâ, & oleo laurino, hoc est falsum, & solitum *Tachenianum* commentum: quod demonstrat clarus compositionis hujus Emplastri textus, *pag.* 390. *Animad. m.* ibique sine meâ demonstratione patet, quòd, postquam Autor Emplastri hujus potiora ingredientia, nimirum Olea cocta, Pinguedines, Oleum Laurinum, Axungiam Viperarum, cum Ranis, Lumbricis, & quibusdam vegetabilibus, Succis expressis & Vino, ad ejusdem Vini consumptionem ebullire, & colaturæ Lithargyrum, Terebinthinam, Ceram, & Styracem liquidam addere præcepit, posthàc ab igne deponere, &, ubi refrixerint, tandem, & demum (scilicet jam confecto Emplastro) argentum vivum, salivâ hominis jejuni extinctum (non verò oleo laurino; quod falsum)

falsum) addere jusserit. Reformator, profectò, non est falsarius, sicut *novellus Hippocrates*, qui proborum Virorum textus pervertat, eosque opprobriis & multis conspergat sarcasmis; quæ *Tachenio* propria sunt in quarto modo. Nunc autem dicas mihi, *Tacheni*, si scintillam veritatis præcordia tua habent; an non meritò, & cum veritate, dici possit, quòd hæc Emplastri formula, uti descripta, *absurditate non careat?* Et hanc meam modestam correctionem vocas *convitia*, *calumnias*, *lin.* 12. *pag.* 205? Sed quid improvidè, & indoctè, hic asseris, & affers absurdi? Ubi extat? Signa digito, in genuino & vero hujus Compositionis textu, quòd Autor, Joannes de Vigo, jusserit *Mercurium mortificare salivâ, & oleo laurino.* Et hoc commentum, quod absurdum est, bono Viro, & Autori, vis obtrudere; ac si ipse *mortificationem Mercurii* statuisset, *salivâ* simul *& oleo laurino* perficiendam. Et hoc absurdum *Hippocraticâ* tuâ confirmas autoritate, quod absurdius, dicendo, *quòd hoc fiat in momento quasi.* Falsè loqueris, *Tacheni*, quòd dictus Autor jusserit *Mercurium salivâ & oleo laurino mortificare*: (observa; *mortificare*; ais) sed saltem solâ salivâ hominis extinguere. Textus genuinus equidem te convincit. Crimen igitur falsi committis, quòd bonum virum tuæ vis conformare absurditati; eique tanta absurda obtrudere, ac si tecum deliraret. Excuso ego bonum virum (non enim personam, & Vigonem; sed absurditatem, in præscripta compositione modestè reprehendi) quòd tam stupidus non fuerit, ut *Mercurii mortificationem salivâ hominis jejuni* præceperit: quoniam Mercurius nullo modo mortificari, non destrui, aut à suâ naturâ immutari tam facilè potest: est sibi semper idem, etiamsi à fluidâ & currente, in solidam, sublimatione, convertatur substantim; etiamsi oleo laurino extinguatur; aut potiùs, & rectiùs, ei permisceatur: redit tamen exiguâ operâ in id, quod antea erat. Et ausim asseverare, facilius esse, Mercurium construere, quàm destruere; hoc est, mortificare. Aut enim totus avolat in igne; aut totus remanet. Et hic doctus *Philosophaster* hoc absurdum, *Mercurium* nimirum *mortificari* posse *salivâ hominis*, *& oleo laurino* bono viro præter mentem ejus non solùm falsò appingit; sed, quod absurdius est, illud confirmat, &, *quòd fiat in momento quasi*, addit *pag.* 205. *lin.* 5. Jussit sæpe dictus Autor de Vigo, quicunque demum fuerit, Mercurium jejuni hominis salivâ extinguere, & jam confectoEmplastro addere, (licet absurdum sit, quod repeto) non verò præcepit, (quod absurdius multo) Mercurium dictâ salivâ mortificare. Extinguere autem & mortificare non sunt synonyma. Extingui quidem dicimus Mercurium, quando axungiæ cuidam, vel oleo laurino, per minima commiscetur, ne ampliùs currens conspiciatur: sed non proinde mortificatur. Verùm forsan hanc phrasin à rustica progenie & plebe mutuatus es, qui quandoque per abusum dicunt, Germanico idiomate, præsertim Ruricolæ: **getödtes Queckfilber.** Sed non scripsisti, *Tacheni*, uti putas, Ruricolis, Idiotis, Mediastinis, aut Aniculis. Scripsisti, tanquam *novus in Orbe Hippocrates*, Viris sapientiam professis, rara, *occulta*, *abscònsa à sensuum cognitione*: scripsisti Viris doctis: scripsisti denique Reformatori: à quibus omnibus coli, & Hippocraticam hanc doctrinam laudari, arripique cupis. Sed, crede, rident omnes Hippocraticam potiùs ignorantiam; garrulam stultitiam; fastum, & grandiloquentiam. 4. Quòd *Reformator hanc Vigonis mortificationem cachinno excipiat, evertatque textum & sententiam viri optimi, imò superaddat convitia & calumnias*: hæc tria attributa etiam sunt aperta mendacia: &, si vis, lege attentè meas *Animad* sæpe citato loco, *p.* 391. tunc te & illę tribus vicibus convincent & convincient. Mortificationem enim Reformator cachinno excipere non potuit; quia mortificationem prædictus Autor de Vigo non præcepit; adeoq; *Hippocraticum* commentum est. Textum & sententiam viri optimi Reformator nec uno verbulo, aut syllabâ, pervertit. Litera enim, & scripta, adhuc extant; quæ, contrà, te falsarium & hac in parte clarè testantur. Te autem textum hujus viri optimi turpiter corrupisse; ipse tuis verbis testatū facis. Nec etiam convitia & calumnias superaddidit Reformator; nisi quod modestè scripsit, & ipsâ quidem veritate: *quòd*

nec illa Emplastri formula suâ careat absurditate. An non pudet te, *Tacheni*, unâ eademque periodo tribus vicibus mentiri, & publicis scriptis, quæ omnibus obvia sunt, convinci? 5. *Quòd Reformator, loco Mercurii vivi, addere doceat corrosivum, sine ablutione ulla, vel ignis intentione pro spirituum fuga* (ridete altum stylum) iterum falsum est, ex solita tua corruptione textus; quem, profectò, non intelligis, nec hos labores unquam tentasti: aliàs tam ignoranter de illis non scriberes. Scito autem, quòd Mercurius, aquâ forti solutus, ac cum axungiis & oleis leniter coctus, in vitro, vel vase terreo capaciori, ad aquæ fortis exhalationem, in residuo maneat, unà cum axungiis & oleis, ferè dulcificatus, per minima autem illis commixtus, tanquam ab unctuosis solutus esset; largiaturque illis soliditatem emplastricam, & tam efficax ac penetrans postea existat in suis (non corrosivis, uti, ex inscitia, asseris) operationibus naturalibus, ut Mercurii uncia una, artificiosâ hâc præparatione Emplastris, vel Unguentis, commixta, plus præstet & efficiat, quàm plures Mercurii vivi unciæ, ruditer pinguedinibus & oleis, laurino, &c. subacti; id quod aliquoties, *in Animadv. pag.* 355. & 356. innui, ac in opere noviter excuso, sub titulo: Emplastri antiVenerei, evidenter explanatum est. Quod quidem Emplastrum felicissimè operatur, absumens, sine vi causticâ, insensibiliter crustas, condylomata, &c. quocunque etiam loco secreto hæreant. Et juxta hunc modum ex omnibus metallis, quibusdam nec non mineralibus, menstruis convenientibus solutis, tandemque axungiis vel oleis unitis, leni admodum coctione, ad exhalationem menstrui, Emplastra & Unguenta dextrè & artificiosè parari possunt, ad varios humani corporis affectus perutiles & præstantes. Habet artificiosa hæc metallorum & mineralium, cum rebus unctuosis commixtio, & solutio, in Chymiâ rationes profundissimas; quæ *Hippocratem novum* latent. Quòd si tamen considerares Emplastra Diachylon & Triapharmacon, quâ ratione, in dispensatione illorum, solvantur Litharg. Cerussa, Minium, aut simile quid ex plumbo, cum unctuosis propriè, quibus illa corpus tandem & soliditatem, seu duritiem, addunt: facilè ad majorem rerum naturalium indaginem *Philosophaster* pervenire posset. Sed ambitio eum excœcat, & plura experiri vetat. Sat illi abunde est, calumniari, & scriptitasse. Porrò: *Reformatorem Mercurium huic Emplastro sine ablutione ullâ, vel ignis intentione* (quid hoc dictum alto hoc stylo?) *pro spirituum fugâ, addere docuisse*; non abs re factum pariter scias. Hæc enim coctio Mercurii soluti cum axungiis & oleis, ad humiditatis, vel aquæ fortis, exhalationem, est artificiosa & dextra (*ignis intentione*) edulcoratio, & spirituum corrosivorum expulsio (nullâ hic opus *ablutione*; ut ignoranter garris) sine præcipitatione tamen Mercurii facta; ita, ut verè dulcis; legitimè tamen solutus ab unctuosis, vinculis autem corrosivorum spirituum non ampliùs ligatus, operationes suas naturales liberè possit exercere. Et sic nugæ tuæ, quoad hoc assertum, & quintam hyperbolen, confutatæ manent. Sextum assertum falsum iterum est, quòd scilicet, *dum adhuc esset liquor*, (scilicet solutus Mercurius) *Reformator jubeat Axungiam & Oleum* simpliciter *superaddi, quasi corrosivum acidum in axungia moreretur*. Pinguis hic iterum conceptus & unctuosum mendacium est, juxta illud: *Nunquam subtile cerebrum, venter obesus parit.* Quando hoc assertum & imposturam, *Tacheni*, Reformatori ostendes, ad Kalendas Græcas? Quo in loco, & quâ paginâ, Animadversionum, extat? Et quid sonat hæc propositio: *dum adhuc esset liquor, jubeat Axungiam & Oleum superaddi?* Quales Chymici, tales Grammatici, estis tu, & Scribilla tuus, seu jumentum. Cœcus cœcum ducit; & cespitante altero, non habetis, qui sublevet vos. Crede interim, quòd corrosivum acidum in axungiâ, si non moriatur, leni tamen coctione expellatur, ac mitescat: donec meliora tibi cerebri vacuum suggerat, nobis probabilia. Septimò; ubi dicis; *ex hoc apparere, Reformatorem non habere distinguendi scintillam:* quæ iterum nova phrasis, *Hippocrates?* En! nescis ex Grammaticâ; quòd parva sæpe scintilla magnum excitavit incen-

incendium; Profectò, arbitror, me hactenus, omnium consensu, aptè omnia distinxisse, ut imposterum difficile nemini sit, notam illam distinctionis in Tachenio observare, quà à Viris probis, veracibus Chymicis, & Medicis sensatis, quàm longissimè dissidet; velut è ligno Res; ab hederà Bacchus, cognoscitur.

Octavò; quòd *Chirurgi, pro carne peregrinâ absumendâ commiscent Mercurium præcipitatum pinguedinibus & unguentis, non, ut corrosiva vis deleatur, sed ut non decidat:* magna scientia est, ut putas! Adde, quæso, huic scientiæ; vel inscitiæ tuæ, & hoc, quòd Reformator Mercurium solutum jungat pinguedinibus vel oleis, non ut corrosiva vis in pinguedinibus maneat, sed igne & coctione, ast sine Mercurii præcipitatione, dextrè expellatur: non, ut Mercurius in pinguedinibus corrosione agat; sicut tuus Mercurius sublimatus causticus: sed suâ virtute, à vinculis corrosivorum spirituum dextrè liberatus (non tamen præcipitatus) suas naturales, & à tota suâ substantiâ promanantes virtutes, liberè, ac sine impedimento adjectorum spirituum heterogeneorum, exserere possit: non, ut agat manifestâ corrosione dolorificâ, prout Mercurius præcipitatus; sed benigniter, & virtualiter: non, ut non decidat saltem, sed ut exactissimè in minutissimas atomos divisus, & sic Unguentis & Emplastris intimè commixtus, virtualiter, non causticè, ratione adjectorum, operetur. Hæc, inquam, si addideris tuæ inscitiæ, magis, profectò, erudiêris, & imposterum de his, & aliis, magis doctè & eruditè scribillare poteris. Legas saltem, sed cum judicio, Animadversiones vel super Unguentum saltem Pediculorum; & eruditior fortè evades. Nonò; *quòd si Vigonis præcipitatus dulcis, & insipidus gustu, unguento commixtus, absumit carnem; & hic reformatoris causticus & rodens exulcerabit, & loco, quo dolores lenire debebat, novos generabit:* negatur tibi in utroque consequentia; quoniam & utrumque tuum suppositum falsum est: adeoque falsa hypothesis falsas infert consequentias. Non enim à Reformatore Mercurius solutus simpliciter, & rusticè, Unguentis commiscetur, uti præcipitatus, qui occultum & corrodens acidum in se continet; sed in coctione lentâ corrosivo suo privatur, ut magis dulcis, quàm præcipitatus ipse, Unguentis per minima commixtus, feliciores & benigniores edat effectus in absumendis corruptelis, & excrescentiis, ex lue Venerea obortis, adeoque in plurimis affectibus externis magni momenti remedium sit. Hoc tamen noster *novissimus Hippocrates* aut ignoranter, aut invidiosè, amoris tamen erga proximum stimulo agitatus, exstirpare, miserosque infirmos hoc salutari remedio privare, unicè adlaborat. Vereor autem, ne invanum, quia iniqua ejus indoles jam innotuit undique, & ab Oriente in Occasum percrebuit fama *Tacheniana*. Decimò; prosequitur iterum calumnias armata temeritas, dum ait; *pag. 206. hoc esse artificium, de quo optimè dici possit illud Plauti,*

Ibo ad Medicum, atque tibi me toxico morti dabo.

Mi *Tacheni*, jam pridem mihi occalluêre aures ad nænias tuas, & impetuosas detractiones: teque mendacem arguent Urbes & Orbis; quin omnia literata tribunalia, ad quæ contaminati mores tui, & prævaricationes, nec non scelerum colluvies, famâ anteambulone percrebuere. Etenim

Livore nemo judice fit nocens;
quem prima virtus non peraget reum.

Aliud igitur, petulanti huic sarcasmo tuo quod respondeam, non occurrit, quàm illud Menandri:

μηδ᾽ ἐξομόρξῃ μανίαν τὴν σὴν ἐμοί.

hoc est:

nec affricato insaniam tuam mihi.

Competere autem tibi, & jure quidem, illud in me vibratum Plauti dogma, pluribus ostendam; ne imposterum tibi pruriat ad cavillandum infamis cuticula; & aures submittas, quas tibi erexit petulantia. Revoca, precor, in memoriam, *nove Hippocrates* (hæc in aurem tibi, ac tuis) annon noveris quondam Patavii Nobilem quendam Gedanensem, Facultatis Juridicæ Syndicum (nomini modestè parco) annon ministrum etiam ejus; quos tuæ commissos curæ & torturæ habebas; qui

 ambo

ambo compluribus citatinis Paduanis tuam, me hercle, medendi peritiam in tantum mihi commendarunt, ut pro verbis lacrymas redderent; &, postquam miseram conditionem, virium & vivifici nectaris dispendium, ab arcanis tuis accersitum (tu toxicum Reformatoris nuncupas) multis gemitibus exposuissent, misericordiam & sanam medicinam à Reformatore deprecati sunt. *Tacheni*, parco nomini tuo, seu Lectoris præsentiam pro debito veneror; cæteroquin, Romani fidicinis Lyram, *Tachenii* medicas nequitias, palam & apertiùs deprædicarem; in particulari ea recensendo, quæ Romæ, diutius quæ Venetiis, medendo dedisti specimina, fraudibus & quæstui intentus. Sed forsan alio tempore hæc mihi tua extorquebit malitia, ut brevi compendio, & succincto stylo publico, divulgem, nisi his satiabere. Metum nihilominus mihi incussit simul, & risum, ter felix medendi *Tachenii* ars. Metum quidem Patavii incussit, dum duo Patavini cives domum meam subintrarunt, armatâ manu necem & pessima quæque minitantes, quodque consanguineus suus funestâ catastrophe à Medico indocto pessimè esset tractatus, Doctorem pro meritis castigare, aut stipendium repetere tentantes. Ast ubi comperi, quòd *Tachenium* pro votis inquirerent, pluribus, in publicum ad eos progressus, hanc, de *novo Hippocrate*, intellexi Tragædiam: hincque hisce non detineri laribus *Tachenium*, pluribus eosdem (profectò in favorem *Tachenii*) informavi. Iterum risum mihi extorsit *Tachenii* medicinæ prærogativa, dum quondam navigio, vulgo; Barca di Podoa; Venetiis Patavium concederem, &, uti sors fert, in tantâ itinerantium frequentia, nonnulli essent (quorum iterum celo nomen, ad jussa tua revelaturus) qui, ubi me Medicinam profiteri, per discursum, inaudissent, statim, post multa lamenta, & prolixam pessimæ constitutionis historiam, dirasque in *Tachenium* imprecationes, hoc te, pro litro, & curæ præmio, condecorârunt elogio (cito formalia) *quel Totescho maledetto*. Vides, ut sit memoria in benedictione; sicut omnium justorum? Iterum deinceps, cum Plauto, ad Reformatorem ægros ablega, *ut se toxico morti dent*; cùm tu, *novelle Hippocrates*, pseudoaphoristicâ lege tuâ, arte brevi, experimento facili & temerario, judicio tumultuario, & per te fallaci, pridem humanum sanguinem stipendiis elocâris. Hæc tibi ruminanda interim profundiùs obtuli, *Tacheni*, ac velut cum Demosthene speculum objeci, quo tuas intueâre actiones: Plura, *pag.* 206. & *pag.* 207. subjungis de Butyro Antimonii, Mercurio vitæ, Pulvere Algerotti, Bezoar Minerali, Cinnabari Antimonii, &c. quibus, præterquam quòd popularia sunt, & in Officinis nostris prima Tironum principia, ac artis præliminaria, non video, quid novi, quid occulti & inauditi, denuò attuleris, juxta promissa; nisi quòd obscuris verborum involucris, & fraudulentis ambagibus, Solem nobis ad meridiem obscurare tentaveris. Ita enim solent umbrarum fœtûs, & obscurissimi Philosophi.

Nunc, *pag.* 208. *lin.* 2. Jovis cerebrum crepat, & Pallas nascitur *operosâ Minervâ*, dum *novus Hippocrates mysterium*, ut ait, *operosâ tamen Minerva aperuit, quod hactenus paucis permissum fuit*. Obstupuit *Tachenius* novum hunc fœtum, operosa Minerva editum:

Meum verò risit cor.

Audite iterum operosas nugas, & obvium secretum: *pag*, 207. §, *ult. Aurum non solvitur sine sale in acidis, ut neque antimonium; imò neque ipse Mercurius. Ergo, sal non destruit acida, ut nec vice versa.* Hûc citato gradu te confer, Oedipe, &, postquam explanaveris; *an dæmonum excrementa sint Alexiteria hominibus in* 8. *gradu, an hiatus ventris sit spiraculum animæ, an si mus in mare mingat timendum naufragium; ex Echo Vindiciarum Tachenii*; nobis etiam hoc *novi Hippocratis* resolve ænigma. Sed quid te accersam, Oedipe? Tirones Chymici hoc revelent mysterium. Nimirum Aurum non dissolvitur in aqua forti, neque etiam in spiritu nitri, nisi priùs Sal communis accedat (vel Armoniacus) ut fiat aqua Regia. Sic etiam Antimonium in aqua forti, sine adjecto sale, non dissolvitur. Verùm alia hîc sequitur illatio *operosâ Minervâ: Ergò sal non destruit*

struit acida : & *pag.* 207. *Imò nec Mercurius*: Hîc Rhodus, ut ais, mi *Tachene*, hîc saltus : hîc veritatis transiliisti limites. Nam Mercurius quibuscunque acidis corrosivis spiritibus se subjicit, sine sale : ut etiam sine sale communi sublimari potest, solis acidis spiritibus nitri, vel aquâ forti, solutus, & sublimationi post abstractionem commissus. Repeto iterum Mysterium *operosâ Minervâ* erutum, *paucis aperire permissum* : scilicet : Aqua Regia sine sale non fit, nec sine sale Aurum solvit. Quis unquam obscuriùs docuit normam & modum apparandi Regias aquas, *Tachenio?* At clariùs multi, & pleraque quidem Chymicorum Tirocinia : sicut nunc & Reformator

Vix jam dicta occultare tentavit ; & ecce ! *pag.* 208. post densam noctem nobis hic invehit umbras, dicens : *Tandem sal, si, cum acidis, inimicitiam, aut occultam aut apertam haberet, id sane fieret manifestum, in solo butyro Antimoniali, tanto sensibili, ut si unica saltem aquæ guttula incidit in illud, statim acidi spiritus sese aquæ associant, & solutum antimonium albicat In dictum autem butyrum, injice sal commune, naturale, vel artificiale, vel alia salsa, & in quantitate, nil sane movebitur, neque turbabitur quidem, tantum abest ut illud destrueretur.* Sed prodi ex latibulis, & ignorantiæ tuæ asylo, *Tacheni*. Dic, obsecro : si addis & affundis butyro antimoniali salem tartari, vel liquorem ejus, seu salem absinthii, aut alium quendam lixivialem salem, quæ verè & realiter salia sunt, maximè in sententiâ tuâ indistinctè tradita & promiscuè ; quis effectus subsequitur ? An non contrarietatis notas & signa conspicua deprehendes ; uti ipse fateri cogeris *pag. hac citata, lin.* 23 ? Nonne præcipitabitur totum, & violentè quidem ? Quid igitur invanuum hîc garris iterum, manufestamque doctrinam Lectori reddis ambiguam ? An non clara illa sunt, quæ, *pag.* 458. *mearum Animadv.* & *pag.* 60. *Append.* extant ? Adduc igitur claram & inviolatam doctrinam nostram, ubi de differentiis salium actum, quòd salia acido-salsa, scilicet communis, gemmæ aut nitri, spiritûs acidos non destruant, sed potius intendant, potentiores ac acidos magis reddant. Verùm cum teneri cerebelli sis, memoriæ labilis, supinæ negligentiæ, &, ut superiùs dixisti, obiter tantum libros chartaceos pervolvas ; imbecillitati tuæ hisce parentabo, ac totum adducam textum meum, qui talis : *Sequuntur tandem Salia acido-salsa fixa, è quorum numero perinde naturalia talia sunt, & arte talia parata. Inter naturalia talia sunt, sal commune, sal gemmæ, & fere omnia salia terræ & maris : nitrum itidem, quod potiùs inter hæc salia fixa, quàm volatilia, rationibus minimè destitutus, colloco : hæc, inquam, salia reverâ acido-salsa, non purè salsa esse, facile experientiâ & rationibus demonstrari potest. Nam cùm acida & salsa tantopere invicem contrarientur, ut, ubi ubi sese mutuò attingunt, se invicem etiam destruant, quod ex omnibus acidis & salsis liquoribus invicem commistis luculenter patet, hæc autem denominata salia spiritus acidos non solùm non destruant illis permixta, verùm, cum iis conjunctim destillata, eos potentiores & acidiores reddant : quid evidentius in rerum natura esse potest, quàm quod his salibus jam dum de aciditate tantum fuerit insitum, quantum illis naturaliter competit ; huic plus ; alteri minus ; ad uniuscujusque speciem, & provida natura, in terræ visceribus, ordinationem ac naturalem salium susceptionem. Porrò ex iisdem salibus acido-salsis fixis spiritûs acidi corrosivi destillatione facilè eliciuntur ; ex salibus verò purè salsis nequaquam : quamvis plurimi Chymici in hac sententia hucusque detineantur. Verùm falluntur, siquidem ultra rei cujusdam inhærentias naturales, è re aliqua quicquam extrahere posse, repugnat Philosophicis & naturalibus principiis ; & vice versa.*

Concludunt tandem doctrinam hanc de salibus, salia fixa acido-salsa arte talia elaborata ; è quorum serie Tartarus Vitriolatus, seu potius sal Tartari vitriolatum unicè se offert, quod in usu, & parari solitum in Officinis Pharmaceuticis : quamvis omnia salia fixa purè salsa, eodem modo vitriolari (ut ita more consueto loquar) possint, & à naturali

turali sua indole immutari, si eximiæ in iisdem virtutes, taliter immutatis, elucescerent. Tartari vitriolati dexterrimam præparationem, abstersis erroribus, in ejusdem descripta Præparatione commissis, tradidi in Præmissis, sub proprio Titulo: quas consulat Lector amicus.

Vides iterum, *nove Hippocrates*, quòd hæc quoque in risum nostrum, ac tui ludibrium, disserueris. Sed pro meritis hæc te circumveniunt mala, quoniam, cum Cornelio Gallo, tibi hæc accinunt:

Te solum doctum, te, jactas, esse peritum
Hippocratem: ast Otto! desipis ipse magis.
Multa licet nobis referens, eademq; revolvens,
Fallis, & alloquium conspuis ipse tuum.
Deficit auditor: non deficis ipse loquendo.
O solâ doctum garrulitate virum!

Hæc ubi Poëta cecinit, siparium clausit, &, cum risu, populo dimisso, nescio quis Auditorum festivè, de turbâ, non sine sale, subjunxit ex Erasmo: Profectò facetus hic Otto est; miror, *septenis cùm sit, quod nondum ediderit dentes*. Sequitur

CAPITULUM XXVI.

Cujus inscriptio:

Dicta cum factis componit.

Addo totum capitulum.

Acidum autem quodcunque si destruitur, id fit non à salsis, ut dixi, sed ab Alcalizatis, aut eorum naturam redolentibus, mutaturque in aliam indolem, juxta acidi differentiam. Vt per exemplum; Reformator docet crocum martis quem aperitivum vocat cum acidis præparare, quem probo. Docet & alium crocum in sola flamma, quem adstringentem appellitat; ignorans, quod & ignis flamma sit acida, unde & hic crocus, similis erit priori; hunc voca, vel adstringentem, vel aperientem, juxta effectum, quem post se relinquit. Aciditatem, communicat flamma, omnia inflammabilia, ut ligna frutices herbæ, &c. Hanc inflammabilem aciditatem, divenditat ipsius reformator (a), *pro spiritu salis armoniaci acido, & hoc loco, illum plane ignorat.*

In aqua ostendi alcali, nunc in igne acidum, licet rudi exemplo, nostris tamen sufficit.

a In Appendice fol. 73.

Multis videbitur, me hoc loco paradoxa proferre, quod ignis flammam, acidam dico. Imò repeto, ignem accedere proxime ad salis naturam, constantem ex alcali & acido (b), *ea propter est mordicans, acris, acetosus, incidens, subtilis, penetrans, purus, incorruptibilis, incombustibilis, & est illud quod à corruptione præservat: Et sicut in sale acidam partem separavi; eam nunc etiam in flamma separabilem esse, hac mechanica ostendam.*

b Natura in omni re similis.

Ignis & salis proprietates.

Plumbum exuritur aridis lignis in minium, sunt autem plumbi libræ centum, postquam illud in minium conversum, reperiuntur centum & decem: quæritur, undè minium acquisivit decem libras? profectò nil ei superadditum fuit, nisi sola flamma, hæc itaque assumpsit corpus in plumbo, hoc autem corpus, quod plumbum auxit ex flamma, est acidi saporis (c) *id probat sequens mechanica.*

Plumbum fit minium.

Distilla ex retorta vitrea aperto igne, de illo ipso ligno quo cum plumbum exusseris, & extillabit liquor acidi saporis, qui extra retortam in flammæ forma, plumbum lambit eique commiscetur, fixaturque in alcali.

c Alcali volatile, ex fuligine destillatur, cuilibet notum est.

Refunde minium in plumbum, & habebis centum libras, ut prius, adeoque decem libræ, non erant, nec minium nec plumbum, sed acidum, ligno expulsum. Hoc autem cum non sit Plumbi natura, cum eo non colliquatur, & quia sibi soli sufficiens non est ut ait Hippocr. fugit in plumbi reductione in elementa, ut de sale Tartari, oleo, aceto & reliquis supra ostendi.

Hoc

Plumbum fit litargyrium.

Hoc alcali artificiatum ex plumbo, in minium conversum cum igne & acido vegetabili: vel idem plumbum cum acido minerali in litargyrium: si cum oleo, vel pinguedine coxeris, tunc alcali agit in occultum acidum pinguedinis, alcalium more, & acidum vicissim in alcali, & coagulantur in neutrum.

Emplastra ex plumbo antiquissima, chymica arte parata.

Sic fit emplastrum Triapharmacum, *ut & de cerussa, reliquaque hujus censûs, ut in sapone ostendi: cujus inspissationis causa reformatori hactenus ignota fuit, ut testatur in epistola ad me; quod nimirum, oleum tartari cum alcali picis instar inspissabatur (ut cap. 21.) & pharmacopœus scribit: hæc secundum artem coqui.*

Plumbum dat colores & vitrum.

Inter metalla autem nil reperitur quod cum acido constanti, promptius in amicitiam coit, quam plumbum; juxta acidi enim speciem, mutat formam, ut de Alcalibus dixi. Aceti vapor, illud in candidam vertit cerussam: Acidum in flamma; in rubrum minium cum Acido sulphuris, addito igne; vertitur in nigrum cum acidis mineralibus, impuris, & mixtus in litargyrium duplex vertitur, cum acido argillæ flavæ; in vitrum buxei coloris, cum acido argillæ nigræ in fuscum colorem vitreum ustulatur (adi vitrarios) ea de causa, qui metallorum fusioni & purificationi flagrant, illud honorant, quod omnis generis acida absorbet, & metallum ab omni macula purum relinquat.

d De prisca medicina.

Plumbum quomodo refrigerat?

Veteres notarunt, ex acido, inchoari in viventibus omnes inflammationes (attestante id Hippoc. (d) *: in homine inquit: inest acidum, acerbum, acidissimum, aliaque sexcenta: quæ pro copia & viribus varias habent facultates.) Excogitarunt propterea ex plumbo varia unguenta & Emplastra, quo acidum illud absumerent; & quo sæpius, dicta unguenta mutantur, tanto celerius acidum consumunt, malumque tollunt: hanc acidi assumptionem, pro vulgi captu refrigerare vocamus, quatenus caloris causam mortificat.*

Magnum quid præstaret Capituli inscriptio, *Tacheni*, si promissa amplissima actione potiùs, quàm nomine, demonstraret; si actio responderet nomini, nomen actioni; neque foret nomen inane, & imposturæ genus immane. Sed quid hîc iterum eruam arcani, & secretioris doctrinæ, præter multa absurda & falsissima? Aliud non, quàm iteratas in Reformatorem invectivas, in quatuor partes distinguendas. Prima est, dum ait; *quòd acidum quodcunque sit destruitur, id non fiat à salsis, sed ab Alcalizatis.* An iterum curta tibi memoria est, *novelle Hippocrates*, quòd, paulò in superioribus, alcalia, & alcalizata, expressè salia dixeris, uti & re ipsa salia sunt, uti sal Tartari, Absinthii, & plura lixivialia? Ergo: acidum quodcunque si destruitur, id à salsis evenit. Unde aphorismus tuus falsus & insulsus est: neque mihi, sed tibi, contradicis. Verùm si salia distinctâ methodo tractares, ac genus & differentias, seu specificas rationes, observares; ad hos scopulos non impegisses. Ast si sincerus, & sceleris purus esses, nec latibula tibi forent castra: quâ ratione Reformatorem unquam refutasses? Ubi *novus Hippocrates* in Lunæ concavo adolevisset? Quando novissimi salis Viperini stultissima fundamenta edidisses? Quando sapientibus insultasses,

insolens iniquos libros effutiens?

Exitus igitur *acta probat.* Igitur & ego sæpe trita jam iterum ingero; quoniam salia communia, quæ sunt acido-salsa, acidis amica sunt: salia verò purè salsa, utpote Tartari, & lixivialia alia, acidis inimicissima, eaque destruunt; prout ipse docuisti: adeoque quæstionem & tractatum de rebus in quæstionem de nomine turpiter detorques. Ut vel sic, rei veritatem obscurando, ludicrâ æquivocatione Lectori imponas, & rumusculos veneris: dum salia communia acido-salsa propriè & antonomasticè quidem salia appellitas; reliqua verò salia alcalia baptizas: non obstante, quòd in superioribus iteratò salem Tartari, & salia lixivialia (prout reipsa sunt, & quidem purè salsa) salia cognomináris. Sed hic morionum mos est, ut in plano se cespitare simulent, vel ad meridiem lucerna obvios inquirant; ut vel ad risum, vel indignationem, arbitros sollicitent.

Secundò dicit; *Reformatorem ignorare, quod & ignis flamma sit acida*, p. 209. *lin.* 7.

unde & Crocus martis adstringens similis sit croco aperienti, quatenus ab igne aciditatem & vim aperiendi acquirat. Sed quàm insulsè & iniquè, contra omnem rationem & experientiam! Non enim Reformatorem solum arguis, sed D. D. August. & tot tantosque doctissimos Viros, qui & ipsi crocum Martis adstringentem, solâ reverberatione parandum, tùm etiam aperientem, cum spiritu sulphuris, edocuêre, magnamque inter illos distinctionem observarunt. Te igitur sapientiorem omnibus sistis? Ignis flammam, quatenus ignis, acidam esse, quid absurdius cogitari potest? Ferculum dignum esse spiritibus infernalibus & mendaciorum, concesserim; de cætero neminem credo, præter *novellum Hippocratem*, ignis flammam delibasse. Si aliqua aciditas cum igne exhalat è lignis accensis, & in auras abit; illa non ignis est, sed ejus nutrimenti, scilicet ligni, aut alterius rei accensi, in quam ignis immediatè agit, eamque in sua elementa resolvit. In natura non datur acidum fixum, quod constans in igne persisteret. Quomodo igitur in croco Martis adstringente, qui tot ignis torturas sufferre debet in suâ præparatione, acidum in residuo manebit & conservabitur? Ignem dixit *novellus noster Hippocrates* sæpius ipse salia lixivialia alcalizare; alcalizatio autem, juxta ejus sententiam propriam, est privatio omnis aciditatis in salibus. Si itaque leviori ignis operâ salia lixivialia, ex ejusdem mente, suo acido privantur; imò acidum omne, & totum, ex lignis ardentibus, unà cum flammâ, exhalat, aut potiùs expellitur: quomodo in croco Martis adstringente, in tam diuturna & violentâ ignis torturâ, acidum constans persistere potest: aut, quod absurdius, ipse crocus Martis à flamma ignis acidus fieri & resolvens? Si ignis flamma acida esset, aut acidum in igne constans persistere posset; salia utique lixivialia non magis alcalizarentur, sed acido-salsa potiùs efficerentur. Hoc autem è diametro oppositum est sententiæ *novelli Hippocratis*, qui ait sæpissime; salia ab igne magis alcalizari, perdere suum acidum in igne, *pag.* 59. & in plurimis locis aliis. Ergo falsus est hic *novus Hippocraticus* aphorismus, qui denuo apertè sibi contradicit. Duo enim contraria, de uno eodemque subjecto loquendo, consistere simul nequeunt; nisi in tuâ *Hippocratica novissimâ* Philosophiâ aliter se fortè res habeat. Sed resipiscit *Tachenius*, malè sibi conscius, in *eodem paragr. pag.* 209. *lin.* 12. dicens: *Aciditatem, communicant flammæ, omnia inflammabilia, ut ligna frutices herbæ, &c.* Hoc assertum priori hypothesi contrarium iterum est, & tamen etiam falsum; quia aciditas non est communicabilis, vel permiscibilis, cum flamma; cùm nulla aciditas in igne persistere, vel igni resistere queat: & quomodo igni erit communicabilis? Aciditas proinde, ut verè loquamur, vi ignis & flammæ ex omnibus rebus, vegetabilibus, animalibus, & mineralibus, non ut ignis, aut flamma ignis, sed ut fumus, vi ignis, potenter & totaliter expellitur, ac in auras protruditur; non in igne, non in flamma remanet, ipsi igni non commiscetur, nec cum illo uniri, aut quicquam commune cum igne habere potest. Si itaque aciditas omnis ex lignis, aliisque rebus combustibilibus & inflammabilibus, unà cum igne exhalat, vel igne expellitur: quomodo illa aciditas humida, vel acidum illud humidum, in igne simul manebit, simulque sese insinuabit in id, quod in igne, & potenti ignis flammâ, uti Crocus Martis adstringens, aut res aliæ, diu multumque detinetur, & fortiter reverberatur? Nonne hæc sunt absurda? Tertiò iterum inquit, *ibidem*, *lin.* 15. absurda absurdis cumulando: *Hanc inflammabilem aciditatem* (miror, *Tacheni*, quòd non dicas: hanc inflammabilem aquam; quia hic spiritus totus est aquosus & humidus) *divenditat ipsius reformator, pro spiritu salis armoniaci acido, & hoc loco, illum planè ignorat.* Optimè planè dixisti; sed malè prosequutus es. Verùm quærit Reformator ex te; utrum jam dum gustaveris flammam, & favillas Averni? Aciditatem, vel propriè spiritum aliquem acidulum aquosum, uti ex lignis vel fructibus exhalat, inflammabilem esse, & statuere, absurdo absurdius est. Exemplo tibi sit sulphur commune, ejusque spiritus acidissimus. Sulphur commune

mune facilè accenditur; &, quod in illo verè combustibile est, sub campanâ conflagrat, & in suum chaos vel elementum abit; ejus autem aciditas humida, aut humidum acidum, unà cum flamma exhalans, ex parte resolvitur in liquorem acidissimum humidum; quem spiritum, vel oleum, sulphuris dicimus. Hic verò spiritus non fuit ipsa flamma; aliàs enim in flammam, in ipsum ignem, facilè iterum converteretur,& inflammabilis esset: non est autem inflammabilis, sed igni sat fortiter resistit, & haud exiguâ vi ignis opus habet, si destillari, & per retortam, vel alembicum, propelli debeat. Ergo cùm flamma invisibiliter saltem exhalat,& acidum, quàm grave & crassum etiam sit, in flamma & igne constans persistere nequit, ut neque cum eo sese unit, sed fugit, in aëra dispergitur, ac in chaos universi abit: itaque insulsè & absurdè loqueris, *quòd Reformator inflammabilem aciditatem* (aquosum spiritum acidum inflammabilem: risum teneatis, Amici) *divenditet pro spiritu salis armoniaci acido.* Quid propriè sit spiritus salis Armoniaci acidus, hoc Reformator superiùs fundamentaliter & verè te docuit. Hæc verò, quæ tu doces, phantasticus aliquis enthusiasmus, aut furia, & Megæra, quæ flammas gustavit, tibi suppeditavit, & vacuo tuo cerebro impressit; ut mundo & incautis imponas, ac novum & pseudo-Euangelium scholis & Athenæis euangelizes. Verùm enim verò: absente caupone tecum rationes iterum digessisti, *nove Hippocrates*, dum simplicibus & fatuis te sermocinari credebas; tributarios omnium assensus tibi futuros, illico opinabaris; Harpocratem in officio & silentio Reformatorem moderaturum suspicabaris. Verùm! Spes alunt exules: opinio te fefellit;&, quos delusisse credebas, hi te in triumphum & forum lætis adducunt quadrigis. Sed quid iterum de te audio, *pag.* 110. *lin.* 1. *Acidam partem in flamma separabilem esse?* Quomodo hæc antecedentibus conformantur? Quomodo sequentibus concordant? Nam, *lin.* 11. dicis *Plumbum dum in minium exuritur, incrementum ejus ex solâ flammâ in plumbum assumpsisse, &c.* Si verò acida pars in flamma separabilis, nullumque acidum in igne consistere potest; quod mechanicâ demonstratione, & experientiâ ipsa confirmatur: quomodò flamma acida incrementum hoc plumbo dederit? Porrò: Corpus hoc, scil. minium, non est acidum, nec acidi saporis; affuso verò liquore acido, aceto destillato, tunc demum redditur dulcissimum sapore. Hinc saccharum Saturni, quod aceto extrahitur, vitriolum Saturni appellatur, & in aqua dissolubile est, ut reliqua ex metallis vitriola, seu soluta metalla. Hæc autem ab acida tua flamma non procreantur, quin potiùs omne acidum, & saporem, quo Vitriola metallorum gaudent, ignis flamma expellit & fugit. Nulla ergo aciditas, nullumque incrementum minio à tua acida flamma accedit. Si tamen erudiri cupis, *Hippocratice Philosophe*, en! suscipe informationem à Reformatore, neque verecundare, te doceri à Zwelfero tuo, qui tibi & olim auxiliarem dextram extendit, ac manu te duxit, quò minùs de lubrico Doctoratus ponte congenita cerebri imbecillitas & vertigo te præcipitem ageret. Dico autem tibi, quòd incrementum illud, in rebus quibusdam fortiter calcinatis, non sit ab acidâ tua flammâ, sed attractum quid ex aëre, &, uti loquuntur, ex astris impprægnatio, vi siccitatis humidum appetentis. Residere autem in aëre salem ejusmodi universalem & humidum, qui vi attractivâ à calcinatis, quaprimùm ab igne remota sunt, allicitur; illud experientiâ ipsâ verè & realiter demonstro: & quidem in hoc genere minerali & metallico. Nimirum si Vitriolum commune, cujuscunque generis sit, fortiter & extremâ ignis torturâ calcinetur aut destilletur, illudque, post peractam calcinationem, aëri, astrisque exponatur; verè illud augetur & incrementum sumit: ex quo tandem illud attractum aquâ simplici copiosè elicitur, & in salem mirabilem nitrosum ferè redigitur coctione. Hic verò sal nitrosus (non tamen nitrum) ante imprægnationem aut attractionem, in Vitriolo calcinato, vi ignis & flammæ omni sapore & aciditate privato, nequaquam existebat aut existit; quoniam nec granum illius post peractam calcinationem statim elicies. Similes experientias à metallurgis experiêre plures;

res; qui tibi manifestè has accretiones & imprægnationes aëreas & astrales demonstrabunt. Discas itaque, ignem saltem urere & exurere, diminuere, privare, resolvere violenter principia, destruere (intellige destructibilia) & mortificare, quidquid immediatè attingit: tantum igitur abest, ut incrementum rebus calcinandis largiatur: aërem verò vivificare, augmentare, & conservare ac incrementum addere, actu & potentiâ mediatè & immediatè. Et sicut moderni Doctissimi Viri & Philosophi, Aquæ omni inesse semina, statuunt: sic ego, illis tamen nequaquam contrarius, audeo affirmare, in aëre quoque esse plurima, juxta modum inhæsionis, magis tamen spirituosa & vivificantia rerum; quàm in aquis: cum etiam, quæ in aquis hæsitant, putredini priùs magisque sint obnoxia, quàm quæ in aëre. Quamvis & aëri corruptibilia sæpè, & pestifera communicentur semina, eique, atomorum instar, innatent volitantia; non tamen in aëre, sed alibi, in terræ antris, aquis putridis stagnantibus, ac cadaveribus putridis, in vitam animata, ac, veluti priùs, generata: quippe quæ, si ulteriùs symbolizentur, severè mox in genus humanum, mox in bruta animalia, & quidem specificè in hæc vel illa, inque immensum aucta & multiplicata, tyrannidem suam exercent: eoque faciliùs & potentiùs: cùm aëre non carere; sed aëre respirare, illumque attrahere & aëre quasi vivere cogamur.

Altera præterea *novelli Hippocratis* proba, *pag.* 210. *paragr.* 2. *quòd flamma acida lambendo plumbum, ei commisceatur, fixeturque in alcali, & hinc illius incrementum*; falsissima etiam est, & crassa ac rustica, seu *nova Hippocratica Philosophia*. Nam liquor acidulus, & oleum crassum fœtidum, quæ ambo ex lignis, sive comburantur in aprico, sive per retortam destillentur, exhalant; quomodo ab igne simul & semel è suo corpore, ligno scilicet, vel aliâ re, expulsa, iterum in eodem igne violento reverberii constanter persistere, à liquidâ, aquosâ, & oleosâ formâ & substantiâ, in solidam & fixam, ac planè aliam, substantiam, in alcali (observa bene) reduci, penitus transsubstantiari, & in planè aliud esse, à natura pristina alienum, transmutari possunt? Factus est transsubstantiator noster *novellus Hippocrates*, imò forte omnipotens *Tachenius*. Quis unquam audivit, liquorem aliquem aquosum, & oleum quoddam crassum, ambo fugacia in igne naturâ suâ, transsubstantiari posse in alienum quid, naturæ pristinæ contrarium planè, fixum alcali? Quæ stupiditas hæc est? Si absque lignis, sed carbonibus saltem, plumbi reverberatio fiat; nonne æquè bene in minium, calcinatione hâc, aut reverberatione, plumbum convertitur; carbonibus autem acidus hic spiritus non ampliùs inest, ut neque oleum fœtidum crassum, sed inest illis saltem spiritus suffocativus, qui in clauso vase, in retortâ, igne etiam violentissimo, expelli nequit, nisi in aprico sensim comburantur? Unde igitur tunc illud minii aut plumbi augmentum, deficiente spiritu hoc acido & oleo, suam habet originem? Non equidem negare potes, *docte Chymiæ Professor*, quòd si ligna per retortam, in clauso scilicet vase, destillentur, &, expulsis eorum spiritibus acidulis aquosis, ac oleo fœtido; carbones tantùm in residuo maneant, nec unquam cineres ex illis fiant, clauso in vase, vel retorta. Cùm igitur residuis illis carbonibus à destillatione neque de spiritu hoc acido aquoso, nec oleo fœtido, quicquam ampliùs insit; sed totum expulsum: ergo neque alii carbones hoc spiritu & oleo fœtido prægnantes erunt, qui in calcinatione plumbi & minii, carbonibus solis peragendâ, incrementum addere, ac in alcali fixari possent. Unde igitur, in illa carbonariâ calcinatione, aut reverberatione, plumbi incrementum accesserit, hoc deficiente spiritu & oleo; non abs re quæro. Ampliùs dicam: Si spiritus acidi lignorum, & oleum fœtidum, in flammam conversa, plumbum in calcinatione lambendo, sese illi unirent, incrementumque plumbo & minio adderent; consequenter substantialiter minio post calcinationem inhærerent: ejusdem substantialia ergo, uti & accidentia inseparabilia, utpote odor & sapor, adesse in minio deberent, quæ sine illorum destructione abesse nequeunt. Sed neque sapor, nec odor horum, neque etiam alcali quoddam fixatum resolubile, in minio reperitur (quod tamen dicis, *Tacheni*, *hæc in alcali fixari*, id

id est, in salem resolubilem aquâ: nam alcali esse, & non resolubile esse in aquâ, implicat) Vides ergò, quòd omnia vana & inania phasmata sint, seu nugamenta, quæ garris de tua acida flamma. A quâ ne empyreuma contrahas, caveto.

Porrò ais eâdem veritate, eademque *pag. lin.* 25. *Refunde minium in plumbum, & habebis centum libras, ut prius.* Hoc pariter falsissimum est, & experientiæ nequaquam correspondet. Convertitur nempe haud parum de plumbo, ejusdem nimirum humiditate Mercuriali, vi ignis, privato, in scorias: quod clarè patet in leni liquefactione saltem plumbi. Semper enim aliquid scoriarum, quotiescunque tantùm igne leniter liquatur, decedit, & in pondere diminuitur. Annon a. in violentâ ac diuturnâ hac calcinatione & reverberatione plus sit decessurum; judicet, qui mente constat. Vides autem, quàm audax sis, *Tacheni*, in scribillandis tot tantisque nugis falsissimis.

Pag. 211. *lin.* 6. mirabilem iterum affert paragraphum de *alcali artificiato ex plumbo*; & de *occulto acido pinguedinis*, quod *actione & reactione coagulentur in neutrum.* Quæ non minùs, quàm priora, absurda sunt atque stupida, ignaro *novello Hippocrate*, quòd totum minerale, seu metallum etiam solutum, in pinguedine solâ tandem solvatur, expulso menstruo corrosivo aut acido, ac corpus solidius, seu duriusculum, ex pinguedine efficiat, ulteriore & leni coctione; non verò quòd ab acido occultò pinguedinis hoc eveniat; sed ab ejusdem unctuositate, sulphuribus metallorum & mineralium cognatâ, unicè perficiatur.

Pag. iterum 211. *lin.* 16. paria superioribus addit, ac ad *Emplastrum Triapharmacum* (pro complemento arcanorum) tractandum descendit. Sed arrigite aures, Tirones; videte, num Pædagogus non cespitet in consignanda manipulatione; quî nimium Lithargyrii, Minii, &c. pro Emplastris, Triapharmaco & Diachylo, conficiendis solutio peragatur. Hæ enim primæ nobis sunt & notissimæ institutiones: cùm è contra *novellus Hippocrates* in ignorantiæ tenebris adhuc cespitet. Sed quâ ratione accidit, *Tacheni*, quòd vel nullum paragraphum tractas, quin à mendacio vel auspiceris, vel in illud desinas? Ubi hæc unquam tecum rancida & unctuosa argumenta: quando, de sapone conficiendo, vel verbo, vel scripto, tractavi? Produc adhuc semel illam epistolam fictitiam, *quâ oleum Tartari cum alcali Viperarum picis instar inspissabatur:* adduc literas Uriæ; & palam ex illis fiet, quâ ratione fraudulenter me subornaris mendaciis & adulationibus; tum & Celsissimo Principi Holsatiæ Slesvicensi palpaveris, novus denique Hypocrita fueris. Sed abbrevio, cùm pluribus de his te convicerim, *pag.* 21. Quin vexat te laconismus noster, *Tacheni*; quòd succinctis verbis (ita & D. D. Augustani) scripserim Pharmacopœis: Coquantur secundum artem? Proh! quam ollam exornas! Vah! quæ bellaria nobis apponis! Tam temerarius ego non sum, ut Doctissimos quosque viros inscitiæ arguam; qui cum exercitatis Pharmacopœis suas præscriptiones consignant, illud vulgatum addendo: Fiat lege artis. Consule Autorum myriades, ac ubique reperies hanc, quam addo, clausulam; licet non semper sufficiat, & in omnibus: de qua in nostra Pharmacopœia pluribus disserui. At verò tam supinè negligentes, & superbè arrogantes, vix ullos deprehendes, qui tecum oscitanter illud vulgatum obganniant: *ea hic enarrare, nimis operosum esset, lampada tradidisse sat est, pag.* 136. *lin.* 24. prout passim omnes discursus hactenus aut fraudulenter obscuras, aut negligenter prosequeris, aut sine crux, ut dicitur, finis & absolvis; Lectorem deludendo. Residuos tres sequentes paragraphos per transennam intueor: quòd nimirum *Emplastra ex plumbo antiquissima, chymica arte parata sint.* Gaudete ergo Unguentarii, qui Ceratum, qui Emplastra, nostis decoquere! Gratulamini vobis, Tirones, qui saltem Emplastrum Triapharmacum coquere nostis. Vos estis, teste *novo Hippocrate*, in antiquissimâ arte Chymicâ exercitatissimi, & sufficienter instructi; sicut *novellus Hippocrates* in novissimi salis Viperini antiquissimis ac stultissimis fundamentis. Item observemus; quòd *inter metalla nil reperiatur quod cum a-*

cido constanti, (teneatis risum!) *promptiùs in amicitiam coëat, quam plumbum:* sed immemor sui; dum Hippocratem Coum invocat, qui ait: *de prisca medicina: in homine inest acidum, acerbum, acidissimum, aliaque sexcenta, quæ, pro copiâ & viribus, varias habent facultates, &c.* Illam propositionem statim falsissimam reddit, *pag.* 212. ubi ait: *lin.* 19. *Veteres notarunt, ex acido, inchoari in viventibus omnes inflammationes.* Hoc probo esse falsum. Per tuum *Hippocratem* in homine reperitur acidum, acerbum, ponticum, aliaque sexcenta. Ergo non tam ex acido, quàm acerbo & acerbissimo, in homine & viventibus succenduntur inflammationes. Hinc etiam ruit, quòd per plumbum, & ex eo deducta Unguenta & Emplastra, omnes in viventibus inflammationes tolli debeant: prout *sequenti paginâ* doces: cùm sit diversa inflammationum progenies & origo, nec omnibus hîc acida opponantur. Nam & ipse docuisti, quòd alcalibus purè salsis, non acidis, dolores & inflammationes podagricorum tolli debeant; verâ methodo & curatione per contraria. Iterum igitur vides, *quòd aliter oleant catuli; aliter sues.* Transeant cætera sine ulteriori examine. Nam ex textu ludicra illa Hippocratica doctrina patet. Sequitur

---

CAPITULUM XXVII.

Cujus inscriptio:

Acidum in flamma probare pergit.

Textus hic est:

Corallorum Tinctura.

APerto igne reverbera corallos integros ex. gr. uncias duodecim per 6. dies & noctes, (perito servit ignis pro distillat. spiritus vitrioli) & reperies uncias 15. id est, tribus unciis auctos, & in pulverem conversos subtilissimum. Hoc augmentum nil aliud est, nisi acidum ex flamma, quod corallia dissolvit, & cum ipsis coagulatur & fixatur, acidorum more in salsum. Huic salso, cum affuderis acetum distillatum, non emittit bullas, ut alias contingit, in corallis non reverberatis acido nimirum sunt saturati, hosque dissolvit, in pellucidum, semiacidum liquorem, qui licet pellucidus & sine colore, latentem tamen habet sanguineam rubedinem, quàm spiritus vitrioli affusio, in momento manifestum reddit. Hanc rubedinem non introduxit, neque acetum, ut neque spiritus vitrioli: alias semper rubesceret mixtura, quando magisterium ex corallis vulgari modo præparatur. Oportet ergo, mechanica necessitate, hæc rubedo in corallis clam latitasse, & ignis ope, ad maturitatem productum fuisse: de quo nunc plura dicere lubens supersedeo: satis est quod contra reformatoris somniatam doctrinam, acidum, hoc salsum non destruxit, & corallorum tincturam, in igne constantem, me ostendisse, quam porro ingenio separabis, & se ipsa laudabit.

Tinctura hæc est Rector vel Archeus, qui cum corallorum vita pari passu ambulat magnarum virium, meri nesciens, neque in igne, ut in vino ostendi.

Antimonium fixatur acido, ex igne.

Sic, Antimonii regulum, in flores elevatum Ex. gr. uncias 12. mitte, in arenam, vitrariorum fornacis, in idoneo terreo vase largo, benè cooperto, ne incidant volitantes cineres, & remotè ab oculo, ubi flamma fluctuat, ne scil. liquetur, sic stet per 8. dies, post vasculum appropera oculo vicinius, quinto quoque die, parum, usque ad quinquagesimum circiter, tunc reperies flores reguli, in pulverem rarum, levem & candidissimum fixatos, & duabus unciis auctos, ex acido ab igne haustum, quod terreum vas, sinè læsione, spirituum more, penetravit. Hic regulus, pridem leni igne fundebatur, nunc (antimoniali) fusioni resistit, nisi flantibus follibus urgeatur, tunc spiritus acidi ex igne ad elementa redeunt; & reguli invenies uncias 12, ut etiam de plumbo ostendi.

Si-

Similiter pertracta antimonium crudum, & dimittet volatiles acidos ſpiritus, alioſque fixiores ab igne induit vertiturque in candidum pulverem, antimonio diaphoretico ſimilem, in medicina majoris facultatis, quam illud quod cum nitro comburitur. Ratio eſt, quod hic, non tantum ſulphuris cum nitro deflagrat, ſed fixatur à proprio regulo hic, ab igne. Quod hæc mechanica docet: Coque *antimonium, quod cum tribus nitri partibus commiſtum, ac per vices accenſum & calcinatum ſit, in aqua ſimplici: in illa ebullitione, nitrum à ſulphure (antimonii in alcali combuſtum) diſſolvit ſulphur antimonii, jam fixum (quemadmodum, alcali tartari bulliens, ſolvit ſulphur commune pro lacte,* (a) *ut habet* Crollius) *huic ſolutioni, calidè filtrato inſperge acetum (& ſenties ſulphuris odorem) quod ſtatim ab alcali combibitur, & ſulphur cadit, in album, rarum, levem & ſpongioſum pulviſculum, hunc ablue.* Cujus *drachma cum aceto in peſte* (b) *exhibitus, majoris eſt valoris quam uncia non cocti & ſoluti: hinc liquet, quod ſulphur antimonii quod alias cum nitro deflagrat fixatur à proprio regulo, hic ab igne, in vaſculo ſupra nominato adeoque perfectior erit.*

a *Lac ex ſulphure antimonii, magnarum virium.*

b *Antimonium fixum antipeſtilentiale.*

In ignis flamma itaque eſt aciditas, quam ſicut plumbum, corallia & antimonium combibere oſtendi, ſic etiam ipſum ferrum; quod cum hoc & reliquis acidis omnibus, cum igne in rubiginem vertitur; adeoque nulla eſt differentia, inter crocum martis qui fit, vel cum manifeſtè vel occultè acidis, vel ambo ſunt conſtrictivi, vel aperitivi.

Crocus martis.

Animadvertat Benev. Lector, quàm mira, quàm inaudita, & quàm occulta à ſenſibus & cognitione, juxta promiſſa, hîc tractat. Non eſt Chymicus liber, qui huic materiæ paginas aliquot non conſecret inaniter. Et tolerandus iterum foret gloriolæ ardor & pruritus, ſi propria, licet communia & obvia, tractaret: ſed illa ſemper nobis obtrudit, quæ aliunde ſubtraxit; & de arroſis oſſibus iterum ſubſtantiale jus elixare nititur, dum ſpecioſis marginalibus, prout, *pag.* 214. aliena cohoneſtat; quaſi vel ſic Lector hunc *Hippocratem* venerabundus ſit elaturus. Dic, mi *Tacheni,* annon hanc abſurdiſſimam *corallorum* Tincturam deſcripſeris ex Hartmanno, *Baſ. Chym. pag.* 180? Dic iterum; an illam aliquando præparaveris? Profectò, ſi hujus proceſſus periculum feciſſes; nunquam inconvenientia, quæ ſecum affert, ſi verax eſſes, diſſimulaſſes. Verùm perinde tibi eſt, ſive utilia, ſive erroribus inculta, nobis obtrudas: modò chartas commacules, & libros ſcribilles, rem tibi è votis ceſſiſſe imaginaris. Quid autem de fucatis hiſce & ementitis coralliorum tincturis ſentiam; ex fundamento aperui, tum *in Animadv. pag.* 442. tum etiam in *Appendice ad Animadverſ. pag.* 49. quæ conſulere A. L. hortor. Nunc aureum hoc vellus (*mori neſciens, neque in igne, magnarum virium* ſcilicet, *Rector & Archeus, qui cum corallorum vita pari paſſu ambulat. p.* 114. *in margine*) *novi Hippocratis* examinaturus; monſtrabo, in quantâ ignorantiæ caligine *Tachenius* verſetur & ceſpitet, ubique hallucinando. *Corallos aperto igne reverberare per* 6. *dies & noctes* jubet, *eoſque augmentari acidos ex flamma* perhibet, *unciis tribus: quod acidum nimirum corallia diſſolvat, & cum ipſis coaguletur & fixetur acidorum more in ſalſum.* Hic textus quot verba, tot etiam abſurda continet: experto credendum Ruperto, uti dicitur. Ego diligenter tot annis ſedulus, & indefeſſis laboribus, inquiſivi; utrum vera coralliorum Tinctura, de qua ubivis tanta depredicantur, poſſit acquiri: ſed laterem lavi. Incidi etiam in illam, ab Hartmanno deſcriptam, Tincturam, quam *novellus Hippocrates* nunc, pro ſuo arcano & invento, nobis venditat: hanc diligentiſſimè perſcrutatus ſum. Verùm quid inveni, in primo ſtatim labore, poſt ſedulam peractum corallorum calcinationem diuturnam, vel potiùs violentam reverberationem in deſtillationibus ſpiritus Vitrioli, multorum dierum ſpatio? Calcem vivam & Calcem vivam, calci vivæ communi omnibus proprietatibus ſimilem. (cujus naturam; uti ex his, & antecedentibus, patet, noſter *Hippocrates* planè ignorat) Ex qua calce corallorum qui Tincturam; & tam nobile medicamentum Corallinum elicuerit; &, quod dudum tantâ ignis violentiâ expulſum, deſtructum, & verè mortificatum, repetierit: is

magnus

magnus mihi erit *Hippocrates*, ipso Apolline major. Miror itaque, & demiror hominem impudicum, qui, quod spiritus ejus phantasticus, ac Morpheus, per somnia fortè suppeditat; insigni jactantiâ, gloriolæ cupidine, *amoris tamen erga proximum*, uti ait, *stimulo*, profert. Posito enim; aliqua rubedo in menstruo huic corallorum calci (vel etiam simplici calci) affuso, digestione factâ, fortè appareat; quod tamen minimè fiet: illa rubedo, profectò, non est à corallis destructis, & in calcem conversis, sed à menstruo, & calce viva, quæ destructivum & mortificativum nostri corporis medicamen & liquamen est. Etenim calx viva, cujus vires paucis notæ, ignotæ nostro *Hippocrati*, tam occultum potentiâ in se continet ignem, ut & actualem ignem, comburendo, mortificando, & destruendo animalia cuncta, superet. Adeoque ejus aqua, in qua nimirum sive extincta, sive cocta fuerit calx viva; vel etiam menstruum, quo cum fuerit calx viva extracta, pro interno usu, tanquam perniciosum medicamentum, omnino vitandum. Præter enim vim exurendi & mortificandi, quâ calx viva pollet, spiritum insuper occultum habet petrificum; cujus virtute, animalibus cunctis contrariâ & deleteriâ, omnia in sui naturam convertit, spiritus naturales & vitales figit ac velut petrificat, & ad operandum ulterius inefficaces ac torpidos reddit. Hæc experientiâ constant & comprobari possunt. Spatio enim paucularum horarum corpus animale, sive vivum, sive mortuum, obrutum calce vivâ, ac veluti sepultum, illud vi suâ exurendi & mortificandi penitus destruit, ac ultimò tandem in corpus indissolubile convertit & commutat. Cùm olim calcem vivam intimius perscrutarer, ac multos cum illâ susciperem labores, experiendi causâ; num sal quidam; & qualis, ex ea foret eliciendus; quis spiritus; an oleum; liquor constans; terra medicinalis; tinctura; vel quid simile, in illâ fortè lateret; an sales cum illâ fixari; vel utrum quovis modo ad Medicinam internam fructuosè adaptari possit: en! nihil horum labores seduli suppeditarunt. Nullus enim sal, de quo vulgares Chymici, & noster *novellus Hippocrates*, falsò gloriantur, calci inest, neque acidus, neque salsus; sed inest illi ignea vis destructiva; quæ tam diu occulta in ejusdem corpore latet, donec affusâ aquâ, vel humiditate aliâ quâvis attractâ, spiritus ille igneus & siccus contrario suo, scilicet quâvis humiditate, suscitetur. Tunc nimirum in proximum subjectum, quod immediatè attingit, potenter agit, &, pro diversitate, illud vel destruit, vel igneum magis, utpote sales vegetabilium, efficit, vel etiam in saxum, aut duram compagem indissolubilem, secum petrificat. Calci verò non inesse duos diversos, & sibi repugnantes, sales, salsum nimirum & acidum, qui in se invicem agant, juxta *Hippocratis novi* antiquam cantilenam, sed falsam: præter veram rationem (quæ duo diversa salia, naturâ suâ sibi invicem repugnantia, in uno subjecto juncta hospitari, nec tamen sibi contraria esse, donec affusâ humiditate actuentur, concipere haud potest) sequentes demonstrant labores, ac experientia, rerum magistra. Etenim neque sales acido-salsi, neque sales purè salsi & fixi, à calce destruuntur; quin ambo sales in suâ veluti naturâ acriores reddantur (igni potentiores, ut loquitur noster *novus Hippocrates*, ab igneâ virtute calcis) quatenus nimirum calx viva in subjectum indestructibile ac fixum, suæ resistens naturæ, agit, & cui igneam suam vim & potentiam communicare potest, sine destructione aut petrificatione utriusque. Porrò; elicitur ex calce viva particula etiam spiritus ignei, solâ aquæ simplicis affusione: qui spiritus tamen adeò subtilis est & rarefactus, ut in aquâ, tanquam suo contrario, vel brevi emoriatur, vel penitus exhalet. Nam si addideris huic aquæ calcis, sed recenti, igneâ virtute adhuc prægnanti, salem quendam volatilem animalium, vel urinosum: illum illico ignea ac destructiva vis aquæ calcis inhærens destruit, mortificat, & in fixum insipidum pulverem, à salis naturâ & proprietate alienum; verbo, in mortuum effœtumque corpus, omnibus virtutibus spoliatum, transmutat. Hoc experimentum adduxi *in Animadvers.* ubi de sale Viperarum fixando egi: & quidem non abs re, ad demonstrandum nimirum, quòd sales volatiles animalium difficulter,

cer, imò, ausim dicere, nunquam verè fixari, aut à fuga coërceri possint, nisi penitus destruantur. Tantum autem admonitio hæc, & fidelis communicatio apud *novellum Hippocratem* effecit, ut, tanquam falsarius, antecedenter, ubi de sale etiam Viperino egit, in Reformatorem petulanter invehatur, ac si ipse salem Viperinum cum calce vivâ fixare docuerit: cùm tamen contrarium ex ipso & claro textu *Animadvers. pag.* 279. evincatur, adeoque cuilibet obvium sit, quòd non, nisi mendaciis, Reformatorem conspuere & calumniari satagat: ipse verò, in quo Reformatorem falsò & nequiter carpit, valdè impingat, quatenus insalubria medicamenta, ex ipsâ calce vivâ paranda, tanquam ex magno experimentorum suorum cumulo, mundo obtrudere conatur. Ut igitur verè & meritò de ipso illud Plauti dici possit:

Ibo ad Medicum, atque ibi me toxico morti dabo.

Plures alios labores è calce vivâ aggressus sum, quos hîc recensere, nimis longum foret. Sufficiant hi pauci, è quibus palam fit, quòd calx viva sit destructivum deleterium, nec quicquam ex illo elici possit, quod generi humano, pro interno usu, salutare, & boni viri remedium esse possit. Caveamus igitur, & cautè medicamenta *novi Hippocratis* tractemus; quoniam mors in olla est: ne, pro speratâ morborum medelâ, mortem nobis acceleremus.

Præterea inquit *novus* noster *Hippocrates*, *pag.* 213. *lin.* 14. *quòd duodecim unciis Corallorum, post calcinationem, tres unciæ accesserint in pondere*: & *hoc augmentum nil aliud esse, nisi acidum ex flamma, quod Corallia dissolvit, & cum ipsis coagulatur & fixatur, acidorum more in salsum.* Hæc acida & insulsa mendacia iterum sunt. Quàm enim exactissimè pondus, cum calcinandorum, tum etiam perfectè jam reverberatorum, & in calcem conversorum corallorum observaverim; hoc augmentum nequaquam reperire potui; quin potiùs prioris ponderis haud exiguam diminutionem. Adeoque falsissima hæc assertio, de aciditate flammæ; quodque ex illa hoc augmentum ponderis fiat, per se ruit, ac ipsâ experientiâ refelli potest. Et quis hoc absurdum non rideat, si consideremus, quòd volatilis ille acidulus & aquosus lignorum spiritus, semel violentiâ ignis expulsus, statim in eodem igne violento reverberii continuato, vinculis & catenis quasi ferreis ligari se sinat, neque aufugiat, ac auras petat, antiquum Chaos repetendo; sed maneat in eodem igne, sesque insinuet in corallia igni tradita: quorum propria & connata tamen humiditas, quæ & ipsa acidula, conservari in igne nequeat, quin protinus expellatur. Sed audi, *Tacheni*, cur non sese insinuant hi lignorum spiritus, in quacunque destillatione, in lateres, & argillam, è quibus furni constructi, illosque continuò augmentant, ac grandiores, quotiescunque in illis destillatur, efficiunt, & vel totaliter tandem alcalizant? An non contrarium indiès experimur, quòd cuncta similia vi ignis leviora fiant, in pondere diminuantur, & exsucca in residuo maneant? Quis unquam tam stupidæ mentis, vel ejus audaciæ fuit, ut spiritum aliquem aquosum igne expelli simul & fixari, inque alcali solidamque compagem, imò in aliud planè esse, transsubstantiari posse statuerit? An non hæc phasmata sunt *Tacheniana*?

Quàm absurdum porrò sit, *quòd spiritus Vitrioli rubedinem Corallorum* (ex dicta Corallorum calce) *cum aceto extractam, tandem manifestum reddat*, *pag.* 213. & 214. id ex *Animadversionibus*, *super vulgaria magisteria* patet. Tædet, profectò, has imposturas multum terere. Indignæ enim sunt, quibus chartæ maculentur. Et si attentè consideremus marginale illud, *pag.* 114. nimirum: *Tinctura hæc est Rector vel Archeus, qui cum corallorum vita pari passu ambulat magnarum virtum, mori nesciens, neque in igne, ut in vino ostendi*: quis, quæso, non rideat toto splene? Cachinno non excipiat hoc fastuosum & hyperbolicum scribillandi genus? Quoniam nil salis, nil veritatis habet. Et his nugis absurdissimis tamen Reformatorem triumphasse, ac iterum vicisse; phanaticum nec non acidum, salsum non destruxisse, sat demonstrasse putat. Risum teneatis, Amici; & quisque in aurem *Tachenio* illud obmurmuret:

Sunt quidam stulti, quos gloria vexat inanis.

Quæ præterea, *pag.* 215. & 216. de calcinatione Antimonii adducit, ejusque floribus, Regulo, antimonio Diaphoretico, Præcipitato, fixatione sulphuris Antimonii cum proprio Regulo; illa pro majori parte falsissima sunt, eorumque absurditates quilibet expertus Chymicus ac Pharmacopœus deprehendet; ac unà etiam mirabitur, si contradictiones & impossibilia attentè observaverit; utpote: *Flores Antimonii ex Regulo in furnis vitriariis calcinatos aut reverberatos, auctos & fixatos, iterum in Regulum fundi posse, ejusdem quidem ponderis, quo erat antea,* scilicet Regulus, ante suam sublimationem in flores. Verùm quis quæso ignorat, quòd Regulus Antimonii, quocunque modo paratus, totus sit volatilis, deponat scorias toties, quoties funditur, seu igne liquatur: & quomodo ex floribus fixis & fixatis (observemus bene!) sine jacturâ pristini sui ponderis, iterum in Regulum fundi poterit? An non absurda sunt, & contradictiones? Si ex floribus fixis, aut fixatis, fusus est regulus; necessariò & Regulus deberet esse fixus. Sed hoc non est; nec ipse hoc asserit; quoniam omnis Regulus Antimonii flante folle volatilis est, & in auras pelli potest (ut loquuntur Germani, **verblasen werden.**) Ergo nec unum nec aliud est fixum, nec idem pondus Reguli ex sublimatis & fixatis floribus fundi potest: sed falsissima sunt & contradictoria.

Antimonium Diaphoreticum, cum sale Tartari præcipitatum, *pag.* 216. *lin* 11. calx mortua est, nullius virtutis aut efficaciæ; prout similes pulveres ferè omnes, ex contrariorum liquorum confusione præcipitati, exigui, & vel nullius momenti sunt; quod sæpius demonstratum, & ad oculum ostensum est; ubi de Magisteriis vulgari modo paratis, *in Animadv.* egi; quin & nunc magis, *in novo Opere*, comprobatur; ubi de Lacte sulphuris agitur. Ex quibus omnibus palam fit, & vel è solo Lacte sulphuris ipsa asserti veritas emergit; quod inutiles ferè & mortuæ calces sint, quæ ex rebus duris, ac solidis mineralibus (exceptis tamen fixioribus metallis) item corallis, margaritis, oculis cancrorum, & his similibus, acido spiritu, vel aceto solutis, cum suo acido contrario sale Tartari præcipitantur. Et sic, ad invidiam *Hippocratis novelli*, acida salsis (intellige purè salsis, sicut sal Tartari est) adeò contraria sunt, ut, ubi se mutuò attingunt, mutuò etiam non solù se destruant; verùm etiam, quæ de suprà recensitis rebus, corallis, perlis, sulphure, &c. ab alterutro sive salso, sive acido liquore soluta fuerunt, & iterum à contrario suo liquore præcipitata; illa vel totaliter, uti perlæ, corallia, &c. vel pro maximâ sui parte, uti sulphur, &c. unà veluti comburant & mortificent. Propterea experientiâ, & veris ac firmis rationibus suffultus, assero, contra *novum Hippocratem*, drachmam unam ritè & dextrè parati Antimonii sine præcipitatione, legitimè, *in n. Animadv.* descripti, plus valere, majoris virtutis alexipharm. ac, in propellendo sudore, efficaciæ fore, quàm unciam unam præcipitati Antimonii cum sale Tartari, *novelli Hippocratis.*

In fine hujus paragraphi denuò magnum quid crepat ac mollitur. Præter styli enim obscuram elegantiam, qui benè considerandus, ut nonnihil ab eodem erudiamur, *p.* 216. *lin.* 22. ait: *sulphur antimonii, quo alias cum nitro deflagrat, fixatur à proprio regulo, hic ab igne, in vasculo supra nominato adeoque perfectior erit.* Unum phasma, unumque absurdum, jungitur alteri. Regulus Antimonii, qui ipse non, nisi Antimonium est purificatum, idem sulphur combustibile continet, ut Antimonium crudum: volatilis, ut crudum Antim. ex eo Flores, Vitrum, Butyrum, Antimon. diaphoreticum, Cinnabaris, æquè, ac ex crudo Antimon. parari possunt, sed nonnihil puriora cuncta. Is, inquam, Regulus, naturâ suâ totus volatilis, quomodo sulphur Antimonii, quod aliàs, uti ait, in præparatione Antimonii cum nitro deflagrat, à fuga coërcere, & fixum reddere poterit: cùm unius ejusdemque naturæ sit, ac nullam, quoad fixitatem, sibi prærogativam, præ Antimonio crudo, aut ejus sulphure, vindicare possit? Tantis scatet absurditatibus *novus Hippocrates*, ut vix acidâ suâ flammâ purgari possit. Porrò; sic etiam ferrum non, nisi acidâ flammâ, in crocum adstringentem,

gentem, tuâ opinione & lege aphoristicâ, *Tacheni*, convertitur, qui à croco aperiente, aut à ferro ipso, quoad virtutes suas, non differat: à te sciscitor; utrum ex croco Martis adstringente, solâ reverberatione factâ, Mercurium Martis elicere tibi præsumas, qui aliàs, sed saltem ex auditu, & incertâ relatione, tam felix es in Mercuriis corporum seu metallorum eliciendis; licet nunquam hoc præstiteris? Quid mihi respondebis? Si affirmativè dixeris; manifestam tibi oppono impossibilitatem: & peto abs te hujus asserti effectum; quem vitâ tuâ præstare non poteris: quoniam crocus Martis adstringens solâ reverberatione paratus, est, respectu sui pristini corporis, ferri scilicet non calcinati, veluti caput mortuum, suo Mercurio violentiâ ignis totaliter privatum. Hinc virtus adstrictiva hujus Croci, vel à solo sulphure fixo ferri provenit, adeoque, ut repetam, crocus hic adstringens, respectu ferri, simplex corpus est, maximè diversum à croco aperiente, levi calcinatione ex Vitriolo ferri, vel aliâ ejus solutione, parato; qui respectu croci Martis adstringentis perfectum corpus est, tribus suis principiis adhuc gaudens, ex quo Mercurius arte, tanquam ex ferro ipso, elici potest. Si verò pro veritate responderis, ut virum probum & veracem decet; nimirum, quòd non elici possit Mercurius ex croco adstringente; eo ipso es convictus propriâ confessione, & cadit inane tuum commentum ac doctrina, de aciditate flammæ: Doctissimorum verò Medicorum & Chymicorum, D. D. item Augustanorum, tum & Reformatoris assertio, quòd haud exigua sit differentia inter crocum Martis aperientem & adstringentem, firmo stat talo, immotaque manebit, invito *Hippocrate novello*; crepent licet ilia. Plura, quæ de utroque croco Martis, aperiente & adstringente, scitu necessaria sunt; illa & veritati & experientiæ consona magis, quàm *novelli Hippocratis* acida & ridicula flamma, reperientur *in Animadv. n. pag.463.* Et sic, multis in hoc 27. Capitulo relictis, quæ indigna sunt, ut moram in illis ventilandis traham, descendo ad Capitulum sequens, in quo, ut minuti canes, & degeneres, hospites allatrant; feras non tangunt: sic Cynicus hic, nec Reformatori, nec Medicæ Facultati ulli omnino parcendo, acerbissimis conviciis obgannit; prout per discursum manifestum reddam.

CAPITULUM XXVIII.

Inscribitur:

Præcipitationis modos & necessitates indicat.

Textus hîc sequitur integer, ut plebejam hujus hominis scurrilitatem tanto penitius Scholæ intueantur: & talis est, *pag.217.*

Ferri proprietates & actiones, quas & quomodo eas perficit in humano corpore, multa sunt opiniones, apud scriptores, quorum Catalogum recenset Sennertus (a) *pauci verò rem tetigerunt, propter Hippocraticæ doctrinæ inscitiam: dicam autem quomodo adstringat, vel quomodo laxet.*

Ferrum adstringit manifestè, ideoque stomachum & vicinia quæque roborat: Convenit itaque in Dysenteria, lienteria, diarrhœa, omnibusque morbis laxis & dissolutis, &c. Quibus reclamare audio: quod ferrea medicamenta mulierum menses promovent, restaurantque jecinoris & lienis defectus, adeoque hinc potius laxare, quam adstringere. Respondeo, non ut medicus ille canonicus, qui lapides cancrorum minerale, & ob id naturæ inimicum proclamabat; Sed ex naturæ operibus, quibus demonstravi ex Hippocrat. (b) *hæc Ex divina necessitate sic evenire debere: in nobis nimirum, non rarò oberrare, sal quoddam resolutum, cujus generationem, supra, suo loco ostendi, ex acido & alcali, invicem minus concordante compositum, atque*

a Lib. 3. p. 2. sect. 2. c. 7.

b Lib. 1. de diæta.

diaphareſi & tranſpirationi ineptum, illud propter ſaporum inæqualitatem, medicamentis purgantibus non auſcultat, ut docet experientia, voca hoc ut voles, humorem plane excrementitium, vel in prima, vel in ultima corporis regione exiſtentem, cujus ſive uterus, hepar, lien, renes, pancreas, meſentereum, vel ſtomachus ſit generator idem nunc eſt. Sumpto itaque ferro, quod ut mechanice oſtendi facilime acida omnia combibit, illico, ſal iſtud nocivum liquidum, vel humor excrementitius, ad ferrum præceps ruit, eique adhæret, ut illud diſſolvat, adeoque excrementum iſtud ſalinum, juxta ſaporis ſpeciem, dum ferro adhæret, illudque rodit, coagulatur (ſicut vidimus cum acido vitrioli veris in vitriolum, cum acido vini in rubiginem (a). *Sic quoque in cupro evenit; iſtud, ſi acetum rodit, fit ærugo; Si idem cuprum rodit ſpiritus vitrioli fit vitriolum veneris: hic quoque quadrat, quæ ſupra de alcalibus & acidis oculariter demonſtravi) cum autem in alimentum non poteſt aſſumi, ideoque cum ferro ſoluto* (b) *ſub nigro colore foras ejicitur; qui color oritur, cum acidus ſal, ferrum rodit, ac alcali, illud in colcotar præcipitat, ut ſuo loco ſupra oſtendi.*

a Fitque tinctura martis reformatoris in appendice fol. 83

b Diaphragma non aſcendit.

Cum vero ferrum, in acido, ſtomacho tamen grato liquore diſſolutum (c) *potatur: abſumptis, & penitus admiſſis iiſdem liquoribus, ferrum mox, ut dixi alimoniæ ineptum, ab acido ſeparatur (alcali virtute) à commiſto: in qua ſegregatione, confluunt dicti ſales, vel humores ad ferrum: & illi adhærent: ſicut vidimus, argento evenire, in aqua forti ſoluto; in hanc ſolutionem, ſi cupri lamellæ injiciuntur, tum ſtatim, aciditas aquæ fortis deſerit argentum, & rodit cuprum, argentumque cupro adhæret, ut putris compactus. Rurſus in illud ſolutum jam à cupro virideſcens, mitte lamellam ferri, & aqua confeſtim cuprum deponit, & rodit ferrum, cuprumque ferro adhæret (dum aqua vitriolata Goslariæ, rodit ferrum, tunc cadit cuprum ex aqua in ferri locum, quod vitriolum, continebat immaturum; hic pulvis rubeus, igne fuſus in cuprum evadit, hanc præcipitationem, multi docti viri (non tamen in Hippocratica doctrina) transmutationem ferri in cuprum crediderunt.) Ità in humano corpore contingere mechanica ratio, & neceſſitas dictitat, præſertim cum natura in omni re, ſimilis exiſtat: ut loquitur ſenex. Niſi enim excrementitius humor, cujuſdam ſemi-acidæ naturæ, & ſaporis eſſet, ferrum in corpore non diſſolveretur, in viride vel nigrum liquamen, ut quotidiè oculis intuemur, ut etiam ſuo loco oſtendi: Et niſi excrementa ità tingantur; jam ferrum inconſideratè propinatur; non enim reperit humorem idoneum, qui illud ſolvat, tunc ſane ferrum adſtringit, licet reformatoris crocus martis apertens aſſumptus per os fuiſſet. Idem intelligendum eſt, de acidis ſpiritibus, ut vitrioli, ſulphuris, vitri, & ſalis, hi, niſi reperiant alcali errans, in corpore humano, à vitalitate proſcriptum, & ob id morboſum, quod acidos ſpiritus in ſe recipiat; tum plus nocent quam proſunt: nimietate enim tunc, proximum ſtomachi alimentum, ſua aciditate inficiunt, & alendo ineptum reddunt. Medicus amicus Romæ Anno C. 1656. peſtis tempore, præſervandi gratia uſus fuit, ſpiritu ſulphuris, in copia, hic artriticus* (d) *evaſit, qui poſtmodum alcali animalium reſtitutus, ut de podagra alibi oſtendi; Alcali enim combibit acidum errans in corpus diſperſum, quod ventriculis manifeſtè acida non aſſuetis, dolorem & morbum excitabat: docente id Hippocrate* (e) *acidos cibos, ſi quis citrà delectum, ac inconſideratè exhibeat, nihil commodi perficient.*

c Ut in acidulis patet.

Non loquor illi, qui in vita nil, niſi olidum ſtercus inſpexit.

Acidorum uſus & abuſus.

d Artritis remedium in alcalibus.

e De medic. purgantibus.

Hoc præcipitationis fundamento, factus eſt clavus eſt aureus Magni Ducis, quem Ferdinandus Primus, P.M. hoc teſtimonio, quod cum clavo Florentiæ ſpectatur, ornavit.

D. Leonardus Turneiſſer, clavum ferreum, me præſente ac vidente igne calefacto, ac oleo immiſſo in aurum convertit. Romæ die 20 Novemb. poſt prandium.

Clavus aureus.

Hujuſmodi clavos, aliquoties ludendo, propria manu paravimus, qui vero metalla tractant vulgari modo, illis videtur impoſſibilis ferri & auri conglutinatio, adeoque credunt pro certò, hunc clavum verè ex ferro in aurum tranſmutatum eſſe, hujus opinionis cauſam con-

confirmat, quod aurum ferro non adhæret, imo aurum liquatum, illud, in momento corrodit & in rubiginem vertit (a) *Connectitur autem aurum ferro, per præcipitationis medium, ut dixi, nimirum eo fundamento, quo ferrum cuprum præcipitat. Seca igitur clavum ferreum in duas partes, extremitatem humecta, saltem cum saliva, & statim tange hanc partem cum vitriolo cupreo, & in ipso puncto, ferri extremitas rubescit; & jam acquisivit cupri naturam,* (b) *cupro autem, aurum facillimè associatur: adeoque huic cupreo ferro, adapta cuspidem, factam ex auro, cumque borrace, & aurea solidatura (quæ fit ex cuprea monetam* (c) *satius est parum argenti & auri ad oculum liquati) in carbonum commodo igne more solito colliquato, & habebis clavum aureum tanta fama. Hunc Turneiserus tinxit ferrugine, qua cum aurum abscondit ac Magno principi (sine dubio) manibus tractandum obtulit, qui ita larvatus, à peritissimo quocunque ferrum judicabatur, quem igne calefecit, ac in oleum quoddam (ut ait testimonium) intinxit, abluitque ferruginem, & aurum apparuit. En artificium, si artificii nomine dignum.*

a *Sicut sulphur commune; Sic aurum, ferrum in rubiginem convertit.*

b *Impossibile est transitus de extremo ad extremum in fine medio Teste philos. 6. physicorum.*

c *Auri gluten.*

Sed redeamus ad ferrum, quod assumptum per os, liberat ab obstructionibus, à supra dicto excremento obortis, & aperit per accidens, absorpto scilicet coagulatore acido errante, & à natura proscripto, non tamen quod per se, proinde desinat esse constrictivum: aperit ergo potestate specifica & appropriata, constringit verò qualitate secunda.

Ferrum aperit & constringit.

Hæc non tam mihi debentur nequitiarum primitiæ, quam Vobis, Inclyta Medicorum Collegia, quibus & Vobis suam affricat petulantiam *Tachenius*; & cùm Hippocratici & Methodici sitis, nequitioso sarcasmo Canonicos Vos appellitat, & Hippocratis ignaros. Sed quò impudentia non assurgit? Imperium sibi fingit in Legem & Regem, in Chorum & Forum; undique & latè populatur. Sed veniamus ad probam, *Tacheni. Ferrum adstringit manifestè.* Et quâ ratione demonstras? *Ideoque stomachum & vicinia quæque roborat: Convenit itaque in Dysenteria, lienteria, &c. pag.* 217. Elenchumne conspicis, *indoctum caput*, & *insulsè Dialecticè?* Estne hoc rem demonstrare, & Philosophicè probare? Nonne hæc est Petitio principii? Nam supposito, quòd ferrum adstringat; tunc verissimæ sunt sequelæ, quòd ventriculum roboret; quòd dysenteriæ & lienteriæ conducat. Sed ex malo supposito hæc infers; nondum probatâ primâ thesi. Igitur: *Ferrum adstringit manifestè:* mentiris; & manifestè quidem. Tu Hippocratem non intelligis; sed Canonici. Ubi unquam divinus Senex probavit, ferrum adstringere, *lib.* 1. de diæta, ex causali hâc, nimirum: *Ex divina necessitate sic evenire debere*; prout *pag.* 218. *lin.* 10. citas? Profectò, sicut ex notitia parandi Emplastrum Triapharmacum totam Chymiam superiùs complexus es; ita hoc axiomate omnes ex Physicis proscribis difficultates, dum, omnia *necessitate divinâ sic evenire debere*, statuis: & nos defendere pro ratione possemus. O stolidum pecus, quid iterum balas? Dico itaque, ex mente doctissimorum Medicorum, & Catalogo, à Sennerto recensito: Ferrum manifestè non adstringit. Probo autoritate tui Helmontii, *Paradoxo quinto, paragr.* 12. *pag.* 443. Ferrum *aperit, inquam, potestate specificâ, & appropriatâ, constringit verò qualitate secunda.* Quod est dicere: ex essentia laxat, & per accidens, non manifestè, adstringit. Miror itaque quod tam alto silentio prætereris, neque ullam mentionem in hoc capitulo feceris Helmontii; è quo iterum hanc doctrinam suffuratus es, pauculis mutatis; illud nimirum: *oberrare sal quoddam resolutum in nobis, quod, propter saporum inæqualitatem, medicamentis purgantibus non auscultat.* Hæc tamen Helmontius verbotenus dicit, *supracitato loco, paragr.* 10. *Epoto itaque stomomate*, id est chalybe, vel ferro, *pulveretenus, quam primum istud sal nocuum (quod purgantium mandatis non auscultat) ad ferrum præceps accurrit, eique adhæret, ut dissolvat, &c.* Tu verò, *Tacheni*, infra, hæc eadem verba furatus es clariùs, *pag.* 218. *lin. antepenult.* ubi ais: *sumpto itaque ferro, quod ut mechanicè ostendi facillimè acida omnia combibit, illico, sal istud nocivum liquidum, vel humor excrementitius, ad ferrum præceps ruit, eique*

adhæret, ut illud dissolvat, &c. Consule Helmontium, Amice Lector, & totam hanc doctrinam iterum ibi reperies. Sic, mi Hypocrita,

ex furtis doctus quilibet esse potest.

Hem! quàm cornicula iterum cespitat? Quàm nuda est, repetente Helmontio plumarum fucum? Et probo ulteriùs, quòd ferrum per se, primariò, ac manifestè, non adstringat. Inprimis experientiâ constat, & quotidie explorare possumus, ferrum, ut ferrum, per se, sive crudè assumptum, subtilissimè nimirum raspatum, sive in vitriolum, sive tincturam, aut crocum aperientem conversum, alvum laxare, vitriolum vomitus ciere largiter assumptum, deobstruere, menses & obstructiones hypochondriorum reserare; & hæc immediatè ac per se: per accidens verò, & mediante calcinatione, seu reverberatione, in crocum siccum adstringentem redactum; seu etiam scorias ferri, adstringere, & priori contrarias operationes edere. Ferri crudi, subtiliter saltem limati, usus in Medicinâ rarus est. Sunt tamen, qui illud intra corpus crudè assumunt, & haud exiguum exinde emolumentum, in morbis diuturnis hypochondriacis, & obstructionibus viscerum naturalium aperiendis, experiuntur. Causa est, quòd ab acido fermento, lienis ventriculo inspirato, illud solvatur, & in actum deducatur; eodem ferè modo, ac si extra corpus acido aliquo spiritu, vel liquore, solveretur, aptumque sic Medico usui redderetur. Laxare alvum ferrum, ciereque vomitus; id probatur manifestis ejusdem operationibus. Si enim ejus vitriolum in paulò largiori quantitate assumatur; tunc excedit suâ resolvente & aperiente virtute, ac corpus humanum sursum deorsumque commovere potens est. Ita etiam experimur à crudo, subtiliter saltem limato, ferro. Illud enim, intra corpus sumptum, nullo modo alvum constipat aut adstringit; quin alvum laxet, & excrementa, nigro colore tincta, per guttur inferius exturbet. Nigredo verò chalybi, aut ferro, communis est, quippe cujus, quotiescunque solvitur spiritu aliquo acido, sive Vitrioli, Nitri, &c. magna pars in scorias & liquamen nigerrimum convertitur. *Stomachum* verò *& vicina quæque roborare: Convenire in Dysenteria, lienteria, diarrhœa, omnibusque morbis laxis & dissolutis:* uti asserit porro, *pag. 217. lin. 22.* simpliciter, ac sine distinctione, admittendum non est. Etenim si crudum & limatum ferrum, vel etiam simpliciter præparatum, & in crocum aperientem conversum, stomacho injiciatur, in affectibus supradictis; illud reverà ventriculum aggravat, & debilitat; præsertim larga ejus copia: ita, ut necessum sit, roborantibus medicamentis ventriculo prospicere, ac talia tandem exhibere desuper, quæ illud propellant & exturbent; ne propter gravedinem, & scoriarum residuam cruditatem, ventriculi chylificationem impediat, vel majora inducat mala; deficiente præsertim fermento acido lienis; quod illud subigere, aut in actum deducere haud valeat; adeoque in ventriculo hærens, nullo modo vi adstringente, sed gravedine aut pondere suo, ut & cruditate, stomachum officit, & concoctionem turbat, ac impedit. Si quod emolumentum in dysenteriâ, diarrhœâ, &c. à ferro crudo, aut simpliciter præparato, sperandum; illud reverà non ratione virtutis ipsius manifestè adstringentis fit, sed quatenus humor acris, acidus, & mordax intestina obsedit, eaque continuò vellicat & exulcerat. Huic verò humori absumendo, & mortificando, tale est objiciendum medicamentum, in quod ille tyrannidem suam exercere, &, tanquam lupus, illo satiari possit. In quem finem ferrum, ejusque simpliciter paratus pulvis, nec non oculi cancrorum, corallia, margaritæ, vel simplices etiam silices, ignem non concipientes, ferro attriti, aut lapis molliusculus, quem pro Ludo Helmontii nonnulli habent, corpori ingesta, per accidens medelam præstare possunt: quatenus nimirum humores acres & mordaces, intestina vellicantes & exulcerantes, in prædictos lapides se potius insinuant, potenter agunt, & agendo repatiuntur, ab acredine & mordacitate immutantur, & veluti dulcificantur: quo tum humore acri saturato, intestina consequenter ab eo liberantur, & per accidens horum morborum medela subsequitur: atque tali modo non adstringente virtute ferrum, & reliqua supradicta, agunt,

agunt, sistendo diarrhœam, dysenteriam, aut alios immoderatos fluxus; sed alio diverso modo; auferendo nimirum causam: quâ ablatâ tollitur effectus; scilicet erosio & exulceratio intestinorum. Hanc sententiam ipse tuetur *novellus Hippocrates, pag.* 218. immemor prioris sententiæ suæ, quòd ferrum manifestè, id est, per se, adstringat, ubi ait, *lin. penultima: Ferrum sumptum acida omnia combibit, illico, sal istud nocivum liquidum, vel humor excrementitius, ad ferrum praceps ruit, eique adharet, ut illud dissolvat, &c.* Sic non immeritò reclamare audit, *pag.* 217. *lin. penult. quod ferrea medicamenta mulierum menses promovent, restaurantque jecinoris & lienis defectus, adeoque hinc potius laxare, quam adstringere.* Rectè & verè audivisti reclamare. Sed quid respondes *novelle Hippocrates? Non ut medicus canonicus*, iterum inquis, *qui lapides cancrorum minerale, & ob id natura inimicum proclamabat; sed ex natura operibus, quibus demonstravi ex Hippoc. lib 1. de diata: hac ex divina necessitate sic evenire debere.* Eja! Quid iterum lascivis? Fortè ex divina necessitate? An ab ultima Thule hoc figmentum & decumanum mendacium citasti? *Quis fuit ille Medicus Canonicus, qui lapides cancrorum minerale, & ob id natura inimicum proclamavit?* Profectò, si tuas nugas severiùs examinemus; paria, aut ridenda magis, divulgasti. Sed hic plura non addo: repete ex superioribus ea, quæ de juventutis delictis ex Timplero adduxi; & Pavo, arbitror, caudam demittet, & aures Midam humiliabunt. At verò cùm ex Helmontio, *supra citato loco*, hanc tuam, de sale nocuo, & ferro assumpto, descripseris doctrinam, & propriâ industria & Marte obscuraveris; videamus, quâ ratione illam defendere valeas. *Oberrat*, inquis, *sal quoddam resolutum, ex acido & alcali, invicem minus concordante compositum, &c.* Helmontium ego probè assequor: sed responde mihi, *novelle Hippocrates*: quid est illud *ex acido & alcali minus concordante compositum, quod diaphoresi & transpirationi ineptum, & quod propter saporum inaqualitatem, medicamentis purgantibus non auscultat?* Si est *humor planè excrementitius*, uti iterum ais, lin. 23. *vel in prima vel in ultima corporis regione* (cur non etiam in secunda) *existens, cujus sive uterus, hepar, lien, renes, pancreas, mesenterium, vel stomachus sit generator* (cur non genitor?) *idem nunc est, &c.* Proh! quanta doctrina, *novissime Hippocrates!* Ad quid tot nugacia verba? Vitiatum lienis fermentum, aliosque in corpore excrementitios humores, novo & peregrino etymo obvelare? *Esse ex acido & alcali minus concordante compositum?* Gustastine, ac pondere & mensura trutinasti *illud compositum minus concordans*: quodnam alterum ex alterutro superet, aut acidum salsum, vel salsum acidum? Cur est *ineptum diaphoresi & transpirationi hoc minus concordans compositum*? Et cur *medicamentis non auscultat purgantibus propter saporum inaqualitatem?* Et quæ est illa saporum inæqualitas? Et quare humor excrementitius aliquis in tertia corporis regione oberrans *ineptus sit diaphoresi & transpirationi*? Per quam igitur viam, per quos ductus, debet evacuari? An ferrum fortè retrahat istum humorem, vi suâ adstrictivâ, ad primam corporis regionem: & an secum retineat; Si *diaphoresi & transpirationi ineptus, pag.* 218. *lin.* 18. erit igitur maximè crassus & viscosus: si crassus & viscosus; quomodo *ad ferrum tam praceps ruet: pag.* 119. *lin.* 3. per omnes corporis partes, per digestiones sive regiones, retro gradu motu ad primam corporis regionem: *si ferrum diaphragma non ascendit, pag.* 219. *in margine*? Iterum scire aveo, & mecum plures doctissimi Viri novissimâ hâc doctrinâ *Hippocraticâ* erudiri cupiunt; cur talis humor excrementitius *propter saporum inaqualitatem medicamentis purgantibus non auscultet*? Annon varii odoris fercula tibi quandoque fuerunt oblata; quæ tamen purgantibus medicamentis auscultârunt? Num & illa non habent *saporum inaqualitatem*? An solùm acida; an purè salsa sunt; vel ex utroque sapore inæqualiter mixta? Dic nobis hæc, *Tacheni*, si adeò exquisitum habes gustum, quo omnes corporis humani excrementitios humores discernere vales; an in salsedine, vel aciditate solùm excedant. Et si *propter saporum inaqua-*

lita-

litatem ex alcali & acido minus concordans compositum purgantibus non auscultat; quo modo igitur dignoscendum sapore, vel odore, ne frustra illud expurgare tentemus, & fortè noceamus? Quomodo illud devincendum denique; si neque *per diaphæresin, & insensibilem transpirationem*, nec etiam *per purgantia*, exturbari potest? Summa: mille absurditates; quibus accedant ejus contradictiones; quæ evidenter ex prolatis textibus conspiciuntur. Propterea ipsamet *Tachenii* authoritate asserere & concludere possum: *Ferrum* non *manifestè adstringere*, neque *stomachum roborare*; verum habere illud vim resolvendi, deobstruendi, & laxandi, ipsumque ventriculum aggravandi. Adducum adhuc doctissimorum Virorum authoritates, & unanimem consensum: inter plures, Doctiss. Cæsium, & Mylium, de Mineralibus, *lib.* 5. *part.* 2. *cap.* 5. dicentes: *Ferrum extenuat, & sicca resolvit.* Et si quandoque contingat, ut roboret aut adstringat; quod notârunt iidem Authores; Doctissimus item Wormius, *in suo Musæo, pag.* 123. id, profectò, non ex simplici ferro est, sed illud, pro diversitate suæ præparationis, diversos & contrarios habet effectus; uti doctissimè scribit prædictus Wormius, *loco supra citato*: nimirum: Ferrum *in Medicinâ etiam usûs suos habet. Nam candens ferrum, lacte restinctum, diarrhæam sistit; vino, aut cerevisiâ, eandem concitat. Squamma ejus exsiccat: unde calceis imposita, fœtorem eorundem abigit. Ex scoriis balnea conficiuntur, quæ vim habent adstringendi, incrassandi, menses superfluos sistendi, articulos roborandi, vomitum & diarrhæam curandi, tumores œdematosos resolvendi. Chymici, in eosdem usus, ex eo crocum conficiunt, & oleum. Sed hîc in præparatione multum situm est. Crocus enim, solâ calcinatione præparatus* (arrige aures, *Tacheni*) *adstringit validè, & hæmorrhagias sistit; sed cum sulphure, aperit obstructiones, & vitiis lienis medetur.* Ex his mea, & omnium doctissimorum Virorum, confirmatur sententia; quòd ferrum operetur juxta diversas sui præparationes: per se verò nunquam adstringat; saltem ejus scoriæ; quæ veluti recrementa ferri sunt, suo humido radicali, id est, suo Mercurio, privatæ. Sicut etiam crocus Martis adstringens, humido suo, id est Mercurio, privatus, longè alias & diversas, à ferro, seu chalybe simplici, ejusque croco aperiente, effectus habet; testibus doctissimis Viris & Chymicis; nullo excepto; solo refragante *novello Hippocrate*, ac *novissimo Legislatore.*

Aquam Chalybeatam, seu lac chalybeatum, in quo nimirum ferrum candens sæpius restinctum fuit, diarrhæam sistere, & operationes ferro, ut ferro, contrarias edere, ac vim habere roborandi, juxta Doctiss. Worm. Cæs. & Mylium; *locis supra citatis*, eâdem de causa, ratione nimirum diversæ præparationis, & liquoris extinguentis, contingunt. In qualibet enim ignitione, & restinctione, ferri cum lacte, aut aquâ, decedunt subtilissimæ scoriæ; quæ liquori huic extinguenti communicantur; & ab his virtus adstrictiva promanat; non à ferro, ut ferro, sed à ferri scoriis. Propterea si in vino restinguatur ferrum candefactum, contrarios statim habet effectus; quoniam vinum suâ acredine, & tartaro, ferri subtiles solvit particulas: ideoque naturales ferri vires atque virtutes vinum hoc æmulatur, contrarias scoriis, & ferro calcinato, seu croco ejus adstringenti.

Quàm autem ridiculas paritates ac similitudines, *pag.* 220. afferat, de humorum in corpore restagnatione, & magnetismo, seu affluxu, ad ferrum; nemo sanæ mentis est, qui non rideat, ac eas explodat. Negatur tibi paritas, *stolide Philosophe.* Nam alia est analogia mineralis ad minerale; alia est humoris corrupti ad ferrum. Illa fiunt à formarum, ac totius concreti, dispositione, juxta quam in se mutuò agunt & reagunt: hæc ex accidenti; quatenus scilicet ferri aut chalybis particulæ assumptæ, aut in liquore solutæ, per minima corporis nostri admissæ, ea secum deducunt, & exitum iis parant, quæ sibi infensa hactenus natura sensit, strenua cooperatrix. Et si similitudo tua non claudicaret, requireretur in humano corpore & Auri, & Argenti, & Cupri, & Martis, & quidquid fodinæ generant, omnium denique mi-

neralium

neralium apparatus. Tantum enim probant tuæ ſimilitudines. Lege plura, efficaciaque, ex tuo Helmontio, *de Spadanis*: unde tuam inſcitiam moderaberis. Quanquam, ſi penitiùs hæc intueamini, non ad Chymicos ejuſmodi præcipitationes pertinent. Teutonicè **Fellungen**/ ſed ad Aurifabros, è quorum tribu jam olim fuit *Tachenius*; & ad eos illum iterum ablego. Quod autem *in Marginali* ſcribis; *Te non loqui illo, qui in vita nil, niſi olidum ſtercus inſpexit*: *pag.* 220. arrogans iterum petulantia eſt, & ſpurciſſimi oris tui colluvies. An noſti, quæ illa gens ſit, quæ ad primam Medici ſalutem olidi ſtercoris reliquias & proventus reddit? Nos in Germania modeſtiùs tractamur. Quin imò novi optimè, quòd olim tu Patavii, quòd nunc indeſinenter Venetiis, olidum ſtercus quotidie ſcruteris, ac ſpeculando totus defixus hæreas. Sic mos; ſic ibi Medentum avita fert conſuetudo. Rem ego hanc paucis declarabo. Legit ſimia noſtra, ac doctorum Virorum umbra, *Tachenius*, ex Helmontio, cui, profectò, illud *Tachenio* minimè debitum elogium condignè attribuere poſſumus; quòd nova, quòd occulta, quod inaudita docuerit; legit, inquam, ex hoc Viro; quod & ipſe, *Tit. Promiſſa Authoris: Tit. Studia Authoris: Tit Venatio ſcientiarum*: & alibi, Medicos ſui temporis duriùs nonnihil examinârit; &, ecce! ad normam tanti Viri, incultus, indoctus, inhumanus *Tachenius*, ſimia Hippocratis, doctorum Virorum paraſita, quorum repotia undique collegit, ut ii faciunt, qui ex multis centonibus forum ſcrutarium erigunt, hic homuncio vult Scholis inſultare, Medicos, ac Viros Celeberrimos Europæ citra diſcrimen ſugillare, &, quos antè ſarcaſticè Canonicos dixit, nunc, feſtivo ſcommate, *nil niſi olidum ſtercus noſſe ac ſcrutari, aſſerit*. Neſcio quâ maximè ratione fœtidam hanc temeritatem caſtigabimus. Meo conſilio vindicias has Xantippæ cuidam deferemus, quæ injurias à marito ſibi illatas ulta eſt, dum caput ejus, ad ædium fores recumbentis, matulâ perfudit; digno tam illoto Humoriſtâ lixivio. Reliqua; de eroſione ferri in Aquis & Fontibus Goſlariæ Vitriolatis, uti etiam in Hungaria, in cujus vicem ſubſtituitur cuprum, abſque tranſmutatione ferri injecti, &c. hæc, inquam, omnia trita ſunt, & exoleta apud Viros doctos. Si quid rari, & ex fundamento deductum, hâc ſuper re ediſcere cupis; lege Agricolam, & recentiſſimum P. Athanaſium Kircherum, in Mundo ſubterraneo; & videbis, quòd ne Tiro quidem ſis, ſi cum talibus in comparationem veneris. Ulteriùs; obſervate hominis præſumptionem, dum, *p.* 220. *lin.* 23. ſcribit: *Hanc præcipitationem multi docti Viri (non tamen in Hippocratica doctrina) tranſmutationem ferri in cuprum crediderunt.* Crediderunt naturalem metamorphoſim *Tachenii* in Aſinum. Apage! Cenſor Doctorum Virorum: quid inter doctos amuſus? Quid inter Hippocraticos Hypocrita confides? *Et niſi excrementa ita tingantur; jam ferrum inconſideratè propinatur; non enim reperit humorem idoneum, qui illud ſolvat, tunc ſanè ferrum adſtringit, licet reformatoris crocus martis aperiens aſſumptus per os fuiſſet, &c. pag.* 221. *lin.* 8. Quàm inſulſa methodus! Bene vel malè chalybeata propinari judicat à qualitate excrementorum; quorum tamen excretio non, niſi poſt aſſumptum ferrum, accidit. Ergo vides, quòd falsè ſuperiùs docueris, *p.* 217. *lin.* 21. *Ferrum adſtringit manifeſtè, ideoque ſtomachum & vicinia quæque roborat.* Sed dicere debebas: ferrum adſtringit tunc, quando inconſideratè propinatur; uti hîc dicis; & quando non reperit humorem, qui illud ſolvat; cæterùm manifeſtis qualitatibus aperit & laxat. Sic Dogmatici & Canonici loquuntur. Vides, quòd ad noſtra caſtra quandoque diffugias, urgentibus te mendaciis, & diverticula quæras. Libenter te ſuſcipimus: ô utinam tandem ſaperes! Cæterùm miror, cur te tam arctè ſtringat Reformatoris crocus Martis adſtringens & aperiens? Quid culpas? Conſilium ſuppeto: meliora docceto, *novelle Hippocrates.* Hoc tibi promitto; quòd crocus Martis noſter adſtringens optimus erit, ſi non invenerit humorem, qui illum ſolvat: & crocus Martis noſter aperiet, ſi talem humorem ſolventem offenderit. O ſtupidum dogma! Quaſi croci Martis & aperientis & adſtringentis una eademque ſit in-

 doles,

doles, natura, & præparatio: cujus exhibitio & judicatio à stercorum tinctura desumenda! Nec tam inania garriunt, profectò, ad colum anus. Judicent viri docti, & meas consulant Animadversiones.

Medicus Romanus ex usu spiritus sulphuris arthriticus factus est. Dato hîc; non concesso; quòd Arthritis (quæ à salso aliàs etiam causatur) hîc indebito acore stomacho ingesto, ac roridum alimentum, & semen crudum, assimilandis ossibus destinatum, afficiente causata fuerit: quid sequitur? *Postmodum alcali animalium restitutus.* Ergo sale Viperarum *Tachenii.* Negatur consequentia. Nam sal Vipereus tuus non est alcali: sed est sal acido-salsus; uti superiùs tibi per longum demonstravi. Ergo salia volatilia animalium sunt specifica arthritidis remedia; uti asseris *pag.* 131; uti etiam sal Tartari. Hæc consequentia vera est. Nam hæc salia sunt verè contraria acidis, priusquam acido aliquo saturentur. Ubi verò acido aliquo saturantur & turgent, prout sal tuus Viperarum: jam alterius sunt indolis & monarchiæ; nec acidis ultrà contrariantur: prout videre est in sale communi & naturali, nec non Tartaro Vitriolato artificiato. Interim spero, *Tacheni*, quòd post tot iteratas lectiones & repetitiones, salium perfectum discrimen didiceris, & naturam. Gratulor proinde, quòd tam prosperè curam absolveris in arthritico Medico Romano: quòd te, tanquam novum Numen, adorent Medici Romani; & ad *Tachenium*, tanquam ad Oraculum Delphicum, confugiant. An non advertis ipse, quàm argutè honorem Doctissimis Viris & Medicis clanculum detrahere, & tibi omnem scientiam arrogare nitaris? Quasi verò totus orbis, & ipsi doctissimi Medici Romani, ad hoc Oraculum confluerent Clientes; ac nullus unquam arthritide vagâ laborasset, nisi à copiosè sumpto spiritu Sulphuris inductâ; nec quisquam ab illa liberatus, nisi per salem Viperinum *Tachenii.* Accurrite igitur, gentes, ad hoc remedium, & ejus decoctorem. Miror tamen, quòd in tui commendationem plura non attuleris experimenta Romana; cur non eminentissimam curam toti urbi notissimi Cardinalis subjunxeris: per quem Sal tuus Viperinus novum meruit diploma. Sed felix *Tachenius*, cujus successus prosperos demulcet Phœbus; sinistros terra sepelit. Tandem advertite, quæso, methodum curæ arthritidis vagæ, & quâ authoritate eam confirmet, *pag.* 222. *lin.* 3. *Alcali enim combibit acidum errans in corpus dispersum, quod ventriculus manifestè acida non assuetus* (constructio Tacheniana: Ventriculis manifestè acida non assuetis) *dolorem & morbum excitabat: docente id Hippocrate, de Medic. purgantibus: acidos cibos, si quis citra delectum, ac inconsideratè exhibeat, nihil commodi perficient.* Miremini doctam applicationem & explicationem Hippocraticam!

Ulteriùs notanda venit apta connexio hujus curæ, cum sequente historia, de Clavo aureo, qui Florentiæ conspicitur: ubi inquit, *pag.* 222. *lin.* 12. *Hoc præcipitationis fundamento, factus est clavus aureus Magni Ducis, quem Ferdinandus Primus, P. M. hoc testimonio, quod cum clavo Florentiæ spectatur, ornavit, &c.* Verùm cui nunc, *Tacheni*, potiori jure fidem tribuam? An, piæ memoriæ, *Ferdinando Magno Duci Hetruriæ*, justo & veracissimo Principi; qui de vera clavi in aurum transmutatione testimonium (vel tuo suffragio etiam) edidit? An tibi, *Hippocrates*; qui hactenus innocuam veritatem tam malè tractasti? Calculum meum Magno Duci reddo, & te mentiri puto; neque credo, tantis, tamque expertis, Principibus, à tuæ farinæ hominibus, tam levi negotio imponi posse, quin intelligant, ac manibus palpent; quid sit auri cum ferro conglutinatio; quid sit, clavum aureum ferrugine tingere, ac mox oleo (ut ais) quodam ablutum in aurum transmutare; & quid metallorum transmutatio. Vides, quàm procax sis, temerariè judicando? Non omnes conficiunt *molliculos caseos*; illud *corculum Tachenii*, tot fraudibus, quot casei vermiculis & tineis, scatens. Interim, quidquid contra Principes & Medicos reboës & vocifereris, nobis non persuaseris; omnem metallorum transmutationem imposturam esse. Imò tibimetipsi adversaris tractatu tuo de alcalibus; in quo magnifica profers de materia prima Philosophorum, pro univer-

sali

ſali tinctura perficienda; item ſub imagine & ænigmate, ac hieroglyphicâ obſcuritate Veterum, ex Hermete, Zoar, Baſilio Valentino, & aliis (ex te nihil.) de hac transmutatione agis: quos Viros hanc coluiſſe & noviſſe artem, infallibilis fert traditio: his te Viris adjungis Collegam: uti ſolent Magnatum quadras frequentare Moriones. Ergo cùm ipſe hoc artificio titillari te ſentias; ac, licet myſterium non aſſequaris, nomen tamen inane affectes, ac velut in aliis reſpicias: cur igitur hic clavus de ferreo in aureum mutari non poterat: cùm tu materiam tranſmutationis, aut Univerſalem nobis aſſignes; quam tamen Veteres ſedulò celarunt, nimirum Saturnum? Et dato; non fuiſſet tranſmutatus: quàm incultus Ethicus; quàm inurbanus Politicus es tu, quòd talia, quæ in Principum commendationem non ſunt; credulos ſcilicet nimium eſſe, & ad fallendum pronos reddere, non ſubticuiſti, vel arcaniùs deſcripſiſti; maximè, cùm etiam noſtro æro, à modernis Ducibus, pro tali habeatur, & orbi ſpectandus exhibeatur. O ſancta prudentia, quàm noverca es *Tachenio!* Plura, de poſſibilitate tranſmutationis metallorum, lege ex Mantiſsâ noſtrâ, recenter divulgatâ. Cætera in hoc capitulo intacta relinquo. Unum hoc B. L. hortor, ut ultimum hujus capituli paragraphum probè obſervet: *pag.* 224. primò manifeſtam contradictionem priorum: ſecundò, quàm veraciter illum ſuperiùs toties arguerim rapinæ ex Helmontio. Audite enim iterum *Tachenium* & *Helmontium* concordantes: *Tachenius*, *pag.* 224. *lin.* 8. habet ſequentia: *Sed redeamus ad ferrum, quod aſſumptum per os, liberat ab obſtructionibus, à ſupradicto excremento obortis, & aperit per accidens abſorpto ſcilicet coagulatore acido errante, & à natura proſcripto, non tamen quod per ſe proinde deſinat eſſe conſtrictivum: aperit ergo poteſtate ſpecifica & appropriata; conſtringit verò qualitate ſecunda.* Hæc eſt doctrina nova *Tachenii*, ſeu Veteris Helmontii. Nunc audiamus Helmontium, *Paradoxo* 5. *pag.* 443. *paragr.* 11. his formalibus: *Liberat itaque ferrum ſumptum ab obſtructione; & aperit per accidens, ablato ſcilicet ſecum obſtruente victo; non tamen quòd per ſe proinde deſinat eſſe conſtrictivum. Aperit, inquam, poteſtate ſpecifica & appropriata; conſtringit verò qualitate ſecundâ.* Hucuſque van Helmont. Legat Amicus Lector citatum Helmontium; & videbit, quàm inaniter hic Thraſo glorietur alienis plumulis; à quo totum ſuum alcalium theſaurum ſuffuratus eſt. Proh! quàm turpè eſt, Autoris nomen & meritum ſupprimere, ac quaſi ſua imprimere; quin imò poſt obſequia ſugillare! Sed ita ſolent cuculi: ſic Helmont; ſic Reformator experti.

Ad Caput 29. procedo, cujus titulus: *Nux caſſa*: ſeu: Corpus ſine anima; Nux ſine nucleo. Proh! quàm benigna eſt homini mater natura; quæ omnes viciſſitudines voluit ſubalternas, dum laſſis requiem, deliris lucida quandoque intervalla, mendacibus, ut vel inviti ad veritatem quandoque declinent, tam clementer indulſit! Quo facto, mi *Tacheni*, hæc tibi veritas excidit? Quàm luminoſum habes intervallum? Quàm ſuaviter à mendaciis pauſas; dum proprio & congenito etymo opuſculum, alcalia tua, & præſens capitulum, *Nucem caſſam* inſcribis? Vides, quid veritatis lenocinium in homine operetur? Tributarios omnium affectus allicit & procatur. Ita eſt, mi *Tacheni*, verax hîc es, & ne quidem æquivocas; quòd *Nux caſſa* ſint; ſeu, ut etiam ſuperiùs jam veritatem meditari cœperas, quòd *ventus ſit vita tua*; inventa, ſibilus; doctrina, vox; prætereaque nihil. Et ne per errorem ambiguus aliquis hærere poſſit, quòd veritatis ſtrenuè hic partes defenderis, & pro *caſſa nuce* acriter toto hoc opuſculo, ſuppetias ferentibus alcalibus, dimicaveris: conſulat Lector, & ruminet, quidquid hactenus à *novo Hippocrate* dictum; quidquid præclarè, ad finem uſque, dicendum adhuc reſtat: &, profectò, pro *Tachenio* ſtare debet, & albo ſuffragari calculo, quòd vera dixerit: quoniam omnia *Nux caſſa* ſunt. Dicite enim, Mechanici, an non *Nux caſſa* eſt; poſt *mira*, *admiranda*, *nova*, *occulta*, *inaudita* promiſſa, ad veſtras officinas deflectere, & tribum ambire; *Saponariam*, *Vitriariam*, ultro obire? Dicite, imbelles anus, & tu ad *flumen Nauſicca*, & vos,

ad lintrem, lotrices: an non *Cassa Nux est*, ludo muliebri sese ingerere, *indusia*, *pedorem* & lixivia tractare? Quàm immites habetis DEOS, quòd huic Actæoni cornua non accelerant, qui, secretiores operas & labores vestros adire, veritus non est? Dicite, Tirones Pharmaceutices, an non in Magistro artis, & Chymiæ Antesignano, *Hippocrate* redivivo, *Nux cassa* est; *febrifugum* vobis *oleum* promittere, *pag.* 183. *Riverii arcanum febrium, seu febrifugum*; ac palam mentiri, & verba resorbere, eò, *quòd operosum sit*: interim edocere; quâ ratione è plumbo fiant remedia; quomodo paretur butyrum Antimonii, Mercurius vitæ, Pulvis Algerotti, Bezoard. minerale, Cinnab. Antimonii (magna hæc sunt hactenus) quin imò, *pag.* 17. arcanum, ex *calce & melle*, *pro callis pedum mortificandis*? *Pag.* iterum 211. Emplastra de Cerussa, Triapharmacum, reliquaque, ut ait, hujus census (proh, quam pediculos odit hic Chymicus, quòd specificum Unguentum subticuerit!) quasi noverca hactenus vobis ars & institutio fuisset. Dicite, Medicinæ lumina Europæ nostræ; an non sit *Nux cassa*, quòd hæc tinea Sapientiæ pallio vestro sese insinuaverit: ac, cùm sitis rationales ac dogmatici; *Canonicos* tamen luserit; insulsos in *prunellæ sale*; sordidos in professione: qui *nihil nisi olidum stercus*, *in vita inspexeritis*? Dicite, veritatis arbitri; an *Nux cassa est*, ampla promittere, verbis pascere, animos suspendere, ac postliminio mentiri? Dicite, innocui Hippocratis, & vos, piissimi Helmontii manes, annon *Nux cassa* est; Te quidem, Coe, emenso Lethe, superato Rhadamantho, ex Elysiis tabernaculis ac sedibus, ad contestanda mendacia, & confirmanda ludicra, temerariè citare: & te, empyriis respirantem gaudiis, Helmonti, post funera inquietare (sic sydera & lunam canes allatrant) &, quod mirandum est, de spoliis tuis, parto labore, & arcanis vigiliis, triumphare, iisque abuti, suppresso, ac velut spongiâ deleto nomine, ac posthuma commendatione? Tu denique (multa dissimulo) dic, Reformator, an non *Nux cassa* est, qui illam confregisti, tam iniqua, trita, ementita, literato orbi dicare, Augustanos vindicare, quos criminas, Zwelferum convincere, ac textus adulterare, & centies convinci, pro plausu denique risum reportare? Denique omnia *Nux cassa*, nuces, & incassum. Procedo ad textum

CAPITULI XXIX.

Qui talis:

NUX CASSA.

Cuprum dixi, ab aceto verti in aruginem, hoc stillare jubet reformator. Memini inquit (a): *me mentionem fecisse, cujusdam menstrui secreti; hoc menstruum quanquam jubebat malignorum, ingratissimorumque cuculorum canina invidia, inter secretiora arcanorum scrinia detinere, nec tam citò in meridianam lucem emittere; dum tamen omnem vindictam, ingratitudinis & odii, undeundè mihi pro beneficiis injuriosè illati Deo relinquendum, suadet rectè factorum conscientia, ut bonitati publica, rem præstem gratam; spiritum prænominatum publici juris faciam, cui magna reme-dierum pars, tanquam columnæ non exigua innitetur.*

a *Appendix fol.* 72.

Tristis severitas quidem inest in vultu: at verbis nulla fides. Terent. Andr.

Quid nunc docet Regius noster Doctor? Spiritum veneris, & menstruum secretum! (Risum tenete amici) quod propter indignos detinere decreverat. Vah impolita ruditas! sed quis unquam in hoc viro, tantam liberalitatem totque beneficia pro publico bono quæsivisset! nisi ipse se manifestasset?

O curas hominum, ô quantum est in rebus inane?

Centum & plures anni sunt elapsi, cum Basilius Valentinus hanc aceti distillationem, in vulgus edidit (in libello quem vocat, Manu-

Manuductio Medicina, idiomate Germanico, rursus impresso Francofurti, apud Lucam Iennis Anno 1625. in quarto) sub titulo: vera perlarum solutio. Reformator, hunc à Basilio mutuavit, suppresso Autoris nomine, ibique de verbo ad verbum habetur, & hunc non solum venditat pro solvente universali! sed (insuper fingit ipsius inventum, scribillatque Spiritus noster veneris) & pro LIQUORE ALKAHEST (a), *adeò ut non sine fatali prænuntiatione, Iohannes Fredericus Bauz, reformatoris nomen, dignissimo Anagrammate, pharmacopœia præfixit, quod ibidem videri potest. Addit autem reformator, sine erubescentia. Hic laudatissimus spiritus, in medicina non solum magnarum virium est, cum Epilepticis, Apoplecticis, Histericis, Hypochondriacis, summè opitulatur, legitimè ac debitè exhibitus*(b)*verum etiam tanquam* LIQUOR ALCAHEST *se habet & non ut reliqui spiritus acidi, qui solvendo patiuntur, & destruuntur, inque aliud ens convertuntur, &c.*

a *In aqua Epileptica pharmacop. Reg. fol.* 170.

b *Ad quid inconcinnas sumptuosas laboriosas & nauseosas Regias compositiones, si acetum, omnibus gratum hæc perficit.*

Vtinam Basilius, cum distillare docebat, hoc acetum, impostores timuisset, sicut Hippocrates, Paracelsus, & reliqui, reformator, hunc, pro liquore alcahest, non venditasset; imò nec tot encomiis illum decantasset, ut nec mundo, tam fraudulenter imposuisset. Hoc acetum, quovis pretio redimendum suadet, additque hæc magnifica verba, quæ præterea, alto notabis calculo scilicet.

Hoc lector amicè fruere secreto inquit: & favore mei, pro fideli communicatione, benevole persevera. Proh Iupiter: huc adeste, perscrutatores acerrimi, vobis illustratum est secretum, nusquam ab aliquo scriptis mandatum. Sed ridet natura! pro veritate nunc pudenda commenta docere! sunt, qui sine magno labore, tempore & sumptu, similem & potentiorem liquorem, ex aceti matre in magnum vas recipiens distillant, quem tamen pro Alcahest non proclamant.

Turpe est doctori, cum culpa redarguit ipsum.

Videamus nunc subjectum ex quo Reformator mirabile solvens distillat, quod digno nomine sibi appropriat appellatque hoc nomine, spiritus noster veneris.

Illud est ærugo, vel æs viride, quod sic fit: Cuprilamina, cum vinaceis jam acescentibus conduntur, hæc aciditas, rodendo cuprum, cum eo coagulatur in sal, sicut omni acido, rodendo contingit, ut de plumbo & corallis ad oculum demonstravi. Istud sal viride, cum Aceto distillato mundificat reformator, inde sane, nil aliud, quam acetum extillare potest, ut Basilius candide fatetur, supra citato loco; sicut spiritui vitrioli evenit rodendo cuprum tunc fit vitriolum, quod si distillatur, nil aliud nisi idem vitrioli spiritus seu flagma quod affudisti elicies; juxta illud: nemo dat quod non habet. Remanens caput mortuum, vel faces, funde in tigillo addito pauxillum nitri & tartari, tunc redit cuprum, quod fuit, priusquam cum aceto in viride æs mutatum esset. En secreta & arcana materia quam reformator superflua liberalitate, pro bono publico communicare voluit, & quovis pretio redimendum suadet. Hoc secreto inquiens fruere lector amice, &c. Apage: his cum imposturis, quas vulgus ridet, iisque fidem non habet, qui novit secreta non esse detegenda, nisi in parabolis, allegoriis, metaphoris, involucris & similibus figuris: sic jussit fecitque Hippocrates & veneranda antiquitas in auribus insipientum, ne loquaris, inquit sapiens, quia despicient doctrinam eloquii tui. Sic Iohannes Picus, libro de dignitate hominis. Pythagoras, Plato, Boëtius, Macrobius in somnio Scipionis, Cornelius Tacitus, &c. omnes unico ore committunt secreta non esse detegenda, eò, ut dignè impediantur indigni.

Arcana publicata vilescunt.

Sed age! nonnè minore cum labore & dispendio, uti licet aceto simpliciter distillato, cum sit una eademque res? nonnè Tirocinii scriptores, sal perlarum & corallorum præparare docent cum aceto distillato? & postea abluere? quæ tamen, inutilis reperitur, acida nimirum coagulantur cum soluto, ut supra aliquoties ostendi. Sed ut paucis in summam contraham. Acetum & Spiritus veneris reformatoris, non sunt nisi aqua imprægnata sale acido volatili, & si illud quicquam rodit, coagulatur confestim, quod postea per combustionem, fixatur in alcali.

Qualem prærogativam habet nunc magisterium

rium corallorum & perlarum reformatoris præ aliis quæ Tyrocinia ponunt? id docet ſpiritus vitrioli vel ſulphuris, qui præcipitat utrumque: cujus ratio eſt, quod potentior aciditas apprehendit ſolutum, & in illo coagulum ſuſcipit, & ob id etiam pondere creſcit: exinde enim repetere non licet, niſi violento igne.

Siccine: Deo proximo & veritati ſatisfacit reformator, ut pejerat in animadverſionibus (a)*? Hæccine ſunt adinventiones ex vera ratione, & experientia* (b) *conſcriptas, nemini tamen adhuc viſas vel animadverſas! ad ſolatium generis humani, ut ait in præfatione Appendicis. Itanè fallendus & deludendus Harus? cui promittit in dedicatoria, quod ignorat; genuinam ſcilicet componendorum medicamentorum methodum, & uſitatam ab erroribus mundare, ne populus in æris diſpendium & valetudinis ſæpè ſæpiùs præcipitetur, ut hac in parte & ſubditi felicius vivant: Venditare ſcil. Acetum pro Alcaheſt? Haccinè ſunt illa, quæ omiſſis negotiis neceſſariis in vulgus cum tanto labore* (c) *profecta ſunt? ut loquitur epilogus.*

Sed reformator, aceto ſuo ebrius, non ceſſat miranda cantare; Spiritus noſter Veneris inquit: (d) *extrahit ex chalibis limatura adſtringentem tincturam. Hem quid audio; nova res! quaſi omne acetum cum ferro limato non rubeſceret? Fabris ferrareis notiſſimum. In Mantiſſa Hermetica* (e) *paulo ante docet, quod crocus adſtringens ſola reverberatione, nulla alia re admiſta exactiſſimè præparare poteſt, nunc ut aceto fides adhibeatur, concedit utrumque. Quid iſtud eſt aliud, quam impertinenter & ignoranter nugari? imò docere, ſalis & aceti contrarietates, & utrumque non cognoſci.*

Nunc tandem crepant ilia Momo, & tota ſe eviſcerat invidia, quæ tantis torminibus hactenus lancinata. O verè!

> *Livor, iners vitium, mores non exit in altos:*
> *Vtque latens, imâ, Vipera, ſerpit humo:*

canit Ovidius, *lib. 3. de Pont. Eleg.* 3. &, ut probè advertit Chriſtianus Seneca, *in Epiſt. Venenum, quod in alienam perniciem effundunt ſerpentes; ſine ſuâ continent.* Non ita vitium invidiæ continetur: nam & invidum torquet & macerat, bona odit & extenuat, injurias verò dilatat atque auget. Evomito virus, *Tacheni*, res ſalva mihi eſt: ad fata & finem properat malitia tua. Jam enim ſincera vomere paulò ſuprà cœpiſti: quod Hippocrati tuo funeſtum ſemper fuit præſagium. At mitiora forſan expectas, dum ad finem & agonem properat infamis Viperini ſalis tui partus, *Tacheni?* Neutiquam

> *— abruptis etiamnum flebile venis*
> *vulgus hiat; magnæque patet via lubrica plagæ.*

Contumelias enim nec fortis poteſt, nec ingenuus, pati. Proinde ad vindicandas nequitias tuas novis auſibus accendor; candidum innocentiæ meæ tibi ſcutum objiciens: prout olim Magi ſoliti ſunt; dum contra tenebras & noctem dimicarent. Quid igitur veneni in Reformatorem exſpuis? Calumnias, falſa, & dolos. *Spiritus Veneris* Reformatoris tibi diſplicet, & ructus movet, *Tacheni*, quòd ex ære viridi deſtillatus ſit? Cur oculus tuus nequam eſt, *Tenebrio*, quia ego bonus ſum? Quid ſuccenſes mihi, quòd bono publico laudatiſſimum hunc ſpiritum dicaverim? Cur mentiris, ac illum acetum deſtillatum dicis? Quàm turpe pecus es, quod omnes fontes & rivos petulanter conturbat, & vel ſic vivam anhelantibus aquam cloacas obtrudit? Sed detrahamus larvam Morioni, & ad rem. *Cuprum, dixi, ab aceto verti in æruginem, hoc ſtillare jubet Reformator.* Ut mendacium pateat calumniatoris; ſciendum, quòd cuprum in illam æruginem, quâ utimur nunc, & propriè æs viride dicitur, ab aceto ſolo non conficiatur; ſed longè alio artificio in Gallia fieri conſueverit. Nimirum laminæ cupri cum uvis expreſſis recentibus ſtratificantur (interpoſitis telis raris, ne confuſum chaos ex uvis expreſſis & laminis cupri fiat) & deſuper affunditur una pars aceti, & tres vel quatuor partes urinæ puerorum: addunt deſuper multoties nonnihil de alumine & nitro; ſic ſæpius hanc mixturam, ſi exſiccata fuerit, novâ urinâ madefacientes, donec laminæ cupri vel penitus eroſæ, & in æruginem converſæ conſpiciantur. Videatur Agricola,

cola,

a *Append. fol.* 13. Cicero pro Rabirio poſth. 21. ubi ſemel quis pejeraverit, ei credere poſtea non oportet.

b Experimentum eſt fallax, cujus notitia non præceſſerit. Bernh. ad Thomam.

c Chi dice il vero non s'affatica, & mi maraviglio del tuo ſudare diſſe Dante.

d In *Appendice fol.* 83.

e *fol.* 798 *Acetum cum ferri limatura rubeſcit, ſpiritus autem vitrioli coagulatur cum ea in vitriolum.*

cola, *de Natura fossil. lib. 9.* Wormius, *in suo Museo, cap. 12.* sub nomine Santerna, & plures alii; licet ferè nullus exactam ejus præparationem describat, sed obiter saltem eam depingat. Acetum, licet ex cupreo vase, ejusque laminis, aliqualem extrahat æruginem; ejusdem tamen virtutis ac indolis non est cum vero ære viridi. Etenim uvæ expressæ occultum, subtilissimum, penetrantissimumque continent vini spiritum, qui, uvis excalescentibus excitatus, odore manifestè, ipsaque operatione percipitur: ejus autem est subtilitatis, ut destillatione vix ac ne vix quidem à fuga coërceri, & in liquorem permanentem converti possit, dissimilis totus spiritui vini, vulgari operâ destillato; quoniam aliàs longè subtiliores, & penetrantiores illo, obtinet virtutes; similis verò est illi spiritui, qui ex musto in ejusdem exspirat fermentatione, adeò potens, ut totam etiam cellam, ubi dolia nonnulla musto repleta recondita sunt, fumo & vapore exspirante impleat, hominesque incautos, si vel per mediam horam in illa morentur, suffocet. Necessum proinde est, sicut in Austria, vindemiarum tempore, quotannis conspicitur, ut igne haud levi, ex carbonibus accenso, subtilissimus hic spiritus illicò depellatur & expellatur. Sunt, qui doliis majoribus, musto recenti repletis, instrumenta destillatoria supernè applicant artificiosè, pro spiritu hoc penetrante excipiendo; qui tamen vix includi aut coerceri potest, alterius longè indolis ac virtutis, quàm sit vulgaris spiritus vini, ex maturo & fermentato Vino, aut ex ejusdem fæcibus, destillatione prolectus. Hinc etiam uvæ expressæ, vasi cuidam, aut dolio, immissæ, virtute proprii hujus spiritus incalescentes, ejusdem etiam spiritus penetrantioris specimina edunt ac referunt; non verò acescunt, aut aceti virtutes æmulantur; uti falsò garrit *Hippocrates Chymicus*: quin potiùs aceto planè contrarias virtutes ipsæ uvæ expressæ sortiuntur: quemadmodum calefaciente ac roborante suâ virtute, & spiritu hocce, membra contracta emolliunt, viscosos & impactos humores resolvunt, attenuant, membraque ipsa moderatè calefaciunt, eaque summoperè roborant. Hoc itaque subtilissimo & penetrante uvarum spiritu, qui longè alias, & celebriores, quàm acetum, obtinet qualitates, unà cum adjunctâ puerorum urinâ, totâ veluti substantiâ suâ aceto oppositâ, addito tamen in minimâ quantitate aceto, laminæ cupri, ipsumque cuprum, in æruginem, propriè in æs viride convertuntur; quod in massam, panis formâ, conglobatum, corioque involutum conspicitur, & ad nos transfertur. Hic est verus modus apparandi æs viride, longè diversus ab illo, qui, ad imponendum incautis, à *novo Hippocrate* affertur, ac si solo aceto ærugo conficeretur. An negabis, *magne Physicunce* (tuis utor verbis) quòd longè promptiùs urinâ, ejusque spiritu, cuprum, & etiam argentum, in æruginem convertatur, quàm ipso aceto? Urina autem, ejusque spiritus, qui totus, & purè salsus, aceto, acidisque spiritibus omnibus ex natura contrarius & oppositus est: ex quorum commixtione neutrum quid emergit; quod neque acidum, nec purè salsum, sed acido-salsum postea existit. Liquet verò, ipsâ attestante experientiâ, urinam, ejusque spiritum, aptius longè esse menstruum pro extrahendo ære, & ærugine conficiendâ, quàm sit ipsum acetum. Propterea ex duobus hisce spiritibus, Uvarum nimirum, & urinæ, cuprum in æruginem mutatur, aceto parum conferente; nisi quòd volatiles Uvarum & urinæ spiritus nonnihil coërceat, ne promptè exhalent: verùm, quodammodo permanentes, cuprum exactiùs rodant, & in dictam æruginem convertant. Hi ambo autem spiritus, tùm Uvarum penetrantissimus, tum etiam urinæ, summè volatilis (non proinde penitus excluso aceto, propter aliqualem prædictorum spirituum constantiam) miro modo in cuprum agunt, non solà corrosione aut simplici solutione; verùm intimè illud penetrando, tanquam homogeneum & connaturatum ejus menstruum. Adeoque ipsa his spiritibus confecta ex ære ærugo, alteriùs longè virtutis, qualitatis, & substantiæ est, quàm sit cuprum, solo aceto corrosum, aut spiritu vitrioli, vel sulphuris, solutum, & in vitriolum conversum. Nam ex cupro simpliciter soluto, & in vi-

vitriolum converso, acidissimus, destillationis ope, elicitur spiritus, spiritui vitrioli vulgari ferè similis: licet non simplex vitrioli spiritus sit; uti imperitus noster Physicaster scribillat; quin eximias cupri virtutes secum traxerit. Hinc in Epilepsia, aliisque capitis, cerebri, ac uteri, affectibus præstantiores multò, communi Vitrioli spiritu, obtinet virtutes. Hic tamen vitrioli Veneris spiritus longè aliter se habet, in solvendis perlis, corallis, ac extrahendis tincturis ex mineralibus, quàm spiritus noster ex ære viridi destillatus, Spiritus enim prædictus ex vitriolo cupri, aut soluto cupro, violenter corrodit, & acrimoniâ, seu corrosivo suo, veluti comburit margaritas, corallia, oculos cancrorum, & plura similia; tanquam violentum & heterogeneum menstruum: & corrodendo tam arctè cum illis unitur, ut nullâ arte, neque destillatione, nec edulcoratione, quin totum eluatur, ab illis separari queat; sed juncta maneant, inseparabili veluti nexu sociata, mutatis saltem virtutibus & indole rerum solutarum. Idem contingit, si cum aceto destillato margaritæ, corallia, mater perlarum, aut similes res aliæ, solvuntur. Quæ ipsa solutio pariter violenta est, tanquam heterogeneo menstruo peracta; quod itidem, ut reliqui acidi spiritus, cum rebus solutis coagulatur, inque aliud ens transmutatur; rebus autem, scilicet perlis, corallis, &c. solutis, ab indole & virtutibus naturalibus ex integro immutatis. Et hoc apparet in abstractione ejusdem à rebus solutis, quibus cum tota ejus aciditas juncta manet, solo phlegmate transeunte. Longè autem aliter se res habet, *Tacheni imperite*, cum spiritu hoc non satis laudando, ex vero ære viridi destillato: quemadmodum subjectum ejus, dictum æs viride nimirum, non est simplex cupri vitriolum; non est cuprum vulgari modo, rebus aut spiritibus corrosivis solutum, sed à dictis uvarum, urinæ, & aceti spiritibus, simul junctis, in nobilius quid conversum; quod alias etiam, & nobiliores, in Medicinâ habet virtutes, quàm simplex cupri vitriolum, aut cuprum, aceto solo corrosum. Itaque quanta differentia inter album & nigrum; inter virum doctum & peritum; ac inter Hippocratem Chymicum imperitum, & impostorem: tanta est differentia inter destillatum commune acetum, tanquam *Hippocratis nostri Chymici* secretum, quod *informat alcali*, & inter spiritum hunc Veneris, ad invidiam *Tachenii* non satis laudandum. Is enim non agit violenter, non rodit simpliciter margaritas, corallia, &c. uti reliqui spiritus corrosivi, & ipsum etiam vulgare acetum: verùm leniter & amicabiliter res solvendæ, præsertim margaritæ; in eo veluti liquefiunt, exuviis earum integris remanentibus, nobiliori pulpâ & substantiâ extractâ. Peractâ autem hac non vulgari, sed homogeneâ, solutione, abstrahitur hic laudabilis spiritus destillando eâdem acrimoniâ, eâdemque virtute & efficaciâ, quâ perlis, aut aliis rebus solvendis, affusus est; relictis perlis, aut aliis rebus verè solubilibus, in residuo: quibus si affunditur aqua simplex destillata, iterumque destillando abstrahitur, & quidem repetitis vicibus; verè etiam sic edulcorantur, quatenus in qualibet affusione & abstractione aquæ, residuus cum rebus solutis spiritus, unà cum aqua abstrahente transit, totusque à rebus solutis separatur, remanentibus iisdem rebus solutis in suis nativis virtutibus à menstruo minimè præpeditis, nec combustis aut destructis. His omnibus diligenter consideratis, abs te jam, *Philosophe Hippocratice*, quæro; an non, si proprium est liquori Alkahest (quem quidem neque Ego; Tu minimè possides: sicut ex doctâ scil. Epistola tua videre est) corpora naturalia amicabiliter solvere, eâque præstantiâ & virtute, quâ affusus, iterum abstrahi posse; hic autem laudabilis spiritus, ad invidiam usque, in solvendis perlis, corallis, aliisque quamplurimis, hæc quoque præstat, ejusdemque naturæ est: meritò de illo dici possit, quòd tanquam Acetum esurinum, & liquor Alcahest, se habeat? Sicut genuinus meus textus, *pag.* 43. *Append. ad Animadvers.* habet. Non proinde asserui, nec dictum volo; hunc spiritum Veneris esse liquorem illum Alcahest (ut tu, *Tacheni*, perversè & mendaciter mihi attribuis)

buis) de quo tanta ubivis terrarum prædicantur miracula, ac speciosa nimis ei attribuuntur. Distingue igitur, & ratione, si qua præditus es, utere, *Tachenj*; an idem sit, dicere; spiritus Veneris, tanquam acetum esurinum, & liquor Alcahest, se habet, in solvendis perlis, corallis, &c. & spiritus Veneris ipsus est liquor Alcahest. Quæ, quæso, consequentiæ tuum implevere vacuum? Falsarius es, & nequiter tuum petis Reformatorem, textus falsificando, mendacia proferendo, & pro tot meritis & beneficiis ingratissimum te præbendo. Et verò, cùm clarum nunc sit, ac sufficienter demonstratum, maximam esse differentiam in substantiâ, esse, fieri ac operari, inter laudatum hunc spiritum Veneris, & simplex acetum destillatum; & quòd subjectum, è quo dictus spiritus elicitur, nequaquam sit simplex cum aceto erosum cuprum; sed corpus verè compositum medicinale, multarum virtutum: præstat etiam, missis Tachenianis nugis, ut dicamus, quas habeat plures hic laudatus spiritus Veneris virtutes, præ simplici destillato aceto, *Tachenii* secreto. Ideoque repeto, quæ, *pag.43. Append. ad Animadvers.* ipsâ veritate & experientiâ sussultus, scripsi; quòd nim. sit in Medicina magnarum virium, ac Epilepticis, Apoplecticis, Hystericis summè opituletur, legitimè & debitè exhibitus: addo præterea, & divinum appello levamen, in doloribus dentium crudelissimis & atrocissimis, à defluxione ex capite, aliisque corporis partibus obortis; removendo extrahendoque causam doloris, materiam cerebri viscosam, totoque in corpore latentem, educendo, colicos dolores sistendo, ac demulcendo, & lumbricos externè inuncto eo, enecando. Hæc quâ ratione, quaque vi & modo fiant; mecum plurimi docti Hippocratici & Dogmatici Medici nôrunt, Tibi verò, spurio Hippocrati, ignota sunt. Suspicari itaque desine, neque ignorantiæ tuæ labem & maculas viris doctis appingito, quos hactenus tecum, Idiota cùm sis, virtutes & prærogativas nunquam satis laudandi hujus spiritus ignorare credebas. Interim vide, & orbi demonstra (si tibi conscientia, fides & ara) num simplex acetum destillatum, pro quo mordicus hactenus multiplicatis figmentis certasti, eadem præstet, quæ sæpedictus Veneris spiritus, luculento experientiæ testimonio præstare videtur. Rationes igitur tecum inito, *Tacheni*, quamque multum à veritate devius aberraveris recolito, dum sine fronte & rubore palam asserebas, quòd nimirum præstantissimus *hic Veneris spiritus non nisi acetum destillatum sit; quòd una eademque res, pag.229. lin.24.* Mendacia itaque tua, & calumniæ, in te redundant, scelerisque auctorem petunt; dum omnibus planum sit, quòd impostor sis, qui sana & fidissima remedia orbi eripere & occultare satagis & collaboras; absurda tua substituendo. Et verò quis ulteriùs ignorat, quòd sæpedictus hic spiritus sit arcanum menstruum pro Tinctura, seu Essentia, Antimonii eliciendâ; ad parandam Tincturam itidem, vel Essentiam ferri adstrictivam: quanquam etiam hoc assertum Calumniator plenis ignorantiæ buccis controvertat, *pag.231. & in fine 232, quòd impertinens sit, crocum martis adstringentem solâ reverberatione apparare, & Tincturam adstringentem cum hoc spiritu extrahere.* Sed quæ implicantia aut difficultas, idem re & numero medicamentum, vel in liquida, vel in siccâ, forma dispensare: pro ratione morbi & affectus, nec non ægrotantium cupidine? Aliud igitur est, hæc, & similia, captum tuum excedere; aliud, per experientiam & praxim implicare. Tracta comprimis hæc, Chymiam exerce, spiritum hunc ad intima usque rimare, priusquam temerarium adeo effutias axioma. Manum tabulæ, seu Chymiæ, applica, per experientiam ediscito; num & tu Tincturam Martis adstringentem simplici aceto tuo destillato, lege artis, elicere valeas; prout illam spiritu Veneris parare jubeo, *in Append. ad Animadv. pag. 49.* & magnus eris Apollo. Hîc, profectò, Rhodus; hic saltus: hic arena; tu certa. Ut igitur uno Laconismo rem absolvam, & vela contraham, assero, & dico; probrosum hoc esse mendacium, & immane *Tachenii* figmentum: spiritum nimirum Veneris, & acetum destillatum, homogeneos effectus producere, nec non easdem vires & naturam sortiri: cùm toto cœlo & ente à se diffideant, & distinguantur; nisi

quis temerario ausu veritati & luci velit derogare.

Haccine igitur sunt adinventiones ex vera ratione, & experientia conscripta, prout, p.130. me arguis? *Siccine DEO, proximo, & veritati satisfacis*? Heus! impostor: hæc sunt complementa decreti tui, quo orbi te obligasti; *rara, occulta, abscondita à sensuum cognitione* revelare, *pag.7*? Hi sunt *amoris tui stimuli, quibus agitatus*, ut ais, *pag.203. erga proximum, silentii fines transilis, & Harpocratem tuum*, Hypocrita, concitas? Ut pro Veneris spiritu laudabili, acetum destillatum simplex obtrudas, meliora subtrahas, cassam nucem substituas, ægris denique, cum ære, & vitam eripias? Redimus ad lachrymas, quas nunquam abstersimus. Hoc est, de quo toties profundis gemitibus querebar: quod in te, & hujus farinæ ardelionibus, pietas & charitas extincta squalleat, & conscientia callum obduxerit. Hoc est, quod ejusmodi hominum pestes quærunt, & ægros aut fallunt, aut negligunt, &, si quem syncerè humano generi famulantem conspiciunt, igne & ferro exterminant; ut crumenas farciant, & se denique, mancipia olim dæmonis, saginent. Hinc velut ex Orco reboant maledicto simillima verba; prout vides, A.L. apud *Tachenium*, p.229. *Arcana publicata vilescunt: Vulgus novit, secreta non esse detegenda, nisi in parabolis, allegoriis, metaphoris, involucris & similibus figuris*: & statim: *sic jussit fecitque Hippocrates & veneranda antiquitas, in auribus insipientum, ne loquaris, inquit, sapiens*: & mox: *Sic Iohannes Picus, l. de dign. hom. Pythagoras, Plato, Boëtius, Macrobius in somnio Scipionis, Cornelius Tacitus, &c. omnes unico ore committunt secreta non esse detegenda, eò, ut dignè impediantur indigni.* Hæc Tachenius. Sic interim humanum genus lanienæ, & macellis, destinatur victima. Mentiris, humani generis infensissime hostis, *Tacheni*; mortuos inquietas, quos turpiter pollutos mendaciis in cinere, & pulvere conturbas. An Picus; an Pythagoras, an Plato, Boëtius, Macrobius, & Germanus Cicero, Tacitus, Chymica tractarunt, Impostor? Pythagoras silentium suis imposuit, ipse verbosus & communicativus; quoniam anima tacendo sapiens fit, & levat se supra se. Sic divinus Plato; sic Boëtius; sic innumeri silentium, modesti & benè morati animi tesseram, commendârunt: cui lasciva loquacitas (in *Tachenio*) opponitur. Quid, stolide centonum corrasor & compilator, hic Germanum scriptorem, disertissimum Tacitum, citas (pugnum ad oculum tibi) qui Agricolam Cæsarem laudat, quòd, cùm sapiens fuerit, procax non fuit, & sui ostentatur, *retinuitque*, inquit in vit. Agricol. *quod difficillimum est, ex sapientia modum*: & de Domit. scribit, *l. 4. histor. simul simplicitatis ac modestiæ imagine in altitudinem conditus, studiumque literarum & amorem carminum simulans, quo celaret animum. Hæc Tacitus.* Et, ut Tacitum explicat Didacus Savedra Eques, *in Symbol. symb.43. scripsit hæc Tacitus, ut ostenderet, periculosum regimen esse, semper veritatem palam omnibus facere. Nam pars magna regendi est, secretorum Taciturnitas*; uti & huic symbolo præfixit Lemma: *ut possis regnare.* Atqui tu, *Histrio*, detorques sensum Taciti à Politicis ad Chymica: ad ea, quorum ignorantia, silentium, & occultatio, grande nefas est, DEO & charitati adversatur, humanum genus pessumdat, dum arcana remedia nobis eripiuntur, fatali silentio. Mentiris, quod Hippocrates artem suam celarit. Si quæ interiêre, temporum vicissitudine id obtigit; non astu; non consensu tanti viri. *Vah!* igitur, *Tacheni, impolita ruditas*, quòd hos viros; quòd Politica ad Pharmaceutica allicis, & cum illis hæc confundis. Non es Regius Doctor, ut video: quia sordidè avarus es: celas omnia: Regios decet munifica liberalitas. O igitur!

O stultas curas! ô quantum in rebus inane est. Rideat nunc natura! quòd pro veritate commenta doceat, pag. 227. Rideant Auditores *magnum experimentorum cumulum Tachenii*: stupescant *inaudita, occulta, absconsa*, has nugas & fabulas: neque arceat illos, licet *tristis severitas in vultu* Tachenio insit: sic histriones solent; risum & fulmina uno ore jactant: interim, *pag. 225. in margine*; *verbis nulla fides, inquit Terentius.*

Sed

Sed inquis: *Centum & plures anni sunt elapsi, cum Basilius Valentinus hanc aceti distillationem, in vulgus edidit: sub titulo: vera perlarum solutio: pag. 225. l. 24. & seqq.* Respondeo primò indirectè: Pauci anni sunt, paucissimi, quòd van Helmont inaudita ac nova sua edidit medicinalia; & tamen integrum tractatulum ex eo affabrè furatus es: locos citavi hactenus. Pauciores anni, quòd R.P. Kircherus scripsit; harpyias tamen expertus est, & longas *Tachenii* manus. Respondeo secundò; falsum esse, me unquam hunc spiritum in Valentino legisse, aut hujus copiam extitisse: deinde; spiritum hunc Veneris, seu æris viridis, pro vera solutione perlarum à Valentino destinatum esse. Falsum autem est, uti fusè deduxi, posse aceto perlas legitimè solvi, quin illæ penitus destruantur & pessum eant, unà cum aceto. Propterea Basilius Valentinus pro vero & legitimo menstruo hunc spiritum æris viridis habuit, &, ut dicis, pro vera solutione perlarum. Ergo non pro aceto simplici venditavit: ergo non est acetum simplex: ergo tu mentitus es, qui hunc spiritum Veneris simplex acetum dicis, & contra teipsum testaris & loqueris. Nam, uti sæpius probavi, hic spiritus Veneris separari à perlis penitus potest, sine suâ corruptione, aut perlarum destructione: acetum verò simplex, seu aciditas ejus, nullâ arte à perlis separabilis est, quin eas ab indole nativa immutet, & vel penitus destruat. Deinde: Esto: docuerit ante sæculum Basilius Valentinus, spiritum pro vera, ut dicis, perlarum solutione; si ego, temporum vicissitudine obliteratum illum, aut dolo & nequitiâ talium usurariorum medicinalium suppressum, luci restituissem: an non hoc literato orbi, & Medicæ arti, proficuum, ac mihi commendationi foret? An non eadem virtus est, conservandi, & producendi? An non conservatio est iterata reproductio? Quid rumoris & sonitus non dedisti, Hypocrita, *Tacheni*, quòd nobis Riverii Febrifugum saltem ostenderis? Et tamen nedum anni centum sunt, à quo Riverius decessit. Nondum effluxit sæculum, quòd van Helmont, & Libavius obierunt: imo vivit adhuc R. P. Kircherus; & tamen ex asse jam successisti hæres, non nominatus, & eorum substantias publicè vendidisti. Sed mi *Tacheni!* ne te feriat hic noster spiritus Veneris, & innocuum menstruum, quod nihil rodit, nisi *molliculos* forsan *caseos* tuos: & credito interim, Basilium Valentinum, si verum est, quod dicis, non gratis pro vera perlarum solutione hunc spiritum laudabilem destinasse; de tuo verò aceto simplici ne quidem somniasse. Adeoque te luculenter mentitum esse, constat.

Sed observate decumanam iterum contradictionem, *pag.* 228. Nam, *pag.* 224. *lin.* 22. apertè docet; *cuprum ab aceto verti in æruginem: addens: hoc stillare jubet Reformator.* Hîc verò totum dicit contrarium, nimirum: *Illud est ærugo, vel æs viride, quod sic fit: Cupri lamina, cum vinaceis jam acescentibus conduntur* (sed mentiris tamen iterum, Cain, quoniam non solùm cum vinaceis conduntur laminæ cupri) *hæc aciditas, rodendo cuprum, cum eo coagulatur in sal, sicut omni acido, rodendo contingit, ut de plumbo & corallis ad oculum demonstravi. Istud sal viride cum Aceto destillato mundificat reformator, inde sane, nil aliud, quam acetum exstillare potest, ut Basilius candide fatetur.* Siccine argumentaris, imperite & indocte Philosophe, *Tacheni*, contradictionibus, absurditatibus & mendaciis? Estne idem, dicere; *Cuprum ab aceto verti in æruginem*; & *æs viride fieri cum vinaceis jam acescentibus; quæ aciditas coaguletur in sal?* Duo hi parandi modi æs viride, quos affers, ambo sunt falsi. Neque enim cum solo aceto; neque cum solis vinaceis acescentibus, æs viride fieri consuevit, aut parari potest: uti supra clarè demonstravi. Neque etiam vinacei ita acescunt, ut acetum præbeant; sed spiritum habent ab aceto longè diversum, subtilem & penetrantem, aëreum, qui, adjuvante urinâ puerorum, & pauculo aceto, æs, seu cuprum, in æruginem transmutat. Verùm hæc satis & abunde superiùs declarata & discussa sunt; atque imperitia hujus Calumniatoris detecta est. Advertite nunc majus absurdum; ubi dicit, *lin.* 6. *Hæc aciditas, rodendo cuprum, cum eo coagulatur in sal, &c.* Si igitur hæc aciditas coagula-

tur in salem, *sicuti cum corallis & plumbo contingit*; uti ipse ibidem dicis: à plumbo autem soluto cum aceto, & à corallis etiam aceto solutis, acetum nunquam in æternum, nec ullâ arte abstrahi potest: nam à plumbo, soluto cum aceto, transit priùs phlegma insipidum, ad instar aquæ elementaris; tandem subsequitur spiritus ardens, longè alienus ab aceti naturâ, esse, & operari: sic etiam à solutis aceto corallis transit; prolectâ priùs humiditate elementari, ardens aliquis spiritus, & nulla aciditas, quæ aceto vel in minimis æquiparari possit. Si igitur hic fiendi modus æris viridis, uti asseris firmiter, pari ratione contingit, & acetum in sal coagulatur, rodendo cuprum; à simili autem sale coagulato acetum indestructum aut immutatum in æternum abstrahi nequit; sicuti in plumbo soluto, & corallis manifestè videre est, ipsâ experientiâ teste; quod ipsum & tu, *inconstantissime Philosophe*, in prioribus affirmasti: Ergo neque à viridi ære, etiamsi, uti falsè tamen ais, cum aceto solo illud esset paratum, idem acetum, uti antè erat, eâ aciditate, in esse & operari aceto simile, destillando elici potest. Ergo in toto hoc capitulo falsè loqueris, nequiter calumniaris, & mendaciter Reformatorem tantis injuriis afficis. Falsè porrò loqueris de Basilio Valentino; & in eum mentiris iterum, ubi, *pag.* 228. ais, *lin.* 15. quòd *Basilius candide fateatur, non nisi acetum ex ære viridi exstillare.* Quoniam si hoc verum esset; *sub titulo: vera Perlarum solutio:* spiritum hunc non descripsisset, aut pro vera perlarum solutione non adoptasset; quod clarum est; &, falsum te loqui, ipse te prodis. Ad quid enim hunc spiritum destillasset, pro vera perlarum solutione; si acetum destillatum simplex idem fuisset & præstitisset? Reverà musto plenus est, aut *ebrius* Tachenius *aceto suo*; quoniam lingua manifestat Virum. Considerate enim marginale, *pag.* 231. in quo temulentus, latinitatis immemor, Italico idiomate scripsit: *Chi dice il vero non s'affatica, & mi maraviglio del tuo sudare!* disse tanto. Ne tamen hic Linguista & Rabbi se Chaldaica aut Arabica protulisse arbitretur, quæ nemo interpretari possit; opus est eâdem phrasi huic Viro respondere. Sign. *Tachenio*: Chi è nato pazzo, non guarisse mai, ne sputando, ne sudando. Hæc tibi Reformator. Cæterum jam pridem eadem tibi afferre volui, ac admirari, cur in tantum te mendaciis tuis hactenus fatigaveris, & de tuis alcalibus miserandis tam mira machinatus sis, mi maraviglio che del tuo sale disse tanto: tamen ipse conspicis, *Tacheni*, quòd nugæ sint; quòd Tironum scita; quòd pleraque furta; si unicum *caseum molliculum* excipias; quem forsan gregario cuidam Pharmacopœo opponere posses; forsan cum antiquo & rancido sale Viperarum: pro secreto sanè ferculo, & bellariis, minimè. Non dubito, mi *Otto* (pacificè loquimur) non, inquam, dubito, quòd, nisi hæc salsa & stulta Viperina fundamenta jam typo jecisses; hanc machinam non ampliùs erigeres, super arenam & ventum stabilitam: pæniteret te laboris & vigiliarum, quas, non dubito, immensas (lubens commisereor) & continuas impendisti. Sed saniora ubi plura edes (dies enim diem edocet, & vexatio plerumque dat intellectum) parce, *Vir optime*, familiariùs & simplicissimè tecum sermocinanti. Ut autem, mi *Tacheni* (nescio quis subitò amor me tibi copulet!) discursum hunc absolvamus, de revelandis aut occultandis secretis; modestè tibi suggeram, quod sentio. Magna est inter secretum & arcanum differentia: quæ si quis benè distinguat; facilè docebit, quæ revelare cogamur; quæ subticere. Secreta illa de communi sunt, quæ revelare non licet; quoniam sine tertii præjudicio fieri nequeunt: & hæc occultanda de necessitate. Secreta alia sunt inventa, vel revelata, à quibus vel sustentatio, vel fortunarum moderamen, dependet. Tale foret; si lapidem Philosophorum repetisses; cupri in aurum transmutationem aut argentum: & talia secreta *Idiotis*, &, ut ais, *indignis*, de necessitate revelanda non essent. Arcana autem, de quibus hîc loquimur, quæ ad prolongandam vitam, arcendam nonnihil mortis necessitatem, & sanitatem conducunt; hæc revelare justo DEI mandato cogimur; & nemo, nisi impius,

in quo charitas penitus extincta est, abscondit & tumulat. Agitur enim de Vita, de Orphanis, Viduis, ac pupillis, Regum ac Regnorum momentis, quæ ab uno quandoque consimili arcano dependent. Quæ an levis momenti sint; tu considera. Quod igitur in manu divitis sunt divitiæ; hoc in manu Medici arcana. Stipem non erogare pauperi, crudelitatis est, & obex paradisi; &, ut ait Beda, de Epulone: non reprehenditur dives, quòd terram coluerit, vel fructus in horrea congregârit; sed quòd pauperibus non erogârit, à quibus reciperetur in æterna tabernacula. Et August. *in verb. Domin.* Ideo rogans dives non exauditur in tormentis; quia rogantem pauperem non exaudivit in terris. Divitiæ, talentum, Mnas, sunt arcana nostra Medica. Viderit servus iniquus, quid negotianti Domino olim responsurus sit, talentis suis petulanter defossis. Interim non tibi prohibetur, quin Tartarum Vitriolatum tuum ex Vitriolo crudo, & Oleo, seu liquore, Tartari paratum; tuam Tincturam Corallorum Calcis & ex Calce; tuum corrosivum Mercurium sublimatum, & complura nugacia & noxia abscondas; quæ charitas proximi celare potiùs, quàm promere jubet; donec meliora largiantur Superi.

Nunc tibi etiam respondeo ad quæsitum, *pag. 226. in margine: ad quid inconcinnas sumptuosas laboriosas & nauseosas Regias compositiones, si acetum, omnibus gratum hæc perficit?* Reperio in Scriptura jam similem propositionem olim fuisse propositam & solutam. Ad quid, *ajebat Iudas*, perditio hæc? Potuit enim Unguentum istud venundari, & dari pauperibus. Sed audi solutionem: *fur erat, & loculum habebat.* Quæstus, avaritia, ex Juda loquebatur; hinc ita quæstionem instituit, *Tacheni: ad quid inconcinna sumptuosa laboriosa compositiones?* Ad quid tanti *molliculum caseolum* divendis? Quid quæstum facis? Cur homines defraudas? Nunc tibi respondeo: sunt Regiæ, ab effectu: sunt Regiæ, à parandi norma & constitutivis: sunt Regiæ, quia à vulgaribus remotæ, nec omni aniculæ & agyrtæ paratu obviæ: sunt denique Regiæ, quia Magnatibus dicatæ; qui vitam & sanitatem precio redimere quandoque possunt. Quòd autem tales sint, Europa testatur: quidquid in contrarium unicus sorex sibilet, aut impudicus in cœlum exspuat. *Nauseosas* autem *esse*; mentiris iterum. Fors crapulam ex aceto nondum digessisti: hinc tibi amaricat lingua, & te gustus fallit. Si acetum, omnibus gratum, hæc perficit: cur *molliculus caseus* non omnibus ad stuporem medetur? Cur *Pilula tua præservativa* tot tantosque in detrimentum æris, vitæ, & sanitatis, ac æternæ salutis, conjecêre? Quod tibi responderis, *Tacheni*, hoc à me dictum ac responsum excipe. Verùm ut quid hæc tracto fusiùs? Non enim hæc, de Regiis medicamentis, in Reformatorem calumniatus es, ut meliora substituas, concinniora excogites, artem instaures, ægris prospicias: neutiquam: sed ut convitiis indulgeres. Talia & D. D. Augustanis, Hippocraticis & Galenicis: hæc passim scholis præstitisti. Cito infamem paragraphum tuum, *pag. 234. lin. 9.* qui testimonium reddet. *Receptarum combinatores, tanquam sortilegos, Consulo fugiendos & propellendos, qui de suis prodigiosis compositionibus de malis nostris negotiantur, & super vitam nostram mittunt sortes.* Vindicent Viri docti, sapientiam professi. Ego, quod addam, non habeo, quàm ut hunc scorpium proprio & inflicto vulneri atteram; vel sic mihi medicaturus. *Simile hominum genus perdidit Socratem*, inquit de se *Tachenius*, *& Aristotelem, quod certè veneficiis ac latronibus longè perniciosius est, quoniam speciosis veritatis titulis opprimunt.* Negotiatus est prodigiosis compositionibus, sed necem multis *novellus Hippocrates*, ut supra demonstravi, pessimus Receptarum combinator, sortilegus, agyrta, intulit.

Pag. 229. lin. 26. facetè quærit: *Nonne Tyrocinii scriptores, sal perlarum & corallorum præparare docent cum aceto destillato? & postea abluere? qua tamen, inutilis reperitur, acida nimirum coagulantur cum soluto.* Imperitè, profectò, garris. Sed heus! *Tacheni*; nonne etiam Tirocinii scri-

 ptores,

ptores, ſui ſalem perlarum & corallorum cum aceto deſtillato præparare docent, toto cœlo errant: perlas & corallia deſtruunt; quod jam dudum, in *m. Animadverſ.* & ſuperiùs paulò, iterum monſtravi? Non ne tu ipſe tibi contrarius, errorem agnoſcis & prodis, quòd nimirum ſolutæ perlæ & corallia cum aceto ablui non poſſint, quoniam acida coagulentur cum ſoluto? Sed ſi aciditas aceti coagulatur cum ſolutis perlis & corallis, & ab iis ablui & ſeparari nequit; uti expreſsè ais: nonne ſunt deſtructa, ab indole naturali & virtute immutata? Quid faris? Cur tibi contradicis? Cur Reformatoris ſententiam ipſe defendis? Si Reformator voluiſſet ulteriùs perlas & corallia deſtruere cum aceto ſimplici deſtillato; prout Tyrocinia Chymica minùs rectè docent: profectò, nobilem hunc ſpiritum, pro eorum ſolutione verâ, ut & Baſilius Valentinus, non excogitaſſet. Si Reformator voluiſſet, ut aciditas ſolventis menſtrui coagularetur cum ſoluto, ſcilicet perlis, corallis, &c. ſicut tu, *imperite Chymice* qui meliora neſcis: hunc ſpiritum ſanè laudabilem tuo aceto ſimplici deſtillato non antepoſuiſſet. Si, inquam, Reformator minùs etiam artificioſè & dextrè ſua ſoluta abluere, & acrimoniâ privare, annifus eſſet: profectò, Idiota, ſicut *Tachenius*, manſiſſet in eodem, & ſpiritum hunc laudabilem non edocuiſſet. Si ipſe Benedictus Baſilius veram ſolutionem perlarum cum aceto ſimplici deſtillato potuiſſet obtinere; hunc ſpiritum pro vera ſolutione perlarum, ſicut tu ipſe teſtaris, non publicaſſet. Pudeat tam ignorantem te eſſe naturalium & Chymiæ Profeſſorem. Tanto

Turpe eſt Doctori, cùm culpa redarguit ipſum.

Si enim acida coagulantur cum ſoluto, uti apertè ais; in aliud etiam ens ambo tranſmutantur, in aliud eſſe, neutrum ſuis virtutibus conſtans. Hinc etiam ſequitur, quòd, etiamſi æs viride cum aceto, vel cum ſolis vinaceis aceſcentibus, loco aceti, conficeretur; en! ſecundum tuam opinionem, vel potiùs contradictionem, aciditas, ſeu acetum, coagularetur cum ſoluto cupro, & converteretur in aliud ens & aliud eſſe, à quo non eſt revocabile id, quod antè erat; ſed quid aliud diverſum ab utroque; & non ſimplex acetum iterum eliceretur. Ipſe proinde agnoſce, *Tacheni*, quàm *fallax ſit experimentum* tuum, *cujus notitia non præceſſerit*, *Bernard. ad Thomam*: *pag.* 231. *in margine.* Cur ipſe priùs non inſtituiſti probam, & hunc ſpiritum Veneris deſtillaſti & apparaſti, tibi ad invidiam laudabilem? Cur non tentaſti cum eodem ſolutiones Perlarum & Corallorum; ſicut Reformator te docuit fideliter & ſincerè. Vidiſſes equidem, & expertus eſſes, aliam eſſe ſolutionem perlarum, &c. tuo aceto ſimplici deſtillato; longè aliam cum hoc laudabili ſpiritu. Vidiſſes, inquam, acetum totum, ſcilicet ejus acidum, manere unà cum perlis, corallis, &c. inſeparabiliter ſociatum; ſpiritum verò Veneris ex ære viridi abſtrahi poſſe totum, ſine deperditione ejus ac virium; & neutiquam coagulari cum ſoluto. Ecce! hæc tibi imperito Chymico ſunt paradoxa. Viden' quàm fallax ſit ſcribillatio earum quidem rerum, quarum non habes notitiam? Intelliges, nî fallor, nunc. Nam ignoranter quæris, *pag.* 230. *lin.* 11. qualem prærogativam habeat magiſterium perlarum & corallorum Reformatoris præ aliis, quæ Tirocinia peſſimè apparare docent. Pro me reſpondes ipſe, *Tacheni*, inſcienter quidem & incogitanter; quòd *doceat id ſpiritus vitrioli qui præcipitat utrumque.* Et hoc eſt, quod volo, ut ipſe diceres, *Tacheni.* Tantus igitur, & tam rudis es *Chymicus*, & quidem *Hippocrates*, ut neſcias adhuc Tirocinia hâc in parte, niſi peſſimè, conſulere præparationem & præcipitationem magiſteriorum cum ſpiritu vitrioli aut ſulphuris: quâ nimirum præcipitatione res ſolutæ, perlæ, corallia, & his ſimilia conchiliorum, genera, & lapides precioſi, penitus deſtruuntur, comburuntur, & omnibus viribus privantur. Propterea fundum petunt & præcipitantur; ad omnem impoſterum ſolutionem inhabiles & mortuæ calces ſunt, viribus propriis omnique efficaciâ deſtitutæ. Clarum tibi ſit, *Tacheni*, exemplum, magiſterium cornu Cervi, aliorumque oſſium, quæ, ad eandem normam parata, oſſa & calces mortuæ ſunt, ad inſtar aliorum oſſium calcinatorum; è quibus nil quidquam deſtillatione, violentiſſimo etiam

igne,

igne, elicies, nec spiritum, oleum, neque talem volatilem; ut neque acidissimo, aut corrosivo etiam, spiritu illa denuo dissolveris; quin mortuæ sint calces, mortua terra, suo humido radicali, omnique virtute destituta. Propterea Reformator, te longè oculatior (absit arrogantia dictis) causam nullitatis, destructionis, & annihilationis virtutum, rationabiliter & concinnè, ipsâ experientiâ edoctus, edocuit; quòd nimirum ossa, perlæ, nec non corallia, aliaque conchilia, vi exurente corrosivorum spirituum comburantur, aut confusione contrariorum liquorum in præcipitationibus destruantur, & virtutes eorum penitus annihilentur: non verò, uti iterum stupidè asseris, *Tacheni, quòd potentior aciditas apprehendat solutum, & in illo coagulum suscipiat.* Pejus enim discurrere non poteras: quemadmodum si potentior aciditas apprehendit solutum, & in illo coagulum suscipit; nil aliud hoc est dicere, quàm quòd hi spiritus cum soluto coagulentur, ambo destruantur, & morte veluti afficiantur; adeoque mortuæ calces exinde fiant & sint: ipsâ quotidianâ experientiâ teste; quæ tibi ad oculum demonstrat, quòd prædicta magisteria præcipitata sint corpora mortua, mortuæ calces, ampliùs indissolubiles, incombustibiles, nullius virtutis aut efficaciæ. Ita, *Domine Tacheni*! Sic Hippocraticè, verè, & realiter oportet Philosophari. Præterea autem scias, *Proto-Chymice*, quòd longè alia res sit, quoddam metallum, præsertim perfectum, Mercurium etiam, aut minerale quoddam fixum, solvere corrosivis aquis, ac denuò illud præcipitare: alia verò, & diversa res, corpus quoddam combustibile & solvere & præcipitare. Illud prius retinebit, propter congenitam suam fixitatem, quâ igni resistit, suum esse, & in suum pristinum esse vi ignis reduci potest: hoc posterius verò comburitur vi corrosivi menstrui in solutione, & destruitur penitus penitusque in præcipitatione, virtutibus omnibus annihilatis. Hoc est, *Tacheni*, quod Reformator ex libro Naturæ, uti tu impudenter gloriaris, legit, & propterea res combustibiles corrosivis menstruis neque solvere, ut neque, & multò minùs, præcipitare voluit; sed magis sana docuit. Hoc autem tu, *Proto-Chymice*, cum omnibus tuis Tirociniis, ignoras. Propterea de re ignota perversum fers judicium: & temperare deberes linguæ, ne tam ludicra, tam nocua toti humano generi, effutiret: quibus efficis, ut multi tum sanitatis, tum vitæ & æris, detrimentum patiantur. Nunc te scire spero, hanc si tibi impresseris informationem, qualem prærogativam habeant magisteria Reformatoris, virtutibus suis nativis prædita, præ aliis, quæ tu, & tua Tirocinia, edocuêre, inutilibus & effœtis calcibus. Scias proinde, Reformatorem non ex Tyrociniis scripsisse, non descripta furta, sicut *Tachenius*, non nugas Hippocraticas novas, non mendacia, non contradictiones & hyperboles, non fallaces sales; sed vera & realia, ex libro Naturæ; quem Reformator exactiùs pervolvit, quàm *Hippocrates Chymicus*.

Adhuc semel in hoc tuo calumnioso capitulo mihi tecum res est, *Tacheni*. *Pag.* enim 230. *lin.* 4. consueto iterum Philosopharis more, dum ais: *Acetum & spiritus veneris reformatoris, non sunt nisi aqua imprægnata sale acido volatili, & si illud quidquam rodit, congulatur confestim, quod postea per combustionem, fixatur in alcali.* Optimè dixisti: præmium habebis, & sertum stramineum. Primò: quis vidit unquam salem acidum volatilem? (dico acidum salem; quod implicat) Sed transeant hæc, si analogicè, vel potiùs de potentiali, non actuali, aut existente, sed saltem de intellectuali, & conceptibili sale, in corrosivis aquis per intellectum saltem concepto, loqueris. Secundò: Si acetum simplex, & spiritus Veneris Reformatoris, ex ære viridi, non sunt, nisi aqua imprægnata sale acido volatili; ille autem sal, si quicquam rodit, confestim coagulatur cum soluto, qui postea per combustionem fixatur in alcali: quî fit autem, quòd spiritus Veneris Reformatoris, si solvit (non rodit) perlas, corallia, &c. non confestim, & nullo modo, coagulatur cum soluto, neque per combustionem fixatur in alcali; sed abstrahitur indeperditis viribus à soluto, sine eo, quod coagulatur cum soluto? Acetum verò destillatum simplex, *Tachenii* grande secretum, coagulatur confestim cum soluto, ita, ut

ut ejus acidum (scil. aciditas aceti, seu, ut *Tachenius* vult, sal acidum aceti) nequaquam à soluto iterum abstrahi aut separari possit, sed inseparabili nexu illi junctum maneat. Sequitur proinde infallibiliter, quòd toto ente different spiritus Veneris, ex ære viridi, ab aceto simplici destillato, Tacheniano secreto. Reducam in formam argumenti: Si spiritus Veneris, ex ære viridi, & acetum simplex destillatum, idem, ejusdemque virtutis & efficaciæ essent; & ambo non nisi aqua sale acido imprægnata; sequeretur, quòd ambo etiam cum soluto confestim coagularentur. Sed consequens est falsum: ergo & antecedens. Consequentiam falsam esse, in aperto est, & quotidianâ experientiâ comprobatur; quòd spiritus nimirum Veneris ex ære viridi à solutis perlis, corallis, oculis cancrorum, &c. eâdem aciditate & virtute abstrahatur, quâ affusus est: acetum verò, è contra, cum soluto coaguletur, ac inseparabili nexu illi societur. Ergo. Tertiò: Si sal ille acidus, qui spiritui Veneris, & aceto simplici inesse debet, juxta *Tachenium*, cum soluto confestim coagularetur, & postea per combustionem fixarentur in alcali: *lin.* 10. *ibid.* quomodo potest acidus spiritus, vel acetum, denuò ab illo alcali coagulato & fixato destillatione elici? Edissere, imperite *Tacheni*. Omne enim alcali fixum est de natura sua purè salsum, & nihil acidi continet; quin potiùs acidis contrarium sit totâ suâ substantiâ: juxta tuam ipsissimam assertionem, *pag.* 27. *lin.* 21. *pag.* item 13. *lin.* 19. Omnia igitur falsa sunt, contradictiones, & implicant. Quia omne alcali verum naturâ suâ fixum est; &, uti ipse hîc ais, quòd spiritus acidus aceti coaguletur & fixetur in alcali. Non potest igitur tuo jussu & imperio, quod semel coagulatum & fixatum est, spiritum illico acidum, & quidem volatilem, seu acetum, quod antea erat, ante sui coagulationem & fixationem, destillatione denuo præbere, jamdudum etiam propulsa humiditate aceti elementari in ejus coagulatione & fixatione salis acidi nimirum aceti; quæ humiditas expulsa necessariò ex tuo chaos catholico properanter occurrere & revocari deberet, in ipso puncto destillationis aceti, ex coagulato & fixato alcali. Aliàs enim non esset idem acetum, si humiditate suâ elementari foret destitutum; sed saltem sal acidus aceti, à coagulatione & fixatione solutus, & pristinæ illico volatilitati restitutus. Quæ omnia implicant, & prioribus tuis assertionibus multoties contradicunt. Disce igitur, *Hippocratice Philosophe*, *Tacheni*, meliùs fari, nugari, & disputare; ne in unâ periodo tot te involvas contradictionibus. Siccine Deo, proximo, & veritati satisfacis his nugis alcalinis? At sanè, si secundum Ciceronem, ad Rabirium, *Ubi quis semel perjuraverit; credere ei postea non oportet*: quis tibi, qui toties in fallaciis & contradictionibus deprehensus, & nullibi verax es, quis tibi fidem habeat?

Pag. præterea 226. *lin.* 12. cum plura tibi non suppeterent, quibus Reformatorem calumniari, & rabiei tuæ sputo defœdare posses, hoc grande illi objicis; quòd Joannes Fredericus Bauz, Med. D. Reformatoris nomen digno Anagrammate Pharmacopœiæ præfixerit. Vah! quid audio? Quid miraculi? Proh quantum! An non quilibet iniquissimus ea, quæ bonâ ac sincerâ mente candidè scripta sunt, in pessimam interpretari potest partem? Audi è contra, mi *Tacheni*, quæ Carmina, quæ Anagrammata, in nominis tui, ac eruditionis gloriam, condigna facta sint à Doctissimis Viris; utpote in vindiciis Helvici Dieterici adversus *Ottonem Tachenium*. Talia lege *pag.* 279. 280. & 281.

Ad Vespertiliones & Noctuas Taquenianas, Araneis & Alopecoroide se pascentes.

DUm tot *Vipereus* Tacquin *convitia falsa*
Evomit, & *Magnum carpit in arte Virum*:
Miror, quòd fuerint, qui stent pro parte maligni,
Miror, pro stupidi stes quoque parte viri
Nam si sal credis, dederit quod vipera fixum,
Non tibi, non illi, est candida mica salis.
Limpida Saturni sed si crystalla recusas,
DIETERICO, vereor, Plumbeus ipse fies.
Hunc maneant Crystalla: picem tu sumito nigrâ
In labrum, quoties vera maligna vomis.

Cunrad. Theodor. Lüncker, D. Medicinæ & Eloq. Professor publ. Marpurgi.

Aliud

Aliud Anonymi.

Vipereas fraudes, & plenos peste colubros,
Quæq; flagrant Lybico dira venena solo,
Omnia collegit Vir improbus. *Hic tibi prester,*
Hic seps, hic fuerit dente furente Draco.
Ille sacros fontes, & pocula pura venenat,
Non monstrũ infelix Africa majus habet. &c.

Epigramma in Excoctorem salis Viperini falsissimum.

Vipera Te genuit. Nudum Te vipera vestit:
Te salsum Medicum vipera salsa facit.
Vipera Te servat. Totum Te vipera nutrit,
Dum fert vipereas vipera cocta dapes.
Vipera te sanat. Te vipera ditat egenum.
Vipera Principium, Vipera Finis erit.

Hic tua prostant Elogia & Carmina, à Calliope tibi decantata, *Tacheni*. Ipse judica; utrum hæc meliùs in te: an D. D. Bauz anagramma, inculpatâ fide factum, in Reformatorem quadret. Speculum certò Vindiciæ tibi præbent Excellentissimi *Dieterici*; in quo faciem verè maculatam tuam videri poteris. Ablue, & abluere non desinas, illam, donec mundus mundo videâre. Tibi applica Joan. Caselii Græcum Poëma, & Francisci Balduini Commentar. de famosis libellis: περὶ τῆς διαβολῆς: pro lege & norma sint paucula ista. Tuam præterea, *Tacheni*, lege, perlege, & relege sæpius Vitam, à Clarissimis & Excellentissimis Viris descriptam. Memoriæ tuæ commenda D. D. Helwig *Dieterici* Epistolam ad Serenissimum Venetiarum Ducem, Franciscum Molinum, & Celsissimum Reipublicæ Senatum: ibi, quæ te convincent, invenies. Disce proinde cautiùs agere; meliùs de Viris optimè meritis judicare & scribere. Nolo repetere omnia: tu revolve. Longum nimis fore existimo, Lectori tædiosum, Tibi verò abominabile, tot commissa monstrare facinora. Parco itaque honori tuo: & pedem ad alia moveo.

Cæterum quod, *lin. 9. ibidem*, ais, me scripsisse: *spiritus noster veneris:* quid inde? Mea inventio est: licet etiam Basilii Valentini: à quo tamen ego non habeo. Quod verò pro liquore Alcahest venditârim, *mentiris ut Alchymista:* ut *Chymicus Hippocrates*; cujus professio, mentiri.

Ultimò hoc toto injurioso capitulo, & *postremo ejus paragrapho, pag.* 231. turpiter iterum inveheris in Reformatorem multis sarcarsmis, occasione, vel ratione Tincturæ Martis adstringentis: ad quæ superiùs obiter respondi. Pro Colophone pauca addam; nimirum ut non solùm audiat, sed potiùs vacuo suo cerebro inculcet, imperitissimus hic Chymicus, quem Tirones satius instruere possent; quòd non omne acetum cum ferro limato rubescat, neque, si aliqualem saltem rubedinem acetum contrahat, illa proinde sit vera ex ferro tinctura; cùm ille color aut rubedo nec constans, nec permanens sit in abstractione aceti, sed evanescat. Secundò: etiamsi acetum simplex destillatum veram aliquam & permanentem ex ferro eliceret rubedinem & tincturam; illa tamen non esset adstringens, sed potiùs aperiens & resolvens; adeoque contraria planè in virtute, à Tinctura Reformatoris. Sic imperitè nugaris, *Tacheni*, ebrius tuo aceto secreto. Deinde: estne illud, uti ais, *impertinenter & ignoranter nugari?* Edocere Tincturam Martis adstringentem, uti revera est (quam tamen, *Tacheni*, vitâ tuâ non parasti, non vidisti, neque gustasti: sed, uti Tirones & discipuli loquuntur; ita tu de tuo aceto) & pariter crocum Martis adstringentem solâ reverberatione parare? Quæ *fides* ob id tuo *aceto adhibenda*? Porrò inquis: *Concedit utrumque.* Quidni? Non solùm concedo, sed firmiter assero, & experientiâ tibi comprobabo, fieri posse Tincturam Martis adstringentem, cum spiritu legitimo Veneris ex ære viridi; & fieri quoque posse crocum Martis adstringentem solâ reverberatione. Quid implicat? Quid inde absurdi, *absurde Philosophe*, colligis? Estne hoc *impertinenter & ignoranter nugari*? An non tu potiùs ita procedis & mentiris? Hîc enim nulla est contradictio aut implicantia: non conceduntur duo contraria de uno eodemque subjecto; sed vera experientiâ comprobantur. Dic, quæso, iterum, *obscure Philosophe*, quid sibi velit sequens periodus: *docere salis & aceti contrarietates, & utrumque non cognosci?* Quis non miretur altum & profundum tuum stylum, & Ciceronianam

nianam Latinitatem? Me autem cognoscere & salem & acetum, & plura salia, ac tua alcalia omnia, ex his, ni fallor, experieris. Ad Cæsarem, ut dicitur, appellasti; & ductus es: cuticula pruriebat, & defricuimus.

Pag. item 232. *in margine* ais: *Acetum cum ferri limatura rubescit, spiritus autem Vitrioli coagulatur cum ea in vitriolum.* Vah! quantum tibi denuò secretum erumpit! Forsitan novus est Aphorismus Hippocraticus: an Chymicus? Quem Tirones & discipuli sibi imprimere debent; nisi antea noverint. Quem, quæso, consensum hoc marginale habet cum textu? Aut quid *occulti vel absconsi à sensibus & cognitione* affert? Demiror, mi *Hippocrates Chymice*, qui verecundiam in tantum prostitueris, nec erubescas quidem, quòd tam absona, sordida & abjecta scribisses, quin imò glorieris in rebus pessimis. Verùm stomachum mihi movet vel ulterior horum memoria, vel prolixior refutatio, ad quam nolentem, invitum, & reluctantem, mille illiciis & nequitiis me sollicitasti.

Caput ultimum attingo, quod maluissem silentio prætcrire; nisi hîc omnes calumniæ & convitia, sicut in unam sentinam & Mephitim communes sordes & immundities, confluxissent. Inscribitur: *Exitus acta probat.* Ita est; vel meo calculo: mendaciis cœpit, mendaciis finit. Calumniator & scurrilis nugator in Exordio: calumniator & nugator in Peroratione: Falsarius cœpit; Impostor desinit. Hoc est, quod semper cecini: qui semel scurra, nunquam paterfamilias, ut ait Cicero, pro Publio. Textus talis est:

CAPUT. XXX.

Cujus titulus:

EXITUS ACTA PROBAT.

Sciendi desiderio Pharmacopœam Regiam à reformatore ingenti gloriolæ pruritu conscriptam, multisque absurditatibus repletam, evolvi. Promittit Regibus, sulphur vitrioli narcoticum sub titulo laudani (a) *sed de hoc verè dici potest: Rex evasit fati ope, & non vitrioli sulphure narcotico, qui nullibi in toto receptariorum libro reperitur.*

a Fol. 549.

Sic etiam Reginis, promittit ludum præparatum, ad generandum lac, quem nunquam vidit aut agnovit; hinc vulgo in proverbium cessit: Mentiris ut Medicus. Hoc ejus sulphur, illiusque ludus præparatus patriam non mutant, neque trans mare currunt: Dulce illis natale solum, ubi nata sunt, in cerebro scilicet reformatoris, ibi perpetuo hærent.

Sic in sumptuosissima Appendice Regiæ pharmacopœiæ, cum splendido apparatu sc. non lego Rege digna, nisi in omnibus ferè compositionibus, Magisterium nostrum solubile: quæ vana ostentatio, ipso Heraclito risum movere deberet, quod tamen nil aliud, nisi perlæ, & coralli cum aceto corrosi, ut cuilibet pharmaceutices Tyroni *satis notum est. Ipsus autem deridet, & cachinno excipit, Scriptorum longa recepta* (b)*! Sed quis unquam vidit aut legit longiora, quam in appendice ad pharmacopœiam Regiam? quis inconcinniora? exemplum sit compositum illud, quod specioso titulo, Pilulæ Regiæ vocat* (c) *ubi sane opium, omnes effectus quos promittit, solum edit, ad quid ergo aurum corrosum? cujus simplicis nulla est cognatio cum opio, columna pilularum, de his canit Homerus:*

b In Appendice ad Animadversiones fol. 53.

c Fol. 123.

> *Pharmaca mixta, salubria multa & noxia multa.*

Profectò congressiones simplicium, ad ignari lubitum factæ, Reges infatuant & exanimant, occasioque medendi (d) *in momento labilis, incertis conjecturis, præterire facit. Unicum hoc addo: Receptarum combinatores, tanquam sortilegos, Consulo fugiendos & propellendos, qui de suis prodigiosis compositionibus de malis nostris negotiantur, & super vitam nostram mittunt sortes: impossibile est inquam,*

d Hipp. 1. Aph. 1.

Unica materia non potest simul duas species habere, quod à nostris attentè notandum.

quam, vel ad minus difficile, ut de sola urtica ostendi, aliquid certi statuere posse, nisi sola opinione & conjectura. Quotiescunque autem singulæ res, intentum non habent, tunc nimirum compositione indigent, ut de potionibus vulnerariis, de tincturis & atramentis luculenter demonstravi; & adhuc unico exemplo ostendam. Sit salviæ succi p. ij. vitrioli martis p. j; hi ambo commisti, subito nigricant: Alcali enim occultum salviæ; vitrioli acidum absorbet. Post horam, acidum quatenus minerale, superat debile alcali vegetabilis, & compositum viridescit: cui adde adhuc tres partes vitrioli tunc non induit nigrum colorem (ut ratio suadet) sed alcali, absumit tunc, subtile saltem acidum & vitriolum in ocram vertit, sicut ei contingit, quandò spiritus paulatim deficiunt: verùm, quò digredior? quùm sciam ferendum esse, quod mutari nequit.

a In Append. fol. 38.

Reformator tamen assiduè (a) hujusmodi composita cum suavitate commendat: fælices sanè essent Medici & ægroti inquit; si similia medicamenta illis suppeterent, quæ verè REGIA sunt, & tam exiguo pretio, ut etiam in pauperum usus dispensari, &c.

Ad vos nunc me converto, ingenui Pharmacopœi, calculum saltem faciatis & judicetis, non quidem plurimorum inutilium laborum & compositionum, quæ si omnes in promptu esse deberent, vix tota Augustanorum Civitas eis capiendis sufficeret! sed saltem, pro hujus aceti distillatione ex ærugine, corallia erodenda; ut si vasa, instrumenta artisque requisita, cum tempore supputetis! ubinam reperitur pauper (ut ait) hujusmodi sumptus faciens? Sin verò exiguo pretio, hæc & similia artificiata dispensabitis!

Tunc labor est in damno crescitque mortalis
egestas.

Sed si crassis vanisque opinionibus à reformatore hinc indè commissis, diutius immorari vellem, numerus dicendorum nimis cresceret, quòd ex primo syrupo (b) manifestum fiet, hic, ut & reliqui, fuere ab antiquitate inventi, ut cuique individuo propinari possent, & etiam ad promptitudinem, & compendium officinæ: sed, cum perquam

b Syr. de Absinthio phar. fol. 17.

plurimi, odores præsertim spicæ, ægrè concoquant, & sine stomachi subversione & eructatione non perferant, imò digestioni reluctantur, ut apparet in cibis aromate conditis, qui stomachi fermentum pessundant; hinc simplicem cibum, saluberrimum laudarunt veteres (c). Hanc ob causam, etiam pro hoc syrupo, Absinthium ponticum, ut minus odorum, elegerunt, atque simul cum spica, in vino veteri coxerunt, ut unà cum vini spiritu, cui odor facillimè associatur, penitus abscederet, quod probat succi cydoniorum additio; nisi enim hæc veterum intentio fuisset, hujus syrupi loco, in usum vocassent cydoniten & absynthiten, ut videre est in Dioscoride (d) remanens, cum saccharo à cano situ defendebant, & in syrupum inspissabant.

c Homini cibus utilissimus simplex: acervatio saporum pestifera Plin. lib. 11. c. 53. 5.

d lib. 5. cap. 49.

Sic quoque diversa vina, simul mixta, & potata ut in convivus fieri solet, non solum Rectori humano (quem supra capit. 15. in ore ventriculi sedentem ex Hipp. (e) ostendi) magnum laborem & molestiam adferunt, pro eorum unione, sed insuper inebriant facillime (f), & ut furiosa, nonnunquam in delicatulis per vomitum rejiciuntur: cum vero earundem uvarum succi, multiformes & varii per fermentationem, coüniuntur, tunc ex diversis rectoribus, fit unicus salubris & stomachum non lædens potus: quemadmodum ex diversis simplicibus per fermentationem coünitis fit Theriaca, cui unicus rector prædominatur: hinc ab Avicenna magnæ virtutis prædicatur, ut in præfatione notavi.

e De humoribus.

f Id etiam observavit Gior. Boccatius 7. Nov. 2. fabula.

Cum autem instituti mei non sit hic ut dici solet, lapillum in littore maris ostendere, ubi numerum infinitum esse constat: præcipuè cum hoc scribendi genus, naturæ & genio repugnet, me tædet, nugis diutius immorari, quæ propter calamum jam repono.

Absit quod nesciam rem ignotam in usus proximi demonstratem carere calumnia.

Ecce rem; cum hæc in scenam prodiit reformator, priusquam Naturam in omni re similem agnovit.

Nunc nostris, pro corollario, tria verba in aurem; acidum informat alcali. His vetustissima medicinæ, & novissimi salis viperini antiquissima fundamenta, si me intellexistis, absoluta concordantia, similitudine perpetua, & immutabili, ex natura decreto & Hippocra-

In acido habitat specificus Rector, qui informat alcali.

te meo, armonica & mechanica ratione summa necessitate, inter se convenire debere ostendi.

Hunc naturæ, & artis consensum, cum olim fictus noster amicus, ab exemplis capere, neque percipere potuisset, insurgit, & instar canis rabiosi invadit, mordet, calumniatur sesequè alius longe ante ponit, ut per totum ejus scriptum apparet: sic qualibet avis, juxta modulamen rostri sui cantat, secundum illud Terentii (a) *Homini imperito, nunquam quicquam injustius, qui nisi quod ipse facit, nil rectum putat.*

a In Adelph. act. 1. sc. 2.

Infidelis hic homo quam cœpit, prosequitur semitam, & viris bonis, ut Rhodii Herculi solebant, maledictis sacrificat. Legisti Pharmacopœiam Regiam, *rustica progenies*; sed non sapiunt pharmaca & receptarum combinationes Reformatoris. Compatior labello, quòd dignam non offeram offam, aut labris lactucas. Quid mihi succenses, quòd canis offa, quòd asinus carduos appetas, & ego incautus regia tibi bellaria obtulerim, contra Erasmi monitum, ne præberem paleas cani, & asino ossa? Sed erravi, *Tacheni* (ignosce labili verbo) dum te asino comparo: textum tuum ad literam non observâram. *Sciendi desiderio Pharmacopœam Regiam evolvi, &c.* Quid novi audio *mysteriose vir?* Scire desideras, cùm Hippocrates sis? Scientiæ desiderio & ardore flagras, post *occulta, admiranda, & absconsa hactenus à sensibus & cognitione*, nunquam hactenus visa orbi revelata? Rem meliùs examina: iterum gratiose mentiris, arbitror. Calumniandi desiderio Pharmacopœiam Regiam evolvisti; quod confirmant sequentia tua scommata: *à reformatore ingenti gloriolæ pruritu conscriptam, multisque absurditatibus repletam evolvi.* Hoc erat sciendi desiderium tuum, ut fascino plenos oculos tuos meæ Pharmacopœiæ Regiæ immitteres; ac innocuum traduceres. Cui pruriunt ad gloriolam artus? an mihi; an tibi, *Ardelio?* Regia Pharmaca dedi; quia & pretio & effectu talia sunt: tu *admiranda, jucunda & absconsa hactenus à sensibus & cognitione* promisisti, interim stulta & nugatoria reddidisti, ac furta. Me sequitur condignus laborum honos, & umbra virtutis, gloria: te sequitur avita stultorum merces, quos gloria vexat inanis; risus, & puerorum jocus. Quis non vidit hactenus, quòd ingenti gloriolæ pruritu tenearis, qui te cum tuis mirum in modum *sapientum sapone* defricuisti, dum mulus mulum scabit? Quod verò multis absurditatibus repleta sit Pharmacopœia, nunc in præsentiarum diluemus; mox sententiam laturi. Sed metuo, ne redeat in authorem scelus.

Dicis, me promittere Regibus sulphur Vitrioli narcoticum, in Laudano Opiato, Pharmacopœiæ Regiæ, *pag. mihi* 561. *edit.* verò *Belg. pag.* 849. Ecce! quàm verum, quod Petrus Blesensis ait: *quidam in suis mendaciis gratiosi sunt: quidam laborant esse veridici, & mendacissimi reputantur.* En! quàm facilè hic noster *Tachenius* respirat, post bina, eaque gratiosa, mendacia, uno spiritu & anhelitu prolata. Falleris, *Tacheni*. Ubi unquam, in meis lucubrationibus, & Regia Pharmacopœia, reperies, quòd *Regibus sulphur Vitrioli narcoticum promiserim?* Cita iterum locum. Scripsi, inter reliqua pauca ingredientia Laudani opiati, sulphuris Vitrioli rubicundi narcotici drachmas tres: Regibus nihil promisi. Mentiris, secundò, quòd *sulphur Vitrioli narcoticum nullibi in toto receptariorum libro reperitur.* Taceo enim Quercetanum, Keslerum, Agricolam, Schröderum. Lege Apocalypf. Hermet. Libavii, p. 1. c. 14. de vitriolo. Item Alchym. Pharm. cap. 32. de Essent. Comp. Item de igne naturæ, c. 32. de Stibio ex Suchthenio: lege Beguin. Tyroc. Chym. l. 2. cap. 20. pag. 431. tit. Tinct. aut sulphur narcoticum Vitriol. lege Practicam Chymiatr. Hartmanni, titul. de Lepra, pag. 194. & 195. ubi de suo Viridello, & sulphure Vitrioli narcot. quod Tincturam Antimonii adæquat. Et quid tuus Helmontius, tit. Duumviratus, paragr. 7. ubi dicit: sulphur Vitrioli summè soporiferum, sed non fixum. Ecce! hi omnes te circumstant, & te iterum palmo labellum ferire jubent: quod est dicere, palàm mentiris, *Tacheni*. Apud hos omnes, & nos, docetur & reperitur sulphur vitrioli narcoticum. *Rex* novus Hippocrates *evasit fatiope* proprio cerebro & dementia,

mentia, *non vitrioli sulphure narcotico*; sed Tartaro Vitriolato summè emetico, Mercurio sublimato corrosivo, Caseo Molliculo, sale alcali ex non alcali, seu sale lixiviali, Tinctura Corallorum deniqueex Calce.

Eadem pag. lin. 21. ais: *Sic etiam Reginis, promittit ludum præparatum, ad generandum lac, quem nunquam vidit aut agnovit; hinc vulgo in proverbium cessit: Mentiris ut Medicus.* Non bene legisti *Tacheni. Mentiris ut Alchymista*; fert proverbium; non, ut Medicus. Sed & hoc deinceps abrogabimus, & scias, velim, quòd imposterum in Austria, & quò nostra hæc Apologia perveniet, utemur hoc triverbio: *Mentiris ut Tachenius.* Quæ autem de ludo præparato dicis, quòd Reginis promittam, ad generandum lac, *in Pharmacopœia Regia, pagina* 582. ubi præscripsi Pulverem ad generandum lac; cui pulveri, inter reliqua ingredientia, apposui Lapidis lactei præparati (est lapis mollissimus, instar saponis ad tactum) vel, hujus loco, accipiatur

Ludi Lapid. Helmontii præpar.
vel etiam
Silicum Molliorum, qui, ferro attriti, ignem non concipiunt, cujuscunque horum, unciam unam semis:

ex hac Compositione fraudis occasionem accepit noster *Hippocrates*, quasi solum hunc lapidem, ad generandum lac, & solis Reginis, promisissem. Mentiris ut *Tachenius.* Pauperibus æquè ac divitibus, Regi & gregi, Reginis & plebeis; nec solum hunc lapidem, sed in concreto, unà cum reliquis ingredientibus & toto composito, promisi ad lac generandum. Utatur etiam hoc lapide, si quam lacte cupis turgere Nympham: nulli negatur. Solis enim Reginis non destinavi: liberalis sum: nihil celo: nec sum, ut tu, Euclio; cui omnia *illico sunt operosa*, & *secreta* quæ *molliculum* generant *caseum.* Quod spectat ludum lapidem Helmontii; ejus mihi facta copia fuit à Clarissimo quodam viro, ipsi quondam Helmontio familiarissimo: qui particulam mihi præsentavit, dum in nostris partibus sacris initiaretur. Curiosior ego exinde factus, sedulò inquisivi; num etiam in nostris partibus ejusmodi Lapides extarent. Quæsivi, & inveni, etiam in hoc loco, ad ripam Danubii (nam & Helmontii Lapis prope flumen eruitur) ad quam ingens copia & penus dictorum lapidum reperitur, variegatis punctis, aut potius venulis, qui flavo utplurimum & aureo colore distincti, glabri & teretes, ad æmulationem marmoris, molliusculi tamen, ut etiam cultro facillimè raspari se sinant, aut solo affrictu in pulverem subtilissimum atteri possint. Hos lapides, inquam, Medicinales reperi facilè resolubiles: prout etiam silices, lapides molliusculos, qui ignem non concipiunt, multum de sulphure non inflammabili; adeoque ambo non modicum de spiritu, seu semine, auri continentes, salubres, & multorum affectuum antipharmaca; quoniam absumunt acidum infensum & morbosum ventriculi intestinorum; facilè in ventriculo resolvuntur, ac quasi in chylum & lacteam substantiam commigrant; denique medela sunt plurimorum morborum tum secundario, tum primario, & per se. Novi ego virum magnæ Experientiæ, uti & Theoriæ, qui innumeros pauperes hoc lapide misericordissimè sublevavit & erexit; quod gratis accepit, gratuito egenis redditurus. Quid denuo mirum, si ignoti Idiotæ nulla cupido, & hujus lapidis desiderium, quem nunquam tractavit: de quo tamen iterum *Hippocrates novus*, ut *Tachenius*, insigniter mentitur, dum ait: quòd & *sulphur narcoticum Vitrioli*, & lapis hic (non *ludus præparatus* Helmontii, ne denuo hyperbolizes) *patriam non mutent, neque trans mare currant: Dulce illis natale solum, ubi nata sunt, in cerebro scilicet* Magni Ottonis Stoi, *ibi perpetuo hærent.*

Sed quas iterum tibi cogor abstergere lacrymas, *Tacheni*, Virorum afflictissime! quàm justè quereris & lamentaris, *pag.* 233. *lin.* 5! *Sic in sumptuosissima Appendice Regia Pharmacopœiæ, cum splendido apparatu &c: non lego Rege digna, nisi in omnibus ferè compositionibus, Magisterium nostrum solubile: quæ vana ostentatio ipsi Heraclito risum movere deberet, &c.* Luctum tibi, mi

mi *Otto*,facetiis adimam. Audi,quæ ab exemplo tibi affero. Notissima est Aula, & plus quàm cognita Persona, quæ cùm, Principi suo ad epulas ministrando, clientelam suam & obsequium deponere solita erat, & frequentiùs quidem; incidit in quendam Aulicum, cui lances & orbem removere voluit selectioribus dapibus refertam. Huic illico Aulicus: Apage! *non decent ejusmodi Morionum & Parasitarum labra turdus & acipenser.* Cui ex abrupto festivè afflictus Minister regessit: *Mi Domine, quoniam videram vel à longè, quòd hi boli, sapientes, & non moriones, deceant; ideò abs te ad me transferre volui,ut debitum sibi reperirent palatum.* Finis dialogi risus fuit, & ministro honos. Ita, mi *Tacheni*,licet tu nihil legas in Pharmacopœia mea *Rege dignum*; ex instituto & re notâ hoc accidit. Non enim Morionibus, non Fumivendulis, neque Thrasonibus, scripsi, qui in mirabilibus supra se ambulant, cœlum considerant, & in luto discurrunt. Minimè: sed Regibus destinavi: hoc est: Viris in doctrina & officio præcellentibus: uti & ipsi Regiæ Majestati. Neque paradoxum existimes, Viros doctrinâ & consilio conspicuos Reges appellare, commune hoc fuit Sacræ antiquitati. Lege Florum, l. 1. c.18. Liv. lib. 9. Lips. admirab. l. 4. c. 2. ubi reperies, quid Cyneas,Pyrrhi Legatus,Regi suo responderit, Româ redux: *Visa est*,inquit,*mihi Vrbs templum: Senatus verò Consessus Regum.* Sic primò Regibus destinavi, & Nobilitati. Sic Regibus destinavi, Viris, studio, scientiâ, & experientiâ eminentibus. Hi pridem dixêre,& publicis monumentis sancivêre, quòd Pharmacopœia nostra Regia sit, & medicamenta dignissima. Rideat nunc potiùs severior Heraclitus quisquilias tuas,lixivia tua, ad callos pedum panaceam, corallorum tincturam, saponem Venetum, calcem epuloticam, & Tartarum vitriolatum emeticum & deleterium; quæ tua sunt revelata secreta; & abunde satisfiet risui, splene tumente. Forsan Regiæ nostræ Pharmacopœiæ majestas (invitus hæc commemoro) Heraclitum ad pristinam severitatem componet. Quòd autem scripsi: *Magisterium nostrum solubile*: de condicto id egi; quia de proprio protuli. Meus hic partus est: mea industria: nostrum est magisterium, Reformatoris,Zwelferi. Non sunt plumæ alienæ,Helmontio aut Libavio (uti Viperini fundamenta salis) ereptæ; non aliena spolia. Quare non gloriolæ pruritu,sed veritatis instinctu, hæc scripsi. Sed prodit iterum decumanum figmentum, quòd magisteria nostra solubilia nil aliud sint, nisi *perlæ, & coralli cum aceto corrosi, ut cuilibet Tyroni satis notum sit.* Magna est differentia, *Tacheni:* qualis nimirum inter vivos & cadavera deprehenditur. Communia magisteria calces sunt inutiles,morticinia, effœti cineres, vulgari aceto corrosi, & præcipitante spiritu sulphuris usti & cremati, umbræ denique perlarum & corallorum: solubilia verò nostra magisteria integris perdurant viribus, nullis corrosivis pessumdata, naturæ nostræ amica,morbis strenuè reluctantia. Vix hæc expedio, & recens mihi obtrudis mendacium,*Tacheni, pag.*233. *lin.* 17. *Ipsius autem deridet*, inquis, *& cachinno excipit, Scriptorum longa recepta,&c.*Iterum plusquàm *Tachenius* mentiris: &, ut statim te convincam; vade iterum mecum ad Appendic. ad Animadversiones meas,*pag.* 31. & audi, quàm sit conveniens testimonium tuum. Textus noster talis est:

Quapropter cùm arduum sit, cognoscere, & nemini adhuc satis perspectum, quomodo res naturales intra etiam limites unius ejusdemque regni in se invicem agant; consilio magno nobis sit, prout sæpius mentionem feci, ut, simplicitate in re Medica contenti, in congestione tot tantarumque rerum diversarum,labore inutili supersedeamus, & parciores nos prabeamus,atque vel uno simplici simpliciter,ad quod à DEO *conditum est, vel saltem paucioribus, inter se tùm manifestè, tùm occultè, non contrariantibus, Medicinam faciamus, &c.*

Vide nunc, *ridicule Thraso*, quales sint hi cachinni, quibus me ridere longa Recepta asseris:an modestiùs rem innuere: an mitiùs corrigere fas erat? Sed adducamus hispida verba tua, & nodosa scommata, quibus,*pag.*234.*l.*8. *Vnicum*, ais, *hoc addo: Receptarum combinatores, tanquam sortilegos, Consulo fugiendos & propellendos, qui de suis prodigiosis compositionibus, de malis nostris negotiantur, & super vitam*

vitam nostram mittunt sortes. Vide, Hypocrita, quàm inculta verba Authoribus & Viris sapientiam professis obtrudas: quàm sarcasticè in Medentes animadvertas: ac, ut in Teutonico vulgari dicimus: **Wie hefftig du mit der Sauglocken leutest**: Apage iterum, *teneræ conscientiæ homuncio! qui vetas in templo spuere, & mingis in altare*: ut olim cecinit quidam, nomine *Tachenius, in suâ Echo.* Adduco iterum, post hæc, mendacia plura, figmenta tua. *Pag.* enim *priori*, 233, *lin.* 19. ita faris: *Quis unquam vidit aut legit longiora* (scil. recepta) *quam in Appendice ad Pharmacop. Regiam? quis inconcinniora?* Redi iterum ad textum meum supra citatum; & contrarium leges, & os tibi obturabitur, *mendacissime Tacheni*, dum legeris, quòd omni arte & studio suaserim, ut pro viribus remediorum compositiones homogeneæ, succinctæ, & in unum effectum directæ, instituantur. Videamus etiam, quàm inconcinna remedia divulgaverim: *exemplum sit*, ais, *compositum illud, quod specioso titulo, Pilulæ Regiæ vocat, ubi sane opium, omnes effectus quos promittit, solum edit, ad quid ergo aurum corrosum? cujus simplicis nulla est cognatio cum opio, columna pilularum, &c.* Verùm scrutentur hanc nostram Compositionem æqui arbitri, ac analytico ordine pertranseant. Et primò, si inspiciamus, quàm longa sit hæc Regia Compositio, aut quot ingredientia contineat; reperientur numero solùm novem: & 1. Aurum essentificatum cum Tinctura Antimonii, tanquam celeberrimum Cordiale, Alexipharmacum & Sudoriferum: 2. Ambra grysea: 3. Ol. Cinamomi: 4. Ol. Citri: 5. Ol. Rosarum verum destill. 6. Ol. Nucistæ expressum: 7. Extract. Opii: 8. Extr. Croci: 9. Saccharum, saltem pro imprægnatione & legitima unione, & subsequenti dissolutione Ambræ & Oleorum destillatorum, adjectum. Si, secundò, consideremus concinnitatem pauculorum horum ingredientium; quis, quæso, non viderit concinnitatem? An unquam laudanum concinnius hoc fuerit dispensatum? Omnia enim ingredientia, præter opium, conspirant in unum effectum, Cordis, Cerebri, facultatumque Animalium & Vitalium restaurationem, adeoque in totius conservationem, & malignitatis expulsionem. Opium verò legitimè correctum, narcosi suâ privatum, & optimè n. m. præparatum, quid addit his, nisi virtutem anodynam, dolorum compescentiam, sine spirituum forti ligatione? Nec omnem præripit opium reliquorum præstantissimorum ingredientium operandi calculum: quia in tam minuta dosi adjectum est, ut totum Compositum viribus non excedat; sed in competenti dosi propinari possit: quâ ingredientia omnia, præsertim tam nobile, pretiosum, & essentificatum Aurum, suas vires & virtutes exserere queant. Propterea saccharum duplici de causa (quæ autem ignorans *Hippocrates noviter inauguratus* non penetrat) in maxima omnium dosi & quantitate adjectum est. Instituamus igitur computationem unius doseos hujus Regiæ medicinæ, & ponamus drachmam unam pro dosi. Illa drachma, exactè computata, continet circiter opii correcti & extracti gr. vß. Ambræ gryseæ gr. vij ß, Croci Auri essentificati gr. vij ß. Extr. Croci gr. iiij. Ol. Cinamomi gr. iij. Ol. Citri gr. ij. Ol. Rosarum gr. j. Ol. Nuc. Mosch. expressi gr. iiij. Reliquum est Saccharum, pro exactiore mistione & dissolutione Ambræ & Oleorum destillat. associatum. Tanta dosis igitur, sine nocumento, urgente necessitate, propinari potest, non obstante opio: sit autem, si opium timeamus, drachma semis. Jam judicet Vir doctus, & expertus Medicus ac Chymicus, utrum opium omnes effectus, quos promittit hæc Medicina, edat, & reliquis omnibus palmam operandi præripiat; prout Chymista hic, vel, ut rectiùs loquar, Archi-Alchymista mentitur: utrum Regium tale medicamen paucioribus ingredientibus dispensari potuerit: utrum concinnius. Præterea addidi, *in Append. ad Pharmacopœiam* hanc Notam: *Quòd si fortè quispiam Opii extractum, propter frequentem & sæpius repetitam necessariam exhibitionem Regii hujus medicaminis, abhorreret; aut illud ipsum, in soporosis affectibus, ægrotis, quibus opium, ob morbi naturam, nocuum, propinare nollet; is posset aliam hujus medicaminis Compositionem, dempto, vel omisso, opio instituere: tali*

pacto, ſicuti ibidem deſcripta eſt. Sed quis offam depravato huic palato pro guſtu afferat? Ne quidem coquorum Princeps. Paulò ſuperiùs impetuosè Reformatorem arguit, ratione Aquæ Acoviſticæ, ſeu ad Auditum, Mindereri: cujus compoſitio triginta conſtat ingredientibus, ſine ordine & ſenſu ſibi adunitis; utpote heterogeneis & repugnantibus. Accedit etiam inconcinna & amethoda compoſitio & præparatio, ut vix calamus ſufficiat, quo errores annectam: prout videre eſt *Animadverſion. pag.* 283. & ex annexa eidem Aq. præparat. *pag. Append. ad Animadv.* 24. Hanc tamen Aquæ compoſitionem abſurdiſſimam in cœlum uſque extulit, ut Reformatorem cavillaret; D.D. Auguſtanis verò adulatus eſt, ne paraſitarum amitteret ſtipendium. Sed combinet Vir aliquis induſtrius Aquam Acoviſticam, erroribus horridam, quam tamen *Tachenius* collaudat; & noſtram hanc Regiam Compoſitionem: atque ſententiam ferat; quænam tam quoad ingredientia, quàm parandi modum, præſtet: & lubens æqui arbitri judicio ſubjacebo. Apparebit etiam turpis livor iniqui *Hippocratis novi* contra Reformatorem, quo Regiam Compoſitionem ſelectorum ingredientium, numero novem tantùm, repudiavit: cùm interim farragines XXX, quinimò centum, dicam trecentorum octuaginta octo, ingredientium (talis eſt Antidotus Matthioli, quæ ſedecim diverſas Compoſitiones requirit) cum cæteris plurimis ſpuriis dogmatibus & erroribus, adoptaverit. *Exitus* igitur *acta probat*; quòd ubique & conſtanter maledicus ſis, & inſignis hyperboliſta, nec ulli parcas: uti recenter iterum patet, dum Medicos, & D.D. Auguſtanos, *Receptarum combinatores* cavillando dicis; quin imò citra velle, & juxta legem in te repugnantem, ipſos D. D. Auguſtanos, quos defendere ſatagis, arietaſti. Sed de his ſuprà ad ravim diſſerui. Verùm ad quid iterum parietes, & marginalia conſpurcas, *pag.* 234. ubi ais, *in margine: Unica materia non poteſt ſimul duas ſpecies habere quod à noſtris attentè notandum.* Quid tui notare debent? An forſan, quòd rudis, & idiota ſis, ex hoc textu colligere debent? Vel enim intelligis, quòd una cauſa non poſſit producere diſtinctos ſpecie effectus; vel quòd una materia non poſſit recipere formas ſpecie diſtinctas; vel quod ſub eodem genere plures ſpecies realiter & adæquate diſtinctæ contineri & prædicari nequeant. Quidquid horum dicas, falſum eſt, & contra te, pro caligis Ariſtotelis, & pallio Medico, tuebimur oppoſitum. Dantur enim ejuſmodi cauſæ æquivocæ tam in genere cauſæ materialis, & formalis, quàm efficientis. Sed quid hæc tibi rudi? Neque enim oportet margaritas projicere, &c.

Quòd autem, ut inquis, *pag.* 234. *lin.* 15. *impoſſibile ſit, vel minus difficile,* ut *de ſola urtica oſtenderis, aliquid certi ſtatuere* (hoc eſt, in Pharmaceuticis & Chymicis) *niſi ſolâ opinione & conjectura:* hoc tibi ultrò credo, mi *Tacheni*, & demiror, quâ ratione denuò hæc tibi veritas eruperit. Hîc videmus (ex ore tuo) *antiquiſſimi ſalis viperini noviſſima*, aut nugaciſſima, *fundamenta: nihil certi ſunt; opinio, &* fallax *conjectura.* Videmus, quid ſint illa *admiranda jucunda & abſconſa à ſenſibus & cognitione, pag.* 7. *Opinio, conjectura*, phantaſiæ. Si nec urticam fatuam & mortuam comprehendis; quid ergo luſiſti *de materia Philoſophorum, de Corculo tuo, de molliculo caſeo*, & ingentibus ſecretis, in hoc opuſculo? Grata vel ex ore adverſarii veritas. Habent, profectò, quòd rideant Murani Vitriarii, Saponarii, ad flumen Nauſicca lotrix; quod toto ſplene rideant, dum retractationes tuas inaudiunt; quòd de faſtigio ſcientiæ in tantum defeceris, ut nec urticam perfectè cognoſcas, quæ in humili, & ad ſepes, enaſcitur. Sed limitat: *lin.* 20. *Quotieſcunque autem ſingulares res, intentum non habent, tunc nimirum compoſitione indigent, ut de potionibus vulnerariis, de tincturis, & atramentis* (ut conſequenter loquaris, nec mentiri in prioribus, videâre) *luculenter demonſtravi.* Hoc eſt, mi *Hippocrates*, quod Reformator, antevertens pridem ſomnia tua, ſciverat: hoc D. D. Auguſtani, & complures, quòd nimirum ſimplicibus ſemper purè putè adhibitis cura omnis & medela non ſuccedat. Igitur concinnæ compoſitiones, quas ideo Regias dixi, & magiſtralia remedia, adinvenienda erant. Et ſicut tu Compoſita, Tincturas,

cturas, Decocta, &, cum sutoribus, atramenta excogitasti plurium ingredientium: sic Reformator Trageas, Syrupos, Electuaria, Confectiones, &c. ex quibusque ingredientibus, juxta artis & indicationum leges, confecit. Neque contemnendum tu putas exemplum Compositi medicamenti tui, quod in sequentibus addis, *lin. 27. Sit*, inquis, *salviæ succi p. ij. vitrioli Martis p. j; hi ambo commisti, subitò nigricant: Alcali enim occultum salviæ, vitrioli acidum absorbet, &c.* Sed quid discimus hinc, *Tacheni?* Ergo omne fortè alcali occultum herbarum cum acido vitrioli nigricat, quatenus vitrioli acidum alcali occultum herbarum absorbet? Quod est falsum. Dic, si tantus *Philosophus Hippocraticus* es; cur salviæ succus, cur Rosæ, Cort. Granatorum, cur Gallæ, vitriolo unitæ, nigricant; reliqua verò vegetabilia, aut eorum succi, nequaquam. Majora nobis pandas secreta, quàm atramenti mysteria, quæ multis non egent speculationibus.

Ad finem properat *Tachenius. Ad vos nunc me converto*, ait: *pag. 235. lin. 22. ingenui Pharmacopœi, calculum saltem faciatis & judicetis, non quidem plurimorum inutilium laborum & compositionum, quæ si omnes, in promptu esse deberent, vix tota Augustanorum civitas eis capiendis sufficeret! sed saltem, pro hujus aceti destillatione ex ærugine, corallia erodenda: ut si vasa, instrumenta artisque requisita, cum tempore supputetis! ubinam reperitur pauper (ut ait) hujusmodi sumptus faciens? Sin vero exiguo pretio, hæc & similia artificiata dispensabitis!*

Tunc labor in damno est, crescitque mortalis egestas.

Et ego ad vos me converto, Artis Magistri, Pharmacopœi expertissimi: sympotia *Tacheniana* finem arripiunt; calculum saltem faciatis, quot absurda, contradictiones, nugas, imposturas, trabalia mendacia, in hoc minuto Opusculo, *novus Hippocrates* emendare & solvere teneatur: *quæ si omnia in promptu esse deberent, vix tota Augustanorum civitas eis capiendis sufficeret.* Repone caudam, *Vulpecula*, & palpum, quibus D. D. Augustanis affrictis blandiris. Norunt enim illi oculatissimi hanc inferre consequentiam: si ideò Compositiones Reformatoris minùs probandæ sunt, quia prolixæ; multò magis nostræ: & à potiori; quia eas magno ingredientium numero exsuperant, & habito respectu Augustanæ, ad Regiam Pharmacopœiam, breves sunt Compositiones illæ; nostræ verò utplurimùm fusiores. Cæterùm Dom. nostri Pharmacopœi gratias tibi habent, quod hactenus ad tumulum Novercæ flere dignatus sis. Non est quod queraris; *quoniam in damno labor est*: nihil, ut tibi, illis operosum. Norunt, quid prosit illis spiritus noster Veneris: quantum præstet aceto tuo simplici destillato corrosivo, perlas, & corallia in calcem & cineres pessundante. Mentiris, dicunt, *quod crescat inde mortalis egestas*: sed prodest egestati, *Vasa* etiam & *instrumenta* (nisi planè rudis & idiota sis, in apparando hoc spiritu) *artisque requisita*, perpauca sunt: quod requiris, maximum est, amplum vas recipiens, quod caput tuum adæquet; reliqua tanti non veniunt; nisi forsan æs viride tibi crumenam exhaurire credas.

Pag. 236. pergit: *Sed si crassis vanisque opinionibus à reformatore hinc indè commissis, diutius immorari vellem, numerus dicendorum nimis cresceret, quòd ex primo syrupo* (a) *manifestum fiet, hic, ut & reliqui, fuere ab antiquitate inventi, ut cuique individuo propinari possent, & etiam ad promptitudinem & compendium officinæ: sed, cum perquam plurimi, odores præsertim spicæ, ægrè concoquant, & sine stomachi subversione & eructatione non perferant, imò digestioni reluctantur, ut apparet in cibis aromate conditis, qui stomachi fermentum pessundant; hinc simplicem cibum, saluberrimum laudarunt veteres* (b). *Hanc ob causam, etiam pro hoc syrupo, Absinthium ponticum, ut minus odorum, elegerunt, atquè simul cum spica, in vino veteri coxerunt, ut unà cum vini spiritu, cui odor facillimè associatur, penitus abscederet, quod probat succi cydoniorum additio; nisi enim hæc veterum intentio fuisset, hujus syrupi loco, in usum vocassent cydonitem & absynthiten, ut videre est in Dioscoride*

a *Syr. de Absinthio phar. fol.* 17.

b *Homini cibus utilissimus simplex: acervatio saporum pestifera* Plin. *lib.* 11. *c.* 53. 5.

a lib. 5. cap. 49.

scoride (a) remanens, cum saccharo à cano situ defendebant, & in syrupum inspissabant.

Sic quoque diversa vina, simul mixta, & potata ut in conviviis fieri solet, non solum Rectori humano (quem supra capit. 15. in ore ventriculi sedentem ex Hipp. (b) ostendi) magnum laborem & molestiam adferunt, pro eorum unione, sed insuper inebriant facillime (c), & ut furiosa, nonnunquam in delicatulis per vomitum rejiciuntur: cum vero earundem uvarum succi, multiformes & varii per fermentationem, coüniuntur, tunc ex diversis rectoribus, fit unicus salubris & stomachum non lædens potus: quemadmodum ex diversis simplicibus, per fermentationem coünitis fit Theriaca, cui unicus rector prædominatur: hinc ab Avicenna magnæ virtutis prædicatur, ut in præfatione notavi.

b De humoribus.

c Id etiam observavit Giov. Boccatius 7. Nov. 2. fabula.

Absit quod nesciam rem ignotam in usus proximi demonstratam carere calumnia.

Cum autem instituti mei non sit hic ut dici solet, lapillum in littore maris ostendere, ubi numerum infinitum esse constat: præcipuè cum hoc scribendi genus, naturæ & genio repugnet, me tædet, nugis diutius immorari, qua propter calamum jam repono.

Ecce rem; cum hac in scenam prodiit reformator, priusquam Naturam in omni re similem agnovit.

In acido habitat specificus Rector, qui informat alcali.

Nunc nostris, pro corollario, tria verba in aurem; acidum informat alcali. His vetustissimæ medicinæ, & novissimi salis viperini antiquissima fundamenta, si me intellexistis, absoluta concordantia, similitudine perpetua, & immutabili ex naturæ decreto & Hippocrate meo, armonica & mechanica ratione, summa necessitate, inter se convenire debere ostendi.

Hunc naturæ, & artis consensum, cum olim fictus noster amicus, ab exemplis capere, neque percipere potuisset, insurgit, & instar canis rabiosi invadit, mordet, calumniatur seseque aliis longe ante ponit, ut per totum ejus scriptum apparet: sic qualibet avis, juxta modulamen rostri sui cantat, secundum illud Terentii (d) Homini imperito, nunquam quicquam injustius, qui nisi quod ipse facit, nil rectum putat.

d In Adelph. act 1. sc. 2.

Veni iterum, *Tacheni*, cùm absurdissimis & *crassis opinionibus tuis* sub dolabrum; ut te ad regulam dedolemus: vel, ut supra dixi; Sus sub fustem veni. Quid doces de Syrupo Absinthii? Absurdissima. Probas nimirum, & suades, ut pars ejus spirituosa totius energiæ & effectus origo, prolixâ, forti & apertâ coctura exhalet; quò faciliùs inodorum absynthium & spicam ventriculus digerat; & hanc vocas artem: Compendium officinæ: dispendium forsan dicere voluisti. Cur paleas & sarmenta non coquis; quæ vel maximè inodora: unde nec ventriculo officiunt? Sed deliras, profectò, Philosophe. Sapientum nemo in hoc tibi suffragabitur. Natura nil fecit frustra: non frustra vino dedit spiritum: non frustra herbis balsamicis odorem. Nostris Medicis laboribus studemus, totaque Medicorum Schola eò allaborat, ut virtutes rerum integrè conservemus; præsertim quæ in partium tenuitate consistunt: uti optimè, & sæpius, monent D. D. Augustani. Tu eas studio in auras depellere jubes, summæ stupiditatis & iniquitatis argumento. Vappa igitur Vini, & Vinum coctum, sit tibi, & porcis saginandis ferculum. Herbæ balsamicæ, diu coctæ, nobis vix arrident pro pedilaviis & balneis: multò minùs ventriculo nostro, cum vini vappa, gratæ erunt. Tu tibi hæc fercula reserves, medicamenta verè effœta. Plinii authoritas hic fallax est. Nam si *acervatio saporum pestifera* est, juxta Plinium, prout *in margine hujus pag. 236.* cum tuo Plinio, asseris; tua, revera, institutio & præparatio hujus syrupi est pestifera, syrupus Absinthii totus pestilens; quoniam in tua absurdissima præparatione conservas totum Absinthii amarissimum saporem, item de rosis, & spica Indica, adstringentem amariusculum, cum vappa vini; odoribus saltem, & partibus spirituosioribus, ventriculo & naturæ nostræ gratis, omnino & totaliter depulsis, ac in auras profligatis; in quibus tamen virtus maxima consistit, totaque partium tenuium energia. Vides, *Tacheni*, quàm tibi sis contrarius, & ipsa pestis? Quia si, uti asseris, coacervatio saporum pestifera; tu verò sapores omnes absinthii, spicæ, &c. in hoc coacervas syrupo, & partes saltem odoriferas, spirituosas, & tenuiores, prolixâ cocturâ depellis: quidni tuus, taliter paratus, syrupus erit pestilens? Vah! quàm

quàm turpiter cum omni sapientia tua deliras! Fortè saltem quatuor habes sensus, sapore & odore in unum compactis. Quid mirum ergo, si ita stomacheris? Siccine homines malè afficere tua vappâ vini, tuis effœtis ferculis, quæ nostri stomachi abhorrent, nauseant, & vix porcis saginandis digna sunt? Apage cum tua pestilenti doctrina! *Exitus* jam tua *acta probat*; quod tuæ contradictiones, tua iniquitas, non habeant terminum nec modum. Plura de his lege in recenter editis lucubrationibus n. ubi videbis, quàm firmis rationibus propugnem, nę ægris vappas & effœta lixivia præbeamus, quæ prolixis & apertis decoctionibus apparant Mysochymici & Apothecarii. Sed quid iterum pro dolabro affers, *pag. 236. lin. 26? Cibi aromate conditi stomachi fermentum pessundant hinc simplicem cibum, saluberrimum laudarunt veteres*: & in apposito margine: *Homini cibus utilissimus simplex: acervatio saporum pestifera Plin. lib.* 1. *c.* 53. 5. Sed rationem redde, *Augustani vindex*: Cur tot odores, sapores, ac balsamica, combinant (te ultrò propugnante) D. D. Augustani in Syrup. aperitivo Magistrali, de arthemisia, & aliis passim? Dices: in promptu solutio est; quia totam iterum virtutem & odores fugamus apertâ & violentâ cocturâ. Fateor. Licet absurdè respondeas; aptè tamen. Sed eamus ad alia, ubi cocturâ odores & sapores non dispereunt; quin imò studiosè coacervantur. Dic igitur, *Augustani defensor* iterum, & examina mecum Trageas aromaticas D.D. Augustanorum, Species item aromaticas, Confectiones plurimas, & Aquas destillatas, tum simplices, tum compositas, Stomachales, Apoplecticas, Epilepticas, & alias complures, quas constituunt tot balsamica & omnis generis aromata odoratissima & spirituosa, accedente nec non Vini spiritu. Estne hîc *odorum multitudo, & coacervatio saporum pestifera?* Iterum ex ore tuo te judico. Quî ergò hæc *stomachum non subvertunt?* Cur *digestioni* non *reluctantur?* Cur à D. D. Augustanis (quod ego non improbo) Ventriculo & Cerebro roborando destinantur? Possuntne plures odores, sapores, partes balsamicæ & aromaticæ, in uno quandoque horum composito ac concreto combinari, quàm ibi reperiuntur? Pessimus Philosophus es, quia malè distinguis. Non omnes odores ventriculo obsunt; imò pauci, vel nulli: tetri potiùs, & exitiosi, qui fœtores & miasmata potiùs sunt, quàm odores. Non omnis coacervatio saporum pestis est. Legistine Præceptorem tuum, quem libellus tuus loquitur, Helmontium, Tit. Magn. Oportet, pag. 97. paragr. 26. Tit. de Potest. Medicament. pag. 304. paragr. 26. & alibi: quid de odoribus dicat? Vide Tit. Imag. ferment. imprægnat massam in semine, pag. 71. paragr. 20. quàm ille pulchrè doceat, quia benè distinguit. *Sunt*, inquit, *nempe odores, qui dolores capitis, nauseas, vomitum, tusses, singultum, vertigines, epilepsiam, apoplexiam, &c. movent: sunt idcirco & alii, qui simili modo eadem sanant.* Et hi sunt odores impropriè dicti, potiùs vapores tetri & maligni, quales in fodinis reperiuntur, ab accensis carbonibus, in cellariis musto repletis, à cadaveribus & aëris contagio, qui substantiam cerebri replent, meatus obstruunt, cor ab inspiratione lædunt, aut halitum intercludunt, & talia accersunt. Sed hæc non ad balsamica, ad aromata, ad odores, propriè sic nuncupatos, derivari debent. Erras longè, mi *Tacheni*: pulchrum tibi adduco locum ex citato superiùs Helm. Tit. seu paragr. 19. unde discas, quantum, cum Plinio tuo, oculatus esse debeas in conservandis odoribus & spiritibus rerum balsamicarum. *Odore*, inquit, *& lumine delectantur spiritus, eò quòd lux & odor illos immediatè attingant & penetrent. Etenim spiritus sanguinis in Lipothymico plus tostæ carnis odore, quàm aromate, refici deberent, nisi fragrantia, quatenus citò attingit vitam, in hanc puritatem & suavitatem præpararet. Videntur ergo odores spiritus abstractos attingere, quatenus pestilens odor, naribus non perceptus, Archeum horrore quatit.* Hæc ille. Quæ sanior, & suaviùs olens doctrina de odoribus est, quàm tua; quam meritò ridemus. Quòd autem rejicis, *pag.* 237. diversitatem vini potandi, & vappas sua-

des, ac per decursum, quâ ratione vina inebrient, temulentus doces, levia sunt: ac tibi & combibonibus tuis committo; ut ex libro, quem citas, Hippocratis, de humoribus (suadeo de diæta) *Rectorem humanum* adhibeatis, ne vobis varietas vini nocuerit. Sed quòd dicis, *pag.* 238. *lin.* 1. *ex diversis simplicibus, per fermentationem coïtus, fit Theriaca, cui unicus rector prædominatur: hinc ab Avicenna magnæ virtutis prædicatur, ut in præfatione notavi*: turpiter te convincis, ac tibi contradicis, *pag.* 234. *lin.* 3. ubi asseris: *Profectò congressiones simplicium, ad ignari lubitum factæ, Reges infatuant & exanimant.* Hoc est, quod sæpe dixi: res ardua est, consequenter mentiri. Nam mendacem oportet esse memorem sui. Si ignari excogitarunt simplicium magnas compositiones, si Reges infatuant & exanimant; cur ergo tu eas, cum Avicenna, quem citasti, approbas laudasque hoc loco? *Tacheni*; quod semel placuit, displicere ampliùs non potest: Regula Juris est. Quid autem Theriaca sit, ejus anatomiam specta ex n. Opere, Classe propriâ, de Theriaca.

Descendo ad *pag.*238.*paragr.*2. ubi ais, *lin.*8. *Cum autem instituti mei non sit hic ut dici solet, lapillum in littore maris ostendere, ubi numerum infinitum esse constat: præcipuè cum hoc scribendi genus, naturæ & genio repugnet, me tadet, nugis diutius immorari, qua propter calamum jam repono.* Mendax cepisti: mendax desinis. Mentiris, quòd genio tuo repugnet hoc tuum scribillandi genus. Quin proprium tibi est in quarto modo, calumniari & innocuos traducere. Si enim genium mutare voluisses, hunc scommatum fasciculum, ex professo colligatum, nunquam in forum tulisses; sed frequentatis melioribus actibus, pristinum & probrosum habitum convitiandi deposuisses. Nemo, profectò, à quo Europa literatos numerat, malitioso calamo, & nequissimo scribendi genere, liberè adeò Viros sapientiam professos, licentioseque exagitavit, quàm tu, *Otto Tacheni*: prout tibi per decursum, ex authenticis translatis copiis & testimoniis demonstravi; & de te impressi libri testantur. *Repugnare autem naturæ hoc scribendi genus*, verum est; sed vel maximè conscientiæ tuæ, si quam habes, quòd non provocatus, non lacessitus, famam incidere tentâris Viris innumeris; de præsenti verò, Reformatori. Inspice tuum hujus paragraphi ridiculum marginale, & ipse judica, quàm bene, juxta illud, res tuas peregeris.

Et hæc sunt, quæ, in toto tractatu de novissimo Viperino sale, attulit *novus Hippocrates.* De quo sale olim cecinit *Conradus Theodorus Lünckerus, Publ. Professor Marpurgi*:

Nam si sal credis, dederit quod vipera fixum,
non tibi, non illi, est candida mica salis.

Exitus igitur *acta probat.* Concludamus, Amice Lector, cum hoc Doctissimo Professore, & dicamus: Insulsa sunt novissimi salis Viperini antiquissima fundamenta, & nec micam salis continent. Sic cum sapientibus Europæ sapimus, contra magnum *Ottonem.*

ECCE REM; cum hac in scenam prodiit reformator cum Tachenio, qui *naturam in nulla re similem agnovit.* Hæc sunt, quæ *novo Hippocrati* erant promulganda. Sed quid iterum, abituriens de Theatro, obgannis, *postremo* planè *paragr. Tacheni*, pag.239? *Hunc naturæ, & artis consensum, cum olim fictus noster amicus, ab exemplis capere, neque percipere potuisset, insurgit, & instar canis rabiosi invadit, mordet, calumniatur seseque aliis longe ante ponit, ut per totum ejus scriptum apparet: sic qualibet avis, juxta modulamen rostri sui cantat, secundum illud Terentii* (a) *Homini imperito, nunquam quicquam injustius, qui nisi quod ipse facit, nil rectum putat. FINIS.*

Denique stultorum peroratio & Coronis, maledictio. Nimis bene cognovi *naturæ & artis consensum falsissime Frater, & ficte amice, Tacheni.* Novi, quòd me circumvenerис, & fixandorum salium dexteritatem mentitâ reciprocatione, fraudibus mille & simulationibus, nequiter extorseris. Recolat æquissimus Lector historiam & speciem facti, quam de hoc impostore in principio Apologiæ attuli. Hic est consensus artis, *Tacheni*; quòd nihil sciveris, mentitus magna fueris, & experiri

a *In Adelph. act.* 1. *sc.* 2.

experiri insomnia tua alieno periculo volueris, à me denique fixationes salium volatilium, simulando amicitiam, turpiter suffuratus sis. Indulsissem hoc audaciæ tuæ, & sciendi avido desiderio attribuissem, nisi postliminio, ubi te fœderis & mutui contractus iterato admonui, ut & mihi reciprocando salis fixandi normam communicares, instar petulci onagri & mulorum recalcitrasses, aliquot menses incassum laborare & deludare studio & petulanter me fecisses, & *fictum amicum nostrum* te comprobasses; dum temporis & æris dispendium accersiisti. Et hinc illæ lachrymæ! quòd tu, quando ante 16. annos Animadversiones meæ sub prælum erant dirigendæ, Teutonico idiomate, phrasi tamen latinâ intertextam epistolam ad me dedisti, in quâ (suspicione motus & reatu proprio. Nam conscientia mille testes!) me precatus es, ne contra te scriptis agerem (Cur? nisi centies promeritus esses?) aliàs cogereris etiam Apologiam reddere. Quid respondi, *Tacheni?* Cur non etiam illas producis literas? Fateor, acutè, sed amicè, regessi: me quidem hanc rem nunquam mente volvisse; minùs opere executurum. Et tu, *ingrate Cucule*, *probrose homo*, arripuisti calamum, nequiter & mendacissimè me traducere ausus es, non provocatus, ne verbo stimulatus, post beneficia, obsequia, merita, iteratam veniam, & quæque amicabilia? Proh! pudeat *Tachenium!* (verbum commemoro æterno obliterandum silentio) Discat interim meo exemplo orbis; quòd *in reconciliato amico nulla salus*. Sic olim, quem augustus Cæsar in cunis suffocare debebat, Brutum, quem togatum & prætextatum cruci affigere: hic à ficario cadit immani vulnere, brutoque latrocinio, purpurâ & sanguine diffluo. Et hic finis bene merentium. Nec aliam à Nerone drachmam accepit, Præceptoris munere defungens, Seneca, quàm mortem & exterminium. Cur non & ego mitiùs feram hujus Rabulæ probra, si tam augusto sanguine luditur, & prodigè eum hauriunt canes: qui cum talibus viris & augusta Majestate in comparationem minimè venio. Igitur, *Tacheni*, *juxta modulamen rostri tui*, qui infausti ominis avis es, prudenti suspecta auguri, tibi respondeo & retorqueo; quod insurrexeris, *quòd tu* (minimè ego) *insurrexeris*, contra insontem, & *instar Canis rabiosi me invaseris*, *momorderis*, *calumniatus sis*, *teque aliis longè anteposueris*, *ut per totum tuum* calumniosum *scriptum apparet*: adeò, ut verum sit, & in te verè cadat, quod ait *Terentius*: *Homine imperito nunquam quicquam injustius*, *qui*, *nisi quod ipse facit*, *nil rectum putat*.

Nunc tibi ac *tuis pro Corollario*, *tria verba in aurem*: *acidum* deferbuit, & reformavit *alcali*: Obtrusisti, non *ostendisti tuis*, *vetustissima Medicina*, & *novissimi salis Viperini* stultissimis *fundamentis*, non *ex Hippocrate tuo*, aut *naturæ decreto*, sed *ex magno cumulo* tuarum absurditatum, Hippocrate Coo altum silente, quomodo *acidum informet alcali*, Acetum sal Tartari. Hæc igitur, quæ hactenus attuli, *summâ necessitate* tibi deberi, ostendi; & finem hisce facio. Mi *Tacheni*, spero & confido de conscientiâ & prudentiâ tuâ, quæ magna semper fuit, quòd mea hæc Apologia minimè te sit commotura ad succensendum Reformatori; quoniam nosti, quòd hæc, lacessitus multum, & acriter à te stimulatus, fecerim; imò silenti, & altum dormienti in pacis umbrâ, hostiliter obtruseris. Nec per me his tibi respondi, sed suadente hoc, pro fama meâ, & inculpata tutelâ, Choro & Foro, & populi universitate. Neque adhuc responsum maturassem, (majoribus & utilioribus intentus, quæ coactè seposui) nisi vidissem, quòd cum petulantia tuearis errores; quòd te nequitiæ tuæ titillent, & exultes in rebus pessimis, eò, quòd incessanter has insanias tuas, & probrosum tibi libellum, ubique universitatibus, Collegiis Medicorum, & Viris doctis, transmiseris, & Zizanias tuas disseminaveris, pro viribus deproperando. Proinde veniam dabis, quòd & ego millena Exemplaria divulgaverim justæ meæ Apologiæ, & tempus messis immineat, quo Zizanias tuas agnoscant Viri sapientissimi; frumentum verò nostrum, & ægrorum annonam, in horrea congregent. Quòd si tamen affligat nostrum te responsum justum, qui nigra avis es, pessimique augurii; memento, quòd

& tua iniquissima censura vexârit columbas, &, ut tua fert latina phrasis; *quòd turdis simillimus fueris, qui sibi ipsis malum cacant.* Et sanè si rem perpendas, beneficium reddidi, quòd te castigârim, licet cum sensu receperis. Nam, ut Augustinus ait, *Molestus est Medicus phrenitico, & pater indisciplinato filio; ille ligando, hic cadendo; sed ambo diligendo. Si autem illos negligant, atque perire permittant; ista potiùs mansuetudo falsa crudelitas est.* Hæc ille. Castigatio igitur severior Parentum, Medicorum vulnera, ignes & cauteria, amorem non eliminant. Dilectionis potiùs munus & charisma arbitrator, quòd cacoëthico vulneri tuo (qui jam in vitiis & convitiis computrueras) medelam ociùs attuli; cùm fuerit in mora periculum. Annon, mi *Tacheni*, charitatis lex, veterisque amicitiæ jura, suadere tibi debebant, ut, si quid erroris, & defectuum, in nostris lucubrationibus, tibi, sagacissimi ingenii & genii Viro, occurrisset, mitiori primùm collyrio, & manu, hoc est, inter nos tractares & animadverteres? Quòd autem nostros labores, toti Europæ hactenus proficuos, famoso libello, & mille sarcasmis, pessumdare & annihilare tentasti: publicæ rapinæ genus est; minimè Viri probi negotium, & conatus. Ne igitur mirare nostram aphoniam, aut discordem melodiam & Musicam, quam hactenus aures tuæ à nobis sustinuêre. Tuâ hæc accidêre culpâ, qui chordas non movendas tetigisti, sparsis in vulgus hisce tuis petulantiis & quærimoniis. Cautiùs deinceps mercari discito, aut cum amico tractare. Nam industrias irritare apes; aut languido leoni barbam vellere; res plena periculi est, ne dicam, temeritatis. Proprio itaque edoctus periculo, deinceps calamum sepone convitia & famosas excursiones, devita, ac Reformatorem tuum deinceps modestiùs observa. Quòd si autem callum obduxisti, nec insaniæ tuæ hæc nostra profutura est Panacea, quin ulteriùs probrosis convitiis indulgeas: neque deinceps Reformatori Mundus & *Tachenius* succenseant, velim, si ea in vulgus, lucem, & typum, produxero, quæ ultrò mihi concredita sunt, ad quæ orbis stupeat, *Tachenius* contremiscat, honestatis amantes erubescant; quæ hactenus palliare charitas suavit, & vetuit pudor. Vale igitur, *Tacheni*, & graviora his metue, nisi in tempore resipueris.

Nunc & nostris, pro Corollario, tria verba in aurem. Suscipite, celeberrimi Artis nostræ Viri & Proceres, hanc nostram Apologiam, quam justus expressit dolor, *Tachenii* sollicitavit petulantia. Prolixior fui. Ita amplissima & numerosa *Ottonis* convitia, & decumana exigebant mendacia. Sed neque sterilis hæc nostra fuit defensio: quin multorum arcanorum ferax; quæ, hactenus mihi dicata, nunc publico divulgavi emolumento. Acrior fui, ne dicam immitis, in reprimenda Tyrannica *Tachenii* feritate; sed felix severitas, quæ latentem curat saniem; vitia sanat, non palpat. Nisi enim magnis ausibus hoc insolens hominum genus, artibus inimicum, pro modo arceamus, Lycea silebunt, squallebunt scientiæ, Medicina abrogabitur, & calamum publico emolumento nemo eriget. Confido igitur, quòd æquissimi arbitri futuri sitis, &, quo loco habendæ vobis, adversus Reformatorem, divulgatæ Calumniæ deinceps sint, liquidò constiturum. Consilium Hipponensis Præsulis sectemini, qui ait: *Doctrina per malos, palmes in sepe, botrus inter spinas: Cautè lege, ne, dum quaris fructum, laceres manum; &, quem audis bona dicentem, ne imiteris mala facientem.* Valete, favete, DEO & Patriæ longævi.

DIXI.

VIN-

VINDICIÆ ZWELFERIANÆ

Adversus quendam,

FRANCISCUM VERNY PHARMACOPOEUM MONSPELIENSEM:

&

Contra notas ejusdem in Pharmacopœiam Bricii Bauderonii, Med. D. Gallicè editas, in quarto, Lugduni, Anno 1662.

QUò non (DEUM immortalem!) ambitiosus furor, elatos fastuque turgidos mortalium animos in præceps agit, rotat & circumagit, *Amice Lector*? Quàm infida humani pectoris Circe superbia est, quæ perpetuo quodam œstro, ac stultitiæ fermento, superciliosos exagitat, ac philtra propinat, quibus nunc furore percitos, nunc Veterno soporatos, perpetua sibi somnia fingere amentes cogit ac stimulat! Talem tibi hodie, *Amice Lector*, sive phanaticum, sive periculosa ambitionis cataphorâ sopitum, in scenam dabo, veternosum *Verny*, apud Monspelienses Pharmacopœum: cui, quantum ingenii mei imbecillitas, & artis leges, suppetunt, manum Medicam adhibebo, quò à Veterno suscitari ac resurgere possit. Forsan (quis novit!) miserebitur fidissimi famuli sui Æsculapius, ac è delubro sacras propinabit Panaceas, quibus nec Anticyræ generant salubriores.

Somniavit igitur, aut deliravit, veternosus *Verny* (quid enim delirium, nisi vigil somnium?) tantos Philosophando, aut Sophisticando, se fecisse progressus, ut, primâ dimissâ statione, subsellia sua inter Doctores firmanda deinceps putarit atque decreverit; multa è rostris ac pulpitis docere, explicare, definire, ac dissertare affectans. Incidit igitur hic vertiginosus Neo-Doctor in librum, quem, *Animadversiones in Pharmacopœiam Augustanam*, inscripsi, uti & *reliqua mea annexa Opuscula*, quæ ante annos circiter sexdecim orbi literato, publico emolumento evulgaveram. Hic liber meus, licet ab Amplissima & Antiquissimâ Universitate, uti & Inclyta Facultate Medicâ Viennensi probatus & approbatus fuerit; licet multos egregios Viros, ne dicam in Medicina Proceres, per Europam, Patronos ac Mecœnates habuerit; adeò, ut inter doctissima sua commenta & lucubrationes eum inserere ac citare non erubuerint; uni tamen huic Doctorum Phænici, *Verny*, Gallo, tam destillatum cerebellum ac scientiæ charismata obrigêre, ut illi meæ Animadversiones minimè satisfacerent. Proprio igitur motu, Gallico eas idiomate (forsan Latinos veritus scopulos, aut Prisciani labyrinthos) pro confertâ ac coagulatâ talenti sui mensurâ, castigare & emendare tentavit. Quod quidem intentum opportunè se exequi arbitratus est, dum notas in D. Bricii Bauderonii Med. Dris. Pharmacopœiam (non sine notâ tanti Viri) ederet, ac sic binos, ut ajunt, unâ fidelia dealbaret (denigraret) parietes.

Primum autem motivum & ansa ad hosce excessus Monspeliensium Confectio Alkermes fuit; quam pro aris & focis mordicus propugnare voluit: cùm potiùs D. *Verny* Anacardinam Mesues Confectionem tueri debuisset, nullis utpote tentatus lipothymiis, multum tamen cerebro ac mente laborans.

Quanquam hæc *Verny* dementia non, nisi per rumores, eosque non vanos anteambulones,

nes, mihi primùm innotuerit: pediſſequâ tamen cupidine, hunc Thraſonem penitus intuendi, Opuſculum ejus, Gallico idiomate editum, ubique requiſivi. Tandem Doctiſſimorum unius atque alterius Virorum & Reipublicæ Norimbergenſis Phyſicorum Ordinariorum, beneficio mihi illud obtigit: & è Gallico in Latinum translata ea ſunt, quæ à dicto *Verny*, ad impetendum ac arietandum *Zwelferum*, deſtinata erant. Quæ quidem tantò avidiùs excepi atque exoſculatus ſum, quantò majori flagrabam deſiderio, *Verniano* delirio, aut potiùs ophthalmiæ (utpote ſupercilioſo homini) apto quodam collyrio ſuppetias conferendi. Habent enim hoc adulterina ejuſmodi ſcripta, ac ementita commenta, talium Thraſonum, ut ſub veritatis ſchemate, ac larva, ſagacioribus etiam ingeniis ac viris quandoque imponant, ac eorum animos & aſſenſum nanciſcantur; niſi virulentum germen in herba præfocetur, ne radices agat profundiores. Quare conſultum duxi, ejus (*Verny*) figmenta, apocryphas citationes, & reprobum ſenſum, in quem meas Animadverſiones iniquiſſimè detorſit, juris publici facere, ordineque analytico reſolvere ac confutare, ut deinceps clariſſimè eluceſcat improba hujus Viri indoles, ſermo mendax, & plena hyperbole argumenta. Incidit igitur hic Magnus Machaon, *Verny*, in Animadverſiones meas, ſyrupo Acetoſo Meſues deſtinatas; quem tam frivolè, fallaciter, ac inconcinnâ methodo, recenſet, & allegat, ut in ipſo dictionis veſtibulo ſtatim eluceſcat, quàm ſit abſurdè quondam peroraturus, qui à calumniis & mille conviтiis exorditur. Sic igitur Paræneſim ſuam auſpicatur.

Vanitas Chymicorum quorundam adeò ſublimem arrogantiæ gradum conſcendit, ut, cæcutientes, optimorum Medicinæ Galenicæ præceptorum obliviſcantur, quæ cum lacte attraxerant; ac non, niſi ad deſtruendam Galeni Medicinam, operas ſuas omnibus viribus ſuis impendant: ſed volentes, ut ajunt, abuſus Compoſitionum quarundam corrigere, plerunque, quid faciant, ignorant. Talis eſt Zwelferus, in ſuis Animadverſionibus, ad Pharmacopœiam Auguſtanam quoad Syrupum Acetoſum Compoſitum Meſuæ, ejuſque novus ſectator; qui cum duabus libris aceti deſtillati volunt attollere ſal volatile ex radicibus & ſeminibus, ſyrupum hunc conſtituentibus, per deſtillationem in Baln. Mariæ uſque ad ſiccitatem; poſtea remanentiam coquunt in libris tribus aq. communis, uſque ad duarum tertiarum partium conſumptionem; & cum libra una colaturæ volunt clarificare Sacchari fini libras tres, ut totum coquant in formam Sacchari roſati: tandem cum aceto deſtillato, ſuperiorum ingredientium viribus imprægnato, iterum volunt diſſolvere ſaccharum illud, ut fiat ſyrupus in M. B. Egregius procedendi modus, quem omnes artifices ut benè & exactè conſiderent, rogo! Quot enim verba; tot ferè errores reperient: quos facilè nunc detegere poſſem; niſi à propoſito meo largiùs abſcederem. Hoc tamen in tranſitu referre volui; quod ſupereſt, in aliud volumen rejiciens: in quo totam hanc rem peculiariter deducere conſtitui. Huc uſque Arcadicum pecus ad Lyram.

Sed amabo! mi *Verny*, quis tibi hanc perorandi methodum dictavit Tullius? Quis Demoſtheneste inſtituit? Memini quidem, quòd ex abrupto in *Catilinariis* ſuis auſpicatus ſit Cicero; quòd ab invectivâ Demoſthenes: à palmari autem mendacio neminem exordiri ſolitum reperio, niſi te, *Verny*, qui, velut araneus, fingis. An non enim palmare mendacium, audax & licentioſa hyperbole, dum ais; quòd præſumpſerim Hippocratis decreta, dogmata Galeni, methodum ac jura Medicorum avita, abrogare, proterere, annihilare; dum me novatorem Chymicum ironicè denuncias? An correctè olim à Didaſcalo, aut Grammatæo, legere didiciſti? Et vade piger ac ſocors impoſtor ad noſtras Animadverſiones. Ediſce, quem in fronte titulum, quem ſcopum, præfixerim: vide, cujus ſit imago, cujus tunica; an filii, & mendacii tui. Num eas tumulum doctrinæ Hippocraticæ; num excidium Galeniſmi intitulo? vel potiùs inſcribo: *Animadverſiones in Pharm. Auguſtan. Zwelferi*? Sin autem tuis figmentis conformia eſſent; non Animadverſiones, ſed Everſiones Galeniſmi, Hippocratis, Auguſtano-rum,

rum, & Methodi, inscribere conveniens fuisset, dirutis eorum fundamentis. Verùm & quid hæc tibi objicio, *Verny*, qui nec Chymicus es, nec Galenista? Nam si te aptâ definitione circumscribere animus foret; dicerem, te esse ens aliquod tertium, ex punctis, inquam, inflatis stultitiæ conflatum, non procul à Platonicis Ideis differens. Quæ definitio quòd vera sit, rei continuandæ series ac contextus demonstrabit. Nam experiemur, quòd tam Philosophicè, argutè & nervosè, discursum tuum, & Zwelferianas castigationes, adinveneris, ut lis sub judice sit, Philosophus ne sis, an Sophista; Chymicus, an Agyrta; Magister, an Tiro; Sophos, an Idiota. Hoc unum extra controversiam est, quòd verax non sis, sed hyperbolicus. Transeat igitur, cum cæteris absurdis, hic error tuus, quem in fronte præfixisti. Mihi favet, è diametro tibi opposita, Inclyta, ac toto Orbe Celeberrima Universitas simul & Facultas Medica Viennensis, quæ luculenta erit Apologia; utpote quæ ultro suam est largita Censuram, minimè censurando. Confutabit te sapientissima Parisiensium Facultas Medica: innumeri Medicorum Proceres per Europam, luculentissimis Epistolis suis, in Operis mei commendationem editis, te palmo labia signare cogent: quod olim insigne & actus eorum fuit, qui palmare mendacium commisêre. Et verò ne tantùm verbis, sed rationibus ac re, te, *Verny*, convincere videar; ad parabolas, & hyperbolicas calumnias tuas, transitum apparo, pro munere satisfacturus.

Egregius, inquis, *procedendi modus: quot verba, tot errores; quos facilè nunc detegere possem, nisi à proposito meo largiùs abscederem. Hoc tantùm in transitu referre volui; quod superest, in aliud volumen rejiciens, in quo totam hanc rem peculiariter deducere statui, &c.* Hem! quàm sedulus Pythagoreus hic est! quantum tribuit venerando silentio! quàm callidus hic Mythologus est; ac quàm aptè novit illud, *Proverb.* 18. *Os stulti contritio ejus, & labia ipsius ruina animæ ejus:* & alio loco, *Eccl.* Melior est, qui celat insipientiam suam. Amico igitur silentio Zwelferi errores pertransit *Verny*, ne suam propalet stultitiam; optimè conscius, quòd sapiens & lymphatus uno distent sermone. Timet *Verny*, ne longè à suo proposito abscedat: interim cœcus erro toto deviat cœlo. *Quare, quod superest, in aliud volumen rejicit, in quo totam rem peculiariter deducere statuit.* Ignavis enim semper feriæ, & amica procrastinatio. Quàm ridiculum, mi *Verny*, volumen meditaris, qui Latinam periodum construere nequis, nedum in Chymicis rude donandus, etiamnum plagiarius! Noli igitur morari consilia tua; detege innumeros Zwelferi errores: hîc Rhodus; hîc saltus: hîc arena, hîc luctator. Afferamus ergo ex nostris Animadversionibus dicti Syrupi genuinam præparationem, quæ lippo huic sudes in oculo fuit, & talis est:

℞. *Rad. Apii,*
Fœniculi,
Endiviæ, ana ℥ *iij,*
Sem. Anisi,
Fœniculi,
Apii, ana ℥ *j,*
Endiviæ, ℥ *ß.*

Quibus contusis, & cucurbitæ vitreæ immissis, affunde

Aceti Vini acerrimi destill. ℔ *ij,*

Destillentur apposito capitello, & circumlitis juncturis, per M. Baln. ad specierum siccitatem usque: *Aqua*, sive *Acetum destillatum*, & imprægnatum, seorsim asservetur. Speciebus, in fundo cucurbitæ remanentibus, affunde *Aquæ simpl.* ℔ *iij.* Coquantur lento igne ad tertias: colaturæ, sive expressioni, albumine ovorum clarificatæ, adde

Sacchari albi, ℔ *iij,*

Coquantur ad consistentiam *Tabulati*. Tandem adde de superiori *Aceto destillato*, & virtutibus ingredientium subtilioribus imbuto, ℔ 15. cum unciis tribus circiter: fiatque, unâ vel alterâ ebullitione, aut solâ dissolutione, justæ consistentiæ Syrupus.

Nunc abs te sciscitor, genuine Galeni & Hippocratis Vindex, *Verny*, qui solus divos Hippocratis latices exhausisti; quâ temeritate institutum meum reprobas? Quòd per omnia naturæ æmulus ac minister, virtutes ac energias rerum sartas, tectas, ac integras, conservari

ſervari præcipiam ; atque hanc normam in apparatione ſyrupi Acetoſi Meſues ſtrictè obſervem ? An non *radicum Apii*, & potiſſimum *ſeminum Fœniculi*, *Aniſi*, *Apii*, craſis & temperamentum in ſulphureis, æthereis, ac balſamicis particulis, in quibus virtus poteſtativa, ac ſignatura, mediante unione colligatur, effectivè conſiſtit ? Hæc autem per violentam diuturnam coctionem, elixationem, ac torturam, ſolutâ hac ſpirituali & ætherea compage, in ſublime feruntur, ſuperſtite effœto terreo ac mucoſo inquinamento in fundo, nec ſaporem, nec odorem compoſiti ac concretorum referente ? Ex oppoſito autem, ſi *ſemina* illa beneficio *Aceti* (additis etiam reliquis *radicibus*, utpote *Fœniculi*, *Endiviæ*, & *ſemine Endiviæ*; à quibus licet parum, ope hujus deſtillationis, proliciatur, totâ eorum virtute in reſiduo depoſitâ, quæ ſubſequenti decoctione cum aqua elicienda) ad ſyrupum ordinati, deſtillâris ; an non gemina eorum virtus ac eſſentia ; concomitantibus etiam odore & ſapore, communibus accidentibus, unà cum aceto exſtillant & tranſeunt ? Quod in prolixa illa cocturâ, quæ rerum ac ſimplicium iſtorum diſpendium eſt, minimè accidit (ubi decem libræ, & ultra, adeoque non ſolùm tota, decoctioni deſtinata, aqua ; verùm inſuper aliquot unciæ ſpirituoſioris aceti, exhalare debent, ut debitam ſyrupi conſiſtentiam nanciſcaris) per conſequens terreſtriores & effœtæ ſolùm radicum ac ſeminum partes ſubſiderent, nobiſque conſimilem ſyrupum præberent. Quòd ſi, inquam, ſeminum ac radicum harum partes ſulphureæ, ſpirituoſæ, ac balſamicæ (non ſal volatilis, prout tu, mi *Verny*, monſtroſus Chymicus, ad Lyram enutritus, inſulſo etymo eas definis) ſummè deſiderabiles (cùm de partibus terreſtrioribus non laborent Medici & exercitati Pharmacopœi) in deſtillatione per alembicum cum aceto tranſeunt, illudque inſitis ac congenitis ſuis virtutibus, odore, ac ſapore, imbuunt ; quod nemo ſenſatus inficias ibit : ſi ulteriùs ipſæ etiam partes terreſtriores in reſiduo à deſtillatione integræ perdurant (Nam ſi, juxta vulgarem hujus ſyrupi præparationem, quâ dicta ingredientia, paulò terreſtriora, affuſis decem libris Aquæ, ad plenam liquoris, vel aquæ, decidentiam & exhalationem, decoquenda ſunt ; virtute tamen ſuâ ſyrupum imprægnare debent, vel in reſiduo manere : jure meritò à fortiori arguo ; quòd vires horum ingredientium, à deſtillatione duarum librarum aceti quoque perduraturæ & manſuræ ſint) quæque porrò cum aqua leni coctione extrahendæ, decoctum autem hoc colatum, ac dextrè per ſe cum albumine ovi clarificatum, cum ſaccharo candidiſſimo, ad id deſtinato, libris ſcilicet tribus, ad debitam, & Tabulati ferè ſimilem, conſiſtentiam perfacili negotio perduci poteſt ; quod peritis Pharmacopœis obvium eſt : cui poſtea acetum, tenuioribus & ſpirituoſis radicum & ſeminum partibus, beneficio deſtillationis fœcundum ac turgidum, debitâ proportione adjungendum (nam vix plus erit aceti hujus) ut cuncta ſimul, vel ſolâ ſacchari diſſolutione, vel unicâ ſaltem ebullitione, in vaſe terreo, ad durabilem & elegantem ſyrupi conſiſtentiam redigantur. Percepiſti hæc, *Verny*, niſi pro cerebro tibi palea obtigerit. Quid ergò obſtat, quò minùs hâc methodo & proceſſu ſyrupus efficax, juxta artis & naturæ leges, partibus ſulphureis, odoriferis æquè ac terreſtribus imbutus, produci ac diſpenſari poſſit ? Tantæ molis erat, arcana hæc intelligere, mi *Verny* ! Ut quid reſiliiſti, velut lymphatus, aut hydrophobiâ dementatus ? Cur in ſicco undas ; in plano montes & colles fingebas, delirus ? Quid, quæſo, in hâc tam genuinâ claraque Syrupi præparatione myſterii, difficultatis, ac umbrarum reperiſti ; ut in tantum dubius & anceps hæſitaveris ; ac tibi pro ſtultitia tua, in veritate propatula, Oedipus eſſe cogar ? Numquid pruriebant tibi, ad captandos vanos rumores & gloriolam, ad encomium ſcriptoris, & Zwelferiani caſtigatoris, auriculæ, mi *Verny* ? Quas, profectò, tibi glorioſè ſcarificabo & incidam ? ne impoſterum tibi aures erigantur & criſtæ ; ne Commendatoris prærogativam affectes, chartas & volumina mendaciis & convitiis maculando. Verùm

Progreditur dictus Scholiaſtes ad ſecundum figmentum, eodem paragrapho, in quo (palam textum meum adulterando) docet ; me præ-

præcipere, ut cum libra una colaturæ clarificentur facchari libræ tres, totum coquendo in formam facchari rofati. Sed heus! fodes, *Verny!* An denuò caligas, & perfpicillis eges, vel interprete? An non genuinus textus meus proftat, iniquitatis ac fraudum tuarum manifeftus vindex? An non difertis verbis doceo, ut refiduæ fpecies à deftillatione, femina fcilicet & radices, quorum energia ac partes fubtiliores jam dum ope deftillationis in acetum commigrarunt, affufis tribus libris aquæ coquantur, pro extractione refiduarum partium terreftrium, quæ vi deftillationis non eliciuntur, aut elici potuerunt: Decoctum autem colatum, & probè per fe, fine facharo (quæ cautela, velut Canon, bene notandus, utpote qui fallacias, impofturas, & fophifmata *Verny* folus egregiè diluit) clarificatum, ad diffolutionem tandem trium librarum facchari albi adoptetur (citra ulteriorem clarificationem. Nam vel tacente hoc fophiftâ, *Verny*, probè, non folùm ex Pharmaceuticâ, tum etiam Confectoriâ arte, quam etiam Pharmaciæ fociavi; verùm etiam ex Philofophia novi, quòd inter agens & patiens, inter caufalitatem & effectum, proportio quædam, ac potentia inchoata præfupponi ac intercedere debeat; & quòd nulla proportio fit, libra unius aquæ, ad libras tres facchari clarificandas, licet optimè poffint unicâ librâ aquæ vel decocti, tres libræ facchari diffolvi, & ad Tabulati ferè confimilem confiftentiam coqui) & fimul tandem ad confiftentiam ferè Tabulati (non facchari rofati confiftentiam; ut denuò *Verny* mendacium pro Scholio annectit) coquantur; cui tandem acetum deftillatum, virtutibus fupradictorum ingredientium ubertim imprægnatum, adjiciendum, ut folâ facchari diffolutione, fine ulteriori coctura (ne tenues & fubtiliores ac fpirituofæ partes, aceto impreffæ, violentâ ac prolixiori decoctione exhalent ac tranfmigrent (fyrupi debita confiftentia emergat? Et hæc mea doctrina tam eft perfpicua, trita, facilis ac methodica, ut & Tirones, ac qui Chymicas ac Pharmaceuticas inftitutiones aufpicantur, vel à limine cognofcant. Solus *Verny*, hirfutum ingenium, ac fuffultum cerebrum nactus, hæc non penetravit. Fingere proinde Impoftor cogitur, & textus adulterare, ne fterile talentum, & inculta ejus mens, innotefcat, ac hifce artibus palliaftrum fibi confuat, quo inter Doctores, & ævi noftri magnificos Scriptores, impofterum *Verny* (inter lufcinias graculus) gloriosè confidere poffit, ea docturus & fcripturus, quæ nunquam didicit; nondum Tiro, & jam Profeffor.

A fyrupo Acetofo, ad fyrupum de Artemifia tranfit nofter Commentator, *Verny*: ubi eleganter contra Zwelferum animadvertit; *qua ratione Decoctum* 43. *ingredientium, propter vifcofitatem, cum facharo non poffit coqui in formam Tabulati (non Tabularum) quin illud comburatur.* Item; *quòd cæcitas maxima fit, mihi fimilia imaginari:* arguendo pariter alium etiam virum induftrium ac probum, Anonymum, Zwelfero adftipulantem; plura per contextum ibidem fubnectens, quæ à talento & eloquentia tanti Philofophi non abludunt. Ad quod in terminis refpondeo; me non tantùm forti imaginatione, feu idealiter, hæc concepiffe; fed à parte rei, praxi & exercitio comprobaffe; quòd decoctum aliquod, non folùm 43. ingredientium, fed plurium etiam, beneficio albuminum ovorum, & cremoris tartari, ita clarificari ac purificari poffit, præfertim ubi mera ex naturâ fuâ mucilaginea, utpote Tragacanth. femen Cydoniorum, Pfyllii Rad. Symphyti, Altheæ, & plura confimilia, uti in fyrupo, Dialtheæ Fernelii non interfunt; ut levi artificio cum faccharo ad confiftentiam Tabulati, fine ulla aduftione facchari; imò, fi ferat neceffitas, ad confiftentiam fere Penidii, concoqui queat: cui poftliminio fpirituofa humiditas, ac liquor deftillatione elicitus, uniri, hincque fyrupus, omnium ingredientium virtutibus; five fpirituofas, tenues ac fulphureas; five craffiores & terreftriores, fpectes, facili negotio & induftriâ confici poteft. Supervacaneum proinde fore auguror (Nam neque ego præcipio) ut exinde Tabulæ conficiantur: eò, quòd fimilis labor & ipfe fuas pateretur difficultates, non cuivis exantlandas: licet id abfolutè, & de poffibili, non repugnet, mihique confiderem, haud magno intervallo & labore,

ita Magistrum *Verny*, exhibito priùs hellebori arcano, disponere, ut deposita vertigine, Artis nostræ fastigia conscenderet, mecumque arduum hunc laborem subiret; quamvis non ex quolibet ligno Mercurius, aut vulture luscinia, fingi & institui possit. Sed missis his, nonnihil secretioribus nostro *Verny*: dic mihi, obsecro, *Verny*, & explana modum, artem, dexteritatem & methodum, seu quâ machinâ & reti tu spirituosas, subtiles, seu tenues partes, illico in coctione, vel destillatione, ad superna properantes, in violentissima adeò & prolixa ac patente cocturâ detenturus ac conclusurus sis: cùm sint plurima in hoc syrupo ingredientia, quorum tota substantia, Esse, & efficacia Medica, in tenuissimis ac spirituosis partibus delitescit (in subtili partium tenuitate, uti D.D. Aug. loquuntur) quibus rarefactis & attenuatis, aër sibi medicamenti substantiam vendicat (scilicet diu in aprico coctis) in residuo autem exsucca ac terrestris portio, effœtum crassamentum, superest, pro spiritu & essentia Medica, vappam & morticinia referens. E censu horum sunt, Pulegium, Calamintha, Origanum, Melissophyllum, Sabina, Majorana, Matricaria, Ruta, Betonica, Rad. Apii, Enulæ, Cyperi, Iridis, Pœoniæ, Bacc. Juniperi, sem. Anisi, Apii, Rad. Valerianæ, Costus, Carpobalsam. Cardamom. Calam. aromat. &c. Hæc omnia & singula partes balsamicas fragrantes, & facili negotio dissipabiles, obtinent, cocturam neutiquam sine dispendio suarum partium tenuium tolerantes: cùm è contra in destillatione, statim inter prima initia, particulæ illæ tenues rarefactæ in sublime ferantur, & in subjectum excipulum sese demittant, ibidem superstites: quod ex opposito in coctura non accidit; in quâ illarum rerum subtiliores partes, & virtutes potiores Medicinales ac penetrantes, aëra statim petunt & depereunt inutiliter. Mihi, profectò, nec ars, nec natura, modum & dexteritatem suppetit, quâ in diuturnâ & apertâ hujus syrupi, & prædictarum rerum, decoctione longâ & violentâ, essentia earum ingredientium & vigor, potior medicinalis particula, servari ac retineri possit; cùm de libris decem Aquæ, ad harum specierum coctionem destinatis pro syrupo, ut nimirum libræ septem inter coquendum exhalare debeant, priusquam debita syrupi consistentia emergat. Fateor, mi *Verny*: rem magnam tua Mechanica fecerit, si tale nobis arcanum & instrumentum adinvenerit, quo partes tenuissimæ, prolixè, ac violenter inter coquendum attenuatæ, figi ac conservari possint, ne inter coquendum exhalent, vel aëra petant; sed in residuo decocto, quasi ligatæ conserventur; in destillationibus verò hæ ipsæ species, iterum ad tuum nutum, contrario planè modo, præprimis & citò transeant in excipulum, ac pro voto tibi ita obsecundent. Sed metuo, ne in ipso operis procinctu difficiles, cum Archimede, hypotheses ac postulata à nobis exigas, ac etiam basin & pedem extra mundi orbitam figere expetas; quanquam magnifica nimis & ampla de te augurer; quia ne dum linguæ Latinæ gnarus es, *Verny*. Quare, ne ingenti gloriolæ pruritu denuo tangaris; filum abrumpo, & ad Vindicias tuas Confectionis Alkermes Monspeliensium propero.

Vindicaturus Zwelferi Animadversiones in Confectionem dictam Alkermes, *Verny*, pro scuto utitur audaciâ, pro galea brevitate: à contumeliis, fabulis, conviciis, suum orditur Apologema. Scopus verò, quem, in refutanda mea glossa, sibi hic Monspelientium Causidicus præfixit, alius non erat, quàm ut universam Europam sibi detineret tributariam; fideque perpetuâ stabiliret, neminem, præter *Verny*, parare, ac nullibi, nisi Monspelii, dispensari posse, genuinam, completissimam, ac speciosissimam Confectionem Alkermes. Sed ô *Verny!* quid non mortalia pectora cogit Aurisacra fames? Quàm malesana consilia avara cupiditas tibi suggessit: & quàm irriti sunt conatus ac tentamina *Verny*. Frustra jacitur rete ante oculos pennatorum: incassum oras & peroras pro domo tua, & Confectione Alkermes Monspeliensium. Nunc ubique Thebæ, ubique Athenæ, ubique Monspelium, quò meæ Animadversiones pertigêre. Nemo, profectò, D. D. Pharmacopœorum, plurimùm nostris rationibus & cautelis instructus, peregrina deinceps remedia adorat; cùm clarissimè perspiciant, sibi domi suæ meliora

pro-

proſtare: plerique nunc noſtro ductu, & conſenſu magnorum Medicorum, ſuam Confectionem Alkermes Animadverſionibus Zwelferi conformant; eas noſtro ductu diſpenſant; aut, quod melius eſt, Regias Confectiones Cordiales noſtras apparant: quæ ſanè Confectioni Alkermes minimè cedunt; ſi eas non antevertunt.

Novenario igitur argumentorum numero, velut totidem Claſſibus, contra Zwelferum præliatur *Verny*. Ad primum ſic procedit: *quòd ſua res ageretur, qui pennum*(ſcilicet haſtam calumniarum) *in manu tenet, ſi Zwelferi invectivas præteriret, & non oſtenderet, quòd malè, & ſine fundamento, aut ratione, Confectionem Monſpelienſium impugnaverit, quod dicere illum cogat, me de eo aut ignorantem eſſe, aut malitioſum* (quæ iniqua verba digna ſunt, ut in ignorantem & malitioſum *Verny* retorqueantur) Ejus verba, ex Gallico in Latinum translata, ita ſonant: *Primus error ſe ipſum juſtificat, & à quovis in ipſa libri apertione cognoſcetur, dum ſcripſit, noſtram Confectionem nimium cum ſaccharo fuiſſe auctam. Exinde apparet, quòd ſuam Pharmacopœiam corrigere volens, rem hanc obiter tractavit, & quòd parum in Authoribus Meſua particulariter legit. Aliàs enim ſine dubio cognoviſſet, quòd Confectio Alkermes, à Meſua deſcripta, & ea, quam nos quotidie in Officinis noſtris componimus, una eademque res eſt; & ſimiles ſunt in doſibus, exceptâ parvâ differentiâ, quam ſuo loco inferam: & quòd illa, quam Zwelferus, in Pharmacopœia ſua, ſub nomine Meſuæ deſcripſit, revera Meſues ſit; ſed quod non niſi medietatem doſis illius contineat: ſicut quilibet cognoſcere poteſt: & quòd, ſi naſum in Meſues Antidotarium immiſiſſet, integram operis deſcriptionem extraxiſſet; cujus ipſe culpam gerit, dum deſcriptionem ſuam retulit ex Antidotario Auguſtano, quod mediam tantum partem Compoſitionis Meſua ſcripſit.* Hæc ille.

Argumentum hoc, ſeu argutias, *Verny* ſi perſpicaciori oculo contempler; ſanè de lana caprina ſunt, ac aſini umbra. Quid enim aliud probat, niſi quòd in Animadverſionibus meis docuerim; quantitatem ſacchari, in Confectione Alkermes definitam, habito reſpectu ad reliquas ſpecies, nimiam eſſe, artique ſimul ac rationi contrariari; prout etiam hoc inſtanti firmiſſimè etiamnum aſſero? Has tamen ultimas particulas meas callidus veterator magiſtraliter ſubticuit. More interim ſuo licentiosè in me invehitur, quòd dimidiam ſolùm partem doſeos Confectionis Alkermes, prout in Diſpenſatorio D.D. Auguſtanorum reperitur, allegaverim; &, ut ait, *quòd revera quidem Meſues deſcriptio ſit, ſed, ſi naſum in Meſues Antidotarium immiſiſſem, integram ejus deſcriptionem extrahere potuiſſem: cùm illa Meſues & D. Monſpelienſium una eademque Confectio ac res ſit.* Sed, mi *Verny*, an neſcis illud Philoſophorum; quod partes collectivè ſumptæ à toto non diſtinguantur? Si igitur utraque Confectionis medietas ſaccharo perperam abundat ac luxuriat; ergo & totum: ſi totum; ergò & medietas. Quicquid ergo de medietatibus infertur, de toto in hoc ſenſu verificatur; & è contra. An non hoc eſt, mi *Verny*:

Ludere par impar, equitare in arundine longa:

dum tu nigrum probas & affirmas; cùm de albo & oppoſito procedat quæſtio? Profectò, argumentum tuum, ſi etiam totum in forma conceſſerim; aliud contra me non concludit, præterquam quòd chartam & prælum commaculet. Edidinè ego Animadverſiones in Meſuen, an potiùs Diſpenſat. Auguſtanorum? Quid mihi cum Meſue commercii? Ut quid neceſſe habeo, totam farraginem & Compoſitionem Meſues referre; cùm dimidium indicationibus meis adæquatè ſatisfaciat? Annon & ipſi innocui D. D. Auguſtani (à quibus ego hanc Confectionem mutuatus ſum, aut deſcripſi) quòd medietatem Confectionis Alkermes ſolùm è Meſuæ transſcripſerint, ſuo propoſito ſatisfacientem? Tam verſatus, expertus, ac naſutus in Pharmaceuticis es, *Verny*, ac neſcis; hanc eſſe vulgarem methodum ac uſum Pharmacopœorum, ut Compoſitionem aliquam, vel in ſimplo, vel in duplo, vel quadruplo (ſunt Artis termini) vel in duodecuplo, aut ſedecuplo, vel dimi-

diam, tertiam aut quartam ejus tantùm partem dispensent? Quid igitur, cùm utraque revera, ut ipse ais, sit genuina Mesues descriptio, multum difficultatis affers, Blatero? Cur inania verba crepas, Stentor? Si Philosophus esses, & non Sophista, directè illud probare niteretis, quod è diametro tibi negavi: scilicet, iniquum, amethodicum, ac proprium impostorum esse, adauctâ sacchari quantitate, in tantum Confectiones adulterare, ut species reliquas, in quibus tota virtus latet medicamenti, aut Confectionis, notabiliter excedat, totius Compositi virtutem ac effectum remoretur, Medicoque simul ac Ægro imponat. Hoc, inquam, Agyrta, *Verny*, hoc impugnavi; iterumque assero, magnam iniquitatem esse, ejusmodi fraudes exercere; sive tu, sive Constantinopolitani, sive Monspelienses, sive Christiani, sive Hebræorum vulgus, id delinquat. Demonstra, si potes, falsum hoc argumentum meum ex Animadversionibus petitum esse, quod contra te, & Confectionem tuam, egregiè militat. Unde laudo & extollo Magni Galeni, & sequacium, uti & venerandæ Antiquitatis, institutum, probos conatus ac canones, juxta quos, in Confectionibus Theriacalibus, Alexipharmacis & Cordialibus (quos etiam D.D. Augustani æmulati sunt) triplum tantùm mellis aut sacchari, sive syrupi Simplicis, vel Compositi, respectu aliarum specierum & ingredientium, pro legitima Electuarii cujusdam confectione ac præparatione, destinârunt, ac rarò plus; vel, ut cum obscurissimo Doctore *Verny* loquar clariùs, pro unciâ unâ specierum quarundam, uncias tres mellis, vel syrupi cujusdam; ut exinde Electuarium virtutes ac vires specierum & ingredientium ex asse possidens emergat. Neque verò hic pseudo-Commentator pluribus hæc tractasset, si probè novisset, ejusmodi Confectiones non propter saccharum, ut, instar Bellariorum, quadras adornent, dispensari; sed ut medicamina sint, & alexiteria: saccharum autem, mel, ac ejusmodi dulciaria, admisceri, ut nauseosis ægris illicio sint, quò faciliùs medicamina absorbeant. Sunt tantum basis, ac corpora, quibuscum tot diversæ species in unum corpus qualitativum coalescunt, consistentiam nanciscuntur hanc vel illam, ac perdurant. De his fusiùs & graphicè egi in prægressis meis Animadversionibus, ac, recentissimè (si memoria bene mihi constat) in Classe Specierum Aromaticarũ: quò etiamnum & tu, *Verny*, nasum immittere non gravaberis. Nunc, ut ad priora revertar; si Confectionem Alkermes, sive Monspeliens. sive D.D. Augustan. sive Mesues, inspiciamus; ubique mea verificatur sententia ac discursus, ob sacchari adjectam quantitatem. Cùm autem D. *Verny*, me ad Antidotarium Mesues ablegaverit; ut exinde Confection. Alkermes ediscerem: fideli calamo Veterem Mesues descriptionem afferam; neque, ad imitationem fraudulenti *Verny*, textus mutilabo ac adulterabo: prout in Zwelferi paragraphis recitandis nequiter instituit. Sunt autem diversæ translationes ex Arabico in Latinum; quas, ut compendio sim Lectori, subjungam: unam scilicet antiquam, & Jacobi Sylvii, cum ejus Notis, quæ talis est:

Textus Mesues Antiquæ translationis:

Confectio Alchermes & sunt grana tinctorum, maximi juvamenti ad pulsum Cordis & Syncopim, & alguesgues, & tristitiam sine causa, & est ex rebus confortantibus animam conformatione mirabili. Cujus permixtio hæc est. Accipe setam tinctam ex Chermes circiter lib. I. propter cujus tinctura non præterit spatium extensum: & submerge eam in succo pomorum dulcium, & aqua rosa. an. libr. I. & ß. & dimitte die una. Deinde fac modicum bullire donec aqua rubeat. Deinde extrahe ab ea setam, & exprime eam, & pone in ipsa Zacchari tabarzeth drach. cl. & coque usque dum habeat spissitudinem mellis, & remove ab igne, & propter in eo calido ambræ crudæ minutim incisæ drach. iiij & dimitte in eo liquefieri. Deinde projice super ipsum pulverem harum rerum, Accipe ligni aloës crudi, & darseni, an. drach. vj. lapidis Lazuli loti & præparati drach ij albarum margaritarum drach. ij. auri boni drach. j. musci boni drach. j tertiam. Confice, & sit dosis ab aur. j. ad ij. & ß. & est bonum & expertum.

Addi-

Additio.

Hanc Confectionem iterum scripsit Mes. in suis simplicibus cap. de Lapide stellato, quam appellat illic Confectionem de lapide Lazuli & hic Confectionem alchermes. In aliquibus tamen differentes: quia in præsenti ponuntur tantum ℥ ij. lapidis lazuli. In altera vero ℥ xij. quod factum fuisse credo errore scriptoris potius, quam alia ratione: nam ambabus iidem affectus sive utilitates attribuuntur: nisi quis vellet dicere, quod illa, quæ in simplicibus describitur Confectio Lazuli denominatur: quia in ea magna quantitas de lapide lazuli ingreditur: & in ista non: ideò Confectio Alchermes dicitur: tamen credo potius errore scriptoris factum esse, quam alia ratione. Quoad alia etiam differunt ista duæ descrip. quia inscripta in simplicibus ponuntur ℥ vj. ambræ. hic vero ℥ iij. & ligni aloes: & darseni, ana ℥ iij. In præsenti verò scribitur, ana ℥ vj. quod factum credas potius errore, quam alia ratione. Præsenti Confectione utuntur interdum nonnulli magistraliter.

Manardus de Confectione Alchermes.

In hac quoque nunquam jactarem pecunias: nam, neque in serico vocato, neque in Cocco, vel baphico, vel charmes nuncupato, agnosco vim nisi constringentem: colorisque rubri ratione lædere potius videtur Cor, quàm juvare, spiritus & sanguinem trahendo, propter similitudinem. Cyanei verò ratione, vomitum & secessum citabit, quæ præ exigua ejus quantitate perficere non valens, lædet magis quam juvabit. ALGUESGUES) *Desipientiam vocant Arabes.* SETAM.) *Bombyx latinè dicitur. Darseni.) Cinamomi genus intellexit.*

Textus Mesues Iacobi Sylvii translationis: Electuarium ex granis tinctoriis ad cordis palpitationem, syncopen, mentis alienationem, seu desipientiam, mœrorem, sine causa manifesta, facultates enim nostrum corpus dispensantes mirifice roborat. Accipit serici succo granorum tinctoriorum recenter tincti libram unam: succi pomorum dulcium, & aquæ rosarum, ana libram unam, & dimidiam, viginti quatuor horis macerandam deinde paulisper his incoquendam, donec liquores isti rubeant. Quos expresso, & abjecto serico coque cum sacchari optimi libra una & dimidia ad mellis crassitudinem: ab igne depositis, sed adhuc calentibus misce ambræ crudæ minutim concisæ drachmas quatuor, qua liquata, injice pulverem sequentem, ligni aloës crudi cinamomi crassi, ana drachmas sex, lapidis cianei loti & præparati, margaritarum albarum, ana drachm. ij. auri boni foliorum drachmam unam, moschi laudatissimi scriptulum unum. Datur ab aureo uno ad aur. ij & dimidium.

Annotatio ad hanc Mesues Confectionem Alchermes hujus quoque Iacobi Sylvii talis legitur: In simplicibus eadem hæc compositio in lapide Cyaneo à Mesue describitur, ponderibus errore librariorum non parum depravatis. Efficacissima multorum etiam Regum ac Reginarum in Gallia testimonio est probata, maximè in quibus, vel longo morbo fessis, & jam moribundis, vel ab eo revalescentibus, natura languet: etiamsi quibusdam maximè improbari audiam, dicentibus Coccum baphicam solum adstringere & suo colore rubro sanguinem, & spiritum similitudinis ratione magis ad se distrahere & dissipare quam cogendo firmare: præterea lapidem Cyaneum vomitu, & dejectione purgatorium, naturam turbare tantum, & humores melancholicos exagitare, ob quantitatem tàm exiguam non vacuare. Quæ objectio momenti non est majoris: quam de rhabarbaro in electuario præcedenti; utrunque enim largiore copia sumptum est purgatorium, parciore verò, alia sua substantia roborat, purgatrice imbecilla ne movet quidem corpus, vel tantillum, Rationalibus objicerent, hac purgatoria, cum inferiora sunt ob paucitatem, verti in humorem eum quem attrahere nata sunt. Sed id verum est, ubi sola sumuntur, non castigata aliorum hanc noxam prohibentium mistione, διὰ κοκκῶν βαφικῶν, id est, ex granis tinctoriis dici potest. Sericum autem rufum & crudum tingitur succo ex granis tinctoriis recentissimis extracto: id triduo siccatum maceratur uno die aqua rosarum solius lib. tribus, vel aqua rosarum & succi pomorum dulcium, ana lib. una & dimidia, calefactumque modicè in vase duplici lavatur, exprimitur, expressus liquor cum sacchari lib. una & dimi-

dimidia percoquitur ad mellis crassitiem, aufertur igni, & calido adduntur, quæ Mesues docet. Siccum idem Medicamentum usurpari hodie video.

Nunc, famose Institor, *Verny*, qui solus gubernacula Medicinæ tenes, & ad clavum sedes, tecum mihi ulteriùs sermo texendus. Dic, obsecro; quis mihi libertatem adimet, ac Zwelfero metam ac modum ponet, ut solus Mesues ipsi regula ac gnomon sit in Pharmaceuticis? An hos terminos præterire non ausim, meliora prospiciens? Veneror Mesuen, ejusque manibus posthumas transcribo laudes ac elogium, quòd pro virili spartam suam, ac Medicum curriculum, egregiè percurrerit ac tuitus sit. Novercante interim natura, citiùs mortis chirographum & ipse persolvit, ac, præmaturiùs hinc excedens, Pharmaciam nobis velut orphanam sub tutela dereliquit, ulteriùs instituendam ac educandam: seu, ut similitudine utar; velut embryonem parturiens dereliquit, posterorum, ac nostris, conatibus ad perfectam symmetriam efformandum. Nulli igitur Magistro aut sectæ mancipatus, rectam semper rationem, duce experientiâ, sequor. His acquiesco, ac convincor. Interim Tu, *Verny*, da DEO, da veritati, gloriam. Edissere: an non verissima ea sunt, quæ hactenus attuli? An dissona experientiæ? An non & ipsa Mesues Compositio suas patitur difficultates? An non potiori jure hic discursus meus verificabitur de Monspeliensium Confectione Alkermes? Utpote quæ in gradu excessivo saccharum adjicit, ut reliquas species magna in proportione exsuperet; non obstante, quòd species sint principale, ac ratio ut quod: saccharum verò accessorium ad id (quod vires compositi multum refringit) & quòd propter species Confectio, non propter saccharum, dispensetur. Verùm tam rustica est tibi indoles, mi *Verny*, ac depravati sensus, ut, nisi negotium tibi digito, aut pugno, signemus ac explanemus, aut omnia benè prius ruminata ori ingeramus, mysterium non percipias. Majusculo igitur charactere, ac stylo humili, totius Confectionis analysin ac divisionem tibi, majoris claritatis causa, appingam. Igitur

Sunt specierum, Confectionem hanc ingredientium, omnium scilicet pulverum, ac, propter quas Confectio dicta est quod est, seu qui Confectioni Alkermes Esse, operari, an influere tribuunt (dempto serico, succo granorum tinctorum recenter tincto, excepto succo pomorum redolentium, & aquâ rosarum) unciæ duæ cum dimidia, drachma una, & scrupulus unus: sacchari verò libra una cum dimidia, secundum Mesuen; secundum D. D. Monspeliens. verò libræ duæ: cùm tamen, si Majorum nostrorum normæ ac ideæ nos conformare velimus, sex tantùm unciæ sacchari abunde sufficerent, adjecto succo Pomorum, sive alio, pro syrupi consistentia conciliandâ, ad hanc Electuarii formam pernecessariâ. Igitur duodecim unciæ Sacchari, saltem secundum Mesuen (quæ, unà cum liquore requisito, sive succo Pomorum, sive alio, quo cum in syrupum consistentem redigendæ, octodecim unciarum pondus, & ampliùs, exsuperabunt) magno, profectò, excessu, ac perperam, sunt adjectæ huic Confectioni; quæ aliud dictæ Confectioni non tribuunt, quàm ut prosperum effectum, vires ac operationes, incidant ac remorentur. Verùm, cùm sis callidus Sophista, *Verny*, objicies fortasse; succum Pomorum, aquam illam Rosarum, quibus sericum, succo granorum tinctorum recenter tinctum, infusum fuerit, specierum, pulverum, ac ingredientis cujusdam, vices agere, ac in eorum censum venire. Verùm hoc manifestè falsum est, ac ex quamplurimis Confectionibus, Electauriis, & Antidotis, Veterum Medicorum contrarium liquet; qui strictè hanc methodum sectati sunt: ut scilicet speciebus, pulveribus, solidisque ingredientibus, ad Electuarium constituendum, triplum tantùm, quoad pondus, Syrupi compositi efficacis, aut simplicis, ex succo herbarum, aut decocto aliquo forti, parati, pro basi ac fundamento adjecerint. Igitur consequentiam nunc infero, mi *Verny*, quòd Tu, non Ego, uti scriptitasti, malitiosus, vel Idiota sis: quoniam rationabiliter, dogmaticè, ac practicè Majorum authoritati insistens, in meis Animadversionibus processi. Denuò igitur auriculas tuas apprehendo, & ad Dispensatorium meum conduco, ut ibidem legas & relegas, quæ, & qualia, scripserim & annotârim: cur in hac Confectione

ne Alkermes, uti & in aliis, luxuriantem sacchari quantitatem reprobarim, & actu reprobem. Ipse nasum in Antidotaria Antiquorum intrude, & in Dispensatorium Augustanorum, quibus plurima similia Electuaria, Confectiones, & Antidota inserta sunt. Ibi perspicies, me non injustè, sed summis rationibus & authoritatibus, excessivam hanc sacchari copiam castigasse: specialiter autem, à fortiori, & antonomasticè, in tua, & D.D. Monspeliensium Confectione: utpote contra quam è diametro meæ rationes & argumenta militant ac concludunt. Et verò, quid faciliùs à me exigi ac desiderari potest, quàm ut demonstrem, ac convincam, Confectionem Alkermes Mesues majori proportione sacchari quantitatem continere; D. Monspeliensium verò in quantitate, vel pondere, sacchari adhuc magis excedere? Ego interim non multis tecum, *Verny*, dimicabo, an mea Confectio Alkermes, quam in Dispensatorio allegavi, sit Mesues; nec ne. Nam mihi abundè satisfacit fidissimorum virorum Authoritas, qui eam genuinam autumant, contra figmenta & deliria Adversarii undique proposita: sicut & ipse *Verny*, in subsequentibus, hanc sacchari quantitatem & additionem, unciarum sex nimirum, pro Confectione Alkermes D. Monspeliensium, ultrò fatetur; imò esse Confectionem Mesues: fors conscientiæ reatu adductus. Hoc tamen ut demonstrem, ac manifesti figmenti & hyperboles *Verny* convincam; necesse est, ut utramque Confectionem, D. D. Monspeliensium scilicet, & Mesues, subducto calculo resolvam: unde liquidò apparebit, Confectionem D. Monspeliensium (perfectè omnibus adunitis & mixtis) pendere libras tres, & unc. octo circiter. Quibus autem libris tribus, & unciis octo, insunt Specierum, vel Pulverum, tantùm unciæ duæ semis: competenter autem, ad leges artis, & methodum Antiquorum, competerent huic quantitati, unciæ undecim circiter Specierum, seu Pulverum. Nunc, è contrario, legitima Mesues Compositio, prout in Antidotario extat, continet summatim libras duas, uncias decem: cui autem insunt Specierum, seu Pulverum, unciæ duæ, drachmæ quinque, scrupulus unus. Ergo illa superior, D. Monspeliensium, superat Compositionem hanc Mesues, habito respectu ad quantitatem sacchari, unc. sex. Quòd autem jam dictæ sex unciæ sacchari, superabundanter adjectæ, multum infringant & diminuant, & energiam, virtutes, effectum, & operationes singularum dosium, quoad efficaciam Ingredientium, palam ostenditur, ex rigorosa calculatione dosium ipsius Confectionis. Statuamus ergo drachmam unam hujus Confectionis, pro una dosi. Continebit itaque illa una drachma Confectionis D. Monspeliensium, nimirum

de Ambra $\frac{1}{3}$ unius grani, id est, tertiam partem grani unius:
de Ligno Aloës, &
Cinamomo, ana gran. I. id est, granum unum, & exiguas atomos:
de Lapide Lazuli, &
Margaritis, ana $\frac{1}{3}$ unius grani, id est, tertiam partem grani unius, & exiguas adhuc atomos:
de Auro, &
Moscho, ana $\frac{1}{4}$ unius grani, id est, quartam partem unius grani.

Jam verò, calculando drachmam unam Confectionis, secundum D. D. Augustanorum descriptam Compositionem, quæ etiam Mesues est, saltem in pondere Lapidis Cyanei, & Margarit. paulisper aucta. Proinde illam præ Mesues amplector; quia magis proportionata est: cùm de quolibet prædictorum, scilicet Lapid. Cyanei & Margaritarum, drachma una adjecta sit: illius, inquam, Confectionis drachma una continet

de Ambra gr. I. id est, granum unum:
de Ligno Aloës, &
Cinamomo, ana granum unum & dimidium:
de Lapid. Cyaneo &
Margarit. ana granum unum:
Auri quartam partem unius grani:
Moschi quadragesimam partem grani circiter.

Ex his vides, Magister *Verny*, quanta sit differentia, & quòd meum assertum sit verissimum; quemadmodum ad oculum patet: nimi-

rum D.D. Augustanorum descriptam à Mesue Compositionem seu Confectionem, Confectioni D.D. Monspeliensium, quoad ingredientium magis competentem quantitatem, esse anteponendam & præferendam. Licet enim Moschi pondus in hac Augustanorum Compositione diminutum sit; parum hoc refert: is enim odoris saltem gratiâ additur. Et sic assertum meum, cujus causâ malitiosus Magister *Verny* ignorantiæ & malitiæ me arguit, ipso sensu, ac ad oculum, comprobavi.

Succedit nunc alter error, cujus me insimulat arrogantissimus *Verny*, ut ad literam de hoc Gymnosophista verificetur illud: admisso uno absurdo, plura sequuntur. Sic igitur obstrepit. *Secundus, quem commisit, error non minoris momenti est, ac primus; dum posuit Lapidis Lazuli loti & præparati, & Margaritarum albarum, ana ℨ ij. si propositum suum convenienter exequi dignatus esset, iterum non neglexisset Mesuen inspicere, qui in omnibus exemplaribus suis ipsum docuisset, quòd ad conficiendam medietatem Confectionis Alkermes, à Mesua descriptæ, legi debeant Lapidis Cyanei loti & præparati, & Margaritarum præpar. ana ℨ j. non ℨ ij. Ecce, quomodo se in duobus erroribus suis illaqueavit, dum sequi voluit Pharmacopœiam Medicorum Augustanorum, in annis* 1597. 1613. & 1646, *qui errore aut proprio aut (quod magis verisimile) Typographorum, duas drachmas pro una posuerunt. Ipse itaque, qui se correctorem Pharmacopœiæ Augustanæ vocat, in hac re meliùs attendere, nec Augustanos erroris arguere debebat.* Hucusque insania dominata est ac peroravit *Verny*. Verùm ut caliganti denuò facem obtrudam, & pupillam dilatem; seu, ut me, & D. D. Augustanos, ab hoc tam grandi piaculo & errore (compellante nos tanto Authore) absolvam ac liberem; observandum venit; quod illa drachma Margarit. & Lap. Cyanei, prudenter, & actu quodam reflexo, maturoque judicio, à D. D. Augustanis sit adjecta, minimè vitio aut errore Typographi. Imò, me judice, ac authore, laudabiliter egissent D. Augustani, si non solùm binas has doses multiplicassent; verùm etiam singula ingredientia & species, habita proportione, drachmis aliquot auxissent. Cujus ratio ex superiori dosium calculo elucet ac manifesta est; quòd nimirum, quò magis proportionatè species saccharo adjiciuntur, tantò efficacius, & in operando salubrius, medicamentum emergit, quo Viri Illustres, Principes, ac Monarchæ, (à quibus momenta sæpe Regnorum, urbes & orbis dependent) tutò ac efficaciter à nobis vindicari possent, & in vitam præservari. Sed hæc non curat minima Prætor: hæc non perpendit illiberalis nominis Euclio, *Verny*: apud quem non vita & fama, sed crumena & vita, pari passu ambulant: qui plus de lucro & temporalibus mediis, quàm remediis ægrorum, sollicitus: qui non tam Mesues, quàm Mamonæ, sequutus hactenus Antidotarium. Quid igitur mirandum, hunc *Verny*, undique vertiginosum & inconstantem, suo titubare ratiocinio; quem avarities undique circumagit ac inquietat? Unde neque succenseo, aut indignor, multisque retorqueo, quòd in uno hoc paragrapho binis me prosequitur mendaciis. Pueris ac deliris facilis undique & prona est indulgentia. Prostant igitur scripta mea, luculenta mihi Apologia, quæ pro Zwelfero perorabunt, ac testatum facient; nunquam me ingredientia Compositionum quorumcunque Authorum castigasse; sed modum tantùm, ac circumstantias operandi in melius direxisse: nunquam me D. Augustanos circa dosim specierum dictæ Compositionis, vel Confectionis, arguisse; quinimò approbasse. Uti tibi incurio & amuso patebit, accito & exorato linguæ Latinæ interprete, cujus subsidio ac misericordia nostras intelligas Animadversiones. Infero igitur primam consequentiam, scilicet D. Augustanos, ac me, laudabiliter, methodicè, ac prudenter sensisse, dum binas illas drachmas dictarum specierum, parcâ nimis ac illiberali manu à Mesue huic Confectioni assignatarum, superaddendas suasimus. Quanquam, ut quid multis dissero? Si te, mi *Verny*, liberiùs palpare ac stringere vellem, facilè ad saniem, ne dicam insaniam, inveteratam tibi plagam, jam cicatrice obductam, refricarem. Nam ut, quod te premit, promam: non te Augustanorum, aut Mesues, innocentia ac æquitas causidicum, actorem, & tutorem effecit: minimè gentium: sed abditum,

tum, sinuosum, & profundè latens superbiæ vulnus ad hæc te stimulavit: huic cataplasma apponere tentasti. Non famâ horum Virorum, sed superbiâ, & superciliosus cùm esses, tibi collyrium adornasti. Volo dicere: aliena fama, parta à Zwelfero victoria, signa ac literata trophæa, te æmulum ac inquietum reddidêre. Quare & tu (alienâ infamiâ, probris & conviciis, velut totidem gradibus) subsellia anhelabas; Scholiastis ac Commentatoris nomen arrogabas tibi; digito per Europam monstrarier cupiens: unde talia puerilia eructasti. Sed frustra terque quaterque, ut Cerberus, latras. Nam & canes lunam allatrant, quam non obscurant. Interim palmam tibi & sequacibus eripui, nihil ad hoc livore proficiente: crepent vobis ilia; mihi toto splene risus exoritur. Furite ac stridete, forsan brevi nova furoris incendia typographus suppeditabit.

Tertius error (pergit noster Antagonista) *in hoc consistit, & à primo dependet, dum ait: quòd Confectio nostra multum augmentata fuerit; saccharum, &c.* His, cùm sint repetitio primi, cui ex asse jam satisfeci, saltem ut tempus ac verba vindicem, pluribus non insistam: quoniam & ipse *Verny* palam hanc sacchari additionem confitetur, ac D. Joannem Talco, Guilielm. Rondeletium, Dortmannum, & Joubertum, quatuor celebres Regios Professores Monspelienses, Reformatores hujus Confectionis Alkermes denuntiat, saccharique dosim & quantitatem adauxisse perhibet. Verùm his Authoribus nihil ego derogatum volo; sit fides penes infidum authorem. Quoniam mea non interest, neque adlaboro, quodnam fuerit primum mobile hujus additamenti, & quis primò persuaserit. Hoc solùm vi argumenti & discursus urgeo & infero; quòd illa D. Monspeliensium Confectio exsuperet illam Mesues in pondere ac proportione nimis adaucta sacchari; & evinco contra petulantiam *Verny*, quòd illius assertum sit manifesta hyperbole, ac mea propositio verificetur. An autem jam dicta sacchari auxesis arti repugnet, nec ne; ex superioribus decidi poterit, adhibita rigorosa dosium calculatione; quæ vel à Tirone institui & cerni potest; taceo, à viro artem professo. Magis proinde extollenda est D. Augustanorum industria, qui drachmas duas Lapidis Cyanei & Margaritarum huic Confectioni adjecêre, quàm prodiga D. Monspeliensium Sacchari additio: cùm priores adjectæ drachmæ dictar. specierum totius Compositi vires intendant ac exaltent; hæc verò sacchari additio notabiliter dissipet ac labefactet. Quare superiùs traditum theorema repeto: Non ratione sacchari Confectiones dispensantur; sed ratione specierum. Saccharata enim Confectarios decent; species autem, vel Confectiones Cordiales, l. a. sibi adunitæ, expertos Pharmacopœos.

Quartus error est (pergit iterum Adversarius) *cùm dicit; quòd aliæ nationes exteræ irrideant Germanos, quòd ipsi habeant syrupum aut succum granorum Chermes, & ideo meliorem Confectionem Alkermes conficere possint, quàm nos ipsi mittimus, &c. Ad hoc respondeo, quòd hoc ex suo cerebro proponat, & quòd absolutè succo Kermes privatus sit; imò quòd nunquam viderit aut cognoverit, quomodo, aut ex quibus, hic syrupus componatur. Nam utplurimùm cum melle aut saccharo rubro conficitur; sine dosi aut proportione; sine succo pomorum; sine aqua rosarum, & serico crudo; nullo modo, aut parum, amarus, fabricatus à Pharmacopœis aut Aromatariis, in locis Vrbi Monspeliensi vicinis, vendentibus ipsum sub nomine Pharmacopœorum Monspeliensium, eumque, ut pretio viliori vendi possit, quantum possunt, minimè bonum facientibus, saccharo edulcorare non obliti. Si itaque fundamentum Confectionis nihil valet, licet cætera ingredientia sint optima; eam semper nostrâ inferiorem, credendum est.* Huculque conviciator & obscurus Magister.

Sed quàm diabolicum est ingenium, ne dicam Angelicum, & Luciferianum, quod textus miro artificio suo proposito adaptare industriè novit: quanquam (quod Dæmoni proprium) non sine mendacio & crimine falsi, quibusdam additis, quibusdam demptis. Compara figmentis tuis textus meos, *in Animadvers. pag.* 254. & sequentibus; & reperies, quòd mendacia tua agminatim, & citato gradu, in apertum prosiliant.

Secundò: quis demiretur, aut succenseat, *Verny*, quòd in exteros, & Zwelferum, injurius ac calumniator sis; cùm propria, instar viperæ, arrodas viscera, ac in Nobilem Nationem tuam, rabientis instar canis, æstuante Syrio, crudeli lanienâ desævias? Annon palmare probrum, ac scelus impudens est, quòd conterraneos ac convivales tuos, Speciarios, Pharmacopœos Vernaculos, ac Municipes tuos, falsarios, impostores, publico quodam instrumento, ac velut rescripto, toti Europæ, quin imò orbi universo, ostentui ac ludibrio, vel odio exponas, ac, velut cuniculos agendo, subruere ac prosternere tentaris? O te hominem minimè hominem! virum non virum! Veruntamen revertetur scelus in caput tuum: eritque consilium malum, tibi, *Verny*, consultori pessimum. Interim tamen multiplicatis votis tibi gratias agit Germania; refert Europa; quòd velut scorpius, proprio vulneri attritus, remedium fueris simul & virus, *Verny*. Lætatur, quòd ab hoste consilium; à cœcutiente lumen; à malevolo dona optima receperit. Grato animo accipimus illam, quam, conscientiæ reatu ductus, eructasti confessionem. Oculati deinceps erunt Pharmacopœi nostri; erunt & institores, ac mercibus intenti, ne deinceps imposturis vestris, fraudibus, ac mille technis, succumbant. Cauti & circumspecti vivemus Europæi, ne Confectionem Vestram, tam turpiter adulteratam (tua hæc, *Verny*, Confessio & fama est) tam liberali precio, tam dissitis regnis, ad nos imposterum alliciamus, & tibi, Confectionis Magistro, fidamus, in petenda abs te Confectione Alkermes, & syrupo Chermes. Neque nos imposterum suspectos habebis, aut succensebis nobis, quòd ex ipsis recentibus, aut recenter siccatis, granis Chermes, nulli imposturæ aut rapinæ perviis, in quibus tamen, velut centro, cordiale illud & vitale pharmacum, succus nimirum concretus Chermes, & Cordiale ostrum, nullo fuco latitat, in nostris regionibus Confectionem Alkermes apparemus: cùm, ut ipse ais, periculosæ plenum opus aleæ sit, ac negotium anceps, genuinum succum Chermes à gente tua, *Verny*, ad nos derivari; sed, ordinariâ lege, subrogato melle & sacchari rubri quisquiliis, adulteratum transmittatur à vobis, qui quæstui ac turpi lucro liberaliter indulgetis. Verùm, pace tuâ, arbitror, mi *Verny*, quòd neque tu ex hac progenie sis melior Catulus (& fortè ex te alios arguis tales) sed cum lupis te quoque ululare, ac inter cœcos, mente ac lumine captum, tripudiare. Rem enim magnam feceris; *Verny*, si fidelis es. Quare minimè succensebis, si me deinceps tuæ non confidam Monspeliensi Confectioni Alkermes, sub qua fors etiam ejusmodi vappa, mel, sacchari inquinamenta, impostorio modo à te substituta, velut anguis in herba, loco rubicundissimi succi Chermes, latitant. Meliorem sanè fidem & encomium merita est sacra Antiquitas; aliam, nostro ævo, Germaniæ Artistæ, ac Pharmacopœi, qui magnâ religione ac sacramento observant, ne ad syruporum Confectiones mel, aut saccharum rubrum (quod veluti recrementum & fæx sacchari est) pro purissimo saccharo, modo subreptitio, surrogent, ac superaddant. Quanquam, si hariolari liceat, & causas rimari, ob quas, in gentem tuam novercali odio exæstuans, dictas ei fraudes ac imposturas objicis ac revelas (nam ex ore tuo te judico, *Verny*, iniquitatis Villice, neque nationem tuam, de qua majora præsumo, tecum licentiosè carpo; quòd fortè ex te alios arguas) non tam eos adulterare nobilem hanc Confectionem, arbitror, magno quæstus ac lucri desiderio, ut viliori pretio distrahere possint, substituto sacchari inquinamento; quàm quòd deficiant in primis Artis nostræ principiis; quòd Philosophiâ careant; quòd experientia manca sit, ac videant, quòd, si hoc Electuarium cum purissimo saccharo Tabarzeth conficiant, debitam consistentiam vix obtineat, quin Syrupus, ex hoc puro saccharo confectus, pro Confectione in Crystallos degeneret, ac Electuarium, seu Confectio, tandem arenularum quasi myriades sub dentibus referat, ac mox, absumptâ omni humiditate, totaliter in siccum abeat. Hæc metamorphosis cùm captum ac ingenium tuum exsuperet, utpote qui Philosophus non es; ideo ad argutias & imposturas descendisti, ac gentem tuam prostituto ore infamasti. Ne tamen, *Verny*, etiam imposterum rudis, aut rasa tabula sis, aut nuda cucurbita; atque discas, quâ

ratione

ratione non cum melle, aut facchari rubri spurcitiis, sed finissimo sacharo, ut decet, dicta nobilis Confectio Alkermes pulcherrimæ consistentiæ & constantis, apparari possit, ne in lapillos saccharinos abeat: confer te ad Regiam Pharmacopœiam nostram, recens divulgatam, quæ tibi Pædagogus erit, & mille Magistri. Hæc interim tibi sufficiant: plura enim nequis portare modò. Ad propositum ergo scopum progredior & abs te quæro, retorquendo argumentum: si tibi sine autoritate, sine vera ratione, licentiâ, aut jure, licuit, mi *Verny*; si corrivalibus tuis indultum, ut, pro libidine ac petulantiâ vestrâ, repudiatis Majorum ac Veterum placitis, dispensando Confectionem Alkermes, omnia præpostero ordine tentetis; sericum non lotum, granis Chermes nullatenus, tinctum substituatis; uncias aliquot sacchari superaddatis; melle, saccharo rubro, pro saccharo purissimo Tabarzeth Mesue dicto, Confectionem adulteretis, non obstante, quòd hæc omnia ac singula dictæ Mesues intentioni, legibus ac instituto, aperto Marte repugnant: cur non mihi; cur non D. Augustanis, æquum ac fas sit, drachmas duas Lapidis Cyanei & Margaritarum huic nobili Antidoto superaddere; à quibus vires & efficacia Confectionis multum intenduntur; cùm à dictis fraudibus vestris è contrario multum incidantur? Vides nunc, *Verny*, manticæ quod in tergo est? Vides, quòd te festuca nostra sollicitum auxerit; cùm tibi interim nodosa sudes in oculis hæserit? Sed proprium est, ac distinctivus convitiatorum character, queri semper ac conqueri, sua commendare, aliena reprobare; cùm interim ad proprias lippiant absurditates. Et assumo à fortiori argumentum: Si *Verny*, tam famosus artifex & Pharmacopœus, proprio motu ac temeritate, toti Europæ, cum asseclis, imponere tentavit; idque impunè hactenus adeò, ut, in fraudem hujus Confectionis Alkermes, sacchari dosim augere, pro purissimo saccharo Tabarzeth, rubrum, ac fœculentum, substituere, in favorem crumenæ non erubuerit: cur non liceat D. Augustanis; cur non Zwelfero, in subsidium Europæ, artis emolumentum, vigorem, emphasin ac energiam hujus Confectionis, prudenter quædam, juxta artis leges, ac Philosophiæ theoremata, superaddere, obvios ac manifestos errores revelare, meliora denique inter modestiæ limites edocere? At verò, quod apud te, *Verny*, rationum momenta pondus habuerint, qui irrationalis es, calumniis deditus, convitiis assuetus, lucro ac turpi quæstui inhians, verbo denique: tibi, Nationi, ac Patriæ, exteris denique, injurius atque calamitosus?

Quinto loco (ulteriùs progrederis, Obscure Magister, calumniando, & ais) *Refutare mihi competit, quod de serico crudo dicit; illud nullam contribuere virtutem huic Electuario, vel Confectioni; quia virtutem, quam habere potuit, antequam operi huic adhiberetur, longo antè tempore amiserit, ob lotiones, coctiones, aliasque diversas præparationes; sicut oculis propriis sæpius ipse viderit. Respondeo, si Adversarius noster clarè circumspexisset in hac regione, & æquè curiosus, ac cæteri nationis suæ, fuisset; observasset utique, quòd sericum quale, tum in hac confectione, tum in omnibus reliquis compositionibus nostris, adhibemus, crudum est, quòd nec lotionem, nec coctionem, nec ullam aliam præparationem sustulit. Procul dubio Authorem habet opinionis suæ Ioubertum, qui simpliciter sumere jubet sericum, sine ulteriore additione; sicut Mesuæ fecit, qui addidit crudum, &c.* Hucusque se iterum extendunt obscuri Magistri parabolæ: quibus tamen non obstantibus ac irritis, confirmata manet sententia nostra, ac conclusio, quam de usu, virtute, ac inefficaciâ Medicâ crudi serici *in nostris Animadversionibus*, attulimus; multis sanè ac prægnantibus causis ad id persuasi: quas fusiùs recensitas ibidem reperies. Demiror etiam in præsenti futile commentum tuum, ac ridiculam sententiam, quâ tantas vires & prærogativas crudo serico, ac papilionum folliculis, arrogas; palamque decido, quòd crudo serico nulla insit virtus alexiteria, & vitale robur demulcendi: quin imò ad oppositum dogma ac sententiam me deflectere cogi ac pertrahi: nimirum, Coccum sericum crudum, ac papilionum folliculos, cadaveroso ac tetro miasmate suo spiritus vitales dissipare, vires proscribere, ac universam viventis œconomiam interturbare.

Et quis ex modernis Doctissimis Viris, Tuæ etiam Nationis Excellentissimis Medicis, tam strenuus defensor tecum est cocci aut serici crudi, ut illud suis medicamentis cordialibus quotidie admisceat, & non potiùs, Antiquorum simplicitati aliquid esse condonandum, existimet, in re tam absurda? Ut ipsemet mihi persuadere nequeam, Magistrum nostrum *Verny* adeò stupidum & infantilem fore, ut coccum, ex vermibus & insectis, planè abominandis, enatum, suæ Confectioni addat illotum; & hoc contra voluntatem & opinionem sui antiqui Magistri, Mesues; qui ipse nequaquam coccum aut sericum crudum, sed sericum succo granorum tinctoriorum recenter tinctum (quod lotionem, longam ac diuturnam præparationem præsupponit) expresse, ac claris verbis, suæ Confectioni addere jubet: uti in ejus Antidotario, juxta antiquam, & Sylvii, versionem patet. Digrediamur enim saltem juxta Philosophiam, & naturæ scrutinium, ad Serici definitionem & analysin: quæ est papilionum: quæ serici, genesis? An non bombyx insectum est, de genere ac prosapia eorum, quæ à Græcis descriptivâ definitione ἀνακλύτεα, seu quæ alas quatuor, seu quadripartitas habent, dicuntur? Quorum prima incunabula, semen, ac esse inchoatum, mori folia suppeditant; cum qua ejusdem, ac homogeneæ sunt substantiæ. Aut, ut Plinius, *lib.* 11. *cap.* 23. ait: bombyx nascitur halitu animante florem decussum imbribus terebinthi, fraxini, quercus. Quam igitur virtutem cordialem, alexiteriam, habet morus: quam fraxinus: & quam quercus? An non ipse papilio, in essentiam vel pulverem redactus, si sericum tantas haberet virtutes, majores possidere deberet, quàm profilata intestina, crudum sericum, ac in folliculum diaphanum, opere textorio, circulata bombycis viscera, juxta tritum illud Peripatetici: propter quod unumquodque est tale, illud magis est tale? A contrario autem: si ipsi papiliones in essentia correlationem nullam habent, nec ordinem ducunt ad vitales spiritus, & cordi insitam vitalitatem: quid folliculi, quid crudum sericum, præstabunt; in quibus exenterati papilionis exuviæ, ac morticinia, multum cadaverosi miasmatis exhalabant, donec prævia sua corruptelâ ac fracedine succederet nova redivivi insecti generatio ac metamorphosis? Verùm arcana magis speculatus est *Verny*, in bombycis regeneratione; ac miram Thaumaturgi DEI adoravit potentiam, quòd in tam vili & abjecto papilione, velut in umbra aut ideâ, futuram ac universalem corporum nostrorum anastasim præfiguravit; acutè secum *Verny* glossando & inferendo: latere in his papilionis reliquiis, serico, ac folliculis, igniculum quendam, ac insitam Deucalionis virtutem, animal ad vitam & sanitatem resuscitandi. Sed multum aberras, Philosophe, tam argutè dissertando. Alia longè est analogia insecti ad insectum, papilionis bombycini ad bombycem: alia, & dispar, bombycis, folliculorum, ac crudi serici, ad vitam hominis, ad insitum spiritum nostrum & animal vegetantem; quorum omnium analogiam, correlationem, ac sympathiam, uti & repugnantiam, ac contrarietates, pluribus afferre possem, nisi tam hebes discipulus mihi *Verny* obtigisset. Quare supersedeo. Hoc unum adhuc semel, Corollarii loco, infero; quòd pauci, & nulli, Medici præclaræ notæ ævo nostro reperiantur, qui virtutem roborantem crudo serico assignent aut in usum Medicum illud (more Veterum abusivo) accersant. Reliqua, quæ noster *Verny*, prolixâ hypotyposi & sermone, ex Avicenna, & Serapione (quem textum, utpote supervacaneum, ac prolixum, non attuli) pro vindiciis, usu, ac prærogativâ, crudi serici adscripsit, nullâ egent refutatione; cùm sit cruda Autoritas, rationum ac Philosophiæ fulcris, destituta; cui interim meam oppono experientiam, rationes, & authoritatem, & plurimorum Medicinæ Procerum consensum. Consulat interim *Verny* Animadversiones, super dictam Confectionem Alkermes editas, ac relegat à nobis citatam Brassavolæ Clarissimam decisionem; ubi: Ego, inquit, in Confectionibus, quæ cor roborare debent, potiùs setam arcerem, quàm recipere voluerim: quæ sola & una autoritas tibi, *Verny*, qui jejunus Philosophaster es, sufficiat; cùm nec nodum hunc Gordium sis soluturus, Plura tamen apud Classicos, maximè Libavium, reperies,

peries, quæ, in Gallicum translata, ediſcere poteris.

Ut autem concipias, quæ ſit Meſues, de ſerico, genuina ſententia ac deciſio, animadvertendum eſt; Meſuen præcepiſſe ac deſtinaſſe ſericum mundum (non olidum, fœdum, ac papilionum recrementis contaminatum; quale tu illoto & mendaci ore præcepiſti) ſucco granorum Chermes recenter tinctum, huic Confectioni adjungendum; non ob ſubſtantiam crudi ſerici, ſed ut ſuccus ac murex hic tinctorius, à ſerico imbibitus & abſorptus, faciliùs præſervari, (quamvis ego non approbem) ac ad peregrinas, cocco tinctorio deſtitutas, oras ac climata deferri poſſit, nec non, pro diſpenſantis voto, ad conficiendam Regiam hanc Confectionem elici ac derivari. Verùm ſufficiat tibi hæc ſynopſis ac lectio, compendiariâ lege tradita, *Verny*, qui anguſti ingenii, ac talenti ſtrictioris es, nec non omni Philoſophia, novercante naturâ, deſtitutus; cujus penetralia, ac ſecretos thalamos, ubi ſubintraſſes, diſpares naturæ geneſes, alteritates, & metamorphoſes, auſcultaſſes; & quòd non quodlibet è quolibet fieri aptum ſit; ſed maximo rerum delectu opus eſſe, activa paſſivis debitâ correlatione jungi, ac illa ſolùm in ſe mutuam cauſalitatem ſuam exercere, quæ inchoatam quandam potentiam, reſpectum ac analogiam habent, edidiciſſes; longè alia dogmata ſectatus fuiſſes. Verùm ſectare Avicennam tuum, à quo crudi ſerici arcanum per traducem, creviſti: paucos ſanè hac Panaceâ erexeris, lipothymiâ & cordis defectione tentatos. Nos noſtris innitimur alexiteriis & cordialibus, quæ divite penu ubique in Germania proſtant: ſericum interim pro amiculo atterimus, noſtras tibi reliquias ſuppeditaturi.

Procedit ad ſextam rationem Zwelferi eventilandam Magiſter obſcurus *Verny*, dicens: *Ut rejiciat ſericum Coccorum Confectionis noſtræ Alkermes adeò excellentis: quia, inquit, qualitas maligna in eo latet ob vermes & papiliones, qui inibi putrefacti ſunt, teſte odore pravo ſerici cocti & præparati; id quod ipſe diligenter obſervaverit. Adverſarius noſter hæc verba deſumpſit partim ex tractatu de Confectione Alkermes Catelani; nec aliunde: quæ tamen nunquam pro textu Euangelii recipientur, niſi inter deſides in arte noſtra: partim verò ea ex imaginatione ſua deprompſit, in peregrinationibus ſuis peſſimè tempus conſumpſit, nec cum animi tranquillitate obſervavit, id quod nuper chartæ commiſit; aut ſanè rationes legitimas nanciſci non potuit: quia certiſſimum eſt & veriſſimum inter homines, quòd ſericum coccorum crudum, quale nos in uſu habemus, ſit verum ſericum crudum, quod Meſue voluit & præcepit, ut Confectionem Alkermes ingrediatur, & quod Medici Arabes omnes deſcripſerunt, &c.*

Coincidit iniqui hujus Novatoris textus cum priori paragrapho, quem retulimus; niſi quòd in D. Laurentium Catelanum, Pharmacopœum quondam doctum Monſpelienſem, & Anteceſſorem ſuum, etiamnum inter Indigites recenſitum, ac Superis accitum, barbarâ crudelitate (& immemor, quòd de mortuis & abſentibus non niſi bene ſit loquendum) viperino dente ſævit ac debacchatur. Cujus integerrimi Viri, Catelani, verba, licet apud te, *Verny*, qui iniquus Scriba ac Phariſæus es, Euangelium non ſint: multi tamen doctiſſimi Viri, ac Commentatores, dictum Catelanum nunquam tibi promerendis laudibus evehunt. Inter quos conſule Magnum Libavium, in Alchymia Pharmaceutica: cujus authoritas ementita in Caſtellanum ſcommata tua confutabit. Cæterùm quòd tibi Zwelferianæ peregrinationes negotium faceſſunt atque diſplicent, qui doliarem ſemper vitam, ac Polyphemus, in antro, egiſti; miraculum non eſt. Quid enim cœcus, de colore, arbiter, ac, de harmoniâ, ſurdus judicaverit; cùm nihil cupitum, niſi præſcitum; nihil volitum, niſi præcognitum. Tam enim generoſa indoles noſtro *Verny* obtigit, ut unâ naturalis ſoli peripheriâ totius orbis diametrum abſolvi; intra conclave, ac domeſtica cellaria, urbes & provincias deſcribi; intra Monſpelium, montes Pelion, & Oſſam, Theſſaliam comprehendi crediderit. Verùm heus Zoile! aliquid ex peregrinationibus meis retuli: vitam civilem, ſcientiam firmam, mores domeſticos; cùm tu, domeſticus, peregri-

nas

nas & exoticas nequitias, ſupinam deſidiam, radicatam inſcitiam, ac, velut arrepto fermento, mores contagioſos indueris. Sed hæc tibi per antitheſin, ac figuram, reſponſa ſufficiant. Ad reliqua, quæ vel palmare mendacium, vel fabulæ ſunt, omnino conticeſco: è quorum tamen cenſu illud eſt, quando Meſuen in tuam cogis ire ſententiam, in tuendo crudo coccorum ſerico; cùm tibi textus Meſues rectâ diametro refragetur, dum ait & præcipit; Sericum huic Confectioni, ſucco granorum Chermes recenter tinctum, eſſe adjungendum. Niſi in ſententia hujus vertiginoſi *Verny* hæ duæ propoſitiones ſint identicæ: diſpenſare crudum ſericum; &: diſpenſare ſericum ſucco granorum Kermes recenter tinctum. Reliqua, quæ de crudo ſerico, ejuſque virtute cordiali adſtruendâ, proponit, à mulierculis & gynæceo de lanâ petita; argumenta ſunt effæminata, hoc digniſſima Authore: quare nec referre illa dignor. Legat falſi dogmatis ſui vindices, Ariſtotelem, Plinium, Tholoſanum, Juriſconſultum, in ſyntaxi mirab. Cardanum. Bayſium, de contextura Holoſerici, & tegmine Holoſer. item bombycum metaſarcoſi & tranſmutatione; nec non magnum illum Societatis Theologum & Philoſoph. Athanaſ. Kircherum: è quibus veriora comprehendet.

Septimò progreditur Adverſarius. *Vt ad hanc Zwelferi objectionem* (ſcilicet *in Animadverſ. m. pag.* 254.) *reſpondeam; primùm dicam, Meſuæ ſcopum fuiſſe duplicem, cùm ſericum crudum in Confectione ſua poſuit, idque cum ſucco Chermes imprægnare curavit, ut poſtea horis* 24. *infundat & coquat in ſucco pomorum, & aqua roſarum. Per primum ſcopum ſuum infuſionis modo voluit extrahere totam ſubſtantiam & virtutem ſucci granorum Kermes cum ſuccis & aqua roſarum: & alter ipſius ſcopus fuit, ex ſerico crudo virtutem attrahere ope infuſionis, & præcipuè per coctionem, & poſtea per expreſſionem exinde prorſus ſeparare & extrahere id, quod hoc modo poſſit extrahere. Hæc brevis eſt explicatio intentionis Meſuæ* (Vah quàm anilia! quàm pulchra abſurda à Magiſtro *Verny* obſcuro!) *Neſcio quo fundamento nitatur debilis Zwelferi ratiocinatio, dicentis, quod ſi ſericum virtutem aliquam haberet, &c. licet jam antea ad hoc reſponderim, quòd repetitione utatur; dico tamen, quòd dubitare, an ſericum virtutes habeat, idem ſit, ac ſi quis dubitet, an Zwelferus ſit Medicus. Quia nihil magis veroſimile eſt, quàm quòd res omnes, qualeſcunque fuerint, compoſitæ ſint, ſecundum quoſdam, ex* 4. *Elementis: & quòd ſecundum alios, in omnibus mixtis tria ſint principia generationis, à ſe invicem non, niſi per artem, aut totalem mixti deſtructionem, ſeparabilia; ſicut quando arbor radicitus emoritur. Dicere, ſericum nullam habere virtutem, eſt, naturam omnino deſtruere velle. Et quòd dicit, quòd fortaſſis intentio Meſues fuerit, tincturam ex ſerico, ſucco Kermes imprægnato extrahere; quia ſine dubio in Arabiæ regione, in qua tum degebat, tunc temporis ſucco & granis Kermes carebant, &c. hoc aliam reſponſionem non meretur, niſi hanc: ſi Meſues non habuiſſet in promptu ſuccum recentem Kermes; nunquam hiſce verbis illum ordinaſſet: ℞. Serici, crudo ſucco granorum tinctorum recenter tincti, libram unam. Ex hoc enim loquendi modo ſatis apparet, illum ſucco Kermes recenti non fuiſſe deſtitutum, ſed in copia eum habuiſſe.*

Hucuſque Platonicus homo, ſeu Philoſophus, *Verny*. Verùm, amice Lector; an non infallibilis eſt Scholarum parœmia: Qui benè diſtinguit, benè docet? Quàm aptè *Verny* ſenis Venerandi, Meſues, doctrinam diſcriminat: quàm categorias & prædicamenta Philoſophorum novit: quàm ſuccinctè & nervosè de rerum principiis principiantibus, de numero principiorum, de indiviſibilitate principiorum ac elementorum, diſputat! cùm tamen (quod mirum eſt) prima Latinæ linguæ elementa (nobis rudimenta dicta) ignoret. Audiamus tamen argumenta & argutias, quibus Zwelferum impetit. Conſtat autem ejus argumentatio uno Syllogiſmo, eoque compoſito; qui virtualiter tres continet, in quos ſic reſolvi poteſt. Primus eſt: Probo, inquit *Verny*, quòd ſericum ſit cordiale & alexipharmacum; & ſic argumen-

mentatur: *Dubitare, an sericum habeat vires cordiales, idem est, ac si quis dubitet; an Zwelferus sit Medicus: sed Zwelferus dubitat. Ergo sericum habet vires cordiales*: quod erat demonstrandum. Est Syllogismus in forma, in prima figura, & quidem *Barbara*. Videsne, *Verny*, quàm rudis & Idiota sis; quod neque Dialecticus, taceo Philosophus, sis? Advertis, quàm pulchrè medius terminus distribuatur: quàm evidens sequela ex puris particularibus sequatur: quàm denique longè à scopo demonstrationis aberrâris? Secundus Syllogismus talis est: *Res omnes constant, secundum quosdam, quatuor Elementis: seu in omnibus mixtis tria sunt principia generationis, à se invicem non, nisi per artem, aut totalem mixti destractionem, separabilia, sicut quando arbor radicitus emoritur. Sed dicere, sericum nullam habere virtutem, est, naturam omnino destruere velle. Ergo sericum habet virtutem alexiteriam.* Hic Syllogismus est etiam in optima figura; & quidem in primâ; & in *Ferio*. Tam artificiosus est, ut universalis meritò denominari mereatur; adeò, ut nihil in sublunaribus reperiatur, quod hic Syllogismus non probet habere virtutes cordiales. Ad imitationem hujus ergo, huic Syllogismo parallelum subjungam, ut Lectori pateat artificium & talentum *Verny*, ad sacram invidiam & æmulationem. Et probo, ex assumto *Verny*, quòd ipse *Verny* sit remedium alexiterium cordiale. *Res omnes constant 4. Elementis, seu: In omnibus mixtis tria sunt principia generationis, à se invicem non separabilia, nisi per privationem & unionis dissolutionem. Sed dicere, D. Verny non constare 4. Elementis, aut, prout mixtum est, non constare tribus principiis generationis; est naturam omnino destruere velle. Ergò D. Verny habet virtutes alexipharmacas cordiales, & est remedium cordiale alexiterium.* Major est D. *Verny*: Consequentia sequitur vi formæ: ergò ex dicta *Verny* probatione sequitur, non tantùm sericum esse cordiale, sed & piscem & asinum, lucem & tenebras, bona ac mala, omnia denique illa, quibus competit illa formalitas: nimirum, constare tribus principiis, & 4. Elementis. Ex quo patet, quàm dissona sit Musica, & concentus, ubi lusciniam graculus vult æmulari; & quòd non cuivis contingat adire Corinthum, aut Philosophum agere. Periculosus enim est, & præruptus, Dialecticorum pons, quem Asininum vocant, mi *Verny*. Exulant hinc vertiginosi, & quibus firmum judicium non est; nisi in præceps aut transversum rapi velint. Tertius Syllogismus est: *Si Mesues non habuisset succum granorum Chermes, nunquam illum ordinasset, hisce verbis: ℞. Serici crudi, succo granorum Chermes recenter tincti, libram unam. Sed sic dixit Mesues: ergo habuit succum granorum Chermes.* Et hæc est summa *Verny*. Ut igitur urgentibus his demonstrationibus in forma satisfaciam; respondeo ad primum argumentum: Si, juxta te, *Verny*, idem est, dubitare, an Zwelferus sit Medicus, & an sericum habeat virtutes alexiterias; sequitur, quòd sericum nullas habeat virtutes cordiales: quod sic arguo: Tu, *Verny*, dubitasti, an Zwelferus sit Medicus & Philosophus: ergo sericum non habet virtutes alexipharmacas seu cordiales. Antecedens demonstro. Nisi enim dubitasses, Zwelferum Philosophum esse, & tuis deliriis respondere posse; tam frivola, absona, & ludicra, quæ nec Philosophum; nec Medicum, sed Agyrtam & Impostorem sapiunt, nunquam tam audacter juris publici fecisses. Subsumo: sed, si tam verum est, sericum esse cordiale, quàm verum est, dubitari non posse juxta te, an Zwelferus sit Medicus & Philosophus. Ergo tam falsum est, sericum esse alexiterium seu cordiale, quàm tu verè dubitasti, Zwelferum esse Philosophum & Medicum. Ad secundum argumentum tuum respondeo; & quæro abs te, Philosophe *Verny*, quid tibi cum elementis & principiis, quæ turpiter confundis; quæ non, nisi verbotenus, intelligis, homo vix nativæ Linguæ gnarus, Latinæ verò ac Philosophiæ, ignarus? An nescis, aliud esse principia rerum; aliud elementa? Principia sunt, materia, forma, & unio: & ex his coalescunt composita: elementa verò sunt corpora, in quæ cætera corpora, quibus potestate insunt, dividuntur; ipsa autem in ea, quæ specie differunt, dividi non possunt: vel, ut Medicè definiam: sunt minima pars ejus, cujus sunt elementum.

Ex principiis resultant composita: ex elementis mixtio. De elementis controversia Philosophis est, an sint numero finita, an infinita; an ex se generari possint, an divisibilia, an formaliter maneant in mixto: de principiis verò ista liquent, quòd finita sint, quod mutuò ex se producantur. Nam forma educitur è potentia materiæ: unio simul à materia & forma resultat, &c. Mixtio differt à generatione, ab alteratione, ab augmentatione, ratione modi ac termini: non sic principia: quæ tamen obscurissimus Philosophus, *Verny*, clarissimè confundit, ac pro asserenda Confectione sua Alkermes arripit, eodemque sensu intelligit. Ut proinde doctissimo huic argumento aliud responsionis genus reddere non valeam, nisi cachinnos & risum: quem teneamus, Amici.

Ad Tertium argumentum, quod erat: *Si Mesues non habuisset in copia succum recentem granorum Chermes, nunquam dixisset.* ℞. *Serici crudi, succo granorum tinctoriorum recenter tincti*, ℔ j, ut respondeam (ac à nauci hujus hominis paræmiis me illico expediam) uno dilemmate ejus commentum evertam, dicens: vel habuit Mesues succum granorum Kermes; vel non habuit *Verny*. Quidquid respondeas, contra te militat. Si habuit: ergo falsum est, quòd nullibi sincerus prostet, nisi Monspelii, aut in Galliis, quòd ad nos, & alias regiones, recens ac sincerus deferri nequeat: prout superiùs mordicus defendisti. Ulteriùs: si habuit; ergo Mesues nugator aut phanaticus fuit, quòd, multiplicando entia & negotium, succo priùs tinxerit sericum, quem magno labore postliminio ex ipso serico eliceret: quod venerando Seni tecum nequaquam affinxerim. Si autem succum hunc non habuit: ergo falsa est tua propositio: & evinco, quod contra te erat demonstrandum. Verùm dato, non concesso: habuerit, vel non habuerit, dictum succum Mesues (hæc enim ἀδιάφορα sunt ad intentum meum) probo tamen ex genuino textu Mesues (quem sexcenti Classici æmulantur) quòd impostor sis & falsarius. Textus Mesues sic sonat. ℞. Sericum, succo granorum tinctoriorum recenter tinctum: vel, accipe setam tinctam ex Chermes. Nunc sic argumentor: Sericum crudum & tinctum differunt specie inter se. Assertum probo. Sericum crudum, juxta omnes, illud est, quòd, à folliculis recenter segregatum, nullis heterogeneis (alumine, tartaro, succo citri, ac murice) ad tincturam disponitur, ac dein producitur, uti, in sequentibus, ipse *Verny* ait. Sed implicat, idem esse crudum, & tinctum, eodem respectu. Ergo crudum & tinctum sericum differunt specie. Sed etiam non differunt; quia, juxta te, ex superiùs dictis, præcipit Mesues, pro Confectione Alkermes, sericum crudum & illotum assumi; textus vero genuinus, à nobis jamjam citatus, consulit sericum tinctum succo granorum Chermes. Ergo crudum & tinctum differunt, & non differunt; tingi, & non tingi, identica sunt, uno eodemque respectu. Sequitur proinde, cùm hæc sibi repugnent, quòd tu falsarius & impostor sis; quòd, pro tuendâ sententiâ tuâ, quid pro quo alleges; quid pro quo substituas, textusque pro libidine adulteres ac defraudes. Quæ omnia ac singula à te, maximo Philosopho, qualem hactenus te mea tuaque argumenta probarunt, minimè discordant. Procedo itaque ad octavam *Verny* contradictionem.

Octavo loco dicit, quòd satis habeat succi, & multò plus granorum Kermes, cum quibus sericum ubique locorum tingitur: innuere volens, quòd cum illo succo commodè syrupum facere possit; quia sericum cum eo tingitur. Sed consequentia hæc mala est & perniciosissima. Si enim, à curiositate sua persuasus, Tinctorum instructionem expetivisset; tunc didicisset id, quod ignorat: quòd sericum, carmesino tinctum colore, tale fiat cum Cocconiliâ, terrâ Meritâ, Arsenico, aliisque, & quòd alia res rubro colore tingantur ex ligno Brasilio, &c. Sed nec cum succo ipsius sicco, nec granis Kermes etiam siccis, unquam confici poterit Syrupus in omnibus Regionibus; minùs adhuc cum iisdem tingi sericum, sine adjumento rerum aliarum: ut Tinctores facere consueverunt. Discat autem ipse, quòd Kermes cum succo suo non adhibentur, nisi ad tingendum pannos & lanas. Sine dubio mihi respondebit: si panni & lanæ cum hoc succo tingantur; bene etiam tincturam exinde parari posse ad conficiendum Syrupum. Quod fieri posse concedo, more Tinctorum, res prorsus à confectione nostra alienas, & qualitatibus contrariis

trariis praditas, addentium, quales natura nostra inimica sunt, Galla, Alumen, terra Merita, Arsenicum, & similia: aliàs nunquam exinde extrahere posset tincturam, quam nos cum succo recenti paramus. Procul itaque absit talis Medicus, qui persuadere vult nimium credulis, meliorem confici posse Confectionem Alkermes in regione sua, ingredientibus adeam necessariis destituta, quam Monspelii, terra quasi natali Medicina, omnibus redundante. Zwelferus inutiliter, sine ratione, & sine ullo fundamento, cùm sese confecerit in exstirpando serico crudo ex Confectione Alkermes, quibuscunque nitatur rationibus; jure de eo possumus pronuntiare, non quidem id, quod ipse de Laurentio Catelano dixit; discursum hujus viri nil nisi nugas esse: sed authoritatem ipsius nequaquam pravalere posse authoritati Mesues, Avicenna, Nicolai Myrepsici, Valerii Cordi, & aliorum, qui sericum crudum Compositionibus suis cordialibus inseruerunt.

Ad propositum perlongum latumque argumentum respondeo: primò falsa est causalis, quam perfrictâ fronte affers, & textus meos violas, *Verny*, nempe: Ideo ex succo granorum Chermes fieri apud nos posse syrupum, quia sericum cum succo granorum dictorum tingitur. Cita, perverse homo, locum, signa paragraphum, demonstra lienam, in qua meæ Animadversiones hæc doceant. Viden', quòd sis tenebrio, falsarius, & umbrarum appetens? An non proprio suffragio reprobavi sericum tinctum, pro extrahenda tinctura ad Confectionem Alkermes expetitum? Et ratio mea fuit, quia sericum, intervenientibus minùs salubribus, ac ab intrò tutis (qualia alumen, tartarus, &c.) tingitur ac coloratur. Nam hic erat status controversiæ: & hoc absurdum in me retorquere niteris. Verùm, mi *Verny*, cur non impugnasti ipsum Mesues, qui sericum, succo Chermes recenter tinctum, pro Confectione hac in terminis destinavit? Cur ne hiscere quidem contra virum hunc ausus es? Nisi quia nequitia tua nullum ampliùs habuisset diverticulum & asylum, sublato venerandi Senis patrocinio. Respondeo, secundò; & absolutè nego, quòd ex granis ipsis siccis non possit fieri syrupus, in quibuscunque etiam Regionibus: & probo. Nullum de facto datur vegetabile, cujus essentia, applicatis debitè activis ad passiva, adhibito specifico & appropriato menstruo, l. a. elici non possit. Ergo etiam, sic procedendo, tinctura granorum Chermes, elici potest. Major est omnium Chymicorum, expertorum Pharmacopœorum, & Philosophorum; & confirmatur ab inductione reliquorum vegetabilium, Radicum, Herbar. Seminum, Flor. &c. quorum essentias elicimus extractione legitimâ. Subsumo: atqui datur tale menstruum, quod homogeneum & appropriatum est granis Chermes. Ergo syrupus Chermes (qui tandem essentia granorum Chermes est) apud nos & ubique confici potest. Confirmatur, secundò, & *Verny* argumento: si, inquit, *tingi possunt lana, sericum, & panni, succo granorum Chermes; ergo etiam exinde potest parari tinctura, seu essentia, ad conficiendum syrupum.* Quæ consequentia licet sit falsa, meo judicio, prout eam reprobavi in censura syrupi de Pomis, ad Confectioctionem Alkermes desiderati, *pag.* 40. *col.* 2. *l.* 42. *& seq.* tamen ad stabiliendam superiùs à me allatam veritatem, egregiè facit prior propositio, vel ex ore Adversarii; quòd nimirum tingi sericum ac panni non possent, nisi præsupponeretur possibilis tinctura, velut conditio sine qua non. Ubi autem gentium aut locorum (nimirum ubique) prostet illud menstruum, modus ac dexteritas eliciendi hanc essentiam granorum Kermes, pro legitimo syrupo apparando, paucis tibi indigitabo, dum te ad Animadversiones meas, quondam editas, & ad Pharmacopœiam Regiam recentissimè editam, ablego: quam si tibi, assiduâ lectione, & interpretis auxilio, familiarem feceris; dubium non est, quin brevî futurus sis eruditus Pharmacopœus & Magister, qui nunc vix artis Tirocinium exerces. Consule deinceps Philosophos & Chymicos, non tinctores & mechanicos: peregrinare cum Zwelfero; & abditos naturæ sinus, artis invios ac inaccessos Mæandros, feliciter enavigabis. Nam: nemo in patria Propheta. Reliqua, quæ de Valerio Cordo, Mesue, Avicennâ, ac Arabum turbâ, attulisti; extra metam ac scopum sunt. Neminem enim sequor ac æmulor, ubi facem ratio &

experientia non præfert. His ducor radiis, nequaquam deviaturus.

Nonò; pergit obscurus noster Magister, *Verny*, dicens: *Quò magis Zwelferus Confectionem nostram impugnat, eò plus intricatur. Dicit enim ut ambra grysea dissolvi queat, addi posse aliquot guttas Olei destillati cinamomi, rosarum, aut similis. Parum circumspectus est, dum non considerat, quòd, cùm Oleum cinamomi, & Ambra, igni, cujuscunque gradus ille sit, imponitur, ut dissolvantur, partes utriusque magis spirituosæ in aërem evanescant, itsque confectio prorsus frustretur. Ambram gryseam si quis vellet dissolvere cum Oleo rosato; res etiam esset valdè ridicula & inaudita: cùm Oleum tale intra corpus non assumatur. Minus autem credere possum, ipsum per Oleum rosarum intelligere illud, quod Chymicè ex Rosis extrahitur. Hoc enim rarissimum est, nec plus ad hanc dissolutionem confert, quàm præcedentia, utpote substantiæ nimium tenuis & subtilis, quæ cum partibus ambræ gryseæ purioribus evanesceret. Si verò ambram liquefacere omnino cupit, Authoris sui sequatur intentionem, & eam dissolvi faciat in syrupo; sicut quidam faciunt: quod sine dubio faceret, si Catelanus idem doceret, quem laudat, quando sericum ex Confectione Alkermes, sicut ipse, rejicit, & paulò pòst cum contemptu de ipso loquitur, cùm videt, quòd, Mesuæ repugnare nolens, idem in eâ Confectione admittit. Sine dubio pavorem illi incussit, quando, in tractatu suo de Confectione Alkermes, scripsit, neminem præter se, Ambram posse dissolvere, & revera difficillimum esse, illam aliis commiscere.*

Coronidis loco hic Doctorum Phœnix saniora promit dogmata, ac lucido gaudere intervallo videtur, dum assiduè nobis commendat, ut dispensandarum rerum vires sartas rectas ac integras conservare studeamus; nec non cautos reddit, ne Ambram & Cinamomi essentiam, ac quidquid spiritu turget, apertâ ignis violentiâ pessumdemus: cui lubens ego subscripserim & assenserim. Verùm, sicut in morbis acutis omnis recidiva radice deterior est; sic hujus viri insania, in quam postliminio recidit, pejoris delirii compendium ac complementum est. Quid enim à mente alienum magis, quàm dum ait, & miratur, *quâ ratione Zwelferus oleum Rosarum* (coctum *Verny* subaudiit) *intra corpus assumi, nec non eodem Ambram gryseam dissolvere suadeat; cùm tamen, ut ait, nullus illius sit usus ad intra, & indicatio: si tamen per impossibile Zwelferus destillatum oleum Rosarum subintelligeret, rem impossibilem suaderet*: cùm nullus sit in Gallia Magister, qui tale secretum apparet. Ad quod respondeo, *Verny*; me minimè oleum Rosarum coctum (uti malitiosè & stupidè me arguis) seu amurcam; sed destillatum Oleum (veriùs essentiam rosarum dicendum) subaudiisse: quæ essentia licet rara apud vos avis & phænomenon sit; nostris tamen Pharmacopœis, & mihi, sat usitata & cognita est: quam pro languentium solatio, ac Medicorum nutu, ubique dextrè destillant. Ex hoc tamen facili conjecturâ assequi possumus, quàm tibi domi angusta supellex ac scientia, qui in ipsis Pharmaciæ præliminaribus buxo pallidior hæsitas & hæsitasti. Quantum fidissimi Medici infideli ministro concredere possint, quem te, *Verny*, palam proclamas, qui pro rosarum Essentia, unctuosum liquamen, & coctum Oleum, substituere audes; &, quod consentaneum est, criminis, & fraudis, & stultitiæ, tecum nos arguis arbitros, & oculos, ictericorum more, cùm proprio vitio lippias, in peregrina conjicis objecta, ac eam de foris scrutaris, quæ in sinu efflorescit, lepra, dum stupidissimo modo ejusdem nos tecum farinæ homines arbitraris, qui oleum Rosarum coctum pro destillato (ob artis Pharmaceuticæ imperitiam) substituamus. Sequitur & aliud delirium recidivi *Verny*; quòd audacter eructat ac docet, Ambram dissolvi non posse cum oleis, nisi caloris aut ignis violentiâ; cùm tamen vires Ambræ multùm calore dissipentur. Aliam, ac secretam, esse methodum, (magno artis sacramento & mysterio cautam) dicit, & sibi soli arrogat, *Verny*: ut scilicet Ambra in pulverem redigatur. Sed quis non conspicit stupidam inscitiam, ac supinam ignorantiam, hujus viri, rudis, quòd ambra grysea connaturaliter quibuscunque oleis, præsertim destillatis, in mortario frigido lapideo, vel ferreo, dissol-

diſſolvatur; cùm ſit naturæ homogeneæ cum oleis deſtillatis,& ſubſtantiæ reſinoſæ: unde facilè iis unitur, vireſque integras nexu ac fœdere firmo communicat, odore & fragrantiâ majore luculentis teſtibus. Hæc, dicto modo ſoluta, ambra ſi electuariis, ſi ſpeciebus, pulveribus, aut ipſo pulveriſato ſaccharo, eum adjungas, virtutem ſuam ac fragrantiam efficaciùs communicabit ac imprimet, quàm ſi ſimpliciter (arcano *Verny* conſilio) in pulverem redigas. Solvitur præterea Ambra, vel (ut proprio utar etymo) emollitur, & comminuitur, adjectis quibuſcunque fructibus unctuoſis ſibi homogeneis; utpote: Amygdalis, Pineis, Seminibus quatuor frigidis excorticatis: &, quod mihi domeſticum ac uſu frequentiſſimum eſt, præcipio Ambram excorticato citri ſemine ſubigere, ſi alexiteriis admiſcenda & cordialibus, nullâ caloris aut ignis violentiâ; ſed planè frigidè; ſolâ in mortario frigido ſubactione. Et hac ratione Ambra per minima, & inſenſibiles atomos, quibuſcunque ſe rebus unit ac inſinuat, virtuteque ſuâ efficaciter eas imbuit; adeò, ut cum liquoribus poſtea dilui perfectiſſimè poſſit, odore balſamico ac fragrantiâ (genuinis accidentibus) ſemper ſuperſtite. Diluitur etiam Ambra mediante vitello ovorum, qui unctuoſæ eſt ſubſtantiæ; adeò, ut omnibus liquoribus, electuariis, confectionibus, ritè ac facilè poſſit uniri ac dilui; hac unâ ſervatâ cautelâ, ut ejus ſubactio in frigido, nullo modo in calido (ut ſtupidus *Verny* cenſet) celebretur. Norunt etiam apud nos, in Germania, Tirones Ambram in ſaccharo, ad conſiſtentiam ſyrupi aut tabulati coctò, liquare & ſolvere; citra odoris aut fragrantiæ diſpendium; quod quidem captum *Verny*, ac fidem, exſuperat; qui plurimum gloriæ ſibi decedere judicat, ſi noſtris Tirunculis ſuccumbat; qui ſibi tamen magiſtralem cathedram, evulgatis publicis ſcientiæ monumentis & commentariis, per Europam arrogabat. Sed vices tuas doleo, mi *Verny*, & novercam fortunam, quòd, ſubitò è ſuggeſtu deciduus, ea diſcere coactus ſis, quæ docere videbaris. Meliora dabunt ſuperi, ubi bonus eſſe cœperis. Interim cogita, quòd res lubrica ſit ſors, aut fortuna.

Ut igitur, recapitulationis loco, paucula hactenus inter nos acta tibi refricem, *Verny*, ac tandem finem arripiam (multùm enim tuis fatigor næniis) ſcias velim, primò, quòd apud nos veriſſimum oleum deſtillatum Roſarum, ſeu eſſentia, paſſim proſtet; quam tamen nunquam te vidiſſe (quàm obſcurus Pharmacopœus!) palam fateris abſurdo dubitandi genere, dum ais: *Minùs autem credere poſſum, illum* (Zwelferum) *per oleum Roſarum intelligere illud, quod Chymicè ex Roſis extrahitur; hoc enim rariſſimum eſt (in officina nimirum tua) &c.* Si Philoſophus, aut ſaltem expertus Pharmacopœus, fuiſſes, *Verny*, facilè Zwelferi mentem aſſequi potuiſſes & intellexiſſes. Sicut enim Zwelferus, hortando, ut, pro diſſolutione Ambræ, adhibeatur vel oleum ſtillat. Cinamomi, vel oleum Roſarum, disjunctivo ſenſu, intellexit ſolum oleum Cinamomi deſtillatum, & non aliud; cùm (ut ipſe ais) intra corpus abſumi debeat: ita, à pari argumentando, inferre potuiſſes; ergo etiam, loquendo de oleo Roſarum, pro Ambrâ ſolvendâ, intellexit Zwelferus oleum deſtillatum; quia uſibus internis eſt deſtinandum; ad quos coctum & fœtidum minimè proficuum. Hanc eandem rationem deſumere poteras ex *Animadv. m. pag.* 255. ubi habetur: *Sic enim exactiùs* (ſcilicet Ambræ) *ſaccharo injecta, cum eo unitur. Quæ ſolutio inſuper majorem efficaciam huic Confectioni addet; utpote quæ alioquin ſtimulo ſummopere indiget, nec non opus habet, ut in majori doſi, quàm communiter fieri aſſolet, propinetur, ſi, quas illi attribuunt, virtutes exerere debeat, &c.* Hucuſque textus noſter. Verùm quia uſu Latinæ linguæ deſtitutus eras; textus hic te latebat, & oleum Roſarum coctum ab intrò ſumendum, putabas deſtinatum, ac cum Confectione Alkermes devorandum. Scito denique, nos, in Germania, Ambram nequaquam calore, aut calidis, ſed frigido mortario, ac frigidis quibuſcunque, ſpiritibus, eſſentiis, ac unctuoſis, juxta ſuperiùs datam ſcientiam, diſſolvere; nequaquam verò coctis oleis, & hiſce unguentariis: aſſiduè etiam nos collaborare, ut vires rerum integras ac efficaces, inter labores Chymicos, vindicemus ac præſervemus. Hoc enim ad latum & longũ me

præcepisse reperies in *Animadv. super aquas destillatas, & syrupos conficiendos, &c.* Tuum ergo secretum secretorum, redigendi Ambram in pulverem, tibi serves; nobis Germanis hæc trita sunt, qui obscuri ejusmodi Magistri instructione non egemus, nec eam desideramus. Nec nobis necessaria est tua tam studiosè, sed infantilis, injuncta cautio, de Ambræ natura, & partibus ejus tenuioribus, non perdendis. Actum agis, dum talia præcepta, & institutiones, cautissimè fortè, ad nos transcribis. Reddimus igitur tibi arcana tua, nobis non necessaria. Tibi, mi *Verny*, præstat nostra Praxis ac methodus, cujus beneficio non solum Ambra per minima dissoluta, omnibus medicamentis, per insensibiles atomos, sese unit & insinuat, virtutemque suam ubertimè largitur; sed & alia, compositorum medicamentorum ingredientia, omnia sarta tectaque suis virtutibus conservantur in Composito & mixto. Miramur tamen tuam sollicitudinem, in conservatione partium tenuium Ambræ; cùm tamen in perdendis infinitis aliis rebus odoriferis tenuibus, summè expetendis, tam prodigus sis; in syruporum nimirum, aliorumque complurium medicamentorum compositorum, præparationibus, quas per violentas decoctiones, & tot librarum spirituosi liquoris exhalationes ac expulsiones in auras, apparare, tua malesana consuetudo est; in qua consensuisti, nec in meliorem frugem converti potes; sed antiquis absurditatibus subscribis; tibi tamen his, de Ambra, injunctis cautionibus apertè contradicendo, eò, quòd artificiosioribus syruporum m. confectionibus, dexterrimè edoctis, in quibus partes tenues & subtiles omnes integrè conservantur, tam acriter, sed imperitè, contraniteris, adeoque in tuis semel conceptis erroribus potiùs consenescere satagis, quàm quòd, cum emunctioribus Pharmacopœis, & aliis doctissimis Viris, saniora consilia amplectaris. Interim tamen, si complura adhuc mysteria portas, aut cum Jove parturis, domi tuæ enitere, & arcana in patriâ revome: nobis, in Germania, tui displicent ructus. Reliqua, quæ de Catelano adjicis frivola sunt, ac nullius frugis; paucis proinde diluenda: laudo Catelanum, & sequor, in quibus periti Chymici & Pharmacopœi munus obivit. Recedo à Catelano, eumque impugno, ubi eum à recto tramite deviare, &, desertâ veritate, deflectere reperi. Quemadmodum nunc te, Magister *Verny*, nauci, flocci & nihili pendo, utpote hominem fastu, pravis moribus, & calumniis deditum ac abominabilem. Vice versa pro rostris ac pulpitis, è suggestu & compitis, laudabo & prædicabo, totus in tui laudem olim effusus, ubi te meliorem futurum inaudivero.

Hisce, Amice *Verny*, manum tabulæ subduco, & Apologemati meo coronidem impono. Perceperis, non dubito, cùm tecum familiari stylo, de condicto, disseruerim, imbecillitatis tuæ ac talenti memor, quàm ineptè, perversè, malitiosè in notis tuis propriâ notâ scriptitaveris; quàm fallaciter textus meos adulteraveris; quàm simpliciter turpitudinem ac inscitiam tuam orbi universo revelaveris; quòd scil. nec Rosarum oleum (artis tirocinia) cognoveris; quàm incuriè te præcipitaveris: dum corrivalium tuorum fraudes, syrupi Chermes adulterationes, monopolium ac quæstum tuum, quo solus Monspelii gaudere gestiebas, ultrò, & nobis non exigentibus, proclamasti; quàm stupide & superciliosè Cathedram Doctoris, Scriptoris, Commentatoris, & Notistæ titulum, alienâ infamia & calumniis tibi arrogaveris, cupiens digito monstrari, & dicier: hic est. Sed non invideo, quòd digitis te subsannent, *Verny*, quòd pro fama ludibrium, pro triumpho risum, pro plausu explosus, pro lauro stramen, Neo-Doctor, reportaveris, etiam majoribus dignus. Patientiam nunc habeto, *Verny*, si rigorosa tibi fuit Zwelferiana palæstra; è qua vix nudus diffugisti: si rigorosus tibi fuit Gymnasiarcha Zwelferus; cui te ultrò, non stimulatus, objecisti. Neque mihi succenseas, velim, quòd ampliori exegeri, quàm speraveras, vitia & imperitiam tuam declaraverim. Bonis, profectò, nocet, qui parcit malis; &, ut Juris-Consultus ait: Bonorum injuria fit malorum impunitas. Non exigebant mitius collyrium lippitudines tuæ, nec, profecto, blanditias profunda vulnera, quæ verbis non curantur, sed ferro. Nam

— *Immediabile vulnus*
ense recidendum, est, ne pars sincera trahatur.

Tibi

Tibi, profectò, hanc crucem & infame theatrum, cum Haman erexisti, te propriis vitiis, velut cincinnis, cum Absalone, suspendisti. Disce imposterum proinde, quo loco honesto viro fama sit, quæ multis vigiliis & ærumnis, longâ annorum serie, sollicitè parta est & requisita: disce; quoniam vitâ, & intaminata fama, pari passu ambulant. Multis enim vivere, tædium, & emori, lucrum fuit, quos honestæ famæ precium, & gloriosi nominis ardor, destituit. Disce denique imposterum calamum, *quem in manu te gerere* (nequaquam regere) gloriabaris, nonnihil moderari. Quod enim culter in dextra pueri; quod ensis in manu furiosi: hoc calamus, & lingua, in libertate superciliosi. Suscipe igitur Vindicias has meas, quas sereno animo ignobili nomini tuo dicavi, *Verny*, ac velut arma inculpatæ tutelæ objeci. Mihi scutū sunt; delictis tuis supplicium. Thrasonibus verò & Zoilis cautela sint, velim, ne te, *Verny*, æmulentur; cùm paria, aut severiora forsan, Illis ex pharetra destinârim spicula. Vale.

CORONIDIS LOCO

Accessit hæc

EPISTOLA APOLOGETICA,

Contra quendam,

SCHMUZIUM A POYSTORFF, Med. D.

Ab Anonymo quodam edita:

Pro integerrima ZWELFERI *fama vindicanda.*

SOrte accidit, *Obscurissime Doctorum*, ut nuper ea, quæ de Carolo-Badensibus Thermis, rudiori Minervâ, evulgasti, æquo, serenoque animo pervolverem. Incidi tandem in *pag.* 27. Opusculi tui, ubi prostitutâ loquacitate, infami stylo, multisque opprobriis, quasi Veterno correptus, inviolatam tanti Viri famam (*Zwelferum* meum reputo) arrodere & extirpare tentasti. Suspiravi, & cum Cordubensi Philosopho ingemui: ergone, dicens, tam sacrum nihil, quod sacrilegum non inveniat? quò livor non subrepat? An, ut aurum scoriam, ut rosa spinam, ut corpus umbram, ut purpura tineam, ut Phœbus eclipsin patitur; sic Laurus tua, *Zwelfere*, monstrosi partus vermiculum nutrit & sustentat? Audebo aliquid (mecum dicebam) audebo, & hyperbolicum hunc Thrasonem ipso Zwelfero altem silente) vivis coloribus depingam, delineatum in scenam producam; ut sic redeat in Authorem scelus.

Et verò, quonam percitus œstro, *gloriose Thraso*, quo ambitionis fermento turgidus, *Medice Satyrice*, quâ temeritate, quo ausu, non provocatus, non lacessitus, in arenam descendis, phanatico similis, in Zwelferum involas, sævis, furis, &, velut crabronum jaculis lacessitus onager, contra stimulum recalcitras? Quænam te fascinavit Circe, *mordacissime Zoile, Schmuzen*, ut, perruptis honestatis repagulis, contra fas & jus, non Philosophicis argutiis; cùm nondum ad Physicas Auscultationes initiatus sis, Tiro; non Spagyricis principiis; qui adhuc prima Chymiæ Theoremata ignoras: sed malesanis calumniis, probrosis con-

conviciis, turpi sarcasmo & scommate, imò meris mendaciis, præclaræ notæ Virum, Zwelferum, exagitares, &, velut asinus lusciniam ad harmoniæ certamen, sus Minervam docendo, provocares? Rem acu terigisti. Famam tibi, veluti quondam sacrilegus ad Ephesum Herostratus, infamiâ conciliasti: ex sapientiæ tuæ ramo, fructum stultitiæ, & scientiæ probra retulisti, ac, unde Laurum sperare cœperas, infami stramine tempora cinges, in vices Panegyris, maledictionum plaustra relaturus. Quis enim te calonem & lixam, mi *Schmuzi*, in theatrum, cum scuto Hectoris, cum telo Achillis, cum clavâ Herculis, procedentem non rideat? armatam cucurbitam, peltatum erinaceum, leporem galeatum, non explodat? Universus populus toto splene te ridet, & subsannat, festivum illud resonando: Pulchrum est, digito monstrari, & decier: Hic est Zwelferi Mastix *Schmuzius*.

Momum proinde exue, sublimes moderare spiritûs, viperinos dentes atterito, splendorem & famam Zwelferi (obscurissimus ipse cùm sis) ne obfuscato. Et quanquam nos non lateat, *disertissime Schmuzi*, quòd verecundum silentium unicum sit amuletum calumniæ; quòd simulare, sit, luculentam Apologiam criminatoribus objicere; verbo denique, quòd, qui tacet, re ipsâ obtrectatorum scommata diluat: ne tamen nos αὐτόματα & statuas arbitrareris, quibus pro corpore truncus; pro corde fungus; pro cerebro palea obtigerit: hanc tibi ἀμούσῳ cantilenam occinere, ac juxta stultitiam tuam respondere placuit, ac in Domino decretum est. Enimverò, quid aliud honestus rumor, quàm locuples hæreditas: quam dilapidare videtur is, qui criminatoribus silentium non imponit? Expertus id est modestissimus Vir, sæpe dictus Zwelferus, quando in eum, pari supercilio, ausu, censura, & conviciandi libidine, olim debacchatus est Medicus quidam, natione Bojus, nomine *Wolfgangus Höferus*, dum in suo Centone, quem Rhapsodes undique ex Authoribus consuit, & sub titulo *Herculis Medici* edidit, *lib. 2. cap. 3. de Pleuritide*, sic eum arguit: *Dispensatorium, mutuatâ ab alio Latinitate, à se autem conceptâ reformandi inurbanitate, non ita pridem edidit.* Hæc ille. Potuisset Zwelferus, inquam, præduro huic nodo durissimum objicere cuneum; invenisset hoc monstrum & suum Herculem; maluit tamen parcere defuncti manibus, nec relictis ab eo in Pannonia exuviis, & superstiti cineri, maledicere; quin potiùs æternam requiem comprecari. Tacuit, inquam: at quid modesto silentio apud te, profecit, *Schmuzi*? Fors demiratus est struthionis fermentum, & Viri patientiam, quâ etiam chalybem digerit? Minimè gentium! Illusisti, insultasti, simia in purpura, pacato Viri genio; hebes Discipulus Doctori modestissimo: & in libello tuo, in quo, ad miraculum doctus, mira de lente, seu Thermis Carolinis, disseris, *pag. 27.* his in Zwelferum formalibus invehe-ris:

Pro majori Lectoris intelligentia, qui obscura nimis fortassis auriculâ ex Hippocratis & Galeni tripode axiomatum & sententiarum animadvertunt Emphasim, pauca dicenda obveniunt. Ut sequentia intellectui per levem quandam diaphoram luculentius appareant, sapienter proinde præceptum est ab antiquis, in rerum naturalium serie non prostare vel rarò simplex, sed amicâ & quacunque conveniente perfectionis societate redintegrari, quod Compositum Philosophorum & Medicorum vulgò baptizatum est, quod etiam Galenus divus noster pluribus in locis, præcipuè aureis in libris suis de Medicamentorum Compositionibus plus bis millies verò verius comprobavit. Quamvis ille novus & Germanus Galeno & Dispensatorio Augustanorum, mastix, (equidem nescio, quo ductus genio?) ut tàm male in Medicina parentem feriatur & medicamentorum compositionem tàm turpiter sine veritatis stamine adoriretur, corrigendo scil. Magnificat: Cæsarem (sanctissimæ memoriæ) Ferdinandum Tertium infelicis & monstrosi sui abortus Compatrem compellare non erubuit, quam attalicis & holosericis technis & vulpinæ adulationis fasciis involutum exhibuit, inde dubio procul viridissima se laureâ Cæsarea Coronaturum. Sed ecce quid instat? Primum abortus frontispicium ita Cæsaris fascinavit oculos, ut propè cæcutiens proximo adstanti cubiculari donaverit Medico, huic, ne famulo extorris & orbus

bus

bus incederet in pedissequum, juvenem propriæ sectæ Medicinæ Doctorem, adjungere placuit, qui se modo ullo, prædicto Vindelicorum Dispensatorio ligari patitur, sibi, suoque vermiculoso cerebro formaturus proprium. Viden par nobile fratrum? ast potiora culmina fumant, & ne licentiam parenthesis transgrediar, & humi delitescam, Thermis, de quibus agitur, me immergam, &c. Hucusque Asinus ad Lyram.

Pace tua quæsiverim, *annosa Vulpes*: quis tibi de volutabro porco, seu è Thermis emergenti, Compater fuit? Quis abortum tuum, mi *Schmuzi*, quem spurium & vermiculosum ingeniolum tibi peperit de Thermis Carolinis, nomine suo legitimavit Herus? Mecœnas fuerit: quo involucro, technis, thecis, & fasciis, primum editionis tuæ exemplar investisti? Dubio procul pelliculis ex Arcadia petitis, cuticulæ tuæ per omnia similibus; aut pelle Capellæ, Diphtheram tuam ornasti; in qua multis de lana caprina differis? Affligit te, *Venerande Schmuzi*, juxta hæc ex Philosophia Zwelferiana retorsio? Disce habenas & circumstantias labiis tuis deinceps imponere, & æquum magis judicium de Zwelfero proferre. Nam 1. cadere hoc in Ferdinandum Tertium, ævi sui Potentissimum Cæsarem, qui, ob sapientiam, alter Salomon audiit, ipso Salomone superior; quòd sapientiæ, quæ inflat, miram vitæ morum sanctimoniam, indissolubili humilitatis nexu copulaverit: cadere, inquam, in hanc Majestatem non potuit, ut externo splendore, & peregrinis coloribus ac involucris luderetur: quin imò doctissimos Zwelferi Commentarios, à capite ad calcem recognitos, & ad judicii sui æquissimi tribunal citatos, approbatos, Augustissimi nominis sui Splendore, Gratiis, Favoribus, ac Indultis firmaret. Extat Torques aureus, magni pretii, cum Numismate, gratiosam tanti Cæsaris, Ferdinandi III, effigiem referente, æternum Cæsarei favoris monumentum, quo ab ipso Augustissimo donatus, dum humili submissione genuinum hunc partum suum dicaret, Zwelferus. Neque te, *superciliose Schmuzi*, ad scrutandum Cæsareum Diploma, & amplissima Privilegia, quæ ab ipsa Majestate clementer indulta, amandavero. Id unum sufficiat, quòd prædicto Diplomate Tibi, *livide Schmuzi*, & sectariis tuis, prohibitum sit, ne, sub Cæsareæ indignationis comminatione, Zwelferianos Commentarios ostentui habere, præpedire, immutare, arrodere ausu temerario præsumatis. Et si notum tibi non est, quod subjungo; scias oportet, quod eodem indultu Sacra Majestas Zwelferum Aulæ tanti Cæsaris Medici titulo insigniverit; velut digito innuens, quàm gratus extiterit tantæ Majestati partus Zwelferianus.

Ut autem, Lector Benevole, rem ab ovo, ut ajunt, recenseam, cur virus suum in Zwelferum evomuerit *Schmuzius*: accidit, ut, cùm Sacra Majestas Augustæ Vindelicorum Comitia ageret, Medicum Ordinarium (quem *Schmuzius* Cubicularium vocat) ad se evocarit, dicatum sibi à Zwelfero novum Dispensatorium innuens, in quo Augustani reformantur, & emendationes remediorum Dispensatorii proponuntur, non sine sensu Collegii Augustani. Ad quæ prædictus Medicus reposuit, fore, ut Augustani Medici Zwelfero indignentur, calamum arripiant, calumniis constringant. Ad quæ Justissimus Imperator, Laconicâ brevitate, hæc qua monita, qua minas, refudit: si calumniis, non verò argumentis, Augustani reciprocare velint, cæptis desistant, volumus & jubemus. Hæc vivo testimonio Magni Aulæ Ministri etiam hodie confirmantur. Verùm ut mos & consuetudo Parasitorum fert, in utrumque scil. latus claudicare, calida simul & frigida exsufflare, neminem non palpare; cùm supradictus Medicus Augustæ Vindelicorum à D. Heinisio, Medico, lautiùs ad mensam exciperetur, dissona superioribus adulator in quadra protulit: inter epulas Zwelferianas denuò toto ente differentia recensuit palpo: quanquam seriùs Palinodiam cantarit, quando novercam fortunam expertus, splendidi nomine orbatus & humiliatus, Vienna exul, Ferdinando scilicet Quarto (lachrymas tibi, Austria, provoco) heu! expirante.

Hæc (ut ad te convertar, unde digressus sum, *Schmuzi*) hæc næniæ tuæ spectabant velut scaturiginem. Sed quo animo, calculo & suffragio probas, quòd denuo Zwelferus lucubra-

tiones suas, quas inter disparia studia, & Praxin uberrimam, ad Cleanthis lucernam feliciter elaboravit, Augustissimo LEOPOLDO, Magni FERDINANDI FILIO, in Quem, cum Coronâ & Sceptro, Cæsareæ Patris Virtutes, Pietas & Sapientia commigrarunt, ut meritò FERDINANDUM in LEOPOLDO replicatum dixeris, dicavit, consecravit? Ampliùs dixero: quòd genuinus hic, & Solaris Zwelferi partus, Imperatoriâ Majestate protectus, in gremio tanti Cæsaris conquiescit; à quo umbrarum fœtus, Momus, illiberalis nominis Euclio, meritò arcentur?

Transeo à Maximo Cæsare, ad Literatum Tribunal. Audistinè, *Aurite*, quàm dispar sit Censura Antiquissimæ Universitatis Viennensis, à calculo nigerrimo tuo, quo contra Zwelferum suffragaris? Proscriptus es unanimi consensu virorum Principum in Medicinâ. Quin imò, altum silente Inclytâ Facultate Medicâ, Vienna & Austria pro Zwelfero, Theseo suo, fidissimo Achate, languentium publico Asylo, contra te perorat: quanquam & de te meliora deinceps sperem; forsan lupus pilum, asinus vocem, *Schmuzius* mores suos castigabit. Quamvis rem dixero magnam:

Zoile, si bonus es.

Et hæc erant, mi *Schmuzi*, quæ modestiori calamo, sine felle & fermento, ad Te perscribere volui, non ut *Magnificat* (uti Zwelferum insimulasti) corrigerem, sed ut *Credo* te docerem; qui fidem non mereris, Reipublicæ Medicæ infidelis. Esto fidelis deinceps DEO, Tibi, Proximo; & si te, cum Cæsare, Alexandri Magni statua; cum Themistocle, Miltiadis trophæa; in literaria Palæstra aliena palma ad æmulationem invitet; ne tibi furor suppetias ferat; ne calumniis, & mille probris, veluti totidem gradibus, ad honorum fastigia tibi viam sternito. Redit enim tandem in Authorem scelus. Paribus armis cum Zwelfero congredi debebas, quem, cùm Philosophus, cùm Chymicus, cùm Medicus sis, rationibus Philosophicis, Spagyricis inventis, Theoricis argumentis, velut totidem telis, acriter urgere debebas: tum applausisset Victori *Schmuzio* tota Medicorum familia, festivum illud acclamando: Vivat *Schmuzius*, Jo Triumphe! Nunc verò turpiter, è luctâ claudicanti, inglorio & devicto, tota tibi rudit Arcadia, & bipartitum illud resonat: I-O. Triumphe. Patet tibi nihilominus arena & literaria Palæstra, in futurum: in qua si tam ampla sit domi tuæ supellex, ut rationibus & argumentis cum Zwelfero decertes; ejus dispensationes, doctas additiones, proprias experientias, & secreta (tibi porco Margaritas objiciendo) communicata refutes, humaniter te conducimus, ipso Zwelfero provocante. Quamvis, ut saniora consilia secteris, tibi Author sim, mi *Schmuzi*. Nam contra stimulum calcitras; contra torrentem niteris, in sicco navigas. Universa enim Europa tua confutabit argumenta. Non est Universitas, ad plagam Septentrionalem: Anglia, Gallia, Rhenus, & (ut Laconismo utar) nullus in Europa locus est, qui Zwelferi lucubrationes ad se non alliciat; improbum laborem non approbet. Ipse non ita pridem arbiter fui literarum, quibus diversæ literatæ familiæ, magni nominis Doctores Medici, absolutissimi Chymici, sollicitis votis prævenêre, ut hunc partum, quem obstetricante Pallade feliciter jam enixum vides Zwelferum, luci & publico emolumento donare dignaretur. Et sanè, nisi quis ad meridianum cæcutiat, ultrò fateri debet, has Zwelferi vigilias, & sincerissimam secretorum communicationem, incomparabile lucrum & emolumentum Orbi universo attulisse. Nec tu ipse, mi *Schmuzi*, inficias ibis, nisi livor simulare cogat, quòd Zwelferi industriæ Bibliothecam tuam condecorent; eas instar fidelis Dormi-securè, aut Vade mecum, custodias; denique Panaceæ tuæ sint arcana furta, ex Zwelfero petita. Et ne cum hyperbole magnificè, plus, quàm veraciter, hæc à me adducta suspiceris, ad manus mihi sunt fasciculi literarum, quibus consummatissimi Practici & Spagyrici arcana animi sensa produnt, &, quo loco Zwelferum habeant, luculenter demonstrant.

Inseram unum alterumve fragmentum, ne prolixitate mea ingratus tibi accidam.

Ex-

Excellentiss. Vir, Dn. D. Daniel Geyger, Medicus ex Collegio D. D. Augustanor. quem Hungaria, ob felicitatem & dexteram Praxin, obstupuit, de dato 14. Calend. Decembr. 1652. sic ad Zwelferum scribit:

Utilissimum Excell. Tua laborem summoperè commendavi, dignumque judicavi, ut, ad Aram Apollineam suspensus, immortalitate donetur. Certum enim est, innumeros crassos & turpes errores in Almam nostram irrepsisse Medicinam, inprimis Pharmaceuticam, diuque jam, à multis bonis exoptatam & desideratam fuisse competentem reformationem, & ad frugem meliorem reductionem. Tentarunt hoc non infeliciter Quercetanus, Sennertus, Sala, Mynsicht, *& alii; imò memini* olim *à Clarissimo* Philippo Menzelio, *Professore Ingolstadiano, &* Thoma Mermanno, *Archiatro Electorali, simile quid tentatum, sed humanæ conditionis injuriâ absolutum non esse. Proinde summis encomiis dignissimum, & Lauro decorandum te judico, Excell. Doctor, quod, his præclarissimorum luminum vestigiis insistens, etiam aliquid factu Augiæ huic stabulo subtrahere, huicque inclytæ Artis nitorem addere volueris. Quod quidem tantò perfectiùs & feliciùs absolvi potuit; cùm, juxta Proœmium dictæ Pharmacopœiæ, sedecim integris annis, laboriosâ & improbâ sedulitate, tam legendo, quàm manum ipsam admovendo, magnam tibi, hâc in parte, experientiam compararis. Pro qua insigni bonitate, & juvandi promptitudine, & ego, & tota Medica familia, gratias E.T. ingentes & immortales meritò debemus.*

Ex Literis Excell. Dn. D. Schmidt, Dantiscani, de dato 8. Febr. 1652.

Oblatæ ab Amicorum quodam, ad bihorii spatium, mihi sunt Animadversiones tuæ, in usitatissimam, nostris in Officinis, Pharmacopœiam Augustanam, ut, quid de iis sentirem, exponerem audacter. Breve fuit tempus, &c. Legi tamen eas cursoriè, & relegi in eis plurima; Gratulabar initio mihi statim, inventum tandem aliquem, qui rem hanc maximè necessariam aggredi non dubitaverit, cùm, quantam ex futilibus non paucis Compositionibus perceperim nauseam, testes apud nos sint plurimi. Taceo, quòd, plurima sine necessitate, imò præter rationem omnem, unà in Compositione congesta esse, quæ vel sanis nauseam movere possint, sæpe molestè tulerim. Hoc tamen magis me affecit, quòd calida frigidis, siccis humida, confusa ægris propinanda exhibita fuerint: idque speciem, nescio cujus, eruditionis præ se tulisse, nemo non existimaverit: cùm tamen farrago talis jure merito jamdudum risu & cachinnis digna fuerit. Futilem tamen hunc errorem demisso capite artium ad instar, & magni secuti sunt, & nefas, quidquam mutare, existimarunt. Salivam mihi sæpius moverunt inepta pleraque Electuaria; inutiles Pilularum massæ; Specierum farragines, & quod ineptiarum est reliquum. Dolui non raro, Medicinam nostram, imò magis Ægros, rebus talibus conspurcari. Dolui, plura ad pompam magis, quàm necessitatem, ne dicam rationem fieri. Nunc (immane quantum!) gaudeo expletum plurimorum desiderium, detectos esse errores, nec paucos, nec leves. Tibi vero, Amicorum optime, gratulor, de reportata ex labore hocce gloria. Talem te nempe gessisti, ut nemo non obstrictum se tibi agnoscat; quamvis non dubitem, fore etiam plurimos, quibus discere pudor erit, quique cavillandi occasionem arripient: hos tamen, cùm rem pro se ipsam loquentem habeas, vel solo contemptu refutasse, sat erit.

Porrò Excell. D. D. Henricus Cüsterus sic ad Zwelferum scribit Haderslebio Holsatorum, de dato die Circumcisionis Domini, 1653.

Εὐζωΐαν καὶ εὐπραξίαν!

Munus tuum literarium, dudum Viennâ ad me transmissum, Excell. Zwelfere, ritè accepi; quod, ut vidi, ambabus (quod ajunt) sum amplexus ulnis, imò ad os meum appressi, & exosculatus sum; adeo gratum mihi fuit donum illud, abs tam amica manu, ac è tam longinquis profectum oris; quo in, ut video, bis honorificam mei mentionem facere, haud gravatus es, sed (ut verum fatear) ex amico affectu tuo magis, quàm meo merito.

Quippe ob exiguam illam, quam ego, in isto elimando, Tibi locavi, opellam vix promerui, ut mei esses memor, nedum ut tam honorificè nominis mei memoriam illi insereres; quo ipso tamen duplici nomine Tibi me de novo reddidisti devinctum, perpetuæque debendæ gratiæ reum. Vix credis, Amicorum Ocelle, quantis labor iste tuus tam egregius, à laudatis Viris, quibuscum hinc inde mihi literarum intercedit commercium, commendetur encomiis, & quantopere tu illo ipso plures eorum, qui in castris Apollineis sacra faciunt stipendia, Tibi devinxeris. Qui, ob id, hunc ingenii Tui fœtum in oculis & sinu gerunt; in τεκμήριον perpetuæ & nunquam intermoriture memoriæ Tui. Perge, perge, Amice optume, ævum hoc ulterius illustrare ingenii tui monumentis, &, quæ adhuc premis, servasque recondita, propediem benigniter exprome, & publici fac juris, nec quicquam rabiosos Zoilorum morare insultus, pluriumque mordacia verba; quin contra audentior ito, proximique Tui, quantum potes, promoveto commoda. Sic te supremum Nomen juvabit, nomenque Tuum immortalis Fama evehet ad æthera. Vale, & animitus salve, mi Zwelfere, atque hunc ineuntem novum annum, aliosque innumeros subsecuturos, in omni prosperitate vivas, valeasque, vide; & constanter amare perge

Merito Tuo Tibi

addictissimum

Henricum Cüsterum.

Præterea Excell. D.D. Barthol. Moser, Phil. & Med. D. ac Prof. Publ. Dilingæ, sequenti Epistolâ, additoque Carmine Encomiastico, de dato 21. Maji 1662. ultro scribit.

Nobilissime, Clarissime, & Excell. Dn. D.

Latorem harum, Iuvenem egregium (qui in Pharmacopœia nostra Dilingana Tirocinium suum absolvit, & operâ ac industriâ suâ nobis abunde satisfecit; jam verò studio Philosophico picturato, in alma Vniversitate Viennensi, Medicum quoque adjungere, promptiore tamen Marte, quàm subsidii promptuario, animum induxit) tametsi pro merito suo Viennam, np. Patriam, revertentem obtinuit, quibusvis Literatorum Patronis & Mecœnatibus meliore notâ commendare non supersedissem: id ipsum tamen in Clarissima Dominatione Tua eo liberaliùs exordior, quòd optatam jampridem occasionem, eadem operâ, jam nactus sum, ut Clarissimæ & Excell. Dominationi Tuæ mentem meam, super Opus suum Exercitationum Pharmaceuticarum, præstantissimum & nunquam satis laudandum, apponere, simulque bene precari possem.

Quamvis n. feracissimum hoc seculum Scriptorum, tam in Medica, quàm in aliis Facultatibus, numero abundet penè innumero; asseverare tamen possum id, sine palpo, me in hac, & palæstra Medica, jam ultra decem lustra sudantem, nihil hactenus vidisse, quod mihi gratius, rei Medicæ utilius, imò magis etiam necessarium, hac ipsa correctione, fuerit. Siquidem Compositiones medicamentorum tam multæ, & apparatu tituloque splendidæ ac pretiosæ, propter incognitam accuratiùs præparandi normam; ideoque hactenus rudem & illegitimam, tam in Veteribus, quàm Recentioribus Medicis traditam, nec non à Modernis receptam & usitatam, non solùm imperfectæ & mancæ, sed non rarò etiam inutiles, ne dicam, miseris Ægrotis damnosæ, Pharmacopœis præscriptæ fuerunt: quæ nunc Clariss. Dom. Tuæ labore, industriâ, limaque dexterrima perfectionem suam, à me ipso, cum Ios. Quercetano, jampridem desideratam nactæ sunt.

Sint forte obtrectatores lividi, vel arrogantes Zoili, qui errores suos non capiunt, aut capere nolunt; vel cum errantibus pertinaciter errare, quàm veritati subscribere, malunt; parum refert; ringantur & rumpantur malevoli; Clariss. Domin. Tua nihilominus partam hoc labore gloriam & laudem suam, apud omnes bonos & æquos arbitros, veritatis amantes, inviolatam æternùm servabit.

Proinde hortor etiam Clariss. Dom. T. ut, quoniam rebus Chymicis præparandis dexteriorem longo usu & αὐτοψίᾳ notitiam & scientiam acquisivit (sine prolixa tamen ejusmodi medicamentorum farragine, quorum copiâ ingenti, inutili, & fastidiosâ, cum encomiis suis parum fidis, integra referta jamdudum

sunt

sunt Volumina) *ipsam potiùs tractandorum Mineralium & Metallorum genuinam rationem, prout in Animadversionibus suis fecit, in publicum proferre, nobisque communicare velit.*

Ad quod ut feliciter proficere possit, vitam Clariss. D.T. prosperam & incolumen à DEO *T. O. M. ex animo precor: cui nos unicè commendo.*

Nob.& Excell. Dom. T.

ad officia grata promptiss.

Barthol. Moser, Med.D. & Prof. Publ.

CARMEN

Encomiasticon extemporale:

In Honorem, & Gratiam, de re Medica,

Propter publicatas Exercitationes in Pharmacopœiam Augustanam utilissimas & laudatissimas optimè meriti

Nobilissimi & Clarissimi VIRI,

D. JOANN. ZWELFERI,

Artium & Med. Eximii Doctoris,

Ab Amico & Fautore benevolo conditum.

PRodiit Vndenis, patrio famosa nitore,
Augustana novis Pharmacopœia typis.
Nempe novis toties facta & natalibus aucta,
fœcundum docuit se cumulare librum.
Et fœcunda satis fuerat, nisi adultera prolem
passa foret spuriis dedecorare suam.
Sed quia lascivo stimulata frequentiùs Oestro,
dissimilem fœtus protulit illa gregem:
Crevit in immensũ, variis jam partubus ampla;
donec tanta sibi copia facta gravis.
Augustam tandem miseratus Cynthius Vrbem
vellicat, & memorem nominis esse jubet:
Nominis Augusti, quô nil præclarius usquam
cuncta videns, toto, Phœbus, in orbe videt.
Hac parens monitis, fœtum circumspicit omnẽ,
quem spurio peperit Pharmacopœia sinu.
Vidit, &, incassum tantos abiisse labores,
ingemuit; prolem pœnitet esse suam.
Vidit & obstupuit; tantum non eluet undis
Heu! facinus, dicens: Vindalicusque suis.
Protinus exclamat; nostros, Hygiéa, penates
qua colis, assuetos siste superba gradus.
Iam satis est lusum: sat, luxuriasse tot annis;
Nunc decet alterius subdere colla jugo.
Scit DUODENUS, *ait, nostra reparator Hygia,*
Æquus & hic lacrymis arbiter esto tuis.
Nec pigeat, tanto documenta audire Magistro,
cujus judicium vel Themis ipsa probat.
Hic rerum vires, artemque repandat, & usum,
corrigat hic navos, Pharmacopœia, tuos.
Felix ZWELFERUS, *felici sydere natus,*
Qui genio superat secula multa suo.

Barthol. Moser, M. D. & Prof. Publ.

Taceo Excellentiss. Viri & Medici Schafhusiani, D. Johann. Wepfer, eruditissimam & prolixam, de Zwelfero, Panegyrim; uti & fusam Dn. D. Joannis Irmbler: Epistolam, *dato 17. Octobr. 1657.* stylo excellenti & acuto; uti vir est omni exceptione major: in qua suum Zwelferum plus hactenus dictis evehit.

Salisburgo, 28. *Ianuarii* 1657. Excell. Vir & Medicus, D. Rupertus Streicher, in Epist. ad Zwelferum; Opus ejus toti Imperio desideratum, Reipubl. Medicæ unicè necessarium vocat.

Prænobilis Vir, Jod. Christophorus Kress à Kressenstain / Ordinis Patricii & Senatorii Norimbergæ, datis ad Zwelferum humanissimis literis, *de dato* 31. *Ianuarii* 1653. decumanas Authori gratias agit, ejusque sudores abstergit, Idiotas malevolos & Agyrtas demiratur, quòd Zwelferianam gloriam & palmam deprimere nitantur.

Pertransco varia Collegia Pharmaceutica. Dantiscani, quorum nomine Henricus Linck: Sebastianus Schröder, vices Norimbergensium agens: Matthias Bansa, Francofurtenses supplens; uti Hamburgo Joannes Kramer: Lunæburgo, Bartholomeus Hecht: Dresdâ, Georgius Grunberg/ omnes, anno 1653. amicum literarum Zwelfero obsequium deponunt, unanimi confessione: tale Opus à Medico perfici non potuisse, quem non Pharmaceutici labores multorum annorum serie ini-

initiassent. Habent, ex dictis Epistolis, malevoli, quod legant, scil. non Pasquinis & gerris., sed ponderosis Philosophicis argumentis, Zwelferianam veritatem esse arietandam.

Agmen ducat fragmentum Epistolæ, Viennensis Facultatis Medici, nunc autem extra Patriam, apud Jaurinenses, Physici, *dato* 24. *Martii*, 1666. Joh. Adami Spenholz: Cujus hæc ad Zwelferum.

Reddita est mihi Epistola tua elegantissima, Clarissime Doctor, aviti candoris, & germanæ synceritatis, tessera. Mirum dictu! quantum lætitiâ diffluebam, quòd ex ea percipere licuerit, te denuò majora in re Medica excolenda (cùm maxima jam præstiteris) pro prælo meditari. Faxint Superi, incomparabilis Vir! ut, qui jam olim nutantibus Medicinæ firmamentis, melior Atlas, succollasti, & ut quondam Theseum Gnosia Virgo, è Labyrintheis plexibus Medentes duxisti filo; sic deinceps Numen appareas: homo homini Deus. Utinam, Excellentissime Zwelfere, æquus omnibus sit oculus, & non, quis scripserit, sed quid scripserit, animadvertant; elatiore inflati spiritu, saniora non respuant consilia, nec eruditi detrectent, sine sensu ipsis sibi sapientes. Habent certè, quod merentur, in Scriptis Zwelferianis, Philosophi; quod æmulentur, magni nominis Chymici. Et pauci hactenus Scriptorum (suus cuique sit honos) te adæquarunt, quantum memini, supergressus nemo. Quanti autem doctissimas Animadversiones Tuas, & Notas, faciam, ut demonstrem; illud de his, quod de Homeri Iliade, magnus olim Macedo, mihi dicendum venit: diem me perdidisse reor, quo Zwelfero non vacavi. Age, quod agis, & cœptum curriculum ad bravium usque prosequere. Et si te fors, cum columbis, censura vexarit, illud indubitatum habeto; quòd, invidere, sit excellentiæ nota, ærarium gloriæ, & famæ nunquam intermoriturα possessio. Vale, Doctissime Virorum, & trophæa tua ad emorientis usque Oceani oras, ad Herculis columnas, extendito, donec aliquando palmam cedas maximæ spei, & raræ educationis, paternarum virtutum ex asse hæredi, Filiolo tuo, qui etiamnum ex rudi adhuc massâ quasi præfulgidus Adamas resplendet: ut verissimum sit, animum sapientem nasci; non arte parari: nec imbelles generare columbas Aquilam. Hunc ut in ævum Cœlites sospitent, cordialissimè auguror. Valete.

Hæc, ex innumeris pauca, deprompta sunt, ut videas, quàm dispar sit à Viris honestis malesanum judicium tuum.

Et ne digressionis figurâ tui memoriam penitus amisisse videar, *Schmuzi*, Fragmentum quoque è libro tuo de Thermis Carolo-Badensibus hîc inseram: quo ex loco tibi demonstrare cupio, nullam esse paginam libelli tui, quam taxare & castigare non possimus, accedente convitiandi libidine. *Pag.* 38. Tractatus tui, manifestam hyperbolen, &, ne dicam, decumanum mendacium, si ad literatum tribunal evoceris, fateri cogêris. *Ais* enim, *loco citato*, quòd *Badenæ, Vir Consularis & Senator prudens & discretus, David Graser, lapidem Thermalem Mineralem trium librarum pondo examinandum exhibuerit, purioribus ex succis Thermarum supra scoparum virgultis, straminibus & paleis injectis, & in veram lapidis figuram congestum, aliis duritie non cedentem lapidibus, qui unius fonticuli seu scaturiginis labro adaperto, in angustius cogendo calidarum aquarum opus, cum aliis multis huic similibus, ab illo collectus est. Hujus substantia pendebat:*

Nitri	℥ x ß,
Squam. ferri	℥ viij,
Alum.	℥ iiij,
Sal. Nitri	℥ iiij,
Vitrioli	℥ iij ß,
Stiby	℥ ij ß,
Bitum.	℥ iij,
Sulphuris.	℥ j.

Subjungis: *Et hæc est Thermarum Carolo-Badensium secundum exiguam meam rationis trutinam, & infimum manuum mearum laborem compositio, quæ si minus placet, humanam non recuso, & doctiorem correctionem, quippe me jam pridem doctioribus mancipavi penitus, &c.*

Viden', quàm audacter & magniloquè, quàm

quàm liberè hoc attuleris? An 1. fidem non excedat, has tam differentes & heterogeneas Mineras, lapides, sulphura, salia, verbo denique, totam ferè mineralium classem, in una matrice & gremio medicati Fontis delitescere, ac, intime sibi unita, ad univocos effectus producendos, ita concurrere, ut tamen realiter distincta, actu divisa, in Composito perseverent, ut se ponderari, dividi, omnem in partem versari sinant, nullâ qualitatum factâ jacturâ; uti ex tua patet analysi, & adducto experimento? 2. Quis definiat, quòd Mineralia in ejusmodi medicatis aquis materialiter & corporaturâ suâ inexistant; quin potiùs impraegnatione quadam, & spirituosae partis impressione, id fieri asserat; ac, dum fontes ejusmodi mineras alluunt, iisdem spiritibus turgere incipiant, sintque virtualiter, non verò formaliter, Nitrum, ramenta Ferri, Sulphur, &c? 3. An actio lapidifici spiritus tam arctum formarum nexum disunire queat, ut, resoluto Composito, tot inter se realiter distinctae partes integrantes, conservatis sibi propriis accidentibus, odore scilicet, sapore, quantitate, pondere, in scenam prodeant, in manifestissimam probationem: mineralia formaliter & materialiter Thermis inexistere? 4. Stybium, Bitumen, his Thermis inesse, alio loco falsissimum probabo. 5. Hanc thesin & experientiam tuam Paracelsus, *lib. de morbo Tartareo*, confundit. Nostro seculo, praeter alios, Hildanus, *de Griesbaccensibus & Piperinis*: acutissimus Helmontius, *Paradoxorum* 4. quo in loco parem Thermarum anatomicum manifesti mendacii convincit, & post serias destillationes tantum mineralium catalogum se non deprehendisse, manifestè asserit. Ejus verba, *loco citato*, consule. Ibidem reperies, ab Helmontio genuinam docere Philosophiam, aciditatem & qualitates reliquas fontis salutiferi, quibus turget, non ab alio emanare, quàm à mutua salium (quos esurinos vocat) effervescentia, actione volatilium in fixa, & reactione fixorum in volatilia; & è contra. Ut ut sit: libellum tuum severiori indagine scrutari, hîc nec locus, nec animus est. Tuus sit tibi honor & decus, ut inter Reipublicae Medicae bene meritos, & Scriptores notêris. Id solum ab Inductione remonstrare volui, neminem tam securè degere, quin leviori pateat aditus; nec tam sapienter rem unquam dici, quin possit contradici. Tu interim, mi *Schmuzi*, saniora consilia amplectere, palinodiam & retractationum libros meditare; memor illius: non dimittitur peccatum; nisi restituatur ablatum. Et quam, prostituto calamo & ore, tanti Viri famam (veluti cuniculos agendo) evertere tentasti, publicâ falsi confessione erigere studeto. Te Zwelferus interim, Vir ad modestiam & publicum emolumentum natus, etiam erga Te ingratissimum cuculum viscera miserationis gerens, valere jubet, & Christiano animo fausta quaeque precatur. Te quoque Anonymus salutat, simulque hortatur, ne iter, quò properas, Anticyras suscipere graveris; multum ex helleboro profecturus. Vale.

FINIS.

005644130